FONDAZIONE ISTITUTO INTERNAZIONALE
DI STORIA ECONOMICA "F. DATINI"
Serie oro. Testi antichi
80

JO. BAPTISTAE

DE LUCA

VENUSINI,

S.R.E. Presbyteri Cardinalis;

TRACTATUS

DE OFFICIIS VENALIBUS VACABILIBUS ROMANAE CURIAE;

Cum Juribus, seu Documentis, Informationibus, Responsis, & Decisionibus super suppressione Collegii SecretariorumApostolicorum.

ACCEDIT ALTER TRACTATUS

DE LOCIS MONTIUM

Non Vacabilium Urbis.

CUM NOVISSIMIS SUMMORUM PONTIFICUM Constitutionibus; nec non Sacrae Rotae Romanae Decisionibus ad materiam facientibus suis locis optimè adjectis.



VENETIIS M.DC.XCVIII

apud Paulum Balleonium

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS

SERIE ORO. Testi antichi – 80
© 2017 Fondazione Istituto Internazionale di Storia Economica "F. Datini"
ISBN: 978-88-95755-75-5

DATI BIBLIOGRAFICI:

De Luca, Giovanni Battista [1614-1683]

Jo. Baptistae De Luca Venusini, ... Tractatus de officiis venalibus vacabilibus Romanae curiae; cum juribus, seu documentis ... super suppressione Collegii secretariorum apostolicorum. Accedit alter tractatus De locis montium non vacabilium Urbis. Cum novissimis summorum pontificum constitutionibus; nec non Sacrae Rotae Romanae decisionibus ... adjectis. - Venetiis : apud Paulum Balleonium, 1698. - 264, 52, [4] p. ; 2° (33 cm) - Segn.: A-P8 Q-R6, a-c8 d4. - Front. inciso. - Testo su due col. - Note sull'esemplare: Leg. insieme a: Jo. Bapistae De Luca ... Comentaria ... de statutariis seccessionibus ... - Impronta: leI. i-a- ,&to taex (3) 1698 (R)

SERIE ORO. Testi antichi – 80
© 2017 Fondazione Istituto Internazionale di Storia Economica "F. Datini"
ISBN: 978-88-95755-75-5

De Luca
De
Offic. Vena.
Locis Mont.

De
Statut. Succe.
Et de
Pension. ecc-
cles.

JO. BAPTISTÆ

DE LUCA

VENUSINI,

S. R. E. Presbyteri Cardinalis;

TRACTATUS

DE OFFICIIS VENALIBUS VACABILIBUS ROMANÆ CURIÆ;

Cum Juribus, seu Documentis, Informationibus, Responsis, & Decisionibus super suppressione Collegii Secretariorum Apostolicorum.

ACCEDIT ALTER TRACTATUS

DE LOCIS MONTIUM

Non Vacabilium Urbis.

CUM NOVISSIMIS SUMMORUM PONTIFICUM Constitutionibus; nec non Sacræ Rotæ Romanæ Decisionibus ad materiam facientibus suis locis optimè adjectis.



VENETIIS, M. DC. XCVIII.

Apud Paulum Balleonium.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

IO. BAPTISTÆ

DE LUCA

VENUSINI

S. R. E. Presbyteri Cardinalis

TRACTATUS

DE OFFICIIS VENALIBUS

VACABILIBUS ROMANÆ CURIÆ,

Cum Iuribus, seu Documentis, Informationibus, Regulis, & Decisionibus super diversione Collegii Secretarii huius Apollinis.

ACCEDIT ALTER TRACTATUS

DE LOCIS MONTIUM

Non Vacabilium Urbis.

CUM NOVISSIMIS SUMMORUM PONTIFICUM



BIBLIOTECA DEL SENATO LAZZERINIANA

VENETIIS, M.DC.XCIII.

Apud Paulum Balleonium.

INDEX CAPITULORUM TRACTATUS DE OFFICIIS VENALIBUS VACABILIBUS.

CAP. I.

Occasio scribendi, & de qua specie officiorum agatur. fol. 5.

CAP. II.

De speciebus, & qualitatibus Venalium officiorum vacabilium Curiæ Romanæ, & præsertim de Prælatitiis, & de requisitis necessariis ad Prælaturam obtinendam. fol. 6.

CAP. III.

An pretium officiorum vacabilium habeat naturam sortis, ejusque jure censendum sit, vel potius fructuum, & reddituum; & quid propriè ista officia importent, & de eorumdem officiorum emolumentis, an sortis, vel fructuum naturam habeant. fol. 10.

CAP. IV.

An hujusmodi Officiorum venalitas, & respectivè vacatio per promotionem ad Cardinalatum, eorumque dispositio aliquam redoleant Simoniacam labem, vel aliam turpitudinem, seu rem illicitam. fol. 11.

CAP. V.

An Papa licitè possit condonare emolumenta expeditionum, & demandare expeditiones gratis, & per viam secretam in præjudicium officialium, qui obtinent officia ex causa onerosa, & qualem potestatem in hoc habeat Collegium Cardinalium. fol. 14.

CAP. VI.

Quomodo officia venalia acquirantur, & quid ubi acquisitio in persona unius fiat per alterum de istius pecunia; & de præsumpta donatione, ac imputatione in legitimam; & de materia reservationis decreti. fol. 17.

CAP. VII.

De officiorum resignatione, & alienatione, vel translatione de uno in alium, vel eorum obligatione, & quomodo esse dicantur in commercio, in substantia, vel in pretio, sive in commoditate, & quando resignationis admissio denegari possit. fol. 20.

CAP. VIII.

De eadem materia resignationis officiorum, quale jus tribuat Resignatario, ubi ex sola partium conventione, ante illam admissam, concluſa sit, & cujusnam sit damnum, vel periculum, quod interim contingat. Et an post illam admissam Resignatarius reddatur tutus, quamvis ob mandatum falsum, vel insufficiens, aut ob invalidum factum Judicis resignatio sequuta sit. fol. 22.

CAP. IX.

De resignatione, sive de extensione, & prorogatione officii de una persona in aliam, in quo differant, & an expediat practicare stylum admittendi passim resignationes absque aliquo pretio; & quando justè assensus resignationi denegari valeat. Et de coadjutoria, ac etiam de officiis hæreditariis, vel transmissibilibus. fol. 23.

CAP. X.

De creditoribus officialis, quale jus habeant in officio, & de illorum concursu, & potioritate, & de eadem materia reservationis decreti, de qua supra Cap. VI. & seq. fol. 26.

CAP. XI.

De capacitate necessaria ad obtinendum, & retinendum officia venalia, & an mulieres, infantes, & idiotæ sint capaces: Et quid in officiis non vacabilibus hæreditariis, quibus hæredibus deferantur officia, quæ exerceri possint per substitutum, ac etiam locari. fol. 28.

CAP. XII.

De officio assignato in dotem, vel possesso in commoditate per virum, tanquam re extradotali, ad quid vir teneatur erga mulierem; Et de officio possesso per hæredem fideicommisso gravatum, sive obligatum reddere rationes creditoribus hæreditariis, vel per usufructuarium, & similes. fol. 30.

CAP. XIII.

De officiorum venalium vacatione, quomodo sequatur; Et de privatione officialium, an, & ex quibus causis in particulari, absque officiorum suppressione, fieri valeat. Innocentii Papæ XII. Constitutio, quod de cætero officia, & loca montium vacabilia Romanæ Curiæ cujuscumque qualitatis sint, per assumptionem ad Cardinalatum ille obtinentium, minimè vacent. fol. 33.

CAP. XIV.

An Papa, vel alter Princeps possit supprimere invitis officialibus, aliquod genus officiorum, istaque occasione enarratur facti series suppressionis Collegii Secretariorum Apostolicorum, quæ huic Operi motivum dedit. fol. 37.

CAP. XV.

Præsupposita legitima suppressione Collegii, de quo Capitulo præcedenti, quid restituendum esset officialibus ex legibus particularibus ejusdem Collegii. fol. 40.

CAP. XVI.

De eadem restitutione pretii, de qua in Capitulo præcedenti, facienda tribus locis piis, quæ habebant officia in perpetuum. fol. 43.

CAP. XVII.

De eadem materia suppressionis officiorum, & quid in ejus casu reficiendum sit illorum possessoribus in genere, juxta terminos, & dispositionem juris communis. fol. 46.

CAP. XVIII.

De effectibus, tam favorabilibus, quàm odiosis, vel de commodis, & incommodis, quæ remanent in officiorum possessoribus, etiam post dimissum officium, & quando successor teneatur ad debita, vel onera, & facta prædecessoris. fol. 52.

CAP. XIX.

An, & quando officialis teneatur de facto substituti. fol. 54.

CAP. XX.

De societate officii. fol. 56.

JO. BAPTISTÆ CARD. DE LUCA TRACTATUS DE OFFICIIS VENALIBUS VACABILIBUS ROMANÆ CURIÆ.

Occasio scribendi, & de qua specie Officiorum agatur.

SUMMARIUM.

1 *Protestatio, vel excusatio Auctoris.*
2 *Omittuntur præludia fieri solita.*
3 *De quibus Officiis agatur.*
4 *Officiorum venalium usus apud antiquos Romanos sub nomine militiarum.*
5 *Sunt de Regalibus, & extra privatum commercium.*
6 *Per quos tractetur de materia.*
7 *De stylo, qui tenetur super auctoritatum allegatione.*

CAP. I.

NOn semel accidit, ut præter negotiorum, aliarumque rerum regularem cursum, à particularibus deveniat ad universalia, istisque illa occasionem præbeant, ut in hac præsertim tractatione praxis docet; Cum enim mihi post transitum à Foro ad Aulam, extra consuetam, & diuturnam viam, per aliam, longè plus incommodam, & spinosam ambulanti, occasio præbuerit antiquum forense reassumere plectum in adeò celebri causa, intitulata *Romana pretii officiorum*, disputata in Rota Romana inter Cameram Apostolicam, & olim Secretarios Apostolicos, ob illius Collegii suppressionem, juxta seriem in Rotæ Decisionibus, præsertim secunda, recensitam, A. ac etiam inferius reassumptam in Cap. 14. id incentivum dedit, ex consueto veritatis, & justitiæ amore, & charitatis motivo erga posteritatem, in unum colligere, & recensere ea, quæ, tam in dicta controversia, quàm in mei Theatri Regalium libro, aliisque ejusdé Theatri locis, occasione consimilium particularium controversiarum, dixi in hac materia Officiorum Venalium, & Vacabilium Romanæ Curiæ, aliqua elucidando, (quantum fieri potest, atque humanæ conceditur imbecillitati) æquivoca, in quæ frequenter incidi sum expertus, prudentem, ac doctum admonendo lectorem (dum indoctos, & indiscretos non alloquor,) ut discretionis memores considerent opus penè sine tempore, & sine libris, cum non modica negotiorum mole in Aula Vaticana successivis, non dico horis, sed brevissimis, cõtinuò interruptis, spatiis compositum esse.

Scriptorum stylus frequentior est, cujus inobservantia apud legalis facultatis modernos præsertim professores magnam recipere solet censuram, in tractationibus magnos facere apparatus, magnumque adhibere laborem in origine, significatione, & derivatione vocabuli, sub quo materia explicatur, & tractatur, ac etiam super diversis speciebus, quæ sub eodem generico vocabulo comprehenduntur, nec non super vera definitione, vel descriptione, alias impugnando definitiones, vel descriptiones, quæ ab aliis traditæ sint, ut in hac individuali officiorum tractatione apud aliquos modernos legitur. B.

Quidquid autem sit de hujusmodi præludiis, circa quæ ad præfatos, aliosque similes Scriptores remitto lectorem, propositum nõ est agere de officiis in genere, & per consequens de omnibus illis muneribus publicis, & privatis, Ecclesiasticis, & sæcularibus, civilibus, & militaribus, administrationé, ac jurisdictionem annexam habentibus, vel illa carentibus, &c. sed solùm de Officiis Venalibus, & Vacabilibus, non quidem in genere, adeout omnium Regionum, vel Principatuum officia hujusmodi veniant, sed solùm de illis Curiæ Romanæ, seu Pontificiæ, à quibus, ex rationis identitate, quando ista intret, atque aliorum Principatuum, vel Civitatum leges, vel styli non obstant, neque diversitatem inducant in casuum contingentia inferri valeat; Illa solum insinuata generalitate, quæ communis est omnibus Regionibus, & Principatibus, in quibus vivitur cum illo Romanorum jure, quod civile commune dicitur, ut hujusmodi officiorum usus non sit novus, dum apud antiquos Romanos quoque cognitus fuit, sub diverso tamen vocabulo militiarum, quæ idem sonant, ac ista nostrorum temporum officia venalia, C. ideoque id quod in præfato jure de militiis dispositum legitur, his officiis regulariter congruit, quando particulares leges, vel styli diversimodè non suadeant, à quibus tamen, ut plurimum hujus materiæ regulatio pendet: Quinimò in plerisque hujus Curiæ officiis, adhuc idem continuat antiquum militiarum vocabulum, quamvis eorum erectio sit recens, quia militiæ, vulgò *Cavallierati* nuncupantur, ut in eorundem officiorum serie recensita in Cap. seq. habetur.

Quamvis autem inter Regalia enumerata in illa capitulatione, quæ in pace Constantiæ inita fuit inter Imperatorem Federicum I. & confederatas Civitates Lombardiæ, registrata inter leges feudales, ideoque unica Regalium lex, & norma reputata, D. in aliorum tamen majorum enumeratione manca, ut in suis advertitur sedibus E. facultas creandi Officiales, & Magistratus ad Justitiæ administrationem, & Reipublicæ regimen recensetur; Nihilominus de hac specie officiorum ad solam utilitatem, militiarum adinstar, verè ista lex non loquitur, adhuc tamen ex communi Doctorum sensu, & Principatuum praxi receptum est, ut hujusmodi Officiorũ venalium erectio, & dispositio sit etiam de reservatis Supremo Principi, & per consequens de Regalibus, adeout de uno in alterũ, quo ad substantiam, transferri non valeant, absque ejusdem Principis, vel illius, quem ipse deputaverit, licentia, ut patet ex iis, quæ sparsim in enunciato Theatri secundo libro de Regalibus habentur, ac etiã infra in plerisq, locis, præsertim occasione agendi de cõmercio, & cõtractatione

ne Cap.6.& ſeq. Et licet aliquę ſubditę Civitates,vel ſubditi, & inferiores Magiſtratus eundē uſum habere ſoleant, ut etiā in Urbe habetur in officiis Populi Romani, ſeu Capitolinis, adhuc tamen ex Papę ſupremi Principis cōceſſione, & poteſtate id ſequitur;Ideoque tyronicum potius eſſet in aſſumpto paſſim recepto, & controverſiam non recipiente, ſe diffundere,atque chartas inutiliter implere ſuper ratione, ob quam ſint de regalibus, & extrà privatum commercium, utpotè in jure præſupponendo.

Apud quos autem Doctores de iſta officiorum materia
6 tractetur, ex eodem ſecundo Regalium libro conjici poteſt, atque aliqui moderni Scriptores multos de materia loquentes colligunt. F.

Connaturalis eſt Juriſtarum ſtylus, imò neceſſarius apud eos reputatus, nil,aſſerendi abſque auctoritatum allegatione, magnoque cumulo, ex illorum axiomate, quod erubeſci-
7 mus cum ſine lege loquimur; unde provenit quod eorum opera pro moderno præſertim ſtylo compoſita,cum adeo magna allegationum inutilium copia, nauſeantia, & contemptibilia apud alios litterarum Profeſſores non immeritò reputentur;Id autem penè in omnibus meis Operibus,genium, ac ſtylus abhorruerunt,magis verò in iſto, in quo, ut præmiſſum eſt, abſque libris, & abſque tempore in Aula totum egit memoria; Ad ſatisfaciendum verò iis, qui mihi fidem præſtare nolentes, alias cupiunt auctoritates, inſinuantur loca, in quibus eadem propoſitiones cum auctoritatibus, & deciſionibus comprobantur, ubi videri poterunt, & ubi de eis actum non eſt, moderatæ pro ſtylo inſinuantur, dum iſtæ alias referunt.

a *Romana pretii officiorum 19.Iun.1680.coram Alberg.de qua infra ſub nu.* 18. b *Amichangel. de Regal. offic. quæſt.*1. *cum tribus ſeqq.* c *l. penult.* §. *alumno, ff. de legat.* 3. *l.*3. §. *te diei, ff.de minor. l. fin. C. de pign. l. omnimodo* §. *imputari, C. de inoff. teſtam. ubi Bald. Caſtr. Salicet. & alii. Amichangel. de Regal. offic. quæſt.* 1. *n.* 12. *Theatr. lib.* 2. *de Regal. diſc.* 2. *n.* 4. *diſc.* 17. *n.* 9. *& alibi.*

d *Cap. unico; Quæ ſint Regalia in uſibus feudorum.*

e *In ſumma Regalium num.* 1. *& ſeqq. in alio opere Italici idiomatis, cui titulus eſt,* Il Dottor Volgare, *eodem tit.*2. *de Regal. in genere; Et in opuſcula eiuſdem Italici idiomatis,cui titulus eſt,* Il Prencipe prattico,*cap.*13. f *Amichangel. de Regal. offic. q.* 4. *num. fin. d. diſc.* 2. *de Regal. n.* 5. *& in aliis pluries; plenè Salgad. in labyr. credit. qui fortè omnium latius, & melius de hac materia tract. allegat. d. diſc.* 2. *& alibi pluries.*

De ſpeciebus, & qualitatibus Venalium officiorum vacabilium Curiæ Romanæ, & præſertim de Prælatitiis, & de requiſitis neceſſariis ad Prælaturam obtinendam.

SVMMARIVM.

1 *QVare dicantur officia Cancellariæ.*
2 *Diſtinguuntur hæc officia in tria genera, ſive in tres ſpecies diverſas.*
3 *Quæ ſint officia Prælatitia, & primi Ordinis.*
4 *De officio Cardinalis Camerarii.*
5 *Commendabilis eſſet diſtinctio officiorum utriuſque Principatus, quare iſta non adſit.*
6 *De officiis Auditoris Cameræ,& Theſaurarii Generalis.*
7 *Quænam ſint alia officia Prælatitia ſingularia, quæ non conſtituunt Collegium.*
8 *De officiis Prælatitiis, quæ faciunt Collegium.*
9 *De officiis ſecundi generis, quæ non ſunt Prælatitia, ſed aliquam habent adminiſtrationem.*
10 *De officiis tertiæ claſſis, quæ nullam habent adminiſtrationem.*
11 *De portionibus, quarum ſunt capaces etiam mulieres.*
12 *Recenſentur iſta officia tertiæ claſſis, eorumque Collegia.*
13 *De officiis Capitolinis.*
14 *De requiſitis neceſſariis ad Prælaturam Referendariorū.*
15 *Quod non ſoleret practicari in his officiis venalibus, & quare.*
16 *De proviſione deſuper facta.*
17 *De diverſis ſpeciebus Prælatorum.*
18 *Non ex eo, quod aliquis ſit Prælatus, ſequitur quod ſit Referendarius.*
19 *Datur exemplum Canonicorum.*
20 *Quid operetur conceſſio Prælaturæ in his officiis.*
21 *De Auditoribus Rotæ, aliiſque Officialibus Curiæ.*
22 *De abſurdis, & inconvenientibus, quæ aliàs reſultarent.*
23 *Quod ipſemet Conſtitutiones, quæ concedunt privilegium, idem diſponant.*
24 *In dubio procedendum eſt cum regula.*

CAP. II.

PRo Curiæ loquendi uſu, Officia Venalia, quæ per Papam conceduntur, Cancellariæ, vel Datariæ appellantur, quamvis pleraque ſint, & præſertim majora, & primi ordinis, quæ Cameralia potiùs, quàm Cancellariæ, vel Datariæ dicenda veniunt, ac etiam aliqua inferiora diverſas habeat adminiſtrationes, vel munera, ut infrà in eorum ſerie. Iſtud autem generale vocabulum originatum probabiliter videtur ex majori numero, & parte,vel probabilius ad diſtinguendum officia Papalia à Capitolinis, quorum antiquiori tempore magnus erat numerus, & de quibus etiam incidenter in pleriſque locis fit mentio, quoniam omnia officia Papalia cujuſcunque ſint ſpeciei, & qualitatis expediuntur per Datariam, & Cancellariam reſpectivè,quod in aliquibus Capitolinis non ſequitur. 1

Ut autem in enunciata Regalium Sede advertitur, A. triplicis generis, vel qualitatis eſſe dignoſcuntur hæc officia venalia vacabilia per Papam conferri ſolita. Primi namque 2
generis ſunt ea, quæ majora, vel primi ordinis eſſe dici merentur, quamvis inter ſe quoque aliqua notabilis adſit diſparitas, utpotè annexam habentia Prælaturam, adeout non conferatur niſi Prælatis, vel quod per eorum aſſecutionem Prælati efficiantur, ac etiam habent annexam juſtitiæ, vel alterius qualificati muneris adminiſtrationem, ac majores 3
præeminentias, undè propterea conferri non ſolent, niſi viris jam benemeritis, ſive quod ex natalium qualitate, aut ex virtute, & animi dotibus, Sedis Apoſtolicæ, ac Reipublicæ ſervitium,ac beneficium ex eorum opera probabiliter ſperari valeat, cùm ad hunc finem ordinata ſit Prælatura, tanquam quædam ſpecies primariæ militiæ, ex qua Duces, aliique Præfecti, & Officiales exercitus eligi debeant; atque hoc primum genus dividitur in plures ſpecies, quod ſcilicet alii ſunt Officiales Camerales, alii Cancellariæ, & alii, quibus diverſa alia munera incumbunt, ut infra, ac etiam alia intrat diſtinctio, quod alii conſtituunt Collegium, & alii conſiderantur ſingulariter.

Inter hæc officia connumeratur unum omnium majus, quod juxta antiquiſſimam, nunquam interruptam, praxim, eſt de ſui natura Cardinalitium, utpotè obtineri non ſolitum niſi per aliquem in hac dignitate conſtiturum,illudq; 4
eſt venale, ut non ſemel practicatum eſſe docent Hiſtoriæ ex inſinuatis in relatione Curiæ, loquendo de Cardinali Camerario, B. atque præſertim practicavit B. Pius V. pro ſubſidio belli contra Turcas; Et licet juxta modernam praxim, quando vacatio contingit, gratis frequentiùs concedi ſoleat, attamen in conceſſione fit condonatio pretii, eodem modo, quo practicatur, quando per Pontificem conjunctis, vel aliis donantur alia officia,etiam minora, ut habetur infra in Cap. 17. iſtudque pretium eſſe conſuevit ſcut. 60. mill. monetæ, ut in hoc ſæculo practicatum fuit ſub Gregrio XV. in Cardinali Hippolyto Aldobrandino. Verum quando id practicandum eſſet hodiè ob notabilem alterationem pretii hujuſmodi officiorum, probabile eſt,quod eſſet longè majus; Ideò autem iſtud officium eſt venale, non autem talia ſunt alia officia Cardinalitia, V. Cancellarii, Pœnitentiarii, & Vicarii Urbis, quia hæc pertinent ad Principatum ſpiritualem, illud autem ſpecialiter ad temporalem, ut in ſuis ſedibus advertitur. C.

Commendabile quidem eſſet, ut hæc officia aliam reciperent veram, ac totalem diviſionem, quod ſcilicet alia eſſent 5
pertinentia ad Pontificium Principatum ſpiritualem, & alia ad alterum Principatum temporalem, juxta nimium frequenter inſinuatam iſtorum Principatuum diſtinctionem,ac diverſitatem; D. Verum quidam inſenſibilis uſus diverſam induxit conſuetudinem,adeout illa officia, quæ principaliter ſunt temporalia ad temporalem Principatum pertinentia, participent de multis pertinentibus ad ſpiritualem, & è contra illa officia, quæ principaliter pertinent ad Principatum ſpirituale, participent de multis pertinentibus ad temporale.

Officiales autem Prelatitii de hac ſecunda ſpecie ſingulari, ſunt duo primarii Curiæ Officiales, tam ratione majoris muneris,

neris, ac jurisdictionis, & præeminentiæ, dum omnes alios antecedunt singulariter consideratos, pluribusque gaudent honoribus, & prærogativis, quibus alii non gaudent, quàm etiam ratione majoris valoris, vel pretii, fixi tamen, & invariabilis, pro quo juxta præsentem statum concedi
6 solent; Istique sunt, Auditor Cameræ, & Thesaurarius generalis, atque valor est scutorum auri 56. mill. Istaque officia pro stylo penè inconcusso non solent conferri, nisi iis, qui jam sint Clerici Cameræ, licet quandoque ab hoc stylo, sed nimium rarò soleat recedi; ut initio sæculi currentis in Officio Thesaurarii practicatum fuit sub brevissimo Pontificatu Leonis XI. qui sequuta hujus officii vacatione illud contulit Aloysio Capponio penè adolescenti, fuitque postmodum qualificatus Cardinalis, ejusque mentio fit occasione agendi de Decanatu S. Collegii. E. Sunt autem incompatibilia cum Clericatu, qui dimittitur retrahendo pretium scutorum pariter auri 42. mill. adeout augmentum de novo solvendum importet scut. auri 14. mill. De his autem duobus majoribus Officialibus, eorumque jurisdictione, & præeminentiis agitur in eadem relatione Curiæ. F.

Alia officia Prælatitia singularia, Collegium non con-
7 stituentia, aliquam jurisdictionem annexam habentia, sunt videlicet, Præses, vel Præsidens Cameræ, Regens Cancellariæ, Auditor Contradictarum, Auditor Confidentiarum, Corrector Contradictarum, Præfectus Minutarum Brevium, Revisor Minutarum Brevium, Præses, vel Præsidens Sollicitatorum Apostolicorum, vulgò Janizerorum, Præses, vel Præsidens plumbi, istorumque officiorum pretium, non est fixum, sed varium, ac respectivè majus, vel minus ad
8 mensuram emolumentorũ. Illa verò Prælatitia, quæ faciunt Collegium sunt Duodecim Clerici Cameræ Apostolicæ, de cujus Tribunali agitur in dicta relatione Curiæ, G. istorumque officiorum pretium est fixum, & invariabile scutorum auri 42. mill. Duodecim Protonotarii Apostolici de numero participantium, quorum officium est antiquissimum, utpotè à temporibus primitivæ Ecclesiæ erectum pro conscribendis actis Martyrum, pretium verò non est fixum, sed varium juxta temporum contingentias. Et duodecim Abbreviatores de Parco majori, quorum officium directè, & propriè versatur circa Cancellariam Apostolicam, & pariter pretium, est varium juxtà temporum, & emolumentorum variationem; Istorumque Abbreviatorum medietas prius pertinebat ad Cardinalem Vicecancellarium, qui ea vendebat, sed per Innocentium XI. dismembrata fuerunt, omniaque applicata Cameræ, ut in Motu proprio registrato in calce præsentis Capituli.

Secundi generis sunt Officia, quæ media dici merentur,
9 utpotè quid medium constituentia inter Prælatitia primi ordinis, de quibus suprà, & inferiora popularia tertii generis, vel ordinis, de quibus infrà, ex eo quod annexam habent aliquam administrationem negotiorum Cancellariæ Apostolicæ, & in litterarum Apostolicarum expeditionibus, aut in actis judicialibus conscribendis, & ordinandis, sive in illis exequendis, unde propterea in eis requiritur aliqua idoneitas, & litteratura, & in plerisque juxta legem fundationis, requiritur etiam gradus Doctoratus, istaque pro majori parte sunt Collegialia, eorumque pretium est varium, majus, vel minus pro temporum, & emolumentorum varietate, & qualitate. Collegialia verò sunt, nempè Scriptores Apostolici in numero centum, Scriptores Brevium in numero octoginta uno, Scriptores Pœnitentiariæ, aliàs minoris gratię in num. 27. Procuratores Pœnitentiariæ, aliàs minoris gratiæ in num. 24. ultra illos tres Procuratores & tres Scriptores, qui actu serviunt Tribunali Pœnitentiariæ pro foro Pœnitentiali, cùm ista officia non sint venalia; Abbreviatores de Parco minori in nu. 60. Sollicitatores, vulgò Jannizeri nu. 100. Correctores Archivii n. 8. Clerici Registri num. 6. Registratores supplicationum n. 20. Registratores Bullarum nu. 24. Magistri Regestri supplicationum nu. 8. Magistri Regestri Bullarum num. 6. Cubicularii num. 60. Procuratores Contradictarum n. 13. Notarii Auditoris Cameræ nu. 10. Notarii, seu Secretarii Camerę num. 4. Notarii Rotæ num. 4. Notarii Cardinalis Vicarii num. 4. Cursores Papæ num. 19. Mandatarii Curiæ Gubernatoris nu. 7. Magistri plumbi n. 3. Notarii Provinciæ Marchiæ num. .... Adsunt etiam aliqua officia venalia habentia annexam aliquã administrationem, vel exercitium, quæ sunt singularia, & non efformant Collegiũ, nempè Notarius civilis Gubernatoris, cùm officium Notarii criminalis pertineat ad Archiconfraternitatem Charitatis. Et Notarii super processibus, promovendorum ad Episcopatum, Ripæ, Burgi, Ædilium, seu Magistrorum Viarum, Mercatorum, Protomedici, Contradictarum, Agriculturæ in parte, *Hebræorum*, & *Neophitorum*, Officium Assessoris, Magistrorum viarum, & sunt quamplures Depositariæ aliquorum ex Collegiis. Ex his autem, de quibus supra, ac etiam ex iis, de quibus infra, aliqui Officiales exercere solent per se ipsos, & alii pro majori parte exercent per substitutos, ut advertitur infra Cap. 19.

Demum tertii generis sunt officia minora magis popularia, quæ nullam habent annexam administrationem, ideò 10
non exigunt industriam, vel idoneitatem personæ, sed illorum sunt capaces etiam idiotæ, & infantes, utpotè ad solum emolumentum, quinimò in aliquibus ex istis, ac etiam in
illis secundæ classis, de qua supra, sunt erectæ quædam 11
portiones, quarum sunt capaces etiam mulieres, & infantes, atque infra Cap. 11. explicatur quid nam istæ portiones importent, illæque portiones, quæ Ripæ dicuntur, sunt in num. 634. ultra plures alias portiones recenter erectas super aliquibus officiis, de quibus supra, & infra; Istaque officia constituunt etiam Collegia, atque eorum pretium est varium juxta temporum qualitatem, ac magis, vel minus, 12
ad mensuram emolumentorum, eaque sunt videlicet, Collectores plumbi n. 104. Scriptores Archivi nu. 91. Scutiferi Apostolici num. 140. Prę sidentes Annonę nu. 141. Mazzerii nu. 25. Officiales nuncupati de Virga rubea nu. 16. Custodes primæ catenæ num. 3. Custodes secundæ catenæ num. 2. Ostiarii primæ, & secundæ catenæ nu. 5. Milites vulgò *Cavallieri Lauretani* num. 330. Lilii num. 350. Pii num. 671. S. Petri num. 401. S. Pauli num. 200. & forsan alia existunt ignota, cùm meum non sit exacti historici, vel enumeratoris partes in hoc implere.

De officiis Capitolinis non agitur, nisi incidenter, tum
quia diversam habere solent naturam, cum aliqua sint hære- 13
ditaria, & transitoria, etiam ad extraneos, cum sola obligatione renovandi expeditiones, ut sunt præsertim officia Notariorum fori Capitolini, & aliqua solent esse ad lineas, vel generationes; tum quia penè annihilata videntur, atque in dies supprimuntur, eo quia magnum causabant gravamen Cameræ, Populi autem nullum levamen, & beneficium, dum contingente vacatione, per Conservatores pro tempore concedi solebant gratis eorum conjunctis, vel benevolis, aut si mediante pretio, istud ad eorum privatum tendebat commodum, quinimò prorogationes, ac præventivas concessiones de facili facere solebant; unde propterea Innocentius X. magnam quidem eorum fecit suppressionem, quam successivè alii Pontifices continuarunt, ut actu continuat Innocentius XI. H. Ac etiam quia tractatio est de officiis Romanę Curię sub cujus nomine venit Curia Papæ, ubicunque iste residentiam habeat, unde quando longam residentiam habuit in Gallia, adhuc Romana Curia dicebatur; è converso autem Curia Capitolina, est Curia particularis Romanæ Civitatis constitutæ ex proprio Populo, & districtualibus, ad instar cujusliber alterius Civitatis.

In proposito autem præmissorum Officiorum primæ clas-
sis, quæ annexam habent Prælaturam; Cùm Alexander 14
VII. per ejus Constitutionem 88. innovativam Constitutionis 41. Sixti V. statuerit, quod illi, qui Collegio Referendariorum utriusque Signaturæ cooptari cupiunt, ultra Prælaturæ concessionem, ex Papæ gratia fieri solitam, habere debeant nonnulla requisita cum processu in Signatura Justitiæ justificanda nempè legitimos, & honestos natales, ætatem annorum 25. probitatem vitæ, & famæ, Clericatum, Doctoratum in aliqua publica Universitate in utroque jure, vel eorum altero, prævio quinquennali studio, praxim Curiæ per biennium, & congruam provisionem scutorum mille quingentum, ac ulterius, ut præcedere debeat examen cum consueta propositione duarum commissionum idealiũ in plena Signatura, & præstatio juramenti. Orta est dubitatio, an possessores hujusmodi Officiorum, pro obtinenda Prælatura, subjaceant processui, dictisque requisitis, atque attenta quadam observantia de facto, nemine ad id reflectente, isti Officiales prætendebant se exemptos, ex eo fundamento, quòd Protonotarii Apostolici per Constitutionem 12. 15
Sixti V. creantur Prælati domestici, & utriusque Signaturæ Referendarii; Abbreviatores autem de Parco majori, fortèque alii Officiales Cancellariæ per Constitutionem 2. Pauli V. pariter creantur Referendarii.

Inter alios verò abusus, ad quos pro mei muneris debito
advertere curavi, atque Divina assistente gratia ex zelo veritatis, & justitiæ abolere, iste præsertim talis mihi videbatur, 16

BIBLIOTECA COMUNALE PRATO LAZZERINIANA

quodque propterea nullatenus permittenda esset hæc Apostolicarum Constitutionum publica contraventio in adeo magno Tribunali, & in conspectu Curiæ, quoniam non omnis Prælaturam perneceſſe importat, vel secum trahit cooperationem huic Collegio, dum multæ sunt diversæ Præ-
17 laturæ species, vel hierarchiæ, multaque inter se distincta Collegia, ut exempli gratia. Est hierarchia Episcoporum, & Archiepiscoporum, & sunt Collegia, Rotæ, Cameræ, Protonotariorum, Abbreviatorum, & similia, quæ sunt diversa ab isto Collegio Referendariorum, ac etiam habetur species Prælatorum domesticorum Papæ, & sunt pleraque Officia Prælatitia singularia superius recensita: ideoque
18 non ex eo, quod aliquis sit de uno Collegio Prælatitio, quamvis etiam dignioris, & majoris ordinis, exinde sequitur, quod sit de isto Collegio Referendariorum, nisi servatis servandis illi cooptetur, ut exempli gratia, habemus in genere Canonicorum Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitana-
19 rum, & Collegiatarum, quoniam omnes sunt, & dicuntur Canonici, sed non ex eo, quod quis creatur Canonicus in una Ecclesia, quamvis majori, atque sit de illo Capitulo, exinde sequitur, quod dicatur de Capitulo, vel Collegio aliarum Ecclesiarum, etiamsi in eis de aliquo Canonicatu provideatur, nisi servatis servandis de jure communi, vel particulari, & justificatis requisitis admittatur in Collegium, & Capitulum, ideoque non sufficit, quod Officiales unius Collegii, ad quod fuerint admissi creati sint per Papam etiam Referendarii, quoniam id aliud non operatur, nisi conces-
20 sionem generalem illius Prælaturæ, pro qua in aliis non obtinentibus hæc officia necessaria est concessio, vel gratia specialis, quæ tamen non sufficit pro cooperatione in Collegium, nisi prævia justificatione requisitorum sequatur admissio, vel receptio juxtà insinuatum exemplum illorum, qui per Papam, vel Ordinarium providentur de aliquo Canonicatu in Cathedrali, vel Collegiata, quoniam ista provisio, etiam cum perfecta expeditione litterarum præbebit quidem titulum, sed sequi debet admissio, vel receptio in Capitulum, prævia justificatione requisitorum, quæ ex hujusmodi Capituli legibus, vel privilegiis, aut ex consuetudine sunt necessaria.

Et magis proximè ad rem, si vacante loco in Rota, Papa alium de hoc loco providet, illicò ei concedit litteras con-
21 tinentes perfectam creationem, & provisionem juxta verba in Præeminentiarum Sede registrata, L. non per hoc tamen ille dicendus est de Collegio, neque sedere potest in Rota, minusque privilegiis, & præeminentiis Auditorum Rotæ gaudet, nisi præcedant justificatio requisitorum, & implementum quamplurium functionum, necnon duplex examen publicum, & secretum, hisque omnibus peractis, præstandum est juramentum in plena Camera, ut advertitur in eadem Sede Præeminentiarum, M. ubi quod idem penè ubique servatur in omnibus Collegiis, & Tribunalibus exercentibus jurisdictionem, & annexam habentibus administrationem justitiæ, pro qua exercenda, præstandum est Juramentum, atque adimpleri debent omnia requisita per leges, vel stylos illius Tribunalis, vel Collegii; ideoque cùm ista Prælatura Referendariatus utriusque Signaturæ sit de hoc genere, quoniam annexam habet administrationem justitiæ, & exercitium jurisdictionis, prorsus improprium est, ut ex officio Protonotarii, vel Abbreviatoris, quod satis modicam exigit administrationem pro quibusdam actibus extrajudicialibus, magisque honorificis, quàm veræ administrationis, obtineri debeat cooptatis huic Collegio, absque eo quod constet de idoneitate, aliisque requisitis necessariis pro hoc majori munere exercendo; Atque alias dari posset casu, quod immaturæ ætatis, malèque morigeratus adolescens nullam juris, & fori
22 peritiam habens, ita efficeretur Judex, atque justitiam administrare deberet, & sederet in Signatura ignotus Collegio, vel Tribunali, quo nil absurdius, ac etiam quod non esset de congrua substentatione provisus, adeout cum dedecore ordinis Prælatitiis tanquam mendicus vivere cogeretur, dum hujusmodi Officiorum valor importat respectivè decem, vel quindecim mille scuta circiter, quæ possunt etiam esse ab alio mutuata; Et quod magis est, ita esset comprobare falsam ignari, vel maligni vulgi opinionem, & famam, de qua infrà Cap. 4. quod in Romana Curia, cum sola pecunia, sine meritis, & absque idoneitate, emantur Prælaturæ, & Dignitates, & justitiæ administratio, ideoque abusus manibus palpari videtur.

Et præsertim quoad Abbreviatores casus videtur dubitandi ratione indignus, dum ipsamet Constitutio Pauli V. exi-
23 git examen, & juramentum, atque expressam relationem habet ad Constitutionem Sixti V. Et quoad Protonotarios, eadem Constitutio 12. Pii V. clarè comprobat hanc discretivam; quoniam in §. 7. omnes indefinitè creat Prælatos domesticos, alio non desiderato requisito, dum ista est Prælatura solùm honorifica, sine administratione; in §. verò 15. creat Referendarios solùm illos, qui essent Doctores; Cùmque istam Constitutionem idem Sixtus per aliam posteriorem 41. statuerit in isto Collegio Referendariorum quandam regulam generalem absque aliqua exceptuatione, idemque fecerit Alexander VII. intrat vulgaris, vera, & recepta propositio, quod procedendum est cum regula, quoties non constet de limitatione, vel exceptuatione in dubio non
24 præsumenda; cumque utique Pōtifici benè innotescerent ista Officia hāc prærogativā habentia Prælaturæ, verisimiliter illa exceptuassent, & non statuissent regulam generalē pro omnibus in isto Collegio cooptandis; ideoque concludendum, quod hoc privilegium contineat quandam concessionem generalem; similem concessionibus particularibus, quæ de Prælaturæ assumptione fieri solent, ut præbeant quidem titulum ad illam assequendam, constito tamen de idoneitate, & aliis requisitis, ad instar provisionum, quæ fiunt de beneficiis in forma dignum, &c.

a *lib. 2. de Regal. disc. 2.*
b *lib. 15. in relat. Curiæ disc. 11.*
c *d. disc. 11. in relat. Curiæ, & in opusc. de Card. pract. cap. 14.*
d *d. lib. 15. in relat. Curiæ disc. 2. lib. 2. de Regal. disc. 2. & in d. opusc. de Cardin. cap. 10. & alibi pluries.*
e *in d. relat. Curiæ disc. 5. & in d. opusc. de Card. cap. 3.*
f *discurs. 34. & 35.*
g *discurs. 33.*
h *De his disc. 3. & 14. de Regal.*
i *In Relat. Curiæ discurs. 1. & in annotat. ad discurs. 9. de Iudic.*
l *lib. 3. de Præemin. disc. 28.*
m *dicto discurs. 28.*

Tenor Motus Proprii superius enunciati.

SANCTISS. DOMINI NOSTRI

INNOCENTII

Divina Providentia Papæ XII.

Dismembratio Officiorum ab Officio Vicecancellarii, eorumque restitutio, & assignatio Sedi, & Cameræ Apostolicæ.

INNOCENTIUS PP. XI.

MOtu Proprio, &c. Divina disponente clementia ad Summi Apostolatus apicem, meritis licèt imparibus assumpti, inter cætera cordis nostri desiderabilia illud intensis exoptamus affectibus, ut ea, quæ Sedis, & Cameræ Apostolicæ, cujus effectus, redditus, & proventus à nonnulls Romanis Pontificibus, temporum, & rerum qualitatibus id tunc permittentibus, concessi, atque assignati fuerunt, commodum, & utilitatem respiciunt; Nos urgentibus causis novis restituamus, & ad statum primævum reducamus, sive de novo applicemus, & attribuamus, aliaque desuper opportunè disponamus, & ordinemus, prout maiori eiusdem Sedis, & Cameræ sublevamini conspicimus expedire. Cum itaque rec. mem. Prædecessores nostri Sixtus PP. IV. Leo PP. X. Paulus PP. III. & forsan alii infrascripta Officia vacabilia ad Sedem, & Cameram Apostolicam pertinentia, & certis expressis causis, & præsertim ob aliquam Cancellariæ emolumentorum diminutionem resultantem ab aliquibus privilegiis, quæ Officialibus de novo erectis concessa fuerunt S. R. E. Vicecancellario tunc, & pro tempore existenti eiusque Vicecancellariatus Officio in perpetuum concesserint, assignaverint, fortèque donaverint, & elargiti fuerint, atque pariter rec. mem. Sixtus PP. V. similiter Prædecessor noster concessiones, & assignationes huiusmodi confirmando, & approbando, aliorumque Officiorum concessionem de novo faciendo tunc, & pro tempore existenti Vicecancellario amplam dedit facultatem, & potestatem de eis quando-

cum-

cumque, & quomodocumque casus eorum vacationis evenerit liberè disponendi, ac personis sibi benè visis ad vitam, etiam per viam venditionis, & recepto pretio concedendi, & conferendi simili modo, quo Romanus Pontifex de aliis Romanæ Curiæ Officiis vacabilibus disponere solebat, & solet, ut ex præfatorum, aliorumque Romanorum Pontificum Motibus Propriis, seu Litteris, & Provisionibus, quorum tenores ex certa scientia pro expressis, atque in præsenti Motu Proprio pro insertis haberi volumus. Ipsaque Officia sunt, nempe unum Regentis eiusdem Cancellariæ, sex Maioris, & quindecim Minoris Præsidentiæ Abbreviatorum, vigintiquinque Sollicitatorum Litterarum Apostolicarum, duodecim Notariorum Causarum Palatii Apostolici, ad unum dumtaxat per rec. mem. Clementem PP. X. etiam Prædecessorem nostrum reducta, tria Cubiculariorum, septem Scutiferorum de numero Participantium, vigintisex S. Petri, tresdecim S. Pauli, duo de Lilio, & viginti Piorum Militum, necnon Custodis, Notariatusque, & Ostiarii eiusdem Cancellariæ, unum Notariatum Contradictarum, & aliud de Consuetis nuncupatum, nonnullaque forsan alia Officia huiusmodi vacabilia, quæ pariter in præsenti Motu Proprio pro plenè, & sufficienter expressis haberi volumus. Nos occasione vacationis præfati Officii Vicecancellariatus per obitum bo. mem. Francisci, dum viveret, eiusdem S. R. E. Cardinalis Barberini nuncupati, Sacri Collegii Decani, ac Ostien. & Veliternen. Episcopi eius possessoris nuper secutæ, considerantes præfatum Vicecancellariatus Officium, cum aliis emolumentis, quibus eius possessor potiri solet, iuxtà modum in eius collatione, & Provisione à Nobis decernendum, congruam, sufficientemque provisionem habere, omnemque iustitiæ, æquitatis, & congruentiæ rationem exigere, ut præfata Officia, & alia, si quæ sint similia, incremento, & sublevamini cedant, prædictarum Sedis, & Cameræ Apostolicæ, quæ de præsenti magis gravibus, & urgentibus necessitatibus præmuntur, atque eis, quod iam suum erat restituere. Hinc rebus maturè, & diligenter examinatis, ex præmissa, aliisque rationabilibus causis, animum nostrum moventibus, Motu simili, & ex certa scientia, maturaque animi nostri deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula præfata, & quævis alia cuiusvis generis, & qualitatis, ac quomodolibet nuncupata Officia vacabilia, & vendi solita, si quæ sint, aliàs superius non expressa eidem S. R. E. Vicecancellario concessa, assignata, applicata, & appropriata, aut etiam donata, ut præmittitur, ab eodem Vicecancellariatus Officio Apostolica auctoritate dismembramus, & separamus, illorumque omnium, & singulorum sic dismembratorum, & separatorum Officiorum concessionem, & assignationem, omnimodamque illorum dispositionem cum primum, ac deinceps semper, & quotiescumque illa per cessum, vel decessum, aut promotionem, privationem, seu quamvis aliam dimissionem, illa pro tempore quarumvis personarum, etiam speciali nota dignarum, obtinentium vacare contigerit, ex nunc plenè, & perfectè Sedi præfatæ, Nobisque, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, restituimus, & quatenus opus sit, concedimus, assignamus, & incorporamus, atque ad easdem Sedem, & Cameram pleno iure spectare, & pertinere perpetuis futuris temporibus, ad instar aliorum Officiorum vacabilium Romanæ Curiæ, in omnibus, & per omnia eadem auctoritate volumus, statuimus, & ordinamus. Decernentes eiusdem S. R. E. Vicecancellarium pro tempore existentem super eorumdem Officiorum dispositione nullo modo se immiscere posse. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales sublata &c. iudicari, & diffiniri debere, irritumque, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus de iure quæsito non tollendo, aliisque Cancellariæ Apostolicæ Regulis editis, & edendis, necnon Calisti III. Sixti IV. Leonis X. Pauli III. Sixti V. ac Gregorii XIII. & Vrbani VIII. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, necnon Pii etiam IV. etiam Prædecessoris nostri gratias præfatam Cameram concernentes, in eadem Camera omnino registrari debere, disponentibus, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus desuper quomodolibet in genere, vel in specie editis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine, similibus, ac quibuscumque, etiam quantumvis efficacissimis clausulis, & decretis, etiam irritantibus, roboratis, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, ac innovatis, & quavis concessione huiusmodi, ex causa refectionis damnorum, vel alia quavis etiam onerosa, & correspective facta sint, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad id observanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omissio, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu, & potestatis plenitudine præfatis derogamus, & derogatum esse volumus, & decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Fiat Motu Proprio B.

ET quod singulorum Officiorum prædictorum concessionum, assignationum, damnationum tenores etiam veriores, ac earum Datæ habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in literis. Et de perpetuis dismembratione, separatione, voluntate, statuto, ordinatione, singulis decretis derogatione, aliisque præmissis, quæ hic pro sufficienter, & ad partem repetitis habeantur ut supra in litteris, & cum clausula ad perpetuam rei memoriam *latissimè extendendis. Volumus autem, quod sola præsentis nostri Motus Proprii signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in iudicio, & extra, etiam regula contraria, & cæteris quibuscumque ut supra non obstantibus, seu si videbitur litteræ Apostolicæ desuper cum præmissorum omnium, & singulorum, etiam denominationum, qualitatum, nuncupationum, aliorumque necessariorum, maiori, & veriori expressione per Breve nostrum, seu Officium de Cura expediri possint, eiusdemque Motus Proprii, seu litterarum desuper conficien. exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, seu munitis, eadem prorsus fides in iudicio, vel extra ubique locorum adhibeatur, quæ adhiberetur eidem Cedulæ, seu litteris, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum XIX. Kal. Ianuarii Anno Quarto.*

Fiat B.

S. Datarius.

Die, Mense, & Anno, quibus supra, supradictus Motus Proprius affixus, & publicatus fuit ad Valvas Curiæ, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Vrbis per me Petrum Cannamellinum SS. D. N. PP. Cursorem.

Jo: Antonius Scajola Mag. Curs.

An pretium Officiorum vacabilium habeat naturam sortis, ejusque jure censendum sit, vel potius fructuum, & reddituum; & quid propriè ista Officia importent, & de eorundem Officiorum emolumentis, an sortis, vel fructuum naturam habeant.

SVMMARIVM.

1 *ERror est procedere cum generalitatibus, non distinguendo casus, & circumstantias.*
2 *Qui dicantur fructus contradistincti à proprietate.*
3 *In vitalitiis regulariter fructus habent naturam sortis, & quare.*
4 *Et in quo consistat fructus.*
5 *Quando procedat regula, de qua num. 3.*
6 *Quid propriè contineant concessiones Officiorum vacabilium.*
7 *De concessionibus, & contractibus vitalitiis remissivè.*
8 *De alienatione commoditatis in bonis prohibitis, & quid commoditas importet.*
9 *Pecunia, quæ solvitur non est verum pretium.*
10 *Quare in vitalitiis non verificetur læsio.*
11 *De eadem conclusione, de qua num. 3. ut pretium in Vitalitiis habeat naturam fructuum in concedentibus, & sortis in acquirentibus.*
12 *De concessionibus pro tempore futuro, importantibus supplantationem successoris, an valeant.*

13 *Qua-*

13 *Quare iſta ratio ſupplantationis ſucceſſoris non attendatur in Officiis vacantibus.*
14 *De regula* ceſſante cauſa, &c. *& quod reſoluto iure datoris &c. non procedit conſumato effectu.*
15 *De conceſſionibus in Feudum per Feudatarium.*
16 *De conceſſionibus, vel renovationibus bonorum emphyteuticorum, & laudemium an dicatur fructus.*
17 *Quod pretium Officiorum Vacabilium in Romana Curia computetur inter fructus, & reditus.*
18 *De errore ſuperficialium in hac materia.*
19 *De effectibus ex hac inſpectione reſultantibus.*

CAP. III.

1 IN hoc puncto ille dignoſcitur error, qui penè univerſalis videtur, tot æquivocorum productivus, ut pro ejus determinatione non diſtinguendo caſus, imò ſingulorum caſum particulares circumſtantias, ob quas diverſimodè in uno, ac in altero caſu judicandum ſit, quamvis cadant ſub eodem puncto, vel articulo, procedatur cum regulis, & propoſitionibus generalibus, illas cuicumque caſui applicando, quod quidem magnum redolet errorem, ſimilem errori illorum imperitorum Medicorum, qui eadem aphoriſmata, vel ſententias Hippocratis, Galeni, Celſi, & aliorum artis Magiſtrorum, eademque medicamenta in eadem doſa, vel quantitate quibuſcumque infirmis eodem morbo laborantibus indifferenter applicant, non diſtinguendo ætatem, complexionem, vires, aerem, tempus, aliaſque diverſas circumſtantias, quæ in ſingulis conſiderari debent. Cùm enim juxta regulam, fructus propriè ſit ille, qui in
2 ſingula tempora per naturam, vel per artem ſtatuta renaſcitur, ſalva rei ſubſtantia, vel cauſa productiva, cui proprietatis nomen congruit, hinc ſequitur, ut in hujuſmodi juribus vitalitiis, cum ſalva, & perpetua non remaneat proprietas, & cauſa productiva, utpotè reſolubilis per mortem, per
3 quam illa conſumpta, & annihilata remanet, regulariter quoties non conſtat de diverſa diſponentis, vel contrahentium voluntate, cui juris regulæ cedunt, hujuſmodi jurium vitalitiorum annua, vel alterius temporis emolumenta, quæ pro communi hominum opinione, de facto, & pro loquendi uſufructus dicuntur, verè ſortis principalis ſpeciem, vel naturam habere dicantur, quoniam non adeſt alia ſors, quæ ſalva, & perpetua remaneat, adeout verè, & propriè fructus conſiſtere dicatur in fruitione hujuſmodi emolumentorum, quæ in ſingula tempora ſub nomine fructuum percipiuntur, tanquam per ejuſdem ſortis diſtributionem in plures perceptiones, juxtà ea, quæ occaſione agendi de locis montium vacabilium, aliiſque ſimilibus ju-
4 ribus vitalitiis, vel de uſufructu in dotem datis habentur infrà in Cap. 12. ubi de Officiis datis in dotem, vel remanentibus in hæreditate fideicommiſſaria, ſive quod illorum uſusfructus detur, cum ſimilibus.

Iſti verò, ac ſimiles termini extranei ſunt à puncto, de
5 quo agitur, an ſcilicet reſpectu Papæ, vel alterius Principis Supremi concedentis hujuſmodi Officia vacabilia pretio mediante, iſtud pretium habendum eſſet tanquam ſors principalis; vel potius tanquam fructus, quoniam tunc intrat dubium, in quo probabiliter dicendum venit, ut regulariter habeat naturam, vel ſpeciem ſortis, quando agitur de privatis habentibus jus in ſolo effectu reſolubili, non autem in cauſa perpetua, & durabili, quia nempè Officium, vel aliud jus vitalitium, ex conceſſione Principis, vel alterius ad id poteſtatem habentis competat ad unius, vel plurium vitam, per cujus ceſſationem, conceſſio evaneſcat, ideoque ſalva non remaneat ſubſtantia, vel cauſa productiva, in qua conſiſtit proprietas à fructu diſcreta, & in his terminis, atque cum hoc præſuppoſito procedunt ea, quæ proximè citato loco habentur de viro, de hærede, de fideicommiſſario, de uſufructuario, & ſimilibus, quibus eadem congruat ratio; Secus autem ubi agitur de illis, qui obtinent, ac poſſident jus habituale, ſeu cauſam productivam perpetuam, & duraturam, undè propterea ſolùm pro certo pretio una vice recepto ſe privant ad certum tempus, vel ad vitam unius, aut plurium perſonarum illius juris, vel rei fructibus, & emolumentis, quæ ceſſata conceſſione conſolidantur cum priori cauſa productiva, quæ ſtat loco proprietatis adhuc penès eum præexiſtentis, eo modo, quo conceſſo rei uſufructu, remanet penès concedentem proprietas, cum facultate alteri denuò concedendi uſumfructum, quan-
6 do prima conceſſio terminaverit, qualis eſt verus, & prius caſus venditionis hujuſmodi Officiorum, quæ aliud non ſunt, nec important, niſi conceſſionem facultatis percipiendi emolumenta illi Officio, ſeu muneri aſſignata ad vitam ipſius Conceſſionarii, vel alterius, quem ipſe deſignavit, tanquam per ſpeciem illarum venditionum, ſeu conceſſionum, quæ paſſim, & in dies fieri ſolent de Domibus, 7
Vineis, Viridariis, aliiſque Prædiis, & bonis ad vitam, & de quibus conceſſionibus vitalitiis, eorumque natura, qualitate, & effectibus agitur in ſua emptionis, & venditionis Sede, & alibi; A. ſive ad inſtar illius ceſſionis commoditatis ad vitam Cedentis, vel Ceſſionarii, aut tertii, quæ in bonis feudalibus, vel emphyteuticis, ſeu fideicommiſſariis, 8
aliiſque ſimilibus alienari prohibitis permiſſa eſt, & practicari ſolet; B. Quinimò etiam in beneficiis, & penſionibus Eccleſiaſticis, C. quoniam non dicitur vendi, vel concedi ipſa rei ſubſtantia, vel proprietas, ſed ſolùm id importat quandam facultatem percipiendi illos fructus, ſeu illam commoditatem tanquam per ſpeciem irrevocabilis mandati in rem propriam, quod concedens Conceſſionario tradidit, ut locis citatis advertitur, & firmavit Rota D. unde de conſequenti ſequitur, quod illa pecunia, quæ ſub nomine pretii ſolvitur, non mereatur dici ipſius rei in contractum deductæ pretium, ſed potius quædam anticipata perceptio 9
fructuum futurorum, qui aliàs pro tempore in contractum deducto per concedentem percipiendi forent, illos ab initio in certa ſumma taxando, & ſolvendo per quandã taxam veriſimilem, quæ in futuris incertis eventibus fieri ſolet, & tanquam per ſpeciem aleæ in conventionem deductæ, quæ æquè ſe habeat ad utriuſque contrahentis lucrum, & damnum, quoniam ubi caſus præbeat longam vitam Conceſſionarii, vel alterius perſonæ deſtinatæ, iſte erit in lucro, concedens verò in damno, & è converſo ubi vita ſit brevis, concedens 10
in lucro, conceſſionarius autem in damno, unde ſequitur, quod non de facili in hujuſmodi conventionibus vitalitiis læſio apta ad reſciſſionem, vel annullationem actus eſt verificabilis, ut locis citatis advertitur, & alibi. E.

Hiſque ſic ſtantibus reſultat, quod non ſolùm reſpectu 11
Papæ, vel alterius Supremi Principis, illud pretium, quod recipitur pro hujuſmodi Officiorum vacabilium, aliorumque ſimilium jurium ad vitam conceſſione, habeat naturam fructuum potius, ita anticipatè, pro futuro incerto tempore perceptorum, quàm ſortis, ſed ut id procedat, etiam in Baronibus, aliiſque inferioribus Dominis, ſeu Magiſtratibus, ac in Epiſcopis, Prælatis, & Rectoribus, quibus de Jure, vel de conſuetudine competat iſta facultas faciendi hujuſmodi conceſſiones, dum, ut præmiſſum eſt, non important alienationem ipſius ſubſtantiæ, vel proprietatis, ſed ſolùm anticipatam futurorum fructuum perceptionem cum dicta conventione incertæ, & futuræ aleæ, ideoque poſita facultate id faciendi ex diſpoſitione Juris, vel ex legitima conſuetudine, aut ex privilegio, non videtur conſtituenda differentia inter Supremos, ad inferiores Subditos.

Unica verò dubitandi ratio, ob quam iſta differentia conſideranda veniat, conſiſtit in ſupplantationes Succeſſoris 12
venientis jure proprio, independenter à Prædeceſſore, qui hujuſmodi conceſſiones fecerit, quia nempe ejus jure per mortem, vel alium caſum reſoluto, adhuc ſupervivant Conceſſionarii, qui ſic percipiant fructus, vel emolumenta, quæ aliàs pertinerent ad Succeſſorem, ita conferendo conceſſiones in tempore inhabile, atque percipiendo anticipatè fructus, non ad ipſum, ſed ad Succeſſorem pertinentes; iſta namque ratio ſupplantationis Succeſſoris ex veriori, magiſque recepta ſententia, à communi etiam uſu comprobata, quoties conceſſionis non percutiunt ſubſtantiam illorum majorum regalium, quæ inſeparabilia ſunt à Principatu, & Corona, cujus ſciſſuram, vel deturpationem importet eorum ſeparatio, vel diminutio, intrat in inferioribus, non autem in Supremis, & præſertim in Papa, cui conceditur facultas faciendi gratias, & conceſſiones præventivas, & verè de futuro, ut in ſuis Sedibus advertitur, ubi latius videri poteſt. F.

Verum in hac ſpecie conceſſionis hujuſmodi officiorum 13
verè vacantium, & quæ ex privilegio, vel conſuetudine, quando caſus vacationis contingit, etiam pretio mediante ad vitam concedi ſolent, etiam reſpectu inferiorum ratio dubitandi non intrat, cùm ea verè, & propriè cadat, quando fiat conceſſio præventiva de Officio vacaturo, ſive ejus adhuc pleni extẽſio, ſeu prorogatio ad alias vitas, vel perſonnas, & in his terminis procedũt auctoritates, quæ deſuper habentur diſtinguentes inter Supremos, & inferiores; G. Secus

cus autem ubi, juxtà ſolitum, per poſſeſſorem illius Magiſtratus, vel Prælaturæ fiat vitalitia conceſſio Officii jam vacantis, adeout ſolitum non alteretur, neque aliqua mala fides dignoſcatur, quoniam ſpectatur tempus, in quo legitimè initiatur, & perficitur actus, non ſpectato tempore futuro ejus continuationis, ex propoſitione, quod regula, 14 ut ceſſante cauſa, ceſſet effectus, & altera, quod reſoluto jure datoris reſolvitur jus acceptoris, non procedunt quando effectus à cauſa productus jam legitimè conſummatus eſt, ſuamque habuit exequutionem, quoniam iſtud jus conferendi, vel concedendi, dicitur eſſe in fructu, qui rectè per poſſeſſorem colligitur, quando maturat, neque reſolvitur ex reſolutione cauſæ productivæ, ut exempli gratia habemus in materia feudali, quod ſi Feudatarius de iure, vel ex conſuetudine, aut ex lege inveſtituræ habet facultatem ſubinfeudandi bona, vel Caſtra ſubinfeudari ſolita, & quæ per feudiſtas dicuntur de excadentiis feudi, contingente caſu vacationis ſubfeudi, ſi Feudatarius illud concedit, non per hoc, ejus jure reſoluto, reſolvitur conceſſio, etiam in præjudicium Domini, cui feudum ſit devolutum, & quamvis fiat de tempore, quod devolutio immineat, quoniam ſufficit fructum recollectum eſſe tempore habili, ut latius in feudali materia habetur, H. ac etiam à ſimili habetur in jure conferendi beneficia Eccleſiaſtica, vel in jure præſentandi, aut nominandi, cum ſimilibus.

Et magis proximè, id habemus in praxi paſſim receptum 16 in materia emphyteutica, quoniam, cum præſertim in aliquibus Italiæ regionibus, ex rationibus in ſua Sede aſſignatis, I. frequens ſit conſuetudo Eccleſiarum concedendi bona in emphyteuſim, ſub modica annua recognitione, non alterabili, & cum neceſſitate in caſu devolutionis denuò inveſtiendi, aut ſtatutis temporibus renovandi, ſubrenovati, vel de novo inveſtiti obligatione ſolvendi ſub nomine laudemii, vel capoſoldi, ſive intraturæ, &c. aliquam etiam notabilem ſummam, quæ pretii, & ſortis ſpeciem habere videtur, adhuc tamen iſta ſumma reputatur in fructu potius, quàm in ſorte, ideoque pertinet ad Prælatum, ſeu Rectorem, quoniam in hac recognitione potius, quàm in altera modica ſingulis temporibus ſolvi ſolita conſiſtere dicuntur fructus, vel redditus, qui ita cum unica præſtatione anticipatè pro tempore futuro percipi dicuntur, L. illudque præjudicium, quod ſucceſſor ſentit, compenſatum remanet à commodo, quod ipſe pro caſuum contingentia reportare poteſt à conſimilibus conceſſionibus per eum faciendis in præjudicium ſucceſſorum, atque commodum, quod poſſeſſor ita reportat, compenſatum remanet ab illo incommodo, quod paſſus eſt per conſimiles conceſſiones factas per ejus prædeceſſores, adeout percipi majus emolumentum ab uno, quàm ab altero poſſeſſore, ſit effectus caſus, & fortunæ, quia de tempore unius magis, quàm alterius, majores contingant vacationes, eodem modo, quo ſequi ſolet in emolumentis ſilvæ ceduæ, quoniam ejus emolumentum notabile, habens ſpeciem ſortis cedit commodo poſſeſſoris pro tempore tanquam fructus, qui tunc maturat, quamvis illa ſilva notabili tempore decurſo inutilis fuerit Prædeceſſoribus, ac etiam pro tempore futuro inutilis extitura ſit ſucceſſoribus, quoties actus fiat bona fide, & juxtà ſolitum, non autem in fraudem, & ſupplantationem ſucceſſoris, recolligendo ſcilicet fructuum tempore congruo, quo maturat non autem immaturè, cum ſimilibus.

Comprobantur hæc ad evidentiam ex communi obſervantia, præſertim verò ex illa hujus Romanæ Curiæ, de qua agitur, quoniam reſpectu Papæ hujuſmodi vacationes 17 Officiorum, facta peræquatione annorum juxtà regulam beneficialiſtarum, de qua in ſua Sede beneficiali M. computatur inter fructus, & redditus Cameræ Apoſtolicæ, idemque reſpectu inferiorum, quoniam cum Officio Cardinalis Vicecancellarii ex Apoſtolicis conceſſionibus enunciatis in Conſtitutione Sixti V. annexa eſſent, ultrà centeſimum numerum quamplura ex Officiis Cancellariæ, Cap. antecedenti recenſitis, etiam ex majoribus, & primariis, ut eſt illud Regentes, & ſunt illa Abbreviatorum de Parco majori, & ſimilia; quando contingebat caſus vacationis, priuſquam de anno præterito 1680. fieret eorum diſmembratio, ſeu reſtitutio Cameræ Apoſtolicæ, Vicecancellarius, etiam pro magno pretio ſcutorum 15. mill. vel 20. mill. circiter illa vendere ſolebat ad proprium commodum, tanquam fructum, cùm iſtæ vacationes recenſerentur inter redditus; idemque practicatur per Cardinalem Magnum Pœnitentiarium in aliquibus Officiis (quæ dicuntur Procurationes minoris gratiæ) venalibus ſibi aſſignatis, atque priuſquam ſub Innocentio X. ſequeretur in Officiis Capitolinis illa proviſio, quæ enunciatur infrà, & in Cap. præcedenti in fine, quamvis Officium Conſervatorum Urbis nimium breve ſit, utpotè durationem habens ad ſolos tres menſes, adhuc tamen ſi in illo modico ſpatio contingebat vacatio Officiorum, etiam notabilis valoris, Conſervatores reportabant iſtud fortunæ beneficium, ut alibi pro certo præſupponitur. N.

Hinc autem liquet quam clarus error ſit, & manifeſta 18 ſimplicitas illorum, qui de præmiſſis, nec in facto, nec in jure aliquam veram ſcientiam, & informationem habentes, adeò obloquuntur circa hujuſmodi Officiorum Vacabilium, eorumque pretii diſpoſitionem, præſupponendo, quod iſtud habeat naturam ſortis inalienabilis, unde propterea eorum diſpoſitio prohibitam redoleat alienationem, quodque tale pretium, utpotè redolens ſortem principalem, in extinctionem æris alieni in ſorte erogari deberet, quo nihil ineptius, ut etiam in Cap. ſequenti advertitur.

Quales verò effectus exinde reſultent, ut pretium, quod 19 recipitur per Concedentem habeat naturam fructuum, & è converſo fructus, qui percipiuntur per Conceſſionarium habeant naturam ſortis, habetur ſpartim infrà in Opere, & præſertim Cap. 12. & 17. ubi videndum.

a *lib. 7. de empt. & vendit. diſc. 1. lib. 4. de ſervit. diſc. 74. eodem lib. 7. de donat. diſc. 34. 54. & 61. lib. 5. de cenſ. diſc. 9. lib. 2. de Regal. diſc. 30. & 186.*
b *lib. 1. de feud. diſc. 47. 61. 85. & 110. lib. 4. de emphyteuſ. diſc. 58.* c *lib. 13. de penſion. diſc. 68. & 69. & ſæpius.* d *In d. Rom. pretii Offic. 19. Iunii 1680. coram Alberg. de qua infrà poſt tract. ſub num. 19.*
e *lib. 2. de Regal. diſc. 30. & 31. lib. 7. de donat. diſc. 61. & alibi, ut ſupra litt. A.* f *lib. 1. de feud. diſc. 4. & 64. lib. 6. de dote diſc. 146. lib. 13. de penſion. diſc. 1. & ſeqq. & alibi pluries, cum aliis per Amichangel. in repet. rubr. & cap. 1. quæ ſint regalia qu. 4. 6. & 7. lib. 4. de emphyteuſ. diſc. 1. & ſeqq. lib. 2. de Regal. diſc. 3.*
g *lib. 2. de Regal. diſc. 3. & 198. lib. 4. de emphyt. diſc. 1. & 2. & alibi.* h *lib. 1. de feud. diſc. 1. d. diſc. 1. & 2. de emphyt. lib. 4. & alibi.* i *d. tit. de emphyt. diſc. 1. cum pluribus ſeqq.* l *diſc. 76. eodem tit. de emphyt. & in aliis locis citatis ſuprà.* m *lib. 12. de benefic. diſc. 90.*
n *dicto diſc. 3. de Regal. & 198. eodem tit.*

An hujuſmodi Officiorum venalitas, & reſpectivè vacatio per promotionem ad Cardinalatum, eorumque diſpoſitio aliquam redoleant Simoniacam labem, vel aliam turpitudinem, ſeu rem illicitam.

SUMMARIUM.

1 *QUid ſit magis pernicioſum an imperitia, vel nequitia, eſt ſub quæſtione, & diſtinguitur.*
2 *Quinam Iudices, & Rectores ſint magis pernicioſi, an iniqui docti, vel probi, ſed imperiti.*
3 *De erroribus malignantium, & imperitorum in hac materia.*
4 *Quod de pecuniis ſolvi ſolitis pro diſpenſationibus matrimonialibus Papa, & Camera nullo modo participet, & in quos uſus erogentur.*
5 *Iſtæ pecuniæ ſolvuntur tanquam per pœna.*
6 *De pecuniis, quæ obveniunt ex Dataria, & Cancellariæ expeditionibus, & ex venditione Officiorum, in quos uſus erogentur.*
7 *De errore, in quo deſuper vivant etiam Curiales.*
8 *An, & quomodo de his emolumentis Papa diſponat, incidenter.*
9 *De rationibus, ob quas ſolvuntur pecuniæ pro expeditionibus Datariæ, & Cancellariæ Apoſtolicæ.*
10 *De vacatione Officiorum ob promotionem ad Cardinalatum, an habeat aliquid ſuſpicionis malæ.*
11 *De Viris conſpicuis, qui ex Tribunali Clericorum Cameræ exire ſolent.*
12 *Quare pro Officiis majoribus, & Prælaturis ſolvatur pretium.*
13 *De donativis Officiorum, quæ fieri ſolent per Papam.*

CAP.

CAP. IV.

1 PRoblematica eſt quæſtio, rationum, & auctoritatum copioſa pro utraque partium, quæ nam ſit res deterior, magiſque Reipublicæ præjudicialis, an imperitia, vel nequitia; Relinquendo autem cuilibet libertatem ſequendi ſibi placitam partem, cum perpetuò ſtylus, ac genius abhorruerit in ſuperfluis immorari, atque inutiles facere evagationes; Vel amplectendo meo judicio probabilem diſtinctionem, ut ſpectata cauſa, deterior ſit nequitiæ, ſpectato verò effectu, deterior, magiſque præjudicialis ſit imperitia, ſive indocilitas, cùm primum malum ſit cum reſipiſcentia curabile, ut Pauli, & Auguſtini, aliorumque ſimilium exempla docent, alterum verò incurabile, unde propterea, tam apud Juriſtas, quàm apud Politicos magis receptum eſt, 2 minus præjudiciales eſſe Reipublicæ Judices, Magiſtratus, & Rectores doctos, & prudentes, quamvis iniquos, quàm ſint imperiti, & indociles, quamvis probi, ut in aliis Operibus advertitur; A. Illud tamen certum eſt, ac indubitabile, ut longè deterior, ac peſſima ſit utriuſque mali conjunctio, imperitiæ ſcilicet, & nequitiæ, ſeu malignitatis; Iſta 3 verò conjunctio in hoc præſertim themate frequentius verificari videtur, quod ſcilicet Sedis Apoſtolicæ, & Romanæ Curiæ hoſtes, vel æmuli, malignè ejus acta, & operationes interpretando, abſque aliqua, tam juris, quàm facti notitia, cum ſomniis, & fabulis, clariſque erroribus adeò ſuper iſta materia obloqui ſolent, unde propterea irriſione magis, quàm reſponſione digni cenſendi veniunt: plura namque mala ſuper hujuſmodi Venalium Officiorum, vacabilium uſu conſiderare ſolent. Primò, nempe, quod cum proventus eis aſſignati conſiſtant in annatis, & quindenniis, ac minutis ſervitiis, aliiſque emolumentis ſolvi ſolitis pro expeditionibus litterarum Apoſtolicarum in proviſionibus Epiſcopatuum, Abbatiarum, & beneficiorum, aliiſque gratiis ſpiritualibus, & præſertim diſpenſationibus matrimonialibus per Apoſtolicam Datariam, & Cancellariam, aut Secretariam Brevium concedi ſolitis, ita Simoniaca labes adeſſe videatur pecuniam recipiendo pro iis, quæ ex Divino præcepto, utpotè gratis accepta, gratis dari debent, non autem cum commutatione rei temporalis cum ſpirituali, in qua Simonia conſiſtit, adhibendo illud malignum dicterium, quod Curia Romana dat plumbum pro auro. Secundò, quod cùm, vel ex antiqua conſuetudine, vel ex Apoſtolicis Conſtitutionibus iſtorum Officiorum vacatio ſequatur per promotionem ad Cardinalatum, quæ ad hunc effectum inducit quandam mortem civilem naturali æquiparatam, B. cùm tamen vacatio non ſequatur per promotionem ad Epiſcopatum, aliaſque Dignitates, quinimò neque per ſolemnem profeſſionem in aliqua Religione, C. atque frequentes eſſe ſoleant promotiones hujuſmodi Officialium, præſertim majorum, ſeu primæ claſſis, quorum pretium eſt magnum, ut inſinuatum eſt ſupra Cap. 2. quales nempè ſunt Auditor Cameræ, & Theſaurarius Generalis, & Clerici Cameræ, ut in Opuſculo Cardinalis inſinuatur, agendo de ordine, qui teneri ſolet in promovendis, D. ac etiam pleraque ex hujuſmodi Officiis primæ claſſis, juxtà diſtinctionem traditam eodem Cap. 2. annexam habeant Prælaturam, & juſtitiæ, aliorumque munerum adminiſtrationem, hinc indocti malignantes inferunt, ita per contractum emptionis, & venditionis, mediante magno pretio, vendi, & contractari Cardinalatus, Prælaturas, & Judicaturas, quod vel Simoniam, vel turpitudinem redolet. Et tertiò circa diſpoſitionem eorundem Officiorum, eorumque pretii, quam Pontifices practicare ſolent, etiam gratuitam ad favorem conjunctorum, vel familiarium, vel in alios currentes, & placitos uſus, opinando, quod juxta inſinuata in Cap. antecedenti, id ſortis principalis ſpeciem, vel naturam habeat.

Omnia verò hæc continent inſipiduras, & ineptias clatas, à malignitate, & livore magnificatas; Quatenus enim pertinet ad primum erroneum præſuppoſitum circa emolumenta, quæ ſolvi ſolent in expeditionibus litterarum Apoſtolicarum pro annata, & minutis &c. Et quæ ita per organum hujuſmodi Officialium revera cedunt ad commodum Papæ, ejuſque Cameræ in illo anticipato pretio, pro quo Officia venduntur, juxta inſinuata Cap. præcedenti, ac etiam eſt emolumentum Componendæ, quod directè exigitur per Cameram: ideoque non diſtribuitur inter Officiales.

In primis nulla penitus ratio habenda eſt de Componendis, aliiſque emolumentis, quæ pro diſpenſationibus matrimonialibus ſolvi ſolent, etiam in ſummis valdè notabilibus, 4 quando agitur de proximis gradibus, & inter divites, & nobiles, & quod imperitis malignantibus majorem præbet obloquendi anſam, & occaſionem, quoniam de his emolumentis, nec quidem in obolo Papa, ejuſque Camera, vel Officiales, & Miniſtri participant, neque intrant in Bancum Depoſitarii generalis Cameræ, in quod intrant omnes redditus Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ, ſed recta via ſingulis quibuſque menſibus, totum id, quod ex hujuſmodi componendis provenit, per Officialem ad id deputatum, deponitur in publica ſacra Æde, ſeu Banco Montis Pietatis, atque per idem Bancum pariter ſingulis menſibus ſolvuntur Eleemoſynario, aliiſque ad id deputatis, tam pro eleemoſynis in Urbe diſtribui ſolitis, quàm pro ſtipendio, & mercede Miniſtrorum S. Pœnitentiariæ, qui gratis omninò expeditiones concedunt, & pro ſubventionibus plurium Collegiorum ultra montes, pro ſervitio, & manutentione Fidei Catholicæ, aliiſque piis operibus. Et licet de eo, quod ultra Componendam ſolvi ſolet Officialibus Cancellariæ pro expeditione litterarum participare videatur Camera, mediante venditione Officiorum, attamen iſta modica participatio neque cedit in Papæ, vel Cameræ utilitatem, quoniam præfatæ componendæ non ſufficiunt pro jam ſtatutis, & conſuetis eleemoſynis, & ſubſidiis, ac piis operibus, ideoque oportet ſingulis annis ſupplere ſcuta triginta millia circiter, ad quam ſummam, imò nec in dimidio aſcendere poteſt dicta participatio, ideoque certum eſt, quod non ſolùm Papa, ejuſque Camera, nullum penitus lucrum, neque in obolo ex diſpenſationibus matrimonialibus reportant, ſed quod potius notabile ſentiunt damnum, ſupplendo aliundè id, quod deeſt, idque à quolibet, ictu oculi, publicè, & palam in ejuſdem Montis Pietatis libris publicis videri pro libito poterit, cum omnibus pateant; ideoque incontrovertibilis remanet, atque manibus palpatur illa veritas, quàm ignari malignantes credere nolunt, quod ſcilicet illa pecunia, quæ pro hujuſmodi dipenſationibus ſolvi- 5 tur, non eſt pro recognitione, vel premio concedentis gratiam, ſed eſt ſpecies pœnæ, vel mulctæ, ſeu eleemoſynæ pro contraventione præcepti, & ad terrendum, & coercendum alios, ne de facili impellantur ad contrahendum matrimonium intra gradus prohibitos, dum ita practicatur adamuſſim id, quod de jure omnes Epiſcopi, & Prælati practicare debent, atque de facto practicant illi, qui timent Deum, in mulctis, & pœnis fori Eccleſiaſtici, quod per manus Depoſitarii in eleemoſynas, & pios uſus convertuntur; ut in Opuſculo Epiſcopi advertitur.

Quo verò ad alia Datariæ, & Cancellariæ emolumenta, quæ ratione expeditionis litterarum ſuper proviſionibus Beneficiorum, & Epiſcopatuum, aliiſque gratiis percipiuntur 6 partim directæ, & immediatè in componendis, quæ ad inſtar reddituum Cameralium intrant in Bancum Depoſitarii generalis Cameræ, & partim mediatè, & indirectè, mediante ſcilicet pretio, quod retrahitur ex venditionibus Officiorum, quibus eadem emolumenta ſunt aſſignata; detrahi prius debent expeditiones merè profanæ, pertinentes ad Principatum temporalem, adeout nil commune habeant cum gratiis, & proviſionibus Papalibus, & ſpiritualibus, ac etiam detrahi debent aſſignamenta, quæ eiſdem Officiis facta ſunt ſuper Communitatibus Status Eccleſiaſtici, aliiſque redditibus, & proventibus Principatus temporalis, adeout facta iſta detractione, & alia mercedis proportionatę labori, & opere perſonali Officialium, & Miniſtrorum deſuper operantium, & quæ merx debita eſt de juſtitia naturali, id quod ſupereſt pro expeditionibus, & gratiis verè Papalibus, & ſpiritualibus, tam ratione componēdarum, quàm ratione annatarum, & minutorum, non eſt multum conſiderabile, neque decimam partem conſtituit ejus, quod vulgus opinatur, idque ſine dubio non ſufficit ad expenſas, & onera ipſius Principatus Pontificii, & merè ſpiritualis, tam pro victu, & congrua ſuſtentatione Papæ, ejuſque Miniſtrorū, & Officialū ejuſdem ſpiritualis Principatus, omninò præſcindendo ab alio Principatu temporali, quàm fortius pro fructibus, quos ſingulis annis ſolvere oporter pro debitis contractis ex cauſa Fidei, merèque ſpirituali ad Papā uti Papam, & Epiſcopum Eccleſiæ Catholicæ pertinente, pro bellis nempe in Gallia, Germania, Hungaria, Polonia, & in aliis regionibus contra Hæreticos ſub Paulo III. aliiſque Succeſſoribus Pontificibus, & pro aliis bellis contra Turcas ſub Clemente

te VII. & Paulo III. & Pio V. aliiſque Succeſſoribus Pontificibus, ex inſinuatis in alia tractatione poſt præſentem *de locis Montium Cap. 6.* adeout tutè dici valeat idem, quod ſuperiùs dictum eſt de proventibus, & emolumentis diſpenſationum matrimonialium ut neque obolo Papa participet, etiam in iis, quæ ad ejus victum, & ſuſtentationem neceſſaria ſunt, cùm hæc ſuppeditentur à redditibus Principatus temporalis, ex quibus etiam in notabili ſumma ſupplere oportet pro ſolvendis dictis annuis debitis merè Papalibus, & ſpiritualibus; undè propterea ſine dubio, longè majus eſt illud aurum, quod Sedes, & Camera Apoſtolica pro Eccleſia, & Fide Catholica profudit, & tranſmiſit pro hujuſmodi oneribus, & impenſis extrà Italiam, quàm ſit illud, quod retrahit ex præmiſſis, aliiſque emolumentis, & proventibus merè Pontificiis, & ſpiritualibus, non ſolùm ex Regionibus ultrà Montes, ſed etiam ex ipſamet Italia.

In his autem, excuſabiles videntur exteri, quoniam in ipſamet Curia, illis exceptis, qui aliquam in adminiſtratione participationem habent, etiam perſonæ nimium in ea verſatæ, imò in Prælaturis & in primariis dignitatibus conſtitutę, in hoc errore, & æquivoco vivere ſolent, ut de me ipſo teſtari poſſum quòd in diuturna forenſi vita, quam in Urbe duxi, tractando fortè majora Curiæ forenſis negotia, in hoc errore vivebam, atque poſtquam occaſionem habui hanc veritatem agnoſcendi, & palpandi, eundem comperii errorem in primariis viris, quamvis in aula, & in muneribus Sedis Apoſtolicæ diù verſati eſſent. 7

Verùm ubi etiam ceſſaret dicta conſideratio, quòd ſcilicet hæc emolumenta abſorbentur à debitis contractis pro ſervitio Fidei, & Religionis ut ſupra, adeout deſervirent pro congrua ſuſtentatione Papæ, ejuſque familiarium, & Miniſtrorum, ut præſertim eſt univerſalis credulitas, & opinatio Theologorum, qui diverſis temporibus conſulti, an, & quid Pontifices conjunctis, vel familiaribus elargiri poſſent præſupponendo, quod iſta eſſet congrua Papæ aſſignata, tam pro ejus ſuſtentatione, quàm pro mercede, & recognitione laborum in adminiſtratione, reſpondere conſueverunt, ut id, quod ex honeſta parſimonia ſupereſt, elargiri poſſit; juxtà ea, quæ loquendo de Epiſcopo, inſinuantur in Opuſculo Italici idiomatis *de Epiſcopo Cap. 29.* ſuper quo tamen nil aſſeritur, nec firmatur, ſed integer veritati locus relinquitur; adhuc tamen licitè, & validè hujuſmodi emolumenta percipiuntur, vel tanquam illa recognito dominii directi, & univerſalis, quod Papa habet in omnibus Eccleſiis & beneficiis, ad inſtar illius recognitionis, quæ ſub nomine relevii ſolvitur per noviter inveſtitū de feudo Domino directo, ex inſinuatis in ſua feudali Sede E. cū ſimilibus, ut occaſione agendi de annatis, & minutis, & quindenniis habetur in Sede beneficiali, ubi ex ſententia antiquorum, & præſertim Antonii *Maſſæ*, ſeu *Gallesii* iſte antiquus uſus comprobatur; F. Vel quod ſicuti Parochiani cum decimis, & oblationibus, vel emolumentis, quæ præſtari ſolent occaſione funerum, & ſepulturæ, vel alterius adminiſtrationis Sacramentorum, ſuſtentare debent Parochum; Diœceſani verò, cum quarta, ſeu portione canonica, & cum Cathedratico, & Synodatico, aliiſque collectis, & contributionibus, ſuſtentare debent Epiſcopum, atque concurrere in aliis oneribus Eccleſiæ, ità omnes Catholici concurrere, & contribuere debent in ſuſtentatione Papæ, tanquam Epiſcopi Eccleſiæ univerſalis, & in aliis expenſis, & oneribus ejuſdem Eccleſiæ, & Catholicæ Religionis, eo modo, quo in Eccleſia primitiva in Epiſtolis Pauli Apoſtoli, aliiſque actis legitur de collectis, quæ undequaque fiebant; Atque docet actualis praxis univerſalis Religionum, quod pro ſuſtentatione Prioris, vel Miniſtri Generalis, ejuſque Officialium, & Miniſtrorum, aliiſque oneribus, & impenſis Religionis regimen, & ſervitium concernentibus, undequaque fiunt collectæ, & contributiones; Magis verò proximè ad rem, id comprobat praxis Hieroſolymitanæ Religionis, quod pro communibus indigentiis, & oneribus, vacante Commenda, vel Dignitate, commune Ærarium percipit annatam vacationis, cum ſimilibus. Sed quoniam practicabiles non ſunt, ob tot diverſitate Principatuum, eorumque ſtylorum, dictæ collectæ, & contributiones, idcircò iſtarum loco, prudenter, & rationabiliter antiquitas introduxit hujuſmodi emolumenta. 8

De ſecundo ſcandali, vel oblocutionis caſu ob promotiones hujuſmodi Officialium, qui magno pretio mediante, Officia emunt, particulariter agitur in pluries inſinuato diſc. 2. de regal. occaſione quæſtionis in Foro diſputatæ, & adhuc pendentis in quodam magno Tribunali proximi, & adjacentis Principatus Italiæ, in quo non cadit quidem ſuſpicio æmulationis, & malignitatis, benè tamen cadit iſtarum rerum imperitia, ideòque facilior eſt incurſus in illos errores, in quibus etiam aliqui ex iis, qui in Curia nati, & educati fuerunt, vel diù verſati ſunt, vivunt. Ut enim mox citato loco advertitur, duo primarii Officiales meritò promoveri ſolent, quoniam in ipſamet iſtorum Officiorum conceſſione fieri videtur quædam præventiva promotio, dum regulariter ex ſtylo, ut inſinuatum eſt, ad illa non aſſumuntur, niſi illi, qui jam ſint Clerici Cameræ, & frequentiùs, antiquiores, & emeriti, qui diù in eo Tribunali ſederunt, aliaque munera laudabiliter exercuerunt, ipſaque Officia magnam præſeferunt adminiſtrationem, magnoſque habent annexos labores; G. Idemque cum ſua proportione adaptatur Clericis Cameræ, quoniam deſumendo regulam ab iis quæ frequentiùs accidunt, iſti Clericatus conferuntur Prælatis emeritis, atque in Guberniis, aliiſque muneribus jam verſatis, & quod plus eſt, non eo ipſo quod quis eſt Clericus, ergo promovetur, quoniam præſtare ſolent alia ſervitia, & exercere alia munera laborioſa, & diſpendioſa, H. quorum intuitu, & contemplatione potiùs promotio ſequi ſolet, etiam rarò, adeò, ut multi in hoc ſtatu decedant. Eligi autem ſolent promovendi ex iſto Collegio, ut illud aliquando honoretur, eodem modo, quo practicari ſolet in Collegio, ſeu Tribunali Rotæ, cujus Auditores pro Officii aſſequutione nihil ſolvunt, & aliquando ex altero Collegio, ſeu Tribunali Signaturæ Juſtitiæ, & Gratiæ, quæ ſunt majora hujus Principatus forenſia Tribunalia, in quibus Viri conſpicui ſedere ſolent, nimiumque pro Republica, & juſtitiæ adminiſtratione laborant; Atque experientia docuit, quod inſignes, & primarii Cardinales, ex eis, tanquàm tot Equis Trojanis, prodierunt, quinimò, & valdè qualificati Summi Pontifices, adeout inter iſta duo Tribunalia Rotæ, & Cameræ, quidam æqualis curſus dignoſci videatur, ut in iſto currenti ſæculo præſertim praxis docuit, quod ex Tribunali Rotæ prodierunt tres Summi Pontifices, nempè Clemens VIII. Gregorius XV. & Innocentius X. & ex Tribunali Cameræ tres alii, nempè Paulus V. Urbanus VIII. & Innocentius XI. ideòque revera iſte cenſendus eſt error vulgi, & quædam falſa opinio popularis. Pretium verò, quod in hujuſmodi Officiorum aſſequutione ſolvi ſolet, non eſt intuitu futuræ promotionis, minuſque pro aſſequutione Prælaturæ, & adminiſtrationis juſtitiæ, ſed ad inſtar aliorum Officiorum ſecundæ, & tertiæ claſſis deſcriptorum ſuprà in Cap. 2. ſolvitur pro notabilibus emolumentis, quæ illis annexa ſunt, adeout ſi proviſio fieret, ut hæc Officia Auditoris Cameræ, Theſaurarii Generalis, & Clericorum Camerę non haberent annexam Prælaturam, ſed conferri deberent Viris uxoratis, Cardinalitiæ dignitatis, adhuc haberent ſine dubio emptores pro eodem pretio, dum reddunt eundem, fortèq; majorē fructū, quàm reddāt dicta alia Officia minora, quæ nullam habent annexam juriſdictionē, & adminiſtrationem, nullamque ſecum ferunt ſpem, & tamen quamplures ſæculares illa ad fructum, & pro negotio emunt in tanta quantitate, quod pretium adæquat illud dictorum Officiorum majorum, ut latiùs dicto diſc. 2. de Regalibus. 9 10 11 12

Demum ad tertiam obloquendi occaſionem ſuper eorundem Officiorum condonatione enunciata eodem diſc. 2. de Regal. ac etiam infrà Cap. 17. occaſione agendi, quidnam in caſu ſuppreſſionis reſtituendum ſit Donatariis, vel habentibus cauſam ab eis, jam reſponſio patet ex iis, quæ dicta ſunt Cap. 3. quod iſtud pretium non redolet ſortem principalem, ſed fructum, ſeu redditum currentem. Et licèt ea, quæ ſuperiùs in præſenti Capitulo dicta ſunt in primo objecto deſtruant iſtam condonandi libertatem, dum hujuſmodi proventus, neque ſufficiunt ad fructus paſſivos æris alieni contracti ex cauſa Eccleſiæ, & fidei, & ad alia onera, ac expenſas Principatus ſpiritualis, ideòque non ſit verificabilis illa exuberantia, quam Theologi non informati, atque de more, loquendo cum abſtractis, & generalitatibus, præſupponunt; Attamen in ſubſtantia, ſpectatoque effectu, hujuſmodi liberalitates, & munificentiæ practicatæ fuerunt cum aliquo præjudicio populorum Status Eccleſiaſtici, ex redditibus, ac proventibus iſtius Principatus temporalis, ex quibus ſuppleta fuerunt illa onera alterius Principatus ſpiritualis quæ cum hujuſmodi Officiorum pretio adimpleri debebant, adeout fuerit quid pro quo; integrum tamen relinquo locum veritati, an, & quomodo id practicari potuerit, cùm meum non ſit ſuper his manus apponere. 13

a *lib.* 15. *in Relat. Curiæ disc.* 32. *num.* 89. *& in Opusculo Italici idiomatis de Principe practico cap.* 15. *n.* 4. *& alibi.*
b *Disc.* 2. *de Regal. & infrà cap.* 13.
c *Eodem disc.* 2. *de Regal. & eodem cap.* 13.
d *In Opusculo Italici idiomatis de Cardinali practico cap.* 6. e *lib.* 1. *de feud. disc.* 28.
f *lib.* 12. *de benefic. disc.* 89.
g *De muneribus Audit. Cam. & Thesaur. gener. lib.* 15. *in Relat. Curiæ disc.* 34. *&* 35.
h *De Clericis Cameræ, & de muneribus, quæ eis incumbunt dicto lib.* 15. *in Relat. Curiæ disc.* 33.

An Papa licitè possit condonare emolumenta expeditionum, & demandare expeditiones gratis, & per viam secretam in præjudicium Officialium, qui obtinent Officia ex causa onerosa, & qualem potestatem in hoc habeat Collegium Cardinalium.

SVMMARIVM.

1 *De quali defectu potestatis in Principe agi soleat.*
2 *De querelis Officialium super huiusmodi gratiis expediendi gratis.*
3 *Qualis fuerit occasio suppressionis Secretariorum.*
4 *Error est procedere cum generalitatibus, quia veritas inquiritur ex distinctionibus.*
5 *De annatis, quæ solvuntur in expeditionibus, & de ratione.*
6 *Parificantur beneficia, & feuda, vel emphyteusis.*
7 *De exemptione aliquorum generum personarum.*
8 *De exemptione Oratorum Principum, quomodo procedat.*
9 *De exemptione particulari, vel personali, quomodo concedatur.*
10 *De directa, & immediata concessione Papæ.*
11 *Quomodo intelligatur illa ratio, quod Officiales id scire potuerunt, vel debuerunt.*
12 *Parificantur termini locationis, & conductionis, & de falchi, & de distinctionibus, quæ desuper cadunt.*
13 *Quæ sint iustæ causæ concedendi istas gratias.*
14 *Non laudantur gratiæ sine causa, ea sola gratificatione voluntaria, & de præiudicii exindè resultantibus.*
15 *De concessionibus, quæ fiunt per Sacrum Collegium.*
16 *Quare Collegium in hoc se ingerat.*
17 *Quare gratiæ, quæ fiunt per Collegium sine causa sint magis præiudiciales.*
18 *Improbatur denegatio huiusmodi gratiarum quando concurrat iusta causa.*
19 *An sit iusta causa illa translationis ad aliam Ecclesiam, si pro prima solutum fuit.*
20 *Parificantur termini gabellæ, contractuum, & laudemii.*

CAP. V.

1 ILle potestatis defectus, de quo in præsenti Capitulo, & in aliis infrà non semel agitur, intelligendus venit de proveniente à vi directiva, non autem à coactiva, & sic à lege justitiæ, honestatis, & congruentiæ, quæ supremum quoque Principem, tam in foro interno apud Deum, quàm externo apud populos, pro ejus bona fama, & existimatione obligat, quoniam ut advertitur in Opusculo *de Principe practico*, Princeps est supremum Dominus, superior, & moderator singulorum Subditorum, quorum vitæ, & necis, ac bonorum potestatem habet, sed est subditus Reipublicæ, & universitatis Populorum, saltem in bona, vel mala fama, quando enim hæc non curando, velit exercere de facto potestatem absolutam, & plenam, tunc nemo in eo Principatu dicere potest, cur ità facis, neque datur Judex, qui illum cogat, & redarguat, ut agendo de Principis potestate, in suis Sedibus agitur. A.

Neque ista quæstio idealis censeri debet, eo quia non de facili ad forum contentiosum deducta reperiatur, quoniam licet ob reverentiam debitam Papæ, vel Sacro Collegio, non audeant Officiales, qui se asserunt gravatos ob expeditiones gratis, & in eorum præjudicium concessas, tale gravamen deducere ad forum judiciale in forma contentiosa; accedente quoque ratione magnæ eorum multiplicitatis, adeout in singulis expeditionibus, quando iste casus contingit, satis modicum sit interesse, vel præjudicium cujuslibet in singulari, quamvis respectu omnium sit considerabile, unde propterea practicatur vulgare axioma, ut quod multis commune est de facili negligatur. Attamen extrajudicialiter frequentes, & continuæ sunt querelæ, sine quibus etiam Princeps, aliique Superiores ex officio facere tenentur id, quod justum, honestum, & licitum est, ab injustis autem, & illicitis abstinere.

Et nihilominus neque omninò defuit formalis disputatio super hoc puncto assumpta per Collegium Secretariorum Apostolicorum sub Gregorio XV. occasione aliquarum exemptionum ab isto Pontifice, aliisque prædecessoribus concessarum, quæ sopita fuit per quandam speciem concordiæ, dum Pontifex Collegio quædam compensativa privilegia concessit, atque recentiori tempore, cùm Clemens X. concessisset Auditoribus Rotæ indultum franchitiæ in expeditionibus per Secretariam Brevium eo modo, quo ab antiquo illud habebant in expeditionibus per Cancellariam, & Datariam, idem Collegium Secretariorum in Tribunali A. C. formiter se opposuit hujus indulti exequutioni, qua tamen per sententiam concessa, excitata fuit, licèt in forma extrajudiciali, & per viam supplicis libelli, initio Pontificatus Innocentii XI. quæstio contra Cameram pro suppletione damni exinde Collegio resultantis, idque ansam dedit, atque excitavit ad reflectendum ad ejusdem Collegii suppressionem supra in Cap. 1. insinuatam, & quæ 3
huic operi impulsum dedit, dum ista occasione examinata fuerunt emolumenta istius Collegii, & quidnam ex pretio istorum officiorum in Cameram obvenisset, ità agnoscendo maximam læsionem exindè resultantem, ob quod ad suppressionem deventum est, quæ adeò magnas produxit disputationes, de quibus infra.

Retento itaque dicto præsuppositò, quod agatur de illa potestate ordinaria, quæ à juris, & justitiæ regulis metienda sit, & intra quarum cancellos bonus Princeps suam potestatem restringere velit; Attentis regulis & propositionibus generalibus, pro negativa respondendum generaliter, & indefinitè videretur juxta inferiùs insinuanda; 4
sed quoniam semper est procedere cum generalitatibus, & abstractis, ex quibus æquivoca, & errores perpetuò resultant, cùm veritas non nisi ex distinctionibus, earumque congrua applicatione aperiatur, idcircò prænotandum venit, quod in expeditione litterarum Apostolicarum super provisionibus Ecclesiarum Cathedralium, Metropoliticarum, & Abbatialium, ac etiam aliarum Dignitatum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ per organum Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ fiunt per Sedem Apostolicam, ultra quædam minuta emolumenta, quæ ratione materialis expeditionis litterarum solvi solent Scriptoribus, Revisoribus, Registratoribus, Plumbatoribus, aliisque Datariæ, & Cancellariæ Officialibus, jam superius descriptis, quando Beneficia, vel Dignitates excedunt valorem 24. ducatorum 5
Cameræ solvitur annata juxta illam taxam, quæ reperitur descripta in libris Cameræ, & respectu non descriptorum, juxta valorem narratum, istaque annatarum solutio inolevit ex quadam antiqua consuetudine, illi probali innixa rationi, recognitionis, quæ ità sit universalis dominii, quod Pontifex, & Ecclesia Romana habent omnium Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum, eo modo, quod Feudatarii, & Emphyteutæ pro nova Investitura, vel pro ejus renovatione sub nomine Relevii, seu Laudemii, vel intraturæ, solvunt Domino valorem fructuum unius anni, vel aliam summam à 6
consuetudine inductam, istosque terminos passim habemus purificatos in solutione quindenniorum, facienda per manus mortuas, quando Beneficia, vel bona Feudalia, seu Emphyteutica in eos trâseunt, adeo ut cessent vacationes, & per consequens novæ provisiones, & annatarum solutiones, ut in suis Sedibus habetur, B. & insinuatum est quoque in Capitulo præcendenti.

Ab hoc autem onere, vel obligatione pleræque personæ exemptionem habere solent, istaque exemptio, cujus 7
ratione obtinentur expeditiones gratis est de duplici specie; una generica, altera verò specifica, vel personalis. Generica namque est illa, qua ex Privilegio Apostolico explicito, vel illo implicito, seu præsumpto, quod in esse dicitur in antiqua Consuetudine, gaudent quædam genera personarum, nempè Cardinales, eorumque Fratres, & Nepotes, Veri, & actuales Familiares Papæ, Auditores Rotæ, Cameraleſ,

les, Conſultores, & Miniſtri Sancti Officii, aliiſque ſimiles, ac etiam, ex quadam conſuetudine, Oratores Regum, & Principum, forteque eorum Filii, iſta verò exemptio Oratorum practicatur ſolùm in expeditionibus, quæ fiunt
8 ſuper proviſionibus Datariæ, non autem in illis, quæ fiunt per Conſiſtorium, in quibus non verificatur conſuetudo, de cujus natura eſt, ut attendi debeat in caſu præciſo, in quo viget, & non admittat extenſionem de caſu ad caſum, vel de perſona ad perſonam. C. Unde propterea in caſus contingentia, cùm Epiſcopus Lamacenſis Orator Regis Portugalliæ ſub Innocentio Undecimo Regnante, translatus eſſet ad Metropolitanam Eccleſiam Bracarenſem, iſta exemptione potius non eſt, ſed ſolvit ſolitas ſummas, eo quia exempla, quæ adducebantur, percutiebant proviſiones Canonicatuum, aliorumque Beneficiorum, vel Penſionum per Datariam, non autem proviſiones Epiſcopatuum, & ſimilium per Conſiſtorium; Nihil tamen firmando circa dictas exemptiones, quæ ſolùm obiter enunciantur, locum integrum relinquendo veritati.

Altera verò ſpecies exemptionis particularis, vel perſonalis, eſt illa, quæ conceditur quandoque perſonis non privilegiatis, ex gratia particulari, ſine qua aliàs ſolvere deberent, iſtaque exemptio, quæ ex gratia concedi dicitur, pa-
9 riter eamdem recipit diſtinctionem inter proviſiones Conſiſtoriales, & non Conſiſtoriales, ubi enim agitur de non Conſiſtorialibus, in eis non ſe ingerit Sacrum Collegium Cardinalium, ſed hujuſmodi gratiæ expediendi gratis, atque, ut dici ſolet, per viam ſecretam, conceduntur à Papa per organum Datarii, vel Secretarii Brevium.

In Conſiſtorialibus autem, quandoque abſque aliquo conſenſu, vel conſilio Collegii Cardinalium, iſta gratia concedi ſolet directè, & immediatè per Papam, frequentius verò, quando Papa de eadem gratia ſupplicatur, remittere ſolet ſupplicem libellum Sacro Collegio, à quo per vota ſecreta, in Congregatione haberi ſolita immediatè poſt Conſiſtorium in eadem Aula poſt Papæ diſceſſum, decernitur, an ſit concedenda, vel deneganda, atque conceſſio ex decreto ſub Alexandro VII. concluſa non dicitur, niſi per tres ex quatuor votorum partibus, eaque explicari ſolet ſub nomine gratiæ, quæ per Collegium fiat, illa verò quamvis concluſa, vel reſpectivè excluſa ſit, adhuc exigit approbationem expreſſam, vel ſaltem tacitam Papæ, quoniam quandoque licet Collegium gratiam denegaverit, eam tamen, hac denegatione non obſtante, concedit Papa, & è converſo, (licèt non ſoleat) demandare poteſt, quod conceſſio jam facta ſuum non ſortiatur effectum.

His autem ita prænotatis, atque diſtinguendo gratias, quæ directè, & immediatè conceduntur per Papam, ab il-
10 lis, quæ ut ſupra conceduntur per organum Sacri Collegii; Quatenus pertinet ad primam ſpeciem, dubitandum non eſt de poteſtate, quamvis deſit juſta cauſa, abſque eo, quod Officiales conqueri valeant, cùm id ſit de natura Officiorum, ipſiſque Officialibus innoteſcat, quod Papa, etiam ſine cauſa poteſt, & quandoque ſolet facere hujuſmodi conceſſiones, quæ ſpectato effectu, ipſimet Papæ potius præjudicare videntur, quoniam ex iſta ratione minus vendi ſolent Officia, quæ longè majus haberent pretium, ſi emptores eſſent certi, & tuti de hujuſmodi gratiarum denegatione, quodque pro omnibus expeditionibus ſolvi deberent emolumenta. Adhuc tamen, quamvis, ut præmiſſum eſt, in foro exteriori per Officiales hæc actio non exerceatur contra Papam, vel Cameram, eo quia convinci non poteſt defectus juſtæ cauſæ, quæ poteſt eſſe occulta, & populo non innoteſcere, pro regulatione conſcientiæ, & juſtitiæ naturalis, quæ obligat quoque Supremos Principes, inſpiciendum eſt, an alteretur notabiliter, necne ſolitum, & an adſit necne juſta cauſa, adeout dici poſſit conceſſio merè voluntaria, vel potius neceſſaria, ſaltem ex illa neceſſitate interpretativa, quæ reſultat à lege congruentiæ, & honeſtatis, vel prudentię.
11 Attenta ſiquidem ratione contra Officiales deſuper conſiderari ſolita, quod ſcilicet emendo Officia prævidere, & cogitare potuerunt, & debuerunt iſtum caſum, adhuc iſta ratio adaptatur ad ſolita, & conſueta, non autem ad inſolita, & extraordinaria, quæ veriſimiliter cogitari, & prævideri non potuerunt; Adinſtar eorum, quæ habentur in materia defalchi, vel remiſſionis penſionis non competentis conductori, qui aliquos caſus, utpotè frequentes, & ſequi ſolitos, prævidere potuit, vel debuit, quoniã petit remiſſionem
12 pro inſolitis, & veriſimiliter non præviſis. D. Ac etiam circa diſtinctionem inter actus merè voluntarios, juſta cauſa non impellente, & illos, qui fiant ex juſta cauſa, ob quã licet actus adhuc dici valeat de facto voluntarius, quia à voluntate facientis pendeat illum facere, vel non facere, dicitur tamen neceſſarius ex neceſſitate interpretativa, conferunt ea, quæ habentur in eadem materia defalchi, vel remiſſionis penſionis, præſertim in Appaltibus, vel arrendamentis Gabellarum, & vectigalium, aliorumque regalium, & publicorum jurium, quo fiant per Principem, vel Rempublicam, ejuſque Miniſtros, & Officiales Camerales, quoniam ſi Princeps, vel ejus Officiales, aut alii, quos ipſe prohibere poteſt, præjudicant Appaltatori, adeòut ejus conſueta emolumenta diminuantur ex eorum facto voluntario, non ſolùm locus eſt defalco, ſeu remiſſioni penſionis, ſed etiam ſibi competit actio, vel exceptio refectionis ejus, quod intereſt, nedùm ratione damni paſſi, quamvis modici, & non intolerabilis, ſed etiam ratione lucri amiſſi, quoniam ità defici dicitur à data fide, atque non præſtari illa patientia, quam locator, conductori præſtare tenetur. E. Durum enim, & irrationabile eſſet, quod, ut (vulgò dici ſolet) locaret quis hortum, & perciperet penſionem, deindeque vellet olera donare, vel aliàs de eis diſponere, cum ſimilibus. Sed ſi idem Princeps locator, vel ejus Officiales, & Miniſtri ex aliqua juſta cauſa, concernente publicam neceſſitatem, vel utilitatem, aliquas faciant proviſiones Appaltatori damnoſas, & præjudiciales, putà quia ob ſuſpicionem peſtis, vel belli prohibeatur commercium aliquarum nationum, vel regionum, ſive ratione famis, vel ob motus populares ſuſpendantur, vel minuantur Gabellæ, aut quod congruat aliquas dare exemptiones & franchitias, quia ſic publicæ neceſſitatis, vel utilitatis ratio exigat, cum ſimilibus, tunc non intrant termini violationis fidei, & inobſervantiæ contractus, vel non præſtitæ patientiæ, quoniam actus dici meretur potiùs neceſſarius, quàm voluntarius; Ideòque inter caſus fortuitos eſt recenſendus, & per conſequens fit ſolum locus remiſſioni penſionis ratione damni intolerabilis, quod à caſu provenit, rectèque intrat pluries in hoc tractatu, & præſertim Cap. 17. inſinuata diverſitas, vel reduplicatio perſonarum in Principe, ejuſque Officialibus & Miniſtris, quoniam alia eſt perſona privati contrahentis, alia verò perſona publici gubernantis, iſtique termini ad rem congruè adaptantur.

Ac etiam in conceſſionibus merè voluntariis, & gratioſis fieri ſolitis, & quæ prævideri potuerunt, vel debuerunt, intrat dicta diſtinctio inter ſolitum, & inſolitum, ad quod præſumptio eſt cogitatum eſſe, notabiliter alteretur; Utputà, exemplificando in praxi, concedit Papa Appaltatori, prò conventa penſione omnia emolumenta Gabellarum, & Dohanarum, non per hoc tamen ſibi ademiſſe cenſetur poteſtatem concedendi aliquas gratioſas exemptiones, vel franchitias à Dohanis, vel Gabellis, atque ſi iſtæ exemptiones ſunt ſolitæ, non poteſt ob eas Appaltator prætendere defalcum, quia potuit, & debuit prævidere, ſed ſi ſolitum notabiliter alteretur ſine juſta cauſa, adeout actus merè voluntarius dici mereatur, juxtà diſtinctionem, de qua ſupra, tunc utique intrat de juſtitia defalcum, cum ſimilibus.

Super juſtis autem cauſis, ex quibus hujuſmodi gratiæ concedi ſolent, vel debent, certa, & determinata ſtatui 13
non poteſt regula, cùm totum pendeat ex perſonarum, locorum, temporum, & accidentium qualitate, & circumſtantiis, prudenti, benèque regulato arbitrio boni Viri penſandis, cum univerſali principio publicæ neceſſitatis, vel utilitatis, vel cum motivo juſtitiæ, eo modo, quo generaliter regulatur ordinaria poteſtas Principis, tollendi jus tertii, de qua ſæpiùs hoc tractatu, præſertim Cap. 17.

Potiſſima verò, magiſquæ frequens, & connaturalis cauſa, quam aliqui non immeritò intrinſecam vocant, eſt illa, quæ provenit à notabili depauperatione, vel diminutione ſtatus Eccleſiarum, earumque bonorum, & reddituum, ratione occupationi factæ per Infideles, vel Hæreticos, alioſque inimicos, vel ratione depopulationis, à bello, & militari manu ſequutæ, aliiſque ſimilibus calamitatibus, & infortuniis, etiam caſualibus, putà ratione incendii, vel alluvionis, ſive terræmotus, adeout damnum perpetuam, vel diuturnam habeat durationem, iſtaque (ut præmiſſum eſt) dicitur cauſa intrinſeca, & naturalis. Extrinſeca verò, & accidentalis dicitur illa, quæ ob particulares circumſtantias, habeat etiam rationem neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ Univerſalis, & Sedis Apoſtolicæ, putà quia aliquis Rex, vel Magnus Princeps, à quo notabile bonum ſperari, vel notabile damnum aliàs timeri poteſt, id enixè

pe-

petat, vel quod ità expediat ex eodē fine ſperandi aſſequutionem boni, vel repellendi timorem mali, captare gratiam, & benevolentiam alicujus primarii Miniſtri, vel Magiſtratus, cum ſimilibus, quibus eadem congruat ratio, adeout ex morali, vel interpretativa neceſſitate, vel utilitate publica id ſequatur, non autem ex gratificatione, & affectione, vel intereſſe privato, cùm tunc nedum injuſtæ cenſendæ ſint
14 hujuſmodi gratiæ, ratione privati præjudicii, quod cum læſione juſtitiæ commutativæ infertur emptoribus Officiorū, à quibus hujuſmodi emolumentorum pretium præventivè receptum eſt, ut in præcedenti Capitulo advertitur, ſed magis ratione publici, & ſucceſſivi præjudicii perpetui, quod infertur Sedi, & Cameræ Apoſtolicæ, ratione hujus malæ introductionis, ob quam, deducendo exempla, prætendi ſolet, (quamvis indebitè) quædam quaſi coacta continuatio, ita privando Sedem Apoſtolicam, non ſolùm illo majori pretio, pro quo Officia vendi poſſunt, ſed fortius illa magna, & ineſtimabili prærogativa ſuperius inſinuata, quæ ex hujuſmodi annatarum, & emolumentorum ſolutione reſultat, in recognitionem nempe ejus directi, & univerſalis dominii, ut ſupra, ideoque nimium cautè, parcè, & circumſpectè in hujuſmodi gratiis, ceſſante juſta cauſa, concernente ſolùm publicam neceſſitatem, vel utilitatem, procedendum videtur.

Præmiſſa verò, quæ in ipſo Summo Pontifice dicta ſunt, longè magis, & incomparabiliter procedunt in altera ſpecie
15 gratiarum, quæ fiunt à Sacro Collegio, ob maximam differentiam, quæ inter unam, & alteram dignoſcitur, quoniam Papa eſt ſupremus, & abſolutus dominus, & diſpoſitor hujuſmodi emolumentorum, ac etiam tamquam Princeps ſupremus habet poteſtatem tollendi jus tertii, & diſponendi de bonis, & juribus privatorum, abſque eo, quod de facili in foro externo convinci poſſit de defectu juſtæ cauſæ, cùm ſæpius illæ cauſæ, quas publicare non expedit, ignotæ ſint populo, & tamen ſint juſtæ, imò neceſſariæ, quæ omnia non verificantur in Sacro Collegio, quod in hac parte non gerit perſonam Principis, & Domini, ſed ſolùm Aſſeſſoris, & Conſiliarii Papæ, ſive præſtantis conſilium, vel conſenſum nomine omnium aliorum Collegiorum, de qui-
16 bus ſupra in Cap. 2. ita ratione magnæ confuſionis, & impracticabilitatis, aliàs reſultantis, ipſo Collegio, tamquam digniore, explicante vices, & partes omnium aliorum Collegiorum, eo modo, quo idem Collegium explicat, & ſupplet partes Eccleſiæ Univerſalis in electione Summi Pontificis, & prout in Eccleſiis particularibus Capitulorum Cathedralis, vel Metropolitanæ explicat, & ſupplet vices, & partes aliarum Eccleſiarum inferiorum Diœceſis, vel Provinciæ, cum ſimilibus; Et per conſequens gerere non poteſt partes domini, & condonatoris, ſeu liberi diſpoſitoris, ſed ſolùm Aſſeſſoris, & Conſiliarii, ſeu boni viri interponentis arbitrium, quod eſſe debet regulatum à jure, vel à ratione, cùm dominium, & libera diſpoſitio verificentur ſolùm in illa emolumentorum portione, quæ ad ipſum Collegium pertinet, atque alias lædi dicitur juſtitia, & per conſequens in remittentibus, & condonantibus intrat obligatio ſaltem apud Deum, & in foro interno reficiendi partibus, quibus præjudicatur totum id, quod intereſt.

Alia quoque accedente conſideratione, ob quam à Colle-
17 gio magis circumſpectè, & cautè procedendum eſt, quoniam quando ipſe Papa directè, & immediatè concedit hujuſmodi gratias, atque convinci poteſt defectus juſtæ cauſæ, quod eſt quidem nimium difficile, ſed non impoſſibile, tunc poſſent fortè de jure Officiales refectionem damnorum petere à Camera, quod verificabile non eſt, quando eadem gratia fiat per organum Sacri Collegii, cùm tunc rectè Papa, & Camera excuſari poſſit, dicendo id benè geſtum eſſe cum voto, & conſilio tot Sapientum, adeoque qualificati Senatus.

Nil obſtante conſideratione per ſuperficiales in hoc fieri ſolita, (verè tamen contemptibili,) quòd ſcilicet cum emptores Officiorum rectè ſciant hujuſmodi gratias à Sacro Collegio fieri poſſe, & ſolere, ita cum hac lege emiſſe cenſentur, eiſque ſcientibus non fiat injuria, quoniam iidem emptores præſupponere potuerunt, imò debuerunt, ut id ſolùm practicetur eo modo, quo de jure, & de juſtitia practicari debet, non autem cum injuria, & cum injuſtitia, & privata affectione, vel gratificatione, cùm id in tot, & talibus qualificatiſſimis Viris non ſit præſumendum, imò neque cogitandum, vel ſuſpicandum.

Quemadmodum verò injuſtum eſt, & Eccleſiæ prejudiciale hujuſmodi gratias abſque dicta juſta cauſa, concernente publicam utilitatem, vel neceſſitatem, ſive magnam æquitatem, ex privata affectione, vel gratificatione, ſive intereſſe 18
concedere, ità è converſo injuſtum, irrationabile, & Eccleſiæ præjudiciale eſt, illas, quando juſta cauſa urget, ex privatis paſſionibus denegare. Unde propterea vitium eſt in utroque extremo.

Cadit verò dubium, an inter juſtas cauſas recenſenda ſit illa, quòd proviſus de Eccleſia, de cujus expeditione agitur, 19
tranſlatus fuerit ab alia Eccleſia, cujus expeditiones ſolvit ſine effectu, puta quia poſſeſſionem adeptus non fuerit, vel quòd nullos, aut modicos fructus ab ea perceperit, atque fertur, quòd pro frequentiori praxi iſta cauſa reputata fuerit juſta, ideòque admiſſa fuit. Verùm erroneum videtur cum hac generalitate indefinitè procedere, cùm in ſubjecta materia adhibenda veniat diſtinctio adhiberi ſolita in gabella ſolvenda pro contractibus, vel in laudemio ſolvendo pro alienatione bonorum emphyteuticorum, quòd ſci- 20
licet inſpiciendum eſt, an ineffectuatio primæ proviſionis proveniat abſque culpa, & facto voluntario proviſi, puta quia de jure, vel de facto proviſio, ſine ejus culpa, effectum ſortiri non potuerit, aut quod per Superiores, ipſo non procurante, pro neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ, ad quam, vel à qua tranſlatio ex motu proprio Pontificis verè ſequuta ſit, ſecus autem ubi expreſsè, vel præſumptivè conſtet, quod tranſlatio procurata, vel deſiderata ſit per tranſlatum pro majori ejus dignitate, & prærogativa, vel pro majoribus redditibus, quoniam juxtà dictos terminos gabellæ, ſeu laudemii, cum actus primus fuerit jam perfectus, ſufficit quòd par momentum temporis fuerit talis, & non attenditur voluntarius receſſus, aut voluntaria innovatio, ideòque dicendus eſt punctus facti potiùs quàm juris, certam & generalem non admittens regulam, ſed prudenti, benèque regulato arbitrio, pro ſingulorum caſuum qualitate, & circumſtantiis decidendus, more tamen Judicis, vel Conſiliarii, ut ſuperiùs dictum eſt cum regulis juſtitiæ, non autem more liberi diſpoſitoris, cum regulis benevoli gratificatoris.

a *De poteſtate Principis tollendi ius tertii, eique præiudicandi lib. 2. de Regal. diſc.* 148. 177. 185. *&* 193. *& in Opuſculo Italici idiomatis de Principe cap.* 22. *& ſeqq.*
b *De benef. diſc.* 89. *De Regal. diſc.* 162. *de emphyt. diſc.* 59.
c *De Benef. diſc.* 30. *De indiciis diſc.* 21. *& alibi pluries.*
d *De locato diſc.* 1. *cum pluribus ſequentibus.*
e *De Regal. diſcurſ.* 65. *cum plur. ſeqq. &* 159. *de locato diſc.* 1. *& ſeqq.*

Quomodo officia venalia acquirantur, & quid ubi acquiſitio in perſona unius fiat per alterum de iſtius pecunia; & de præſumpta donatione, ac imputatione in legitimam; & de materia reſervationis decreti.

SVMMARIVM.

1 *OFficia ſunt de regalibus, quæ poſſideri non poſſunt ſine titulo, de quo poſſeſſores tenentur docere.*
2 *De differentia inter Officia Cameralia, & Capitolina.*
3 *De tribus modis, vel titulis huiuſmodi conceſſionum.*
4 *De differentia inter unum, & alterum conceſſionis modum.*
5 *Si Officium acquiritur de pecuniis unius in perſona alterius, ad quem illud pertineat.*
6 *Ille, qui pecuniam dedit ad Officium emendum, ſi non habet reſervationem decreti, nullum ius acquirit ſuper officio, & poſtponitur habentibus decretum, vel reſignatario.*
7 *Declaratur quando id procedat.*
8 *Quid importet, & operetur reſervatio decreti.*
9 *Reſignatarius non recognoſcit à reſignante, ſed à Papa, & quid operetur reſignatio.*
10 *De duabus diverſis ſpeciebus reſervationis decreti.*
11 *De concurſu creditorum habentium reſervationem decreti remiſſivè.*
12 *De reſervatione decreti ad favorem Domini, & acquiſitoris commodi.*
13 *In Officiis, ad inſtar feudorum non admittitur ſimulatio.*
14 *Officia ſæpè tantant in perſonis eorum, qui id ignorant.*

15 *An Officium censeatur donatum ei, in cuius persona quæsitum est.*
16 *An imputetur in legitimam.*
17 *De aliis speciebus imputationis.*
18 *De regula tenenda in hac materia.*
19 *Quando locus est imputationi, intelligitur quatenus ipse velit.*
20 *De dicta imputatione Officiorum maiorum, & Prælatitiorum, & de differentia inter ista, & alia Officia.*

CAP. VI.

1 CUm ista Datariæ, & Cancellariæ, & Cameræ Apostolicæ Officia per Papam concedi solita, extra controversiam sint de regalibus, adeout absque Papæ concessione, validè, & legitimè acquiri, & obtineri non possint, hinc sequitur, ut justè possessores cogi valeant sub pœna amissionis Officiorum ad docendum de suæ possessionis titulo, quo non docto habeantur pro vacantibus, ut in casu magis dubitabili Officiorum Capitolii, seu Populi Romani nostra ætate practicatum vidimus, atque in propria hujus materiæ regalium Sede advertitur; A. Ista verò necessitas magis vigebat in præfatis Officiis Capitolinis ex duplici ratione, pri-
2 mò, quia illa solebant concedi pro universa descendentia, vel ad certas generationes, aut aliàs ad longum tempus, unde propterea de facili verificari poterat casus illicitæ occupationis absque titulo, ob illius expirationem; & secundò, quia concessiones fiebant per Conservatores pro tempore, quorum officium durat solùm ad tres menses, ideoque non ità diligenter conservabatur regestrum concessionum; utrûque autem cessat in his Officiis Papalibus, tum quia concedi non solent, nisi ad vitam unius personæ; tum etiam quia Datarra habet Ministros diligentes, & peritos, atque conservat integra regestra, ideoque non de facili datur casus, quod Officia jam vacantia possideantur à privatis absque titulo; Solumque expertus sum casum fraudis, quæ præsertim in absentibus dari potest, suppositionis unius personæ superviventis in locum alterius jam defunctæ ejusdem nominis, & cognominis, in qua Officium residebat, juxtà casum disputatum in sæpius enunciata Regalium Sede; B. Adhuc tamen in istis quoque Officiis, (ut generaliter in omnibus iis, quæ sunt de regalibus Principi reservatis, & quæ ideò à privatis obtineri non possunt sine privilegio explicito Principis, vel illo implicito, quod allegari potest in vim centenariæ, vel immemorabilis, quæ verificari non possunt in his vitalitiis) non incongruum est cogere possessores ad docendum de titulo.

Hoc autem præsuppositio, quod scilicet ad hujusmodi Officiorum assequutionem, & legitimam retentionem necessarius sit titulus concessionis factæ per Papam, sive per illum inferiorem, cui Papa concesserit, ut exempli gratia sequebatur in Cardinali Vicecancellario, qui centum, & ultrà ex his Officiis conferebat antequam sequeretur dismembratio superius enunciata in Cap. 2. & faciunt in aliquibus
3 Officiis Cardinales Pœnitentiarius, & Camerarius, aliisque similes, iste titulus tripliciter sequi solet; Primò, & regulariter pro frequentiori contingentia per viam emptionis pro pretio fixo, & invariabili, ut sequitur in duobus Officiis majoribus Auditoris Cameræ, & Thesaurarii Generalis, & an illis Clericorum Cameræ, ex jam dictis Capit. 2. vel pro ex pretio, quod tunc pro temporum, & emolumentorum contingentia currit, & concordatur cum Ministris Datariæ ad id deputatis. Secundò per viam gratuitam, & ex titulo lucrativo donationis, quia nempe Papa Officium illi personæ elargiatur. Et tertiò per viam resignationis ab altero possessore Officii per Papam admissæ. In
4 omnibus autem his modis concessio fit per viam supplicationis, Papæ manu subscriptæ, & per Datarium, aliosque Officiales, juxtà stylum, signatæ, cum ea differentia; quod quando sequitur juxtà primum modum directum, & immediatum, tunc in ipso supplicationis summario, quod fit, ut Papa legat, vel audiat substantiam supplicationis, (quod tamen non regestratur) enunciatur pretium, pro quo fit concessio, cum specificatione summæ, quando verò sit secundo modo per viam donationis, enunciatur quoque in supplicatione pretium in genere, sed absque expressione summæ, quod scilicet Papa confert Officium, & dicit condonare pretium, & quando fit tertio modo per viam resignationis nulla fit mentio pretii, nec in genere, nec in specie, quamvis illud inter Resignantem, & Resignatarium intercedat, quod nimium refert ad effectum, de quo infra Cap. 17. quid scilicet in casu suppressionis Officii, vel remotionis illius possessoris debeat per Cameram restitui, ut in pluries enunciatis duabus posterioribus Rotæ decisionibus *in Romana pretii Officiorum* advertitur.

Sed quoniam frequenter contingit, quod, sive juxtà pritium, sive juxtà tertium modum acquisitionis ex causa onerosa, & correspectiva pretio mediante, illa non fit ex pecunia, & providentia ejus, cui fit concessio, & qui creatur Officialis, sed alterius, qui pecuniam solvit, hinc oritur quæstio, ad quem istorum Officii, dominium, & commodum pertineat, sive quale jus in eo habeat ille, in cujus persona concessio cantat, qualevè jus ille, qui pecuniam dedit, atque de concessione solicitus fuit. 5

Ista quæstio, etiam nostræ ætatis moderno tempore circa initia meæ forensis vitæ in Curia, existimabatur nimium involuta, ob quamplures effectus exindè resultantes; Verùm hodiè pro meo judicio videtur facilis, & plana, quando, ut decet, abhorreantur generalitates, quæ perpetuò producunt confusiones, & æquivoca, & procedatur cùm casuum eorumque circumstantiarum distinctione, necnon cum altera distinctione effectuum, ad quos de hoc disputari contingat, ita namque ad veritatis notitiam deveniri non multum difficile videtur, constituendo imprimis duos casus, unum scilicet, in quo ille, de cujus pecunia emptum est Officium, directè, & immediatè à Dataria, seu mediatè per viam resignationis non fuit solicitus de reservatione decreti ad ejus favorem, & alterum è converso, in quo de dicto decreto solicitus fuit.

Priori casu, in quo nulla adsit decreti reservatio, facilius intrat illa præsumpta donatio, de qua infrà in sequenti casu magis difficili, sed quoniam ista est simplex juris præsumptio elidibilis ex contraria probatione, non solùm vera, sed etiam præsumpta, & conjecturali, quando fortius urgeant præsumptiones, & conjecturæ, idcircò quando exclusa re- 6
manet hæc præsumpta donatio, adhuc ille, qui pecuniam dedit, nullum jus reale, vel in rem scriptum habere videtur in Officio, super quo potiores erunt illi creditores Officiales, qui decreti reservationem super Officio obtinuerint; longè verò magis potior erit resignatarius, in quem, cum beneplacito Apostolico, juxtà stylum, Officii translatio facta fuerit, quoties id sequutum sit ex causa onerosa, & correspectiva vera, non autem ficta, & collusiva; Ubi verò sit ex causa merè lucrativa, vel onerosa, sed fraudulenta, & 7
simulata, tunc ex edicto *De iis, quæ in fraudem, &c.* competere poterit actio pro ejus reintegratione, implorando desuper Judicis Officium, ut cogat possessorem in actione personali ad vendendum Officium, ad hoc ut ex pretio tanquam re libera, & indifferenti satisfaciat quibus de jure; quo casu ille, qui dedit pecuniam in concursu aliorum creditorum æquè personalium prætendere poterit illam potioritatem, quæ in suis casibus, & quatenus verificentur requisita ad id necessaria, de jure competit illi, qui dedit pecuniam ad rem emendam, sive prætendere poterit illam ejusdem pretii vendicationem jure dominii, quæ in suis casibus conceditur aliquibus personis privilegiatis, quæ non possunt sibi præjudicare, ideoque earum favore res succedit loco pretii, vel contra, ex iis, quæ in suis sedibus habentur; C. semper tamen in concursu aliorum non habentium reservationem decreti, non autem istorum, nisi quatenus isti foveant causam lucrativam, ut supra, adeout contra eos intret enunciatum edictum *De iis, quæ in fraudem, &c.* vel obstet æquitas, prohibens locupletationem de alieno juxtà terminos Tertus *in l. sime, & Titium ff. sicert. pet.* cum concordantibus, de quibus in suis sedibus. D.

Super his autem, pro mea notitia, non de facili habentur auctoritates, quæ ad istos præcisos terminos descendant, vel si habentur, non conceditur meis, jam notis, occupationibus illas perquirere; procedendo autem per similia, quibus eadem congruat ratio, ut faciendum, E. quando speciales decisiones, vel auctoritates desunt est; Ea tutè probata remanent cum iis, quæ in feudali sede habentur super feudis habentibus legis communis, vel particularis strictam prohibitionem, ut sine assensu Domini directi alienari, & obligari non possint, neque aliquod jus super eis, eorumque substantia acquiri, quoniam proceditur cum hac theorica, F. cum qua etiam proceditur in bonis emphyteuticis, vel aliis consimilem legis, vel hominis habentibus prohibitionem; G. Ista namque Officia passim per DD. assimilantur feudis, atque cum eisdem regulis metiuntur, & eadem ratione,

quòd tanquam jura regalia nõ ſunt in privatorum commercio, niſi cum aſſenſu, & beneplacito Principis, vel alterius ad id poteſtatem habentis, unde propterea promiſcuè iſti termini feudorum, & officiorum, aliorumque jurium regalium adhibentur, ut pro frequentiori praxi ſunt illa jura cum Principe, quę loca Montium in Curia dicuntur; Exindeque manat illa locorum Montium libertas frequenter acta in eadem regalium ſede, H. adeout etiam Officii Dominus, qui illud alteri reſignet pretio convento, ſed non ſoluto, ſi de reſervatione decreti ſibi non cavit, actionem ſuper officio non habebit contra tertium, qui à reſignatario obtinuerit cum beneplacito Papę, niſi jam dictam reſultantem ex edicto *De his, quæ in fraudem*, vel ex æquitate prohibente locupletationem de alieno, ut ſupra, ex illa congrua, & recepta ratione frequenter deducta in propoſito dictorum 8 locorum Montium, quod in hujuſmodi regalibus in commercio non exiſtentibus, aſſenſus Principis, qui in hoc propoſito præſtari dicitur cum reſervatione decreti, quæ idē eſt, ac præſtatio aſſenſus in feudalibus, eſt ille, qui animat, & informat actum, qui fieri dicitur, non ab ipſo privato Officii poſſeſſore, ſed à Principe concedente aſſenſum, à quo ille tertius, qui ſolicitus eſt de reſervatione decreti ad ejus favorem directè, & immediatè obtinere, ſuumque jus metiri dicitur, tanquam per extinctionem prioris juris, quod habebat Officialis, & efformationis novi juris in altero, adeout prior poſſeſſor ſuo juri cedendo, extinctivè potiùs, quàm tranſlativè id facere dicatur, tollendo ſe de medio, atque faciendo ſe mortuum, ut ità aperiatur locus vacationi, 9 ob quam Princeps alteri concedat. Rari autem ſunt caſus, in quibus illi, qui cum eorum providentia, & pecunia Officia acquirunt in faciem alterius, vel credunt alteri pecuniam ad acquirendum, ſive Officium reſignant, habita fide de pretio, huic ſubjaceant præjudicio, quoniam ſtultitiæ ſpecies eſſet de reſervatione decreti non eſſe ſolicitus, illamque negligere; adhuc tamen caſus dari poteſt, & quandoque (hcèt rarò) contingit, ut ſum expertus.

In altero autem caſu magis frequenti, & contingibili, quo dator pecuniæ ſolicitus eſt de dicta reſervatione decreti ad ejus favorem tunc altera intrat diſtinctio caſuum, quod ſcilicet alter caſus eſt quando Dominus pecuniæ non curat cum ejus providentia acquirere Officium in perſona alterius, ſed ille, cui fit conceſſio, principaliter proprium agens negotium, curat Officium obtinere, non habens verò pecuniam, illam mutuam, vel ad ſocietatem Officii, ſive ſub alio contractu ab alio obtinet, qui perſonam creditoris tantùm facit; Et alter caſus eſt, quando Dominus pecuniæ eſt ſolicitus de acquiſitione Officii, tanquam proprium negotium agens in 10 alterius perſona, quæ ità deſtinatur, vel deſignatur pro vitę, aut alterius vacationis periculo; ideòque duplex eſt ſpecies reſervationis decreti, una ſcilicet jure dominii, & altera jure hypothecæ, & crediti, ad quam diſtinctionem reflectendum eſt, cum ſæpiùs viderimus iſtas ſpecies confundi, atque unam pro altera accipi cum claris equivocis & erroribus.

De prima ſpecie reſervationis decreti favorem Reſignantis habita fide de pretio, vel ad favorem dantis Officiali ad Officium emendum, vel etiam poſt illud emptum illam 11 mutuantis pro aliis ejus indigentiis, cum iſta cautela, per quam hypotheca, vel jus in Officio acquiri dicitur, agitur infrà in Cap. 10. ubi de concurſu creditorum Officialis ſuper Officio, vel ejus pretio, & de facultate cogendi Officialem ad vendendum Officium; Quare in præſenti Capitulo agitur ſolùm de altera ſpecie reſervationis decreti jure dominii, ad favorem ejus, qui verè fuit Officii acquiſitor cum ejus providentia, & pecunia, proprium agens 12 negotium, quamvis acquiſitionem faciat in faciem diverſæ perſonæ; iſto namque caſu illa perſona, in cujus faciem quæſitum eſt Officium, quando reſervatio eſt pura, ſimplex, & generalis, regulariter & juxtà frequentiorem praxim, nullum Officii dominium, vel jus in eo acquirit ad proprium commodum, ſed totum jus commodum, & dominium quoad eos, & alios habentes cauſam ab eo, eſt domini pecuniæ, qui ejuſdem Officii diſpoſitionem habet, illudque pro libito diſtrahere poteſt, etiam ſine conſenſu illius, in cujus perſona cantat, ut in Cap. ſequenti, quoniam iſta perſona dicitur ſolùm demonſtrata, vel deſtinata pro periculo vacationis per ejus mortem, vel delictum in Officio, & ſic reſpectu ipſius Principis, qui alium non recognoſcit Officialem niſi illum, cui conceſſionem fecit, & quem in ejus 13 libris, & rotulo deſcriptum habet, eodem modo, quo in feudis receptum eſt, nõ intret regula *plus valere quod agitur, quàm quod ſimulatè concipitur &c.* H. nullamque Princeps contrahit obligationem erga dominum pecuniæ, ad cujus favorem 14 decreti reſervationem conceſſit, niſi quod tenetur admittere venditionem, vel reſignationem Officii, quam facere vellet reſervatarius ſine conſenſu Officialis, quoniam verè, & quoad commodum ille, qui dedit pecuniam, eſt dominus, atque moriens totum ejus jus tranſmittit ad hæredes, donec vivit ille, in cujus perſona Officium cantat, utpotè ſolùm demonſtrata, ut ſuprà, & quæ, ut vulgò dici ſoler, appellatur *teſta di ferro*, adeout frequenter contingat, quod illa perſona id ignoret, quodque ea moriente, quamvis nullum proprium Officium habeat, magnæ, & multæ contingant Officiorum vacationes, eò quia negotiatores curant acquirere hęc Officia in faciem illorum, quos vident nimium valido, & robuſtos, undè propterea illorum longam credunt, & ſperant vitam, ut ità minùs periculo vacationis ſubjaceant idque ubi reſervatio decreti ſimpliciter, & abſolutè ad favorem domini pecuniæ Officium acquirentis fiat.

Quæſtiones itaque cadere ſolent, ubi facta acquiſitione in perſona alterius, nulla ſequatur decreti reſervatio ad favorem acquirentis, vel illa ſequatur limitata durante vita ipſius, vel alterius, aut in alium caſum, an ſcilicet, in uno, 15 vel altero ex his caſibus cenſeatur facta donatio pretii ad favorem illius, pro quo aquiſitum eſt Officium, cujus propterea liber, ac plenus dominus efficiatur; Atque ubi agitur de extraneo, vel ità conjuncto, quod jus legitimæ non habeat in bonis datoris pecuniæ, vel acquiſitoris, magis receptum eſt, ut cenſeatur facta donatio; quoties tamen diverſæ voluntatis non accedat probatio, etiam præſumpta, & conjecturalis, quia nempè contrariæ urgent præſumptiones, & conjecturæ quæ iſtam excludant juris præſumptionem. Ubi verò agitur de liberis, quibus legitima debita eſt, in illam pretium imputari debere magis receptum eſt, L. quia ſic le- 16 ges expreſsè diſponunt agentes da antiquis militiis, quæ idem, ac iſta Officia importare jam prænotatum eſt Cap. 1. ut etiã in dotibus, quæ fœminis præſtantur, habetur diſpoſitum; M. Cadente quæſtione, an ad hunc imputationis effectum verificari debeat illa invaliditas donationis, quæ datur inter patrem, & filium in poteſtate quando juramentum, vel alia cauſa illam, etiam inter iſtos validam non reddit, quaſi quod tanquam peculium profectitium remanere dicatur in dominio, & ſubſtantia patris, ſecus autem ubi agatur de donatione valida, & perfecta in vita, cùm ità donata non imputentur; Attamen quidquid aliqui occaſione agendi de imputatione dotis datæ à matre, vel alio non habente in poteſtate, ſubtilizando dicant N. verius tam in dote, O. quàm in his Officiis videtur, ut indefinitè imputatio intret ex præſumpta, & veriſimili voluntate parentis, ut in cauſam neceſſariam id agere voluiſſe cenſeatur; eodem modo, quo habetur in quæſtione legati facti, necne animo compenſandi, ut affirmativa pars attendatur in hoc debito neceſſario, ſive legali, P. idque non ex eo, quod liberi ſint deterioris conditionis, quàm extranei, ſed ex præſumptione in uno potiùs caſu cadent, quàm in altero.

Eiſdemque retentis terminis dotis, atque ad inſtar, ex rationis identitate, vel patificatione legis, idem in his Officiis, vel eorum pretio dicendum venit circa imputationem ejus, quod mediatè receptum eſt in illam cauſam per legitimæ creditorem à tertio, intuitu tamen, & contemplatione parentis, qui ſit legitimæ debitor, dum à parente potius, quàm à tertio acceptum videtur, ut in dotali ſede, ac etiam in illa legitimæ advertitur. Q.

Sed in extraneis quoque ad hoc legale debitum non obli- 17 gatis intrare ſolet eadem imputationis, ſeu verius compenſationis quæſtio, aut anticipati implementi legati, vel alterius diſpoſitionis factæ ad favorem illius perſonæ, in cujus faciem quæſitum eſt Officium, juxta caſum noſtra ætate diſputatum in Rota, quæ cum reſolutionum varietate difficultatem agnovit, unde propterea controverſia per concordiam finem habuit. R.

In his autem omnibus, vel ſimilibus quæſtionibus, pro 18 meo ſenſu dignoſcitur, frequenter quidem, ſed ſemper utiliter pro ſtylo declamatus, & inculcatus error procedēdi cum regulis, & propoſitionibus generalibus juris in abſtracto, ſive cũ aliquibus deciſionibus, & auctoritatibus, quæ certos percutiant diverſos caſus, quaſi quod juris quæſtiones eſſent, cũ verius facti potius, & voluntatis dicendæ ſint, cumq; regulę juris inducant quandã ſimplicẽ juris præſumptionẽ, attendẽdam ſolũ quando res omninò in ambiguo ſit, atq; impoſſibile videatur, quod factum ità deſtitutũ ſit circũſtantiis talibus,

ex

ex quibus verisimilis voluntas non desumatur dictę præsumptionis juris conformis, vel respectivè difformis, hinc per Judices, & consulentes principaliter in hujusmodi quæstionibus examinandis, & decidendis insistendum est in facto potius, quàm in jure, expendendo singulorum casuum qualitatem, & circumstantias, ex quibus desumatur una, vel altera voluntas, cujus revera potius, quàm juris est quæstio; Atque in præsumptionibus, & conjecturis expendendis, neque procedendum est cum generalitatibus, vel an illarum aliquæ in aliis casibus canonizatæ, vel reprobatæ fuerint, sed in illo casu individuo, ob personarum, locorum, & temporum qualitatem, aliasque circumstantias ponderari debent, non singulariter, & disjunctim, sed unitim cum solita regula, ut singula, quæ non prosunt, unita juvent, ut sæpius, in Fideicommissorum præsertim sede agitur de ista conjecturali materia, ac etiam in sede Judiciorum, occasione agendi de probatione præsumpta, seu conjecturali, & adminiculativa; S. Ut enim ibi advertitur, stant benè simul, quod eædem individuales conjecturæ, & præsumptiones, in aliquibus casibus canonizatæ fuerint, in aliis autem reprobari mereantur, sive quod illæ, ac etiam minores, in aliquibus casibus reputatæ sint sufficientes, in aliis verò eædem, aliæque longè majores, reputari debeant insufficientes; Tunc autem præfatæ juris regulæ, & propositiones juris attendendæ sunt, quando colluctantibus hinc inde adminiculis, conjecturis, & argumentis, ita voluntas ambigua remaneat, ut illis hinc inde conquassatis, vel debilitatis, ad juris præsumptionem recurrere oporteat, istaque videtur vera via decidendi istas, & similes quæstiones, quæ potius facti, & voluntatis sunt, quàm juris, ut supra.

Præterea, ubi etiam ex facto, vel ex jure, sive ex utroque simul juncto pro donatione, vel respectivè pro imputatione, & compensatione responderi debeat, quia sic expressa, vel præsumpta, & conjecturata suadeat voluntas acquirentis, adhuc spectanda est voluntas ejus, pro quo Officium acqui-
19 situm fuit, quoniam potest sibi non expedire habere Officiū vitalitium ita subjectum vacationi, & non liberæ dispositionis, præsertim in casu infirmæ valetudinis, vel senectutis, quo casu resignatio non admittitur, ut in Cap. sequenti, quodque sibi magis expediat obtinere legitimam in quota bonorum stabilium, & aliorum, quæ in hæreditate remanserunt, obtinendo solùm quotam, seù tatam hujusmodi jurium vitalitiorum juxtà dispositionem juris, ex insinuatis in sua Legitimæ, & Detractionum sede, T. ac etiam advertitur in sede Feudorum, occasione agendi de imputatione feudi novi in legitimam primogeniti, V. cum similibus. Si enim non tenetur legitimæ creditor, sive sit de descendentibus, sive, juxtà magis receptam sententiam, de ascendentibus, illam recipere in pecunia, vel in mobilibus, aut fructibus, quoties illa non adhibeatur cautela, quæ *Soccini* vulgò dicitur, cùm de jure sibi debita sit quota omnium bonorum, juxtà illorum species, & qualitates, quoties facti circumstantiæ non exigant, ut intrare possit Judicis arbitrium, juxtà ea, quæ in sua Detractionum sede habentur, X. multò minus cogendum est invitus illam accipere in hujusmodi juribus adeò periculosis, & resolubilibus, & non liberæ dispositionis, ut suprà. Potissimè verò, & fortiùs ubi non agitur de illis Officiis inferioribus secundæ, vel tertiæ classis ad solum commodum pecuniarium deservientibus, & in quodam libero communi commercio (cessantibus dictis casibus infirmæ valetudinis, vel gravis ætatis) existentibus, sed agitur de Officiis majoribus, Prælaturam, & justitiæ administrationem annexam habentibus, in qui-
bus plura considerantur præjudicia; Primò nempe illud ma-
20 joris periculi, & damni ratione magni pretii; Secundò onus administrandi munera Officio annexa; Tertiò alterum onus vivendi cum majori decore, & famulatu in statu qualificatæ Prælaturæ; Quartò, quoniam non ita de facili resignatio admittitur, ut in Cap. sequenti; Et quintò quia persona constituta dicitur in quadam necessitate perseverandi in eo statu, ita in pluribus oneroso; Et consequenter quoties non constet de voluntate ejusdem Officialis, ob ambitionem, & honores illud Officium assequendi, quodque sibi innotescat hoc onus imputationis, (dum probabiliter hujusmodi subtilitatum juris ignarus potuit non cogitare ad hanc imputationem, sed potius potuit credere, & sperare hanc elargitionem pro honorificentia communi ipsius debitoris legitimæ, qui acquisivit, aliorum cohæredum, & conjunctorum) nimis durum videtur illum ad id cogere, ideoque non de facili animus acquievit aliquibus decisionibus Y. impu-

tationem pretii Clericatus Cameræ firmantibus cum regulis, & propositionibus generalibus, quamvis in hoc casu illæ viderentur probabiles ob circumstantiam, quod Officialis vendiderat Officium, ac desierat esse Clericus Cameræ, contentus restitutione pretii accepti, unde propterea cessabant dictæ considerationes, quibus urgentibus intrare videtur Judicis arbitrium pro aliqua reductione, quæ dici mereatur dictorum onerum, & incommodorum compensativa, ut propterea integrum pretium non sit ita simpliciter, & rigorosè imputandum, ut occasione agendi de imputatione donationis, contemplatione matrimonii, cum onere majoratus, vel primogenituræ alibi advertitur; Z. Adhuc tamen occasio non præbuit id formiter disputare, ut maturum judicium desuper efformari potuerit.

a *lib. 2. de Regal. disc. 14.*
b *De Regal. disc. 15.*
c *lib. 6. de dote disc. 83. lib. 2. de Regal. disc. 29. lib. 8. de credito disc. 35.*
d *lib. 8. de credito disc. 35. & 72. & d. disc. 83. de dote, & alibi.* e *lib. 15. de iudic. disc. 35.*
f *lib. 1. de feud. disc. 78. lib. 8. de credito disc. 13. & 151. & alibi pluries.*
g *lib. 4. de emphyteus. disc. 58. lib. 13. de pension. disc. 1. & alibi pluries.*
h *lib. 2. de Regal. disc. 25. cum multis seqq. & disc. 163. & in tractatu de locis Montium cap. 2.*
h *lib. 2. de Regal. disc. 1. num. 3. disc. 17. num. 9. disc. 15. num. 6. lib. 1. de feud. disc. 24. & sæpius.*
i *lib. 2. de Regal. disc. 1. & in aliis.*
l *De Regal. disc. 1. & 150.*
m *De dote disc. 98. per tot.*
n *Relati d. disc. 98. de dote.*
o *Eodem disc. 98. de dote.*
p *De Legatis lib. 11. disc. 15.*
q *De dote d. disc. 98. & de legitim. disc. 13. & 15. & alibi.*
r *Disc. 1. de Regal. ubi allegantur decis. editæ in eo casu.*
f *lib. 10. de fideicomm. per totum, & lib. 15. de iudic. disc. 33.*
t *lib. 9. de legitim. & detract. disc. 13. & disc. 15. num. 11.*
u *lib. 1. de feud. disc. 19.*
x *d. tit. de legitima disc. 10. & in aliis pluries.*
y *Rot. apud Merlin. decis. 273. repetit. decis. 54. par. 5. recent. aliis relatis disc. 1. de Regal.*
z *lib. 2. de Regal. disc. 150. lib. 9. de legitim. & disc. 3. alibi eodem tit.*

De Officiorum resignatione, & alienatione, vel translatione de uno in alium, vel eorum obligatione, & quomodo esse dicantur in commercio, in substantia, vel in pretio, sive in commoditate, & quando resignationis admissio denegari possit.

SUMMARIUM.

1 *De propositione, quod Officia Romanæ Curiæ sunt in commercio, ad instar bonorum allodalium.*
2 *Quod non sint in commercio sine auctoritate Papæ, & quomodo dicta propositio intelligatur.*
3 *In Officiis, & feudis, & similibus ille, qui habet assensum est potior, & vincit alios anteriores, qui non habent.*
4 *Papa tenetur præstare assensum resignationibus Officiorum, & quando possit illum denegare, & de casu infirmæ valetudinis.*
5 *In qua ætate soleat, & possit denegari.*
6 *Negari potest admissio resignationis Officiorum Prælatitiorum, & de differentia istorum Officiorum.*
7 *Et præsertim de diversitate circa reservationem decreti.*
8 *De aliis causis denegandi admissionem resignationis, præsertim ubi sunt Officia donata.*
9 *De alio assumpto, quod pretium Officii sit in libero commercio, quomodo sit intelligendum.*
10 *Quando pretium succedat loco rei, & sit eiusdem naturæ.*
11 *De commoditate in Officiis, aliisque bonis prohibitis.*
12 *Quid in bonis emphyteuticis hæreditariis, & de differentiis inter bona, & Officia.*

CAP. VII.

VOlitat in Curia per ora Pragmaticorum assumptum, à Rota quoque aliquando affirmatum, & ab aliquibus ex nostris professoribus, cum quibus (excusabiliter
1 quidem) aliqui exteri transierunt, quod ista Romanæ Curiæ venalia Officia, ad instar aliorum bonorum indifferentiũ quæ sub nomine, seu vocabulo allodialium, ad libertatem denotandam, explicari solent, ad illa distinguendum à feudalibus, & emphyteoticis, aliisque non liberæ dispositionis, in commercio existant A. Aliqui verò hoc assumptum ità simpliciter non recipientes, cum illa procedunt distinctione, ut id procedat in pretio, non autem in substantia Officii. B. Verùm, & in hoc dignosci videtur superficialium Pragmaticorum error, tot æquivocorum productivus, procedendo indefinitè cum propositionibus generalibus vel cum auctoritatum litera, & superficie, quoniam præfatum assumptum, attenta majori frequentia, & contingibilitate, verificari videtur de facto; falsum verò est in jure, ut etiam contingit, exempli gratia, in feudis Regni Neapolitani, in quo adeò illorum magna copia est, cum quadam extraordinaria, & impropria mixtura qualitatis pacti, & providentiæ, & hæreditaria, etiam ultimi morientis, qui in feudis, quantumvis antiquis, successorem sanguinis, etiam ex causa voluntaria legati, usque ad integrum feudi valorem gravare potest, atque ubi legitimum in feudalibus successorem habet, potest etiam illud vendere, quia Rex non solet, nec potest assensum denegare, ideòque pariter de facto, attenta frequentiori contingentia dici potest, quod sint in commercio, & tamen de jure id prorsus falsum est, quoniam ob alienandi, vel disponendi prohibitionem, donec legitimè, & in forma consueta, & solemni assensus Regius accedat, dicuntur non esse in commercio, adeoùt quilibet contractus desuper initus inefficax reputetur, nullumq; jus tribuat, sed libera sit pœnitendi facultas in utroque contrahente, ac etiam quia non semper assensus præstandus est, cum quandoque licitè denegari, valeat, quia possessor feudi legitimo in feudalibus successore careat, sive quod in exterum alienatio fieri velit.

Id autem adamussim verificatur in hujusmodi Officiis, quæ propterea, ut antecedenti Capitulo, & alibi insinua-
2 tum est, feudis parificantur, atque cum feudalibus terminis tractantur; imò etiam parificantur beneficiis aliisque bonis differentibus in privato libero commercio non existentibus, cùm resignatio, aliave alienatio, seu translatio, ex privata solùm conventione inefficax sit, nullumque jus in Officio, vel ad illud tribuat, donec legitimè, & juxtà stylum, per Papam, vel Officiales ad id deputatos, adeout quælibet privata conventio aliud non importet, nisi simplicem tractatum, seu præparationem futuræ resignationis, vel alienationis, perfectionem recipere debentis, à beneplacito, & admissione Papæ, à quo (ut in præcedenti Capitulo dictum est) Resignatarius, vel translatarius directè, & immediatè obtinere dicitur Officium, tanquam vacans per illam fictam, & civilem mortem, quam sibi ipsi tribuere dicitur possessor mediante resignatione, tanquam extinctiva potiùs,
3 quàm translativa cessione, adeout si possessor Officium sine dicto assensu priùs uni resignet, postmodùm verò cum assensu alteri, iste posterior actus est potior, & iste Resignatarius Officium obtinebit, ut etiam in locis Montium, aliisque juribus regalibus, absque superioris auctoritate in privato commercio non existentibus receptum habemus; C. ergo falsum est assumptum, quod ad instar bonorum allodialium, & indifferentium sint in commercio.

Et ulteriùs licèt Papa, nec soleat, nec de justitia possit hujusmodi resignationibus, & trãslationibus assensum dene-
4 gare, stante stylo, sub cujus fide illi, qui Officia emerunt dicere possent tales feciſſe acquisitiones, quas aliàs non feciſſent; nihilominùs justè assensus denegari potest in statu infirmæ valetudinis, ob quam probabilis urgeat suspicio, quòd id fieret ad fraudandam imminentem vacationem, ut in eadem Regalium sede advertitur; D. adeout intret etiam quæstio an jam admissa resignatio invalida censenda sit, ubi mors resignantis intrà breve terminum sequatur, juxtà beneficialem regulam de infirmis resignantibus, in qua tamen pars negativa probabilior videtur, quoties non constet per extrinsecas probationes de fraude, & collusione, cujus particeps fuerit Resignatarius, decipiendo Datariæ Officialem deputatum ad recognoscendum statum resignantis, aliàs enim Resignatarius dicere potest, quod sequutus fuerit fidem dicti Officialis cujus negligentiam, vel inadvertentiam Dataria sibi imputare debet, ex regula, quod culpa, vel negligentia præpositi præjudicare debet præponenti potiùs, quàm tertio; Ac etiam quia dicta beneficialis regula, utpotè à jure exorbitans, trahenda non est ad casum, de quo non disponit, ut occasione casus particularis in eadem Regalium sede advertitur. E.

Infirmæ autem valetudini æquipollet gravis ætas, cujus ratione eadem fraudis ratio intrat ad supplantandam im- 5
minentem vacationem, ex propositione, quod ipsa senectus morbus est, ad quem effectum ex Datariæ stylo, vel decreto pro regula generali attenditur ætas annorum 62. completorum, ultrà quam hujusmodi resignationes non admittuntur, nisi ex gratia speciali Papæ; Quamvis enim in hac materia ætatis, ex qua pendet regulatio vitæ, seu timor mortis, revera non intret regula generalis, & uniformis, ob disformitatem aeris complexionis, salubritatis, aliarumque circumstantiarum, ut in suis sedibus occasione agendi de læsione in contractibus vitalitiis advertitur; F. Attamen quia magnum esset seminarium litium, magnæque resultarent confusiones ob copiam Officiorum, & frequentiam resignationum, si in singulis casibus hujusmodi considerationes essent examinandæ, idcircò oportuit regulam generalem statuere, eo modo, quo lex civilis in regulanda verisimili duratione, vitæ hominis ejusque taxa fecit, ut locis proximè citatis advertitur, ac etiam Cancellarię stylus induxit uniforme tempus pro regulatione quindenniorum in beneficialibus, atque ad instar idem sequutum est in quindenniis emphyteoticis.

Cessantibus item præfatis causis infirmitati, vel gravis ætatis, videtur quoque, ut citrà injustitiam denegari possit assensus resignationi illorum Officiorum primæ classis, quæ 6
annexam habent qualificatam Prælaturam, ac etiam administrationem justitiæ, aliorumque gravium munerum; Ut enim insinuatur suprà in Cap. 4. in aliis Officis secundæ, & tertiæ classis, non videtur electa industria personæ, neque principaliter contemplata administratio, sed principaliter illa continent merum negotium bursale, & quandam speciem investimenti pecuniæ, tanquam per emptionem, & venditionem futurorum emolumentorum ad vitam sub incerta alea, quæ ad utriusq; contrahentis cõmodum, & incommodum æqualiter se habere potest, undè propterea nil refert, an penès unam, vel alteram personam Officium resideat, quoties non intret dicta ratio fraudis; Quamvis enim pleraque Officia secundæ classis annexum habeãt quoddam exercitium potiùs, quàm administrationem in expeditionibus Cancellariæ, nihilominùs quia de consuetudine istud exercitium explicari potest, & solet per substitutos, in hoc munere peritos, ut infrà Cap. 19. idcircò nil refert an titulus Officii penès unum vel alterum resideat, nullumque dignoscitur inconveniens ob hujusmodi Officiorum venalitatem, ut eodem Cap. 4. advertitur.

Non sic est in Officiis majoribus, & Prælatitiis, præsertim verò in Cameralibus, Auditoris, Thesaurarii, & Clericorum Cameræ, quoniam ut eodem Cap. 4. advertitur, eis principaliter annexa est, non solùm qualificata Prælatura, sed etiam magna administratio justitiæ, aliorumque munerum, ideòque dicitur principaliter electa industria personæ, atque venalitas non consistit in ipso Officio, sibique annexa Prælatura, & administratione, sed solùm accessoriè ob notabilem quãtitatem emolumentorum, aliàs quam ratione administrationis assignatorum, & percipiendorum, undè propterea in susceptione talis Officii præstatur solemne juramentum, & per consequens inter Principem, & Rempublicam ex una, & Officialem ex altera, initus dicitur reciprocus contractus non dissolubilis, nisi de mutuo consensu, ideòque magna dignoscitur differentia inter unam, & alteram Officiorum speciem.

Istaque differentiam comprobata remanet à diverso stylo reservationis decreti, quoniam, ut jam insinuatum est in Cap. 7
antecedenti, in aliis Officiis minoribus, & popularibus secundæ, & tertiæ classis, frequens datur casus, quod unus cum sua pecunia, & providentia acquirat Officium in faciem, vel in persona alterius, etiam ignari, pro sola destinatione periculi vitæ, cum libera reservatione, decreti, quodam jure dominii, undè propterea sine scientia, & consensu titularis disponere potest de Officio, mutando personam, & quando etiam Officium acquiritur ab ipso Officiali, qui ab alio, pro ejus acquisitione creditas accipiat pecunias, cum eadem reservatione decreti, diverso tamen jure, crediti potiùs,

quàm

quàm dominii, adhuc habet jus cogendi debitorem morosum ad vendendum Officium, ut ex pretio satisfiat; Id autem non procedit in his Officiis majoribus, quoniam incongruum foret, ut in arbitrio privatarum personarum repositum esset deponere Prælatum, & Officialem ita qualificatũ, ideoque reservatio decreti in his Officiis operatur, quando est jure dominii, ut pretium, & respectivè emolumenta assignata, utpotè extranea ab administratione, sint reservatarii, & quando est jure crediti, ut habeat jus, & actionem ad eadem emolumenta, in concursu aliorum creditorum non habentium decretum, ac etiam ad pretium, quando Papæ placeat resignationi præstare assensum, non autem, ut Reservatario facultas detur alienandi Officium; Et licet iste casus rarò sit cõtingibilis, quoniam non de facili istæ resignationes fiunt, & quando fieri velint, libenter dari soleat assensus, ut possit Papa alteri benevolo, vel benemerito gratificari, nihilominus quando casus contingeret, atque licentia negaretur, dici non posset, quod fieret injustitia, denegando id, quod solitum, & debitum esset.

Prout quamvis in aliis Officiis minoribus secundæ, & tertiæ classis, in quibus de facto procedit dictum assumptũ,
8 ut sint in commercio, motivum denegationis facultatis resignandi restringatur ad infimam valetudinem, & ad gravem ætatem, non per hoc tamen præcisè, & taxativè ad istas causas arbitrium denegandi restrictum videtur, quoniam ob facti circumstantias verificari quandoque potest justum motivum, justaque causa denegationis; & præsertim justè denegari potest, imò debet admissio resignationis illorum Officiorum, quæ ex Papæ donationibus possideantur titulo lucrativo, cùm imò potius error dicendus veniat id facere, ut in Cap. 9. Et per consequens ex pluribus concluditur falsitas dicti assumpti, quod ipsa Officia sint in commercio.

Falsum quoque censensum est alterum assumptum ita ge-
9 neraliter, & definitè sumptum, ut sit in commercio illorum pretium, ubi adhuc sit in statu intrinseco, tanquam ipsi Officio connexum, & ab eo non separatum, quoniam tunc sine dubio censetur ejusdem naturæ, & qualitatis, qualis est ipsum principale subjectum, istoque casu, retentis eisdem terminis feudalibus, cum quibus materia hæc regulatur, solùm ex quadam juris fictione, vel subtilitate, pretium, quamvis intrinsecum, & connexum, dicitur esse in patrimonio, vel hæreditate allodiali, ac reputatur de bonis indifferentibus, & allodialibus, ad effectum (exempli gratia) ut primogenitus possessor feudi novi teneatur illud conferre cum aliis fratribus, & cohæredibus, vel quod teneatur imputare, sive ut pro eo teneatur ad debita, & onera acquirentis, cum similibus effectibus in propria Feudali sede recensitis, &. non autem ad effectum libertatis commercii, nisi postquam pretium ex privato, & voluntario facto separatum fuerit ab ipsa substantia per istius alienationem, quo-
10 niam tunc procedit assumptum, quod pretium feudi non est feudale, dummodo talis separatio, ut dictum est, sequatur ex facto privato, & voluntario, secus autem si ex facto necessario, cum auctoritate Judicis, ad instantiam jus habentis super ipso feudo, vel respectivè Officio, aliavè re in commercio non existente, cùm tunc intret subrogatio pretii loco rei, ejusdemque juris, & naturæ censeatur, ut in suis sedibus advertitur. H.

Quare cum ea, quæ de prohibita resignatione, vel alienatione sine assensu dicta sunt, sine dubio, eisdem retentis terminis feudalibus, procedant in hypotheca, ut habetur infrà in Cap. 10. agendo de concursu creditorum, si in vim reservationis decreti ad instantiam creditorum, qui illud habeant, fiat venditio Officii, utique in pretio exindè retrahendo, potiores erunt creditores habentes assensum, seu reservationem decreti, aliis qui carent, quoniam pretium, tanquam subrogatum loco rei, ejusdem censetur naturæ; Ergo, exceptis superiùs insinuatis effectibus, neque istud assumptum subsistit, ut pretium sit in libero commercio, ad instar bonorum indifferentium, & allodialium, cùm id procedat, quando non intrat subrogatio pretii loco rei, secus autem ista subrogatione intrante.

In quodam autem libero commercio, sed improprio, esse dicuntur ista Officia, eodem modo, quo sunt etiam bo-
11 na feudalia, & Emphytheutica alienari, vel hypothecari prohibita, aliaque bona, vel jura consimilem prohitionem habentia, atque quoad substantiam in commercio non existentia, ut præsertim pro frequenti Curiæ praxi sunt pensiones Ecclesiasticæ, in illorum scilicet commoditate, quæ nullum jus in re, vel ad rem tribuit, atque nullatenus Officii substantiam tangit, sed importat nudum factum perceptionis ipsorum fructuum, & emolumentorum, tanquam ab ipsa substantia, vel causa productiva separatorum, adeout istius commoditatis cessio, vel alienatio aliud non importet, nisi mandatum irrevocabile in rem propriam, quod cedens cessionario tribuit ad possidendam, & administrandam ipsam rem nomine, & vice cedentis, ac percipiendum fructus, quos perceptos sibi applicat, suosque facit, unde propterea Officii substantia, & titulus adhuc perseverare dicuntur, ut prius, in persona cedentis, atque si iste Officium cum assensu Papæ alteri vendat, vel resignet, sive obliget, iste erit potior, & primum cessionarium excludet, cui solum competet actio contra personam cedentis, ejusque bona ad damna, & interesse, ut in suis sedibus Feudali, Emphytheutica, & Pensionaria advertitur; 12
I. Et licet respectum bonorum emphyteuticorum hæreditariam qualitatem habentium, Rota Romana se involuisse videatur opinando, quòd ob hypothecam contractam super commoditate, competere valeat creditori, vel cessionario actio realis, vel personalis in rem scripta, sive interdictum possessorium, etiam contra tertium possessorem, qui rem obtinuit in substantia, & proprietate cum titulo legitimè translativo dominii, ob domini assensum; L. Attamen quidquid sit de veritate hujus assumpti (quod tamen nunquam placuit, nec placet) fortè ob hæreditariam qualitatem, ob quam talia bona liberis, & allodialibus quodammodò exæquata videntur, adeout in sensu ejusdem Tribunalis, & illorum, qui in ejus auctoritatem jurant, alienandi prohibitio adjecta solùm videatur pro interesse Domini; Certum est, quod adinstar feudorum, quinimò magis, in istis Officiis id nullatenus procedit, sed eo ipso, quod cum auctoritate, & assensu Papæ, juxtà stylum, facta est resignatio Officii in alterum, vel ejus obligatio cum reservatione decreti, resignatarius redditur tutus, nullumque jus cessionario commoditatis, vel creditori habenti illam obligatam remanet, eodem modo, quo practicatur in locis Montium, & in pensionibus Ecclesiasticis, & similibus, ut locis mox citatis advertitur.

a *De regal. disc. 2. num. 8. disc. 4. num. 4. & in aliis pluries eod. tit. & tit. de feud. disc. 78. num. 16.*
b *Eisdem locis mox citatis.*
c *Disc. 4. 10. 11. & seq. & 41. de Regal. disc. 76. de feud. & frequenter in utroque titulo de feud. & de Regal. & in tract. de locis Montium cap. 2.*
d *disc. 6. de Regal. & in annot. ad eumdem disc.*
e *De Regal. d. disc. 6. & in eius annotat.*
f *De Regal. disc. 30. de donat. disc. 54. & alibi.*
g *lib. 1. de feud. disc. 12. & 19. & seq.*
h *lib. 4. de emphyteusi disc. 36. & 58. & in annot. lib. 1. de feud. disc. 42. 78. & 98. lib. 2. de Regal. disc. 4. lib. 6. de dote disc. 83. lib. 8. de credito disc. 35. & 50. & alibi.*
i *Supra litera H.*
l *d. disc. 58. de emphyt. & in eius annot.*

De eadem materia resignationis Officiorum, quale jus tribuat Resignatario, ubi ex sola partium conventione, ante illam admissam, concluſa sit, & cujusnam sit damnum, vel periculum, quod interim contingat. Et an post illam admissam Resignatarius reddatur tutus, quamvis ob mandatum falsum, vel insufficiens, aut ob invalidum factum judicis resignatio sequuta sit.

SUMMARIUM.

1 *De inspectionibus, quæ cadunt in themate.*
2 *Quod quæstio principalis sit voluntatis, nam conventio resignationis sit perfecta, vel potius importet tractatum de resignando.*
3 *An in contractibus perfectis inter partes, qui tamen expectant perfectionem à facto tertii, detur pœnitentia.*
4 *De pœnitentia in beneficiis, & in matrimonio.*
5 *Quod conventio perfecta inter partes, licet imperfecta respectu tertii, obliget ad interesse.*
6 *Quomodo regulanda est voluntas, si est perfecta, vel imperfecta.*

7 *De differentia inter loca Montium, & Officia vacabilia ad hunc effectum.*
8 *Quid importet actum resignationis Officii esse perfectum, vel imperfectum.*
9 *An, & quando emptor Officii reddatur tutus, & de differentia inter Officia, & loca Montium.*
10 *Bonum publicum prævalere debet privato.*
11 *De resignationibus beneficiorum Ecclesiasticorum.*
12 *De alienatione bonorũ feudalium, vel emphyteuticorum.*

CAP. VIII.

1 DUæ itaque inspectiones cadunt sub hoc argumento, quarum prima est super efficacia, vel operatione conventæ, & conclusæ resignationis, absque beneplacito Apostolico, & altera super securitate Resignatarii, qui cum Apostolica auctoritate Officium obtinuit.

Prima inspectio dividitur in duas partes, quarum prima est, quale jus, vel qualem actionem producat resignatio inter partes conclusa, quamvis adhuc non fuerit admissa, & 2 altera, si post conventionem, ante admissionem aliquis casus superveniat, ob quem Officii pretium diminutionem patiatur, cujus damno, & periculo iste casus cedere debeat, an resignantis, vel Resignatarii; Utriusq; autem quæstionis decisio pendere videtur à circumstantiis facti, cujus potius, quàm juris ista videtur esse quæstio, an scilicet sufficienter constet de venditione benè, & perfectè concluſa, ex ea dubitandi ratione in hoc præciso casu, A. in quo licet ageretur de locis Montium, attamen adamussim eædem intrant rationes, quando non adsunt circumstantiæ, ob quas potest resignatio non admitti, juxtà insinuata Cap. præcedenti, quod scilicet pro frequentiori usu, & contingentia, ratione subjectæ materiæ, istæ conventiones continere solent potius quemdam tractatum præparatorium illius actus, qui ex intentione partium perfectionem recipere debet ab admissione facienda per Papam, & ante cujus implementum, quælibet partium credit esse in libertate, adeout voluntas sit in via, non autem in termino, juxtà ea, quæ habentur in eadem Regalium sede, B. occasione agendi de locis Montiũ.

Ubi verò ex facti qualitate, & circumstantiis constet de 3 perfecta conventione inter partes, adeout quoad eas voluntas dicatur jam in termino, quamvis ex natura, & qualitate rei actus expectet omnimodam perfectionem à facto tertii; Et tunc licet involuta sit quæstio, an ista imperfectio præbeat contrahentibus, vel eorum uni liberam potestatem pœnitendi; C. Nihilominùs, exceptis spiritualibus, ut 4 exempli gratia, sunt resignationes beneficiorum, quæ donec admittantur per Papam, sunt ad libitum revocabiles, ut in sua Beneficiali sede habetur, D. ac etiam est mandatum ad contrahendum matrimonium, ut pariter habetur in sua sede Matrimoniali, cum similibus; E. In profanis tamen verius videtur, ut quoad ipsas partes hæc libera pœnitendi facultas in una ipsarum, altera invita non detur, ideoque ubi etiam exercibilis non esset præcisa coactio ad ipsum factum, attamen intraret actio ad quanti interest, ut latiùs in materia Donationum, F. & alibi insinuatur, ubi quis ex copia auctoritatum cum enarratione diversitatis opinionum poterit sibi satisfacere, & per consequens quodcumque accidens intermedium, quod interveniat, tam ad lucrum, quàm ad damnum, erit emptoris, vel resignatarii, tam ex regula, quæ habetur in contractu emptionis, & venditionis (ut exceptis iis, quæ consistunt in pondere, numero, & 5 mensura, in reliquis perfectio contractus quoad partes regulet periculum,) quàm etiam ex obligatione ad damna, & interesse, quæ operatur idem; G. Quamvis enim id non procedat in feudis Regni Neapolitani, in quibus ob strictam alienandi prohibitionem, resultantem ab ejus particulari constitutione, quæ latius patet, quàm prohibitio juris feudalis, certa sit ista libera facultas pœnitendi, absque aliqua refectione damnorum, & interesse, ut in eadem Feudali sede advertitur; attamen id provenit ex ibi recepto stylo, quo cessante, in terminis juris communis contrarium verius videtur.

Quare, ut præmissum est, facti potius, quàm juris est quæstio, an ista perfectio adsit necne, atque super hujus 6 quæstionis regulatione nimium faciunt ea, quæ in suis sedibus considerantur in altera quæstione, an scriptura conventa super contractu inito requiratur ad perfectionem, quam interim impediat, vel potius perfectione inter contrahentes non impedita, desiderata censeatur ad solam probationem; H, atque in ista facti, & voluntatis quæstione, aliqua notabili dignosci videtur differentia inter loca Montium perpetua, & non vacabilia, de quibus in superius citatis locis 7 agitur, & hæc Officia; siquidem in locis Montium, in quibus nil interest illa descripta esse in una, vel in altera persona, atque translatio de una in alteram modicam importat expensam, nullatenus considerabilem comparatione periculi, de quo infrà, tunc frequens, & communis usus est, quod intentio acquirentis non sit perficere actum nisi in instanti admissionis factæ per superiorem, & per quam extincto priori jure residente in resignante, efformetur novum jus ex integro in ipso resignatario; qui propterea securitatem acquirit à quibuscumque hypothecis, & vinculis, quibus penès resignantem obnoxia erant, istaque securitas, & libertas est magnum incitamentum ad hanc speciem investimenti, ut latius in tractatu *de locis Montium cap.* 2. unde propterea stultitiæ species censenda esset illius, qui emendo loca Montium cum contractu jam perfecto, illa relinquere velit sub nomine, & in faciem venditoris, dum ita donec per appositionem manuum Superioris præfatus effectus resultat, non obtinetur dicta securitas, & libertas, sed subjacet hypothecis, aliisque vinculis, & oneribus, quibus venditor ea suppositit. Non sic est in his Officiis, tum quia, ut dictum est suprà, consuetudo est, ut empta per unam personam ad ejus omnimodum commodum, & incommodum, describantur sub diversa persona magis juvene, vel magis valida, & robusta pro magis verisimili evitatione periculi vacationis, unde propterea emptor sciens, & volens, studiosè ad hunc effectum negligat translationem in ejus personam; tum etiam, & pro frequentioti contingentia, quia in hac translatione magnam facere oportet impensam expeditionis pro componenda solui solita Datariæ, aliisque emolumentis, ac propterea frequenter permittitur continuatio tituli in persona venditoris ad totale commodum, & incommodum emptoris, juxtà casum in eadem Regalium sede recensitum; I. ideoque verisimilitudo magis assistit, ob quam probatio perfectionis facilius inducitur.

Et quamvis conventio, quoad substantiam, adhuc im- 8 perfecta remaneat, ideoque habeatur magis pro tractatu, sive pro promissione de vendendo, quàm pro perfecta venditione, in qua proindè commoditas potius, quàm substantia cadit, nihilominus, ut advertitur superius citato loco, in quo de hoc puncto agitur, id percutit jus, & interesse tertii, ipsius scilicet Papæ, ejusque Datariæ pro regulatione vacationis, quæ ex persona venditoris sequi debet, dum illum Dataria descriptum adhuc habet in ejus liberis, illumque in suum Officialem agnoscit, vel alterius, cui idem venditor validè, & perfectè, cum assensu Pontificio, Officium posteà resignaret, sive etiam obligaret cum sæpius enunciata reservatione decreti, quoniam istorum respectu, actus habetur pro imperfecto, & infectus, secùs autem quoad ipsos contrahentes, pro eo, quod cujuslibet ipsorum interest, atque ita ista duo contraria, perfectionis scilicet, & imperfectionis in eodem actu, rectè conciliabilia remanent.

Quo verò ad alteram inspectionem, an scilicet illa se- 9 curitas, quam in locis Montium, cessante fraude, & mala fide, obtinet emptor, quamvis actus resignationis de jure inualidus reputari mereatur, vel ob nullitatem judicii, in quo ipsa loca subhastata fuerint, juxtà casus in propria locorum Montium sede deductos, L. procedat quoque in istis Officiis, adeout intrent eadem, quæ mox citato loco, pro securitate emptoris, firmantur; Atque licet libertas, & securitas novi successoris proveniat à pluries insinuata ratione, quæ ita congruit locis Montium, ac Officiis; Attamen in istis probabilius contrarium dicendum videtur, ob rationem differentiæ, quæ inter unam, & alteram jurium speciem dignoscitur; Siquidem ubi absit omnis suspicio fraudis, & malæ fidei, adeout actus requisitionis locorum Montium sequatur pro pretio currenti, & juxta communem usũ, tunc emptor ignorat venditorem, ejusque fidem non sequiquitur, sed sequitur principaliter fidem publicam Officialis, per Papam ad id deputati, quia nempe, mediante opera publicorum proxenetarum, fieri solent ordines directi alicui Banco pro solutione pretii illi, qui docebit per fidem dicti Officialis liberè resignasse ad ejus favorem tot loca Montium, non exprimendo, imò, pro frequentiori contingentia, ignorando venditorem, seu resignantem, ideoque sibi imputari non potest, nec debet cur non benè investigaverit facultates, vel respectivè jus, & titulum illius, cum quo con-

contraxit, atque aliàs eſſet involvere hanc negotiationem, cujus anima conſiſtit in dicta libertate, & ſecuritate, & ſine qua magnum Reipublicæ, & publico commercio reſultaret præjudicium; Undè propterea licet magnum quidem ſit inconveniens, magnaque exorbitantia, quæ exindè ſequi poſſunt, & quandoque ſolent, ut quis, præſertim abſens, reperiatur ignorans ſpoliatus ejus bonis, juxtà caſus, loco mox citato, recenſitos, nihilominùs quia longè majus eſt inconveniens, quod aliàs ob impedimentum dicti liberi commercii, tam Principi, quam toti Reipublicæ reſultaret, 10 oportet, ut privatum præjudicium, rarum, & incertum, cedat locum alteri publico, certo, & generali præjudicio, quod aliàs reſultaret, undè propterea verificatur ſæpiùs alibi enunciata ſententia apud Tacitum, *quod omne maximum exemplum habet aliquid ex iniquo, quod erga ſingulos publica utilitate rependitur*. Potiſſimè quia in caſu, de quo in Regalium ſede diſc. 163. agitur, hæres, qui locis Montium ſpoliatus fuerat ex invalido proceſſu facto contra defunctũ, in culpa, & delicto conſtitutus dici poterat, dum ad fraudandas expeditiones translationis locorum Montium in ejus perſonam curaverat, quod cùm poſitiva falſitate fingeretur vivus ille, qui jam per plures annos obierat, quodque procurator ab eo conſtitutus continuaret in exactione fructuum. Prout aliis accidentibus, quæ ſequi ſolent, poſſet cum aliquibus diligentiis occurri. Ut eodem Cap. 2. de locis Montium.

Non ſic eſt in emptionibus Officiorum, quæ non fiunt directè, & immediatè à Papa, ejuſque Dataria, ſed fiunt per viam reſignationis ab aliis poſſeſſoribus; Licet enim ex juris fictione dicatur, quod emptor acquirat, ſuumque jus metiatur à Papa; Nihilominùs de facto, & attenta naturali veritate contrahit cum illo Officiali, cum quo concordat de pretio, & de modo ſolvendi, ejuſque fidem ſequitur, ideoque rectè ſibi obiici poteſt, cur neſcierit cautius negotiari, & quare non benè inquiſierit qualitatem tituli, vel reſpectivè legitimam facultatem ejus, cum quo contraxit, vel ſibi non conſuluerit de ſecuritate pretii, ad quod regreſſum habere poſſet, ut practicari ſolet, quando bona emuntur judiciali auctoritate, vel quando non fit contractus cum Principali, ſeu Procuratore, ſuper cujus mandati veritate, ſeu validitate dari poteſt caſus dubitandi, dum Officialium Datariæ partes ſunt inquirendi de juribus, & cautelis Cameræ, ne per reſignationem fiat illi præjudicium, quia nempe agatur de infirmo, vel de ſene, juxtà illas diligentias, quæ enarrantur in pluries relata Regalium ſede; M. De reliquis autem ad ipſum non pertinet inſpicere, ſed ſe remittit conventioni partium, ut etiam habetur infra Cap. 17. occaſione agendi de reſtitutione pretii in caſu ſuppreſſionis Officii in illo pluri, quòd reſignanti ſolutum fuit, à Camera non acceptum, & alibi; E converſo autem ad Officialem locorum Montium pertinet ſub proprio periculo inquirere de omnibus inquirendis, dum ut ſupra, ejus non autem venditoris, emptores fidem ſequuntur.

Comprobantur hæc ab iis, quæ habentur in reſignatio- 11 nibus beneficiorum Eccleſiaſticorum, quarum terminis in hac materia, paſſim, & promiſcuè DD. utuntur, quoniam licet reſignatarius non metiatur ejus jus à reſignante, ſed directè, & immediatè à Papa, quem ſolum in auctorem agnoſcit, cum pluries enunciata legis fictione ſuper extinctione prioris tituli reſignantis, qui ſuo juri extinctivè, non autem translativè cedere dicitur, faciendo ſe mortuum, & aperiendo locum vacationi beneficii, quod tanquam vacans per Papam confertur reſignatario, nihilominus ſi reſignatio invalida ſit, puta facta cum illegitimo, vel falſo mandato, aut verò, ſed re integra, & antè admiſſionem revocato, ut fieri poſſe receptum eſt, vel quia reſignans inductus fuerit per vim, & metum, vel dolum, aut quod tanquam promotus ad ordines ad illius titulum, facere non potuerit illam reſignationem, quæ propterea nulla, & invalida ſit, ut pluries in ſua beneficiali ſede habetur, non per hoc reſignatarius remanebit tutus. Idemque in emptore bonorum feudalium, ſive emphyteuticorum, ob ſtrictam alienandi prohibitionem, in commercio non exiſtentium ſine domini aſſenſu, qui animat, & perficiat actum, undè propterea intrat eadem fictio extinctionis antiqui juris, & tituli in venditore, & efformationis novi juris, & tituli in emptore, tanquam per ſpeciem novæ inveſtituræ, cujus vim aſſenſus habere dicitur, unde propterea novus feudatarius, vel emphyteuta in puncto juris eandem acquirit libertatem, & ſecuritatem adversùs eos, qui cum domini aſſenſu, & auctoritate affectam non habent ipſius rei ſubſtantiam, ſed non per hoc talem obtinet ſecuritatem adverſus invaliditatem ipſius actus venditionis, vel ceſſionis, cum ſimilibus, quibus eadem congruat ratio.

a *Tit. de Regal. diſc. 41. & diſc. 183.*
b *Eodem tit. de Regal. d. diſc. 41.*
c *De hoc latè diſc. 61. de donat.*
d *lib. 12. de benef. diſc. 38.*
e *lib. 14. in annot. ad Concil. diſc. 26. num. 29.*
f *dicto diſc. 61. de donation. lib. 7. ubi concordant.*
g *lib. 2. de Regal. d. diſc. 41. & diſc. 183. ubi in ſpecie de conventione ſuper Officio, ſeu ſuper locis Montium.*
h *lib. 6. de alienat. & contract. prohibit. diſc. 44.*
i *De Regal. diſc. 16.*
l *De locis Montium cap. 2.*
m *Diſc. 15. de Regalibus.*

De Reſignatione, ſive de extenſione, & prorogatione Officii de una perſona in aliam, in quo differant, & an expediat practicare ſtylum admittendi paſſim reſignationes abſque aliquo pretio; & quando juſtè aſſenſus reſignationi denegari valeat. Et de Coadjutoria, ac etiam de Officiis hæreditariis, vel tranſmiſſibilibus.

SVMMARIVM.

1 *IN Officiis Cancellariæ, vel Cameræ non eſt in uſu prorogatio, ſed proceditur per viam reſignationis.*
2 *Neque practicari ſolet Coadiutoria, & de caſu, in quo practicata fuit.*
3 *Coadiutor fovet cauſam lucrativam.*
4 *De extenſione practicari ſolita in Officiis Capitulinis.*
5 *Quæ ſit vera ratio, ob quam prohibita eſt conceſſio abuſiva, ſive expectativa.*
6 *Vbi ſit in uſu extenſio, vel prorogatio, & quomodo.*
7 *Quod ſit melior iſte ſtylus, quàm ille Curiæ admittendi reſignationes, & de ratione.*
8 *Pretium Officiorum non vacabilium eſt duplicatum.*
9 *An reſignationes, vel translationes dicendæ ſint odioſæ, & præiudiciales.*
10 *De ratione ſtyli admittendi reſignationes.*
11 *De differentia inter Officia, & Cenſus vitalitius.*
12 *De Officiis perpetuis, & non vacabilibus.*
13 *An pro iſtis debita ſint quindennia.*
14 *An ſuper Officiis imponi poſſint cenſus.*
15 *Quando Officium dicatur perpetuum, & hæreditarium.*
16 *De facultate nominandi.*
17 *An dominium Officiorum non vacabilium acquiratur Officiali, vel quid acquiratur.*
18 *Quamvis ſint perpetua non ſunt in libero commercio.*
19 *Quando iuſtè denegetur aſſenſus reſignationum Officiorum vacabilium.*
20 *De denegatione facienda donatariis, & de differentia inter iſtos, & emptores.*

CAP. IX.

IN Officiis concedi ſolitis per Papam, ſive ſint Datariæ, & 1
Cancellariæ, ſive ſint Cameræ, penè inutilis videtur inſpectio extenſionis, vel prorogationis, quoniam attento frequentiori ſtylo, qui capiendus eſt pro regula (ab aliqua rara, & inſolita limitatione non immuni) non ſolet id practicari, ſed proceditur per viam reſignationis, quando perſonæ mutatio facienda eſt, ut in præcedentibus jam dictum eſt, minuſque in his Officiis venalibus practicari ſolet illa coadjutoria cum futura ſucceſſione, quæ practicatur in dignitatibus, & beneficiis Eccleſiaſticis, & de qua frequenter agitur in ſede Beneficiali, ac etiam in altera de Ca- 2
nonicis; & Dignitatibus, & de Regalibus, & alibi; Sive in Curia practicatur in Advocatis Conciſtorialibus, ex inſinuatis in Relatione Curiæ, cum ſimilibus, cùm in hac ſpecie Officiorum venalium id practicari non ſoleat, vel nimium rarò, ut occaſione initio enunciatæ controverſiæ, quæ iſtam produxit tractationem, fortè ſingulariter hucuſque ſum expertus in illa coadjutoria, quã de anno 1607. Paulus V. gratioſè

tiosè concessit olim Bartholomæo Ruspulo, ditissimo Marchioni, in Officio Secretariatus Apostolici, quod à multis annis N. Ruspulus ejus patruus pro exiguo pretio scutorum circiter septem millium emerat, adeout ita penè per centum annos istud Officium, pro modico pretio emptum, & cum magnis emolumentis notabiliter excretis ad annua scuta 1800. circiter, ita possessum fuerit, & ex quo præsertim inserebam ad magnam Cameræ læsionem, ac propterea in quæstione restitutionis pretii post sequutam Collegii suppressionem, istum Officialem recensendum credidi inter donatarios, ac foventes causam merè lucrativam, ideoque nihil ei restituendum esse, quoniam licent coadjutus obtineret Officium ex titulo emptionis, & ex causa onerosa, pro pretio tunc temporis currente, quod sufficit ad excludenda læsionem, quoties tractu temporis tale non superveniret augmentum, quod iniquitatem, & magnam injustitiam redoleret; attamen quoad ipsum Coadiutorem sine dubio fovere dicebatur causam merè lucrativam, dum per mortem Coadiuti Officium, juxta ejus regularem naturam, vacavit, ipse verò denuo obtinuit, tanquam per novam provisionem gratis, & absque aliquo pretio ita præventivè sibi factam, cùm id propriè importet illa futura successio, quæ Coadjutori conceditur, & sic in substantia fuit Officii extensio, vel prorogatio ad aliam personam, post cessatam primam, sub coadjutoriæ vocabulo explicata; Extensio autem, sive prorogatio practicari solebat in Officiis Capitolinis, seu Populi Romani per Conservatores pro tempore, juxta casus pluries recensitos, & in Regalium sede peractos A. qui occasionem dederunt disputandi de potestate Conservatorum, aliorumque Magistratuum, supremo Principi inferiorum, illas faciendi, cùm ita sit supplantare successores, atque conferre suam jurisdictionem, & potestatem in tempus inhabile, & post illam cessatam, ita concedendo conductori, vel usufructuario præventivè fructus maturandos post finitum usumfructum, vel terminatam locationem, & de tempore alterius conductoris vel usufructuarii, istaque est vera ratio, non autem altera considerari solita super voto captandæ mortis, quam cessare prætenditur, quando dispositio fit ad favorem filii possessoris, vel alias de istius consensu, quoniam ex duplici ratione istæ abusivæ, vel extensivæ concessiones factæ per inferiores Principe supremo, qui legibus dispensare potest, invalidæ reputantur, una scilicet ratione præjudicii possessoris, & altera ratione præjudicii, & supplantationis successorum in Magistratu, ideoque ob dictas circumstantias cessat prima ratio major, non autem altera majore, ut in suis sedibus advertitur, ubi commodè videri possunt concordantes auctoritates, ut in omnibus aliis conclusionibus sequi potest. B.

In Regno Neapolitano, forteque in omnibus Regnis, & Dominiis Regis Catholici, in usu est, & practicari solet magis iste modus extensionis, vel prorogationis à vita unius ad illam alterius successivè, aut quando possessor non habeat filium, aliamvè conjunctum, quem juxta naturæ votum, cupiat suum successorem, concedi solet facultas nominandi successorem, idque pro frequentiori praxi ex eadem causa onerosa, & cum venalitate, solvendo Regi, ejusque Cameræ pretium, non quidem illud integrum, quod solvi solet, quando conceditur tanquam jam vacans, sed pro medietate, sive alia majori, vel minori quota, regulari solita ab ætate possessoris, & illius, ad quem fit extensio, juxta legalem taxam, vel æstimationem futuræ incertæ vitæ; Et rationabiliter quidem cum vendatur incertus eventus, qui potest non sequi ob præmorientiam ejus, ad quem fit extensio. Isteque stylus videtur pro meo sensu longè melior, quàm sit ille Romanæ Curiæ admittendi generaliter, & indefinitè, ad instantiam cujuscumque petentis, præsertim in Officiis popularibus secundæ, & tertiæ classis, quin imò etiam in Prælatitiis primæ classis gratuitas resignationes, quoties non obstent jam insinuata impedimenta infirmæ valetudinis, vel gravis ætatis, absque alia solutione, quam quorumdam emolumentorum modicæ considerationis comparativè, quæ, sub nomine componendæ, explicantur, in summa ducatorum centum Cameræ, vel in aliquibus inferioribus juxta Officiorum qualitatem; ita etiã sequitur magnum inconveniens, quod scilicet credit Camera facere contractum vitalitium, undè propterea majores solvit fructus, quàm sint illi contractus perpetui, quos eadem Camera facit in locis Montium non vacabilium, & tamen quodammodo ita iste contractus efficitur perpetuus, dum loco unius vitæ, mediantibus resignationibus, quæ fiunt à personis maturis, & in imminentia illius ætatis, in qua posteà non admittuntur ad favorem aliorum adolescentium, vel puerorum, aut alias juniorum, Officium protrahitur ad multas personas ab una ad alteram successivè, adeout occasione sæpiùs enunciatæ suppressionis Collegii Secretariorum expertus fuerim, quod aliqua Officia ita de uno in alterum continuaverint spatio annorum centum, & decem, & ultra, atque ad tantundem fortè continuassent, nisi superveniisset suppressio, undè clara videtur exinde resultare læsio, solvendo fructus majores, intuitu celeris vacationis, per terminationem unius vitæ, speratam, cùm tamen ita alienatio remaneat quodammodo perpetua, & quę habet pretium duplicatum, ut comprobatur ab iis, quæ pariter expertus sum, occasione dictæ suppressionis Collegii Secretariorum, quoniam cùm sub temporibus Pii IV. & Pii V. consuetum pretium istorum Officiorum esset in scutis 5500. illud Officium, quod auctoritate Pii IV. alienatum fuit in Capitulum S. Eustachii, & per consequens non vacaturum, urpotè penes manum mortuam, æstimatum fuit in scutis 11. mill. ut infra Cap. 16.

Et quamvis aliqui ambulantes cum illa simplicitate, cum qua nostri seniores ambulaverunt in translationibus pensionum, quamvis à senioribus in juniores fierent, vel ab infirmis in validos, credant hujusmodi resignationes, translationum ad instar, censendas non esse læsivas, & præjudiciales ob possibilem deficientiam translatarii, vel resignatarii, quamvis junioris, aut validioris ante transferentem, vel resignantem, ex adagio, quo insipidè uti solent, quod quandoque prius moritur agnus, quàm ovis; Nihilominus id continere videtur unam ex leguleici ineptiis, & frigiditatibus, qualem in materia translationis pensionum benè agnovit, & declaravit Constitutio Urbani VIII. de qua pluries agitur in sua Pensionum sede, quoniam actus regulandi sunt à consueto, & regulari naturæ cursu, & à frequentiori contingentia, non autem à raro contingentibus; Regularis autem consuetus cursus est ille conservandi per longum tempus, jure quodam successorio, bona, vel jura in eodem statu, & impediendi vacationem, seu devolutionem, cum hujusmodi mutationibus personarum, eo modo, quo vineæ, oliveta, & aboreta conservantur, subrogando novas plantas loco veterum, quarum deficientia immineat, sive conservando ovile, vel armentum cum eadem subrogatione juniorum capitum in locum antiquorum, quorum defectus verisimiliter proximus prævidetur, cum similibus.

Agnoscunt periti negotiatores istud inconveniens, urpotè nimis clarum, ac manibus palpabile, attenta, ut præmissum est, frequentiori contingentia; dicunt autem id pro commercio opportunum reputari, dum negotiatores sub hac spe, quodammodo certa, resignandi, vel transferendi, atque ita de soluto pretio frequenter cum aliquo augmento se reintegrandi, alliciuntur ad hoc investimentum, pro aliquo majori pretio, quod alias non solverent, undè propterea ista facultas resignandi dicitur pars pretii, quoniam sine tali facultate, vel non emerent, vel multò minus ut etiam advertitur infra cap. 17. atque præfatum Cameræ incommodum, & præjudicium ab isto commodo compensatum remanet, idque clarè comprobari dicunt à praxi, quoniam in censibus vitalitii, aliisq; venditionibus ad vitam absque ista resignandi, vel prorogandi, seu mutandi facultate, fructus ad majorem summam esse solent, juxta majorem, vel minorem ætatem emptoris, vel alterius, sub cujus vitæ periculo fit acquisitio, quàm sint fructus hujusmodi Officiorum, ideoque istud lucrum compensat dictum damnum, quinimò neque negotiatores ad hanc speciem investimenti vitalitii applicare solent, sed potiùs pro industria accipiunt ab aliis pecunias ad censum vitalitium, quia re vera ita exigunt regulæ œconomiæ, & negotiationis, istaque ratio facilitatis commercii est illa, quæ unicè salvat hunc stylum.

Quando autem contingit, quod Officia regulariter, & de eorum natura vacabilia, & personalia, quamvis in eorum concessione diceretur illam fieri in perpetuum (quoniam nisi alia accedant, intelligitur de illa perpetuitate, quæ consideratur in vita hominis, & juxta ea, quæ Institutistæ advertunt in definitione Justitiæ, ut sit constans, & perpetua voluntas) revera sint perpetua, quia nempè concessa sint alicui manui mortuæ, ut exempli gratia sequebatur in sæpiùs enunciato jam suppresso Collegio Secretariorum Apostolicorum, quod ex 24. Officiis, tria erant penes tria pia loca, unum nempè penes Capitulum Sancti Eustachii, alterum penes Hospitale Salvatoris ad Sancta

San-

Sanctorum, & alterum penès Hospitale Sancti Spiritus in Saxia, ac etiam contingere solet in aliquibus aliis Officiis,
12 quæ non sunt Datariæ, & Cancellariæ, minusque Cameræ Papalis, sed potiùs Civitatis, ut sunt ut supra pleraque Officia Capitolina, ac etiam quædam Officia per Papam concedi solita pro hæredibus, & successoribus, vel ad certas generationes custodiæ portarum Urbis, C. cum similibus, & super quo certa regula statui non potest, utpote in quæstione facti potiùs, quàm juris, decidenda ex singularum concessionum tenore, & verbis, ut locis mox citatis advertitur. Tunc aliquas mihi occasio dedit desuper disputare
13 quæstiones, & præsertim, an hujusmodi manus mortuæ, vel alii, qui loco manuum mortuarum, impedita vacatione, hæc Officia in perpetuum obtinent, teneantur loco emolumentorum Datariæ, & Cancellariæ solvendorum, pro expeditionibus faciendis in singulis vacationibus, & novis provisionibus, solvere quindennia, eo modo, quo illa solvuntur per manus mortuas, quibus unita fuerint beneficia, aut applicata fuerint bona emphyteutica, cum similibus; Atque in illis Officiis, de quibus agitur infra cap. 16. probabilior visa est pars negativa, quàm sine expressa decisione terminavit casus dictæ suppressionis, unde propterea defecit occasio disputandi; Quando tamen in aliis similibus casibus eadem suscitaretur dubitatio videri poterunt, quæ in ejus consueta Regalium Sede in dicto casu considerata fuerunt. D.

Prout etiam disputatum fuit, an super hujusmodi perpetuis Officiis imponi possent (tanquam habentibus speciem
14 fundi certi, & fructiferi) census ad formam Pianæ Constitutionis, & quatenus possent, an census resolverentur, vel suspenderentur, ubi Officii exercitium, & consuetorum emolumentorum perceptio aliquod accidentale reciperet impedimentum, ut casus dedit disputare in censu imposito super uno ex enunciatis Officiis Custodis cujusdam Portæ Urbis, quæ occasione pestis, de Superiorum mandato, clausa fuit, & per consequens cessavit perceptio consuetorum emolumentorum, in quibus fundi censiti fructus consistebant, ut habetur in sua Censuali sede. E.

Major autem controversia esse solet super ista perpetua qualitate firmanda, quando concessio pro hæredibus con-
15 cepta sit, quomodo scilicet intelligenda veniant, an pro hæredibus sanguinis tantùm, vel etiam pro quibuscumque, etiam extraneis, atque facti potiùs, & voluntatis videtur esse quæstio, certam proindè, ac generalem non recipiens regulam, sed ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis decidenda; Pro exclusione autem restrictionis ad illos sanguinis, & comprehensione omnium hæredum rei familiaris, quamvis extraneorum, videtur esse magis communis sensus, adhuc tamen stylo, & observantiæ deferendum est, ut occasione casus particularis agitur; F. Conferunt autem ea, quæ super hoc puncto in feudali, & in emphyteutica materia habentur. Prout posita restrictione ad illos sanguinis, in utraque ista materia habetur actum id, quod huic quoque materiæ congruit, an scilicet utraque requiratur hæreditaria qualitas, sanguinis, & rei familiaris, vel sufficiat solum altera, & an successor teneatur ad onera prædecessoris, cum distinctione inter primum acquirentem, & alios, ac etiam respectu primi acquirentis, an causa sit onerosa, vel lucrativa, cum similibus in dictis sedibus.

In casu item facultatis nominandi, quæ primo concessionario, vel ultimo deficiente de genere vocato, concessa sit,
16 quomodo regulanda veniat, ubi fiat, & quid, ubi omittatur, & à quo nominatus recognoscere dicatur officium, cùm occasio non dederit id particulariter disputare, & meritò, quoniam in officiis Datariæ, Cancellariæ, & Cameræ Apostolicæ de quibus agitur, non de facili datur iste casus, idcircò ubi ille occurrat, poterit recursus haberi ad ea, quæ in hoc puncto nominationis ad fideicommissum, vel ad emphyteusim, habentur in Theatro in materia emphyteutica, & fideicommissaria, ac etiam in his terminis tractant pluries allegati moderni, G qui etiam examinant quæstionem, an hæc officia perpetua, & non vacabi-
17 lia acquirantur Officiali in dominio, vel potius in ea exercendi, sibique applicandi emolumenta facultate, quę solùm in Officiis vacabilibus concedi dicitur; Atque relatis utriusque sententiæ sequacibus, hinc posteriori adhærent, ut dominium non avellatur à Principe, penes quem adhuc perseveret, atque de consequenti, relatis pariter diversæ sententiæ Auctoribus, concludunt, ut etiam hæc officia perpetua dicantur esse de Regalibus, ideoque alienari, vel aliàs transferri de uno in alium, quoad titulum, & substantiam non possint, minusque obligari, vel aliud jus consti- 18
tui, quod ipsum officium, ejusque substantiam afficiat, eo modo, quo in feudo, & emphyteusi, perpetuitate non obstante, habetur, sine assensu Principis, tanquam domini, & magis proximè habetur in Locis Montium, quæ sunt perpetua, & hæreditaria ad quoscumque transmissibilia, & tamen in libero privato commercio non existunt, ut in pluries enunciato tractatu de Locis Montium habetur, ac videtur Curiæ praxis etiam in illis officiis, quæ licet rara, non sunt vacabilia, sed perpetua, & hæreditaria.

Quatenus verò pertinet ad stylum admittendi resignatio- 19
nes, superius in cap. 7. insinuatum est, quod licet de stylo, totius verò, ubi ita expresè disponat lex erectionis officiorum, non soleat, neque de justitia possit Papa, foventibus causam onerosam, denegare admissionem resignationis; Attamen id intelligitur, quando non adsit justa causa denegandi, quia resignatio affectetur ad fraudandam vacationem, idque pro frequentiori contingentia restringi solet ad casum infirmæ valetudinis, ut aliàs dictum est, H & ad alium gravis ætatis, quam, sub Alexandro VII. decretum fuit dici talem post completum annum sexagesimum secundum; Non per hoc tamen excluditur alia justa causa, quam singulorum casuum particules circumstantiæ suadeant, inter quas recenseturillasuspicionis alicujus perpetrandi delicti, unde propterea affectetur resignatio ad fraudandum fiscum, cum similibus; Atque ad id comprobandum conferunt ea, quæ in Feudali sede habentur, circa facultatem subinfeudandi, quamvis expresè concessam, vel de jure competentem, quando devolutio immineat, I. & quæ in Dotali sede habentur de actibus inter vivos factis per mulierem prohibitam disponere de dote extra liberos, L. cum similibus.

Problematica verò apud peritos in Oeconomicis, & in negotiatione reputatur quæstio, an dicta præfinitio ætatis utilis, vel potiùs damnosa sit Datariæ, quasi quod prius frequentiores essent vacationes, dum homines de facili sibi adulantur, & credunt diu vivere, neque cogitant ad mortem, se privando pinguibus emolumentis, quæ ex Officiis reportant, cum ità approximante ætate, soliciti esse solent de resignatione, quam aliàs negligerent, super quo se remittere oportet ad calculos faciendos ex temporum peræquatione.

Justa verò causa denegandi, ut etiam insinuatum est dicto Cap. 7. videtur illa, quando possessor Officii, qui illud re- 20
signare intendit, foveat causam lucrativam, atque Officium obtineat ex donatione, juxtà distinctionem, de qua infrà Cap. 17. quoniam cùm Papa gratificari voluerit illi personæ cum ista gratia exorbitanti, & Cameræ præjudiciali, cum aliqua non improbabili ratione dubitandi de potestate eodem Cap. 17. insinuata, hinc rationabile non est cogere successorem ad cumulum exorbitantiarum, & præjudiciorum, cùmque Papa elargitor voluerit providere personam de illis emolumentis ad ejus vitam, id ei sufficere debet, non autem ut protrahendo donationem ad plures vitas ipse reportet pretium transmissibile ad hæredes, ita se locupletando cum Cameræ jactura, & præjudicio. Ideò enim justitia exigit, ut foventibus causam onerosam, & correspectivam, quando non concurrat justa causa, ut suprà, denegari non debeat assensus resignationi, quia stante stylo, fortius verò stante lege expressa erectionis, emptores, & negotiatores sub hac fide emerunt, aliàs non empturi, vel non pro tanto pretio, sed longè minori, ut suprà, ac etiam infrà dicto Cap. 17. adeout esset aliàs fallere fidem; Hæc autem consideratio non intrat in donatariis, ideoque omninò justum, & rationabile videtur, ut eis hæc facultas denegetur, illamque admittere damnatione potiùs dignum sit, atque existimanda veniat male administratio publici Ærarii.

a *Disc. 3. de Regal. & in annot. ad eundem disc. 3. ubi allegatur punctualis consult. 64. Rosa, & disc. 198. eodem tit. de Regal.*

b *dicto disc. 3. & 198. de Regal. & in annot. & disc. 1. & 2. de emphyteusi, & alibi.*

c *Discurs. 169. de Regal. & lib. 5. de censibus disc. 19.*

d *Disc. 162. de Regal.*

e *Dicto disc. 19. de censibus.*

f *Disc. 5. de Regal. & in annot. ad eumdem disc. 5. & disc. 169.*
g *Amichangel. de Regal. officiis.*
h *In alias allegato disc. 15. de Regal. & in annotation.*
i *Disc. 1. de feud. & in annotation.*
l *lib. 6. de dote disc. 102. & 103.*

De creditoribus Officialis quale jus habeant in Officio, & de illorum concursu, & potioritate, & de eadem materia reservationis decreti, de qua suprà Cap. VI. & seq.

SVMMARIVM.

1 *QVod super Officiis nullum ius quaratur sine reservatione decreti.*
2 *De duabus speciebus reservationis decreti, quamvis unica, & eadem sit formula.*
3 *Agitur in hoc Cap. de reservatione iure crediti.*
4 *Quale ius habeant in Officio creditores Officialis, qui careant reservatione decreti.*
5 *Etiam in bonis hypothecari prohibitis, hypotheca suffragatur pro Salviano super commoditate.*
6 *De conclusione, quod pretium Officiorum est in commercio, ut in bonis liberis, ad quem effectum procedat.*
7 *Quod creditores, non habentes reservationem decreti, possint impedire resignationem Officii.*
8 *Creditores habentes reservationem decreti, quamvis posteriores, vincunt alios anteriores.*
9 *Dummodo reservatio sit valida.*
10 *De concursu creditorum æquè habentium reservationem decreti.*
11 *Quid operetur hæc reservatio.*
12 *De æqualitate creditorum inæqualium in tempore, ex æqualitate causæ.*
13 *Quid in fructibus Officiorum, an idem ordo attendatur.*
14 *Et an eadem potioritas, quæ competit pro sorte, competat etiam pro fructibus, vel usuris.*
15 *De facultate vendendi Officium competente creditoribus habentibus reservationem decreti.*
16 *Reservatio decreti non afficit Officium, quod in casu vacationis revertitur liberum ad Cameram.*
17 *Vacatio Officii non præiudicat creditoribus habentibus reservationem decreti, quoad alia bona Officialis.*
18 *De differentia inter reservationem decreti iure dominii, & illam iure crediti.*
19 *De alia differentia inter reservationem, quæ conceditur in actu acquisitionis Officii, & illam ex intervallo.*
20 *De errore Opinantium indefinitè, quod reservatio decreti importat dominium in Reservatario.*
21 *An Reservatarius decreti possit illud remittere Officiali in præiudicium eius creditorum.*

CAP. X.

1 PRæsuppositis iis, quæ pluries in antecedentibus Capitulis dicta sunt, super hujusmodi Officiorum natura, & qualitate, circa commercium privatum, in quo, tanquam de regalibus, nullatenus existant, absque Papæ assensu, qui sub termino reservationis decreti præstari solet, & sine quo nullum jus in ipso Officio, ejusque substantia imprimi potest ad favorem alterius, vel tolli à possessore; Ac etiam præsuppositis superius tradita distinctione diversarum specierum præfatæ reservationis decreti, quod scilicet, quamvis unica, & eadem sit formula (quod plerosque de-
2 cepit ad opinandum quod indifferenter idem sit ejus effectus, eademque operatio) nihilominus duæ sunt inter se diversæ species, quarum una est jure dominii ad favorem reservatarii, adeout persona, in qua cantat Officium stare solùm dicatur demonstrativè, pro regulatione periculi vitæ, vel alterius casus vacationis, & alia est in ratione crediti, & hypothecæ, istaque posteriori specie retenta in hoc themate, in quo de creditoribus, non autem de dominis
3 agitur, cùm de istis actum sit supra Cap. 6. Duo veniunt distinguendi casus, unus nempe quando nulli adsint creditores, qui hanc decreti reservationem ad eorum favorem habeant, adeout omnium sit coæquale jus, & æqualis conditio, & alter ubi diversæ sint concurrentium creditorum qualitates, quia nempè aliqui habeant ad eorum favorem præfatam decreti reservationem, alii verò careant.

Respectu creditorum coæqualium in deficientia dictæ re- 4
servationis, quamvis isti nullum jus reale, vel rei persecutorium habeant super ipso Officio, ejusque substantia ex defectu hypothecæ, quæ sine dicto decreto non contrahitur, nec imprimitur, adhuc tamen eis consultum remanere potest cum duplici remedio, uno scilicet Salviani interdicti, ad commoditatem fructuum, & emolumento- 5
rum sub hypotheca cadentem, ad instar eorum, quæ in bonis Feudalibus, & emphyteuticis, pariter in libero privato commercio sine domini assensu non existentibus, habentur; A. & quod remedium peculiare solum est creditorum hypothecariorum, non autem habentium solam personalem. Et alterum est remedium omnibus, tam hypothecariis, quàm chirographariis commune, implorandi Judicis Officium ad cogendum in actione personali Officialem ad vendendum Officium, ut satisfieri possint ex pretio inde retrahendo, super quo tamen tanquam re debitoris libera, & indifferenti locus erit inter ipsos creditores concursui, juxtà ordinem eorum anterioritatis, & potioritatis, eodem modo, quo in aliis bonis liberis, & indifferentibus, dum non intrat subrogatio pretii loco rei, ad quam ipsi nullum jus habebant, istoque casu, atque ad hunc effectum, rectè procedit conclusio pluries firmata per Rotam, & per 6
Doctores superius quoque insinuata, quod pretium Officiorum sit in libero privato commercio, & habeatur pro bonis allodialibus, eo quia pretium non succedit loco rei, secùs autem in altero casu, de quo infrà; Ac propterea licet ubi Officialis ære alieno gravatus resignaret eum Apostolica auctoritate Officium, recipiendo brevi manu pretium, illudque in sibi placitos usus disperdendo, supplan- 7
tare ita possit creditores, quibus nullum jus, nullaque actio adversùs resignatarium, & possessorem Officii competere posset, ut etiam superiùs dictum est, adhuc tamen creditores providi, re integra, implorare poterunt Officium Datarii, qui in his materiis est Judex competens, ut non admittat resignationem, nisi consulatur eorum indemnitati cum assecuratione pretii.

In altero verò casu mixturæ creditorum diversæ qualitatis, quia nempe aliqui habeant reservationem decreti, alii verò non, quidquid in casus contingentia inconsideratè 8
dictum fuerit super prælatione creditorum anteriorum, non habentium decretum adversùs posteriores illo munitos, ex eo, quod non ageretur super Officio, sed super pretio, B. omninò verius est, ut posita validitate decreti, potiora sint jura istorum, quamvis in tempore posteriorum, eo modo, quo in terminis generalibus, & indifferentibus creditores habentes hypothecâ vincunt alios illa carentes, quantumvis in tempore anteriores, & hinc est casus, quoniam in bonis, & juribus differentibus, quæ in privato commercio non sunt absque alterius assensu, seu licentia, sine qua obligari non possunt, etiam creditores hypothecarii dicuntur solùm creditores chirographarii, & in actione personali, etiam ubi consensus esset in pretio, quando istud per necessè succedit loco rei, adeout resultaret aliàs circulus inextricabilis, ut passim receptum habetur apud versatos in materia feudali, à qua ex rationis identitate rectè inferre licet ad omnes alias consimiles differentes materias, vel ad omnia alia consimilia bona in libero privato commercio non existentia. Ut præsertim praxis docet in bonis etiam indifferentibus, & de eorum natura liberis, quæ tamen obnoxia sint alicui fideicommisso, vel majoratui, strictam etiam obligandi prohibitionem habenti, ut illi, qui cum dispensatione Principis, & remotione obstaculi contrahunt, omnes alios vincant, quoniam ita sequi dicuntur publicam fidem Principis ita eos assecurantis, & sub qua decepti remanerent, quoniam aliàs non contraxissent, ut plenè in plerisque Theatri locis comprobatur; C. Atque eatenus in his præcisis terminis concursus creditorum Officialis, super pretio Officii, sustentabiles censendæ sunt quædam resolutiones ad favorem creditorum anteriorum, non habentium 9
decretum, in exclusionem posteriorum illud habentium, quatenus decretum ob ejus infectionem haberi mereretur pro non extante, atque aliàs, isto motivo cessante, videtur error clarus in terminis. D.

In concursu autem plurium creditorum æquè privilegiatorum, & ejusdem qualitatis, quia nempè omnes pariformiter

miter habeant eandem reſervationem decreti ad eorum favorem, tunc juxta regulas generales frequenter in foro practicatas in illis regionibus, in quibus, frequens eſt feudorum, & majoratuum uſus, proceditur cum illo eodem ordine textus in cap. *qui prior, &c.* cum quo proceditur inter creditores indifferentes, ſuper bonis indifferentibus, in libero privato commercio exiſtentibus, cùm aſſenſus, vel auctoritas
11 Superioris in bonis prohibitis, & differentibus aliud in ſubſtantia non operetur, niſi remotionem talis obſtaculi, reducendo illa bona ad ſtatum indifferentem, ſolo tamen favore eorum, in quorum gratiam Princeps, vel alter Superior id facere voluit. E.

Adhuc tamen, temporis ordine non ſervato, quandoq; con-
12 curſus inter eos æqualis eſſe ſolet, eo modo, quo eſt inter Chirographarios, vel Hypothecarios contéporaneos, quando ita exigat paritas, vel identitas cauſæ, quia nempè plures Officium emere volenti credant diverſas pecuniarum ſummas, in eandem cauſam ſolvendi pretium, quoniam licet pro frequentiori ſtylo erga omnis contemporanea fieri ſoleat obligatio, ac etiam unica fieri reſervatio decreti, cum expreſſione, ut omnium æqualis debeat eſſe conditio, tanquam per ſpeciem negotii ſocialis, nihilominus ubi etiam diverſis temporibus id ſequatur, & cum diverſis decretis, licet in caſus contingentia plurium eſſet ſententia, ut prioritas temporis attendi debeat, probabilior tamen, pro meo ſenſu, videtur altera opinio, ut æqualis eſſe debeat concurſus regulandus ab æqualitate, & identitate cauſæ, potiſſimè ubi pretium neceſſarium pro acquiſitione, certum eſt, & publicum, ſive omnibus ab initio innoteſcit, cùm probabilis ratio dubitandi cadat, quando pluribus creditoribus ſimultaneè credentibus in eandem cauſam, tanquam per dictam ſpeciem ſocietatis, adeout innoteſcant credita aliorum, poſtea Officialis clandeſtinè ab aliis recipiat creditam pecuniam, quam dicti creditores credere potuerunt accipiendam non eſſe, ita ſequendo fidem Officialis in eo ſtatu, ut in conſueta Regalium fede in caſu particulari habetur, occaſione agendi de contributo inter creditores ratione diminutionis pretii Officii. F.

Inter creditores item ita privilegiatos ratione decreti, ut ſupra, quamvis poſteriores, & alios tempore anteriores, ſed non privilegiatos, quia decreto ſint deſtituti, cadere ſolet controverſia, reſpectu fructuum activè, & paſſivè; Primò
13 ſcilicet ubi caſus præbeat quod extent collecti aliqui fructus provenientes ex conſuetis Officii emolumentis, vel quod habèdi ſint pro extantibus, puta quia per aliquos ex creditoribus mala fide percepti ſint, unde propterea nõ ſuffragetur illa æquitas, quæ ratione commercii recepta eſt, ut excuſet à bona fide conſumptis, juxta ea, quæ pluries in ſua Crediti, & Debiti ſede habentur, an ſcilicet ſuper his fructibus jam perceptis atque à cauſa productiva ſeparatis, habendis proinde pro bonis liberis, & indifferentibus, attendi debeat ordo, & prioritas temporis, vel potiùs è converſo dicta potioritas, quæ ex decreto reſultat, idque non de facili certam, ac generalem recipit regulam cuicumque caſui applicabilem, cum ex ſingulorum caſuum circumſtantiis reſolutio pendere videatur, an ſcilicet tales fructus dici debeant omninò ſeparati, & independentes ab eorum cauſa productiva, commixti, ſeu confuſi cum reliquo debitoris patrimonio libero, & indifferenti, vel potiùs è converſo adhuc dicantur de appendicibus proprietatis, vel cauſæ, productivè, de cujus natura, & qualitate cenſeri debeant, juxta diſtinctionem quæ habetur in materia beneficiali ſuper fructibus obvenientibus, à bonis Eccleſiæ, vel beneficii, G. ut priori caſu attendatur ordo temporis juxta regulam generalem juris, poſteriori autem attendatur ordo privilegii, eodem modo, quo in ipſo Officio, ſeu cauſa productiva, ut latiùs occaſione caſus particularis in enunciata hujus materiæ ſede habetur. H.

Et ſecundò in fructibus activis per creditores conſequendis ratione ſocietatum Officii, vel cenſuum, ſeu cambiorum, aut interuſuriorum, an ſcilicet eadem potioritas, quæ illis ex dicta ratione reſervationis decreti competita adverſus anteriores pro ſorte principali, competat etiam pro fructibus, vel
14 uſuris, atque licet non deſit conſueta opinonum diverſitas, probabilius tamen procedendum videtur cum diſtinctione inter uſuras ab initio conventas, quæ à præſtante aſſenſú cogitari, & prævideri potuerunt, & quæ dicuntur debitæ jure actionis, & illas, quæ accidentaliter oriuntur à mora, ratione damnorum, & intereſſe, unde propterea dicuntur accidentales, ac magis odioſæ, debitæ Judicis officio, & potuerunt non prævideri, ut pro iſtis non competat privilegium, ſecus autem pro illis, quæ regulantur in omnibus eodem jure, quo regulatur debitum in ſorte principali, ut in eadem conſueta propria ſede occaſione caſus particularis habetur, I. & generaliter in altera Crediti, & Debiti. L.

Occaſione item illius facultatis vendendi Officium, quam dictum decretum præſefert, inter Officialem, ejuſque cre- 15
ditores dictam facultatem habentes oriri ſolent quæſtiones, quando creditores talem facultatem ad exercitium deducunt, unde propterea Officium vendatur alteri, cujus mors priùs ſequatur, quàm illa prioris Officialis, cujus ſcilicet damno iſtis vacationis periculum cedere debeat, an debitoris, vel potiùs ipſorum creditorum, idque pendet à puncto, an benè, & licitè dicta facultas explicata ſit, vel potiùs illicitè, & malè, ut priori caſu damnum ſit debitoris, poſteriori autem è converſo creditorum, ita enim ubi ſequatur mors Officialis, quamvis adſit reſervatio decreti, reſultat vacatio Officii, quod revertitur liberum ad Cameram, ideòque remanet ſolùm contentio inter creditores, & Officialem, vel ejus hæredes. M. Quamvis enim ut pluries inſinuatum eſt, reſervatio decreti in his Officiis ſit idem, ac aſſenſus, qui per Dominum directum præſtatur obligationi feudi, vel em- 16
phytheuſis, nihilominus id percutit ſolum privilegium creditorum, in quorum gratiam reſervatio facta eſt adverſus alios, ſed non adverſus ipſam Cameram Officii dominam in caſu vacationis, qua contingente, Officium revertitur liberum à debitis contractis per Officialem, niſi aliàs expreſsè caveatur, quod tamen practicari non ſolet; Atque in hoc differt hæc reſervatio decreti ab aſſenſu, qui per Dominum præſtatur ſuper obligatione feudi, vel emphytheuſis, quod ſi iſte aſſenſus eſt purus, & non reſtrictus à clauſula *ſine præjudicio*, afficit ipſius rei ſubſtantiam, ideòque jus remanet creditoribus, etiam poſt devolutionem adverſus ipſum Dominum, ejuſque ſucceſſores, vel habentes cauſam ab eo, ut in ſua Feudali ſede pluries advertitur; Iſtud autem decretum, quamvis purè, & ſimpliciter conceſſum ſit, non afficit Cameram neque Officium in caſu vacationis, ſed ſolùm ſuam facit operationem, donec illud reſidet penès eum, cui conceſſum eſt, revertitur verò liberum in caſu vacationis ad Cameram. Et è converſo idem decretum non præjudicat creditoribus ad quorum favorem eſt reſervatum circa amiſſionem crediti in caſu vacationis Officii, quoniam licèt Officialis, 17
qui eſt debitor ob factum caſum vacationis ſentiat ejus damnum, atque privatus remaneat tam Officio, quàm pretio, attamen adhùc ejus perſona, quatenus in alia Officium reſideret, vel ejus hæreditas, & bona quatenus in ſua, remanent creditoribus affecta, quoties credita ſunt talis naturæ, quod per mortem Officialis non ceſſent, ut ſunt cambia, & cenſus; aliaque ſimilia, ac etiam ſocietates Officii jam diſdictæ, vel conſtituræ ſuper periculo vitæ creditoris, vel tertii, non autem Officialis, per cujus mortem ſequatur caſus vacationis, ut etiam infra cap. 18.

Iſtaque inter quamplures alias eſt notabilis differentia inter illam decreti reſervationem quæ fiat jure dominii, & il- 18
lam, quæ fiat jure crediti, & hypothecæ, juxtà pluries inſinuatam ſuperiùs diſtinctionem, quoniam, ubi eſt jure dominii, omne commodum & incommodum eſt reſervatarii, cujus proinde damno cedit periculum vacationis, ac etiam diminutio pretii, & è converſo ejus commodo cedit pretii augmentum; Ubi verò eſt jure crediti, tunc utrumque, ſcilicet commodum, & incommodum eſt Officialis, non autem creditorum, quorum jus remanet ſalvum, ut ſupra. Quamvis enim in caſu, in quo Officialis acceperat è creditore ad ſocietatem Officii quamdam ſummam erogatam in parte pretii ſoluti pro acquiſitione Officii cum reſervatione decreti, Rota ad effectum ſubſtinendi perceptionem fructuum, etiam poſt diſſolutam ſocietatem per mortem unius ex ſociis dixerit de anno 1677. 12. Februarii coram Vicecomite in eadem cauſa, de qua diſc. 11. de ſociet. Offic. quod reſervatio decreti importet dominium in reſervatario, per quem fingitur locata Officiali ejus portio pro annua ſumma conventa, ideòque ſit contractus potiùs locationis, & conductionis ad hæredes tranſmiſſibilis quàm ſocietatis, quæ per mortem unius ex ſociis diſſolvatur atque ſumma annuatim ſolvenda importet potiùs penſionem rei locatæ; Attamen, ſalva ſemper illa reverentia, quæ tanto Tribunali debita eſt, id continet æquivocum probabiliter cauſatum à modica peritia defenſorum; cum Judices ob illam magnam temporis anguſtiam, quæ recenſetur in relatione Curiæ diſc. 32. in quo agitur de hoc Tribunali, quandoque ſint excuſatione

di-

digni) quoniam id procedit, quando reſervatio eſt jure dominii, de qua actum eſt ſupra Cap. 6. cùm tunc ſit practicabilis contractus locationis, & conductionis inter reſervatarium, & ipſum Officialem juxtà caſum, de quo in ſua ſede, N. ſecus autem ubi eſt jure crediti, cùm tunc non immutetur natura contractus, ut ſupra, ſed ſolum decretum operetur effectum aſſenſus pro imprimenda hypotheca in Officio, non autem dominium, aliàs enim ſi contrahitur ſocietas Officii ſuper periculo vitæ creditoris, vel tertii, atque Officium vacet per mortem Officialis, creditor deberet amittere creditum, quod etiam ita amittere deberet, ſi ageretur de mutuo gratuito, vel de cenſu perpetuo, aut cambio cum modico fructu, quo creditor velit eſſe contentus, ne ſe exponat periculo amiſſioni ſortis, quo nil abſurdius, contra omnem rationem, omnemque praxim. Eademque dignoſcitur differentia pro facultate vendendi Officium, ubi enim eſt jure dominii, tunc poteſt reſervatarius pro ejus libito vendere Officium abſque aliquo conſenſu, vel requiſitione Officialis; E converſo autem creditor, ad cujus favorem pro cautela adſit reſervatio jure crediti, quāvis eadem ſit formula, non poteſt hanc facultatem exercere, niſi verificentur illa requiſita, quæ neceſſaria ſunt, ut creditor ad pignoris diſtractionem procedat. O.

In eadem item ſpecie reſervationis jure crediti, alia dignoſcitur differentia inter illam, quæ fit in ipſo actu acquiſitionis ad favorem eorum qui pecuniam credunt pro acquiſitione ſolvendam in cauſam pretii, & illam, quæ concedatur ex intervallo ad favorem eorum, qui credunt pecuniam Officiali in alios uſus, & indigentias privatas, cùm melior ſit conditio illorum, quàm iſtorum, P. cum ſimilibus differentiis, ex quibus liquet clarus error eorum, qui indefinitè procedunt cum aſſumpto, quod hæc reſervatio decreti importat dominium, quoniam reſpectu creditorum intelligitur de illo dominio improprio, quod conſideratur ad effectum potioritatis in venditione cum reſervatione dominii, vel in credente ad rem emendam. 19

Dubitari quandoque contingit juxtà caſum in propria, & conſueta hujus materiæ ſede peractum, Q. an ille, ad cujus favorem facta eſt reſervatio decreti ſuper Officio, quod alteri conceſſum ſit, cedere, ſeu remittere poſſit dictum decretum ad favorem Officialis, qui propterea liber Officii dominus efficiatur, ac remaneat; In caſu autem prædicto id leviter potius actum fuit, neque occaſio dedit formiter poſtmodum diſputare, ut propterea maturum deſuper efformari potuerit judicium, quod ſine contradictoria diſputatione in caſu præciſo, & attentis ejus circumſtantiis, non de facili efformari poteſt, adeout aliàs intret frequenter inſinuatus error procedendi cum illis generalitatibus, & abſtractis, quæ habentur in Crediti, & Debiti ſede R. ſuper puncto, an, & quando debitor poſſit nolle quærere, ſeu remittere in præjudicium ejus creditorum; Adhuc tamen ea, quæ ibi habentur conferre videntur ad quæſtionis deciſionem, reflectendo (ut in omnibus decet) ad caſuum diſtinctionem, atque ad diverſas reſervationis decreti ſpecies; ſi enim agitur de reſervatione jure dominii, quia nempe perſona Officialis ſtet ſolùm demonſtrativè pro regulatione periculi vitæ, totum verò commodum, & incommodum ſit reſervatarii, & tunc ſi remiſſio facta eſt gratis, illa continere videtur veram, & formalem donationem, non quidem juris, vel ſubſtantiæ Officii, ſed pretii, quod ita remanere dicitur penes Officialium ex cauſa lucrativa, & per conſequens planum videtur, ut creditoribus reſervatarii competat, non quidem actio realis ad ipſum Officium, ejuſque ſubſtantiam, ſed facultas implorandi Officium Judicis ex edicto *de his, quæ in fraudem, &c.* vel ex æquitate textus *in l. ſime, & Titium ff. ſi certum petatur* ad ſolutionem pretii, ſeu ad cogendum in actione perſonali ad venditionem Officii, ut pretium detur creditoribus Domini. Si verò ceſſante colluſione, & mala fide remiſſio decreti facta ſit ex cauſa oneroſa, & correſpectiva, de qua verè conſtet alias, quam per ipſius debitoris remittentis confeſſionem, quia nempè Officialis ſolverit reſervatario pretium, & tunc videtur actum ſubſtineri tanquam per occultam reſignationem; Si enim Officialis ære alieno preſſus reſignet alteri non inhibito Officiū, adeout reſignatarius de novo acquirat ipſum titulum à debitore dimiſſum, tutus eſt à renunciantis creditoribus decreto carentibus, multò magis in præſenti, quod agitur de confirmatione tituli jam obtenti, tanquam per remotionem obſtaculi. Si verò agitur de ſecunda ſpecie reſervationis jure crediti, tunc ſi ceſſio eſt gratuita, intrat idem, quod ſupra, contra Officialem ad favorem creditorum, in quorum præjudicium debitor non poteſt ejus debitores gratis liberare, atque acceptilationem facere. Si verò eſt ex cauſa veræ, & effectivæ ſolutionis crediti, & tunc magis de plano intrant, quæ dicta ſunt favore Officialis, cùm tunc actus importet veram liberationem, quam debitor aſſequitur mediante ſolutione debiti, quæ proprio creditori fieri poteſt, quamvis iſte ſit ære alieno preſſus, quoties non adſit expreſſa inhibitio hominis, vel illa legis, quæ reſultar à jam detecta decoctione, juxtà ea, quæ in eadem Crediti, & Debiti ſede, & alibi habentur in hac materia debitoris ſolventis debitum creditori, & liberationem reportantis in præjudicium creditorum, quibus ejus nomen hypothecatum eſſet, S. unde propterea dicenda videtur potius quæſtio facti, quàm juris, ex facti qualitate, & ſingulorum caſuum circumſtantiis decidenda. 20 21

a *De emphyteuſ. diſcurſ.* 58. *& in annotat. ad eumdem diſcurſ.*
b *Diſc.* 4. *de Regal.*
c *In his terminis Officiorum lib.* 2. *de Regal. diſc.* 4. *&* 10. *generaliter in Feudis, & aliiſque prohibitis lib.* 1. *de feud. diſcurſ.* 78. *lib.* 8. *de credito diſcurſ.* 13. *&* 151. *& ſæpius.*
d *dicto diſc.* 4. *de Regal.*
e *dicto diſc.* 10. *num.* 6. *de Regal. & in aliis locis citatis ſupra litt. B.*
f *de Regal. diſc.* 12.
g *lib.* 12. *de benefic. diſc.* 81. *& ſeqq.*
h *De Regal. dicto diſc.* 12.
i *De Regal. diſc.* 10.
l *De credito diſc.* 147.
m *Diſcurſ.* 7. *de Regal.*
n *Diſcurſ.* 188. *de Regal.*
o *dicto diſcurſ.* 7. *de Regal.*
p *Diſcurſ.* 4. *&* 12. *de Regal.*
q *Diſcurſ.* 19. *de Regal.*
r *Lib.* 8. *de credito diſc.* 40. 56. 137. *&* 138. *& de dote lib.* 6. *diſc.* 160. *& alibi.*
ſ *Eodem tit. de credito diſc.* 55. *&* 162. *& de dote diſcurſ.* 85. *& alibi pluries.*

De capacitate neceſſaria ad obtinendum, & retinendum Officia Venalia, & an mulieres, infantes, & idiotæ ſint capaces: Et quid in Officiis non Vacabilibus hæreditariis, quibus hæredibus deferantur Officia, quæ exerceri poſſint per Subſtitutum, ac etiam locari.

SUMMARIUM.

1 *De capacitate neceſſaria ad Officia Prælatitia, & requiſitis Prælaturæ, an exigantur in Officiis Venalibus.*
2 *In quo conſiſtat venalitas in his Officiis.*
3 *De potioribus, quarum ſunt capaces mulieres.*
4 *De concluſione quod Officia, vel pretium ſunt in commercio, quomodo procedat.*
5 *Et quando Officii commodum ſit perſonarum incapacium.*
6 *De portionibus quid propriè ſint.*
7 *Aſſimilatur penſionibus, quæ reſervantur ſuper beneficiis.*
8 *De capacitate infantium, illiteratorum, & religioſorum.*
9 *An Officium datum perſonæ capaci contemplatione perſonæ incapacis, vacet per mortem Officialis, ſi ſupereſt perſona contemplata.*

CAP. XI.

RE tenta diſtinctione trium claſſium hujuſmodi Officiorum Venalium, de qua ſupra Cap. 2. Quatenus pertinet ad illa primæ claſſis, quæ Prælatorum, ac juſtitiæ, aliorumque munerum, pro Reipublicæ regimine, adminiſtrationem annexam habent, extra omne dubium eſt, quod 1

infan-

infantes, idiotæ, & mulieres ſunt eorum incapaces, dum pro aſſequenda Prælatura exiguntur, Clericatus, Doctoratus in utroque jure, negotiorum peritia, & ætas ad minus 25. annorum, juxtà Conſtitutionem Alexandri VII. cum qua hodie in hoc vivitur; Et licet quædam opinio volitaret, quod in Officiis Venalibus iſtius Conſtitutionis forma non eſſet adhibenda, non videtur tamen cui probabili fundamento hæc opinio innixa ſit, illa ſiquidem retenta, eſſet canonizare imperitorum, ſive malignantium aſſumptum, vel credulitatem inſinuatam ſupra Cap. 4. quod Prælaturæ, Dignitates, & juſtitiæ, aliorumque munerum adminiſtratio, eſſent venales, quod utique falſum eſt, cùm
2 venalitas conſiſtat ſolùm in commodo quorumdam emolumentorum accidentaliter annexorum, & quæ extranea ſunt ab adminiſtratione, & dignitate, & per conſequens nulla conſtitui debet differentia inter unam, & alteram ſpeciem Prælatorum, ut latius ſupra Cap. 2. taliſque eſt obſervantia ſub hodierno Pontificatu, in quo, quantum humanæ conditioni conceditur, atque mala tempora, nimiumque corrupti mores permittunt, juſtitia colitur, atque in legum obſervantia inſiſtitur. Non ſolet autem, attenta frequentiori contingentia, iſtud dubium cadere in Officiis majoribus Cameralibus, Theſaurarii Generalis, Auditoris, & Clericorum Cameræ, quoniam duo priora non ſolent conferri, niſi illis, qui jam ſint Clerici Cameræ, & Clericatus non ſolent conferri, niſi illis, qui ſint jam emeriti Prælati, quando res regulantur cum debito ordine, non autem quando contingit, ut iſte aliquas interſiones patiatur, dum ut pluries inſinuatum eſt, regulæ ſtatuendæ ſunt à frequentiori contingentia.

Aliorum autem Officiorum generaliter, ſive ſint ſecundæ, ſive tertiæ claſſis, ſunt incapaces fœminæ, quæ ſolùm
3 ſunt capaces cujuſdam participationis emolumentorum, quę iiſdem Officiis annexa ſunt, dictæque participationes explicantur ſub nomine portionum, quæ nullam tribuunt adminiſtrationem, vel participationem in titulo, & ſubſtantia Officiorum, ſed ſolùm in emolumentis tanquam contradictinctis ab ipſo titulo, & ſubſtantia Officii, atque ad hunc effectum rectè procedit pluries inſinuata propoſitio, quod pretium, & emolumenta hujuſmodi Officiorum ſunt in commercio, & ſunt capaces etiam perſonæ, incapaces ad obtinendum Officia, ut frequens praxis docet, quando Officia emuntur per unum de ejus pecunia, & ad omnimodum commodum, & incommodum proprium, cum reſervatione decreti jure dominii, Officii verò conceſſio cantat in perſona alterius, qui ſtat ſolùm demonſtrativè pro
4 regulatione vacationis, & periculi vitæ, quoniam ſi iſto ſuperſtite, adeout Officium duret, decedat ille, qui acquiſitionem fecit, atque decreti reſervationem obtinuit, dici non poteſt, quod titulus, & ſubſtantia Officii ſint in ejus hæreditate, & in dominio omnium hæredum, etiam fœminarum, & infantium, ſed ſunt pretium, & emolumenta; eodem modo, quo in aliquibus regionibus, & præſertim in Regno Neapolitano practicatur in feudis, quorum, abſque ſpeciali diſpenſatione, ſunt incapaces Clerici, & loca pia, & forenſes, unde propterea ab iſtis emuntur feuda cum proprtia pecunia, & ad proprium commodum, & incommodum in perſona alicujus ſæcularis Regnicolæ facientis declarationem, & recognitionem bonæ fidei, ſe nullum jus habere, ſed nudum nomen, quoniam quoad Regem infeudantem, & ad quoſdam effectus, iſte in cujus perſona feudum cantat, dicitur feudatarius, non autem ille, qui verè illud ad proprium commodum, & incommodum acquiſivit, cum ex veriori, magiſque recepta ſententia in his rebus differentibus locum non habeat titulus *plus valere, quod agitur, &c.* ideoque Feudatarius, vel reſpectivè Officialis dicitur ille, qui deſcriptus eſt in publicis libris, vel quinternionibus, & tamen tam pretium, quàm fructus, & emolumenta ſunt perſonarum incapacium; ſicuti habetur in feudo novo juris Francorum indiviuo delato primogenito, quoniam pretium eſt in hæreditate allodiali ad commodum plurium hæredum incapacium
5 feudi; Quod etiam habetur in illis Officiis, quæ in toto, vel in parte ſunt tranſmiſſibilia ad hæredes, cum tamen Officium conferatur uni capaci, in cujus perſona reſidere dicitur, ut occaſione caſus particularis habetur in conſueta ſua ſede, A. cum ſimilibus.

Atque circa dictas portiones, quæ in aliquibus hujus
6 Curiæ Officiis practicantur pro capacitate mulierum, quæ ſunt incapaces Officiorum, conferunt, quæ habentur in penſionibus eccleſiaſticis reſervatis ſuper Eccleſiis Cathedralibus, Metropolitanis, Abbatialibus, & Parochialibus, aliiſque beneficiis eccleſiaſticis, quoniam de jure, ſecluſo ſtylo Curiæ, ſunt illarum capaces laici, etiam infantes, & mulieres, attento verò dicto ſtylo, quando huic non diſpenſetur, ſunt ſolùm capaces Clerici etiam in minoribus, & in minori ætate conſtituti, qui tamen ſunt incapaces illarum Eccleſiarum, ſuper quibus penſiones reſervatæ ſunt, ex ea ratione, quod penſio nullum tribuit jus 7
penſionario in Eccleſia, ejuſque adminiſtratione, cujus nullam habet participationem, ſed ſolùm importat quamdam participationem fructuum temporalium, ut in ſua penſionum ſede pluries inſinuatur; Et hic videtur caſus hujuſmodi portionum, quæ ſuper Officiis erectæ ſunt, pro faciliori, & commodiori commercio, & pro capacitate incapacium, præſertim mulierum.

Quo verò ad viros in infantili ætate conſtitutos, vel illiteratos, & idiotas, aut aliàs inhabiles ad Officiorum exerci- 8
tium, & adminiſtrationem, ut præſertim ſunt religioſi profeſſi clauſtrales, & ſimiles, intrat diſtinctio, ſuperius in Cap. 2. deducta, inter Officia ſecundæ claſſis habentia annexam aliquam adminiſtrationem, ſive exercitium in Datariæ, & Cancellariæ expeditionibus, aliiſque muneribus, ut (exempli gratia) ſunt Abbreviatores de Parco minori, Scriptores Litterarum Apoſtolicarum, Regiſtratores, & ſimiles, & illa tertiæ claſſis, quæ nullam habent annexam adminiſtrationem, adeout non requiratur induſtria perſonæ, ſed ſint ad merum commodum, & emolumentum burſale, ut præſertim ſunt illa Officia, quæ antiquum habent vocabulum Militiarum, vulgò *Cavalierati*, & ſimilia, ut iſtorum omnes capacitatem habeant, quamvis infantes, vel idiotæ, & illiterati, ac ſive ſint præſentes, ſive abſentes; In illis verò ſecundę claſſis procedendum ſit cum legibus illorum erectionis reſpectivè, dum in aliquibus requiritur Clericatus, & in aliis Doctoratus, vel aliàs probata peritia, & idoneitas, ob cujus defectum infantes, & idiotæ ſunt incapaces; Adhuc tamen obſervantiæ, & ſtylo in his quoque deferen- 9
dum venit, dum aliqua adſunt Officia, (exempli gratia) ea, quæ Notariatus titulum habent, etiam cum exercitio conficiendi acta Judicialia, Civilia, & Criminalia, & tamen acquiri, & obtineri ſolent per viros nobiles nullatenus aptos, & idoneos ad illud miniſterium, quod exercetur per Subſtitutos, vel conductores, ut occaſione particularium diſputationum habetur in Regalium, & in Locationis, & Conductionis ſedibus; B. Ut etiam fortè pro majori parte contingit in dictis aliis Officiis habentibus annexum miniſterium in expeditionibus Litterarum Apoſtolicarum, aliorumque negotiorum Datariæ, & Cancellariæ, quoniam paſſim exercentur per peritos Subſtitutus, qui deputantur ab iiſdem Officialibus, vel ab aliquo Superiore, puta Cardinali V. Cancellario, ſeu Datario, aut Regente Cancellariæ, cum ſimilibus; ideoque materia non eſt capax regulæ certæ, & generalis, cùm totum pendeat à ſtylo, qui deciſor eſt quæſtionis, an hujuſmodi Officia locari poſſint, vel alterius quæſtionis, an & quando Officialis ſubſtituens teneatur de culpa, & facto ſubſtituti, de quo infra Cap. 19. ſive ad quæ onera teneatur ſubſtituens, & ad quæ ſubſtitutus, C. cum ſimilibus, ſuper quibus nimia eſſet digreſſio particulariter ſe diffundere, cùm raræ videantur in praxi iſtæ quæſtiones, regulari ſolitæ ab obſervantia, vel ſtylo, ſed quando occurrant, facilis eſt recurſus ad illas tractantes.

Præſuppoſita verò incapacitate fœminarum, vel aliarum perſonarum, ut ſupra, ſolent in aliquibus Principatibus (non tamen pro mea notitia in Curia) in gratiam mulie-
rum, & pro earum proviſione conferri Officia earum viris, unde propterea dubium cadit, an viro præmoriente Officium vacet, vel potiùs, habita ratione perſonæ, in cujus gratiam ita providere in animo fuit, debeat conferri alteri ad commodum ejuſdem mulieris contemplatæ, D. ad inſtar eorum, quæ habemus in penſionibus Hiſpaniarum, & Portugalliæ, quæ reſervantur in faciem unius nationalis, vulgo nuncupati *teſta di ferro*, animo tamen illas diſtribuendi Italis, vel aliis incapacibus, quod per mortem dicti reſervatarii non ceſſant, ut in ſua Penſionum ſede, cum ſimilibus.

a *Diſc.* 17. *de Regal.*
b *De de Regal. diſc.* 21. *& de locato, & conducto diſc.* 3. *&* 39.
c *d. diſc.* 21. *de Regal. & diſc.* 39. *de locato.*
d *De Regal. diſc.* 35.

De

De Officio assignato in dotem, vel possesso in commoditate per virum tanquam re extradotali, ad quid vir teneatur erga mulierem; Et de Officio possesso per hæredem fideicommissо gravatum, sive obligatum reddere rationes creditoribus hæreditariis, vel per usufructuarium, & similes.

SVMMARIVM.

1 *QVomodo detur casus, ut Officium detur in dotem, vel sit inter bona extradotalia mulieris.*
2 *De Officio dato æstimato cum vera æstimatione.*
3 *Quid ubi detur inæstimatum.*
4 *Quod non sit insistendum in formalitate verborum, sed in verisimilitudine suadente substantiam veritatis.*
5 *Quid ubi Officium sit extradotale.*
6 *De usufructuario particulari Officii.*
7 *Quid ubi proprietarius velit ponere in tuto proprietatem.*
8 *Fructus vitalitiorum est longè maior.*
9 *Si redditus vitalitius assignatus est Moniali, quid faciendum, si extinguatur cum restitutione pretii.*
10 *De usufructuario universali plurium bonorum, & iurium, inter quæ adsit Officium.*
11 *An hæres fideicommissо gravatus, vel beneficiatus, obligatus reddere rationes percipiat emolumenta Officii vacabilis, & cuius sit damnum vacationis.*
12 *Quomodo in iudicando sit procedendum, & de plurium casuum distinctione.*

CAP. XII.

1 PLuribus modis dari solet casus, ut Officia Venalia, & Vacabilia principaliter in gratiam mulieris, sub titulo assignationis in dotem vel etiam bonorum paraphernalium, sive extradotalium de facto obtineantur à viris, à quibus percipiantur emolumenta, quorum primus est jam insinuatus in fine capituli præcedentis, quod scilicet Princeps habens in animo gratificari mulieri, illamque cum aliquo Officio providere, ob ejus incapacitatem, illud conferat viro. Alter casus est, quando agitur de Officio, cujus mulier sit capax ad obtinendum, & retinendum, etiam in titulo, & substantia, ut (ex. gr.) sunt illæ portiones, de quibus eodem capitulo antecedenti actum est. Et tertius, quando Officium cantat in persona alterius, puta patris, vel fratris, qui illud assignat in dotem filiæ, vel sororis, aut quod eadem mulier tanquam hæres patris, vel fratris, sive alterius possidet in commoditate Officium, quod cantet in persona alterius etiam extranei, juxtà frequentem praxim eodem præcedenti capitulo, & in aliis antecedentibus insinuatam.

Distinguendo itaque casum assignationis in dotem ab altero, in quo vir de facto percipiat Officii emolumenta, vice, & nomine mulieris jure illius administrationis, quam vir
2 habere solet bonorum extradotalium mulieris, Quatenus pertinet ad casum dotis, inspiciendum est, an assignatio facta sit jure veræ æstimationis loco quantitatis, in qua dos sit constituta, vel è converso datum sit inæstimatum; priori enim casu, quod detur æstimatum, unde propterea ipse vir efficiatur Officii, ejusque commodi Dominus, juxta naturam bonorum, & jurium, quę in dotem dantur æstimata cum vera æstimatione, ex deductis in sua dotali sede, quod dupliciter sequi potest; Primò nempè cum formali translatione tituli Officii in ejus personam, in qua resideat ejus substantia; Et secundò quod continuante titulo in illa persona, in qua jam residebat, ipse acquirat ejus omnimodam commoditatem, ut pluries est superiùs insinuatum; Atque sive uno, sive altero modica desuper cadit quæstio, quid restituendum sit in casu solutio matrimonii, vel alio casu restitutionis dotis, quoniam ista consistere dicitur in quantitate, pro qua assignatio facta est, omneque commodum, & incommodum Officii pertinet ad virum, tanquam Dominum, cujus utilitati cedit Officii augmentum, & damno ejusdem decrementum, sive periculum vacationis, ob illum contractum emptionis, & venditionis, qui per legem occultatur in bonis, quæ in dotem dantur æstimata cum vera æstimatione, unde propterea quæstiones desuper solùm cadere solent super qualitate æstimationis, an scilicet ista, sit vera, & propria, itaut sub se contineat dictum contractum emptionis, & venditionis sub certo pretio, in quo potiùs quàm in bonis, vel juribus assignatis dos consistere dicatur, vel potiùs esset æstimatio impropria, quæ fieri solet ad sciendam dotis quantitatem pro lucrorum regulatione, aliisque effectibus, adhuc permanentibus bonis, vel juribus assignatis in dominio mulieris, & tanquam de bonis dotalibus, ut in sua Dotali sede latiùs. A.

In altero autem casu, quod Officium in dotem datum sit inæstimatum, quamvis ob aliquarum legum antinomiam circa usumfructum datum in dotem, à quo ob rationis identitatē ad hujusmodi jura vitalitia rectè licèt arguere, Do- 3
ctores procedentes cū consueto errore decidendi quæstiones cum regulis generalibus, vel cum legum, & auctoritatū littera, nimium se involvere videātur, atque decisionem pendere credant à verborum formalitatibus, & an ipsum jus fructuum productivum, quamvis cum vita mulieris resolubile in dotem datum sit, vel potiùs dati sint ipsi fructus, ut hoc posteriori casu fructus, tanquam principaliter dati in dotem, sortis naturam habeant, secus autem priori casu, in quo sufficiat restituere ipsum jus tale quale sit, juxtà auctoritates plenè recensitas in Dotali sede, occasione agendi de usufructu dato in dotem, unde ad hæc jura vitalitia infertur, ut ibi videri potest; B. Nihilominus pro meo sensu ista videtur quæstio facti, & voluntatis potius, quàm juris, ideoque incapax regulæ, vel decisionis universalis cuicumque casui applicabilis, cum verius in singulis casibus decidenda sit ex illorum particularibus circumstantiis, unam, vel alteram suadentibus voluntatem, inter quas circumstantias, neglectis verè contemptibilibus verborum formulis, utpotè pro frequentiori contingentia, Notariorum potius, quàm partium 4
contrahentium, præcipuum locum occupare debent communis, vel saltem frequentior usus loci, vel regionis, & verisimilitudo desumenda ex quantitate hujusmodi fructuum, seu emolumentorum, & qualitate onerum matrimonialium, metiendo ex qualitate personarum, & usu regionis, atque aliàs clarus error est cum generalitatibus, vel cum auctoritatum littera procedere.

Idque verum etiam ubi sequatur intestatio Officii, vel alterius hujusmodi juris vitalitii in persona viri, quando ex facti circumstantiis constet non occultari dictum implicitum contractum emptionis, & venditionis, quo mediante dos in pretio potius, quàm in ipso Officio, vel jure consistere dicatur, sed id factum esse ob subjectæ materiæ necessitatem, ratione incapacitatis mulieris, ut in ejus persona illud Officium resideat, juxtà superius insinuata, quoniam in humanis actibus, quæ pendent à voluntate, istius veritas, & substantia attendi debet, non autem procedendum est cum Juristarum, vel Grammaticorum superstitionibus, & formalitatibus deductis à littera legum, & auctoritatum, vel à significatione verborum, ut in materia ultimarum voluntatum, ac etiam contractuum sæpius advertitur in suis sedibus.

Ubi autem continuante dominio pleno tituli, vel commoditatis Officii in muliere, adeout recensеatur inter ejus bona extradotalia, seu paraphernalia, vir ejus vice, & no- 5
mine, cum expresso, aut præsumpto, seù legali mandato, de facto percipiat Officii emolumenta, tunc regulariter in his juribus vitalitiis non intrat illa præsumptio consensus, & voluntatis mulieris, quæ intrat in fructibus illorum bonorum, quorum substantia, vel proprietas remanet salva, quando in communes usus consumpti sunt, adeout nec in specie, nec in æquipollenti extent, juxtà deducta in eadem Dotali sede, quoniam intrat id, quod est dictum supra Cap. 3. ut non fructuum, sed sortis principalis naturam, & qualitatem habeant, quamvis ex communi opinione, ac usu loquendi fructus reputentur, dum non remanet salva proprietas, vel substantia, ut in eadem Dotali sede, ac etiam in illa Regalium advertitur; C. Adhuc tamen ista regula non est ita mordicus, & generaliter recipienda, ut in omni casu pariformiter ita judicari debeat, ad aliud non reflectendo, juxtà superficialium Pragmaticorum stylum, quoniam pariter est quæstio facti, & voluntatis, quæ juxtà singulorum casuum circumstantias regulari debet, illis circumstantiis præsertim attentis, quæ superius consideratæ sunt, magis nempe communis usus loci, seu regionis, & verisimilitudo, & an vir, talia emolumenta in communes usus consummando, in tali bona fide versatus dici valeat, ut excusationem mereatur ab illo gravi damno, quod

aliàs

aliàs ignarus hujuſmodi ſubtilitatum pati cogeretur in jactura ejus aſſis in proprietate, dum dicere poteſt, quod ſibi imputet mulier, cur videndo conſumptionem in communes uſus, non impedierit, quo caſu ille magis parce vixiſſet, neque feciſſet illos ſuperfluos ſumptus, ad quos muliebris vanitas cum domorum, & familiarum ſupplantatione, viros quodàmmodo cogere ſolet, ideoque eſt punctus pro Judicis prudenti, benèque regulato arbitrio decidendus.

Idem quod de viro obtinente Officia, jure illius utilis,
6 vel ſubalterni dominii contradiſtincti ab illo proprietatis, quod in eo conſideratur, procedere videtur in uſufructuario, quando uſusfructus eſt particulariter conceſſus, vel relictus de Officio, quod in titulo, vel in commoditate obtineatur, quoniam licet ex juris ſubtilitate in his juribus vitalitiis non detur verus uſusfructus, qui dicitur, quando ſalva remanet proprietas, vel cauſa fructuum productiva, adeout juxtà juris regulas, quàdo relinquitur, vel conceditur uſusfructus alicujus prædii, vel rei, quæ in ſolo uſufructu, ſive aliàs ad vitam poſſideatur, non ſit verificabilis uſusfructus, niſi in commodo, & fruitione fructuum cumulandorum, & inveſtiendorum, qui propterea ſpeciem, ſeu naturam proprietatis habere dicuntur, nihilominus in diſpoſitione rei particularis videtur, quod attenta veritate naturali voluntatis concedentis, vel diſponentis, non ſecundùm hujuſmodi ſubtilitates juris, ſed groſſo modo, juxtà communem loquendi uſum, vel communem hominum opinionem, talis diſpoſitio intelligenda veniat pro vera fruitione illius rei donec vivat, & duret jus diſponentis, dum ita utrumque copulativè neceſſarium eſt, concipiendo diſpoſitionem in uſufructu ad excludendum ne ille, cujus favore diſpoſitum eſt, vendere valeat Officium, vel aliam rem, quamvis non pleno jure, ſed ad vitam competentem, ob ejuſdem juris durationem veriſimiliter ſperatam poſt ceſſatam vitam ejus, cujus favore diſpoſitum eſt; Potiſſimè verò, ac principaliter ubi qualitas perſonæ, & rei reſpectivè ità exigat, quia aliàs diſpoſitio pene inutilis, vel aliàs inveriſimilis eſſet; Ut puta (exempli gratia) obtinet quis domum acquiſitam ad vitam alicujus ex ejus filii, vel alterius junioris, cujus vita, juxtà ordinem, & curſum naturæ, longæva creditur, & ſperatur, decedens autem relinquit ſolum uſumfructum illius domus, vel alterius prædii ejus uxori ſuperſtiti, longè majoris ætatis, quàm ſit ille filius, ad cujus vitam res obtinetur, utique fabuloſum eſſet dicere, quod hæc diſpoſitio intelligenda eſſet de uſufructu penſionum domus, vel fructuum cumulandorum ex illo prædio, dum ſubſtantia veriſimilis voluntatis illa videtur, quod perſona, cujus favore diſpoſitum eſt, fruatur illa domo, vel illo prædio, ſive emolumentis illius Officii, donec vivit pro ejus ſuſtentatione, vel commoditate, non relinquendo ſimpliciter ipſam rem, ob ſpem majoris durationis poſt ceſſatam vitam ejus, cujus favore diſpoſitum eſt, cum ſimilibus, iſtaque videtur vera, & germana regula, cum qua procedendum eſt in hujuſmodi quæſtionibus, quæ potius facti, quàm juris eſſe videntur, perſcrutando ſcilicet ſubſtantiam veritatis naturalis, non autem ſubtilitates, vel ſuperſtitiones juris, quæ attendi debent, quando factum non aſſiſtat, adeout iſtius circumſtantiæ diverſimodè non ſuadeant. D.

Unde propterea ſi in iſto caſu diſpoſitionis de re certa, &
7 particulari proprietarius ad ſe aſſecurandum à periculo vacationis, atque ponendum in tuto pretium velit pro juſto, & currenti pretio illud Officium, ſeu illam rem, quæ ad vitam propriam, vel alterius obtinetur, offerendo uſufructuario uſumfructum illius pretii, quod exinde retrahendum erit, atque in perpetuam acquiſitionem inveſtiendum, poterit probabiliter uſufructuarius ſe opponere ratione ejus præjudicii, quoniam in hujuſmodi juribus vitalitiis longè major eſt fructus, quàm in juribus perpetuis, ut docet praxis in cenſibus, quod fructus vitalitiorum eſt major penè in duplo, quàm perpetuorum, atque venditiones domorum,
8 vel prædiorum ad vitam fieri ſolent pro longè minori pretio, quàm in perpetuum, unde reſultat, quod longè major ſit fructus, tanquam recompenſativus pretii, quod amittitur in proprietate, contingente caſu ceſſationis vitæ, atque in his præciſis terminis Officiorum, ſuperius inſinuata eſt praxis ſub Pio IV. in conceſſione Officii Secretariatus Apoſtolici facta Capitulo Sancti Euſtachii, quoniam cùm pretium currens hujuſmodi Officiorum tunc eſſet ſcutorum 5500. ita ratione perpetuitatis penes manum mortuam, valutatum fuit in ſcutis 11.m. ideoque fructus eſt in medietate minor.

Ad quod conferunt ea, quæ habentur in conſueta Regalium ſede occaſione curioſi caſus diſputati, quod ſcilicet 9
cùm cuidam Moniali pater aſſignaſſet pro ejus conſueto, & ab Eccleſia tolerato livello, cujus mentio pluries habetur in Dotali ſede, & alibi, in tot locis Montium vacabilium, quæ ſonant in idem, ac hujuſmodi Officia, ſive alia bona competentia ad vitam, facta verò eſſet hujuſmodi locorum ſuppreſſio cum reſtitutione pretii, ut enunciatur infra Cap. 14. hinc ortum fuit dubium, an Monaſterio debitum eſſet dictum pretium ad ejus perpetuam utilitatem, inveſtiendum in bona ſtabilia, ſeu loca Montium non vacabilium, aut cenſus perpetuos, quorum fructus aſſignari deberent Moniali, donec vixerit, pro ejus livello, ut Monaſterium prætendebat, vel potius idem pretium erogandum eſſet in aliquod Officium vacabile, vel in cenſum vitalitium in majori fructu ad commodum Monialis, ut prætendebat ejus parentes, vel conjuncti, qui dicebant aliàs fieri contra, vel præter eorum intentionem, quæ fuit dandi ad commodum perpetuum Monaſterii ſolam dotem, iſtam verò pecuniam dandi ſolùm ad commodum majus Monialis, donec iſta viveret, idque non tam pro commodo, & utilitate Monialis, quàm pro eorumdem parentum, vel conjunctorum intereſſe, quoniam eorum intererat dictum livellum eſſe pinguius, ut cũ eo occurri poſſet illis extraordinariis uſibus, vel indigentiis, ex quadam fortè indelebili conſuetudine inductis, quibus aliàs ex honeſtate occurrere ipſi deberent; E. Adhuc tamen dicendum videtur, ut iſte non ſit punctus capax regulæ certæ, & univerſalis, cùm potius decidendus videatur prudentis Judicis arbitrio, ex ſingulorum caſuum circumſtantiis regulando, quæ dictam æquitatem favore proprietarii ſuadeant, vel excludant.

Ubi verò agatur de uſufructu univerſali omnium, vel 10
plurium bonorum, inter quæ adſit aliquod Officium vacabile, vel aliud jus vitalitium, adeout non intrent illæ conſiderationes, quæ cadunt in præcedenti caſu diſpoſitionis particularis circa diſponentis voluntatem, quod voluerit cum illo proventu providere perſonam tanquam cum annuo fructu, ita ex communi opinione, vel uſu reputato, quamvis de juris rigore non eſſet talia, ſed potius haberet ſpeciem proprietatis, vel ſortis, & tunc ſi proprietarius eſt ſolicitus de aſſecuratione pretii, & de ſe eximendo à periculo vacationis cum venditione Officii, vel alterius juris vitalitii, pro juſto currenti pretio, inveſtiendo in bona ſtabilia, vel alia jura perpetua, & fructifera, non videtur quod uſufructuarius juſtè ſe opponat, quoniam de ſtricta juris cenſura in his vitalitiis non datur uſusfructus, niſi in ipſorum fructuum fruitione, unde propterea ſi duraret ille ſtatus, deterior eſſet ejus conditio, quàm obtinere fructus ex dicto inveſtimento percipiendos, illæ verò conſiderationes, quæ pro regulatione arbitrii Judicis factæ ſunt ſuperius, cum fundamento veriſimilis voluntatis, non intrant in hac diſpoſitione generali complexiva plurium ſpecierum bonorum. Si verò proprietarius id negligit, atque patitur, quod uſufructuarius percipiat emolumenta Officii, ſive alterius juris vitalitii, quod continuet in ſuo ſtatu, & tunc de ſtricta juris cenſura quoque idem dicendum videtur, quod uſufructuarius non faciat ſuos hujuſmodi fructus, quoniam tenetur cavere de utendo, & fruendo arbitrio boni viri, & ſine qua cautione de jure non facit fructus ſuos, illaque ubi etiam non præſtetur, ſubintelligitur ità, & taliter, quod ſalva remaneat rei ſubſtantia, vel proprietas, quæ in hujuſmodi vitalitiis conſiſtere dicitur, ut præmiſſum eſt, in emolumentis, quæ vulgò *fructus* dicuntur, quamvis non ſint, neque ignorantia hujus diſpoſitionis legalis, juxtà regulam generalem, excuſat. Adhuc tamen excluſum non videtur, etiam iſto caſu Judicis arbitrium interponendum, quando tales concurrant facti circumſtantiæ, quæ præſeferant aſſiſtentiam voluntatis diſponentis, vel illam æquitatem, & bonam fidem, ob quam temperatur ille juris rigor, qui excludit uſufructuarium à faciendo fructus ſuos ante præſtitam cautionem, dum in minori culpa videtur eſſe proprietarius, qui neglexit ſibi conſulere; Niſi verſaremur in caſu, quod idem uſufructuarius haberet curam, vel adminiſtrationem proprietarii, unde propterea ſibi incumberet hoc onus, cùm iſto caſu non poſſit allegare propriam culpam, propriamque negligentiam ad proprium commodum, quod permittendum non eſt reportari ex delicto. F.

In hærede, qui reſtitutionis onere ſit gravatus, vel ubi ta- 11
le onus non habeat, adhuc tamen habeat aliud onus reddendi rationes de hæreditate obærata creditoribus, à quibus

ob

ob inventarii beneficium ipſe ſit immunus, aliquod majus cadere videtur dubium, an licitè poſſit continuare in perceptione fructuum, & emolumentorum Officiorum, aliorumque jurium vitalitiorum, exponendo hæreditatem periculo damni vacationis, & amiſſionis ob ceſſationem vitæ illius, in cujus perſona Officium, vel aliud ſimile jus cantet, vel potius teneatur Officium, vel aliud ſimile jus alienare, ac ponere in tuto pretium pro ſucceſſoribus in fideicommiſſo, vel reſpectivè pro creditoribus, adeout aliàs periculum cedat ejus damno.

In iſta quæſtione à noſtris ſenioribus, pro mea notitia, non tractata, moderno verò tempore pluries diſputata in Rota, ut in ſpecie de illa agitur in ſede Fideicommiſſorum, ac etiam in altera Detractionum G. proceſſum fuit cum generalitatibus, quæ mihi nunquam placuerunt, cùm revera in judicando illæ ſemper producant errores, & æqui-
12 voca, quoniam judicia practica pro decidendis controverſiis in caſibus particularibus, & individualibus, regulari debent magis ex facto, quàm ex jure attentis ſingulorum caſuum circumſtantiis, & conſiderationibus, ob quas frequentet contingit, quod in diverſis caſibus, qui fraternizare videntur, ac eſſe omninò ſimiles, quia cadant ſub eiſdem juris regulis, & concluſionibus, oporteat diverſimodè judicare, quia ſic exigant aliquæ circumſtantiæ, etiam in modico alterativæ, ſive diverſificativæ. Quare, ut in omnibus judicialibus, & practicis quæſtionibus caſuum particularium, pro meo judicio, faciendum eſt, procedi debet cum caſuum diſtinctione, quæ neque ſola ſufficit, quoniam etiam in illis caſibus, in quibus pro regula uno modo ſtatuatur, adhuc ab illa recedendum eſt, quando facti circumſtantiæ diverſimodè ſuadeant; ideoque Judices, vel conſulentes pro veritate, ad factum potius ac principaliter, quàm ad jus reflectere debent, deſervientibus juris regulis, & concluſionibus pro quadam regulatione eorum judicii ſuper conſideratione circumſtantiarum, & tanquam per ſpeciem lanternæ exiſtentis in portu, pro directione navigantium, qui debent quidem ad lanternam reſpicere, ejuſque notitiam habere, ſed principaliter incumbere debent in invigilando ſuper qualitate ſituum, & locorum, in quibus reperiuntur, & per quæ tranſituri ſunt, ne incidant in ſcopulos, & in ſirtes, aut arenam, &c.

Primus itaque caſus eſt, quando accedat voluntas ejus, de cujus hæreditate agitur, permiſſiva, vel reſpectivè prohibitiva continuationis hujuſmodi jurium vitalitiorum, quoniam tunc ceſſat omne dubium, dum teſtatore prohibente, extrà omnem controverſiam, hæres contraveniendo, delinquere dicitur, ideoque periculum ejus damno cedere debet; E converſo autem ipſo præcipiente, vel permittente, excuſatur, atque damnum debet eſſet hæreditatis, & jus in ea habentium, ut occaſione continuationis periculoſæ negotiationis, quam defunctus exercebat, tanquam in caſu frequentius contingibili receptum eſt; H. Iſtaque voluntas poteſt eſſe implicita, puta (ad rem noſtram) quod ſi defunctus poſſideret Officium vacabile cum facultate nominandi, atque decedens nominaret hæredem, ita adeſſe videtur voluntas, ut continuaretur in hac ſpecie inveſtimenti, & negotiationis, dum negligit aliud injungere hæredi nominato pro aſſecuratione pretii, cum ſimilibus circumſtantiis, vel argumentis eamdem ſuadentibus voluntatem.

Alter eſt caſus, quod hæres faciat talem actum poſitivum, qui redoleat quamdam novam efformationem juris vitalitii, & periculoſi, quamvis per mortem teſtatoris periculum ceſſaſſet, ut (exempli gratia) contingit in ſocietate Officii ſuper vita diverſæ perſonæ, quam creditoris morientis, ut frequenter contingere ſolet in ſocietatibus, quæ contrahuntur cum Notariis, aliiſque Officialibus ſuper vita eorundem, quoniam præmoriente creditore reſolvitur ſocietas, ſed debitor non lucratur ſortem, quę remanet tamquam creditum à debitore perſolvendum, ut in ejus particulari ſede hujuſmodi ſocietatum pluries habetur. Si ergo hæres renovat ſocietatem, deindeque eveniat periculum amiſſionis ſortis, iſtud debet eſſe ſuum, non autem hæreditatis, ut non ſine modico labore, poſt plures diſputationes obtinui, hanc intelligi veritatem, ex ea clara ratione, quod iſte eſt ſpecies periculoſæ negotiationis, quam hæres gravatus aſſumere non poteſt ſine præcepto teſtatoris, quamvis iſte ſolicitus eſſet illam exercere. I. Idemque dici poteſt, ſi aliud faciat actum poſitivum, qui redoleat novi juris efformationem, cum prioris extinctione, quamvis inducta non eſſet ſecuritas pretii, ut in caſu præcedenti, puta quia hæres curaſſet transferri in ejus perſonam illum Officium, quod defunctus acquiſierat in perſona alterius, dum hæc tranſmutatio in ſe continet venditionem Officii, & extinctionem prioris juris, cum efformatione novi juris, tamquam per ſpeciem novæ emptionis, novique inveſtimenti periculoſi, quod ipſe facere non poterat, ut ſupra.

Tertius eſt caſus, in quo hæres nullum faciat actum poſitivum, ſed ſolùm habeat ſe negativè, continuando ſcilicet ſtatum, quem reperiit, & negligendo conſulere periculo, & tunc contra ipſum urget conſideratio aliàs deducta in enunciata Fideicommiſſorum ſede, quod cum hæres gravatus fideicommiſſo, vel reſpectivè hæres beneficiatus, ubi præſertim hæreditas poſſit eſſe ſuſpecta de inſufficientia, dicatur legalis adminiſtrator, & curator, curatori jacentis hæreditatis quodammodo comparandus, teneri quoque debeat de neglectis, dum debebat more diligentis patrisfamilias huic periculo occurrere; E converſo autem pro hærede duo faciunt, primò quod iſta ſpecies adminiſtrationis obligare ſolùm videtur ad dolum, & latam culpam, ut habetur occaſione neglectæ exactionis debitorum hæreditatis, ideoque præſtare non debeat iſtam culpam, quæ leviſſima potius dicitur, ſive ad ſummum vix levis habet ſpeciem; Et ſecundò quod prohibitio, quam hæres habet aſſumendi, vel proſequendi periculoſas negotiationes, quamvis eas defunctus eſſet ſolitus exercere, procedit in novis negotiationibus, quæ fiant, non autem in jam factis per defunctum, quas ſolùm perficiat; Ideoque iſta poſterior pars probabilior videtur; Ea tamen retenta, adeout periculum vacationis cedere debeat damno hæreditatis, exindè reſultat, ut fructus per ipſum ex hujuſmodi vitalitiis juribus perceptos reſtituere, vel imputare, ſive de eis rationem reddere debeat; Tum ex regula, ut eum ſequantur commoda, quem ſequuntur incommoda, ut in lucris negotiationis receptum habetur, dum iſta dicitur negotiatio ſuper incerta alea; Tum etiam quia dum non remanet ſalva ſubſtantia, ut pluries dictum eſt, hujuſmodi fructus, ſortis potius naturam, & ſpeciem habere dicuntur, atque in hoc conſiſtere ſolet æquivocum, ut hæres ſuos facere velit fructus, & non ſubjacere periculo.

a *Lib. 6. de dote diſc.* 158.
b *Lib. 6. de dote diſc.* 148.
c *De Regal. diſc.* 34. & 35. & *de dote diſc.* 168. *ubi de extradotalibus.*
d *Locis proximè ſuprà citatis.*
e *De Regal. diſc.* 34.
f *De ſervitut. diſc.* 48.
g *Lib.* 9. *de legitima, & detraction. diſc.* 13. *lib.* 10. *de fideicommiſſ. diſc.* 192.
h *Dict. tit. de fideicommiſſ. diſc.* 191.
i *Dict. diſc.* 192. *de fideicommiſſ.*

De Officiorum Venalium vacatione, quomodo ſequatur; Et de privatione Officialium, an, & ex quibus cauſis in particulari, abſque Officiorum ſuppreſſione, fieri valeat.

SVMMARIVM.

1 *DE vacatione Officii ob mortem Officialis, & quæ perſona attendatur.*
2 *Sive ſit naturalis, ſive violenta.*
3 *Quid de morte per manus iuſtitiæ.*
4 *An mors reſignantis poſt reſignationem præiudicet reſignatario.*
5 *De probatione mortis, & cui nam incumbat onus probandi mortem, vel vitam.*
6 *De vacatione ob promotionem ad Cardinalatum.*
7 *Quid de promotione ad Epiſcopatum.*
8 *Et an per ſtatum regularem.*
9 *De qua poteſtate Principis diſputari ſolet.*
10 *De quorum Officialium privatione hic agatur.*
11 *De diſtinctione inter Privationem Officialis, firmo remanente Officio, & ſuppreſſionem generalem Officiorum.*
12 *Ad quid teneatur Princeps erga Officialem, quem ſine cauſa privat Officio.*

13 *Princeps in contractibus, & pactis habetur iure privati.*
14 *Quæ sit iusta causa privationis Officii sine culpa Officialis.*
15 *De duplici persona publica, & privata quæ consideratur in Principe.*
16 *Quando Princeps dicatur violare fidem, & contravenire pactis.*
17 *De privatione Officii ob delictum Officialis, quomodo intret.*
18 *De quo consistat pretium, & venalitas Officiorum.*
19 *De bonis allodialibus connexis feudo.*
20 *De obligatione successoris in Officio solvendi pretium prædecessoris privato, vel successori in feudo emendi bona allodialia.*

CAP. XIII.

1 FRequentior, & connaturalis vacationis modus in hujusmodi Officiis est ille, qui sequitur per mortem naturalem illius personæ, in qua Officii titulus residet, & quæ in libris publicis inter Officiales est descripta, quamvis Officii omnimodum commodum, & incommodum ad alium pertineat, ut frequenter in præcedentibus dictum est, cùm ad hunc effectum, atque respectu Principis, ille dicatur Officialis, in cujus persona concessio cantat, & quem ipse in ejus libris descriptum habet; Id autem speciale non est in Officiis, & ex Regalium natura, sed generaliter procedit in omnibus juribus vitalitiis respectu interessatorum. Unde propterea habemus quotidianam praxim in societatibus Officiorum, quod si societas per unum cum ejus pecunia ad omnimodum commodum, & incommodum contracta est, sub periculo vitæ alterius, per istius, non autem per commodatarii mortem societas cessat, atque debitor sortem lucratur; Ita pariter in pensionibus Ecclesiasticis, quoniam pro illarum cessatione attenditur persona reservatarii, non autem commodatarii, nisi quando ista principaliter per Papam considerata sit, illa verò reservatarii stet ex stylo, ad removenda quædam impedimenta, ut (exempli gratia) contingit in pensionibus Hispaniarum, cum similibus, ut superius quoque insinuatum est; Ac etiam in usufructu, quoniam nil refert istius commoditatem alteri cessam esse, sed attenditur persona cedentis, quoties non accedat consensus proprietarii, quo casu inducitur transmutatio de persona ad personã, tamquam per occultam extinctionem juris cedentis, & efformationem novi juris in cessionario, quod generaliter procedit in venditionibus, aliisque contractibus vitalitiis inter privatos super bonis indifferentibus. A.

Mors autem naturalis ad hunc effectum Officiorum dicitur talis, ad illam distinguendam à civili, ac denotandam se-
2 parationem animæ à corpore, non curato, an sit naturalis, vel violenta, cùm ista distinctio considerari soleat in societatibus Officiorum, aliisque similibus contractibus, ad tollendum dubium, vel suspicionem, ne ille, qui lucrum ex morte sperat, istam malis artibus affectet, & acceleret, non autem in his Officiis cum Principe, in quo ista suspicio non intrat, etiamsi esset mors per manus justitiæ, cùm hujusmodi distinctiones admittantur inter privatos, & pro eorum interesse, unde propterea in isto ultimo casu mortis violentæ per ma-
3 nus justitiæ, quæ dicitur voluntaria, & culposa ex parte morientis, cadere potest quæstio inter istius hæredem, & commodatarium Officii, vel alterius juris vitalitii, an teneatur ad refectionem damnorum, & interesse, ex tali morte commodatario resultãtium, atque distinctio est, quod si moriens persona, in qua residebat Officium, vel aliud jus vitalitium, absque aliquo ejus facto, est solùm demonstrata ex electione commodatarii, absque eo, quod aliquod commodum ipsa persona demonstrata reportaverit, & tunc dicatur casus accidentalis, nullam tribuens actionem, sed cadens sub alea empta; Aut verò moriens per manus justitiæ ob ejus delicta, adeout justa, & debita fuerit mors, non autem injusta, & tyrannica, cessit Officii, vel pensionis, aut alterius juris vitalitii commodum alteri ex causa onerosa, & correspectiva, accepto competenti pretio, & tunc intret obligatio refectionis damnorum, quasi quod ex ejus culpa, & facto voluntario illa mors sequuta sit, ut in Pensionum sede advertitur. B.

Quinimò casus mortis, non solùm inducit vacationem sine dubio illius Officii, vel juris vitalitii, cujus titulus, vel substantia de illius tempore in persona morientis residebat, sed etiam producit quæstionem, aliàs jam superius insinuatam, an eumdem operetur effectum in præjudicium tertii superviventis, in quem jam Officii, vel alterius juris translatio 4
facta esset, ob mortem de proximo sequutam, ex illa regula, quæ in beneficialibus habetur de infirmis resignantibus, quam tamen in his terminis non intrare pariter superius insinuatum est, C. illeque videtur casus fortis, & singularis in his Officiis vacabilibus, in Curia tamen practicari non solitus, pariter aliàs insinuatus, in quo per mortem officialis non sequatur vacatio, quando scilicet officium, à Principe conferri solitum, collatum est in gratiam alterius, ut istum provideret, sed ob ejus incapacitatem concessio concepta sit in persona alterius, puta juxta jam deductum exemplum, quod Princeps cum illius Officiis emolumentis providere voluerit mulierem, ob cujus incapacitatem concessio concepta sit in persona ejus viri, cum similibus, quibus eadẽ congruat ratio.

Super istius autem vacationis verificatione non cadunt 5
illæ difficultates, & quæstiones, quæ dignoscuntur in materia emphyteutica, & fideicommissaria, ac etiam dignosci deberent in feudali ex rationis identitate, nisi in feudis nobilibus, quæ sunt de directo dominio Regum, & suppremorum Principum, eas dirimeret ille fiscalium stylus, in sua feudali sede, pluries enunciatus, non litigandi manibus vacuis; Undè propterea, quando dubium cadit mortis personæ, vel terminationis lineæ, Fiscus apprehendit possessionẽ, quod privatis non permittitur, cui scilicet incumbat onus probandi mortem, vel respectivè vitam, & qualis species probationis desideretur, vel sufficiat, & quomodo intelligenda veniat propositio, quo quilibet præsumitur vivere usque ad centum annos, & super quibus nostri, cum consueta opinionum varietate, adeò se involvunt, atque non modicas deducunt simplicitates, ac frigiditates, ut in suis sedibus videre est; D. In his enim Officiis, quorum ad instar idem ex rationis identitate procedit in pensionibus ecclesiasticis, & in censibus vitalitiis, cùm jus officialis consistat solùm in facultate percipiendi singulis statutis temporibus illa emolumenta, quæ aliàs pertinerent ad Cameram, per quam ita cum certo pretio anticipatè recepto, tamquam per incertam aleam concessa sunt illi personæ, donec vivit, idcircò si illa persona vult percipere emolumenta, vel debet personaliter juxtà stylum intervenire in Cancellaria statutis diebus, & horis, & in solitis congregationibus, unde propterea cum præsentia tamquam notoria certificatur ejus vita, vel si est absens, ideoque vult percipere emolumenta per substitutum, vel per mandatarium, huic incumbit onus, tamquam agenti ad perceptionem illorum emolumentorum, docere de superviventia, tamquam fundamento ejus actionis, & petitionis, ex eadem ratione, ob quam in materia emphyteutica domino directo, agenti ad devolutionem, incumbit onus probandi mortem tamquam fundamentum suæ actionis, & intentionis, idemque in eo, qui sit vocatus ad fideicommissum conditionale, post mortem gravati, de qua ipse uti actor, docere debet, tamquam fundamento suæ actionis, & intentionis, cum similibus; Atque ista superviventiæ justificatio in singula tempora juxtà stylum, quando agitur de absentibus, aliquam magis exactam, magisque specificam exigere videtur probationem, ad occurrendum fraudibus, quæ desuper committi possunt, & quandoque solent, quod scilicet moriente persona, in qua cantat Officium, vel portio, si in eadem domo, ut sæpè contingit, reperiatur filius, vel nepos ejusdem nominis, & cognominis, sub isto nomine, & cognomine continuatur in perceptione emolumentorum, juxtà casum particulariter in consueta Regalium sede peractum. E.

Alter casus vacationis omnimodæ cum amissione pretii, 6
ad instar jam peractæ, quæ per mortem sequitur, est ille, qui resultat à promotione Officialis ad Cardinalatum, vide novam Constit. Innocentii XII. impressam in fine *hujus disc.* qui in hoc inducit quamdã mortem civilem naturali æquiparatam, ex quadam antiqua Curiæ consuetudine, incertum ex quo principio, quavè occasione inducta, & super qua, cum oriri solerent dubitationes, & cõtroversie, an intelligenda solùm esset de Officiis majoribus Cameralibus, in quibus frequentius casus contingere solet, undè propterea apud ignaros, vel malignos datur occasio illis vanis obloquutionibus de quibus actum est supra Cap. 4. ad tollendum omne dubium prodiit constitutio 148. Urbani VIII. per quam declaratur, ut generaliter in omnibus Officiis, ac etiam locis Montium vacabilibus id procedat, talisque est praxis inconcussa; Quinimò antiquitus eadem vacatio sequebatur, etiam per promotionem ad Episcopatum, vel

Archiepiſcopatum, aut Abbatiam, quæ haberent actualem
7 adminiſtrationem, ſed poſteà per Innocentium IX. deſuper in contrarium proviſum fuit, atque confirmatum per dictam Conſtitutionem Urbani, unde propterea ob ſolam promotionem ad Cardinalatum hodiè iſta ſequitur vacatio, quę neque reſultat ob profeſſionem ſolemnem in aliqua Religione, F. quamvis iſta eſſet incapax, etiam in communi,
8 quoniam titulus Officii reſidet, & continuat in illa perſona pro regulatione periculi vitæ, ad commodum, & incommodum illorum, quibus ex ejuſdem profitentis diſpoſitione, vel de jure alia ejus bona, & jura delata ſunt, quoties agatur de illis Officiis ſecundæ, vel tertiæ claſſis, quæ nullam habeant annexam adminiſtrationem, nullamque induſtriam exigant perſonalem, adeout nulla conſideretur incompatibilitas; Ubi verò ſtatus regularis eſt incompatibilis cum officio, ut contingit in Officiis majoribus, & Prælatitiis primæ claſſis, ac etiam in aliquibus ſecundæ claſſis, annexam habentibus aliquam adminiſtrationem perſonalem, tunc vel poterit cogi ad reſignandum Officium alteri perſonæ capaci, per Papam eligendæ, vel interdicetur illi omnis adminiſtratio, quæ committetur Subſtituto, pariter per Papam eligendo, eo modo, quo in caſu delicti, ſeu malæ adminiſtrationis inferius habetur; Idemque in quocumque caſu aſſumptionis alterius ſtatus incompatibilis, puta conjugalis, vel militaris, cum ſimilibus.

Dubium itaque reſtringi ſolet ad illam vacationem, quæ
9 ſequatur ex privatione, vel alia proviſione Papæ Domini Officiorum; Atque inhærendo præſuppoſito, jam præcedenter inſinuato, quod quando fit ſermo de poteſtate Papæ, vel alterius ſupremi Principis in ejus Principatu, & cum propriis ſubditis, intelligitur de defectu morali, ſeu legali, non autem phyſico, & merè potentiali, & ſic de illa poteſtate, quam Juriſtæ dicunt ſimplicem, & ordinariam, utpotè regulandam à juſtitia, & à ratione, quoniam ubi Princeps uti vult ejus plena poteſtate abſoluta, & de facto, nemo eſt, qui ex ejus ſubditis ſibi dicat, cur ita facis, ex iis, quæ ſuperius alibi inſinuata ſunt, & latius deducta ſunt in ſua Regalium ſede, agendo de poteſtate Principis tollendi jus tertii.

Iſto itaque præſuppoſito retento, quod ſcilicet Princeps
10 uti velit ſola poteſtate ordinaria, illamque regulare intra rationis, & juſtitiæ limites (quidquid ſit de poteſtate privandi abſque juſtificatione, vel expreſſione cauſę, illos Officiales, qui gratis, & abſque venalitate per ipſum, vel ejus prædeceſſores, aut inferiores Magiſtratus deputati fuerunt ad juſtitiam miniſtrandam, aliaque munera exercenda, pro Reipublicæ, vel Principatus regimine, quorum reſpectu, utpotè extrà noſtrum propoſitum ſufficit relationem habere ad mox citata loca.)

Quatenus ad hæc Officia venalia pertinet, duæ cadunt inſpectiones; Una quando Princeps procedit per viam legis, & proviſionis generalis ſuper ſuppreſſione Officiorum adeout illa non extent amplius in rerum natura, nec alteri
11 conferantur, & altera, quando Officium uni tollitur in particulari, ut alteri conferatur, adeout Officium adhuc duret, & continuet, mutata ſolùm perſona. De prima inſpectione agitur in duobus proximè ſequentibus capitulis, quare in præſenti agitur de poſteriori privationis, vel remotionis Officialium in particulari, firmis adhuc remanentibus Officiis, quæ aliis conferantur; Iſtoque caſu diſtinctio intrat, an iſte actus veſtitus ſit à juſta cauſa nec ne; quando enim juſta cauſa non accedat, tunc intrat defectus poteſtatis, atque
12 dicitur violari contractus correſpectivus, deficiendo à data fide, & per conſequens Princeps de juſtitia tenetur Officiali ſpoliato ad integram refectionem ejus, quod intereſt, tam ratione intereſſe burſalis, reficiendo illud pretium, quo de tempore facti caſus, Officium currat, ac vendi poſſit, non curato an pro minori, vel majori pretio ille emiſſet, cùm attendatur præſens tempus, juxtà ea, quæ habentur in materia evictionis præſtandæ per venditorem emptori, ſive refectionis ejus, quod intereſt, faciendæ per unum ex contrahentibus, qui non adimplet contractum, ſeu violator eſt datæ fidei, cum ſimilibus. Sed etiam tenetur ad refectionem famæ, & exiſtimationis, cui per talem privationem præjudicium inferretur, ut contingit in illis Officiis, quæ habent annexas, tam adminiſtrationem, quàm dignitates, prærogativas, talem reintegrationem faciendo præcisè, & in ipſa ſpecie, ſi fieri poteſt, ſin minus in æquipollenti. Ceſſante ſiquidem juſta cauſa, ut infrà, ceſſat illa reduplicatio perſonarum, quæ pariter inferius, accedente cauſa, in Principe
13 conſideratur, ideoque adeſſe dicitur ſolùm perſona privati contrahentis, cujus jure, in actibus correſpectivis, habentibus ſpeciem contractus, etiam Princeps habendus eſt, G. atque in his terminis procedunt, & intelligendæ ſunt omnes illæ auctoritates, quæ cum conſueto improbo labore cumulabantur in caſu, de quo in capitulis ſequentibus, ſuper refectione totius pretii currentis, quæ per Officiales ſuppreſſos prætendebatur.

Ubi verò concurrat juſta cauſa, iſta dupliciter verificari poteſt, primò nempe ſine aliqua culpa, vel delicto Officialis, ex cauſali accidenti, & ſecundò, ubi prodeat ex Officialis 14
culpa, & delicto. Prima ſpecies verificatur, (exempli gratia) quando Princeps ex cauſa publica cogitur, vel impellitur ad tollendum Officium poſſeſſori, ut concedat, vel reſtituat alteri pro pace inita, vel ineunda, ut frequenter verificari ſolet in illis reſtitutionibus, vel reintegrationibus Rebellium, qui privati fuerunt Officiis, & feudis, quorum reintegrationem in exequutionem capitulationum pacis facere oporteat, quamvis aliis, pretio mediante, & ex cauſa correſpectiva conceſſa fuerint, juxtà caſum recenſitum in Feudorum ſede, H. cum ſimilibus caſibus, quibus eadem congruat ratio, & tunc dicitur actus potius neceſſarius, quàm voluntarius, ideoque non intrant termini evictionis, minuſque illi violatæ fidei, atque intrat inſinua- 15
ta reduplicatio perſonarum, quæ in Principe conſideratur, quod ſcilicet una eſt perſona privati contrahentis, & altera eſt publici adminiſtratoris, & Rectoris Principatus, & Reipublicæ, ideoque non intrat evictio, ſeu alia refectio damnorum, & intereſſe, cùm deſit culpoſa inobſervantia contractus, & violatio fidei, & per conſequens intrat ſolùm illa æquitas naturalis, quæ prohibet locupletationem de alieno, atque mandat reſtitutionem ejus, quod acceptum eſt ex aliqua cauſa, iſta ceſſante, ſive abſtentionem ab exactione ejus, quod ex cauſa promiſſum eſt, ut proximè ad rem, frequenter habetur in eadem Regalium ſede, occa- 16
ſione controverſiarum, quæ frequentes, penèque quotidianæ eſſe ſolent inter Principem, ejuſque Cameram, & conductores, ſive appaltatores gabellarum, aliorumque publicorum, & Regalium jurium, & reddituum, ob impedimentum, quod idem Princeps, ejuſque Officiales, & miniſtri conductori, ſive appaltatori præſtant, ne plenam, integram, & conſuetam obtineant jurium, & rerum locatarum fruitionem, quoniam ſi id provenit ex facto voluntario locatoris, vel tertii, quem ipſe prohibere poteſt, abſque eo, quod juſta cauſa urgeat, dicitur non adimplere contractum, & non præſtare promiſſam patientiam, ideoque tenetur reficere totum id, quod conductoris intereſt, etiam ratione lucri amiſſi. Sed ſi id faciat ex juſta cauſa, atque ità cogente, vel ſuadente publica neceſſitate, vel utilitate, quamvis voluntariè facere dicatur, quia præcisè ad id non cogatur, attamen ex neceſſitate, & ex diverſa perſona publica regentis Rempublicam, & Principatum potius, quàm ex altera privati contrahentis id facere dicitur; Puta, juxtà exemplum aliàs inſinuatum ſuperius, quod ob imminentiam, vel timorem peſtis, vel belli Princeps prohibeat commercium aliquarum nationum, ſive prohibeat nundinas, & mercatus, aut introductionem, vel contractationem aliquarum merciam. Sive quod ratione penuriæ deneget appaltatori frumenti, aliarumque frugum, & victualium tractas conventas, & promiſſas, aut quod prohibeat in toto, vel in parte exactionem gabellæ locatæ ſuper frumento, vel pane, aliiſque victualibus, vel quod ex aliquo juſto motivo ſupprimat, & extinguat ipſam gabellam locatam, cum ſimilibus, quoniam tunc ad aliud non tenetur, niſi ad reſtituendum id, quod ex dicta cauſa accepit, ne aliàs acceptum remaneat penès eum ſine cauſa, & cum locupletatione de alieno, ſive ut debeat abſtinere ab exactione penſionis, vel alterius rei promiſſæ, non autem, ut prohibeatur illum actū facere, vel quod teneri debeat ad aliquam refectionem, ultrà id, quod accepit, atque in ejus utilitatem verſum eſt, quoniam ut latius habetur infra in Cap. 17. ſolvere, vel reficere id, quod habitum non eſt, dicitur ſpecies pœnæ, quæ præſupponit delictum, quod adeſſe dicitur in caſu voluntarii non adimplementi, ſeu voluntariæ, & illicitæ violationis fidei, non autem, ubi juſta cauſa accedat, ut ſuprà, cùm tunc dicatur ſpecies caſus fortuiti, cui factum Principis aſſimilatur, & juxtà alia proxima exempla, de quibus etiam infrà Cap. 16. & 17.

In altera verò ſpecies privationis ex cauſa delicti, vel culpę Officialis, alia cadit diſtinctio, inter illa delicta perſonalia, quę ſunt extra Officium, ejuſque adminiſtrationem nō con-

cer-

cernunt, & illa è converſo, quæ concernunt Officium, ejuſ-
17 que adminiſtrationem, vel exercitium; Priori namque ca-
ſu, quoties non agatur de tali crimine, quod ex diſpoſitio-
ne legis communis, vel particularis ſecum trahat pœnam
privationis Officiorum, & dignitatum, vel generaliter tra-
hat confiſcationem omnium bonorum, & jurium, ſub qui-
bus hæc Officia quoque venire ſolent, ut occaſione caſus
particularis habetur in conſueta Regalium ſede, cùm age-
retur de confiſcatione, & Doctores advertunt, I. & tunc
non eſt locus privationi, dum delictum eſt extra Officium,
neque inducendæ ſunt pœnæ ultra caſus à lege ſtatutos. Ad-
huc tamen ubi crimen ſit tale quod aliquam irroget infa-
miam, ideoque incongruum ſit adminiſtrationem, vel præ-
rogativam Officio annexam eſſe penès talem perſonam,
ſive quod alter exindè reſultet præjudicialis, vel impediti-
vus effectus, rectè videtur intrare arbitrium, non ſolùm
in Principe, ſed etiam in aliquo majori Magiſtratu illum
cogendi ad vendendum Officium, ut ſe reintegret de pretio,
ſive ad ei prohibendum adminiſtrationem, & exercitium,
deputando ſubſtitutum, ideoque locus eſſe non poteſt pœ-
næ omnimodæ privationis, etiam in titulo, vel commodi-
tate.

Si verò delictum ſit circa idem Officium, eodem tamen
retento præſuppoſito, quod ſecum non trahat de jure con-
fiſcationem univerſalem, vel pœnam privationis expreſsè
impoſitam, ut ſuprà, & de iſta quæſtione non agunt anti-
quiores, quibus iſta materia ignota videtur, quamvis enim
nota ſit eis materia militiarum, de quibus leges Romano-
rum agunt, & quæ ſonant in idem, ut in proœmio inſinua-
tum eſt, non videntur tamen ad iſtos terminos deſcendere;
Ex ſenſu verò cujuſdam moderni conſulentis, qui anteſi-
gnanus reputatur, cum quo moderniores pertranſeunt, ip-
ſaque Rota Romana proceſſit in quibuſdam deciſionibus,
quæ reputantur in materia Magiſtrales, recepta videtur pro-
poſitio, ut locus quidem ſit dictæ coactioni ad vendendum
Officium, ut ſe reintegret de pretio, ſive interdictioni ad-
miniſtrationis, & exercitii, cum deputatione ſubſtituti,
non tamen omnimodæ privationi, ſeu vacationi cum am-
miſſione pretii, vel commodi, eo modo, quo ſequitur in
vacatione per mortem, vel per promotionem, id deſumen-
do ab eo, quod leges civiles diſponunt in domino nimis
aſperè, & ſeverè ſervum tractante, quod cogi poteſt ad il-
lum vendendum recepto pretio, non autem, ut omnimo-
dam ejus dominii privationem pati debeat; L. Unde ad in-
ſtar idem receptum eſt in materia feudali, quod Baro, vel
domicellus, qui aſperè, & ſeverè tractat vaſſallos, vel ſub-
ditos, cogi poteſt ad vendendum feudum, ſive interdici po-
teſt adminiſtratio, ſine tamen præjudicio reddituum, &
emolumentorum, cum ſimilibus, iſtaque propoſitio proba-
bilis videtur, ac indefinitè attendenda, non curata conſi-
deratione aliquorum modernorum, ut id non procedat in
delictis, & ſævitiis graviſſimis, exorbitantibus, exemplari-
bus, ut tunc intrare debeat omnimoda privatio, etiam in
pretio, & commoditate: M. Quoniam ubi iſta pœna pri-
vationis omnimodæ, etiam pretii, vel commoditatis, per
legem adjecta non eſt, non de facili ſubintelligi debet, cùm
in pœnalibus non debeant admitti extenſiones, vel ſubin-
tellectus. Ac etiam quia eſſet aliàs latam aperire viam illis
adulatoribus fiſcalibus, qui Principis gratiam cum turpibus
lucris, & utilitatibus affectare ſatagunt, inquirendo cri-
mina, & defectus hujuſmodi Officialium, ut ita novas Of-
ficiorum venditiones facere poſſint, novumque pretium
reportare.

Alia quoque, pro meo ſenſu, magis proxima, magiſque
ſtringenti accedente ratione adaptabili Officiis venalibus
Romanæ Curiæ, de quibus agitur, quoniam aut ſunt illa
Officia minora, & popularia tertiæ, ac etiam reſpectivè ſe-
cundæ claſſis, quæ nullam habeant annexam adminiſtra-
tionem, unde propterea ſolum redoleant quamdam negoti-
ationem pecuniariam, cum incerta alea lucri, & dam-
ni, ut ſunt alia inveſtimenta vitalitia indifferentia, & tunc nō
datur caſus delinquendi, & culposè agendi in Officio. Aut
verò agitur de Officiis majoribus, & Prælatitiis, recenſitis
ſub prima claſſe, habentibus annexam Prælaturam cum
adminiſtratione, & dignitate, vel etiam de illis ſecundæ
claſſis, quibus in parte eadem congruat ratio, ob aliquam
adminiſtrationem annexam, & in quibus dari poteſt caſus
delicti, vel culpæ in Officio, & tunc culpa, vel delictum
habebit quidem juſtum motivum privationis ipſius Officiis,
ejuſque adminiſtrationis, ac Prælaturæ, & dignitatis, &
præeminentiarum, non autem amiſſionis pretii, ex ratio-
ne inſinuata ſuperius Cap. 4. quod ſcilicèt pretium non ſol-
vitur ratione ipſius Officii, ac Prælaturæ, & dignitatis, &
præeminentiarum, ſive adminiſtrationis juſtitiæ, ſed ratio-
ne quorumdam merè temporalium emolumentorum acci- 18
dentaliter annexorum, quæ poſſunt adeſſe, & abeſſe citra
ſubjecti corruptionem, illaque de per ſe conſiderata, tam-
quam ſeparata ab illo munere, ſuum habent pretium, eo
modo, quo habent dicta Officia minora, & popularia ter-
tiæ claſſis, ac etiam reſpectivè ſecundæ, quæ nullam habent
nec adminiſtrationem, nec dignitatem, & honorificentiam,
adeout ſi hæc emolumenta diſmembrentur à Clericatibus
Cameræ, aliiſque Officiis majoribus, & Prælatitiis primæ
claſſis, atque ſuper eis erigerentur tot Officia popularia, pu-
ta Militiæ, vel Portiones, unde Clericatus Cameræ, aliaque
Officia majora conferrentur gratis, eo modo, quo confe-
runtur Auditoratus Rotæ, aliaque Officia Prælatitia non
venalia, adhuc Camera obtineret idem pretium, forteque
majus ob frequentiores vacationes, aliàs enim eſſet canoni-
zare erroneam, ſeu malignam opinionem imperitorum,
ſeu malignantium, de qua eodem Cap. 4. Ideoque iſta an-
nexio aſſimilari poteſt illi annexioni accidentali bonorum
allodialium, quam frequentiſſimè practicamus in feudis,
abſque eo, quod feudalia efficiantur, ut ſæpius in ſua Feudali 19
ſede, quoniam ſi pro delicto feudali aperiatur Domino feu-
dum, abſque aliqua refectionis obligatione, non per hoc
aperiuntur allodialia, quæ Feudatario remanent, ubi non
amittantur ratione confiſcationis univerſalis, quæ intra-
ret pro delicto, idque propterea ſolùm operaretur quod ſuc-
ceſſor in Officio juſtè, ac rationabiliter cogi poſſet, quam-
vis à Papa gratis Officium obtineret, ſolvere Officiali pri-
vato pretium, ad inſtar illius praxis, quæ in aliquibus Prin- 20
cipatibus habetur, & præſertim de ſtylo in Regno Neapoli-
tano, quod devoluto feudo per lineam finitam, ſeu fæloniam,
aut aliud crimen, non amittuntur allodialia in eo exiſten-
tia, & quæ accidentaliter feudo ſolent eſſe annexa, ut ſuprà,
ſed novus emptor, vel conceſſionarius feudi cogitur illa
emere pro juſto pretio, cum ſimilibus.

a *De his diſc.* 148. *de dote, ubi magis ex profeſſo de uſufru-*
ctu diſc. 16. *de Regal. ubi de Officiis, & in tit. de ſociet.*
Officii, & de penſion.
b *Lib.* 13. *de penſion. diſc.* 69.
c *De Regal. diſc.* 6.
d *Lib.* 4. *de Emphyteuſ. diſc.* 36.
e *Diſc.* 15. *de Regal.*
f *Diſc.* 2. *de Regal.*
g *Lib.* 1. *de feud. diſc.* 4. *Fagnan. & alii relati lib.* 2. *de*
Regal. diſc. 148. *& occaſione defalchi in appaltibus ob*
non ſervata pacta eodem tit. de Regal. diſc. 65. *& ſeqq.*
& diſc. 159.
h *De feud. diſc.* 27.
i *Capyci Latr. conſultat.* 34. *num.* 54. *cum aliis eodem tit. de*
Regal. diſc. 160. *& in aliis.*
l *Cravet. conſil.* 6. *ſub num.* 108. *cum ſeqq.*
m *A Ponte de poteſtate Proregis tit.* 3. §. 1. *de elect. Offi-*
cialium num. 3. *& ſeqq.*

SANCTISS. DOMINI NOSTRI

INNOCENTII

Divina Providentia Papæ XII.

Conſtitutio quod de cætero Officia, & loca Montium Vacabilia Romanæ Curiæ, cuiuſcumque qualitatis ſint, per aſſumptionem ad Cardinalatum illa obtinentium minimè vacent.

INNOCENTIUS PAPA XII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

EX quo humilitatem noſtram in ſublimi Sedis Apoſtoli-
cæ ſpecula, nullo meritorum noſtrorum ſuffragio, col-
locavit Altiſſimus, nihil profectò (quantum Divina boni-
tas dedit) prætermittere conati ſumus, quo Romanæ hu-
jus Curiæ, quam præ cæteris ordinatiſſimam eſſe decet,
decoram undique faciem, ac pulcherrima integritatis
laude præfulgentem, ſine ruga, & ſine macula omnium
oculis exhiberemus; præcipuè verò quamcumque
ab ea cupiditatis, quæ radix omnium malorum eſt,

ſuſpicionem pro viribus tolleremus, ut ita ii, qui exadverſo ſunt, vereantur nihil habentes malum dicere de nobis. Hoc ſanè conſilio per noſtrã nuper editam Conſtitutionem, cernis, & ſanguinis laqueos abrumpere ſatagentes, ſalutarem præſcripſimus modum circa donationes, & diſtributionem redituum Eccleſiaſticorum in Conſanguineos, vel Affines Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, inviolabiliter ſervandum. Eodem ſubindè animo, tametſi probè ſciremus falsò non minus, quàm injuſtè ejuſdem Curiæ detractores conqueri de Cauſarum Curiæ Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ Auditoratus, ac dictæ Cameræ Theſaurariatus Generalium, necnon Clericatuum, & Præſidentatus reſpectivè Officiorum venalitate, ac ſi nimirum pretium, quo aliàs præfata Officia vendebantur, ſpei cujuſdam ad altiores Eccleſiæ gradus aſcendendi merces eſſet, hique propterea pecuniæ potius, quàm Virtutis intuitu tribui viderentur; cùm tamen revera pretium hujuſmodi nonniſi pinguium proventuum, qui ex Officiis prædictis percipiebantur, compenſatio foret, neque id unquam impedimento fuerit, quemadmodum experientia compertum eſt, quin ii, qui eorum eximiis ita exigentibus meritis, à memoratis Officiis ad ſublimiores evecti ſunt dignitates, undequaque laudatiſſimi, ac veri Catholicæ Eccleſiæ cardines extiterint; Nihilominus ut omnis iniquitas oppilaret os ſuum, ac ne viri alioqui digni, ſolvendo tamen pretio dictorum Officiorum impares, ab iis aſſequendis impoſterum arcerentur, per aliam ſimilem noſtram deſuper editam Conſtitutionem eorundem Officiorum venalitatem perpetuò ſuppreſſimus, extinximus, & abolevimus. Verùm, cum non omnia uno, eodemque tempore excogitari, nedum perfici potuerint, & plura adhuc remaneant ultrà prædicta in eadem Romana Curia diverſorum generum Officia Venalia, quæ ſive vigore quorumdam Decretorum à diverſis Romani Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris in Conſiſtorio editorum, ac etiam nonnularum literarum Apoſtolicarum deſuper editarum, ſive aliaſorſan ratione, per aſſumptionem illa obtinentium ad Cardinalatus honorem vacare conſueverunt, indeque nonnullis aliqua etiamnum de ampliſſima Eccleſiaſtica dignitate lucrum captandi occaſio ſupereſſe videatur; dignam profectò paſtorali munere noſtro, quo non ea quę Mundi ſunt, ſed Animarum lucra inquirere admonemur, rem facturi nobis videmur, ſi in his quoque Pontificiæ noſtræ ſolicitudinis partes interponamus. Quamvis enim certiſſimum ſit, atque omnibus exploratum longè iniquiores hac in re querelas illorum eſſe, quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt, & quiſque prudens rerum æſtimator facilè agnoſcat nonniſi emolumentorum ex Officiis ſecundò dictis provenientium cauſa illorum pretium ſolvi, nulla prorsùs excelſioris acquirendi gradus habita ratione, cùm præſertim pleraque ex ejuſmodi Officiis à laicis conjugatis, Infantibus, imò etiam Mulieribus obtineri dignoſcantur, tantumque abſit quod Romani Pontifices pro tempore exiſtente in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Promotionibus quidquam de his Officiis cogitare conſueverint, ut potius non rarò acciderit illos, an promoti per eos officia hujuſmodi obtinerent, prorsùs ignoraſſe; Nos tamen temporale quodcumque commodum, quod ex eorumdem Cardinalium creationibus quomodolibet etiam indirectè, ac præter intentionem, Nobis, aut ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus provenire poſſet, penitus removere, atque ita omnem vel minimam ſuſpicandi occaſionem eliminare volentes, ne Nos, aut iidem ſucceſſores Noſtri in tam ſublimis muneris amplitudine conferenda alio, quàm egregiæ Virtutis, & inſignium meritorum intuitu ducamur, necnon ulterius conſiderantes admodum æquum eſſe, ut ad tanti honoris faſtigium evecti, quos pro ſtatu ſuo juxtà gradus celſitudinem decenter ſuſtinendo majorum expenſarum onera ſubire oportet, præfatorum Officiorum vacatione patrimonii ſui detrimentum minimè patiantur: Motu proprio, non ad cujuſquam Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, nulla de cætero Officia, & loca Montium Vacabilia Romanæ Curiæ tam hactenus erecta, quàm in poſterum forſan erigenda, cujuſcumque ſpeciei, naturæ, qualitatis, & quantitatis exiſtentia, & quocumque nomine nuncupata, etiamſi Prælatitia, aut aliàs ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digna ſint, per promotionem de perſonis illa obtinentium ad Cardinalatus honorem à Nobis, ſeu Romanis Pontificibus Succeſſoribus noſtris quandocumque faciendum vacare, ſed ea, ſicut præmittitur, obtinentes, ſi Officia quidem, & loca hujuſmodi talia ſint, quæ per Cardinales obtineri nequeant, illa ut prius dimittere, & reſignare: ſi verò talia ſint, quæ per Cardinales obtineri poſſint, illa unà cum eadem Cardinalatus dignitate etiam ut prius retinere, ac omnibus, & ſingulis prærogativis, præeminentiis, facultatibus, honoribus, emolumentis, cæteriſque juribus ſolitis, & conſuetis eis ratione eorumdem Officiorum, & locorum quomodolibet competentibus, & competituris uti, frui, & gaudere, abſque alia nova declaratione, indulto, ſeu diſpenſatione noſtra, aut eorumdem Romanorum Pontificum Succeſſorum noſtrorum deſuper facienda, neque ipſos, aut ab eis cauſam habentes quoſcumque pro Officiis, & locis præfatis, eorumque emolumentis perceptis, & in futurum percipiendis à Camera noſtra Apoſtolica, ſeu quovis alio moleſtari quovis quæſito colore, aut cauſa ullo unquam tempore poſſe, aut debere, tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmiſſis jus, vel intereſſe principaliter, vel ſecundario, & aliàs quovis modo habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes ad illa vocati, citati, & auditi, ſeu cauſæ, propter quas ipſæ præſentes emanarint, adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juſta, juridica, & rationabili, ac etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimenda foret, cauſa, occaſione, colore, ingenio, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, & intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam maximo, eſſentiali, & ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu, notari, impugnari, invalidari, annullari, retractari, reſcindi, in controverſiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, ſeu adverſus illa apertionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quocumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo quempiam in Judicio, vel extrà illud uti, ſeu ſe juvare poſſe; ſed ipſas præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi ſemper, & perpetuò firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Cameræ Præſidentes Clericos, & alios Officiales, & Miniſtros, cæteroſque quoslibet quavis authoritate, & poteſtate fungentes, & quandocumque functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis alter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac, quatenus opus ſit, noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis, etiam illa de Jure quæſito non tollendo, nec non fel. rec. Symmachi, Pauli II. Pauli IV. necnon aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ, & Cameræ præfatæ non alienandis, & malè alienatis recuperandis, & illis non obligandis, necnon rec. mem. Pii Papæ IV. Prædeceſſoris pariter noſtri de gratiis qualecumque intereſſe Cameræ prædictæ concernentibus in eadem Camera, ejuſque libris intrà centum tunc expreſſum tempus præſentandis, inſinuandis, & regiſtrandis, itaut præſentes literas ibidem præſentari, vel inſinuari, aut regiſtrari nunquam neceſſe ſit, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Cameræ, aliiſve quibuslibet Statutis, regulis, uſibus, ſtylis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmiter robboratis;

pri-

privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Cameræ, ac quibuſvis aliis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſsimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & approbatis, ac pluries, & quantiſcumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones præſentibus pro plenè, & ſufficienter, ac exactiſsimè, & accuratiſsimè expreſſis, inſertis, ſervatis, & ſpecificatis reſpectivè habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectm ſpecialiter, & expreſsè, ac pleniſsimè, & ampliſsimè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die prima Februarii MDCXCIII. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

I. F. Card. Albanus.

Anno à Nativitate D. Noſtri IESV Chriſti milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio Indictione prima, die verò tertia menſis Februarii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini (Noſtri D. INNOCENTII Divina Providentia Papæ XII. Anno Secundo, Supradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Eccleſiæ S. Ioannis Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Vrbis, per me Agapitum de Magiſtris eiuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Curſorem.

Joannes Græcus Magiſter Curſ.

An Papa, vel alter Princeps poſſit ſupprimere, invitis Officialibus, aliquod genus Officiorum, iſtaque occaſione enarratur facti ſeries ſuppreſſionis Collegiis Secretariorum Apoſtolicorum, quæ huic operi motivum dedit.

SVMMARIVM.

1 *De antiquo Collegio Secretariorum.*
2 *Quod iuxtà antiquum modum eſſet res nimium proficua, & commendabilis, & de ratione.*
3 *De corruptione Officiorum, quæ in erectione optimum habuerunt finem.*
4 *Reductio dicti antiqui Collegii ad numerum ſexenarium.*
5 *De nova forma huius Collegii ſub Innocentio VIII.*
6 *Pretium ex dicta cauſa ab Officialibus receptum.*
7 *De motu proprio B. Pii V.*
8 *De eiuſdem motus proprii parte, in qua agitur de reſtitutione pretii in caſu ſuppreſſionis.*
9 *De conceſſione Officii Secretarii domeſtici per Sixtum V.*
10 *De motu proprio Gregorii XV.*
11 *De ſuppreſſione dicti Collegii facta per Innocentium XI. & de rationibus, ob quas facta eſt.*
12 *Prima reſolutio Rotæ.*
13 *De votis Tribunalium, & Iuriſconſultorum exterorum.*
14 *De ſecunda, & tertia reſolutione Rotali, per quas à prima receditur.*
15 *De quo puncto agatur in hoc Capitulo.*
16 *Princeps in pactis, & contractibus correſpectivis habetur iure privati, & non poteſt contravenire.*
17 *Per reformationem Collegii Officialium, non poſſunt removeri Officiales iam extantes.*
18 *Quare Officia venalia extingui non poſſint invitis Officialibus.*
19 *Quomodo procedendum ſit in decidendis iudicialibus quæſtionibus.*
20 *De diſtinctione, cum qua decidi debet quæſtio poteſtatis Principis circa remotionem Officialium.*

Card. de Luca de Offic. Venal.

CAP. XIV.

INcertum eſt quo tempore, ſive ſub quo Pontifice (quod ſonat in idem) quavè occaſione, in quo numero, & cum quibus legibus, nimium quidem commendabiliter, attento fine tunc habito, erectum fuit in Romana Curia, ſive in Avenionen. Civitate illa eſſet, Collegium Secretariorum Apoſtolicorum, conſtitutum ex viris inſignibus, atq; in omni litterarum genere peritiſſimis, & excellentibus, atq; in negotiis peragendis benè verſatis, ità ex pluribus perſonis materialibus, juxtà varia dona, quæ in ſingulis concurrant, efformando illam idealem, ſeu formalem perſonam, omni virtutum genere refertam, quæ pro bono Reipublicæ regimine requiritur, tam pro expeditione litterarum Apoſtolicarum, aliorumque negotiorum Curialium, quàm etiam ut in eodem munere Secretarii, tanquam de juribus Sedis Apoſtolicæ, aliiſque rebus benè informati, aſſiſterent Legatis, & Nunciis, aliiſque Miniſtris Apoſtolicis ad Reges, & Principes, ac Reſpublicas tranſmitti ſolitis, & è quorum etiam Collegio peritiores, magiſque verſati aſſumi ſolebant ipſimet Nuncii, & Miniſtri; Optima quidem introductio, quæ continuationem meruiſſet, ſive renovationem, juxtà hunc modum, & pro hoc fine aſſequendo, mereretur; ſed quoniam omnium rerum, quamvis optimarum ſequi ſolet corruptio, ideircò ad inſtar omnium aliorum Officiorum, etiam illorum ſecundæ, & tertiæ claſſis, quæ certos optimos in eorum erectione fines habuerunt, hujuſmodi Officia effecta fuerunt venalia, ratione emolumẽtorum eis annexorum; Atque numerus aliàs incertus, & varius, ſub Calixto III. ſtatutus fuit ſexenarius, quod in omnibus hujus Curiæ Collegiis poſt terminatum longum, & tetertrimum ultimũ ſchiſma, initiatũ ſub Urbano VI. & terminatum ſub Martino V. in Concilio Conſtantienſi, quo durãte, maxima rerum confuſio ſequuta erat, accidit, ut de Collegiis Auditorum Rotæ, & Clericorum Cameræ, & Prælatorum votantium Signaturæ juſtitiæ, ac ſimilibus habetur in ejuſdem Curiæ relatione.

1 2 3 4

Rebus itaque in hoc ſtatu exiſtentibus, Innocentius VIII. de anno 1487. ex cauſis expreſſis in ejus conſtitutione, inferiùs poſt præſentem tractationem regiſtrata inter varia jura n. 1. facta notabili applicatione quorumdam aliorum emolumentorum, ac reddituum in magna parte temporalium, & præſertim annuorum ſcutorum decem millium, & ultrà Collegio ſolvendorum per Communitates, & Theſaurarios Status Eccleſiaſtici, ejuſdem Collegii ſtatum immutavit, creando alios vigintiquatuor Officiales, ultrà ſex antiquos jam extantes, adeout tunc eſſent triginta, ita tamen ut ad fixum, & perpetuum numerum vigintiquatuor, de novo erectorum, impoſterum reduceretur, cum deficientia antiquorum ſex, in quorum deficientium locum alii ſubrogari non poſſent, ſed accreſcerent ſuperſtitibus. Ab eodem verò Collegio ita noviter erecto, intuitu dictorum emolumentorum, recepit, ut Cameræ Apoſtolicæ indigentiis, quæ tunc urgebant, occurreret, ducatos Cameræ 62. m. & quatuor centum, quæ juxtà valorem tunc currente importabant ſcutos monetæ 65. m. circiter, ſub ea lege inter alias, ut in caſu ſuppreſſionis, vel alterationis hujuſmodi Officiorum, vel inobſervantiæ aſſignamentorum, aliorumque promiſſorum, Camera deberet reſtituere integrè præfatos ducatos 62. m. & quatuor centum, abſque eo, quod aliqua imputatio, vel diminutio prærendi poſſet, ratione fructuum, ſeu emolumentorum, interim perceptorum, & cum aliis in eadem conſtitutione contentis, ad rem non facientibus, ſive in diſcurſu in capitulis ſequentibus enunciandis, & quæ in ipſa inſpici poſſunt.

5 6

Cùm autem ſequuta de anno 1568. vacatione unius ex dictis ſex antiquis Officiis ſupprimendis, atque ad Collegii favorem, ut ſupra cedere debentibus, B. Pius V. ſeu Dataria, juxtà ſtylum, illud vendidiſſet Cardinali Mediceo,

7

pro pretio tunc currenti, ſcutorum 5500. Collegium verò ejus jura deduxiſſet apud eumdem Pontificem, hinc iſte, veritate agnita, dictam venditionem retractavit, ſed quoniam reintegrare oportebat præfatum Cardinalem emptorem de dictis ſcutis 5500. habitis, & erogatis in gravibus impenſis ab eodem Pontifice factis, pro celebri claſſe maritima contra Turcas, & ex qua cauſa impotens erat Camera ad hujuſmodi reſtitutionem faciendâ, idcircò per ejuſdem Pontificis motum proprium, cujus tenor regiſtratur infrà inter jura, n. 2. tanquam per viam contractus, & concordiæ cum dicto Collegio conventum eſt, ut iſtud tanquam per mutuum, quod Pontifici faciebat, promiſerit ejuſdem Pontificis vice, & nomine reſtituere dicto Cardinali præfata ſcuta 5500. pro quibus comparandis ei data fuit facultas imponendi cenſum, atque pro reintegratione conceſſum fuit Officium primo vacaturum, quod ab ipſo Collegio vendi poſſet, etiam pro majori pretio, ita tamen quod ſi id effectum ſortiri non poſſet ex aliquo impedimento, quod præſtaretur, teneretur Camera illi ſolvere dicta ſcuta 5500. unà cum damnis, & intereſſe; Iſtaque parte conventionali completa, cum nova, & ſeparata periodo, novæ orationis inceptiva in §. *Ad hæc* ſubjungitur, quod volens Pontifex amplioris favoris gratia Collegium proſequi, ut ea, quæ per prædeceſſores cõceſſa fuerunt firmius ſubſiſtant, idcircò omnia conceſſa per prædeceſſores, nempe Innocentium VIII. ut ſuprà, Alexandrum VI. Julium II. Leonem X. Clementem VII. & Paulum III. qui privilegia per Innocentium
8 conceſſa confirmarunt, *eiſdem modo, & forma, quatenus Concilii Tridentini decretis non adverſentur*, confirmavit, & approbavit, atque, pro potiori cautela, denuò conceſſit, volens per verba præciſa, *dicta privilegia ullo unquam tempore revocari, reduci, alterari, aut moderari, ſeu Collegium ipſum ſupprimi, vel extingui non poſſe, niſi reſtitutis prius realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis tunc viventibus integrè, & abſque ulla diminutione, pecuniis, pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*. Atque iſtius motus proprii vigore eodem tempore Collegium curavit obtinere duo ſeparata Brevia, unum deſumptum ex prima ejus parte, pro facultate creandi dictum cenſum, & alterum deſumptum ex ſecunda parte, continente confirmationem
9 privilegiorum, & verba ſuperius regiſtrata; Cumque idem Collegium curaſſet componi, & imprimi librum continentem omnia ejus privilegia, atque in eo regiſtrari, tam prædictam conſtitutionem Innocentianam, quam præfatum motum proprium Pianum, regiſtrata quoque fuerunt dicta duo Brevia, in quorum poſteriori, facta fuit inſcriptio, ſeu rubrica, quod contineret confirmationem privilegiorum; At etiam in eodem libro fuit regiſtratus alter Motus
9 proprius Sixti V. ſuper conceſſione facta eidem Collegio Officii Secretarii domeſtici, mediante ſolutione cujuſdam ſummæ, pro qua conceſſa fuit facultas erigendi montem, quod non facit ad rem. Prout ſucceſſivis temporibus, ortis quibuſdam controverſiis inter idem Collegium, & Came-
10 ram, pro eis componendis, Gregorius XV. dicta antiqua privilegia confirmavit, & alia de novo conceſſit, ut conſtat ex ejus litteris pariter infra regiſtratis ſub num. 4.

Aſſumpto itaque ad Pontificatum Innocentio XI. Regnante, cum hic inter quamplura noſtrorum temporum
11 mala, & infortunia, inveniſſet Apoſtolicum Ærarium in aliquo anguſtiæ ſtatu conſtitutum, comperiſſet verò, quod præſertim iſtud Collegium eſſet inutile, ejuſque erectionis finis non verificaretur, dum hæc Officia, ad inſtar aliorum popularium ſecundæ, & tertiæ claſſis, emi, & retineri ſolebant per viros non aptos ad negotia, vel ſi eſſent apti, nullam tamen de facto haberent adminiſtrationem, quæ tota erat, prout eſt, penes Secretarium Brevium, per Papam ad ejus libitum deputari ſolitum, tanquam miniſtrum magnæ confidentiæ, adeout ad inſtar dictum Officiorum popularium, nullatenus eligeretur induſtria perſonarum, ſed acquiſitio fieret pro ſolo emolumento; E converſo autem experientia ſæculi currentis doceret, quod partium ob continuatas reſignationes, adeout penè perpetua fierent hæc Officia, quorum aliqua extra Cameram per centum, & ultrà annos ſteterant, & partim ob donationes fieri ſolitas de eiſdem Officiis, quando caſus vacationis contingat, & partim ob applicationem aliquorum ex eis aliquibus manibus mortuis, ut infra in Cap. 16. habita ratione magnæ quantitatis emolumentorum, maxima exindè reſultaret læſio Cameræ, quæ è converſo ex dictis Collegii ſuppreſſione nimium conſiderabile beneficium reportare poſſet, idcircò in animo habuit ad hanc ſuppreſſionem devenire; Verùm quia ſtylus hujus circumſpectiſſimi Pontificis eſt in omnibus negotiis procedere cum maturo conſilio ſapientum, & auditis intereſſe habentibus, idcircò deputavit deſuper Congregationem conſtitutam ex Officialibus Datariæ, & Cameræ, cum meo quoque interventu, in qua ſe opponentibus dictorum Officiorum poſſeſſoribus, nimium id ægrè ferentibus, diſputatum primo loco fuit de poteſtate deveniendi ad hanc ſuppreſſionem ipſis invitis, ſumptaq; deſuper, oppoſitis non obſtantibus, affirmativa reſolutione, tanquam in puncto parum dubitabili, aſſumptum fuit examen alterius quæſtionis, quid, & quantum Officium poſſeſſoribus reſtituendum eſſet, adjunctis etiam dictæ Congregationi, in gratiam eorumdem intereſſatorum, quibuſdam aliis Prælatis; Cumque in Congregationibus deſuper habitis nimia adeſſet opinionum diſſonantia, adeout nulla capi poſſet reſolutio, idque cauſaret impedimentũ ſuppreſſionis, idcircò ne dubium, & incertum, ac illiquidum ſuper hoc puncto accidentali reſtitutionis pretii, impediret punctum certum, & liquidum ſuper ſubſtantia ipſius ſuppreſſionis, prudenter, ac rationabiliter idem Pontifex, eligendo inter dictas varias opiniones illam mediam, quæ ſibi rationabilior viſa eſt per ejus motum proprium mandavit Theſaurario Generali Judici primæ inſtantiæ cauſarum Cameralium, ut promptè, & in continenti reſtitueret præfatis Officialibus totam illam pecuniam, quam conſtaret verè, & realiter ab eis, vel ab eorum auctoribus ceſſiſſe ad beneficium Cameræ, non ſolùm in cauſam pretii, ſed etiam pro componenda ducatorum Cameræ centum ſolui ſolita pro expeditione; ſuper illo verò majori pretio, quod per eoſdem Officiales prætendebatur, vel ratione augmenti cauſati à beneficio temporis, vel ratione majoris pretii ſoluti reſignantibus, vel ratione donationis, ſive ex aliis motivis, de quibus in iſto, & in duobus ſequentibus capitulis, procedere deberet, appellatione remota, de voto Rotæ, in qua proinde propoſito dubio coram Albergato Decano, ſub die 16. Junii 1679. an, & qua-
le pretium eſſet reſtituendum, prodiit reſolutio, reſtituen- 12
dum eſſe totum illud pretium, quod quilibet ſolvit, & erogavit pro acquiſitione Officii, non diſtinguendo, an, & quale pretium ſolutum eſſet Cameræ, & quale illis, qui reſignationes fecerunt, ex unico fundamento præfati motus proprii Piani in verbis ſuperius regiſtratis, ut ex deciſione deſuper edita, inferius regiſtrata ſub num. 8.

Edita itaque iſta deciſione, cupiens idem Pontifex pro ejus ſumma rectitudine, & integritate veritatem inquirere, 13
& non acquieſcere ſenſibus meis, aliorumque defenſorum Cameræ, quibus reſolutio nullatenus placuit, ſed omni, tam facti, quàm juris fundamento deſtituta videbatur, mandavit, ut conſuli deberent, tam aliqua Tribunalia, quàm aliqui Juriſconſulti Italiæ, majoris nominis, unde ad hunc effectum ego deſuper edidi diſcurſum, pariter infra regiſtratum ſub n. 9. qui impreſſus unà cũ deciſione, & dicto motu proprio Piano in partibus ſubſtãtialibus, trãſmiſſus fuit, cum requiſitione reſponſi pro veritate, nempè ad Rotas Florentinam, Senenſem, & Maceratenſem, nec non ad quatuor clari nominis Juriſconſultos Lucenſes, ob opera luci tradita, nempe Manzium Auctorem conſultationum, Turrium Auctorem tractatus de pactis futuræ ſucceſſionis, Palmam Juniorem, Auctorem conſiliorum, & Sanminiatum, in Curia notum, ob quamplura reſponſa edita, quorum aliqua ſunt impreſſa in ſecundo tomo controverſiarum Altogradi Junioris, nec non ad Concilium Auctorem Allegationum civilium, & criminalium, & tractatus de hærede, & ad Boſcolum Auctorem controverſiæ feudalis, impreſſæ poſt primum librum mei Theatri de Feudis, aliorumque operum, & reſponſorum, ac ulterius injunctum fuit Miniſtris Apoſtolicis in Civitate Neapolitana, & Taurinenſi, ut exquirerẽt votum peritiorum profeſſorum, à quibus omnibus concorditer ad favorem Cameræ, & juxtà meum diſcurſum, contra Deciſionem reſponſum fuit, exceptis tribus ex novem profeſſoribus Taurinenſibus, quibus cum paucis verbis, abſque aliqua ratione, vel auctoritate deciſioni adhærere viſum fuit, ut patet ex omnibus votis, vel reſponſis infra regiſtratis ex num. 10. cum ſeqq. (Neapolitanis exceptis, qui pro ſtylo ſola ſubſcriptione dicto meo reſponſo contenti fuerunt.)

Repropoſita itaque cauſa poſt duas propoſitiones, ſub 14
diebus 13. Maii, & 7. Junii 1680. in quibus dilata fuit reſolutio, iſta ſub die 19. ejuſdem menſis Junii prodiit ad favorem Cameræ pro receſſu à deciſis, ut ex deciſione deſuper

edita,

edita, pariter inferius regiſtrata ſub num. 18. conceſſaque Officialis nova audientia pro diſputatione ſoliti dubii, an ſtandum eſſet in primo, vel in ſecundo loco deciſis, ſub die 17. Martii 1681. Camera tantum informante, reſolutum fuit, ſtandum eſſe in ultimo deciſis, ut ex deciſione pariter regiſtrata ſub num. 19. editoque voto, regiſtrato etiam ſub num. 20. prodiit ſententia Theſaurarii, confirmata etiam cum motu proprio ejuſdem Pontificis ſub num. 21. & 22.

In præſenti autem capitulo agitur ſolùm de primò puncto in forma extrajudiciali, diſputato in Congregatione deputata ſuper poteſtate faciendi hanc ſuppreſſionem, prorsùs enim incongruum erat de hoc agere in Rota, dum, ut aliàs dictum eſt, ſuppreſſio jam ſequuta erat, ſolumque demandatum fuit expeti hujus Tribunalis votum ſuper pretio, & an reſtituendum eſſet illud majus pretium, quod per Officiales erat ſolutum, ſed à Camera non receptum.

In hoc autem puncto, ſcribentes pro Officialibus hanc negantibus poteſtatem, dicebant eadem, quæ ſuperius in antecedenti capitulo inſinuata ſunt, quod ſcilicet Princeps non poteſt de juſtitia ſupprimere Officia, quæ vendidit, atque conceſſit, non per viam gratiæ, ſed per viam contractus oneroſi, & correſpectivi, quoniam Principi ſubjacent leges, non autem contractus, quos, ad inſtar cujuslibet privati, ſervare tenetur, atque aliàs magis miſera, & infelix eſſet ejus conditio, quàm illa cujuslibet privati, dum ità humano careret commercio, neque in ejus, ac Reipublicæ indigentiis inveniret contrahere cum eo volentes, ejuſque fidem ſequi, magnum deſuper faciendo auctoritatum cumulum, ex quibuſdam modernis deſumptum. A.

Atque in idem ponderabant ea, quæ ſtatuta fuerunt per Imperatorem Juſtinianum volentem minuere numerum Collegii Referendariorum Sacri Palatii, reducendo de quatuordecim ad octo, ut expectari deberet eorum vacatio, non autem, ut jam extantes deponerentur; B. Prout etiam, quando Pontifex Sixtus IV. ad numerum duodenarium reducere voluit Tribunal Rotæ Romanæ, & in quo ſtatu poſtmodum continuavit, & continuat, cùm prius non haberet certum, & determinatum numerum, adeout legatur, quod quandoque uſque ad numerum vigintiquatuor, imò, & vigintiſex in eo Tribunali ſederint, cùm tunc in eo ſederent quatuordecim, non per hoc depoſiti fuerunt duo, qui erant excedentes, ſed proviſum fuit, ut impoſterum, contingente vacatione, iſtorum loca non implerentur; Atque in individuo iſtius Collegii Secretariorum, de quo agitur, cum juxtà præmiſſam facti ſeriem, Innocentius VIII. ejus conſuetum ſtatum immutaſſet, quodque impoſterum illud conſtare deberet ex vigintiquatuor Officialibus, quos omnes tunc creavit, non per hoc tamen depoſuit antiquos ſex Officiales, ex quibus idem Collegium conſtituebatur, ſed mandavit, ut contingente iſtorum vacatione, alii in eorum locum ſubrogari non deberent, eorumque Officia accreſcere deberent ad commodum Collegii, quod occaſionem dedit proviſioni B. Pii V. ſuper cujus intelligentia tota fuit diſputatio, ut in Capitulis ſequentibus; Et per conſequens concludebant, quod ſi Pontifex iſtud Collegium extinguere volebat, expectare debebat omnium nunc exiſtentium mortem, abſtinendo à ſubrogatione aliorum in eorum locum, donec ita paulatim ſupprimeretur.

Et his addi poſſe conſiderabam, quod cum hujuſmodi Officia venalia vacabilia ex pluries inſinuatis, & præſertim in Cap. 3. & 4. redoleant quemdam contractum emptionis, & venditionis, vel conceſſionis futurorum emolumentorum ad vitam Officialis, eo modo, quo creantur cenſus vitalitii, ac etiam vendunt domus, aliaque prædia ad vitam, ita in contractum deducendo incertam aleam, quæ poteſt æqualiter ſe habere ad utriuſque lucrum, & damnum reſpectivè: Hinc ſequitur, quod ſicuti cenſus, aliique contractus vitalitii diſſolui non poſſunt per unum ex contrahentibus, altero invito, ita ex rationis identitate, idem dicendum veniat.

Super his autem, & ſimilibus, quæ chartas inutiliter implendo cum Collectorum apparatibus, & copioſis allegationibus, vel tranſcriptionibus, deduci poſſet, dicebam idem, quod in iſto, omnibuſque aliis legalibus operibus, mea fuit, & eſt frequens dicendi conſuetudo, & præſertim in antecedenti capitulo, fallaciam ſcilicet, & errorem conſiſtere, non quidem in præfatis, aliiſque ſimilibus concluſionibus, vel rationibus, ſed in earum applicatione, quæ nunquam benè fieri poteſt, quando procedatur cum generalitatibus, & negligatur caſuum diſtinctio, quæ vera omnium controverſiarum decidendarum eſt via, ſive lucerna: Aut ſiquidem agitur de privationibus perſonalibus, vel ſingularibus aliquorum Officialium, ipſis Officiis adhuc in ſuo eſſe remanentibus, atque alteri conceſſis, vel concedendis, & tunc intrant ea, quæ in antecedenti capitulo dicta ſunt, fruſtrà repetenda. Aut verò agitur de reformatione numeri alicujus Tribunalis, vel Collegii, iſtud ad minorem reducendo numerum, adeout adhuc ipſum Corpus perſiſtat, & duret, juxtà ſuperius inſinuata exempla, & tunc regulariter, quando facti circumſtantiæ diverſimodè non ſuadeant, rationabile eſt id, quod ut ſupra dicebatur, potiſſimè ubi aliquorum degradatio conſiderabile præjudicium eorum famę, & honori, vel ſtatui parere poteſt, ut advertitur in ſæpius enunciata Regalium ſede, agendo de poteſtate Principis tollendi jus tertii, C. Aut demum agitur de omnimoda ſuppreſſione totius Collegii, vel Univerſitatis, ita in hac parte regiminis Reipublicæ formam immutando, diverſumque ſtatuendo modum, quia ſic Principi, cum ejus ſapientum conſilio, pro publica neceſſitate, vel utilitate videatur, & tunc prorsùs vanum, imò temerarium eſſe advertebam de poteſtate dubitare, ob illam perſonarum reduplicationem, quæ eodem antecedenti capitulo conſiderata eſt, quod ſcilicet alia eſt perſona Principis tanquam contrahentis, & alia eſt perſona ejuſdem tanquam legislatoris, & providentis ſuper bono regimine Reipublicæ, & Principatus ex cauſa publicæ neceſſitatis, vel utilitatis, potiſſimè in hujuſmodi Officiis, nec Prælaturam, nec adminiſtrationem, aliaſque præeminentias annexas habentibus, cùm ſolum juſtitia obliget Principem ad reficiendum id, quod intereſt illorum privatorum contrahentium, quibus tale præjudicium infertur, juxtà modum tamen, & declarationes, de quibus infrà Cap. 17. Non poteſt enim Papa ſine cauſa de poteſtate ordinaria, & ad limites juſtitiæ privare, (juxtà unam opinionem poſſeſſores dignitatum, & beneficiorum, vel ſi id facit, tenetur, (ut Canoniſtæ dicunt) ad unum bonum excambium; Sed non per hoc dici poteſt, ut non poſſit ſupprimere totam illam Eccleſiam, ſive totum illud Collegium, in quo ſunt Dignitates, & Canonicatus, aliaque beneficia, Prout non poteſt ſine juſta cauſa cum poteſtate ordinaria privare Superiores, Generales, Provinciales, & Abbates, ac Prælatos alicujus Religionis, & tamen prorsùs vanum eſſet dicere, quod ex juſta cauſa non poſſet ſupprimere ipſam Religionem in univerſum, quodque deberet expectare mortem omnium dictorum Prælatorum, & Religioſorum, cum ſimilibus, dum non eſt practicabile, ut corpus ſupprimatur, & membra in ſuo eſſe adhuc vigeant, cum ſimilibus; Unde propterea in caſu, quem latè diſputat Fagnanus D. tuendo cauſam propriam, ut ei tolli non potuerit quoddam Officium Pœnitentiariæ, quæſtio cadebat, quoniam Officium adhuc vigebat, & erat alteri collatum, ſed ſi Papa ſuppreſſiſſet illud Officium, fortius verò, ſi ei ſupprimere viſum fuiſſet totum Tribunal Pœnitentiariæ, omneſque ejus Officiales, tum utique fabuloſum eſſet diſputare de poteſtate, ob præjudicium, quod exindè fieret Officiorum poſſeſſoribus, cum ſimilibus, & hic eſt caſus.

15 16 17 18 19 20

a *Noguerol. alleg. 5. num. 1. & ſeqq. lib. 1. Maſtrill. de Magiſt. lib. 1. cap. 22. num. 36. & cap. 27. num. 35. Fagnan. in cap. ex epiſt. num. 17. & 18. de probat. cum aliis in Theatr. lib. 2. de Regal. diſc. 148. num. 20.*

b *Auth. de Referend. S. Palatii §. Propterea.*

c *Diſc. 148. de Regal.* d *Relatus d. diſc. 148. de Regal.*

Præſuppoſita legitima ſuppreſſione Collegii, de quo capitulo præcedenti, quid reſtituendum eſſet Officialibus ex legibus particularibus ejuſdem Collegii.

SVMMARIVM.

1 *De pluribus, ac diverſis Officialium ſpeciebus.*
2 *Non eſt evagandum in generalibus, ubi habentur ſpecialia.*
3 *Ad quid proſit inſpicere de generalitatibus.*
4 *De virtute, & operatione ablativi abſoluti.*
5 *Quomodo procedat concluſio, quod conditio, quam importat ablativus abſolutus, debeat prius impleri.*
6 *De fundamento primæ deciſionis Rotalis.*
7 *Quibus Officialibus dictum fundamentum congrueret.*
8 *De Donatariis Officiorum.*
9 *De quibus Officialibus in Rotæ deciſionibus agitur.*

10 *De significatione, & proprietate verbi* restituere.
11 *De duplici sensu activo, & passivo dicti verbi* restituere.
12 *Quod in casu, de quo agitur directum esse ad Cameram debitricem.*
13 *De improprietate dicti verbi, quando admittatur.*
14 *Quod in hac facti specie non debeat esse locus dictæ impropriationi.*
15 *Quod maius damnum esset Cameræ, quàm Officialium.*
16 *Inter contendentes de damno, potior est conditio eius, qui agit de maiori damno, eique maior assistat æquitas.*
17 *In dubio, quando pro Fisco sit respondendum, & quando contra eum.*
18 *De triplici specie fisci.*
19 *Quod duplex pretium intrinsecum, & extrinsecum.*
20 *De interpretatione Motus proprii Piani, & quid verè in eo contineatur.*
21 *Verba transactionis restringenda sunt ad id, quod erat in lite.*
22 *Confirmatio non alterat confirmatum.*
23 *De argumentis, quod B. Pius V. nil innovare voluerit.*
24 *De aliis motivis elidentibus concessionem factam per B. Pium V.*
25 *Quare deduci soleant, ac debeant motiva etiam levia, & periculosa.*

CAP. XV.

SEquutis ad normam Motus proprii Innocentiani, in antecedenti capitulo relati, suppressione Collegii Secretariorum Apostolicorum, & integra restitutione illarum pecuniarum, quæ Cameræ immediatè solutæ fuerunt, juxtà seriem, de qua in eodem præcedenti capitulo, assumptaque disputatione, prius in Congregatione deputata, post-
1 modum verò in Rota, qui nam superesset restituendum; Cum plures essent, ac diversæ Officialium species, quarum, una erat trium Piorum locorum, pariter in dicta facti serie enunciatorum; Altera illorum, qui directè, & immediatè emerunt à Camera Officia vacantia pro pretio currenti; Altera illorum, qui pariter directè Officia vacantia obtinuerunt à Camera ex causa lucrativa, ob elargitiones eis factas per Pontifices. Quarta illorum, qui majori pretio emerunt ab aliis Officialibus foventibus causam onerosam, quia mediatè, vel immediatè emerunt pro minori pretio à Camera, & Quinta illorum, qui, pretio mediante, emerunt immediatè, vel mediatè à Donatariis, qui nil Cameræ solverunt. Hinc ubi controversia examinanda, & decidenda esset cum terminis, & propositionibus generalibus juris communis, in tot inspectiones quot sunt species, illa dividi merebatur; Sed quoniam desuper habentur leges particulares in eodem antecedenti capitulo enunciatæ, illa scili-
2 cet fundamentalis Innocentii VIII. & altera B. Pii V. atque erroneum est, ubi habentur particulares, & individuales provisiones, recurrere ad generalitates, ut advertitur in sede Judicatorum, & alibi, A. idcircò, licet initio multa generalia deducta fuerint, attamen præsertim in Rota, (& meritò quidem) ad has leges particulares tota disputatio restricta fuit, præsertim verò ad posteriorem Pianam, ut decisionum tenor ostendit, dum attenta priori Innocentiana, cessabat omnis occasio disputandi, quoniam Camerales libenter procedere prompti erant cum dicta Innocentiana, ad cujus præscriptum restituendi solùm erant ducati Cameræ 62400. qui ob excrescentiam valoris auri interim sequutam, de præsenti important solùm scut. monetæ 95. m. circiter, cum tamen jam restituta essent scut. 223. m. circiter; Non
3 tamen inutilia dici merentur ea, quæ attentis terminis generalibus juris habentur in Cap. 17. pro congrua interpretatione, & intelligentia huius legis particularis, juxtà vulgarum generale axioma, ut leges particulares dubiæ, vel manchæ, à jure communi interpretationem, vel suppletionem recipiant.

Quatenus itaque pertinet ad præfatam legem Pianam in posteriori ejus parte, & in verbis in antecedenti capitulo registraris, ibi, *nisi restitutis prius realiter, & cum effectu integrè, & sine diminutione restituris pecuniis, &c.* Dicebant scribentes pro Officialibus, magis verò insistebat cum voto singulari unus ex Rotæ Auditoribus, quod cùm ista verba
4 importent ablativum absolutum, cujus virtus, & operatio est inducere conditionem ante omnia adimplendam, ex iis, quæ in Judiciorum sede, & alibi frequenter habentur, B. hinc resultaret, quod precedere debebat integra restitutio pecuniarum, quomodolibet à possessoribus Officiorum solutarum, qua non adimpleta, procedi non poterat ad suppressionem. Verùm istud videbatur parum probabile, penèque contemptibile fundamentum, quoniam ita esset præsupponere pro conclusione id, quod erat in quæstione, super operatione præfati Motus proprii, & an Pius voluerit, nec nè id, quod ex dictis verbis inferebatur ut infrà, ac etiam, quia id erat extra commissionem præsupponentem suppressionē jam perfectam, atque demandantem solùm cognitionem puncti cōsequutivi super pretio in majori, vel minori quantitate reficiendo, ideoque erat se facere Judicem supra ipsum Principem delegantem, & extra delegationem. Ac ulterius ablativo absoluto jam satisfactum erat, ante quam disputatio in Rota assumeretur, dum præcesserat vera, effectiva, & integra restitutio illius pecuniæ, pro qua Officia ab ipsa Camera erant acquisita; Quæstio verò cadebat super pecunia soluta per possessores resignantibus, non autem Cameræ, idque dubium, & illiquidum erat, atque super hoc puncto cadebat judicium proferendum, & per consequens 5
nulla juris ratio, vel auctoritas exigebat, ut exequutio precedere deberet judicatum, imò disputationem; Quodque incertum, & illiquidum prius solveretur, cùm sufficiat ad hoc se paratum in judicio offerre, postquam liquidatio sequuta sit, juxtà ea, quæ habentur in clausula *refectis*, vel altera *purgatis*, vel *restitutis*, & simili, concepta per eumdem ablativum absolutum, quoniam intelligitur de certis, & liquidis, quo verò ad incerta, & illiquida, sufficit obligatio in judicio de illis reficiendis, postquam liquidata erunt, facto ad summum, pro stylo Curiæ, modico deposito unius Julii, ut in Judiciorum sede, & alibi habetur; Ideoque meritò istud motivum, nullam penitus habuit sequelam, illudq; reiiciunt duæ posteriores decisiones favorabiles Cameræ.

Fundamentum itaque, aliqua consideratione dignum, erat alterū, quod cùm generaliter, & indefinitè demādaretur restitutio pecuniarum, pro quibus cōstaret possessores emisse, & habuisse Officia, idcircò generaliter, & indefinitè id 6
intelligendum erat, non distinguendo, an pecunia soluta esset Cameræ, vel resignantibus, potissimè ob illa verba *integrè, & sine diminutione*, quæ aliàs non verificarentur, si talis distinctio attendenda esset, istudque fuit unicum fundamentum primæ decisionis, quæ præsupponit rem esse ita claram, ut intraret vulgaris regula text. *in l. ille aut ille ff. de legat.* 3. quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta, ut ex eadem decisione patet, inferius registrata sub num. 8.

Istud motivum percutiebat solùm quartam, & quintam speciem Officialium, juxtà distinctionem quinque specierū, 7
de qua suprà; Non congruit enim primæ speciei trium piorum locorum, cùm in eis intrent rationes, de quibus in capitulo sequenti, minusque secundæ illorum, qui directè, & immediatè emerant à Camera, cui solutum erat pretium, quoniam istud jam fuerat restitutum, atque istorum prætensio restringebatur ad augmentum, intermedio tempore, ex istius beneficio sequutum, cujus inspectio intrat juxtà terminos generales juris communis, de quibus infrà Cap. 17. illudque potius à prefatis verbis Piani Motus proprii excluditur, ut etiam excluditur tertia species donatariorum foventium causam lucrativam, ut præsertim ex quadam implicita donatione fovebat Marchio Ruspulus, ex mera gratia prorogationis, vel concessionis coadiutoriæ cum futura successione, dum in istis verificari non poterant dicta verba *restitutionis pecuniarum, pro quibus verè, & realiter Officia emisse, vel habuisse constiterit*, Quamvis enim, quando Papa concedit hujusmodi Officia, condonando eodem 8
tempore pretium, occultari videantur duo actus, unus scilicet emptionis Officii pro consueto pretio, alter autem restitutionis pecuniarum, ut subtilizando motivabatur; Attamen istæ sunt fictiones, & subtilitates, relinquendæ Scholasticis, & Academicis, pro ingenii acumine exercendo, attenta verò naturali veritate de facto, solus actus donationis initus dicitur, atque nullatenus dici potest, quod pro acquisitione Officii verè, & realiter aliqua pecunia soluta sit. Et quēadmodum per illos de secunda specie prætendi non poterat augmentum intrinsecum, seu latens, sequutum ex beneficio temporis, cùm istud potius excludatur per hunc Motum proprium, restrictum ad restitutionem solius pecuniæ solutæ pro emptione, vel acquisitione, ut supra, ita multò minus istud augmentum prætendi poterat per illos de quarta, & quinta specie, sine dubio minus jus habentes.

Re-

Reſtringendo itaque diſcurſum ad illam pecuniam, quam poſſeſſores Officiorum verè ſolverunt pro conſequutione Officii, ſed Camera non recepit, ut in illis, de quarta ſpecie verificatur, in eo majori pretio, quod ipſi ſolverunt reſignantibus, qui pro minori emerunt à Camera, puta, quia Camera Officium vacatum vendidit Titio pro ſcutis decem millibus, Sempronius autem ultimus poſſeſſor à præfato
9 Titio, vel ab alio reſignatario ob augmentum, quod ex beneficio temporis in omnibus rebus accidit, illud emit pro ſcutis 15. m. ſeu 20. m. & illis de quinta ſpecie, puta, quia Sempronius, pro tunc currenti pretio quindecim, vel viginti mill. emit Officium à Titio donatario, qui nihil ſolvit Cameræ; Atq; diſtinguendo inſpectionem ſuper ſignificatione, vel proprietate verborum, ab altera, quæ reſpicit ſubſtantiam voluntatis, ſeu mentis præfati Pontificis Pii V.

Quatenus pertinet ad primam inſpectionem ſignificationis, vel proprietatis verborum, iidem ſcribentes pro Officiali-
10 bus admittebant, prout etiam ipſa prima deciſio, eorum favore prodita, admittit, quod verbum *reſtituere*, tam in legali, quàm in grammaticali, vera, & propria ſignificatione verificabile non eſt, niſi in eo, quod receptum, vel reſpectivè ſolutum eſt, juxta expreſſa, & litteralia jura deducta in deciſionibus hinc indè proditis, in quibus etiam cumulantur aliquæ auctoritates ex multis, quæ pro conſueto inepto moderno ſtylo, cum improbo labore inani cumulabantur per ſcribentes hinc indè in re clara, & incontrovertibili, undè propterea, pro meo ſenſu, punctus erat, ad quem iſtud verbum directum eſſet, an ſcilicet ad Cameram, quæ reſtitutionem facere tenebatur, vel ad Officiales qui eam recipere debebant, & ſic an in ſenſu activo, ut ſcilicet, qui recepit, reſtituat, dum non reſtituitur id, quod acceptum non eſt; vel
11 in ſenſu paſſivo, ut reſtitutionem conſequatur ille, qui ſolvit, vel amiſit, quamvis non ille, qui reſtitutionem facit, ſed alter abſtulerit, vel receperit; Si enim (exempli gratia) ego ſolvi, vel amiſi centum quæ mihi reddantur, quoad me fieri dicitur reſtitutio, ideſt reintegratio in priſtinum ſtatum, atque verificatur verbum reſtituere, quamvis ille, qui reddit, non receperit, ſed alter, dum quo ad me id nil refert, an unus, vel alter mihi reſtituat, & è converſo, ſi ego indebitè habeo in manibus rem, vel pecuniam non meam, quam reddere tenear, ſi reddo, dicor reſtituere id, quod recepi, an reddam illi, à quo recepi, vel alteri, cui juridicè reddi poteſt, & ſic in utroque iſtud verbum remanet verificabile, & per conſequens punctus erat cuinam illud directum eſſet.

Certum autè videbatur, quod directum eſſet ad Cameram debitricem Officia ſupprimentem, & reſtituere debentem
12 pecunias ab Officialibus ſolutas, ut ad clarum ſenſum ipſe verborum contextus oſtendit, & clariùs comprobat tenor totius Motus proprii, dum per quinque alias vices in eo adhibitum fuit idem verbum reſtituere, ſemper directum ad debitorem, qui reſtitutionem facere debebat, undè propterea videbatur, quod verſaremur in caſu indubitabili. Et quamvis in prima deciſione, amplectendo motivum ſcribentium prò Officialibus, dicatur, quòd, idem verbum reſtituere in Motu proprio, quandoque adhibeatur impropriè in eo, qui nihil receperat, nempè quando dicitur, quod Secretarii ſe offerebãt reſtituere Cardinali Mediceo ſcuta 5500. recepta per Papam pro pretio Officii non ſui, dum Secretarii nil receperant; Nihilominùs revera erat iſta leviſſima conſideratio, meritò in aliis duabus deciſionibus rejecta, & quæ potiùs retorquebatur ad probandum idem, quòd ſcilicet verbum directum eſſet in debitorem, dum dicitur reſtitutionem fieri debere per Secretarios, vice tamen, & nomine Papæ debitoris, qui per ipſorum organum, tanquam ejus mandatarium facere debebat reſtitutionem, quæ revera per mandatarium fieri dicitur, ut etiam advertitur in meo diſcurſu, de quo infrà num. 9.

Verùm ubi improprianda eſſet vis, & ſignificatio dicti verbi *reſtituere*, ut facit prima deciſio, quæ cum impropriè-
13 tate potiùs procedit, ut ejus tenor oſtendit, ut propterea illud verificaretur in creditore, qui reſtitutionem recipere debet; Attamen id regulariter non procedit, ſed eatenus admittitur, quatenus ita exigat ſubjecta materia, tanquam per ſpeciem limitationis, quam inducat, vel diſponentis, vel contrahentium voluntas, vel æquitas aut alia congrua ratio. Hæc autem omnia in facti ſpecie deficere videntur; Non enim aſſiſtit, ſed potiùs reſiſtit veriſimilis intentio Papæ, ut habetur infrà, agendo de altera inſpectione voluntatis poſt hanc inſpectionem verborum; minùſque ſuadet æquitas, vel congruentia ex pluribus. Primò, quoniam ſolvere, vel reſtituere id, quod acceptũ, vel habitum non fuit, eſt ſpecies pœnę formalis, & iniquitatis, quæ præſupponit delictum vel culpam in eo, qui talem pœnam pati debeat, ut oſtenditur in- 14
frà Cap. 17. agendo de reſtitutione facienda ad terminos juris communis. Secundò, quoniam iſta lex Piana, quando intelligenda veniret juxtà ſenſum Officialium, ac primę deciſionis, utique dici mereretur exorbitans, & correctoria, nimiumque Cameræ præjudicialis, dum ita corrigit legem fundamentalem initam per viam contractus per Innocentiũ VIII. in limine erectionis Collegii, qua attenta, in caſu ſuppreſſionis, Camera teneretur ſolùm ad reſtituendum ducatos 62400. importantes ſcutos monetæ 95. m. circiter, attenta verò iſta lege Piana, etiam juxta ſenſum Cameralium, jam exequtioni demandatum, reſtitutio importat penè triplum; Attento verò ſenſu Officialium importaret longè ultrà quadruplum. Tertiò, quoniam eadem lex Piana ita in præjudicium Camerę corrigit diſpoſitionem juris communis, qua attenta teneretur longè minùs reſtituere, quàm jam voluntariè reſtituerit, ut clarè oſtenditur in dicto Cap. 17. ubi de hac juris communis diſpoſitione agitur.

Et demum quartò, quoniam licet Officialibus aliqua aſſiſtat æquitas, quia cum bona fide, juxta conſuetudinem, pro tunc currenti pretio, emerunt, adeout agatur de damno vitando, attamen longè major eſt æquitas, quæ aſſiſtit Ca- 15
meræ, tùm quia damnum Officialium, ſaltem in magna parte, compenſatum fuit ab exceſſivis emolumentis, quæ multorum annorum ſpatio perceperunt, adeout in aliquibus importaverit ultrà decem, & duodecim pro centenario, undè de tota ſorte erogata, detractis moderatis fructibus currentibus, reintegrati fuerunt, è converſo autem Camera agit de damno omnimodo in reſtituendo id, quod nullatenus habuit, & de altero damno, quod tam diuturno tempore paſſa eſt, in tam exceſſivis interuſuriis, ideòque intrat vera, & recepta propoſitio, quod inter ęquè contendentes de damno vitando, potior eſt conditio ejus, qui certat de majori damno, cui propterea major aſſiſtit æquitas, Tùm etiam, quia longè 16
magis pia, miſerabilis, & æquitate digna eſt Camera, quàm eſſent iſti Officiales, qui in modico numero, penè omnes erant divites, & potentes, eorumq; plures, forſan ex ejuſdem Cameræ, & Sedis Apoſtolicæ bonis, vel beneficiis ditati, è converſo autem damnum Cameræ eſt idem, ac illud totius Reipublicæ, quæ complectitur orphanos, pupillos, viduas, ruſticos, & pauperes, alioſque miſerabiles, ac etiam bonum commune omnium, ac propterea quicquid dicant ſuperficiales, humanarum litterarum profeſſores, qui litteram non egrediuntur, vel aliqui ſuperficiales legulei, qui pariter litteræ viliſſimè ſerviunt, verius eſt, ut in dubio, & in pari cauſa pro Camera debeat reſponderi, cui etiam tanquam reo 17
convento ad repellendum actorem aſſiſtit vulgaris regula, ut in dubio pro reo contendente de liberatione debeat reſponderi.

Quamvis enim enunciati ſuperficiales procedere ſoleant, cum nimis vulgato dicto *Plinii ad Traianum*, ut ſub bono Principe mala ſit cauſa fiſci, contra quem in dubio debeat judicari, in hoc tamen conſiſtit error confundentium unam ſpeciem fiſci cum altera; Siquidem triplex eſt fiſcus, unus 18
enim eſt pœnalis, & odioſus, qui contendit de puro lucro ex aliena jactura, cum bonorum publicatione, vel mulctis, & pœnis; Alter eſt fiſcus non odioſus, nec pœnalis, ſed adhuc fovens cauſam lucrativam, ut eſt in bonis vacantibus; Et alter eſt fiſcus, qui agit de conſervando, & benè adminiſtrando bona publici Ærarii, & patrimonii orphanorum, viduarum, virginum, pupillorum, amentium, aliorumque pauperum, & miſerabilium, ac totius humanæ ſocietatis; Præfata ergo ſententia Plinii procedit in prima ſpecie odioſa, & pœnali, ac etiam ad ſummum in ſecunda, nullatenus verò in hac tertia, verè magis favorabili ſpecie, quàm ſit cauſa privatorum, eo modo, quo ſemper bonum publicum anteferetur privato, juxta auctoritates ita diſtinguentes, quæ allegantur in ſecunda, & tertia deciſionibus, de quibus infra ſub n. 18. & 19. ac etiam in alias enunciato meo diſcurſu, pariter inferiùs regiſtrato ſub num. 9. in quo advertitur id clarè comprobari ex eo, quod fiſcus pœnalis, vel qui alias contendit de lucro, caret multis ex illis privilegiis, & favoribus, quæ competunt fiſco favorabili, & denegantur privatis, puta hypothecæ legalis, potioritatis adverſus anteceſſores in bonis poſteà quæſitis, æqualis concurſus cum dote, ob conquaſſationem privilegiorum, & ſunt tot alia, quæ collecta fuerunt per illos, qui profeſſi ſunt agere de juribus, & privilegiis fiſci. C.

Præ-

Prætereà, inſiſtendo etiam in hac prima inſpectione verbali, & ſuper ſignificatione, & intelligentia dictorum verborum *reſtitutis pecuniis, pro quibus conſtet ipſos emiſſe, vel habuiſſe Officia*; Iſta verba nullatenus convenire poſſunt illis pecuniis, quæ per ultimos poſſeſſores fuerunt ſolutæ aliis privatis poſſeſſoribus, qui cum hoc lucro Officia reſignarunt, quoniam (ut pluries animadverſum eſt in capitulis præcedentibus, ac etiam advertitur in dicto meo diſcurſu num. 9. à quo alii ſcribentes cum latiori apparatu penè totum deſumpſerunt, atque firmatur in duabus poſterioribus deciſionibus Cameræ favorabilibus) dicta verba ſolùm adaptabilia ſunt illis pecuniis, quæ ſolutæ fuerunt Cameræ, à qua directè, & immediatè acquiri, & obtineri dicuntur Officia, tanquam vacantia per illam mortem civilem, quam ſibi voluntariè dedit reſignans, tollens ſe de medio, ideòque illud pretium,
19 quod per reſignatarium, & novum emptorem ſolvitur reſignanti, duplicem habet ſpeciem, unam ſcilicet ſubrogationis in locum illius pretii, quod Camera jam à reſignante habuit, ideòque per mutationem perſonæ aliud pretium non conſequitur, nè illud pro eadem re conſequatur duplicatum, & alterum illius augmenti, quod recipiens lucratur, & obtinet, tanquam munus, & præmium ceſſionis, quam alteri facit, illum ponens in ejus locum, ut docet frequens, & quotidiana praxis locorum Montium, quoniam Camera in eorum erectione illa vendidit, ad rationem ſcutorum centum pro quolibet loco; deinde verò illorum poſſeſſores, illa vendunt aliis pro ſcutis 120. & quandoque etiam pro prerio duplicato, ut ſequebatur potiſſimè in locis Montium Cameralium Bononiæ, quando ante reductionem recenter factam, fructabant ad rationem ſeptem, & octo pro centenario, ut habetur in tract. de locis Montium Cap. 1. & 3. quoniam iſta major ſumma, quæ ſolvitur privatis reſignantibus, non eſt verum pretium, quod ſolvatur venditori, à quo res conceditur, ejuſque dominium transfertur, ſed ita explicatur, pro uſu loquendi, ſub nomine pretii extrinſeci, vel accidentalis, verè tamen & propriè aliud non eſt, niſi quoddam præmium, quod ſolvitur poſſeſſori, ut tollat ſe de medio, & aperiat locum novæ conceſſioni reſignatario faciendæ per Principem, ad inſtar illius recognitionis, vulgò explicari ſolita, in Italia, ſub vocabulo *di buona uſcita*, quæ ſolvi ſolet pro nominatione, vel ſub ingreſſu in appaltibus Cameralibus, vel in emptionibus bonorum, aliiſque negotiis, ac propterea iſtud augmentum dici non poteſt pecunia, pro qua emptio facta ſit, ejuſque verum pretium, cùm pretium propriè ſit illud, quod ſolvitur venditori, cujus perſonam gerit Camera, non autem reſignans; Nil obſtante, quod fiat tale per Papæ approbationem, quoniam huic objecto ſatisfit infrà in Cap. 17. ubi videndum.

Quo verò ad alteram inſpectionem voluntatis, ſeu mentis B. Pii V. in pluries enunciato meo diſcurſu, de quo infrà
20 num. 9. proceditur cum dilemmate, quod convincens videtur, quoniam, ut habetur in facti ſerie ad hunc effectum diligenter exarata in capitulo præcedenti, Motus proprius Pianus principaliter continet concordiam ſuper annullatione proviſionis factæ per Papam de Officio pertinente ad Collegium, cum mutuo per iſtam facto, & cum aſſignatione Officii primò vacaturi, pro dicti mutui ſatisfactione, ideòque, aut dicere volumus, quod motus proprius, nulla data paragraphorum, vel orationum diverſitate, contineat unicam individuam diſpoſitionem, aut verò quòd contineat duas partes, ac diſpoſitiones diverſas, & ſeparatas, unam nempè ab initio, uſque ad §. *Ad hæc*, ſuper dicta concordia cum mutuo, & aſſignatione futuri Officii reſpectivè, & alteram à dicto §. *Ad hæc* uſque ad finem ſuper confirmatione privilegiorum, ſub qua appoſita fuerunt verba ſuperiùs regiſtrata, quæ huic diſputationi anſam dederunt, ut omninò iſta poſterior pars verior videtur, ut infrà. Si attendenda eſt prima pars, quod ſcilicet unica, & individua ſit totius Motus proprii diſpoſitio, & tunc eſſet dare caſum, quod in contractu mutui modicæ ſummæ ſcutorum 5500. atque iſtius intuitu, Collegium mutuator reportaſſet à Camera mutuataria iſtam novam conventionem, alterativam legis fundamentalis, adeò Officialibus proficuam, adeòque Cameræ damnoſam, & præjudicialem, ut ſcilicet loco reſtituendi, in caſu ſuppreſſionis, ſcuta 95. m. circiter, ita obligata remaneret reſtituere ſcuta circiter 400. m. juxta ſenſum primæ deciſionis, & prætenſionem Officialium, ideòque intraret, non ſolum læſio plus quam enormiſſima, redolens apertum dolum annullantem actum, ex iis, quæ in materia læſionis habentur in ſua Emptionis, & Venditionis ſede, & alibi, D. ſed etiam adeſſe dicerctur manifeſta, & graviſſima uſura, juxta ea, quæ circa mixturam mutui cum altero contractu, vel pacto læſivo, & præjudiciali habentur in ſua Uſurarum ſede, E. adeoùt non ſolum Camera teneri non deberet ad hunc controverſum excęſſum, quem ipſa non recepit, utpotè ſolutum reſignantibus, ſed neque teneri deberet ad id, quod ultrà dictam ſummam ſcutorum 95. m. conventam in prima conventione fundamentali Innocentii VIII. ſolvit tanquam receptum in aliis ſcutis circiter 130. m. ideòque deberet potiùs eſſe locus reformationi duarum ultimarum deciſionum, concedendo Cameræ repetitionem exceſſivè ſoluti ultrà dictam ſummam conventam in Conſtitutione Innocentii.

Altera quoque deſuper cadente vera, & recepta propoſitione, quod concordia intelligenda venit intra limites con- 21
troverſiæ, ſuper qua prodiit, & ſuper rebus, quæ in actuali, vel habituali erant lite, ideoque alia verba ex errore, vel inadvertentia, citra intentionem appoſita cenſentur, quoties aliundè non conſtet, quod alium diverſum contractum facere partes voluerint. F.

Aut verò dicimus (ut probabilius dicendum eſt) quod dictus Motus proprius contineat duas ſeparatas, ac diverſas partes, vel diſpoſitiones, ut ſuprà; Et tunc, quatenus pertinet ad poſteriorem partem, in qua continentur præfata verba, in quibus eſt Officialium fundamentum, re vera illa continet ſolùm confirmationem antiquorum privilegiorum, non autem novum privilegium, novamque conceſſionem innovativam, & alterativam præcedentium, ideòque intrat vera, & recepta propoſitio, quod confirmatio regulanda eſt ad limites confirmati, adeòut verba quantumvis ampla ſtent ſamulativè pro majori firmitate actus, ſed ultrà non progre- 22
diantur, juxta auctoritates relatas in poſterioribus deciſionibus, & in ſæpiùs citato meo diſcurſu, de quo num. 9. quo poſito, verba intelligenda ſunt de pecuniis conventis in dicta Conſtitutione Innocentii, & non ultrà.

Quodque revera Pontifex Pius in animo non habuerit aliquid innovare, ſed ſolum confirmare, & approbare ea, quæ jam conceſſa fuerant, comprobatur ex pluribus, quæ ſimul juncta rem in claris ponere videntur. Primò nempè ex 23
juris regula generali, quòd novatio non præſumitur, niſi expreſsè dicatur, vel quod ratio omnimodæ incompatibilitatis urgeat. Secundò, quia hæc innovatio importaret magnam Cameræ læſionem, ac donationem, quarum neutrum in dubio præſumitur. Tertiò, quia tantùm abeſt, quod iſte Pontifex voluerit aliàs conceſſa ampliare, quod imò conſtat illa voluiſſe potiùs reſtringere, cum enim medio tempore inter conceſſiones Innocentii VIII. Alexandri VI. Clementis VII. & Pauli III. & iſtam, ſuperveniſſet Concilium Tridentinum completum, & publicatum ſub Pio IV. ejus immediato prædeceſſore, hinc dicta antiqua privilegia reſtrinxit, dummodo præfati Concilii decretis non adverſentur. Quartò eamdem voluntatem ſuadet qualitas ejuſdem Pontificis, qui, ut docent ejus acta, & quamplures conſtitutiones, illa præſertim de non infeudando, de qua pluries agitur in Feudorum ſede, fuit piiſſimus, & zelantiſſimus adminiſtrator, & conſervator bonorum, & Jurium Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ, (atque utinam idem actum eſſet à Succeſſoribus, quoniam res non eſſent in hoc malo ſtatu, in quo reperiuntur.) Quintò clarè, adeòut intret ſuperiùs enunciata vulgaris regula deducta in prima deciſione, quod in claris, & expreſſis non intrant quæſtiones, & argumenta, dum expreſsè profeſſus eſt Pontifex confirmare dicta antiqua privilegia, vel conventiones, eo modo, quo competebant, & non alias, ut clarè probant illa verba *eiſdem modo, & forma &c.* Sextò, quoniam ſtylus eſt in donationibus aliiſque conceſſionibus, Cameræ præjudicialibus, adjiciendi derogationem Regulæ *de iure quæſito non tollendo*, ac etiam derogationem Apoſtolicis Conſtitutionibus interdicentibus alienationem bonorum, & jurium Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ, ac etiam derogationem Bullæ Pii IV. de regiſtrandis, aliaſque adjiciendi amplas, & prægnantes clauſulas, quorum nihil factum eſſe conſtat; Stylus enim comprobat voluntatem Papæ, & quid facere voluerit. Septimò clariùs, & in comprobationem proximè antecedentis argumenti, quoniam in prima parte Motus proprii, in qua agitur de contractu verè correſpectivo, & ex debito juſtitiæ commutativæ, aſſignationis Officii primò vacaturi in ſatisfactionem mutui ſcutorum 5500. ſine aliqua liberalitate, vel illa modica, & contingibili, quæ verificari poterat in eo pluri, pro quo dictum vacaturum Officium aſſignatum vendi potuiſſet, cùm tamen dari poſſet caſus, quod venderetur minùs, adhibitæ fuerunt dictæ cautelæ, & clauſulæ, aliæque

que amplæ, & effrenatæ; Et tamen in hac ſecunda parte, in qua, juxtà ſenſum Officialium adeſſe diceretur adeò ingens, & læſiva innovatio, quæ profuſionis nomen, vel titulum meretur, cum adeò gravi damno, & præjudicio Cameræ, nulla ex his clauſulis & cautelis adhibita eſt, ſed ſolùm fuerunt adhibitæ illæ clauſulæ, quæ pro ſtylo adhiberi ſolent in ſimplicibus confirmationibus. Octavò in idem, quoniam ubi dicta aſſignatio Officii vacaturi effectum non ſortiretur, ad aliud Pontifex Cameram obligare noluit, niſi ad reſtitutionem dictæ ſummæ mutuatæ, cum damnis, & intereſſe, ratione cenſus ad hunc effectum imponendi, ideòque prorſus improbabile eſt, ut in caſu ſuppreſſionis totius Collegii longè magis de jure permiſſæ, juxtà deducta in capitulo præcedenti, quinimò per eamdem Innocentianam legem fundamentalem præviſæ, atque per Pium IV. præſuppoſitæ, juxtà inſinuata in capitulo ſequenti, volucrit eamdem Cameram ad adeò ingens damnum obligare. Nonò demum clarè id comprobare videtur confeſſio, vel agnitio eorumdem Officialum illius temporis optimè conſciorum illius veritatis, quæ nunc nobis ignota, & obſcura eſt, quoniam in vim clauſularum ejuſdem Motus proprii, duo expediri curarunt Brevia, unum ſuper ejus prima parte conventionali, ad effectum docendi de facultate imponendi cenſum pro reſtitutione dictorum ſcutorum 5500. & alterum ſuper ſecunda parte, atque huic ſecundo Brevi impreſſo in libro eorum cura, ſub Sixto V. compoſito, & typis dato, adjecerunt rubricam confirmationis privilegiorum, ut patet ex eodem Brevi, inferiùs regiſtrato ſub num. 3. Eamdemque veritatis agnitionem fecerunt eorum ſucceſſores in altero Brevi obtento à Gregorio XV. pariter inferiùs regiſtrato ſub nu. 4. Ideòque his omnibus ſimul junctis, manifeſtum remanere videtur, quod aliud Pontifex Pius in animo non habuit niſi ſolùm confirmare antiquas conceſſiones, & privilegia; Hęc autem confirmatio inutilis, & fatua dici non meretur, ut ex parte Officialium exagerari ſolebat, dum ſatis proficua eſſe potuit, reſpectu illorum privilegiorum, quæ non eſſent in uſu, ac etiam ad tollendas dubitationes, quæ cadere poterant ob ſuperventas privilegiorum, & gratiarum revocatorias Conſtitutiones ejuſdem Innocentii VIII. magis verò Adriani VI. fortèque aliorum intermediorum Pontificum. Et nihilominùs dum Camera acquievit dictę magnæ, & adeò præjudiciali innovationi, quod ſcilicet, cùm ex lege fundamẽtali Innocentiana teneretur ſolùm reſtituere ſcutos 95. m. circiter, reſtituit totam pecuniam acceptã in ſumma ſcutorum 230. m. circiter, ità maxima operatio huic proviſioni data eſt; Et per conſequens magna exorbitantia, magnaque irrationabilitas eſſet hanc Pianam diſpoſitionem trahere ad obligationem pœnalem reſtituendi id, quod receptum nõ eſt; Undè propterea, quando in ſtricto juris rigore inſiſtendum eſſet, gravata potiùs remanet Camera in reſtitutione jam voluntariè facta, quæ pietati, & benignitati Pontificis potiùs eſt referenda, ut infrà Cap. 17.

Ponderabantur quoque, ad ſuperabundantiam, alia motiva in ſecunda, & tertia deciſione, ac etiam in pluries enunciato meo Diſcurſu inſinuata, quod ſcilicet iſta conceſſio, quando intelligenda eſſet juxta Officialium ſenſum, ratione magnæ læſionis, invalida reputanda veniret, vel quia caderet ſub revocatoria Regula 64. Cancellariæ, aut ſub Conſtitutionibus revocatoriis Sixti V. & Urbani VIII. Vel in omnem eventum, ut data etiam validitate, cenſenda eſſet perſonalis, in gratiam illorum Officialium tunc temporis, qui rem gratam Pontifici fecerunt, & erga quos expreſsè ipſe profeſſus eſt aliquod gratitudinis præbere ſignum, dum reſpectu aliorum ignotorum, nullumque habentium meritum, iſta fuiſſet conceſſio ſine cauſa, quæ irrationabilis profuſionis habere ſpeciem, nullatenus in adeò pio, prudenti, & attento Pontifice præſumendæ. Verùm hæc, & alia deducebantur præter neceſſitatem ad quamdã ſuperabundantiam, & quamvis non multum relevantia viverentur ad ſatisfaciendum ſtylis, & legibus, quibus Advocati, & Conſulentes præmuntur, deducendi omnia etiam levia, citrà tamen mendacium, & facti alterationem, ob illam, quam in dies experimur ingeniorum varietatem, ob quam pleriſque bona, & ſolida videntur, ac placent levia, & contemptibilia motiva, ſolida verò, & gravia diſplicent, & negliguntur, ut in opuſculo ſtyli, & in Relatione Curiæ, agendo de Advocati, & alibi pluries advertitur.

a *Diſc. 35. de iudic. num. 44. ac etiam in opuſculo de ſtylo legali, & ſæpius.*
b *De feud. diſc. 108. num. 33. de Cred. diſc. 113. num. 4. de iudic. diſcurſ. 8. num. 18. & diſcurſ. 31. num. 29. & ſæpius.*
c *Peregrin. Alphar. Larrea, Galeotta, & alii multi.*
d *De Empt. & Vendit. lib. 7. diſc. 27.*
e *De Vſur. lib. 5. diſc. 4.*
f *De feud. diſc. 4. de Alien. & Contract. prohib. diſc. 50. & ſæpius.*

De eadem reſtitutione pretii, de qua in Capitulo præcedenti, facienda tribus locis Piis, quæ habebant Officia in perpetuum.

SVMMARIVM.

1 *DE Officio donato Hoſpitali Sancti Ioannis, ut nulla competat actio ad pretium.*
2 *Facti ſeries ſuper Officio conceſſo in contractu permutationis Hoſpitali Sancti Spiritus.*
3 *De regreſſu competente permutanti ad bona propria, quando bona permutata evincantur.*
4 *An reſolvantur contractus venditionis, ob evictionem alicuius rei ex pluribus.*
5 *De pecunia, vel alia re interveniente in permutatione, pro adæquatione inæqualitatis, an corrumpat contractum.*
6 *De antiquo valore Officiorum longè minori.*
7 *Quare in iſto caſu non competat actio ad id, quod intereſt.*
8 *Quando procedat concluſio, de qua num. 3.*
9 *Quid operetur evictio, quæ ſequatur.*
10 *Non intrat evictio ob caſum.*
11 *Quando factum Principis dicatur caſus.*
12 *De duplici perſona in Principe.*
13 *An regreſſus, de quo num. 3. competat contra tertium poſſeſſorem.*
14 *De facti ſerie, & meritis circa Officium poſſeſſum à Capitulo Sancti Euſtachii.*

CAP. XVI.

PArticularem inſpectionem exigit in illa pretii reſtitutio, quæ facienda eſſet tribus Piis locis in facti ſerie, de qua in Capitulo 14. recenſitis, ob notabilem diverſitatem circumſtantiarum, & rationum, adeout non benè illis adaptentur ea, quæ generaliter dicta ſunt in antecedenti Capitulo de illis privatis Officialibus, qui, pretio mediante, Officia emerunt, ideoque non mirum, ſi de eis hic particulariter agitur. 1

Tria itaque iſta Pia loca, quorum primum (ſervando ordinem antiquitatis) eſt Hoſpitali Sancti Salvatoris ad Sancta Sanctorum in Laterano, cui Alexander VI. Innocentii VIII. hujus Collegii erectoris, immediatus ſucceſſor, unum Officium donavit. Verùm reſpectu iſtius loci cadere non videbatur dubitandi ratio, quod ad nil reficiẽdum Camera teneretur, non quidem ex lege particulari B. Pii V. de qua actum eſt in præcedenti capitulo, quoniã nullatenus verificantur ejus verba, quę diſponũt de reſtitutione illarum pecuniarum, quas conſtaret ſolutas eſſe pro Officio habendo, dum nil ſolutum eſt. Minuſque in foventibus cauſam lucrativam verificatur diſpoſitio juris communis ex iis, quæ habentur in capitulo ſequenti; Unde propterea Hoſpitalis adminiſtratores prudenter agendo, acquieverunt, atque Pontifex pro ejus pietate, & munificentia pium locum providit de competenti redditu ex quorumdam emolumentorum participatione, quę per Dohanę Cuſtodes præſtari ſolebat Cubicularijs Cardinales Nepotis, & cum Officio Cuſtodiæ Carcerum Capitolii (dum hæc agebantur) vacato, adeòut reſpectu iſtius loci Pii, nulla diſputatio aſſumpta fuerit.

Quo verò ad aliud Hoſpitale Sancti Spiritus *in Saxia*, cui Paulus III. aliud Officium conceſſit, neceſſaria eſt facti ſeries, ex qua dignoſci valeat, quale jus foveret. Cùm itaque præfatum Hoſpitale poſſideret Oppida, ſeu Caſtra, Vallerani, Crocciani, Burgi, ſeu Burgetti, Fabricæ, & Sancti Leonardi, unà cum tenuta nuncupata *Falareſe*, alijſq; annexis, nec non occaſione dicti Caſtri Fabricę perciperet annuos ſcutos 400. ſuper aluminibus Tulphæ, dictus autem Pontifex in animo haberet iſta loca cum aliis unire pro conſtituendis Statibus Caſtri, & Valentani concedendis Petro Aloyſio Farneſio; Idcirco, cum præſuppoſito, tunc fortè verò, evidentis utilitatis 2

tatis Hoſpitalis, à quo, detractis expenſis, & oneribus, ex dictis locis juriſdictionalibus, pro illorum temporum conditione, modica perciperentur emolumenta, illa permutavit cum Caſalibus, vel Tenutis Pallidori, Statuæ, & Tumoleti exiſtentibus in medio proprietatum Hoſpitalis, & itineris ex Porcharitia ad Sanctam Severam, dictiſque Caſalibus, vel Tenutis, idem Pontifex ad majorem Hoſpitalis utilitatem, atque ut magis pia opera adimplere poſſet, adjecit conceſſionem hujus Officii in perpetuum, eo modo, quo aliud poſſidebat præfatum Hoſpitale Salvatoris, permutatione tamen principaliter ſtatuta inter Oppida, Caſtra, & loca ex una, & Caſalia, vel Tenutas ex altera, ut Inſtrumenti tenor oſtendit, adeout ſuper iſtis concepta eſſet reciproca ſtipulatio evictionis, vel defenſionis. Cumque ex cauſis apud Hiſtoricos, & in noſtra ætate valdè notis, & recenſitis in Regalium ſede, A. cum nimium deplorabili memoria pro Sede Apoſtolica, & Statu Eccleſiaſtico, dicta loca unà cum aliis conſtituentibus præfatos Status, ex cauſa concordiæ ceſſa fuerint Cameræ, quæ in ſe accollavit loca Montium, aliaque debita, quorum fructus paſſivi longè ſuperant dictorum Statuum fructus activos, adeout Camera ſuppleat de proprio ſingulis annis ſummas valdè notabiles hinc, ſtante quod de facto Camera hujuſmodi loca poſſidet, ſuperficiales, atque ignarum vulgus obloquebantur, quod ita rem, & pretium retinere vellet, Caſtra ſcilicet, & loca, ac etiam Officii pretium; Profeſſores verò, Hoſpitalis defenſores prætendebant intrare terminos regreſſus, qui permutanti conceditur ad bona propria, quando bona, quæ eorum loco data fuerunt, evincuntur, ac deficiunt; Interim verò donec iſta diſcuterentur, judicatum fuit in eodem Motu proprio ſuppreſſionis mandare, ut daretur Hoſpitali, ſine præjudicio ejus jurium, eadem ſumma ſcutorum 11. m. pro qua ſub Pio IV. alterum Officium pariter in perpetuum conceſſum Capitulo Sancti Euſtachii valutatum fuit in caſu, quo ſequeretur iſta, ex tunc prævisa, Collegii ſuppreſſio, ut infra.

De his autem nullatenus actum fuit in Rota, dum in ea ſolùm diſputationes habitæ fuerunt cum aliis Officialibus; In forma tamen benevola, & extrajudiciali, poſt terminatam Rotalem diſputationem, cum meo interventu, actum fuit inter Camerales, & miniſtros, ac defenſores iſtius Hoſpitalis, atque in congreſſibus deſuper habitis, etiam cum ſenſu veritatis, & juſtitiæ dicebam, quod de ſtricto jure, non ſolùm Hoſpitale nullum jus, nullamque actionem ulterius haberet contra Cameram, ſed quod potius indebitè, vel in exceſſu per illam ſoluta fuerit dicta ſumma ſcutorum 11. m. Siquidem ubi etiam Camera poſſideret dicta Oppida, & Caſtra permutata ex cauſa, & titulo dictæ permutationis, adeout verificaretur prædicta erronea vulgi opinio, quod illa eſſet in lucro, obtinendo hæc loca ſine recompenſa, quæ ita in hac parte defeciſſet, adhuc tamen extranei eſſent prædicti termini reſolutionis permutationis, & regreſ-
3 ſus ad bona propria, ob evictionem bonorum, quæ à permutante illorum loco habita fuerunt, ex juribus, & auctoritatibus, de quibus in Emptionis, & Venditionis ſede, B. quoniam tam attentis perſonis contrahentium, quàm bonis in contractum deductis liquet, quod Officium deductum non eſſet in contractum, iſte ſiquidem initus fuit inter Miniſtros Cameræ, & Miniſtros Hoſpitalis ſuper Oppidis, & Caſtris ex una, & Caſalibus, & Tenutis ex altera, ut Inſtrumenti tenor clarè oſtendit; Officium verò conceſſum fuit per Papam, *ut de aliquo uberiori ſubſidio in ſubventione infirmorum, puerorum, & puellarum, aliorumque onerum Hoſpitalis ſubvenire dignaretur*, ut ſunt Inſtrumenti permutationis verba, & ulterius in eodem Inſtrumento poſteà dicitur, ibi, *Caſalia prædicta cum Caſtris, Terris, ſive Oppidis prædictis ex eadem cauſa permutationis permutanti conceſſit, & ultra Terras, Oppida, & Caſtra, Tenutas, & Caſalia prædicta pro ſumptibus, & expenſis, & aliis oneribus ſuſtinendis, pariter non obſtante quacumque excedentia, ex dicta cauſa permutationis, unum Officium Hoſpitali uniri, & concedi mandaret;* Unde liquet, quod permutatio principaliter initia eſt inter ſpecies, & res ſtabiles hinc inde, Officium verò datum eſt ad ſuperabundantiam, & pro ſubventione, & ſic potius ex motivo pietatis, & ex liberalitate, eodem modo, quo in eodem actu conceſſa fuit franchitia aliorum 30. Vegetum vini Ripæ, ut in fine Inſtrumenti.

Verum ubi etiam dicendum eſſet, quod Officium fuerit correſpectivum, adeout venerit in contractum, fueritque pars pretii, ut reflectendo ad veritatem, probabilius videtur, adhuc tamen dici non poteſt, ut illud fuerit adeo contemplatum, quod ſine illo contractus initus non eſſet, undè propterea tanquam ex ceſſante cauſa finali, etiam in parte, locus eſſet reſolutioni, juxtà ea, quæ in materia emptionis, & venditionis habetur de illius reſolutione ob evictionem, vel deficientiam unius, vel aliquarum rerum ex pluribus in 4
contractum deductis, C. dum contextus Inſtrumenti id ad evidentiam excludit; Potiſſimè dum iſtud Officium non eſt ejuſdem ſpeciei, & naturæ, utpote jus incorporale, & reſolubile, in quo non intrat ratio affectionis, ſed ſolùm intrat ratio intereſſe pro valore tunc currenti: Ideoque videtur propriè actum id, quod frequenter in iſto permutationis cõtractu contingere ſolet, quod ſcilicet, cùm non de facili detur caſus, ut bona, quæ permutantur, ſint omninò æqua- 5
lia, ejuſdemque valoris, idcircò oportet ſupplere inæqualitatem cum pecunia, ſive cum bonis mobilibus, aut aliis rebus inter permutantes non contemplatis, ſed ſolùm accidentaliter in contractum deductis pro dicta adæquatione faciẽda, intrante ſolùm quæſtione, quando inæqualitas eſt magna, adeout pecunia, vel alia res ejus loco data, excedat valorem rei permutatæ, an corrumpat contractum, illumque tranſire faciat in diverſum contractum emptionis, & venditionis, adhibito vocabulo permutationis ad fraudandum retractum, ſive ad fraudandam gabellam, alioſque ſimiles effectus, quibus ex deductis in ſede Regalium, & Servitutum, occaſione agendi de Gabella, & alibi, D. ſed iſta quæſtione non intrante, quia minor, comparativè, & modica ſit ſuppletio, adeout indubitanter contractus permutationis ſuam retineat naturam, tunc ſi avocetur pecunia, vel evincatur res, quæ pro ſuppletione, loco pecuniæ data fuit, non intrat concluſio ſuper reſolutione contractus, & regreſſu ad bona propria, cùm id ſolum procedat, quando evincuntur, vel deficiunt ipſæ ſpecies principaliter in contractum permutationis deductæ, & in quibus cadere poteſt ratio affectionis, ſed conceditur ſolùm actio ad id quod intereſt, cum hypothecaria, & forſan etiam cum potioritate ad eadem bona. Iſteque diſcurſus in puncto Juris verus, & fundatus, clarè comprobatus quoque remanet à facto, quoniam cum amplis clauſulis, & cautelis in Inſtrumento promiſſa legitur hinc indè evictio, & defenſio, reſtricta ad Oppida, Caſtra, Caſalia, & Tenutas reſpectivè, nullum autem verbum de Officio.

Iſta itaque vera, & juridica theorica attenta, dicebam quod aliud Hoſpitali contra Cameram competere non poſſet, niſi actio ad illud pretium, pro quo Officium tunc valebat, fingendo, quod Camera pro ſupplenda inæqualitate ſolviſſet illam pecuniæ quantitatem, cum qua incontinenti duos (actus ita occultando) Hoſpitale emiſſet Officium, quę ſumma, ſeu quantitas, attento illorum temporum currenti valore, erat ſine dubio longè minor, quàm jam ſoluta ſcutorum 11. m. dum iſte eſt valor, qui currebat poſteriori 6
tempore ſub Pio IV. quando ille notabiliter excreverat, tum in ſpecie iſtorum Officiorum ob intermediam deficientiam plurium ex ſex antiquis Officialibus, ob quam emolumentorum augmentum ſequutum erat, tum etiam in genere ſuper omnium rerum aucto valore, qui ſub Paulo III. partim ob proximum Urbis excidium, ſub Clemente VII. immediato prædeceſſore ſequutum, & partim ob notorias Italiæ calamitates, erat longè minor, ut ex pluribus edocemur, & præſertim ex eo, quod ſub Uſurarum ſede inſinuatur de uſuris Judaicis, quoniam ſub Paulo III. erant ad rationem ſcutorum 33. pro centenario, ab ipſo reductæ ad 30. & ſub Pio IV. reductæ ad 24. E. cum ſimilibus demonſtrationibus, quæ de facili deduci poſſet; Non poteſt enim prætendi reſectio augmenti ex beneficio temporis ſuperventi, quoniam id venit ſub nomine damnorum, & intereſſe ultra id, quod Camera habuit, quæ non debentur, niſi ubi intrant termini formalis evictionis, vel obligationis ad damna, & intereſſe ratione delicti, vel culpæ, ex iis, quæ habentur in capitulo ſequenti; Unde propterea, ſi tunc pro dicta peræquatione Camera dediſſet tot loca Montium tunc fructantia 7
ad rationem decem pro centenario, unde propterea eorum valor in duplo, & ultra excreverat ante reductionem; Si poſtea ſequuta eſſet illius Montis generalis ſuppreſſio; cum ſola reſtitutione pretii intrinſeci ad rationem centum pro loco, utique aliud prætendi non poſſet, & hic eſt caſus.

Quinimò de ſtricta juris cenſura, retentoque dicto præſuppoſito, quod Camera obtineret iſta Caſtra, & loca ex eadem antiqua cauſa permutationis, adeout eſſet in lucro, adhuc neque præmiſſa locum haberent, quæ ad ſuperabun-

dan-

tiam potiùs dicebantur,& quamvis id quod contigit in Officio, contigiſſet in aliqua ex ipſis ſpeciebus, principaliter in permutatione deductis; Concluſio ſiquidem, de qua ſuprà, ſuper permutationis reſolutione, & regreſſu ad bona pro-
8 pria, procedit quando evincuntur bona, quæ eorum loco in permutationem data fuerunt, quoniam evictio, ſive ſequatur jure dominii, ſive jure hypothecæ, præſupponit, quod alter contrahens non eſſet verus, vel ſaltem non liber dominus, quodque propterea dederit rem non ſuam, quam dare non poterat,dum ſubſequens evictio continere nõ dicitur caſum novũ poſteà ſuperventum, adeòut nunc, & de tẽ-
9 pore,quo ille ſupervenit,amittantur ominiũ,& poſſeſſio rei, ſed detegit,& aperit illud vitiũ,quod jam ex tunc,& ab initio inerat;Secus autẽ ubi res amittatur, ſeu pereat ob caſum,qui poſteà ſuperveniat ſine delicto,& culpa alterius contrahẽtis,
10 quoniam ad nihil iſte tenetur. Et hic eſt caſus,de quo agitur, dum Officium caſu periiſſe, ac ceſſaſſe dicitur ob ſuperventam ſuppreſſionem generalem ex cauſa publica factam à Principe, cujus factum inter caſus fortuitos recenſetur, ut
11 habetur in capitulo ſequenti, ac etiam dictum eſt in præcedentibus. Ponamus enim,quòd poſſidente Camera Principis quamplures domos,vel quamplura olivera,ſive arbuſteta, eadem Camera hujuſmodi bona vendat, vel cum aliis permutet, poſtmodum verò ad longiſſimum temporis decurſum, Princeps ex cauſa publica, puta conſtruendi arcem, ſive muniendi Civitatem, aut impediendi obſidionem, vel pro ſalubritate aeris, aliavè ſimili cauſa publica demandet omnium domorum, vel prædiorum demolitionem, ſeu devaſtationem, utique non per hoc prætendi poterit evictio, vel domorum refectio, ſive reſolutio permutationis, cùm regreſſu ad bona propria, quoniam nulla contraventio, vel fidei violatio dignoſcitur; Cadente eadem ſuperiùs inſinuata
12 in Principe duplicitate perſonarum, quæ repetitur etiam in capitulo ſequenti, ubi datur etiam exemplum conceſſionis feudorum venalium, cum ſimilibus.

Si ergo hæc procedunt cum dicto præſuppoſito, quod per Cameram dicta Oppida, & Caſtra permutata retinerentur ex eodem jure, & titulo permutationis, adeòut lucrum, & commodum ex eis reportaret, quo caſu non quidem juris rigor, ſed aliqua non ſcripta æquitas forſan intrare deberet; Multò magis, & abſque dubio, dum juxtà præmiſſam facti ſeriem,ex hoc Officio Camera nil habuit,nec habet in manibus, dictaque loca retinet potiùs jure cujuſdam nimium damnoſæ adminiſtrationis pro ſolvendis fructibus locorum Montium, aliorumque debitorum poſſeſſoris dictorum Oppidorum, pro quibus ſupplendis notabilem ſummam ſingulis annis de proprio erogare cogitur, ideòque eſſet æquitas, quæ reſolveretur in iniquitatem, dum niſi hęc
13 aſſignatio facta eſſet Cameræ, ſed tertio contra iſtum poſſeſſorem, nulla competeret actio, de cujus competentia contra tertium poſſeſſorem etiam in caſu, quo regreſſus permutanti concederetur, adhuc dubitari poteſt,F. ideòque in hoc ſtultra cenſenda eſt vulgi ignari obloquutio.

Eadem in omnibus procedunt in puncto juris, quo ad Capitulum Sancti Euſtachii, dum pro Officio, quod ab eo
14 poſſidebatur, nullum penitus pretium Camera habuit, adeòut quoad eam dici valeat gratis conceſſum, & implicitè donatum. Cùm enim Cardinalis Farneſius poſſideret unum ex his Officiis, emptum ad ejus vitam pro currenti pretio, juxtà conſuetam hujuſmodi Officiorum naturam, emiſſet autem à dicto Capitulo quoddam Caſale, nuncupatum Turris Vergatæ propè Urbem, pro pretio ſcutorum monetę 16. m. ex his ſolvit in pecunia numerata ſcutos quinque mille, pro reliquis autem undecim millibus, cum aſſenſu, & auctoritate Pii IV. ceſſit, & aſſignavit dictum Officium, quod ratione perpetuitatis, valutatum fuit in duplo, dum tunc pretium currens erat ſcutorum 5500. ut ſuprà, in duobus capitulis præcedentibus, undè habita fuit diſputatio fuper quindenniis, in Regalium ſede peracta; G. pacto tamen adjecto, quod in caſu ex tunc jam præviſo, & cogitato ſuppreſſionis Collegii, eſſet in libito dicti Cardinalis emptoris, vel ſuorum hæredum ſolvere dictos ſcutos 11. m. vel reſtituere Caſale,cum reſtitutione ſibi faciẽda reliquorum ſcutorum quinque millium ab eo ſolutorum. Cùmque ad manus Cameræ moderno tempore obveniſſet Caſale ex eadem cauſa, ex qua obvenerunt Caſtra,& loca,de quibus ſuprà, agendo de Hoſpitali Sancti Spiritus, idcircò eadem Camera ex perſona, & juribus dicti Cardinalis tanquam ſubintrata in locum ejus hæredis, elegit ſolvere dictos ſcutos 11. m. pro quibus tantum Capitulum ex pacto expreſſo actionem habere poterat, non autem regreſſum prætendere poterat, nec poteſt ad Caſale, niſi quatenus non eligeretur ſolvi pretium, ut ſuprà, ideòque obligatio Cameræ eſt occaſionalis ex eo quod eſſet tertia poſſeditrix Caſalis ex eadem cauſa oneroſa, & correſpectiva, imò excedente bona ſibi aſſignata, adeout niſi eſſet poſſeditrix Caſalis affecti, nullam haberet Capitulum contra ipſam actionem, & ſi Caſale poſſideretur ab hęrede Cardinalis, aliam pariter non haberet actionem, quatenus hæres eligeret ſolvere dictos ſcutos 11. m. in quibus dictus hæres remanet Cameræ debitor pro ejus indemnitate; Et per conſequens caſus videtur dubitandi rationis incapax magiſque ſtulta convincitur obloquutio illorum, qui, nullam rerum informationem habentes, volunt fieri Judices, ſed ſtultè.

a *Diſc.* 80. *de Regal. in principio.*
b *Diſc.* 20. *de Empt. & Vendit.*
c *Lib.* 7. *de Empt. & Vendit. diſc.* 17. *&* 18.
d *De Regal. diſc.* 49. *& de ſervit. diſc.* 73.
e *Lib.* 5. *de Vſur. diſc.* 6.
f *Dict. diſc.* 20. *de Empt. & Vendit.*
g *Diſc.* 162. *de Regal.*

De eadem materia ſuppreſſionis Officiorum, & quid in ejus caſu reſciendum ſit illorum poſſeſſoribus in genere, juxtà terminos, & diſpoſitionem juris communis.

SVMMARIVM.

1 *UBi habentur leges particulares, non eſt immorandum in generalibus, & ad quid iſta attendantur.*
2 *Quomodo iſta materia Officiorum in terminis generalibus tractanda ſit.*
3 *Solvere, vel reſtituere id, quod non eſt habitum, eſt ſpecies pœnæ, quæ ſupponit culpam.*
4 *Recenſentur caſus, in quibus ſolvitur ultra acceptum.*
5 *Pœna conventionalis de Canonica æquitate non exigitur ultra id, quod intereſt.*
6 *Fiſcus non tenetur ad pœnas conventionales, vel alia damna, & de ratione.*
7 *De differentia inter juſtitiam diſtributivam, & commutativam, & inter Principem, & privatum.*
8 *Diſtinguuntur caſus, vel ſpecies Officialium.*
9 *De donatariis, ut nil eis debeatur.*
10 *Quam actione habeat donatarius contra donatorem.*
11 *De facto Principis reçenſendo inter caſus fortuitos.*
12 *Ea, quæ habentur de irrevocabilitate donationis, non afficiunt Principem, & quare.*
13 *Vbi agitur de Officiis donatis, non intrat conſideratio venalitatis.*
14 *Quando Princeps habeatur ut privatus, & obligetur per contractum.*
15 *Evictio, quæ ſequitur de natura rei, non præſtatur.*
16 *An, & quando Princeps poſſit donare.*
17 *De poteſtate ſupplantandi ſucceſſorem, quomodo procedat, & intelligatur.*
18 *De Conſtitutionibus revocatoriis franchitiarum, & gratiarum.*
19 *Aliud eſt agere de invaliditate, aliud verò de facultate revocandi.*
20 *De differentia inter revocationes particulares, & generales.*
21 *De donationibus, vel conceſſionibus remuneratoriis.*
22 *De obligatione dandi Officiali privato excambium, dantur exempla.*
23 *De illis Officialibus, qui, pretio mediante, emerunt à donatariis, an habeant actionem contra reſignantes.*
24 *An aſſenſus Papæ in admiſſione reſignationis præiudicet Cameræ.*
25 *An Papa ſciat pretium, quod ſolvitur pro Officio.*
26 *De diſcretiva formula reſignationum.*
27 *Quod ſcientia pretii non præiudicet.*
28 *Præſtatio conſenſus pro eius iure non obligat ad evictionem, vel ad aliud intereſſe.*
29 *Intereſſe Cameræ debet prævalere illi privatorum, & de ratione.*

30 *De illis Officialibus, qui cariori pretio emerunt ab illis, qui emerunt pro minori pretio à Camera.*
31 *De illis, qui emerunt à Camera, recenſentur variæ opiniones.*
32 *Examinantur opiniones contra Cameram*
33 *De obſervantia generali in hac materia.*
34 *De differentia inter bona privatorum, & bona, ac iura Principis.*
35 *Examinatur ſecunda opinio Cameræ favorabilis.*
36 *De differentia caſuum, in quibus Princeps tertio præiudicet.*
37 *De tertia opinione media, ut reſtitui debeat acceptum.*
38 *Connaturalis eſt cenſura Populorum, circa facta Dominantium.*
39 *Quando intret æquitas, vel actio de utili in rem verſo.*
40 *Pretium Officiorum eſt in fructu.*
41 *De læſione Cameræ circa factam reſtitutionem pretii accepti.*
42 *Quale ſit verum pretium, & de conceſſionibus ad vitam, quid importent.*
43 *Quid propriè emptori ad vita ſupplendum ſit.*
44 *De differentia inter primos conceſſionarios, & reſignatarios.*
45 *Pretium Officiorum in magna parte pendet à facultate reſignandi, qua ceſſante, eſt longè minus.*

CAP. XVII.

PRæſcindendo autem à legibus particularibus, de quibus in proximè antecedentibus capitulis actum eſt, aliiſque ſimilibus, quibus extantibus, de generalibus legibus, vel rationibus agendum non eſt, niſi pro particularium interpretatione in caſu dubio, vel pro ſuppletione in caſu omiſſo, atque agendo de eodem puncto in terminis generalibus jutis communis, pro regulatione, non ſolùm caſus particularis currentis, de quo actum eſt, & qui huic operi impulſum dedit, ſed de omnibus aliis, qui in eadē materia contingere poſſunt, facilè non eſt deſuper certas, & generales ſtatuere regulas, quoniam cùm deſuper in corpore utriuſque juris civilis, & canonici leges non habeamus, minuſque noſtri majores, primique magiſtri de materia ex profeſſo tractaverint, atque diverſi ſoleant eſſe ſtyli Principatuum, quinimò in eodem Principatu diverſę eſſe ſoleant hujuſmodi Officiorum erectiones, aut privilegia, idcircò juxtà ſingulorum caſuum qualitatem, & circumſtantias controverſiarum deciſio regulanda videtur, atque aliàs intrabit ſemper pluriès declamatus error æquivocorum, & injuſtitiarum productivus, procedendi in omni caſu cum regulis generalibus, vel cum aliquam auctoritatum, & deciſionum littera.

Illa tamen generalitas deſuper pro materiæ regulatione prænotanda videtur, illam ſingulis caſibus pro eorum diverſa qualitate, & circumſtantiis diverſimodè applicando, ſuperiùs quoque in Cap. 15. inſinuata, quod ſcilicèt, ſolvere, vel reſtituere id, quod habitum non eſt, vel quod in ejus utilitatem verſum non fuit, eſt ſpecies pœnæ, quæ intrare non debet, niſi in caſu culpæ, & delicti, ſine quo pœna non datur, undè propterea Regius Propheta in Pſalmo 68. inter quamplures calamitates & injuſtas oppreſſiones recenſet iſtam, ibi, *quæ non rapui, tunc exolvebam*: Omnis enim divini, naturalis, & poſitivi juris ratio obligat de juſtitia ad ſimplum, ideſt ad tantundem ejus, quod receptum eſt, ſed non ultrà, cùm in hoc conſiſtat juſtitia commutativa, quæ eſt humani commercii regulatrix. Et quamvis plures dentur in jure caſus, in quibus ſolvendum, vel reſtituendum eſt non acceptum, ſed aliquid ultrà id, quod acceptum eſt, accidentaliter tamen id provenit in pœnam ratione delicti, ut (exempli gratia) ſunt illæ obligationes in duplo, triplo, quadruplo, & quandoque etiam in decuplo, quæ in jure communi, ſeu locali habentur ex iis, quæ occaſione agendi de pœna decupli contra fiſci fraudatores habentur in Regalium ſede, de juribus, & rebus fiſcalibus agendo, A. vel ob aliquam culpam, ob quam teneatur culpoſus ad refectionem ejus, quod intereſt alterius partis, ut puta, eſt ſolutio uſurarum ratione damni, & intereſſe, ob moram, quæ culpam redolet, vel eſt præſtatio evictionis, quia rem ſuam, & liberam, ut promiſit, non præſtat, & defendit, vel ob aliud non implementum, ob quod ad id, quod intereſt ratione violatæ, ſeu non ſervatæ, fidei, quis tenetur, cum ſimilibus, quibus eadem congruat ratio, nam ſemper, vel mora, vel culpa in committendo, ſive in omittendo, aut mendacium præſupponitur, & ſine quibus obligatio acceſſionis non datur, præterquam ubi ſpontè, & voluntariè ad id aliquis obligare ſe velit, cum tali caſu obligatio ſine cauſa, vel nulla, & inefficax ſit, vel ſi ratione juramenti, aut ab aliam cautelam valida eſt, & efficax, donationem potiùs redolet, & quando ſit etiam in pœnam, adhuc iſta conventionalis de canonica æquitate non præſtatur ultrà id, quod intereſt. B.

Idque ſi procedit in omni privato, multò magis locum habet in fiſco, inter cujus ſpecialia recenſetur hoc, ut quamvis expreſſa accedat promiſſio, vel ſtipulatio, adhuc tamen ad pœnam, vel aliàs de jure non debitam acceſſionem non teneatur, ſed ſolùm ejus obligatio ſit ad id, quod recepit, vel ad illud intereſſe, quod Principis, vel Officialium actus culpoſus, & illicitus obligat, ratione juſtitiæ naturalis, ex ea differentiæ ratione, quod privati habent liberam ſuorum bonorum diſpoſitionem, adeòut poſſint illa donare ſive ut Juriſtæ dicere ſolent, proiicere in Mare, ex vulgari dicterio, quod quilibet eſt rei ſuæ moderator, & arbiter, quod non verificatur in illo fiſco favorabili, qui conſiſtit in Ærario publico, & in Reipublicæ patrimonio, quoniam iſtud non ſolùm Officiales, & miniſtri donare, vel profundere non poſſunt, ſed neque id facere poteſt de juſtitia ipſemet Princeps abſq; juſta cauſa, ſaltem in ratione juſtitiæ diſtributivæ, quæ latiùs patet, iſtaque dignoſci videtur differentia inter Principem, & Miniſtros, quod iſtorum facultas reſtricta eſt intra magis anguſtos cancellos juſtitiæ commutativæ, Princeps autem habet latiores habenas intrà magis amplos fines juſtitiæ diſtributivæ, quæ tamen ſemper verificari debet, ut in conſueta Regalium ſede advertitur, agendo de Principis poteſtate, ac etiam in opuſculo de Principe practico, & alibi.

His igitur ità prænotatis, deſcendendo ad examen propoſiti thematis, procedendum videtur cum eadem caſuum, vel inſpectionum diſtinctione, de qua ſuprà Cap. 15. ob rationis diverſitatem notabilem, quæ inter unum, & alterum caſum dignoſcitur.

Primus itaque caſus eſt illorum Officialium, qui directè, & immediatè obtinuerunt, atque de tempore ſuppreſſionis eumdem continuando titulum, retineant Officia ex cauſa lucrativa, utpotè eis per Pontificem elargita, prout in Pontificis Nepotibus, vel Conjunctis, & quandoque etiam familiaribus, fortè cum aliqua parùm commendabili frequentia ſpecialiter practicari ſolet, ex inſinuatis in Regalium ſede, C. atque in ſpecie Officiorum Collegii Secretariorum Apoſtolicorum, de quo in præcedentibus actum eſt de tempore ſuppreſſionis, computatis mediatis, & immediatis, verificabatur in medietate.

Alter caſus eſt illorum Officialium, qui fovent quidem titulum, & cauſam oneroſam, ad ſe, reſpectu verò Camerę pariter fovent cauſam lucrativam, quod ſcilicet pro tunc currenti pretio immediatè, vel mediatè Officia emerunt à donatariis, in quorum, non autem Cameræ utilitatem, verſum eſt pretium.

Tertius eſt caſus illorum, qui quoad ſe, in totum fovent cauſam oneroſam, ſed quoad Cameram fovent eamdem cauſam oneroſam in parte, non autem in totum, quia nempè emerunt Officia à Reſignantibus, qui immediatè, vel mediatè emerunt à Camera pro minori pretio, adeòut pars pretii ceſſerit ad commodum reſignantium, non autem Cameræ.

Et quartus demum eſt caſus illorum, qui directè, & immediatiè emerunt à Camera, pro minori tamen pretio, quàm de præſenti curreret; Undè propterea intrat dubium, an eis reficiendum ſit augumentum intermedium, à temporis beneficio cauſatum.

In primo caſu donatariorum foventium cauſam merè lucrativam, adeòut non intret inſpectio donationis remuneratoriæ, planum videtur, quod nulla penitùs competat actio repetitionis pretii, juxtà diſtinctionem, de qua ſupra, in Cap. 15. quoties enim Princeps non committit rem illicitam, privando poſſeſſorem ſine cauſa, adeòut non intret ſuperiùs recenſita pœna, vel obligatio ad ſolvendum id, quod habitum non eſt, ratione delicti, vel culpæ, nulla videtur ſubeſſe juris ratio, vel diſpoſitio, quæ donatorem obliget erga donatarium ad evictionem, vel ad refectionem æſtimationis rei donatæ, dum juris regula eſt in contrarium, quod donator non tenetur de evictione, vel defenſione rei donatæ; Potiſſimè, ubi donatio incipit à tradione.

Et licet iſta concluſio procedat, quando ex facto tertii evictio

ctio proveniat, vel etiam ex facto ipsius donatoris ante donationem, non autem quando ex ejus facto voluntario post
10 donationem, illam destruendo, vel non observando, cùm tunc non intrent termini evictionis, sed termini in observantiæ facti proprii, quod impugnari non potest, ne aliàs indirectè detur illa revocandi, vel pœnitendi facultas, quæ directè donatori negatur, ut in sua Donationum sede advertitur. D. Attamen id procedit, quando donator voluntariè, & sine justa causa facit actum, ex quo resultet violatio datæ fidei, & impugnatio actus proprii irrevocabilis, quod in his terminis dici non potest, ex pluries insinuata duplicitate personarum, quæ consideratur in Principe, una scilicet privati contrahentis, & altera supremi Moderatoris Reipublicæ in illis actibus, quos gerit pro publica neces-
11 sitate, vel utilitate, ejusdemque Reipublicæ bono regimine; Ideoque id, quod per istam posteriorem personam fit ex causa publica, fortuito casui potius referendum est, & assimilandum fulguri, vel tempestati, sive inundationi, aut incendio, aliisque similibus casibus, ob quos fidei violatio sequi non dicitur, cùm istius termini propriè cadant in actibus singularibus, qui cum tertii injuria, & cum injustitia fiant, puta aliquem sine causa privando, ut dictum est supra Cap. 13.

Ac etiam, quia ea, quæ de irrevocabilitate donationis inter vivos, in jure civili habentur disposita, cùm distin-
12 ctione inter donationes inter vivos, & illas per ultimam voluntatem, ut posteriores sint revocabiles, non autem priores, sive de donationibus inter conjuges, aut inter patrem, & filium, sive in donationibus ob causam, vel in facultate revocandi ex causa ingratitudinis, aut in resolutione ob supervenientiam filiorum, cum similibus, procedunt cum privatis, qui dictæ legi positivæ subjacent non autem cum supremo Principe, qui illis est solutus, dum est lex animata, & potest donationem declarare revocabilem, dum ita nil tollit donatario de proprio, sed solum aufert beneficium à se concessum, ut in proposito facultatis revocandi Officia non venalia, & gratis data in sua Regalium pluries enunciata sede advertitur, E. dum ita nulla dignoscitur differentia inter venalia, & non venalia,
13 quando nulla intercedit venalitas, nullaque causa onerosa, & correspectiva ob quam intret illa justitia naturalis, & commutativa, quæ saltem in vi directiva obligat quoque Principem, qui cum ejus potestate ordinaria illi derogare non potest, & ob quam rationem habetur, quod in con-
14 tractibus censendus est jure privati, quoniam id procedit in contractibus correspectivis, & in illis pactis, cum quibus conservatur humanum commercium, & humana fides, ac societas, unde propterea dicuntur juris naturæ, vel gentium, secus autem ubi agitur de donationibus, & gratuitis elargitionibus, quarum retractatio non lædit justitiam naturalem, neque præjudicat in bonis propriis donatarii, qui semper dicitur in lucro ob commodum intermedium, atque est irrevocabilitas, quæ pendet à mero jure civili, seu positivo, potissimè verò ubi non intret illa consideratio, quæ intrare solet in Officiis habentibus annexam dignitatem, & publicam administrationem, adeout remotio grave præjudicium parere possit remoto, & degradato in fama, & existimatione ac etiam in immutatione status, F. quæ considerationes utique non cadunt in Officiis venalibus de secunda, & tertia specie, ad solum negotium pecuniarium acquiri solitis,

Clarius verò ob duas considerationes, quæ in subjecta materia magis, quàm in rerum indifferentium privatis donationibus cadunt, una nempe quod hujusmodi Officia, aut respectivè Collegia, & Tribunalia, de eorum natura, sunt ad Principis placitum dissolubilia, ac propterea quando suppressionis, vel dissolutionis casus, tanquam per speciem
15 mutationis gubernii contingit, tunc sequi dicitur evictio de natura rei, quo casu neque venditor, aliàs de jure ad evictionem obligatus, istam præstare tenetur, Ideoque concessum dicitur illud Officium, donec duret, & sit in rerum natura, non autem, ut eo resoluto æstimatio præstanda sit, cùm id re vera nullum penitus habeat nec juris, nec rationis fomentum. Et altera quia retentio terminis potestatis ordinariæ, quæ à jure, & à ratione regulari debet, non parum dubitari potest de facultate faciendi hujusmodi elargitiones; Quoniam quia cum emolumenta, quæ ex istorum Officiorum venditionibus in dies, & tempora percipi solent, recenseantur inter fructus, & reditus Principatus, tanquam fructus dotis Reipublicæ pro sustinendis ejus oneribus, adeo, ut solus excessus sit ad liberam dispositionem Principis, ad instar viri, cui assimilatur, super dispositione fructuum dotis, post supportata onera matrimonii, & non aliàs, ut in 16
opusculis Italici idiomatis de Episcopo, & in altero de Principe, advertitur, G. (quidquid Morales, & præsertim Claustrales, modicam quidem negotiorum mundi in genere peritiam, in specie verò nullam penitus habentes notitiam status, & redditus, & fructuum istius utriusque Principatus, & quidnam ista Officia, eorumque venditiones important, evagentur, & idealiter discurrant, ut in aliquibus practicis adnotationibus cum solo facto ostenditur) idcircò non de facili verificatur casus hujusmodi excrescentiæ, sine qua non possunt Populis onera, & gravamina imponi, pro publicorum onerum supportatione, ut fiant elargitiones illorum fructuum, & redditus, qui pro tali supportatione destinati sunt, ac deservire debent, (super quo tamen veritati integer locus relinquitur, adeout discurrendi, vel motivandi gratia tantum hæc insinuata censeantur;) Ac etiam quia cùm hujusmodi Officia dicantur in fructu potius, quàm sorte, tanquam per quamdam anticipatam futurorum emolumentorum perceptionem, ut advertitur suprà in Cap. 3. hinc sequitur, quod quilibet Pontifex potest de stricto jure facere venditiones, vel concessiones hujusmodi emolumentorum in futurum percipiendorum, ejus jure durante, non autem supplantare successores, atque concessiones conferre in tempus inhabile, ita percipiendo fructus illius temporis, in quo ipse non est amplius dominus, & qui pertinent ad successorem supportantem onera hujus politici matrimonii, ut præ cæteris motivat in superius acta causa Collegii Secretariorum Bosculus in ejus responsio inferius registrato num. 15.

Et quamvis in eodem Cap. 3. & alibi dictum sit, quod juxta magis receptam in Curia opinionem, iste defectus potestatis supplantandi successorem, procedit in inferioribus 17
Prælatis, non autem in Papa; Nihilominus ad rem, de qua agitur, id rectè procedit pro conservatione commercii, & publicæ fidei, quando servatur solitum, quod scilicet pro justo, & currenti pretio, & ex causa correspectiva, per viam contractus, concessiones fiant, ob ibi consideratam compensationem istius incommodi successoris cum commodo, quod ipse sentiet faciendi consimiles concessiones, adeout intret ratio justitiæ naturalis, quæ obligat ad observantiam pactorum, & contractuum, quorum violatio dictam justitiam læderet, atque causaret locupletationem cum aliena jactura, Secus autem ubi agitur de hujusmodi gratuitis concessionibus, in quibus dicta ratio non intrat, quoniam potestas supplantandi successorem, & conferendi concessiones in tempus inhabile, & post expirarum, vel resolutum ejus jus, est quidem apta ad sustinendam concessionem, & ne ista dici valeat invalida, sive ne per mortem concedentis illicò resoluta remaneat ipso jure, non autem ad effectum, ut successor non possit revocare, quodque revocando teneri debeat ad pretium, vel ad damna, & interesse, juxtà illam frequentem, & quotidianam praxim, quam in hoc Principatu habemus in Constitutionibus revocatoriis, quas 18
quilibet novus Pontifex facere solet de concessionibus franchitiarum, aliarumque exemptionum ad favorem Nepotum, & Conjunctorum, vel familiarum Prædecessoris; Et conferunt quæ in sede Jurispatronatus, H. & alibi habentur circa Cõstituriones revocatorias Innocentii VIII. & Adriani VI. & circa Regulas Cancellariæ, quando complectantur beneficia de Jurepatronatus, cum distinctione, quando concessio dicatur ex causa onerosa, unde dici mereatur ex justitia, & quando ex gratia, & privilegio, cum similibus; Ideoque aliud est agere de nullitate, vel resolutione conces- 19
sionis, & aliud agere de facultate revocandi, etiam ubi revocatio esset singularis, vel specialis de certa specie, quæ adhuc remaneat in rerum natura, juxtà deducta superius Cap. 13. Multò magis ubi pro publica necessitate, vel utilitate, vel meliori administratione Reipublicæ fiat suppressio generis, adeout non intrent illæ considerationes, quæ ratione præjudicii famæ, & æstimationis, vel ratione odii, & livoris, aut ratione notabilis mutationis status cadere possunt, & solent in revocationibus, vel privationibus particularibus, ut advertitur in consueta Regalium sede, occasione agendi de potestate Principis tollendi jus tertii, I. ac etiam in sede Beneficiali occasione agendi de jure amovendi in manualibus, cum K. similibus.

Aliqua verò dubitandi ratio in hujusmodi concessioni- 20
bus gratuitis, & sine pretio, cadere potest, atque excitari solet,

ſolet, quando dicatur fieri ex cauſa meritoria, ſuper quo nimium quidem ſe involvere videntur aliqui moderni Juriſtæ, magis verò Morales cum illis theoricis, & diſtinctionibus, quæ tradi ſolent ad diſtinguendam donationem remuneratoriam à pura, & ſimplici, quæ aliam non habeat cauſam niſi illam benevolentiæ, & liberalitatis, an ſcilicet agatur de perſonis donare prohibitis, vel non prohibitis, & an merita narrata ſint in genere, vel deducta ſint ad ſpeciem, cum aliis diſtinctionibus, de quibus in propria donationum Sede, L. Verum, & in hoc procedi ſolet cum conſuetis æquivocis perpetuò reſultantibus, quando cum generalitatibus proceditur, quoniam aliud eſt agere de validitate, vel invaliditate actus, vel de neceſſitate adhibendi in donationibus remuneratoriis illas ſolemnitates, quæ in puris, & ſimplicibus donationibus requiruntur, præſertim illam inſinuationis; Et aliud eſt agere de corruptione actus quod ſcilicet, quamvis in verbis conceptus ſit in figura donationis, vel gratuitæ conceſſionis, re tamen, atque attenta ſubſtantia veritatis magis, quàm cortice, ſeu formula verborum, & vocabulorum, dicatur contractus oneroſus, & correſpectivus ſolutionis debiti, ſeu dationis in ſolutum illius ſpeciei pro debito generis, ità corrumpendo naturam actus, illumque faciendo tranſire in diverſam naturam oneroſam, & correſpectivam, ob quam intret obligatio evictionis, vel alia æquipollens. Ad primum enim effectum validitatis, vel ſolemnitatum, alioſque ſimiles effectus, ſufficiunt illa merita, vera quidem, ſeu veriſimilia, itaut narrata non ſint, ex ſola cautela, ad legem fraudandam, atque ſufficit eſſe talia, ut producant quamdam obligationem antidoralem, ob quam ex lege congruentiæ, & honeſtatis potiùs, quàm ex lege juſtitiæ, & ex civili actione illud præmium, ſive illa remuneratio benè detur, & ſic ad terminos juſtitiæ diſtributivæ potiùs, quàm commutativæ. Ad alterum verò effectum ut actus corrumpatur, atque tranſeat in diverſam naturam dationis in ſolutum, vel implementi obligationis, juxtà terminos juſtitiæ commutativæ, requiritur, ut merita non ſolùm deducta ſint ad ſpeciem, & probata, ſed etiam, ut ſint talia quòd obligent, ex lege, ſeu ratione juſtitiæ naturalis, atque civilem producant actionem pro congrua remuneratione, adeòut actus neceſſarius potiùs ſolutionis debiti, quàm voluntarius liberalitatis, & gratitudinis exerceri dicatur. Iſte verò poſterior caſus, vel nunquam, vel nimium rarò verificabilis eſt in hujuſmodi conceſſionibus, quæ per Papam, vel alium ſupremum Principem fiant conjunctis, vel familiaribus, aut Miniſtris, & ſubditis, quoniam iſti ex debito tenentur Principi fideliter, & benè ſervire; ideòque licet valdè commendabiles in Principe cenſeri debeant meritorum remunerationes, attamen id procedit ad primos effectus, non autem ad iſtum, ad quem caſus dici meretur idealis.

Et quamvis Juriſtæ ex dicto cujuſdam antiqui gravis Canoniſtæ dicere ſoleant, quod quando Papa tollit officium, vel beneficium ſine delicto, vel demerentia, tenetur illam perſonam providere, atque (ut præfatus antiquus Canoniſta dicit) illi dare unum bonum cambiũ; & in quo aſſumpto ſcribentes in caſu, de quo actum eſt in Capitulis proximè præcedentibus pro Officialibus, magnum conſtituebant fundamentum, illudque nimium exagerabant, idque apud aliquos ſuperficiales magnum plauſum habebat; Nihilominus dicebam, quod iſta dici meretur uno ex conſuetis Pragmaticorum ſimplicitatibus, vel ineptiis, dum id procedit ex lege congruentiæ, & honeſtatis, & in caſibus particularibus; in quibus agatur de Officiis, vel beneficiis collatis in remunerationem meritorum, quod ſi ex aliqua juſta cauſa, ſine delicto, vel demerentia proviſi, oporteat, vel congruat illi tollere officium, vel beneficium jam collatum, debeat de altero provideri, non autem ut teneatur Princeps ejuſque Camera ſolvere de juſtitia pretium, & æſtimationem; Multò verò magis, quando non agatur de tollendo officium, vel beneficium, ut illud alteri detur, firmo remanente officiorum vel beneficiorum genere, ex quo in altera ſpecie ſine damno Principis, ejuſque Cameræ poteſt illa perſona provideri, Officium, vel beneficium ceſſat, & reſolvitur per extinctionem generis, Puta (exempli gratia) Multum emeritus Religioſus providetur de aliqua Abbatia, vel alia Prælatura ſuæ Religionis, ſi ex aliqua juſta cauſa oporteat, vel congruat illam ei tollere, ut alteri detur, tunc juſtum, & rationabile eſt, ut per Papam, vel alium ſuperiorem provideatur de altera Abbatia, vel Prælatura, quando caſus vacationis contingat, ſed ſi univerſa Religio ſupprimatur, undè propterea ceſſent, & reſolvantur omnes ejus Abbatiæ, & prælaturæ, non per hoc ſequitur, ut illi Abbates, vel Prælati, quantumvis emeriti, debeãt in æquivalenti de proprio provideri per Cameram, ſive illius æſtimatio ſolvi in pecunia. Idemque ſi Rex concedat nimium emerito militi feudum, quoniam ſi oporteat, vel congruat illud ei tollere, ut alteri detur, vel reſtituatur, juxta exemplum ìam ſuperiùs inſinuatum, & in Feudali ſede peractum, M. quod feudum apertum ob felloniam poſſeſſoris, & alteri conceſſum huic tollatur, ut in vim Capitulorum pacis priori poſſeſſori reſtituatur, ratio quidem congruentiæ, & honeſtatis, ac etiam juſtitiæ diſtributivæ exigit, ut Rex debeat illum emeritum de alio feudo providere, quando contingat caſus devolutionis, ſed ſi non provideat, non per hoc dicendum eſt, quod ejus Ærarium, vel Camera teneatur ad limites juſtitiæ commutativæ ſolvere pretium, ſicut tenetur acceptum pretium 21
reſtituere, quando idem feudum Rex vendidiſſet, atque pretium in Cameræ utilitatem verſum eſſet, ut frequens praxis noſtræ ætatis docuit; magis verò ubi Rex pro publica utilitate, bonoque Regni gubernio aliquod feudorum genus extinguat, & ſupprimat, quoniam tunc manifeſtæ fabulæ ſpeciem iſta prætenſio haberet, cum ſimilibus; Ideoque in hoc primo caſu Officiorum donatorum, adeòut Officiales foveant cauſam lucrativam, nulla penitùs probabilis dubitandi ratio intrare videtur, quoties actus privationis non redoleat poſitivum delictum, cujus ratione de juſtitia intret refectio ejus, quod intereſt.

In ſecundo caſu, in quo poſſeſſor Officii, quoad ſe, foveat cauſam oneroſam, quæ tamen ex parte Principis, vel Cameræ non verificetur, quia ejus reſpectu conceſſio ſit gra- 22
tuita, & qui verificatur in illis Officialibus, qui pretio mediante emerunt immediatè, vel mediatè Officia à donatariis, negari non poteſt, quod Officialibus patientibus Officiorum amiſſionem, aliqua aſſiſtat non ſcripta æquitas, quodque iſte caſus differat à præcedenti, in quo Officiales fovent cauſam lucrativam; unde propterea quando privatio, vel remotio eſſet illicita, & injuſta, utpotè ſine cauſa publicæ neceſſitatis, vel utilitatis, & ſine poſſeſſorum demerentia, tunc de juſtitia intraret obligatio, non quidem evictionis, vel reſtitutionis pretii, cum iſti termini nullatenus intrent, dum Camera adhuc conſideratur tanquam donatrix, ſed ex illa obligatione refectionis damnorum & intereſſe, qua tenetur quilibet injuſtus occupator, vel perturbator, dum ille, qui privationem, vel turbationem patitur, ità damnificatus remanet de proprio. Verùm quando ſequatur actus ex juſta cauſa publicæ neceſſitatis, vel utilitatis, & per viam proviſionis univerſalis, adeòut reputari mereatur caſus fortuitus ut ſuprà, tunc iſta æquitas apta quidem erit ad inducendam in Principe, vel Superiore quamdam commiſerationem, ob quam ex congruentia debeat, juxtà idoneitatem, & qualitatem perſonæ damnificatæ, cum aliquo munere illam ſublevare, ſed non per hoc dici poteſt, quod ex lege juſtitiæ naturalis, vel ex aliqua obligatione civili ad aliquid teneatur, cùm ſolùm in his caſibus intret, & concedatur illa æquitativa actio, quæ oritur à prohibita locupletatione de alieno, ſive ab actione de utili in rem verſo, juxtà proximos ſequentes caſus, & per conſequens iſte cenſendus erit caſus fortuitus, proprio infortunio adſcribendus; Quæſtione ſolum cadente inter emptorem, & venditorem, an iſte teneatur illi reſtituere pretium acceptum; Et quamvis ſciam caſum diſputatum eſſe in Curiis aliquorum Regum ultrà Montes, ac etiam ſciam reſolutiones deſuper proditas, attamen meum nolo explicare judicium, ſed locum veritati relinquo, cùm juxtà currentes circumſtantias omnis ratio prohibeat proprium judicium deſuper proferre.

Tam ſcribentes pro Officialibus, quàm etiam illi, qui in 23
Congregatione deputata, & in Rota ad eorum favorem pro refectione pretii ſoluti ſentiebant in caſu, de quo in proximè præcedentibus capitulis pro refectione pretii ſoluti reſignantibus, ſive ubi eſſent donatarii, ſive emptores à Camera, in ea majori excreſcentia, pro qua ultra pretium, per eos Cameræ ſolutum, ipſi venditores fecerunt, juxtà ſequentem tertium caſum, magnam vim faciebant in eo, quod Papa hujuſmodi reſignationibus aſſenſum dederit, eaſque approbaverit, ideòque aliàs reſignatarii decepti remanerent à fide publica ipſius Papæ, retorquendo ea, quæ ſuper intellectu Motus proprii B. Pii V. ex parte Cameræ dicebantur, ſuperiùs inſinuata Cap. 15. quod ſcilicet reſignatarius vel novus emptor emere, & acquirere dicitur Officium, non à reſignante, ſed directè, & immediatè à Papa, itaut reſignans ſit ſolùm medium, vel inſtrumentum illius acquiſitionis ob vacationem, quam inducit

dueit ejus consensus, cum quo se civiliter mortuum facit, ac propterea debeat in hoc secundo, & respectivè in tertio casu procedere idem, quod in quarto practicatum fuit cum iis, qui directè, & immediatè à Camera emerunt, restituendo totum id, quod ab eis solutum fuit. Verùm istud motivum pro meo sensu, nullum, nec facti, nec juris fundamentum habere videbatur, ideòque nulla consideratione dignum. Non subsistit
24 enim in facto, quoniam nec ipse Papa, neque Datarius, qui est ejus organum, quando hujusmodi resignationes fiunt, aliquam habent notitiam pretii, tam in substantia, num istud interveniat, nec ne, quàm in quantitate, dum in supplicationibus desuper porrigi, & signari solitis, nulla penitùs fit pretii mentio, & quandoque re vera illud non intervenit, quoniam sæpè hujusmodi Officiorum possessores ad impediendam, seu fraudandam vacationem, atque faciendas penè perpetuas acquisitiones ad vitam factas, soliciti sunt, imminente gravi ætate, in cujus statu resignationes ampliùs non admittuntur, ut superiùs insinuatum est, illa, resignatione mediante, transferre in aliquem filium, vel nepotem, sive alium juniorem, ità mutando solùm periculum vitæ, ad proprium tamen commodum, adeòut persona resignatarii fiet solùm demòstrativè pro dicti periculi regulatione, absque eo, quod aliquod interveniat pretium, ut præsertim verificabatur in pluribus Officiis suppressi Collegii, de quo supra; E converso autem quando agitur de concessionibus immediatis, quæ fiunt per
25 Papam de Officiis vacantibus, tunc in supplicationibus juxtà stylum desuper signari solitis, fit mentio pretiis, cum ea differentia, quod quando concessiones sunt gratuitæ, dicitur quod pretium in genere condonatur, absque expressione quantitatis quando verò sunt onerosæ, & per viam venditionis, specificatur summa, vel quantitas; Istaque discretiva inter unam speciem supplicationum, & alteram, præsertim captivavit intellectum aliquorum ex Auditoribus Rotæ Florentinæ, quæ fortè præ cæteris accuratiùs, & cum magno studio, ac replicatis disputationibus respondere curavit, dum non contenta meo discursu ad hunc effectum transmisso, ut insinuatum est in facti serie superius enarrata Cap. 14. voluit videre integram positionem, omnesque informationes datas in Rota ex parte Officialium, istud enim solum motivum aliquibus dabat ansam dubitandi, quæ cessavit cum transmissione supplicationum, juxtà dictas diversas formulas, & sic cessat motivum ex solo facto.

Verùm ubi etiam pretii mentio in resignationibus quo-
26 que fieret, sive quod aliàs constaret, quod Papa, vel Datarius ejus certam haberet notitiam, adhuc tamen de jure id nullum penitùs fundamentum habet, nullaque juris ratio, vel dispositio suadere videtur, ut consensus præstitus per interessatum super transmutatone personæ cum notitia pretii conventi inter resignantem, & resignatarium, obligare debeat interessatum consentientem ad aliquam evictionem, vel ad refectionem illius majoris pretii, quod inrer tertios contrahentes intercessit, ipse verò non recepit, cùm potiùs regula juris disponat in contrarium, quod consensus ab ali-
27 quo interessato præstitus actui inito inter alios, præstitus censeatur pro suo jure, & interesse, & ne illum impugnare valeat, non autem ut inducat obligationem evictionis, vel solutionis ejus, quod ipse non habuit, ut quotidiana praxis docet in plerisque contractibus tam vitalitiis, quàm perpetuis, & præsertim frequenter in Curia in Societatibus Officii, de quibus infrà Cap. 20. quoniam si, exempli gratia, Titius recipit à Sempronio scuta mille ad Societatem Officii, & postea Sempronius creditor vult mutare periculum vitæ, atque transferre societatem in Cajum, cujus persona pro eodem periculo attendi debeat, utique cessante pacto ab initio, necessarius est consensus Titii debitoris, eodem modo, quo contingit in usufructu, vel in censu vitalitio, aliisque similibus juribus ad vitam, dum in illis procedit adamussim id, quod in istis Officiis, in quibus propterea hoc non est speciale, ut pluries insinuatum est. N Si ergo Titius debitor in mille, sciat quod Sempronius creditor pro cessione Societatis, quam Cajo faciat reportet lucrum, & consequatur remunerationem in aliqua summa, quia sic cessionario expediat habere occasionem illius boni investimenti, non ex eo quod consensum præstat, atque de hoc notitiam habet, resultabit, quod dissoluta societate, teneatur restituere ultra mille per ipsum habita illud plus, quod intercedentem, & cessionarium conventum fuit. Idemque in censibus perpetuis ad libitum debitoris redimibilibus, vel in venditionibus perpetuis factis cum jure redimendi, quoniam cùm verius, ac receptum sit, ut census cedi, vel vendi possit tertio pro majori, vel respectivè minori quantitate, quàm sit constitutus, si vendatur pro majori, & debitor censuarius consentiat, non per hoc sequitur, ut in casu redemptionis teneatur restituere nisi sortem ab ipso receptam, & pro qua census creatus est, dum è converso si emptus est pro minori pretio, adhuc debitor in casu redemptionis tenetur restituere totam sortem; Idemque ubi venditor redimere velit rem venditam cum jure redimendi, quæ cum ejus consensu per emptorem vendita fuerit alteri, quoniam ipse aliam non habet obligationem, nisi restituendi primum pretium ab ipso acceptum, atque frequentiùs practicatur in locis Montium non vacabilium; Et hic est casus, dum consensus dicitur solùm præstitus pro suo jure, & interesse, in gratiam contrahentium inter se, ideòque novam obligationem inducere non debet.

Idemque, & magis ubi usufructus, vel concessio vitalitia sequatur ex donatione, & titulo gratuito, quoniam si concedens in gratiam concessionarii consensum præstet, ut usumfructum, vel rem concessam ad vitam alteri cedere possit, aliquo accepto pretio, non per hoc sequitur, si casus citra culpam, & delictum positivum concedentis præbeat, ut cessionarius illa re frui amplius non possit, quod ratione solius consensus debeat ipse donator solvere cessionario pecuniam cedenti solutam; idque exemplificari potest, juxta frequentiorem praxim, in feudis Regni Neapolitani, in quo illorum adeò magnus usus habetur, quoniam si Rex concedit alicui emerito militi, vel benevolo familiari aliquod feudum gratis, Feudatarius autem illud posteà alteri vendat, accepto pretio, atque Rex huic venditioni præstet assensum, quem negare non potest, nec solet, quando Feudatarius habet legitimum feudi successorem, si tractu temporis pro bono Regni gubernio, & ex causa publicæ necessitatis, vel utilitatis Rex tollat usum Baronum, & feudatariorum (ut fortè expediret,) utique prorsus vanum esset dicere, quod Regia Camera teneri deberet solvere pretium, per possessorem solutum tertio, ex sola ratione assensus, qui præstitus censetur solùm pro validitate actus, & ad tollendum obstaculum prohibitionis. Aut si Papa gratis, ut solet, conferret alicui pinguem Canonicatum, puta Hyspalensem, vel similem, provisus autem, juxta illius Regionis mores, illum resignaret alteri sub gravi pensione, illicò pro certa summa extincta, adeòut, spectato effectu, resignatarius Canonicatum obtineret pro magno pretio soluto, hisque Papa assensum præbeat, resignationem, & extinctionem pensionis admittendo, si posteà ex justis causis idem Papa supprimeret illud Capitulum, omnesque ejus Canonicatus, & Dignitates, non per hoc dicendum erit, ut Camera teneatur reficere illi Canonico pecunias solutas, cum similibus, & hic est casus.

Idque si procedit in rebus, de quibus suprà, cum similibus, multò magis in subjecta materia, quoniam, ut animadvertitur suprà in Cap. 12. in stricta ratione, tam legali, quàm Oeconomica, censura potiùs dignus videtur stylus, ita de plano absque novo pretio admittendi has resignationes de seniori in juniorem, adeout illa venditio, quam Camera facit ad vitam unius, & pro pretio, quod unius hominis vitæ verisimiliter est adaptatum, fiat quodammodo perpetua, cum pluribus, & reiteratis trasmutationibus personarum, & cum duratione annorum centum, & ultrà: Undè propterea dicendum est id provenire potiùs ex quadam benignitate, & gratioso beneficio, quod ita Papa impartiatur; Et per consequens nimium durum, & irrationabile, imò iniquum esset, quod contingente casu non illicito, neque criminoso, pro hoc benigno, & gratioso beneficio, deberet Papa, ejusque Camera pati pœnam adeo exorbitantem solvendi id, quod non recepit; Ac propterea licèt illis Officialibus, qui talem jacturam ex isto casu patiuntur, aliqua assistat æquitas, & ratio commiserationis, (quæ tamen nullo pacto assistit donatariis, ut suprà) attamen longè major est illa æquitas, quæ assistit Cameræ, cujus damnum, & jactura tendunt, ut alias dictum est, in damnum, & præjudicium multarum virginum, pupillorum, orphanorum, & pauperum, aliorum- 28
que miserabilium, & totius Reipublicæ, cujus bonum, tanquam publicum magis attendi debet, illudque prævalere bono aliquorum privatorum, qui neque de totali damno agunt, ob pingues fructus interim præceptos, ut inferiùs in quarto casu consideratur.

De tertio casu non videtur opus agere, utpotè mixto, & participante de proximè præcedenti, & de sequenti, illorum scilicet Officialium, qui majori pretio emerunt Officium ab

29 illis poſſeſſoribus, qui pro minori pretio emerunt à Camera, quoniam, quo ad augmentum ſolutum poſſeſſori reſignanti, per Cameram tamen non habito, participat de præcedenti ſecundo caſu, ideòque intrant ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt, & quo ad illud pretium, quod Cameræ ſolvit reſignens, in cujus locum reſignatarius ſuccedit, ejuſque jus, & perſonam repreſentat, participat de quarto ſequenti, ideòque intrant ea, quæ de illo agendo dicuntur; Solùmque iſte tertius caſus à ſequenti quarto differre videtur in eo, quod majus damnum, & præjudicium Cameræ dignoſcitur in hac ſpecie Officialium mediatorum, quàm dignoſcatur in immediatis, ut infrà.

Quare agendo de quarto, & ultimo caſu illorum Officialium, qui, mediante pretio Cameræ ſoluto, ab iſta directè, & immediatè Officia emerunt, & ſub quo caſu veniunt etiã illi, qui mediatè Officia compararunt pro illa rata pretii, quod ab eorum Auctoribus eſt ſolutum, quos ipſi in hoc repreſentant, ut ſuprà, occaſione caſus particularis, de quo ſuperiùs actum eſt, & qui huic operi cauſam dedit, ſuppreſſionis nempè Collegii Secretariorum Apoſtolicorum, expertus fui conſueta extrema vitioſa, conſuetamque opinionum varietatatem, & æquivocorum incurſum, quod in omnibus rebus intellectualibus pro humana fragilitate, humanorumque intellectuum varietate ſequi ſolet. Præſcindendo ſiquidem ab iis, quæ in dicto caſu reſultant ex illius Collegii legibus particularibus, de quibus actum eſt in Cap. 15. atque agendo de puncto in terminis generalibus diſpoſitionis, vel rationis juris communis. Una opinio extrema
30 eſt, quæ Officiorum poſſeſſoribus aſſiſtit, ut Camera Principis teneatur eis reficere integrum valorem currentem, non curando, an pro minori pretio acquiſitio facta ſit, juxta ſenſum plurium Auctorum, deductorum in informationibus datis ex parte Officialium, in calce regiſtratis, ex illa ratione, quòd licet ex cauſa publicæ neceſſitatis, vel utilitatis concedatur Principi diſponere de bonis vel juribus privatorum, eis invitis, attamen id intelligendum eſt, dummodò verum pretium eis reficiatur, adeòut præfata cauſa publica ſuum operetur effectum excuſandi Principem ab illa tyrannidis, & injuſtitiæ nota, quam aliàs, dicta cauſa ceſſante, incurreret, privando poſſeſſores eorum bonis, vel juribus; Publicæ ſiquidem utilitati, vel neceſſitati conſuli debet cum effectibus publici Ærarii, quando iſtius vires ſuppetunt, illiſque non ſufficientibus, conſulendum eſt cum collectis, & contributionibus omnium ſubditorum, pro qualitate perſonarum, vel modo facultatum, non autem cum gravi damno, & jactura aliquorum particularium. O

Altera è converſo extrema opinio eſt, in qua in dicto caſu inſiſtebant Camerales, plurium quoque habens fomentum auctoritatũ, quas plenè cumulabant, ut videre eſt ex eorum informationibus, pariter in calce regiſtratis, ut nihil reficiendum ſit, ex eo quod dicta cauſa publicæ neceſſitatis, vel utilitatis accedente, factum Principis dici debet caſu fortuitus, aſſimilandus, ut aliàs dictum eſt, tempeſtati, vel incendio, ſive inundationi, aliiſque ſimilibus accidentibus, pro quibus nil præſtandum eſt, cùm dicatur infortunium.

Tertia verò opinio media eſt illa, quam in enunciato caſu particulari ſequutus fuit Pontifex, juxtà ſeriem de qua ſuprà Cap. 14. ut emptoribus reſtitui debeat illa pecunia, quæ ſoluta eſt Cameræ, ex æquitate prohibente locupletationem de alieno, & ne aliàs ità obtineat rem, & pretium, & ex alia æquitativa actione de in rem verſo.

Duæ priores opiniones continere videntur, ut dictum eſt, extrema vitioſa, prima namque obligans Cameram ad re-
31 ficiendum integrum valorem de tempore præſenti, quamvis pretium ex temporis beneficio, vel alio caſu, abſque ſumptu, vel induſtria Officialium auctum ſit, aſpera, & vitioſa eſt, quoniam ità eſſet condemnare Cameram, quæ nullum patravit delictum, ad patiendum pœnam, qualis eſſe dicitur, ſolvendi, quod non eſt receptum, ut ſuprà hujus Capituli initio prænotatum eſt, atque eſſet nimium gravare Rempublicam cum damno univerſali populorum, quos ità magis gravare oporteret; Potiſſimè, quia ad hujuſmodi actus deveniri non ſolet, niſi quando anguſtiæ urgeant, ut in dicto caſu particulari ſequutum eſt, adeòut vel nullatenus occurri poſſit cum collectis, & contributionibus ſubditorũ, jam depauperatorum, penèque ad impotentiam redactorum, vel non niſi cum magno incommodo, eſt practicabile, dum è converſo Officiales agunt potiùs de lucro captando, quod cedere debet damno, de quo evitando alii agunt, quibus major aſſiſtit æquitas.

Nimium quoque id comprobante praxi, vel obſervantia univerſali orbis civilis noſtræ communicationis, quoniam adhibitis à me diligentiis, occaſione dicti caſus particularis, in Curiis penè omnium Regnorum, & Principatuum citra, & ultra Montes, concordes habui reſponſiones, 32
non dari caſum, ut in ſimilibus ſuppreſſionibus reſtituatur aliquid ultrà id, quod per Cameram eſt receptum, frequentius verò minus, ob conſiderationes, de quibus infrà, poſt diſpunctas omnes opiniones. Conſiderando potiſſimè magnam dignoſci differentiam inter caſum in quo Princeps diſponat de bonis, vel juribus privati indifferentibus, quæ ſunt in pleno, & libero privatorum dominio, 33
quod ad differentiam, allodiale dici ſolet, puta de domibus, vineis, aliiſque prædiis ruſticis, vel urbanis, ſive de pecuniis, gemmis, argentis, cenſibus, & nominibus debitorum, & caſum in quo, ut in ſubjecta materia, diſponat de illis bonis, vel juribus, quæ in dominio ſint ejuſdem Principis, adeòut privatis conceſſum ſit ſolùm quoddam jus fruendi temporale, vel dominium improprium, & ſubalternum ad certum tempus, vel ſub conditione mortis reſolubile; Priori namque caſu longè major dignoſcitur exorbitantia, & aſperitas, quàm in poſteriori, in quo reaſſumit id, quod jam ſuum eſt, non permittendo uſum à ſe conceſſum, ideòque intrare debèt termini reſtitutionis pretii percepti potiùs, quàm illi evictionis, vel refectionis damnorum, & intereſſe.

E converſo ſecunda opinio pariter extrema, quæ omnem denegat reſtitutionem perinde, ac ſi ex infortunio, & caſu 34
fortuito id accidiſſet ut ſuprà; exorbitans quoque, nimiumque aſpera videtur, ac etiam periculoſa ad aperiendam viam fraudibus, ac tyrannidi, quia nempè adulatores fiſcales, & Aulici, ut Principis genio adularentur, curarent hujuſmodi ſuppreſſiones facere, ut ità magnum turpe lucrum, cum aliena jactura reportarent ad favorem fiſci, vel Cameræ; Quamvis enim frequẽtior praxis doceat, quod quãdo in indigentiis Princeps utitur pro cauſa publica bonis privatorum, rarò valorem ſupplere ſoleat, attamen, ut in dicta Regalium ſede advertitur; Pid contingit, quia aliæ anguſtiæ, & indigentiæ tunc non permittunt; Omnes tamen concordant ut ille, qui damnum patitur agnoſci, & conſtitui debeat creditor ſatisfaciendus, quando ceſſatis illis anguſtiis, & calamitatibus, id commodè ſequi poterit, quod tamen rarò, fortèque nunquam, verificari ſolet. Conſiderando quoque magnam dignoſci differentiam inter caſum, in quo Princeps pro publica neceſſitate, vel utilitate ità utatur privatorum bonis, vel juribus, ut nulla eorum remaneant veſtigia, nullaque utilitas cum tractu ſucceſſivo Principi, ejuſque Cameræ 35
reſultet, puta, quando utitur privatorum domibus, vel prædiis ruſticis pro eis demoliendis, ſive devaſtandis, arbores incidendo, ad effectum fortificationis Civitatis, vel Caſtri, vel tempore penuriæ utitur frumento, aliiſque victualibus Populo famem patienti gratis diſtribuendis, cum ſimilibus, adeòut privatorum bona omnimodam patiuntur conſumptionem, & caſum, in quo remaneat utilitas, quæ duret, & ſucceſſivum tractum habeat, adeòut ad utilitatem & locupletationem Ærarii, ſive ad ejus liberationem à gravibus damnis, & interuſuriis id fiat, qualis eſt caſus illius ſuppreſſionis, de qua actum eſt ſuprà; Iſto namque poſteriori caſu, cum commodè poſſit cum eiſdem effectibus, vel eorum parte conſuli indemnitati illorum qui damnum paſſi ſunt, juſtum non eſt ut privati omnimodam jacturam patiantur, iſteque poſterior caſus non eſt ita neceſſarius, ſicut prior, ſed potiùs voluntarius, quamvis prudens, juſtus, & pro publica utilitate commendabilis ac propterea ambæ iſtæ opiniones extrema vitioſa continere videntur, ideòque æqualiter ſunt reprobatione dignæ.

Tertia opinio media, quæ ſolum obligat ad reſtituendum acceptum ex æquitativa actione de in rem verſo, & nè aliàs 36
detur locupletatio de alieno contra naturalem æquitatem prohibentem, ut unus careat re, & pretio, & è converſo alter obtineat utrumque, licet me conſulente, laudante, & cooperante practicata fuerit in dicto caſu, qui huic operi occaſionem dedit, quinimò latiùs practicata fuiſſet, cum illis, qui fovebant cauſam oneroſam abſque eo, quod Camera aliquid habuerit, quia nempè emerunt à donatariis, vel cariori pretio emerunt à prioribus emptoribus, quando meo acquieviſſent conſilio, ſe remittendi pietatis, & benignitati Pontificis, quod facere noluerunt; Nihilominùs tale conſilium innixum potiùs fuit cuidam non ſcriptæ æquitati, magis verò prudentiali rationi, ut ità ſatisfieret ignaro, & ſtulto vulgo, frequenter obloquenti contra propria commo-

da,

da, ad inſtar frænetici inſanientis contra Medicum, dùm iſtæ, & ſimiles proviſiones ad populorum levamen, &
37 beneficium ordinatæ ſunt; Non tamen de hoc mirandum eſt, quoniam connaturale hominum vitium eſt cenſurandi facta Dominantium, quantumvis juſta, benèque regulata ſint.

De ſtricta ſiquidem juris cenſura, pariter erronea cenſeri meretur hæc media opinio, erroneaque reputanda illa æqualitas, quæ inter omnes Officiales ſervata fuit in reſti-
38 tutione integri pretii ſolùti, quoniam non ſubſiſtunt ſuperiùs conſideratæ rationes locupletationis de alieno, & æquitativæ actionis de utili in rem verſo; Tunc enim iſtæ rationes intrarent, quando pretium, quod Cameræ ſolutum fuit, adhuc extaret in ſpecie, vel in æquipollenti, quia nempè inveſtitum eſſet tamquam capitale in bona ſtabilia, vel jura, quæ pro ſtabilibus habentur adhuc extantia, ſive quod erogatum eſſet in extinctionem æris alieni in ſorte, cùm tunc dicatur adeſſe verſio, quæ durat, & extat de præſenti, unde de conſequenti reſultat, ut eodem tempore ita habeatur res, & pretium contra naturalem æquitatem, ſed quoniam, ut dictum eſt Cap. 3. & alibi, pretium, quod ex hujuſmodi Officiorum venditione percipitur, reſpectu
39 Principis concedentis, habet ſpeciem fructuum potiùs, quàm ſortis, & veri pretii, cùm ſit quædam anticipata perceptio futurorum fructuum, ideòque non verificatur ſimultanea retentio rei, & pretii penes eamdem perſonam, contra naturalem æquitatem id prohibentem, quoniam pretium ampliùs non extat, utpotè à multo tempore jam conſumptum tamquam fructus; Minuſque verificatur æquitativa actio de in rem verſo, vel prohibita locupletatio de alieno, quoniam ad hoc, ut iſta intret, opus eſt, ut verſum adhuc duret, atque de præſenti exiſtat, Q quod non verificatur; Unde propterea ex reſtitutione pretii à multo tempore habiti, & inter fructus in uſus currentes erogati, reſultat ab-
40 ſurdum, cum evidenti Cameræ læſione omni jure prohibitum, ut pro fructibus per adminiſtratores pro tempore perceptis, & conſumptis, coacta fuerit Camera in dicto caſu contrahere debitum perpetuum, & fructiferum, cum erectione tot locorũ Montium, & ſic alienare proprietatẽ pro fructibus, quod omni jure, omnique ratione damnatum eſt.

E converſo, reſpectu Officialium, illa pecunia, quam
41 ipſi ſolverunt, dici non poteſt, nec debet, juxtà veros juris terminos, rei venditæ pretium, quoniam iſtud dicitur, quando æquivalet ſubſtantiæ rei, cujus loco ſubrogatum eſt pro ejus intrinſeco valore, quod in conceſſionibus vitalitiis dici non poteſt, quoniam per eas non alienatur ſubſtantia, & proprietas, minuſque pretium retinet ſuam naturam, ut reſtituendum ſit, quando res vendita evincatur; Ideòque licèt ex quodam uſu loquendi adhibeatur terminus emptionis, & venditionis, verè tamen in ipſa re non verificatur, ſed potiùs verificatur in conceſſione, ſeu venditione commoditatis, vel facultatis fruendi, & percipiendi fructus ad vitam tamquam per anticipatam fructuum venditionem ſub incerta alea, ut pluries dictum eſt; Undè propterea potiùs iſte dicendus eſt contractus innominatus do, ut facias, ut in Emptionis, & Venditionis ſede, & alibi, agendo de his conceſſionibus ad vitam, advertitur. R Exindeque manat quod ſicuti reſpectu Principis concedentis, ejuſque Cameræ, illa pecunia, quæ ſub nomine pretii una vice recipitur, habet ſpeciem fructuum, ita è converſo in emptore, vel conceſſionario illi fructus, qui ſingulis annis, vel temporibus percipiuntur, habent ſpeciem ſortis, quæ ita minutatim, & in dies cum aliquo augmento, quando caſus longæ vitæ concurrat, recuperatur, dum illa pecunia, quæ ſoluta eſt, non retinet ampliùs naturam ſortis, ut inſi-
42 nuatum eſt ſupra Cap. 12. occaſione agendi de fructibus perceptis ex hujuſmodi juribus vitalitiis per virum, vel per hæredem, ſive per fideicommiſſarium, & ſimiles; Et per conſequens ille Officialis, qui per multos annos Officium poſſedit, ejuſque emolumenta percepit, in notabili parte ſuum pretium recuperavit, ideòque juſtum non eſt, quod illud integrum conſequi debeat, ſed ſolùm ei debetur illa quantitas, pro qua veriſimiliter æſtimari poteſt futurum incertum tempus ejus vitæ, & quæ æſtimatio regulanda non eſt juxta quamdam computationem generalem factam à lege ad alios effectus, ut malè aliqui legulei pragmatici opinantur, ſed juxtà communem æſtimationem pro ſtatu, & qualitate cujuslibet perſonæ. S

Prorsùs enim vanum eſt dicere, ut eamdem æſtimationem habere debeat illud jus vitalitium, quod habuit de tempore concesſionis factæ juveni valido, & habeat poſt decem, & viginti annos, & quando conceſſionarius conſtitutus eſt in graviori ætate, vel in deteriori ſtatu valetudinis, ut notoria, & quotidiana praxis docet in cenſibus vitalitiis, & in extinctionibus, vel ceſſionibus commoditatis penſionum eccleſiaſticarum, aliiſque venditionibus ad vitam, & ſic manifeſtus videtur error omnes pariformiter tractare, idemque pretium ab initio ſolutum reſtituere, cùm potiùs in ſingulis poſſeſſoribus haberi debeat ratio ætatis, & valetudinis, ac longioris, vel reſpectivè brevioris temporis, quo quilibet poſſeſſor hoc jure vitalitio potitus eſt.

Atque ad effectum faciendi hanc æſtimationem, ſeu regulationem, notabilis quoque dignoſci videtur differentia 43
inter tertium, & quartum caſum, nempè inter Officiales immeditatos, qui directè, & immediatè obtinuerunt Officia à Camera ad eorum vitam, & illos, qui mediatè obtinuerunt, mediantibus ſcilicet reſignationibus pluries repetitis per longiſſimum tempus, etiam quandoque centenarium, & ultra, quoniam prorsùs aſperum, & irrationabile videtur, quod ille, qui vendidit rem ad vitam unius perſonæ, & pro pretio unius vitæ eventualitati proportionato, debeat pati privationem ejuſdem rei per adeò longum tempus, quod abſorbeat duplum, & triplum, ac etiam quadruplum pecuniæ habitæ, & quod deinde iſtam integram reſtituere debeat. Ubi enim agitur de prima, vel unica reſignatione, intrare poteſt conſideratio, quod mutatio de una perſona in alteram, ſive de una vita in alteram, non ſit adeò præjudicialis ob incertitudinem, an priùs unus, quàm alter ſit defecturus, & nihilominus etiam iſto caſu, quando tranſmutatio fit de ſeniori in juniorem, vel de minus valido in magis validum, adhuc fabuloſum eſt dicere, ut actus non ſit graviter præjudicialis, ut etiam ſuperiùs inſinuatum eſt, ſed quando res ita in longum protrahitur, cum reiteratis, & multiplicatis reſignationibus, ac mutationibus, adeòut naturaliter vita primi conceſſionarii, ac etiam primi reſignatarii durare non potuerit, tunc ulteriores admiſſiones reſignationum, ſine dubio, redolent implicitas donationes, & meras gratias ſine pretio, vel ſine recompenſa, atque ad hoc attentè reflectendum venit, quoniam videtur clara veritas, quæ manibus palpatur. Siquidem ex novem Officialibus foventibus cauſam oneroſam, etiam reſpectu Cameræ, eo quia ab ipſa, cum ſolutione pretii, mediatè, vel immediatè Officia habuerunt, compertum eſt, quod unum Officium conceſſum fuit de anno 1565. Unde per ſpatium annorum 113. per plures manus tranſivit; Alterum de anno 1582. & ſic per annos 98. Alterum de anno 1623. & ſic per annos 56. Duo de anno 1627. & ſic per annos 53. Alterum de anno 1643. & ſic per annos 36. Alterum de Anno 1650. & ſic per annos 29. Alterum verò de anno 1662. & ſic per annos 17. & alterum de anno 1674. & ſic per alios quinque; Ideòque excepto ultimo, liquet, an dici valeat, quod Camera habeat in manibus, & an remaneat de alieno locupletata, ſed quod imò potiùs cum reſtitutione facta remaneat notabiliter damnificata.

Prætereà catenus hujuſmodi Officia vacabilia habere dicuntur ſuum pretium, quod perſeverat in patrimonio libe- 44
ro, & allodiali regulatum ab illo valore, quem ei præbet communis uſus, regulari ſolitus à quantitate emolumentorum, & à qualitate temporum, quatenus ineſt libera facultas illa reſignandi, ſtante pluries inſinuato ſtylo, quod reſignationum admiſſio denegari non ſolet, nec poteſt, quando non accedat juſta cauſa gravis ætatis, vel infirmæ valetudinis, undè propterea, ſi Officii poſſeſſor ſit infirmus, vel in gravi ætate conſtitutus adeòut ſit deſtitutus facultatè reſignandi, & ſpe recuperandi ſuum pretium, utique quo ad eum, prorſus vanum eſt dicere, quòd officium habeat æſtimationem pro communi, & currenti valore, dum ſolùm æſtimatur id, quod importare poteſt illa eventualis, & incerta fruitio, quæ ſperari poteſt, donec ejus vita duret, ut clarè ad ſenſum. Iſte autem caſus quando ſequuta ſit totius generis, vel Collegii ſuppreſſio, juxtà ſæpiùs inſinuatam ſuppreſſionem Collegii Secretariorum, verificatur univerſaliter in omnibus Officiorum poſſeſſoribus, quoniam extincto genere, verificari ampliùs non poteſt caſus reſignationis particularis, qua mediante poſſeſſor Officii reintegrari valeat de integro pretio, etiam cum aliquo augmento, & lucro, ideòque ejus intereſſe æſtimari debet ſolum habita ratione illius incertæ ſpei, quæ ſupereſt fruendi emolumentis, donec ipſe vivit, abſque ſpe, vel potentia vendendi, quo caſu pretium, neque ad dimidium, imò neque ad

tertiam, vel reſpectivè quartam imò minorem partem currentis valoris aſcendit, ut docet frequens, & quotidiana praxis in locis Montium vinculatis, cum vinculo fideicommiſſi, undè propterea emptor acquirit T ſolùm commoditatem ad vitam venditoris, abſque ſpe illam mutandi, ac faciendi illas translationes de perſona ad perſonam, quæ fiunt in Officiis; Iſtique videntur in puncto juris veri, ac germani hujus materiæ termini.

Hinc liquet quod illæ generalitates, cum quibus in conſimili caſu ſuppreſſionis locorum Montium vacabilium
45 procedit modernus hujus Curiæ, doctus quidem, & probatus Canoniſta V ad rem facere non videntur. Nil obſtant motivo, quod adverſus hanc ceſſationem facultatis reſignandi fieri poſſet in iſto caſu particulari, propter privilegium expreſsè conceſſum per Innocentium VIII. Collegio Secretariorum, ut reſignationes fieri poſſent ſemper, & quandocunque, etiam in articulo mortis; Tùm quia, id intelligendum eſt in ſingulis poſſeſſoribus Officiorum, iſtis, atque Collegio adhuc in rerum natura extantibus, non autem poſtquam extincto Collegio, illa non ſunt ampliùs in rerum natura, ne aliàs detur in eadem lege repugnantia, vel contradictio non admittenda, dum idem Pontifex præſuppoſuit caſum ſuppreſſionis; Tùm etiam quoniam eadem lex non poteſt dividi, atque in parte acceptari, & in parte reprobari, ideòque advertebam intrare dilemma inevitabile, quod aut Officiales volebant illa uti, & cum ejus diſpoſitione procedere & tunc non poterant aliud prætendere niſi ibi ſtipulatam ſummam ducatorum 62400. dum ſupra in Cap. 15. oſtenſum eſt, quod Pius V. hanc legem non innovavit, Aut verò, ſecluſa dicta lege, procedendum eſt cum terminis generalibus juris communis, & tunc iſtis attentis præmiſſa procedunt, ex quibus de facili poterit quilibet efformare illud judicium, quod ego efformare nolo, vel efformatum explicare, an benè, vel malè jura Cameræ admin iſtrata fuerint in illa majori ſuppreſſione locorum Montium vacabilium, de qua enunciatus modernus Canoniſta loquitur.

Alterum quoque dignoſcitur nimium conſiderabile Cameræ præjudicium, ob quod evidentiùs liquet, quod cum magna benignitate ad Officialium favorem proceſſum fuerit, reſtituendo integram pecuniam acceptam, quod ſcilicet Secretaria Apoſtolica, ſeu Camera gravata ulteriùs remanet Monte in ſorte ſcutorum 50. mil. erecto ſub Sixto V. ad effectum obtinendi Officio Secretarii domeſtici, & Secretarii ad Principes, juxta ſuperiùs enunciatam facti ſerie recenſita in Cap. 14. dum dicti Montis erectio conceſſa fuit ſub lege, & obligatione illum extinguendi infra terminum duodecim annorum, ut ita Officia redire poſſint libera ad Cameram, quæ ita ex Officialium non adimplemento damnificata, & gravata remanet ſine cauſa, unde propterea, de juris rigore, ex pecuniis ſolutis cum debitis proteſtationibus, & reſervationibus repetere poſſet ſumma pro dicti Montis extinctione neceſſariam.

a *De Regal. diſc.* 119. *& ſeqq.*
b *De Regal. diſ.* 117. *De Vſur. diſc.* 8. *De Camb. diſc.* 56. *& ſæpius.*
c *Diſc.* 2. *de Regal.*
d *Lib.* 7. *de donation. diſc.* 51. *& ſeqq. & magis ad rem diſc.* 58.
e *Diſc.* 148. *de Regal. &* 177.
f *Dict. diſc.* 148. *de Regal.*
g *De Epiſcopo practico Cap.* 29. *& de Principe practico Cap.* 19.
h *Lib.* 13. *de iurepatr. diſc.* 10. *&* 65.
i *De Regal. diſ.* 148. *&* 177. *& in aliis eod. tit.*
k *Lib.* 12. *de benefic. diſc.* 80. *& in aliis.*
l *De donation. diſc.* 66. *&* 70. *& de feud. diſc.* 94. *& alibi.*
m *De feud. diſc.* 27.
n *Diſc.* 148. *de Dote.*
o *Ex relatis in ſæpius cit. diſc.* 148. *de Regal.*
p *Dicto diſc.* 148. *de Regal.*
q *Lib.* 8. *de credito diſc.* 72. *&* 73.
r *De empt. & vendit. diſc.* 1. *De ſervit. diſc.* 78. *cum aliis ſupra Cap.* 3. *& alibi.*
ſ *Lib.* 2. *de Regal. diſc.* 30. *lib.* 7. *de donat. diſc.* 54. *& alibi pluries.*
t *Dict. diſc.* 30. *de Regal.*
u *Fagnan. in cap. ex epiſtolæ de probat. ex num.* 9. *ad fin.*

De effectibus, tam favorabilibus, quàm odioſis, vel de commodis, & incommodis, quæ remanent in Officiorum poſſeſſoribus, etiam poſt dimiſſum Officium, & quando ſucceſſor teneatur ad debita, vel onera, & facta prædeceſſores.

SVMMARIVM.

1 *De privilegiis, & oneribus remiſſivè, & quod in dubio attendi debet obſervantia.*
2 *De reſervationibus, & affectionibus Apoſtolicis beneficiorum, ratione Officiorum.*
3 *De privilegio aliquorum Officiorum circa penſiones.*
4 *De alio privilegio circa retentionem Prælaturæ.*
5 *De privilegio Cameralium circa franchitias, etiam poſt dimiſſum Officium.*
6 *De errore procedendi cum generalitatibus, quia procedendum cum diſtinctione caſuum.*
7 *De illis, qui deſierunt eſſe Officiales per promotionem.*
8 *De illis, qui dimiſerunt Officium cum reſtitutione pretii.*
9 *De illis, qui proviſionaliter, & tanquam Subſtituti ſedorunt in Camera.*
10 *De Cameralibus ad nutum amovibilibus, & quorum Officium non eſt venale.*
11 *De oneribus, ad quæ Officialis, dimiſſo Officio, teneatur.*
12 *Onera, quando afficiant Officia, etiam poſt vacationem.*
13 *De differentia inter aſſenſum ſuper obligatione feudorum, & reſervationem decreti ſuper Officiis.*
14 *Quando Officium remaneat affectum ex acto Officialis, etiam poſt ceſſatum eius ius.*

CAP. XVIII.

NImium prolixa digreſſio eſſet reaſſumere commoda, privilegia, & prærogativas eorum, qui hæc Officia venalia obtinent, & è converſo eorum incommoda, & onera, ob magnam eorum pluralitatem, ac diverſitatem, dum aliqua Officia majoribus gaudent privilegiis, commodis, & præeminentiis, quibus alia carent, & è converſo aliqua ſubjacent oneribus, incommodis, & ſervitiis à quibus alia ſunt exempta, ideòque ad ſingulorum Officiorum, vel reſpectivè Collegiorum erectionem eſt recurrendum, iſtaque dubia exiſtente, ad obſervantiam, & praxim, quæ in omnibus ambiguis eſt optima interpres, & interpretationum Regina; Præſertim verò de effectibus, qui ex iſtis Officiis reſultant circa reſervationes, & affectiones Apoſtolicas 2
beneficiorum, quæ ipſi obtinent, frequentiſſimè agi contingit in Beneficiorum ſede, ubi etiam de illa affectione, quæ ratione ſemel contractæ reſervationis remanet etiam poſt dimiſſa Officia in illis beneficiis, quæ dum ipſa Officia obtinebantur, poſſeſſa fuerunt; Prout etiam in ſede Penſionem agi contingit de illo privilegio, quod aliquibus Officiis, ſive eorum poſſeſſoribus conceſſum eſt retinendi pen- 3
ſiones eccleſiaſticas uſque ad certam ſummam pro quolibet Officio, quamvis eſſent uxorati, etiam bigami, & non incederent in habitu, & tonſura, ut præſertim ſunt illæ militiæ, *Cavalierati*, qui Lauretani dicuntur, cum ſimilibus, de quibus, ut præmiſſum eſt, quilibet certificari poteſt in ſingulorum Officiorum, vel Collegiorum erectionibus, quæ omnes vel pro majori parte regiſtratæ habentur in Bullario novo, ſeu veteri.

Inter alias autem prærogativas, quæ remanent, etiam poſt dimiſſum Officium, tanquam effectus conſummatus, dignoſcitur in illis Officiis, quæ annexam habent Prælaturam, ut iſta per Officii dimiſſionem, vel amiſſionem non ceſſet, nec amittatur, ſolumque circa uſum coloris violacei in 4
aliquibus requiri ſolet, ut Officium per aliquod tempus retentum ſit, puta per quinquennium, unde propterea frequens praxis docet, ut illi, qui tanquam milites levis armaturæ, animi dotibus, ac merito perſonali non multùm benè proviſi, in colore habitus totam vim conſtituunt, illumque adeò inordinatè ambiunt, curent hujuſmodi Officia emere, ſed ne periculo vacationis ſubjaceant, elapſo ſtatuto tempore, ſoliciti ſunt illa reſignare ad effectum, ſe reintegrandi de pretio, & quandoque cum aliquo augmento, dum dictam vanam prærogativam coloris ita retinent, indeque ſequitur, quod nimium raræ eſſe ſolent hujuſmodi

Offi-

Officiorum vacationes, quodque ità Camera pro pretio, quod recepit intuitu concessionis vitalitiæ, graves solvat fructus pro concessione potiùs perpetua. Atque ex isto effectu retentionis, vel continuationis Prælaturæ, non obstante dimissione Officii, comprobatur quoque id, quod dictum est suprà Cap. 4. & alibi, quòd scilicet venalitas non consistit in dignitate Prælaturæ, vel in administratione justitiæ, quæ illi annexa est, sed consistit in accidentali commodo illorum emolumentorum, quæ ità possunt adesse, & abesse citrà subjecti corruptionem.

Alter magis considerabilis effectus, qui adhuc remanet, &
5 durat, non obstante dimissione Officii, seu illius vacatione per promotionem ad Cardinalatum, est ille, qui dignoscitur in Officiis majoribus, & primæ classis Cameralibus, ut sunt illa Camerarii, Thesaurarii Generalis, Auditoris, Clericorum, & Præsidentis Cameræ, qui potiuntur exemptionibus, & franchitiis à Dohanis, & Gabellis, aliisque oneribus, quoniam etiam post dimissum Officium, recuperato pretio, sive post illud vacatū per promotionem, adhuc idem retinent privilegium, quod ex quodam usu extenditur etiam ad Officia Cameralia non venalia, ut sunt illa Gubernatoris Urbis, tanquam Vicecamerarii, Advocati, & Commissarii Cameræ, Advocati pauperum, & Fiscalis generalis, dubitatione cadente, an sub hoc genere veniant ejusdem Cameræ ratiocinatores, vulgò *Computistæ* A; Quinimò etiam illi, qui non habeant Officium in titulum, sed illud exerceant provisionaliter, tanquam substituti per titularem absentem, vel impeditum, eadem gaudere solent prærogativa, pro qua volitat dicterium ex quibusdam Apostolicis Constitutionibus desumptum, quod sufficiat aliquando sedisse in Camera, quod in Officio Cardinalis Camerarii frequenter sequi solet, quia nempè iste abfuturus à Curia ad aliquod tempus notabile alium Cardinalem, cum titulo Procamerarii, cum Papæ beneplacito, deputat.

Super hoc autem privilegio, de quo non semel in Theatro agitur B, in facti contingentia dicebam, ut penè in omnibus
6 mea, frequens quidem, non autem superflua, & vitiosa, sed semper opportuna, & proficua est dicendi consuetudo, erroneum esse procedere cum generalitatibus, & in abstracto, cum exinde perpetuò resultent æquivoca, justitiæ, & veritati præjudicialia, & confusiones inducentia, sed cum casuum distinctione, quæ omnium controversiarum vera debet esse regulatrix, & norma; Ideòque tres constituebam casus, melius autem quatuor constitui debent, in quibus sequitur Officii vacatio. Primò nempè per pro-
7 motionem ad Cardinalatum, istoque casu, justa, nimiumque rationabilis consuetudo, ut retineant istam, aliasque prærogativas, tùm ab transitum ad majorem dignitatem, ac rationem maioris benemerentiæ, & pro qua majores pati oportet sumptus, tùm etiam ob depauperationem notabilem, quam ita promoti patiuntur citra eorum voluntatem, saltem declaratam, & apparentem, dùm promotiones fiunt motu proprio, non ad petitionem vel supplicationem (quamvis hodiè in Cardinalibus ista peculiaris prærogativa in eis, qui fuerit Camerales vel nulla, vel satis modica sit, cùm omnes Cardinales potiantur franchitiis pro mercibus, & bonis, quæ ab extrà introducuntur) Prærogativa enim nimium considerabilis, qua discretivè potiebantur Cardinales Camerales habendi franchitias, etiam pro mercibus, & bonis jam ingabellatis, & existentibus in fundachis, & tabernis, aliisque repositoriis in Civitate, aboleta est, rationabiliter quidem, ex motivis, & rationibus in Theatro insinuatis. C

Alter casus est illorum, qui voluntariè hujusmodi officia
8 cum Papæ beneplacito dimiserunt, pretio accepto à noviter provisis de Clericatu, quia nempè statum mutare voluerint, vel acceptando aliquam Ecclesiam actualis administrationis, aut titularem, ut nostra ætate practicatum vidimus in plerisque, & præsertim in Cardinali Bonvisio, Cameræ Decano, qui vendito Clericatu, contentus Archiepiscopatu titulari se recepit in patriam, cujus postmodum Episcopus fuit, cum Cardinalitia dignitate, sine Officii amissione, obtenta; & fuerunt Clericus Cameræ Toretensis, & Clericus Cameræ Trottus, adhuc vivens, Episcopus Papiensis cum similibus; Vel quia non solùm Clericatum, sed etiam Prælaturam ipsam, & vitam ecclesiasticam eis dimittere visum est, transeundo ad statum sæcularem, ac etiam ducendo uxorem, ut pariter nostra ætate praxis docuit in plerisque Cameræ Clericis, & præsertim in Clerico Manzolo, qui vendito Clericatu, & Uxore ducta, miserabiliter postea obiit, & de quo habentur disputationes super imputatione pretii in legitimam, D. ut superiùs in Cap. 12. insinuatum est, ac etiam fuerunt Clericus Cameræ Aribertus, qui uxore ducta mortem violentam quoque per manus ejus rusticorum, vel colonorum miserabiliter passus est, ac etiam Clericus Cameræ Cæsarinus, qui ex necessitate quadam potiùs, quàm voluntate, Clericatum vendidit, & Prelaturam dimisit, ut succederet in Ducatu, & pingui hujus Domus primogenitura, de cujus successione, quando ejus, adhuc viventi, absque prole mors contingat, præventivè inter fœminas habetur alibi actum. E. In isto autem casu dictus usus continuationis franchitiarum parùm probabilis, malèque fundatus videtur, dum dimissio est voluntaria, & cum omnimoda recuperatione pretii, unde propterea causa reducitur ad non causam, nullaque suppetit ratio probabilis, quæ istam suadeat continuationem, sed potiùs in contrarium urgent, tùm dicta ratio cessantis causæ, istiusque reductionis ad non causam, tùm etiam fortiùs ob fraudes, quæ ita de facili fieri possent, ut advertitur in superiùs insinuato loco, F, in quo de ista prærogativa particulariter agitur, quod scilicet primogenitus alicujus ditissimæ Domus, puta Burghesianæ, vel Columnensis, & similis, cujus nimiùm interesset istud habere privilegium, quod magnum importaret redditum ob amplitudinem patrimonii, & bonorum, quamvis destinatus esset ob speratam successionem in primogenitura statui sæcularis, & conjugali, posset nihilominus vivente patre emere Clericatum Cameræ, verisimiliter sibi non denegandum, ut ità facto casu successionis, se reintegrando de pretio soluto, absque ulla impensa, ullaq; jactura, magnum redditum sibi comparare posset, quod utique manifestum videtur absurdum, ideòque illa verba *quoad eos, qui sederunt in Camera*, intelligenda videntur cum terminis habilibus, & respectu illorum qui digni sunt, ut istam continuent prærogativam, secùs autem in isto casu, in quo revera nulla ratio suppetit, atque ità sufficit verificari in primo casu verba prædicta, quæ dici non possint omninò otiosa, & superflua.

Tertius est casus illorum Cardinalium, qui aliquando sederunt in Camera provisionaliter, tanquam suffecti in locum Camerarii absentis aliqua longa absentia, & qui cum 9
Papæ beneplacito, quandoque unum, & quandoque alterum sibi benevolum Cardinalem deputare solet in Procamerarium, istoque casu probabilius videtur quoque malè fundatam, esse consuetudinem, cui abusus potiùs nomen conveniat, circa continuationem hujus prærogativæ, etiam post dictum munus cessarum, quoniam ità esset repositum in libito, & facultate Camerarii facere id, quod facere non solet Papa, faciendo exemptos multos Cardinales cum prejudicio Cameræ, quod nimiùm grave erat ante dictam moderationem, per quam hodie illud modicum, parùmque considerbile remanet, ut superiùs dictum est. Ut enim advertitur in enunciato discursu desuper edito, rationabile est, ut absente Camerario, qui ratione absentiæ non introducit merces pro ejus usu, unde propterea dicta prærogativa non potiatur, ut ea potiatur ille, qui suum occupat locum per quamdam speciem præmii ejus laboris, & sic quod respectu Cameræ adsit unus Camerarius, non autem, ut detur ista multiplicatio contemporanea, & cum tractu successivo, adeòut Camera eodem tempore agnoscere cogatur multos Camerarios, quod utique irrationabile absurdum dicendum videtur.

Ex eisdem rationibus idem dicendum venit in aliis Officialibus Cameralibus, qui sunt ad nutum amovibiles, & 10
quorum Officium non est venale, ideòque nullam fovent causam oneroſam, ut sunt Gubernator Urbis, tanquam Vicecamerarius, Advocatus, & Commissarius Cameræ, & Procurator generalis fisci, & alii, quoniam Camera unum agnoscere tenetur, ac immunem tractare Officialem, quem eximit ab ejus oneribus ob labores, quos in ejus administratione supportat, sed nulla suppetit ratio, quæ suadeat dictam multiplicationem, ideòque iste pariter dicendus videtur abusus, ad quem retroactis temporibus uberrimis non reflectebatur, benè tamen reflecti debet in currentibus angustiis miserabilium populorum, quando cum debita charitate & convenienti zelo boni publici (quærendo quę sunt Reipulicę, & Principatus, non autem solùm propria, & privata commoda) illi, ad quos pertinet, eorum munus benè exercere velint, ut tenentur.

Quo ad onera, quæ Officio incumbunt, an eo dimisso

ad aliquid Officialis teneatur, occaſione particularium
11 controverſiarum, de quibus in conſueta Regalium ſede G. ex hoc etiam agnovi errorem Pragmaticis connaturalem procedendi cum generalitatibus, vel cum aliquarum auctoritatum littera, non reflectendo, ut decet, ad debitas diſtinctiones; Quamvis enim vera ſit regula generalis, quod obligatio occaſionalis, vel cauſativa ceſſet ipſa cauſa, vel occaſione ceſſante, ut frequenter in praxi habetur in illis tertiis aliquorum bonorum poſſeſſoribus, qui explicitè, vel implicitè ſe obligant ad canones, livellos, cenſus, collectas, aliaque onera, quibus ipſa bona gravata ſint, quoniam intelligitur, donec ipſi fuerint illius rei poſſeſſores, vel quod pro talibus de jure haberi debeant, quia nempè vitio, vel culpa ſua deſierint poſſidere, ſecùs autem ubi non ſint amplius poſſeſſores tanquam ex ceſſante cauſa, quod rectè his terminis adaptatur; Attamen id non ita generaliter, & indefinitè capiendum eſt, quoniam intelligendum venit de illis oneribus realibus, vel quaſi, quæ ſine proprio facto, nullaque reportata utilitate, ipſi rei inſint; ſecus autem ubi agitur de onere per ipſum Officialem, vel poſſeſſorem reſpectivè impoſito ad propriam, & privatam utilitatem, quoniam tunc licet deſinat eſſe Officii poſſeſſor, vel quia illud cum licentia Papæ alteri reſignaverit, vel quia per mortem illius perſonæ, ſub cujus vitæ periculo Officium ſtaret, illud vacaverit, adhuc ejus obligatio durat, vel erga eos, in quibus onera adimplenda ſunt, vel erga ſucceſſorem, ſive erga Cameram pro relevatione indemnitatis, ne aliàs detur inconveniens, quod ipſe locupletatus remaneret de alieno, dum Officium dimittere, vel reſtituere tenetur in eo ſtatu, in quo illud recepit, quoties deterioratio, vel diminutio proveniat à facto proprio, ſecus autem ubi à caſu fortuito, & non culpoſo; Intelligendo de oneribus in futurum, ſive de ſorte principali, & cauſa productiva eorundem onerum, quoniam quo ad annualitates decurſas de tempore, quo ipſe fuit poſſeſſor, & percepit Officii fructus, & emolumenta, ex quibus currentia onera in dies, & tempora adimpleri debebant, non dubitatur ejus obligationem adhuc durare, quamvis agatur de oneribus merè realibus, ſine facto proprio contractis, dum iſtud dicitur debitum proprium, quod in ſingula tempora ſolvi, & adimpleri debebat cum fructibus, & emolumentis currentibus ab eo perceptis.

Dictaque obligatio circa ſortem, vel cauſam productivam illorum onerum, quæ facto proprio in privatam cauſam, vel utilitatem impoſita ſunt, durat etiam dimiſſo, vel
12 vacato Officio in ejus perſona, vel hæreditate, & bonis, quamvis cum Papæ auctoritate, & beneplacito id ſequutum ſit, ita & taliter quod ipſum Officium, & in eo ſucceſſores ipſi oneri ſubjaceant, quia nempe illi, ad quorum favorem illa impoſita ſunt, non fidem perſonæ Officialis, ſed fidem publicam ipſius Principis, ipſiuſque Officii ſequuti ſint, ut (exempli gratia) contingit in erectione alicujus Montis ſuper uno, vel pluribus Officiis juxta caſus in enunciata Regalium ſede diſputatos, quoniam tunc Camera, ipſumque Officium facere dicuntur perſonam fidejuſſoris, vel correi obligati pro Officiali, qui ad inſtar principalis debitoris fidejuſſorem relevare tenetur, ideoque meritò Camerales conſueverunt cogere Officiales, vel eorum hæredes, etiam poſt dimiſſum, ſeu vacatum Officium, ad extinctionem, & diſſolutionem debiti in eorum privatam cauſam contracti. H.

In hoc enim differunt illa debita, quæ per Officialem contrahantur jure, & nomine proprio cum creditoribus ejus fidem ſequentibus, cum illo Papæ aſſenſu, vel beneplacito, quod præſtari dicitur cum ſæpius enunciata reſervatione decreti, & illos, qui in dicto caſu erectionis, vel aggregationis Montium ſequuntur fidem publicam, ipſique Officio, & Cameræ potius credere dicuntur, ut hoc poſteriori caſu Officium remaneat affectum, quamvis per mortem vacet, prædicta actione relevationis indemnitatis competentes Cameræ tanquam gerenti perſonam fidejuſſoris, priori autem caſu Officium redeat liberum, adeout conceſſio reſervationis decreti facta cenſeatur pro ſola validitate actus, & pro illa potioritate adverſus alios officialis creditores, de qua habetur ſupra Cap. 10. non autem, cum ipſius Cameræ præjudicio. Atque in hoc differunt feuda ab his Officiis, quod in feudis, quando Dominus directus præſtat aſſenſum eorum obligationi, tunc niſi curaverit ſibi
13 conſulere cum clauſula, ſine prejudicio, vel altera æquipollenti, ipſa feuda remanent affecta, etiam ubi eorum devolutio ſequatur, abſque eo quod, juxta communem praxim, detur actio eidem Domino indemnitatis, vel relevationis in hæreditate, & bonis liberis Feudatarii, quoties aliàs cautum non ſit, ſecus autem in his Officiis, quæ libera redeunt ab iis, qui Officialis fidem ſequuti ſunt, niſi aliàs expreſsè caveatur.

Tunc autem ſucceſſor in Officio tenetur ad onera prædicta in propriam, & privatam cauſam per prædeceſſorem impoſita, vel contracta, quando ſucceſſor obtineat Officium per viam reſignationis ſibi factæ per prædeceſſorem, mediante pretio inter eos convento, cum expreſſa hujuſmodi onerum ſuſceptione, quæ propterea dicuntur pars pretii, adeout eorum intuitu illud minus reſignanti ſolutum ſit, quàm ſolvi debuiſſet, ſi talia onera non adeſſent. I.

Ille quoque datur caſus obligationis Officialis, etiam poſt dimiſſum, vel vacatum Officium, quando ſcilicet debitum, vel onus proveniat ex ejus culpa, vel negligentia, 14
& pro quo de jure, vel de ſtylo competere poſſet actio ſuper Officio, & contra ſucceſſorem, puta quia Officialis Notarius riſico Officii aliquam minus idoneam fidejuſſionem recepiſſet, quoniam ubi etiam parti intereſſatæ competeret actio contra ſucceſſorem, & ſuper ipſo Officio cujus fidem intereſſatus ſequutus eſt potius, quam illam perſonæ, ut probabilius videtur, (ſuper quo tamen nil firmatur, cum occaſio non dederit id formiter examinare) adhuc tamen ille Officialis tenebitur relevare Cameram, vel ſucceſſorem eodem modo, quo ſupra dictum eſt de locis Montium, & ſimilibus.

a *De Regal. diſc.* 48. b *in relatione Curiæ diſc.* 33. & *latius in annot. eumdem diſc. & in Miſcell. Eccleſ. diſc.* 47. & 48. c *Miſcell. Eccleſ. diſc.* 47.
d *Rot. apud Merlin. deciſ.* 273. *repet. deciſ.* 54. *par.* 5. *recent.* e *Lib.* 10. *de fideicomm. diſc.* 201.
f *Dict. diſc.* 47. *in Miſcell. Eccleſ.*
g *De Regal. diſc.* 7. *cum plur. ſeqq.*
h *Locis proximè ſupra citatis.*
i *Diſcurſ.* 8. & *ſeq. de Regal.*

An, & quando Officialis teneatur de facto ſubſtituti.

SVMMARIVM.

1 *DE Doctoribus tractantibus de materia, quando Officialis teneatur de facto ſubſtituti.*
2 *De diſtinctione claſſium Officiorum venalium.*
3 *De diſtinctionibus, cum quibus materia eſt regulanda in Officiis Prælatitiis.*
4 *De aliis Officiis minoribus Cancellariæ.*
5 *De Notariis.*

CAP. XIX.

PEculiare non eſt hoc thema Officiorum venalium vacabilium, de quibus tantum in hoc opere agitur, cum aliis etiam Officialibus generaliter id congruat, qui gratis deputati ſunt, & quorum perſonæ induſtria electa ſit, quia nempe ad juſtitiæ adminiſtrationem, vel ad Civitatis regimen, ſive ad arcis, vel Caſtris cuſtodiam, aliaque ſimilia munia ſint electi. Quia verò notabilis dignoſci videtur differentia inter unam, & alteram Officialium ſpeciem, propoſitum verò eſt, ut initio proteſtatum fuit, ex ibidem inſinuata occaſione, agere ſolum de Officiis venalibus Curiæ Romanæ, idcircò perſiſtendo in eodem propoſito ſtrictè de his agendi, non autem in aliis extra intentum evagandi, pro 1
aliis, & generali cognitione materiæ, ſufficit ſe remiſſivè habere ad illos modernos, qui de illa tractant, apud quos alii antiquiores collecti ſunt, ideoque apud eos poterit curioſus ſibi ſatisfacere. A.

Quatenus itaque pertinet ad poſſeſſores Officiorum venalium Romanæ, ſive Papalis Curiæ, de quibus hactenus actum eſt, reflectendum venit ad tres eorum ſpecies, vel claſſes, de quibus ſupra Cap. 2. Ubi enim agitur de Officiis Prælatitiis primæ claſſis, quibus annexa 2
eſt Prælatura, & adminiſtratio juſtitiæ, vel jurium Cameræ Apoſtolicæ, adeout perſonæ fides, idoneitas, & induſtria principaliter conſideratæ ſint, venalitas autem

non

non consistat in ipso munere, sed in quibusdam pinguibus emolumentis, quæ Officio sunt annexa, ut sunt officia Camerarii, Thesaurarii, Auditoris, & Clericorum Cameræ, & similia ibidem recensita; Et tunc, aut substitutus est necessarius, adeout Officialis, etiam invitus illum deputare
3 debeat, non ad ejus electionem, sed ad illam Papæ, ut (exempli gratia) contingit in Auditore Cameræ, qui tres habet, & deputat substitutos, sive Locumtenentes, duos nempè in civilibus, qui Prælati esse solent, & unum togatum in criminalibus, quos Papa eligit, seu nominat, eodem modo, quo practicatur in Cardinali Vicario Urbis, qui habet substitutos, nempè Vicegerentem, & Locumtenentem in civilibus, ambos Prælatos, & togatum Locumtenentem in Criminalibus, atque tunc certum est, quod tam ad effectus criminales, & pœnales, quàm etiam ad effectus civiles, Officialis de hujusmodi substitutorum facto non tenetur, cum non ab ipso, sed à Papa eligantur, atque sit deputatio necessaria, ideoque nil ei obiici valeat. Aut verò agitur de illis substitutis, qui voluntariè, & in adiutorium deputentur pro laborum diminutione, ut (exempli gratia) praxis docet in eodem Auditore Cameræ circa ejus Auditorem domesticum, explicare solitum illa acta, quæ ab ipsomet Auditore explicari dicuntur, adeout volens possit illum non deputare, ejusque opera non uti, illaque acta explicare per se ipsum, ac etiam contingit in Cardinali Camerario, in Clericis Cameræ, & in Thesaurario Generali, qui habere solent Auditorem domesticum, ab eis pro libito deputari solitum, quo mediante multa explicant acta, & munia, & tunc stante consuetudine, quam utpote notoriam Papa scit, & tollerat, quoties in electione dici non valeant culpabiles, quia nempè viros communi opinione probos, & idoneos reputatos elegerint, ab eorum culpis, & defectibus excusabiles quidem erunt ad effectus criminales, & pœnales, non autem ad effectus civiles pro jure, & interesse partium, vel ipsius Cameræ, quoniam factum istorum reputatur de jure ipsorum factum proprium; Ad instar eorum, quæ habemus in Episcopo aliquos explicante actus per Vicarium, vel per aliquos substitutos, quoniam si essent in usu illi Vicarii fixi, & necessarii, qui apud Canones habentur, nempè Archidiaconus in temporalibus, & Archipresbyter in spiritualibus, tunc de eorum facto nullo modo teneri deberet, sed quoniam isti Officiales veri recesserunt ab aula, unde remanent solùm Archidiaconus, & Archipresbyter abusivi, ad quosdam honorificos, & præeminentiales effectus, ut in Præeminentiarum sede advertitur, & alibi, B. habere autem solet Vicarium, vel Officialem generalem, qui prædictorum partes in spiritualibus, & temporalibus implet, quem ad nutum amovibilem ad ejus libitum eligit, & potest non eligere, cum possit volens judicare, & explicare acta per se ipsum, & non cogatur Vicarium habere, ut in Jurisdictionali sede, & alibi pluries habetur, C. consuetudo verò communis est, ut illum habeat, idcircò quoties obiici non potest delectum, seu culpa ob malam electionem, intrat eadem distinctio circa effectus pœnales, & circa interesse partium; Atque eadem distinctio adaptabilis videtur in hac prima classe Officiorum Prælatitiorum, Abbreviatoribus de parco majori, & Regenti Cancellariæ, aliisque similibus eodem Cap. 2. recensitis, quoniam licet attenta lege eorum erectionis, debeant per se ipsos illa munia explere, adeout personæ fides, & industria electa videatur, nihilominus stante consuetudine, quæ nota est, & tolleratur, supplendi per substitutos, fortè illarum rerum magis peritos, cum eadem distinctione procedendum videtur, undè propterea ex communi Curiæ sensu, exorbitans, & rigorosa judicata fuit praxis sub Innocentio X. quod in notoriis scandalis, quæ in Dataria, & Cancellaria obvenerunt ob crimina aliquorum Officialium, qui condignas solverunt pœnas, longam carcerationem passus fuerit quidam Prælatus, qui Officium habebat in titulum, ob culpam substituti.

Cùm eadem distinctione procedendum videtur in aliis Officiis secundæ Classis, quæ aliquam habent annexam ad-
4 ministrationem, sive annexum exercitium, vel ministerium, (ut exempli gratia) sunt Scriptores Apostolici, Registratores, & alii recensiti in Cap. 2. sub hac secunda Classe, quoniam licet attenta eorum natura, & lege erectionis, electa videatur fides, & industria personæ, quodque per se ipsos munia sibi incumbentia explicare debeant, nihilominus consuetudo diversimodè disponit, vel probat quod rari sunt illi Officiales, qui hujusmodi negotiorum peritiam habentes, illumque laborem gratia majorum emolumentorum

Card. de Luca de Offic. Venal. &c.

sufferre volentes exercent per se ipsos, atque exercitium pro majori parte esse videtur penes substitutos, quorum fides, & peritia probata sit per Vicecancellarium, sive per Regentem Cancellariæ, vel aliàs juxtà stylum cujuslibet Collegii.

Major autem personæ fides, & industria desiderata videtur in Officiis Notariorum scribentium acta judicialia: Et 5
nihilominus etiam in istis ex eadem consuetudine quodammodo necessaria ob negotiorum multiplicitatem, habetur iste usus substitutorum, qui cum eadem distinctione excusare debet Officiales in pœnalibus, non autem quo ad interesse partium; puta (exempli gratia) Notarii Auditoris Cameræ, qui majora Curiæ negotia explicare videntur, non possunt per se ipsos omnia scribere, & peragere, cum videatur impossibile, ideoque usus præbet, quod ipse Notarius Officialis residet in consueto loco, in quo Officium exercetur, pro actis verò explicandis plures habet substitutos, tres nempè pro actis civilibus ipsius Auditoris Cameræ, & duorum ejus Locumtenentium in civilibus, unum in criminalibus, & alterum pro rogitibus Instrumentorum, omnes tamen acta gerere dicuntur nomine Notarii Officialis, à quo subscribuntur Instrumenta, aliæque expeditiones, unde de eorum culpis, & factis tenetur quidem Officialis pro interesse partium, durum verò, & impracticabile esset, ut in criminalibus luere deberet pœnas eorum criminum, & sic cum sua proportione in Notariis aliorum Tribunalium; Quinimò in hoc genere Notariorum adsunt aliqua Officia, in quibus ipse Officialis nullatenus se ingerit, sed Officium locat alicui Notario perito ad exercendum, cum ipsi Officiales soleant esse viri nobiles, & qualificati, ad illud ministerium nullatenus apti, sive quod Officium in substantia residet penes aliquod Collegium, seu locum Pium, ut (exempli gratia) est Officium Notarii criminalis Gubernatoris, quod est Archiconfraternitatis Charitatis, & Officium Archivii, quod est penes Collegium Scriptorum Archivii, constitutum ex magno numero Officialium, ac etiam Officium Notarii civilis Gubernatoris, & Officium Notarii Ripæ obtineri solent à personis nobilibus, & qualificatis, à quibus locantur; Undè propterea quæstiones disputari consueverunt super defalco per conductorem prætenso, ratione diminutionis aliquorum emolumentorum, D. sive super oneribus, & expensis, quæ Officio incumbunt, an à locatore, vel à conductore fieri debeant, vel quæ actio adversùs locatorem competat, cum similibus, ut patet ex casibus, particulariter super eis disputatis in Theatro, E. cum similibus. In Officiis verò tertiæ classis ista inspectio non cadit, quoniam nullam habent annexam administrationem.

a *Constant. in l. nullus C. de Decurion. lib. 10. ex num. 57. Amichangel. de Offic. q. 5. & 7. Rovit. cons. 87. lib. 1. dec. 79. De Marin. resolut. 3. ubi Roder. in addit. Revert. decis. 206. & 325. ubi adden. Afflict. contr. 45. Rot. apud Greg. dec. 233. & apud Otthob. dec. 142. De Luca ad Franc. dec. 212. lib. 2. de regal. disc. 86. & alibi.*
b *Lib. 3. de præeminent. disc. 20. & alibi.*
c *De iurisdict. disc. 24.*
d *Lib. 4. de locato disc. 3.*
e *lib. 2. de regal. disc. 21. & de locato disc. 39.*

De Societate Officii.

SVMMARIVM.

1 QVare de hoc tractetur.
2 *Super quibus Officijs iste contractus fieri soleat.*
3 *De contractu Societatis, in qua unus ponit pecuniam, vel merces, & alter operam.*
4 *De introductione Societatis Officij.*
5 *De taxa fructuum, qui solvuntur datori pecuniæ.*
6 *Dubitant aliqui de isto contractu, sed malè.*
7 *Quando intret infectio usuraria.*
8 *De moderatione Taxæ fructuum.*
9 *De varijs modis directis, & indirectis, vel obliquis, in his contractibus.*
10 *Quale sit subiectum contractus, & quomodo resolvatur, & de alijs.*

CAP. XX.

QUamvis ista materia propriam, ac particularem habeat Sedem, diversaque sit ab illa, de qua in præsenti tractatione agitur; Nihilominus quia iste contractus, 1 qui Romanæ Curiæ fortè singularis est, non nisi super Officiis venalibus, & vacabilibus celebratur, quinimò, neque super omnibus, sed solùm super iis, quæ ministerium, 2 & operam personalem annexam habent, adeout eorum emolumenta ex duplici proveniant causa, nempè ab opera personali, & à pecunia, quæ erogatur pro acquisitione Officii, adeout unum sine altero non sufficiat, ad instar negotiorum socialium, & mercantilium, sive habentium mixturam pecuniæ, & mercium, ac artificii, vel operæ personalis, ut pro frequentiori, forteque omnimoda praxi, sequitur in Officiis Notariorum Auditoris Cameræ, aliorumque Tribunalium, ac in Officiis Cursorum, idcircò non incongruum est, sub ista Officiorum venalium, & vacabilium tractatione, aliquam annectere brevem, ac summariam notitiam istius contractus, ut sciatur quid contineat, qualemvè cum Officiis connexionem habeat, dum circa ejusdem materiæ quæstiones, & regulas poterit curiosus sibi satisfacere in ejus sede, in qua de illo particulatiter agitur. A.

Quemadmodum itaque, ut præmissum est, frequens 3 ubique est contractus à jure probatus illius societatis, in qua unus contrahentium pecuniam, seu merces, aut animalia, alter verò operam præstet, cum participatione lucri, & periculi, seu commodi, & incommodi ad utriusque ratam, & proportionem, ut in Usurarum sede advertitur, & alibi; B. Hinc ad instar, ex Romanæ Curiæ aliqua consuetudine introductus est iste contractus Societatis super hujusmodi Officiis, quod scilicet non habens ille, qui aptus est ad illud Officium exercendum pecuniam pro illius acquisi- 4 tione, inveniat alium, qui pecuniam accommodet, cum hac societate, qua mediante subjaceant ambo periculo vacationis Officii, & è converso participent de commodo emolumentorum pro rata, & proportione laboris, & industriæ personalis, & pecuniæ respectivè, eodem modo, quo in dictis negotiis socialibus sequitur. Sed quoniam circa lucrorum, & emolumentorum quantitatem, & veritatem 5 inter hujusmodi socios, dissidia cadere solebant, dum ille socius, qui pecuniam posuit, suspicari solebat, se fraudatum esse à socio Officiali, qui habet exercitium, & percipit emolumenta, idcircò eadem consuetudo induxit quandam uniformem hujusmodi lucrorum taxam, pro antiquorum temporum qualitate, verisimilem, quia Officiorum pretium erat minus, emolumenta verò majora, atque majores erant censuum, aliorumque bonorum fructus, ut Officialis socio pecuniæ datori ad rationem antiquarum centesimarum usurarum responderet, duodecim scilicet pro centenario, rationabiliter isto magno fructu competente, in compensationem periculi amissionis sortis, ut in ipsismet Officiis, aiisque vitalitiis contractibus generaliter sequitur.

Quia verò, pro temporum, & morum immutatione ista taxa inverisimilis, ac exorbitans, & excessiva reddita est, unde propterea aliqui Morales materiam parum callentes, illicitum, & usurarium reputare solent istum contra- 6 ctum, sed malè, quoniam tunc usuraria infectio intrat, quando vitium est in substantia actus, adeout ejus corrupta natura transeat in mutuum, sine quo usura non datur, se- 7 cus autem ubi actus in genere, vel in substantia est licitus, suaque habet requisita necessaria, excessus verò est in fructibus, vel in alio accidenti, quoniam tunc intrant termini injustitiæ, & læsionis, non autem illi usuræ, ut in propriis Usurarum, & Cambiorum sedibus advertitur, C. idcircò me proponente, & cooperante; Congregationis reformationis Tribunalium decreto, per Sanctissimum approbato, moderata est Taxa, ut illa octo pro centenario excedere non valeat; Prout in eodem decreto multum rationabilis alia facta est moderatio taxæ usurarum dotalium, ac prius in antecedenti Pontificatu facta fuit illa usurarum Judaicarum, cum similibus, ita exigente temporum mutatione, 8 ut præsertim in locis Montium praxis docet, quòd antiquioribus temporibus locorum Montium non vacabilium fructus in primæva erectione ad decem pro centenario statuti fuerunt, tractu verò temporis paulatim redacti ad quatuor, & tamen adhuc excessiva ista taxa reputatur, quia sic temporum qualitas exigit.

Ista itaque fuit primæva, ac directa, & vera istius contractus introductio, quod scilicet pecunia pro acquisitione Officii per unum alteri, aptitudinem ad id habenti, daretur, 9 postmodùm verò modus magis indirectus introduci cœpit, quod scilicet ille, qui jam Officium cum sua pecunias quæsivit, illiusque possessor est, alia pecunia pro aliis usibus indigens, sub isto contractu illam recipiat, ita datorem ad Officii participationem, & societatem admittendo. Major verò fictio, & obliquitas postmodum introducta est, quod scilicet idem contractus, veritate attenta, ineatur inter privatos, quamvis fingatur iniri inter officii possessorem, & pecuniæ datorem ejusdem pecuniæ receptore bonam fidem recognoscente, atque se correum faciente, adeout Officialis persona absque aliqua ejus, vel Officii obligatione demonstrativè tantùm stare dicatur pro regulatione periculi, vel dissolutionis Societatis, eo modo, quo census super alieno fundo de consensu Domini, absque istius obligatione, imponi, & creari potest, atque ubi fit societas verè cum ipso Officiali pro cautela creditoris expediri solet ad ejus favorem reservatio decreti, quæ non dominium Officii, sed solùm validam hypothecam importat, ut suprà cap. 10. Istaque societas cum Officiali diversa esse solet ab altera magis indirecta, quæ, attenta veritate, fiat inter tertios, quoniam in ista apponi solet periculum vitæ in persona creditoris, vel alterius ab eo electi, in illa verò cum Officialibus, & præsertim cum Notariis, destinari solet persona ipsius Officialis debitoris provitæ periculo, ob rationem, de qua in sua Particulari sede istius contractus. D.

Hujus autem societatis subjectum est Officium, per cujus vacationem veram, vel interpretativam, per resignationem, vel translationem in alterum, dissolvitur, & cessat, non tamen ammittitur data pecunia, quam debitor non lucratur, nisi per casum mortis illius personæ, sub cujus vitæ 10 periculo contractus initus est, societatis autem dissolutio per alios modos, de quibus supra, ac etiam per unius contrahentium voluntatem sub illo vocabulo declaratam, quæ disdicta dicitur, sequitur, non tamen ammittitur sors, sed cessat fructuum cursus, pro quo necessaria est Officii capacitas, ad instar capacitatis fundi censiti in contractu censuali. Quando verò incapacitas dignoscatur ob multiplicitatem societatum super eodem Officio initarum, quæstio cursus fructuum decisionem recipit ex scientia, & mala fide, vel respectivè ignorantia, & bona fide datoris pecuniarum, ut latius in sua particulari sede, ubi etiam de cautelis, quæ per callidos pecuniarum datores adhiberi solent pro vitando periculo amissionis sortis, non obstante purificatione casus, vel conditionis, ob quam ammitti deberet, vel circa fraudolentas mutationes periculi vitæ, vel circa captiosas disdictas, aut circa affectatas cautiones, aliaque implementa verè non desiderata, & quorum exequutio potiùs abhorretur, sed ad prædictam fraudem adinventa, est ut latius in enunciata sede E. ubi particulares quæstiones inspici possunt, cum hæc solùm, ad aliquam summariam hujus contractus notitiam, incidenter, sive occasionaliter insinuasse videatur satis.

a *In Theatro lib. 5. sub hoc tit. de societ. Offic. post titulos de usuris, de Cambijs, & de Cens.* b *De usur. disc. 1. & seqq.*
c *Eodem tit. de usur. disc. 1. & seqq. & de Cambijs disc. 24.*
d *lib. 5. de societ. Offic. post tit. de cens. disc. 11. cum alijs.*
e *Dict. tit. de societ. Offic.*

FINIS.

COL-

COLLECTIO JURIUM,

Seu Documentorum, ac etiam Informationum, Reſponſorum, & Deciſionum

SUPER SUPPESSIONE

COLLEGII SECRETARIORUM APOSTOLICORUM,

ET RESTITVTIONE PRETII,

Quæ ſunt diſpoſita ordine numerico, ut ſequitur.

1 BUlla Innocentii VIII. ſuper nova erectione Collegii. fol. 58.
2 Motus proprius B. Pii V. fol. 61.
3 Brevia expedita ab eodem Pio in vim dicti Motus proprii. fol. 64.
4 Motus proprius Gregorii XV. fol. 65.
5 Motus proprius ſuppreſſionis Sanctiſſimi D.N. Innocentii XI. fol. 73.
6 Informationes datæ in Rota in prima diſputatione pro parte Cameræ. fol. 78.
7 Informationes datæ in dicta prima diſputatione Rotali pro parte Officialium. fol. 97.
8 Prima deciſio Rotæ. fol. 140.
9 Diſcurſus contra deciſionem ad effectum audiendi ſenſum Tribunalium, & Juriſconſultorum, de quibus infra, cum ſubſcriptionibus multorum Juriſconſultorum Neapolitanorum. fol. 141.
10 Votum, ſeu Reſponſum Rotæ Florentinæ. fol. 146.
11 Votum, ſeu Reſponſum Rotæ Senenſis. fol. 149.
12 Votum, ſeu Reſponſum Rotæ Maceratenſis. fol. 152.
13 Reſponſa quatuor Juriſconſultorum Lucenſium. fol. 153.
14 Reſponſa, ſeu Vota quamplurium Juriſconſultorum Taurinenſium. fol. 174.
15 Reſponſa Boſcoli, & Concioli. fol. 181.
16 Informationem pro Camera in ſecunda propoſitione Rotali ſuper reviſione primæ deciſionis. fol. 186.
17 Informationes pro Officialibus in eadem ſecunda propoſitione. fol. 209.
18 Secunda deciſio Rotæ revocatoria prioris. fol. 230.
19 Tertia deciſio Rotæ confirmatoria ſecundæ. fol. 235.
20 Votum datum per Rotam. fol. 238.
21 Sententia Theſaurarii Generalis. ibid.
22 Motus proprius ejuſdem Innocentii XI. ſuper confirmatione dictæ ſententiæ. fol. 239.
23 Diſcurſus Italici idiomatis, editus ante diſputationem Rotalem, ſuper juſtificatione Motus proprii, de quo num. 5. fol. 241.

NUM. I.

BULLA INNOCENTII VIII.

Super erectione Collegii.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

NOn debet reprehenſibile judicari, ſi ſecundùm varietatem temporum, ſtatuta quandoque varientur humana, præſertim cùm urgens neceſſitas, vel evidens utilitas, & aliæ rationabiles cauſæ id expoſcunt, quoniam ipſe Deus ex iis, quæ in veteri teſtamento ſtatuerat, aliqua mutavit in novo. Dudum ſiquidem nonnulli Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, non minus ut viros induſtrios ſibi eligerent, quorum opera in rebus magnis, & arduis Apoſtolicæ Sedis honorem, ſtatum, & commodum, ac Orthodoxæ fidei incrementum concernentibus, uti poſſent, quàm pro negotiorum magnitudine, & celeriori ad prædictam Sedem confluentium expeditione, quamplurimos eorum obſequiis adhibuere Secretarios; Quos poſtmodum fel. record. Calixtus III. & Pius II. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, ſive ob tenuitatem emolumentorum dictis Secretariis aſſignatorum, ſive ex aliis cauſis eos ad id moventibus; ad ſex ſucceſſivè reduxerunt. Nos autem, qui ſuperiori anno, dum noſtra Urbs, in qua cum Romana Curia etiam tunc reſidebamus, per nonnullas gentes armigeras hoſtiliter opprimeretur, pro illius ab oppreſſionibus hujuſmodi liberatione, grandia ſubire compulſi fuimus onera expenſarum, ad quæ cum Romanæ Eccleſiæ facultates non ſufficerent, Mitram Pontificalem, Regnum nuncupatam, & alia quamplurima ejuſdem Eccleſiæ Jocalia pretioſa, aurea, & argentea diverſis mercatoribus, dictam Curiam ſequentibus, pro diverſis pecuniarum ſummis, ad quantitatem fortè centum millium ducatorum auri de Camera aſcendentibus, pignoravimus. Quæ cum commodè ex dictæ Eccleſiæ proventibus jam exhauſtis, redimi non poſſent, Nos ſperantes, quod ſi ad Officium eorumdem Secretariorum præter, & ultra dictos ſex, decem, & octo Prælati, & in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ dumtaxat perſonæ aſſumerentur, & omnes ſimul pro redemptione, & liberatione Mitræ, & Jocalium prædictorū, de eorum facultatibus, uſque ad ſummam ſexagintaduorum millium, & quingentorum florenorum auri de Camera perſolverent, & contribuerent, aſſignarenturque eis etiam de novo convenientia emolumenta, ex quibus juxta dignitatis eorum exigentiam, eorum ſtatum tenere poſſent, exinde nō ſolùm hujuſmodi urgenti neceſſitati prædictæ Eccleſiæ provideretur, ſed etiam decori, & venuſtati ejuſdem Sedis, Curię, & Officii, ac faciliori, celeriori, diligentiori, & magis accuratæ expeditioni Brevium, & aliarum Litterarum Apoſtolicarum, quæ per eoſdem Secretarios tā in Cancellaria, quàm per Cameram ſecretam Pontificis pro tempore expediuntur, & non parvæ commoditati confluentium eorumdem ad præfatam Curiam, & proſequentium negotia in eadē, oportunè conſuleretur: Ac volentes, prout debemus, ſuper præmiſſis opportunum adhibere remedium, habita deſuper primum cum Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, & cum infraſcriptis perſonis lōgo tractatu, de eorumdem fratrum unanimi conſilio, & aſſenſu, Motu proprio, & ex certa ſcientia, & noſtræ poteſtatis plenitudine, auctoritate Apoſtolica, hac in perpetuum valitura Conſtitutione ſtatuimus, quod noſtri, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Secretarii de cætero, perpetuis futuris temporibus, debeant eſſe viginti quatuor dumtaxat, & in Notariatus dictæ ſedis Officio, aut in Epiſcopali, vel majori Eccleſiaſtica dignitate conſtituti, vel aſſumpti, habitum Notariatus officii, aut alterius dignitatis hujuſmodi, in qua conſtituti fuerint, vel conſtitui eos impoſterum contingit, convenientem geſtantes, prout eos infraſcriptos omnes, & eorum ſingulos, qui in hujuſmodi Prælatura, aut dicti Notariatus Officio, adhuc conſtituti non erant, in ejuſdem ſedis Notarios aſſumimus, volentes, ut à quocumque maluerint Prælato in Romana Curia habitum, & inſignia ejuſdem officii perpetuò geſtanda, recipere poſſint, & valeant, dilectis filiis Andrea Trapezuntio, & Sigiſmūdo de Fulgineo, de numero ſex Secretariorum prædictorum, ad præſens conjugatis, dumtaxat exceptis, qui in eo, in quo ſunt ſtatu, & habitu, officium ipſum Secretariatus quoad vixerint, ſi voluerint, valeant exercere: necnon Gaſpare Blondo, Jacobo de Vulteris, Jo: Petro Arrivabeno, & Joanne Laurentio, reliquis quatuor ex prędicto numero ſex Secretariorum, quos licet ſimul cum prædictis aliis de novo aſſumptis, ex nunc in Notarios ejuſdem Sedis aſſumamus, ad geſtandum tamen habitum, niſi de alio noſtro mandato poſtmodum eis faciendo, volumus non aſtringi: & aliis in dignitate, aut Notariatus officio hujuſmodi conſtitutis, & ſuarum dignitatum, aut officii Notariatus hujuſmodi habitum geſtantibus eorū Collegis, in ſeſſionibus, & proceſſionibus, ac in quibuſvis conventionibus eorum dumtaxat, quandiù in ſolito ſtatu, & habitu permanſerint, deferentes, & quorum ad omnia tam ſupra, quàm infraſcripta expreſſus accedit aſſenſus, quo ad honores, onera, & emolumenta, tam per eoſdem Secretarios, hactenus in Cancellaria Apoſtolica percipi ſolita, & quæ quavis ratione, ſive cauſa percipi debuiſſent, quàm ad ea, quę preſentibus eis, & aliis de novo aſſumptis ſimul cum illis aſſignata ſunt, & alia indulta officium ipſum Secretariatus concernentia, eiſdē ſic de novo aſſumptis, quos rationabilibus de cauſis pro nunc decernimus eſſe viginti quatuor, Secretariis prorſus æquales remaneant. Sic tamen, quòd numerus prædictus demum ad vigintiquatuor dumtaxat omninò reducatur, & loco eorumdem Gaſparis, Andreæ, Jacobi, Sigiſmundi, Jo: Petri, ac Joannis Laurentii, & ſuccedentium in locis eorum, dum aliquem ex eis ſex, aut loco, quæ ipſi obtinent, pro tempore obtinentes, decedere contigerit, nullus per Nos, & pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem ſurrogari poſſit, & debeat, quacumque ratione, vel cauſa, ſed illius ſic decedentis pro tempore locus, & portio emolumentorum cenſeantur, & ſint eo ipſo penitus ſuppreſſi, & extincti: Nec teneantur ſuperſtites Secretarii quempiam, loco talis ſic decedentis, in Secretarium recipere, vel admittere, prætextu quarumcumque litterarum Apoſtolicarum, etiam in quibus huic ſtatuto, & numero derogaretur ſpecificè, nominatim, & expreſsè: Nec proceſſibus deſuper habitis, etiam cenſuras, & pœnas quaſcumque in ſe continentibus quoquo modo parere, quia inter nos, & eoſdem Secretarios de cōſilio, & aſſenſu prędictis, dum pro rerum noſtrarum evidenti commoditate, & utilitate in augmentum numeri à decem & octo ad vigintiquatuor de novo aſſumendorum, conſenſum præbuerunt, ſic expreſſo pacto conventum, & firmatum fuit. Conſtituant quoque pro tempore omnes Secretarii prędicti invicem unicum Collegium cum communi arca, ſive burſa, ſigillo, capella, capellano, & aliis collegialibus inſigniis, & conceſſis hactenus Secretariis prædictis Romani Pōtificis, & quibus potiri ſoliti ſunt, ſeu potiri debuerunt, omnibus emolumentis, honoribus, privilegiis, immunitatibus, gratiis, favoribus, & indultis potiantur, & gaudeant eiſdem modo, & forma, quibus illi gaviſi, & potiti ſunt hactenus, ſeu gaudere, & potiri potuerunt, vel debuerunt, ſine ulla prorſus varietate. Præterea condendi in eorum Secretariatus officio, (quod cum quibuſcumque aliis Romanæ Curiæ officiis compatibile eſſe volumus) & ipſum quomodolibet concernentibus, Statuta quæcumque ſine alias ſuperioris confirmatione libera poteſtate fungantur. Et cum Secretarii ipſi ſemper hactenus fuerint etiam Cancellariæ noſtræ Apoſtolicæ membrum, volumus, & ordinamus, ut Venerabilem fratrem noſtrum Rodericum Epiſcopum Portuen. S. R. E. Cardinalem, & Vicecancellarium, in Cancellaria eadem in ipſorum caput recognoſcere, & reputare debeant, quos ipſe è converſo, ut ſui corporis membra reputans, congruenti honorificentia per reliquos ejuſdem Cancellariæ Officiales proſequi faciat, & procuret, decentem ipſorum dignitati locum pro incumbentium dicto eorum officio negotiorum expeditione ipſis aſſignans in eadem Cancellaria, prout nos aſſignamus per preſentes. Sint quoque ipſi Secretarii veri Palatii Apoſtolici Prælati, ſine tamen aliorum ejuſdem Palatii Prælatorum præjudicio, & quo ad eorum perſonas dumtaxat noſtri, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis familiares, domeſtici, continui commenſales, & pro talibus habeantur, & reputentur, & in conſtitutionibus, prærogativis, exemptionibus, & privilegiis, ac ſcripturis quibuslibet de eiſdem Prælatis, ac familiaribus mentionem pro tempo-

re

re facientibus, quo ad eorum perſonas dumtaxat, includantur,& incluſi eſſe intelligantur,& ſint, prout nos per præſentes includimus: & quibuſvis pro tempore eiſdem Prelatis de Palatio,& familiaribus conceſſis,ſeu concedendis prerogativis,favoribus, privilegiis,exemptionibus,& indultis,tamquã eorum pars, ſimiliter quo ad eorum perſonas, potiantur, & gaudeant. Habeantque in Palatio noſtro Apoſtolico unam manſionem, & locum, in quo ſingulis diebus convenire, & morari, ac de dicto eorum officio incumbentibus negotiis tractare,& conſultare,ac aliàs juxta antiquitus ſervatum per præfatos Romanorum Pontificum Secretarios,qui pro tempore fuerunt,ritum, ſtylum,& modum diſponere, ut verè,& actu Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, in d. Palatio Apoſtolico deſervientes Prælati, & familiares cõmodè poſſint,& valeant, voceturque locus hujuſmodi, & ſit actu Secretaria Apoſtolica,in qua,& nullo alio loco dicti noſtri Palatii,ſaltem publicè,exerceantur,vel expediantur,quęcumque ad Secretariatus officium quovis modo pertinent. Plumbatoreſque præſentes,& qui pro tempore erunt,ſub excommunicationis pęna, teneantur omnes,& ſingulas Bullas taxatas per quemcumque ex omnibus Secretariis præfatis, ſeu quoſcumque alios per dictam Cameram noſtram ſecretã expeditas, cum primum fuerint per ipſos plumbatæ, portare ad Secretariam eamdem, & officiali per eoſdem Secretarios ad id deputato,& nulli alteri preſẽtare,ut ſingulariter ſingulę cum ipſarum taxis,& tenoribus deſcribi,notari, ſubſcribi,& more ſolito expediri per aliquem ex ipſis Secretariis poſſint, & valeant. Habeant quoque Secretariis præfati pro perſonis ipſorum, & cujuslibet ipſorum ex ſpeciali privilegio, quod per præſentes eis in perpetuum concedimus in expeditionibus quarumvis litterarum Apoſtolicarum Gratis ubique, & teneatur Reſcribendarius ad taxandum litteras Apoſtolicas pro tempore deputatus, abſque ullo noſtro, ſeu cujuſvis alterius mandato,in quibuſvis litteris perſonas ipſorum Secretariorum, ſeu cujuſvis eorum concernentibus, apponere Gratis pro perſona Secretarii, ac perſona unius familiaris, pro quolibet ipſorum, Gratis pro Deo. Prætereà volumus, ut iidem Secretarii, quotieſcumque erunt a Romana Curia abſentes pro noſtris, aut S. R. E. negotiis, quovis modo peragendis,quoad emolumentorum omnium dicti officii integrã perceptionem, habeantur tanquam præſentes: ſi verò privatarum rerum ipſorum cauſa recedentes ab eadem Curia, petierint tãtum ab eorum Collegio licentiam,& diſpoſuerint, quod in ordinariis oneribus officii, aliquis alius de Collegio ſerviat pro ipſis,paritet habeantur ad eamdem perceptionem emolumentorum pro præſentibus, ad unum integrum annũ dũtaxat, & ſi fortè ultra unũ annũ diſtulerint ad eandẽ Curiam redire, non percipiant emolumenta prædicta, niſi dempta quinta dumtaxat ejus parte,quæ cedat in utilitatẽ reliquorum de Collegio,actu præſentium in d. Curia. Pari modo volentes, ut omnes triginta, & quilibet ipſorum,Secretarii præfati, tam præſentes in d. Curia, quàm abſentes liberè poſſint de dictis eorum officiis diſponere, nec poſſit, aut debeat eorumdem officiorũ reſignationis receptio,etiamſi reſignantes ipſi infirmi,& veriſimiliter infra viginti dierũ ſpatiũ deceſſuri forent,& decederent,per Romanum Pontificem, quavis ratione denegari,vel differri,nec pro ſignatura ſupplicationis,conceſſionis ejuſdem per reſignationem vacantis, quicquam ultra ſummam centum florenorũ auri de Camera ab eo, cui de illo ſic vacante providebitur, exigi, qui ſi dictæ ſedis Notarius, aut in Epiſcopali, vel majori eccleſiaſtica dignitate conſtitutus non fuerit, per dicti Secretariatus officii conceſſionem, licet ſolam,nihilominus in dictæ Sedis Notarium,aut cum omnibus,& ſingulis prærogativis,honoribus, & oneribus conſuetis,ejuſdem officii Notariatus Apoſtolicæ Sedis,eo ipſo aſſumptus eſſe cenſeatur, & ſit: Recipiaturque in Secretarium, & habitus, ac inſignia dicti Notariatus officii eidem,ſi fuerit præſens in d. Curia,per ſupradictũ Vicecãcellariũ,adhibitis ſecum aliis Secretariis præfatis,eodem contextu,prius tamen debitæ fidelitatis ab ipſo recepto juramento,exhiberi debeant,& ſive præſens, ſive abſens fuerit ab eadem Curia, litteræ conficiendæ ſuper ſupplicatione conceſſionis Secretariatus, etiamſi in ea de officio Notariatus prædicto, & ejus habitu, ac inſigniis nulla eſſet habita mentio, nihilominus expediantur tam per Cancellariam Apoſtolicã, quàm per Cameram ſecretam,cum expreſſione conceſſionis d. Notariatus officii,cum habitu,inſignibus,honoribus,& oneribus ejus conſuetis, neque poſſit, aut debeat per noſtrum, aut pro tempore exiſtentem Romanis Pontificis Datarium, ſeu quemcumque alium pro ſignatura hujuſmodi ſupplicationis, licet vim conceſſionis duorũ hujuſmodi officiorum propter præmiſſa habentem, aliquid, ultra id, quod ſuperius expreſſum eſt, omninò exigi,ſed ſicut per cõceſſionem officii Secretariatus veniet pariter conceſſio officii Notariatus præfati,ſic per unicam ſolutionem ſignaturę ſupraſcriptam ſit integrè ſatisfactũ,quaſi de unica conceſſione. Si tamen Secretarius ſic de novo inſtitutus erit abſens, habitus, & inſignia prędicta venienti poſtmodũ ad Curiam,cum prima vice preſentabit ſe d. Collegio,& recipietur in Secretarium, ſupradicta forma ſervata, ſimiliter exhibeantur. Et quia nobis, & pro tempore exiſtenti Romano Pontifici expedit habere,preter prædictos Secretarios,unum alium Secretariũ domeſticũ in Palatio prædicto aſſiduè reſidentem, cui liceat noſtra, & Romanæ Eccleſiæ negocia ſecreta, noſtrum, & ejuſdem Eccleſiæ, aut Orthodoxæ fidei ſtatum concernentia,quandocũque fuerit à nobis juſſus, legitimè expedire, cuique ne de infraſcriptis, aut quibuſvis aliis prædicti Secretariatus officii emolumentis ſe impedire, aut cum eiſdem Secretariis ullam controverſiam habere poſſit, aut debeat, conveniens eſt, ut ex dicti officii Secretariatus emolumentis, pro decenti ejus ſtatus ſuſtentatione, honeſta aliqua portio aſſignetur: Eadem auctoritate ordinamus,quod ad titulum Secretariorum eorumdem,& prædictarum rerum ſecretarum dumtaxat legitimam expeditionem, poſſit per Nos, & pro tempore exiſtentem Romanũ Pontificem unus ex præfatis, vel alius Secretarius,ultrà præfatum numerum deputari,etiamſi, ut preferrtur,qualificatus non exiſteret, qui tamen de officio,& loco præfata, ac portionibus emolumentorum, extra numerũ per eum percipiendis minimè diſponere poſſit,ſed ab illis pro ſolo nutu noſtro,& pro tempore exiſtentis Romani Pontificis amovibilis exiſtat, quoad reliqua verò quamdiù Officiũ exercuerit pari, qua alii Secretarii, favoris, & honoris prerogativa potiatur. Ut autem Secretarii præfati tam antiqui, quàm de novo admiſſi, qui pro nunc triginta numero exiſtentes ſummam ſexagintaduorum millium,& quadringentorum florenorum auri de Camera pro redimendis mitra, & aliis jocalibus præfatis de eorum propriis pecuniis liberaliter, ut prefertur, exſolverunt, & eorum ſucceſſores Secretariatus officium præfatum pro tempore obtinentes, eo diligentius, quæ eorum incumbunt officio,ſtudeant exercere, quo exindè cognoverint eis convenientia emolumenta provenire: In primis, & ante omnia ſupradicto Roderico Epiſcopo Vicecancellario harum ſerie mandamus, ut dudum editam per fel. record. Martinum Papam Quintum prædeceſſorem noſtrũ,& in quinterno Cancellariæ regiſtratam regulam, ſeu declarationem ſuper emolumentis minutarum per Secretarios, qui tunc erant, in Cancellaria prædicta expediendarum recipiendis, teneris ſubſequentis, videlicet (Ad tollendum diſcreptationes, & dubia, quæ ex quadam conceſſione per Nos facta dilectis filiis Secretariis noſtris, ſuper certis emolumentis per eoſdem de nonnullis minutis percipiendis, in quinterno Cancellariæ, de mandato noſtro deſcriptis, quandoque oriuntur, tenore præſentium declaramus,intentionis noſtrę fuiſſe,& eſſe,& ſic præcipimus obſervari, quod dicti Secretarii liberè, & ſine aliqua contradictione emolumenta cõſueta omnũ minutarũ,quę in d. conceſſione deſcripta ſunt, videlicet, Tabellionatus officii, Altarium portatilium, celebrandi in locis interdictis,& ante diẽ, Cõfeſſionalis perpetui, & Indulgẽtiarum in mortis articulo, & in vita, etiamſi ſuper hujuſmodi gratiis facultate aliæ ſint conceſſę,& gratiæ ipſæ formam quinterni excederent,& ſi dictarum gratiarum ſuplicationes regiſtratæ, ac per Vicecancellarium,aut ejus Locumtenentem pro tempore exiſtentem aliquibus Abbreviatoribus diſtributæ,vel in rotulo aliarum ſupplicationum inſertæ eſſent quovis modo: Prætereà minutas recipendi Eccleſiaſtica Sacramenta, & Indulgentiarum quarumcumque Eccleſiis, Monaſteriis, Capellis,& aliis locis piis quomodolibet cõceſſarum, vel concedendarũ,prout reliquę ſuperiùs deſcriptę gratię,ad dictos Secretarios ſimiliter declaramus, & decernimus pertinere, illaſque de cætero per eos, & non per alios mandamus, & volumus expediri. Fiat,& declaramus O.)diligenter examinare, examinatamq; per omnes, & ſingulos, ad quos quomodolibet pertinet in eorumdem Secretariorum favorem,& commodum inviolabiliter faciat obſervari, faciens omnes, & ſingulas minutas prædictas Tabellionatus Officii, Altarium portatilium, Celebrandi in locis interdictis, & ante diem, Confeſſionalis perpetui, Indulgentiarum in mortis articulo,& in vita, Eccleſiaſticorum Sacramentorum, & quarumcumque Indulgentiarum,quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis,Capellis,& aliis piis locis quomodolibet conceſſarum,& imposterum concedendarum,cum inde provenientibus taxis,& emolumentis ad præfatos

ſtatos Sacretarios integrè pervenire,& in eadem Cancellaria per ipſos Secretarios, & non per quemcumque alium, ſub quoties forſan prætextu, examinari,& ſignari,ac præſentari ipſi,& ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Vicecancellario pro tempore,ſive ejus locumtenenti ad expediendum,& mittendum ad Bullariam Apoſtolicam, quavis forſan conſuetudine contraria, quam eiſdem Secretariis quominus totali, & integro effectu,ac pacifica poſſeſſione omnium contentorum in prędicta dicti noſtri Prædeceſſoris conſtitutione,gaudere,& uti poſſint,& valeant,præjudicium aliquod afferre poſſe, ſeu debere non intendimus, nequaquam obſtante. Necnon etiam ultra præfata, Quintam taxam pro expeditione litterarum Apoſtolicarum,quę per eamdem Cameram ſecretam pro tępore expediuntur, retroactis temporibus per ſupradictos Secretarios, ſeu ipſorum, vel alicujus eorum nomine in Bullaria earumdem litterarum,ſive etiam alibi exigi ſolita, & quā nonnumquam Prædeceſſores noſtri,& nos in totum,vel pro parte, in ejuſdem Sedis opportunitatibus convertere ſoliti fuerunt, & fuimus, taxam Secretarii nuncupatam, tam de hactenus expeditis, quæ adhuc non ſunt partibus reſtitutæ, quàm de impoſterum expediendis, eo modo, quo hactenus, per quemcumque expediri,& exigi conſueverūt, ſeu debuerunt,pariter per eoſdem Secretarios perpetuò exigendam aſſignamus. Volentes,& auctoritate præfata ſtatuentes nemini omninò licere per ſe, vel alium,ſeu alios procurare,vel ordinare,aut ſolicitare, quòd aliquę ex hujuſmodi litteris taxatis, & per Cameram eamdem expeditis, partibus tradantur, vel reſtituantur, aut mittantur, priuſquam ſit eidem Collegio Secretariorum,de dicta quinta taxa debitè ſatisfactum: Si quis autem aliter procurare, ordinare, ſolicitare, aut ipſas litteras, ſub quovis prætextu aliter actu tradere, vel tradi facere, ſeu mandare præſumpſerit, excommunicationis latæ ſententiæ, à qua, niſi prius, & ante omnia ſatisfacto eidem Collegio Secretariorum de vera, & integra ſumma taxæ Bullæ ſic procuratæ, ſolicitæ, vel traditæ, vel de ſatisfaciendo efficaci ordinatione præcedente,per quemcunque Confeſſorem, etiam ſub prætextu cujuſvis indulti à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris deſuper emanati, ſeu conceſſi, etiam in mortis articulo, abſolvi non poſſit, necnon privationis omnium, & ſingulorum officiorum per ipſum in Curia noſtra præfata obtentorum pro tempore, ac etiam emolumentorū quorumcumque ei quovis modo, ratione, vel cauſa debitorum tunc, & debendorum in futurum, ratione eorumdem officiorum, quæ obtinebit, & quæ quomodolibet exercebit pœnas latæ ſententiæ reſpectivè, quas eo ipſo, & toties,quoties contrafecerit, incurrat: Teneaturque Venerabilis frater noſter Petrus Epiſcopus Cęſenateñ. præſens, & qui pro tempore fuerit Generalis Curiæ Cauſarum Cameræ noſtræ Apoſtolicę Auditor ad earumdem pœnarum declarationem, & executionem, quandocumque ei de præmiſſis conſtiterit, procedere,& procedi facere cum effectu. Et præterea omnia, & ſingula emolumenta litterarum Apoſtolicarum in forma Brevis, tam ſub certa, quàm ſub plumbo pro quibuſvis perſonis expeditarum jam, & pro tempore expediendarum ſuper quibuſvis etiam Gubernationum, ſeu Rectoriarum,aut Commiſſionum, aut Poteſtariatum, Capitaneatuum,Vicariatuum,Theſaurariarum, Camerariatuum,& Cancellariarum,Provinciarum, Civitatum,Terrarum,& Caſtrorum, ac cuſtodiæ Arcium quarumcumque nobis, & Romanæ Eccleſiæ ſubditarum, & ſubditorum,necnon quarumcumq; aliarum adminiſtrationum,ſeu Commiſſionum,etiam Gabellarum, ſive Proventuum, ad eamdem Romanam Eccleſiam, quomodolibet pertinentium, officiis,ſeu Commiſſionibus, vel locationibus, Quæ officia, ſeu eorum loca, & titulos in quodam quinterno plumbato,& noſtra manu ſubſcripto ſingulariter ſingula deſcribi, & conſiderata quantitate emolumentorum, qui officia ipſa pro tempore exercebunt veriſimiliter proventurorum, ut illi quoque, qui gratuito à nobis commodum percipiunt, in tanta Romanæ Eccleſiæ neceſſitate, portionem aliquam contribuant (etenim omnia meritò noſtra facimus, quia ex nobis omnis eis impartietur auctoritas) in perpetuum ad certam moderatam taxam taxari curavimus, Ad quem quinternum relationem in omnibus infra dicendis haberi volumus, cujus copiam in forma tranſumpti ad ſingulos Legatos, & Gubernatores, ſeu Rectores præfatos mitti, ut per ipſos diligenter omnibus officialibus præfatis,& aliis, quos taxæ, & alia in eodem quinterno deſignata concernunt, intimari, & publicari poſſint, ſicque eorum nemo poſſit allegare illorum ignorantiam, & infraſcriptum tempus unius menſis, ſive triginta dierum exinde legitimum initium habere mereatur, volumus, atque mandamus, ac ad eoſque Secretarios perpetuò ſpectare,& pertinere decernimus. Statuentes, ut tam conceſſionum, quàm reformationum gratiarum ſuper hujuſmodi omnibus,& ſingulis officiis, ſeu aliis commiſſionibus per nos, & ſucceſſores noſtros, qui pro tempore erunt, faciendarum,ad quantūcumque etiam longiſſimi temporis ſpatium, litteræ ſemper expediantur,& expediri debeant,ſingulis ſex menſibus à primarū litterarū expeditione cōputandis, & pro ſingulis litteris hujuſmodi ſingulis vicibus ſolvi debeat eiſdē Secretariis una taxa, prout eſſe reperietur in prædicto quinterno notata: Similiter etiam omnia, & ſingula emolumenta per quarumvis aliarum ſimilium litterarum ſuper quavis alia materia in forma Brevis ſub cera,vel plumbo expediēdarum, quęcumque,quotcumque, & qualiacumque ſint, nullo penitus, ſub quovis colore, aut prætextu, excepto, ſeu reſervato, ſed prout per prædeceſſorum noſtrorum,& noſtrum,ac alios Secretarios prædictos, qui pro tempore fuerunt, hactenus exigi,& percipi conſueverunt, eorumdem Secretariorum commodis,& emolumentis in perpetuum aſſignamus. Et præterea officium viſitandi omnes, & ſingulas Arces S. R. E. & faciendi monſtras, ſive deſcriptiones omnium, & ſingularum gentium armigerarum ejuſdem, tam equeſtrum, quàm pedeſtrum,officium Reviſoris gentium armigerarum,& Arcium nuncupatum, cum ſolitis auctoritate, poteſtate, facultate, adminiſtratione,& exercitio, ac integra perceptione emolumentorum ipſi officio de jure, vel conſuetudine, quovis modo debitorum, & debendorum impoſterum eorumdē Secretariorum Collegio, per unum ex ipſis Secretariis, aut alium idoneum, cui nos, & ſucceſſores noſtri pro tempore illud duxerimus committendum, & cui per eoſdem Secretarios conveniens ſalarium, ſummam centum ducatorum annuatim non excedens, ſolui debeat, laudabiliter exercendū, ſimiliter in perpetuum concedimus, & aſſignamus. Decernentes ad finem,ut Secretarii ipſi ejus vacuam poſſeſſionem nanciſci valeant, officium ipſum ex nunc vacare,& ad eoſdē Secretarios cum plena ipſius adminiſtratione, ut præfertur, pertinere, quavis conceſſione de ipſo per nos cuivis perſonæ facta, etiam poſſeſſione ſubſecuta, non obſtante. Modum verò colligendi omnia emolumenta prædicta eum eſſe permittimus, quem Secretarii ipſi communi voto duxerint ſtatuendum: Collecta autem emolumenta pro tempore inter ipſos Secretarios eo,quo ſequitur modo,dividi,& ſortiri perpetuò debere decernimus. Videlicet, incipiendo ex nunc, & donec erunt Secretarii prædicti numero triginta,dividantur in ęquales partes trigintaduas,quarum unam ipſorum ſinguli, duas verò reliquas Secretarius domeſticus Romani Pontificis ſupra deſcriptus(ut nihil omnino ultra de ſupra denotatis emolumentis attingere præſumat) ſingulis menſibus percipiant: Ubi autem contigerit alicujus, vel aliquorum ex eis decedentis,vel decedentium locum, ſeu loca extingui, & donec totus numerus fuerit reductus ad vigintiquatuor, in tot portiones,quot erunt numero in ipſorum Collegio Secretarii,& duas plures pariformiter reſpectivè ſortiendas dividantur, idemque perpetuò ipſorum in partes vigintiſex ęquales diviſorum cedat ſingulis Secretariis ex Collegio pars una, reliquis duabus ſemper domeſtico Romani Pontificis Secretario, ut à præfatis reliquis omnibus abſtineat, aſſignatis. Et ut hæc noſtra ordinatio emolumentorum præfatis Secretariis, ex cauſa, & titulo ſupra denotato, aſſignatorum, ſuum debitum, & eum, quem intendimus ex nunc ſortiatur effectum,harum ſerie prohibemus poſt lapſum triginta dierum à facienda,ut prædictum eſt, publicatione præfati quinterni,quempiam etiam prætextu quarumvis aliarum litterarum noſtrarum præcedentis datæ, ad aliquem ex officiis ſuperius denotatis recipi, vel admitti, niſi novis poſt eamdem ſupplicationem, per eorumdem Secretariorum miniſterium deſuper expeditis litteris, excōmunicationis ſententiæ ſubjicientes eos omnes, & ſingulos, qui lapſo præfato termino à publicatione præfata,aliquem omninò in Officialem ad quęvis ex ſupra denotatis officiis exercenda admittendo, ſeu admitti procurando, vel mandando, præſumpſerint literis ipſis non parere: Eos verò,qui aliquod ex officiis eiſdem jam actu exercere ſine titulo primæ conceſſionis, ſeu refirmæ, ſi nondum exercuerint dicta officia totis tribus menſibus,mandamus infra idem tempus triginta dierum venire, vel mittere ad impetrandas novas de eiſdem officiis litteras,per præfatos Secretarios expediendas: Et ſi fortè ipſa officia ultra tres mēſes exercuerint, & habeant de ipſis exercendis ultra ſemeſtre conceſſionis litteras decernimus, nihilominus non poſſe hujuſmodi officia ultra finem nunc currentis, & jam dimidiati ſemeſtris, niſi litteris de novo impetratis, & per eoſdem Secre-

cretarios denuò expeditis, exercere: Et ſi tam, qui adhuc intra tempus trium menſium ab initio exercitii eorum officiorum ſunt, infra dictos triginta dies proximè ab hujuſmodi publicatione numerandos, quã qui de cõtinuandis poſt tempus nunc currentis ſemeſtris ipſis officiis, quę jam exercuerunt ultra tres menſes, habent expeditas litteras, non expeditis ante finem ſemeſtris novis per eoſdem Secretarios litteris, exercitia officiorum eorundem continuare præſumpſerint, ſint eo ipſo ab officiis hujuſmodi amoti, & quæcumque exinde, eorundem officiorũ prætextu, geſſerint, ſint irrita, & invalida, ac nullius efficaciæ: & nihilominus tam ipſi, quàm qui ipſos ſcienter tolerare, & pro officialibus habere exinde præſumpſerint, eo ipſo pari excommunicationis ſententia innodati exiſtant: Pari modo volentes, ut quicumque officia etiam per Provinciarũ, Civitatum, & Terrarum earumdem Legatos, ſeu Gubernatores pro tempore exiſtentes, conferri, & committi tam jure ordinario, quàm vigore quarumcumque facultatum ſolida, obtinent, ſive expectant, aut obtinebunt, ſive expectabunt in futurũ, ſi officia ipſa ſunt in præfato quinterno deſcripta, teneantur, & debeant ſub ſimilibus pœnis, infra eorumdem triginta dierum ſpatium, ex nunc, & ſucceſſivè in perpetuum, priuſquam officia ipſa incipiant exercere, & poſtquam inceperint, venire, vel mittere ſingulis ſex menſibus ad nos pro confirmatione conceſſionum per eoſdem Legatos, vel Gubernatores de hujuſmodi officiis factarum, taxas eaſdem ſingulis vicibus ſoluturi: Et nihilominus tam Legati, ſeu Gubernatores, & Rectores præfati, eoſdem omnes, & ſingulos taxatos Officiales, ad ſimplicem ipſorum Secretariorum, ſeu eorum nuntii requiſitionem, ad ſolutionem hujuſmodi taxæ, ſingulis ſex menſibus præfatis faciendam, cum effectu abſque ulla tela judiciaria compellere, quàm Theſaurarii, ſeu Camerarii, vel depoſitarii locorum, in quibus officia ipſa forſan fuerint, aut ex quorum manibus hujuſmodi officiales ſalaria, ſeu ſtipendia recipient, etiam ſi fuerint à Communitatibus locorum deputati, quotieſcumque fuerint pro parte eorundem Secretariorũ ſimpliciter requiſiti, ſub ſimilis excommunicationis pœna teneantur retinere ex hujuſmodi officialium ſalariis per ipſos ſolvendis, & Secretariis eiſdem, ſeu eorum nuntiis ſolvere tantum, quantum intelligent eiſdem Secretariis deberi pro taxa hujuſmodi officiorum in præfato quinterno deſcripta. Cæterum quoniam iidem Secretarii ſuper quantitate proventuũ taxæ ſupradictorum officiorum in præfato quinterno deſcriptorum, & taxatorum, & generaliter ſuper præfatis omnibus eorum officio per nos aſſignatis emolumentis, bona fide crediderunt ſimplici verbo noſtro, & propterea dictam pecuniæ ſummam ad relevandum ſupradictas neceſſitates noſtras contribuere non recuſarunt; Nos dignum reputantes, ut ipſorum indemnitati conſulamus, de ſimili Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, ac plenitudine poteſtatis earumdem præſentiũ tenore decernimus, & declaramus, in eventum, quod pro aliquo ex officiis in præfato quinterno deſcriptis, ſive ex eo quod officia ipſa non extarent, vel ſatisfacerent, aut non ſufficerent ad ſolutionem taxæ in toto, vel in parte, ſive quia per nos, vel noſtros ſucceſſores præfatos concederentur alicui ex Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, vel etiam noſtris, aut eorum conſanguineis, ſeu aliàs ita caris, ut taxæ prędictæ ab illis commodè ſine ſtrepitu non decenti exigi per eoſdem Secretarios non poſſent, ſic quod ex præfatis officiis omnibus jam ut prædictum eſt, taxatis in quinterno præfato, non exigeretur, ſingulis annis, ad minus ſumma octo millium ducatorum auri, aut alias ex facto noſtro, vel Romani Pontificis pro tempore exiſtentis ex reliquis omnibus emolumentis ipſis Secretariis ex præſentium literarum tenore aſſignatis, in toto, vel in parte aliquid dicto ipſorum officio ſubtraheretur, vel minueretur, aut officium ipſum revocaretur, ſeu mutato modo, & ordine, per nos in præſentibus litteris dato, & inſtituto alteraretur, ita quod non haberet in perpetuum cum omnibus ſupradictis emolumentis in integrum per modum, & ordinem ſupra expreſſum exerceri, regi, & gubernari: Nos & eumdem ſucceſſorem, & Cameram Apoſtolicam bona fide teneri, & obbligatam eſſe, ſi erit facta ſimplex emolumentorum diminutio, ad ſolvendum, & ſatisfaciendum ipſis de omni ſumma, quam propterea ipſos ex hujuſmodi cauſis, vel aliàs quovis modo amiſiſſe, ſeu in poſterum amiſuros eſſe, medio ipſorum juramento, cui in eo caſu ſtari, & credi debeat, conſtabit: Si verò erit facta officii revocatio, aut alteratio, ut præmittitur, ad reſtituendum eis ſupradictam integram ſummam ſexaginta duorum milliũ, & quadringentorum ducatorum auri de Camera, per ipſos, ut præmiſſum eſt, ſolutorum, & numeratorum, in quibus nullo modo, & nulla ratione, vel cauſa computari poſſint, aut debeant in toto, vel aliqua parte, emolumenta ipſius officii, quæ fortè interim ipſos percepiſſe appareret, quæ ipſos, & eorum quemlibet juſto, & legitimo titulo ſibi interim acquirere, & ſua facere, eadem auctoritate, & poteſtatis plenitudine decernimus, & declaramus: Sic enim cum ipſis Secretariis nos in tractatu omnium præmiſſorum conveniſſe, & ſic pacto expreſſo eis pro ſeipſis, & eorum ſucceſſoribus, cum ſimili Fatrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, fuiſſe ſolemniter pollicitos, in fide Pontificis recognoſcimus, & atteſtamur. Volentes propterea, & earumdem præſentium tenore mandantes dilecto filio noſtro Raphaeli, ſancti Georgii, ad Velum aureum Diacono Cardinali, Camerario noſtro, & ejus ſucceſſori pro tempore, necnon Præſidentibus, & Clericis d. Cameræ Apoſtolicæ, & omnibus aliis, ad quos quomodolibet ſpectabit pro tempore, ut hujuſmodi per nos factam obligationem recognoſcentes, & ſequentes, faciant eiſdem Secretariis ſuper præmiſſis, & eorum plena, & inviolabili in perpetuum obſervatione, inſtrumentum obligationis bonorum ejuſdem Romanæ Eccleſiæ, & Cameræ Apoſtolicæ quorumcumque, ad omnem ipſorum requiſitionem, & in eventũ prefatum, abſque aliqua alterius declarationis, ſeu mandati expectatione, debitam, & integram faciant ſatisfactionem. Decernentes ex nunc quicquid per Camerarium, & alios præfatos ſic actum, & geſtum fuerit, perpetuò ratum, & firmum eſſe debere, præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac regulis Cancellariæ Apoſtolicæ ſuper reſignationibus officiorum infra viginti dies ante obitum factis, etiam ſi de eis, eorumque totis tenoribus plena, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, aut alias earum derogationem importantes clauſulas, mentio habenda eſſet, cæteriſque quæ præſentium tenori in totum, vel in partem obviare, ſeu quominus ſuum totum ſortiri poſſint effectum, cõtradicere, aut morari poſſint, contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Nomina verò omnium ſupradictorum viginti quatuor Secretariorũ ſic, ut præmittitur, de novo aſſumptorũ, iſta ſunt. Venerabiles fratres Joannes Venerius Raguſin. Benedictus Superantius Nicoſien. Laurentius Cibo Beneventan. Archiepiſcopi. Chriſtophorus Cortonen. Joannes de Viterbio Crotonien. Thomas Jacobi Dolen. Franciſcus Soderinus Vulteran. Jacobus Paſſarella Imolen. Hieronymus de Comite Maſſan. Malicia de Giſvaldo Rapollan. Epiſcopi. Necnon dilecti filii Joannes Alimentus de Nigris, Ludovicus de Agnellis, Leonellus de Trotis, Falco de Sinibaldis, Jacobus Cajetanus, Julianus de Cæſarinis, Sinolfus Otherius de Comitibus Montorii, Pauluspetrus de Farneſio, Henricus Brunus, Baptiſta de Gavionibus, Jacobus Picherier, Joannes Gerona, Hieronymus Balbanus, Petrus Altiſſerrus, noſtri, & Apoſtolicæ ſedis Notarii. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, aſſumptionis, conſtitutionis, ordinationis, aſſignationis, incluſionis, conceſſionis, ordinationis, mandati, declarationis, præcepti, decreti, prohibitionis, recognitionis, atteſtationis, & voluntatis infringere, vel ei auſum temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadrigenteſimo octuageſimo ſeptimo, Pridie kal. Ianuarii, Pontificatus noſtri Anno IV.

NUM. II.

MOTUS PROPRIUS B. PII QUNTI.

Continens ſuppreſſionem quinti ex ſex locis ſupprimendis, necnon confirmationem privilegiorum ampliſſimam.

PIUS PAPA V.

MOtu proprio, &c. Cum nos nuper poſtquam olim fel. rec. Innocentius Papa VIII. prædeceſſor noſter, videns Cameram ſuam Apoſtolicam ærariumque Pontificium ingenti vi æris alieni conflata, variis creditoribus eſſe obſtrictum, dum expenſarum onera, quæ eamdem Cameram ad impe-

impetum armorum, ac bellum ſuſtinendum, tunc per nonnullos impios Alma Urbe armis obſeſſa, ſubire neceſſe fuit, ac unde, ære alieno contracto, eamdem Cameram liberaret, non haberet conſilio capto, & re maturè diſcuſſa, & pluriũ in ea re peritarum perſonarũ, ſententiis cognitis, ad officium dilectorum filiorum Secretariorũ, qui Romanę Curię magno decori, ornamento exiſtebant, quorum numerus aliàs per piæ mem. Calixtum III. & Pium II. etiam prædeceſſores noſtros, ad ſex Secretariorum reductus fuerat, direxerat oculos ſuæ mentis, exiſtimans, quo ſi ultra dictos ſex, decem, & octo Prælati, ac in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ perſonæ in eumdem Secretariorum numerum aſſumerentur, omneſque inſimul prędictis neceſſitatibus, de eorum facultatibus, pro ejuſdem Cameræ ſubventione, in unum conferrent, eiſdem tamen perſonis pro ſubventione hujuſmodi, congruis emolumentis, ex quibus dignitates, juxta eorum ſtatus exigentiam tueri poſſent, aſſignatis, præſenti remedio, tum Cameræ prædictæ urgenti neceſſitati occurſum, tum celeri litterarum Apoſtolicarum expeditioni, per augmentum perſonarum, quæ expeditioni earumdem operam navarent, conſultum foret; De Venerabilium Fratrum ſuorum, tunc S. R. E. Cardinalium, unanimi conſilio, & aſſenſu, numerum Secretariorum hujuſmodi ſex, ac numerum triginta, ad vigintiquatuor poſtmodum reducendum, adauxit, ſub conditione, quod præfatus numerus Secretariorum ad vigintiquatuor reduceretur, cùm primũ ſex loca in dictis prædeceſſoris litteris nominatim, & ſpecificè deſignata, per deceſſum alicujus ex eis dicta loca obtinẽtibus, vacare contingeret, itaut nullus per eumdem Innocentium prædeceſſorem, & pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem, ſurrogari in locum decedentis poſſet, quacumque ratione, vel cauſa, ſed illius ex ſex hujuſmodi decedentis pro tempore locus, & portio emolumentorum, cenſerentur, & eſſent eo ipſo penitus ſuppreſſi, & extincti, ita ut reliqui Secretarii, in locum ejus, qui ex ſex decederet, aliquem in Secretarium recipere, vel quarumcumque litterarum Apoſtolicarum prætextu, etiam, in quibus præfixo, & ſtaturo numero hujuſmodi ſpecificè, nominatim, & expreſsè derogaretur, nec proceſſuum deſuper habitorum, cenſuras, & pœnas, qualcumque in ſe continentium vigore, quoquomodo, donec ad prædictum numerum vigintiquatuor dumtaxat, deventum eſſet, admittere minimè tenerentur, ſicque inter prædictum Innocentium prædeceſſorem, & Secretarios, in conſtitutione officii hujuſmodi expreſsè, in ſe, ſub Pontificia fide, & ſucceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum receperat, Et deinde recol. mem. Alexander etiam Papa VI. ſimiliter prædeceſſor noſter, ſtatuta, decreta, & indulta omnia, præſertim circa Secretariorum numerum per Innocentium VIII. prædictum, facta, conceſſa, illibata conſervari ſtudens, locum, & portionem Gaſparis Blondi, qui unus ex ſex Secretariis erat, per ejuſdem Gaſparis deceſſum vacantem, ut prędfertur, ſuppreſſam, & dicto Collegio Secretariorum applicatam, eidem Collegio dimiſerat, nullam, & irritam per ſe de dicto loco factam diſpoſitionem declarans, reliquorum locorum, extinctionem, & applicationem præfatas per dictum Innocentiũ prædeceſſorem factas approbans, & confirmans, & ſucceſſivè ſimilis mem. Julius II. & Leo X. ſimiliter prędeceſſores noſtri, omnia geſta per Innocentium prædeceſſorem ſuum pariter approbantes, & confirmantes, quoniam ita Innocentius prædeceſſor præfatus promiſerat, contra extinctionem dictorum ſex locorum, ſeu officiorum ante vacationem, vel poſt deceſſum eorum, qui pro tempore illa obtinerent, minimè diſpoſiturum, aut loca præfata reſervaturum, aut privilegia dictorum Secretariorum ſuſpenſurum, aut eis derogaturum non eſſe, eadem fide ſucceſſores teneri declarando, pollicitus fuerat, & promiſerat, Ac poſtmodum ejuſdem recordationis Leo Papa X. pariter prædeceſſor noſter ſtatuerat, & ordinaverat; quod ſi de dictis locis per ipſum, aut ſucceſſores ſuos diſponi contingeret, aut reductionem numeri ad vigintiquatuor prædictam infringi, Secretarios ſimiliter ad litteris Apoſtolicis hujuſmodi deſuper confectis parendum, etiam quaſcumque cenſuras, & pœnas in ſe continentibus minimè teneri, nec ad id à quoquam cogi, ſed eiſdem ſe opponere, & impedire, ac quo minus exequerentur, firmiter reſiſtere poſſe, prout latius in diverſis prædeceſſorum eorumdem litteris, tã ſub plumbo, quàm in forma Brevis deſuper confectis, quarum tenores cùm de illis, & earum qualibet certam, verã, ac ſpecificam notitiam habeamus, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſertæ forent, pro ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi voluimus, latius, & plenius continetur, Officiũ Secretariatus, quod quondam Marcellus Auguſtinus, dum viveret, obtinebat, per obitum ejuſdem Marcelli extra Romanam Curiam de menſe Aprilis 1570. ſeu veriori, defuncti vacans, credentes illius venditionem, ac diſpoſitionem ad Nos legitimè ſpectare, & pertinere dilecto filio noſtro Ferdinando tituli S. Mariæ in Dominica Diacono Cardinali de Medices nuncupato, tanquam unum ex vigintiquatuor officiis Secretariatus, ſoluta nobis in Sedis Apoſtolicæ ſubventionem, pro ingentibus, quas omnes norunt, quibus premimur, & urgemur neceſſitatibus, ſumma quinque millium, & quingentorum ſcutorum auri in auro, contulimus, conceſſimus, & aſſignavimus, & deinde cum de officio Summatoris, eidem Ferdinando Cardinali deinceps proviſum fuiſſet, ac juriſdictionibus, & privilegiis, eodem Summatoris officio aucto, officia quæcumque, quotcumque, & qualiacumque ad noſtram, & Romanis Pontificis diſpoſitionem pertinenria, pretio concedi ſolita, uſque ad ſummam ſeptuaginta millium ſcutorum auri in auro, inter quæ dictum officium, ac locus, & portio, quod idem Marcellus obtinebat, erat, univimus, anneximus, & incorporavimus, prout in noſtris ſuper unione, annexione, & incorporatione hujuſmodi confectis litteris plenius continetur, Ac poſtmodũ (facti veritate comperta) nobis innotuerit, quatuor loca, & portiones ex ſex, ut præfertur, ſuppreſſis per deceſſum illorum, qui illa obtinebant, tractu temporis vacaviſſe, & juxta Innocentii, & prædeceſſorum præfatorum diſpoſitionem, Collegio, & Secretariis præfatis unita, & incorporata fuiſſe, & officium præfatum unum eſſe ex reliquis duobus, quæ prędfatus Innocentius prędeceſſor ſuppreſſerat, & extinxerat, ac præfato Collegio, cùm per deceſſum illud obtinentis vacaret, incorporari debere decreverat, reliquum verò, quod dilectus filius Cæſar Glorierius, etiam Secretarius domeſticus noſter obtinet, eſſe: Nos qui in Terris ejus locum tenemus, qui juſtus eſt Dominus, ac propterea jus ſuum unicuique illæſum ſervari volentes, ac de pleno, & perſpicuo jure, quod dicti Secretarii in hujuſmodi loco, & portione ſuppreſſa, & per dicti Marcelli obitum, Collegio eo ipſo applicata habent, ad plenum certiores facti, & informati, ac prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, privilegiaque, & indulta, præſertim numerum præfatum concernentia, eiſdem Secretariis conceſſa, illæſa conſervare ſtudentes, motu ſimili, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, locum dicti Marcelli, qui unus ex ſex Secretariis erat, & ſuperiori anno obiit, ſuppreſſum, & extinctum eſſe declaramus, ac diſpoſitionem de dicto loco eidem Ferdinando Cardinali ac unionem, & annexionem, & incorporationem officio Summatoris præfato factam, nullam, irritam, & contra dictorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum intentionem, & indulta, inanem, viribuſque penitus carere decernimus, illaſque quo ad officium hujuſmodi, penitus revocamus. Inſuper autem, quoniam Secretarii præfati cognoſcentes nobis per quàm incommodum foret hoc tempore, quod graviſſimis urgemur neceſſitatibus, & undique pecunias ad bellum contra Turcas ineundum, & claſſem triremium inſtruendam, quærere & aggregare ſolicitè curamus, dicta quinque millia, & quingenta ſcuta, à præfato Ferdinando Cardinali recepta, reſtituere, volenteſque rem gratam facere, noſtriſque, & Apoſtolicæ Sedis præfatæ neceſſitatibus ſubvenire, dictam ſummam quinque millium, & quingentorum ſcutorum auri in auro eidem Ferdinãdo Cardinali, noſtro nomine, pro nobis reſtitutos ſe obtulerunt: Nos è contra promptam eorumdem Secretariorum, ac præfati Collegii in neceſſitatibus noſtris ſublevandis voluntatem agnoſcentes, eamque gratam, ut par eſt, habentes, meritoque in Domino commendantes, ac eorumdem Secretariorum, & eorum Collegii indemnitati conſulere volentes, eiſdem Secretariis, & eorum Collegio pretium officii alterius Secretariatus, ex numero vigintiquatuor, primo loco per deceſſum, aut quamlibet aliam amiſſionem, vel dimiſſionem illud obtinentis, præterquàm per ejuſdem officii reſignationem, ſeu ceſſionem vacaturi, aut quod vacare contigerit, in ſolutum pro dictis quinque millibus, & quingentis ſcutis aſſignamus, illiſque, ut dictum officium de numero viginti quatuor vacaturum, abſque alia noſtra, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis licentia, pro pretio tunc temporis reperibili, & congruo, etiamſi dictam ſummam quinque millium, & quingentorum ſcutorum pretium, ex dicta venditione percipiendum, in parva, vel etiam magna ſumma excederet, vendere, vel alienare, illiuqſue pretium in uſus, & utilitatem Secretariorum, & eorumdem Collegii convertere, liberè, & licitè poſſint, & valeant, licentiam, & facultatem concedimus, & indulgemus, ac eis impartimur, decernentes eos deſuper à quoquam ſuper dicti officii venditione, & pretii ex venditione percipiendi, converſione hujuſmodi moleſtari, inquietari, ſeu per-

perturbari non poſſe, nec debere, aut dictos Secretarios, vel eorum Collegium ad receptionem, ſeu admiſſionem alterius perſonæ in locum defuncti, aut amittentis, ſeu alterius, quàm illius, cui dictum Collegium, pro pretio in ſuam utilitatē convertendo, conceſſerit, nec quoad admiſſionem alterius perſonæ, quàm quæ à dictis Secretariis, ſeu eorum Collegio in dicti decedentis, ſeu amittentis locum ſurrogata erit, nec ad litteris Apoſtolicis, quaſvis clauſulas irritantes, & aliàs etiam fortiores in ſe continentibus, contrarium forſan diſponentibus, parendum teneri, aut obligatos exiſtere, & ob non paritionem hujuſmodi, ſententias, & cenſuras Eccleſiaſticas, & pœnas in eis contentas incurrere, ſed eiſdem litteris, abſque dictarum pœnarum, & cenſurarum incurſu, apertè ſe opponere, & eiſdem reſiſtere poſſe, quoniam expreſsè ita eis auctoritatem, & poteſtatem concedimus per præſentes: Ac volentes eum, cui Secretarii, & Secretariorum Collegium prædictum dictū officium vendiderit, vigore præſentium, ex tunc cenſeri in numerum Secretariorum relatum, ac eorumdem conſortio aggregatum: Et ſi nihilominus is, cui officium ipſum per eoſdē Secretarios, & eorum Collegium venditum fuerit, novā conceſſionem à Nobis, aut Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus noſtra, aut illorum manu ſignatam habere voluerit, illam ſibi omninò dari, & ſignari debere: Quod ſi contigerit, dilectum filium Datariū noſtrum, ſeu pro tempore exiſtētem, ſupplicationis ſignaturam manu noſtra, vel Romani Pōtificis tunc exiſtentis faciendam, & in ſimilibus concedi ſolitā aliis Officialibus hujuſmodi officia ementibus, differre, aut denegare, tunc Litteras Apoſtolicas proviſionis, & conceſſionis dicti Secretariatus præſentium vigore pro eo, cui Collegium præfatum, officium aſſignaverit, poſſe confici, quæ quæ nulla alia à nobis, ſeu à Romano Pontifice pro tempore exiſtentibus expectata juſſione, in forma ſolita in totum expediri, ac ſi deſuper ſupplicatio manu noſtra, vel ejuſdē Romani Pontificis, pro tempore exiſtentis, ſignata eſſet, ſeu ipſi Secretariis, per eorum patentes litteras dictum officium concedere valeant, ut præfertur, cum ſola ſubſcriptione pro tempore exiſtentium ejuſdem Collegii Defenſorum, ſub data per ipſos Secretarios, & Collegium eligēda, ſtatuimus per præſentes: Mandantes dilectis filiis pro tempore exiſtentibus S.R.E. Vicecancellario, & ejus in Cancellaria Apoſtolica Locumtenenti, necnon litterarum Apoſtolicarum majoris præſidentiæ Abbreviatoribus, Reſcribendario, Computatori, Scriptoribus litterarum Apoſtolicarum, minoris præſidentiæ Abbreviatoribus, ac Sollicitatoribus, aliiſque Cancellariæ præfatæ, ac etiā Cameræ Apoſtolicæ Officialibus, necnon Summatori, & quibuſvis aliis, ad quos tam in Cancellaria, quàm Camera hujuſmodi litterarum expeditio, quomodolibet ſpectat, & pertinet, dicti officii conceſſionis, & aſſignationis litteras, ut moris eſt, pro eo, cui Secretarii, & Collegium præfatum vendiderint, vigore præſentium, abſque ſupplicatione (ſtylo, & modo expediendi, juxta formam, & ſupplicationis tenorem ſervari ſolito, poſtpoſito) vigore præſentium, ut præfertur, confici, & expediri faciant, realiter, & cum effectu: Promittentes, & expreſsè declarantes in fide Romani Pontificis, qua etiam ſucceſſores noſtri ſe obſtrictos noverint, nunquam conceſſioni, & aſſignationi per Secretarios, & Collegium præfatum faciēdæ, nos oppoſituros, aut illi contraventuros: Fatemur enim, & ita atteſtamur, ſummam quinque millium ſcutorum auri recepiſſe mutuo, & gratiosè à dictis Secretariis, & Collegio, quos modo præfato præmiſſo, eiſdem Collegio reſtituere promittimus, quam noſtram promiſſionem vim contractus, ſolemni ſtipulatione vallati, habere, etiam decernimus: Et ſi dictum Collegium ſuper præmiſſis, aut eorum aliquo turbabitur quoquo modo, aut præmiſſa in toto, vel in parte conſequi nō potuerit, tunc, & eo caſu Cameram præfatam ad ſolvendum cum effectu dictam ſummam quinque milliū quingentorum ſcutorum, unà cum damnis, & intereſſe paſſis teneri, & ad id eamdem Cameram, & omnia illius bona efficaciter obligata, & hypothecata eſſe, etiam volumus, ac ſtatuimus, Decernentes ita inter Nos, & dictum Collegium conventum eſſe, præſenteſque vim iniri, & ſtipulari contractus inter Nos, & Sedem præfatam ex una, ac dictū Collegium partibus ex altera, cui tam per Nos, quàm Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, & Cameram præfatam inviolabiliter ſtari debeat, nec ullo unquam tempore, etiam forſan ex eo, quod intereſſe habentes, aut perſonæ pro Cameræ Apoſtolicæ præfatæ negotiis gerendis deputatæ, ſine quorū interventu Camera ipſa ad aliquid præſtandum obligari non poſſit, vacatæ non fuerint, notari, impugnari, invalidari, vel in jus, aut controverſiam vocari, aut ad viam juris reduci, niſi prius reſtitutis eiſdem Secretariis, & Collegio per Cameram præfatam realiter, & cum effectu præfatis pecuniis: Et ad cauſam, vel cauſas, quare præmiſſa à nobis emanaverint, verificandam, vel verificandas, nullatenus dictos Secretarios teneri, nec ob id viribus præſentes carere, minuſque ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus cōprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum, etiam ſub data per ipſos Secretarios, & Collegiū eligenda reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas cenſeri: Prætereà iiſdem Secretariis, ut cōmodius pecunias dicto Ferdinando Cardinali pro Nobis, & nomine noſtro reſtituendas, ſeu erogandas reperire valeant, ſummam præfatam quinque millium quingentorum ſcutorum auri in auro ad cenſum, ſeu alia (licita tamen) ratione, accipiendi, fructuſq; ac proventus totius maſſæ Collegii Secretariorum, pro redditibus annuis, ſeu intereſſe dictorum quinque millium quingentorum ſcutorum obligandi, ac cenſum ſuper totius Collegii maſſa, ſeu groſſa nuncupata conſtituendi, ad rationem pretii reperibilis, & inter partes, & ipſum Collegium conveniendi, licentiam, & facultatem concedimus. Ad hæc dictos Secretarios, & Collegium ampliorīs favoris gratia proſequi volentes, utque ea, quæ per eumdem Innocentium VIII. ac Alexandrū VI. Leonem X. Clementem VII. ac alios forſan Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros eiſdem Secretariis, & Collegio conceſſa fuerunt, eo firmius ſubſiſtant, quo ſæpius fuerint Apoſtolica auctoritate munita, idcircò ſingulas eorūdem prædeceſſorū litteras, omniaque, & ſingula privilegia, facultates, indulta, gratias, libertates, immunitates, exemptiones, antelationes, honores, quatenus Tridentini Concilii decretis non adverſentur, etiamſi illa in uſu non ſint, ac forſan per Nos, aut Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros revocata fuerint, necnon ſalaria, & emolumenta, & alia quæcumque eiſdem Secretariis per dictos prædeceſſores conceſſa, & aſſignata, pari motu, eiſdem auctoritate, poteſtate, & tenore perpetuò confirmamus, & approbamus, necnon illis omnibus, quæ hic pro expreſſis, & inſertis habeantur, perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac defectus etiam, ſi qui fuerint, aut intervenerint in eiſdem, ſive ex jure, ſive ex facto proceſſerint, in eiſdem pariter ſupplentes, & pro cautela potiori, eadem privilegia, facultates, indulta, gratias, libertates, immunitates, exemptiones, antelationes, honores, ſalaria, & emolumenta, iiſdem modo, & forma, quibus per dictos prædeceſſores conceſſa fuerunt, iiſdem Secretariis, & Collegio eorum, de novo concedimus, & aſſignamus. Volentes, & ſtatuentes illa nullo unquam tempore per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes revocari, reduci, alterari, aut moderari, *ſeu Collegium ipſum ſupprimi, vel extingui non poſſe, niſi reſtitutis prius realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis tunc viventibus integrè, & abſque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe, conſtiterit*, ſicque noſtræ incommutabilis voluntatis fuiſſe, & eſſe, præſenteſque, ac deſuper forſan conficiendas litteras, & in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intētionis noſtræ defectu, vel per fraudē extortas fuiſſe, notari, redargui, vel impugnari poſſe, ac ita per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, etiam S.R.E. Cardinales interpretari, judicari, & diffiniri debere, ſublata &c. irritum &c. decernimus. Poſtremò volumus, atque mandamus, ut cum primum dictum Collegium pretiū officii Secretariatus vacaturi præfati, realiter aſſecutum fuerit, cenſum imponendum ſuper frūctibus, redditibus, & proventibus maſſæ ipſius Collegii extinguere, & annullare, ac ceſſare omninò teneatur, Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Pauli II. & Pauli IV. de rebus Eccleſiæ non alienandis, & alienatis recuperandis, nec non noſtra ſuper conſtituendis cēſibus &c. quatenus opus ſit, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Secretariorum fundatione, & inſtitutione, etiamſi in ea caveatur expreſsè, quod vigintiquatuor dictorum Secretariorū occurrente obitu, & eorumdem officiorum per quamlibet aliam dimiſſionem, vacatione occurrente, omnimoda diſpoſitio ad Romanum Pontificem, pro tēpore exiſtentem, pertineret, & non niſi per eum, non autem per alios inferiores de eiſdem diſponi, ex quacumque cauſa, colore, vel prætextu poſſet, nec deberet, necnon noſtra, quatenus opus ſit, de non percipiendis, ſeu non obligandis, aut aliàs pignorandis fructibus Romanæ Curię in Cancellaria Apoſtolica, ac aliis reſpectivè regulis editis, & edēdis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam in forma ſimilis motus proprii, ac de ſimili Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, contra præfatorum prædeceſſorum litterarum tenorem, etiam in favorem quorumcumque, etiam Cardinalium, & Legatorum

de

de latere, ac aliorũm Collegiorum quorumcumque, ac aliarum perſonarum, etiam per modum pacti, ſeu contractus, etiam hactenus quomodolibet conceſſis, & in poſterum concedendis, quibus omnibus tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè in omnibus, & per omnia, quatenus gratiæ, & conceſſioni noſtrę hujuſmodi adverſentur, vel repugnent, latiſſimè derogamus, & adverſus præmiſſa nullatenus ſuffragari poſſe, conſtituimus, necnon omnibus, & ſingulis aliis, quæ ſinguli præcedeſſores præfati in eorũ litteris voluerunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque, cum clauſulis opportunis, & conſuetis.

Fiat Motu proprio M.

Et cum abſolutione à cenſuris ad effectum &c. & quod litterarum dictorum prædeceſſorum, necnon noſtrarum ſuper unione, & conceſſione officii præfati q. Marcelli tenores, de verbo ad verbum, ſi videbitur, inſeri poſſint, & de declaratione, ſtatuto, ordinatione, indulto, mandato, decreto, derogatione, aliiſque præmiſſis perpetuò, & in forma gratioſa, ac etiam cum caſſatione, annullatione, extinctione, & irritatione unionis dicti Officii Marcelli, officio Summatoris hujuſmodi, ac litterarum deſuper confectarum, & inde ſecutorum quorumcumque, cum decreto, quod ita per quoſcumque Judices, &c. etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R.E. Cardinales judicari, &c. debeat, ſublata, &c. irritũ quoque &c. & cum opportuna, ſi videbitur, Judicum, & executorum deputatione, qui in præmiſſis aſſiſtant &c. & præmiſſa omnia obſervari faciant ſub ſententiis, &c. cum poteſtate aggravandi, &c. invocato, &c. cum derogatione Bonifacii, de una, & duabus dietis latiſſimè extendenda, & quod præmiſſorum omnium, & ſingulorum major, & verior ſpecificatio, & expreſſio fieri poſſit in litteris, per Breve noſtrum ſimul, vel ſeparatim, etiam in uno, vel una, non facta mentione de alio, vel aliis, quarum tranſumptis, manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo Collegii Secretariorum obſignatis, eadem plena fides adhibeatur in judicio, & extra ac ipſis originalibus litteris, ſi eſſent exhibitæ, & oſtenſæ, aut aliàs, uti videbitur, expediendum. Et quòd præſentis motus proprii ſola ſignatura ſufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extrà, regula contraria non obſtante.

FIAT M.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Pridie Nonas Maii, Anno ſexto.

NUM. III.

BREVE B. PII QUINTI.

Sumptum ex proximè impreſſo Motu proprio, ſuper ſuppreſſione Officii Marcelli Auguſtini, & illam concernentibus.

PIUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

DEcens eſſe cenſemus, ut Romanus Pontifex juſtitiæ, & æquitatis præcipuus auctor, eos, qui erga ſe in ſuis neceſſitatibus liberales agnoſcit, ſpecialis gratiæ prærogativa proſequatur. Sanè cum aliàs nos officium Secretariatus, quod quondam Marcellus Auguſtinus, dum viveret, obtinebat, per obitum ejuſdem Marcelli extra Romanam Curiam de menſe Aprilis, anni Domini, Milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi, ſeu alio veriori tempore defuncti, vacans, credentes illius diſpoſitionem, ſeu venditionem ad nos legitimè ſpectare, & pertinere, dilecto filio noſtro Ferdinando, Sanctæ Mariæ in Dominica Diacono Cardinali de Medicis nuncupato, ſoluta nobis, in Sedis Apoſtolicæ ſubventionem, ſumma quinque millium, & quingentorum ſcutorum auri in auro, conceſſerimus, & aſſignaverimus, illudque deinde officio Summatoris, quod eidem Ferdinando Cardinali conceſſimus, ſub certis modo, & forma univerimus, prout in noſtris ſuperinde confectis litteris plenius continetur: Ac poſtmodum facti veritate comperta, nobis innotuerit, quatuor loco, & portiones ex ſex, aliàs per fel. rec. Innocentium VIII. & forſan alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, per deceſſum illorum, qui illa obtinebant, tractu temporis vacaviſſe, & juxta Innocentii, & dictorum prædeceſſorum diſpoſitionem, dilectis filiis Collegio Secretariorum noſtrorũ unita, & incorporata fuiſſe, ac officium præfatum unum eſſe ex reliquis duobus, quæ præfatus Innocentius prædeceſſor ſuppreſſerat, & extinxerat, & Collegio, ac Secretariis præfatis uniri, & incorporari debere decreverat, volentes jus ſuum unicuique tribui, privilegiaque, & indulta eiſdem Secretariis, præſertim eorum numerum concernentia, illæſa conſervari, locum, ſeu officium dicti Marcelli ſuppreſſum, & extinctum eſſe, conceſſionemque, ſeu diſpoſitionem de illo, præfato Ferdinando Cardinali, unionemque, annexionem, & incorporationem præfato officio Summatoris factam, litteraſque deſuper expeditas, nullas, irritas, & contra præfatorum Romanorum Pontificũ prædeceſſorum noſtrorum intentionem, & indulta, inanes, viribuſque carere decreverimus, illaſque, & quæcumque inde ſequuta revocaverimus, Secretariis verò præfati cognoſcentes, quàm nobis foret incommodum hoc tẽpore, quo graviſſimis urgemur neceſſitatibus, & undique pecunias ad bellum contra Turcas ineundum, & claſſem triremium inſtruendam, quærere, & aggregare ſolicitè curamus, dicta quinque millia, & quingenta ſcuta, quæ à præfato Ferdinando Cardinale receperamus, illi reſtituere, volenteſque nobis rem gratam facere, noſtriſque, & Sedis prædictæ neceſſitatibus ſubvenire, dictam ſummam quinque millium, & quingentorum ſcutorum auri in auro, eidem Ferdinando Cardinali, noſtro nomine, & pro nobis reſtituturos ſe obtulerint, noſq; prõptã eorumdem Secretariorũ, ac præfati Collegii, in neceſſitatibus noſtris ſublevandis, voluntatem agnoſcentes, eamque gratam habentes, meritòque in Domino cõmendantes, ac Secretariorũ, Collegiiſq; hujuſmodi indemnitati conſulere volentes, eiſdem Secretariis, & eorum Collegio pretium officii alterius Secretariatus, ex numero vigintiquatuor primo loco per deceſſum, aut quamlibet aliam amiſſionem, vel dimiſſionem illud obtinentis, præterquam per ejuſdẽ officii reſignationem, ſeu ceſſionem vacaturi, aut quod vacare cõtigerit, in ſolutũ per dictis ſcutis quinque millibus, & quingentis aſſignaverimus, illiſque, ut dictum officium de numero vigintiquatuor vacaturũ, abſque alia noſtra, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis licentia, pro pretio tunc temporis reperibili, & congruo, etiamſi d. ſummam quinque milliũ, & quingentorum ſcutorum, pretium ex dicta venditione percipiendum, in parva, vel etiam magna ſumma excederet, vendere, vel alienare, illiuſque pretium in uſus, & utilitatem Secretariorum, & Collegii eorumdem cõvertere liberè, & licitè poſſint, licentiam, & facultatem cõceſſerimus, & indulſerimus, prout in cedula Motus proprii hodie manu noſtra ſignata, cujus etiam ſolam ſignaturam ubique tam in judicio, quàm extra, fidem facere debere voluimus, plenius continetur: Volentes ipſos Secretarios amplioris favore gratiæ proſequi, eiſdem Secretariis, ut cõmodius pecunias d. Ferdinando Cardinali pro nobis, & nomine noſtro reſtituendas, ſeu erogandas valeãt reperire, Motu proprio, nõ ad ipſorũ Secretariorum, vel alicujus pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtãriam, ſed ex mera liberalitate, & ſcientia noſtris, eiſdem Secretariis, & eorum Collegio ſummã præfatam quinque millium, & quingentorũ ſcutorum auri in auro, ad cenſum, ſeu alia, licita tamen, ratione accipiendi, fructuſque, ac proventus totius maſſæ Collegii Secretariorũ, pro redditibus annuis, ſeu intereſſe dictorũ quinque millium, & quingentorum ſcutorum obligãdi, ac cenſum ſuper totius Collegii maſſa, ſeu groſſa nuncupata, conſtituendi, ad rationem pretii reperibilis, & inter partes, ac ipſum Collegium conveniendi, licentiam, & facultatem concedimus; Decernentes præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque ullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ defectu, notari, redargui, vel impugnari poſſe, ſicque per quoſcumque Judices, & Cõmiſſarios, etiam S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicãdi facultate, interpretari, judicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter cõtigerit attentari. Non obſtante rec. mem. Pauli II. & Pauli IV. Romanorum Põtificum prędeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, & malè alienatis recuperandis, ac quatenus opus ſit, noſtra de cenſibus conſtituendis, aliiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, Cancellariæque Regulis, illa præſertim de non obligandis, aut aliàs pignorandis fructibus

bus Officiorum Romanæ Curiæ, ac aliis editis, & edendis: Quibus omnibus, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque: Volumus autem, atque mandamus, quod cùm primùm dictum Collegium pretium officii Secretariatus vacaturi præfati realiter aſſecutum fuerit, cenſum imponendum ſuper fructibus, redditibus, & proventibus Maſſæ ipſius Collegii extinguere, & annullare, ac ceſſare omninò teneatur. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die ſexta Maji, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo, Pontificatus noſtri anno ſexto.

BREVE ALTERUM EJUSDEM B. PII

Sumptum ex eodem ſupra impreſſo Motu proprio, ſuper confirmatione privilegiorum, & illam concernentibus.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontificis, in quo divina diſpoſitione poteſtatis plenitudo conſiſtit, providentia circumſpecta, ad ea, quæ proſpero ſtatui dilectorum filiorum Secretariorum noſtrorum, qui Curiæ Romanæ decori, & ornamento, cõmoditatique eſſe dignoſcuntur, profutura conſpicit, operoſis ſtudiis intendi, & his, quæ per Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, illis gratioſè conceſſa comperiuntur, ut perpetuò firmiori ſubſiſtant robore, ſuum, & Sedis Apoſtolicę munimen, & patrocinium libenter adjicit, eaque de novo concedit, ac aliàs ſuper his diſponit, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Sanè cum (ſicut accepimus) plurima privilegia, facultates, & indulta per fel. rec. Innocentium VIII. Alexandrum VI. Leonem X. Clementem VII. ac forſan alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ejuſdem Secretariis, & eorum Collegio, per eorumdem prędeceſſorum litteras conceſſa fuerint, nos quoque eoſdem Secretarios, eorumque Collegium ſpecialis gratiæ favore proſequi, & ut eorum privilegia, & indulta hujuſmodi firmiora perſiſtant, & ſi quæ forſan in uſu non ſint, aut revocata fuerunt, in integrum reſtituantur, providere volentes, eoſdem Secretarios, & eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus, quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon litterarum præfatarum, & privilegiorum in eis contentorum tenores, præſentibus, pro expreſſis habentes, Motu proprio, non ad ipſorum Secretariorum, aut alicujus pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione, & certa ſcientia noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſingulas eorumdem prædeceſſorum litteras, omniaque, & ſingula privilegia, facultates, indulta, gratias, libertates, immunitates, exemptiones, antelationes, honores (quatenus Concilii Trid. decretis nõ adverſentur) etiam ſi illa in uſu non ſint, ac forſan per nos, aut Romanos Pontifices prędeceſſores noſtros revocata fuerint, nec non ſalaria, ac emolumenta, & alia quæcumq; eiſdem Secretariis per dictos prædeceſſores conceſſa, & aſſignata, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, perpetuò confirmamus, & approbamus, necnon illis omnibus perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, defectus, ſi qui fuerint, & intervenerint in eiſdem, ſive ex jure, ſive ex facto proceſſerint, ſupplentes, & pro potiori cautela, privilegia, facultates, indulta, gratias, libertates, immunitates, exemptiones, antelationes, honores, ſalaria, & emolumenta hujuſmodi, iiſdem modo, & forma, quibus per prædictos prædeceſſores eiſdem Secretariis, & eorum Collegio conceſſa fuerunt, Motu, ſciẽtia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, auctoritate, & tenore præfatis, de novo concedimus, & aſſignamus: Volentes, & ſtatuentes illa ullo unquam tempore per nos, aut Romanos Pontifices, pro tempore exiſtentes revocari, reduci, alterari, aut moderari, ſeu *Collegium ipſum ſupprimi, vel extingui non poſſe, niſi reſtitutis prius realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis tunc viventibus, integrè, & abſque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*, ſicque noſtræ incommutabilis voluntatis fuiſſe, & eſſe atteſtantes, ac decernentes præſentes litteras, & in eis contenta quęcumque, nullo unquam tempore, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intẽtionis noſtræ defectu, vel per fraudem extortas fuiſſe notari, redargui, vel impugnari poſſe: Et ita per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, etiam S.R.E. Cardinales, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter interpretandi, judicandi, & diffiniendi facultate, interpretari, judicari, & diffiniri debere, Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam motu ſimili in contrarium quomodolibet conceſſis, quibus omnibus, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie, ſpecialiter, & expreſsè in omnibus, & per omnia, quatenus præmiſſis adverſentur, vel repugnent, pari motu derogamus, necnon omnibus, & ſingulis aliis, quæ prædeceſſores noſtri in eorum litteris voluerunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die ſexta Maji, Melleſimo quingenteſimo ſeptuageſimoprimo. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

NUM. IV.

BREVE GREGORII PAPÆ XV.

Confirmans Privilegia Reverendiſſimorum Dominorum Secretariorum Apoſtolicorum.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcroſancti Apoſtolatus miniſterio, nullis licet ſuffragantibus meritis, per abundantiam Divinæ gratiæ præpoſiti, circa ſtatum Officialium quorumlibet Romanæ Curiæ, & præſertim dilectorũ filiorum Secretariorum Apoſtolicorum, qui eidem Curiæ decori, & ornamento non parum exiſtunt, proſperè dirigendum ſolicitis ſtudiis juxtà creditum Nobis Apoſtolicæ ſervitutis officium intendimus, ac privilegiis, & indultis, eis per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros conceſſis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolicæ confirmationis robur adjicimus, ac aliàs eorum ſtatui ſic provideamus, ut deinceps conceſſa eis privilegia perpetua, & illibata ſerventur, & quæ in quamdam deſuetudinem devenerant ad vividam eorum obſervationem, noſtro etiam patrocinio deducantur. Aliàs ſiquidem poſtquam rec. mem. Innocentius Papa VIII. prædeceſſor noſter Collegium eorumdẽ Secretariorum Apoſtolicorum, de numero Participantiũ nuncupatorum, Apoſtolica auctoritate perpetuò erexerat, atque inſtituerat, illique ſic erecto, & inſtituto, tam ipſe, quàm poſtmodum alii Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, certas tunc expreſſas taxas, & alia emolumenta, necnon diverſa privilegia conceſſerant, & deinde tam erectionem, & inſtitutionem Collegii hujuſmodi, quàm conceſſionem taxarum, emolumentorum, & privilegiorum hujuſmodi, eadẽ auctoritate approbaverant, & confirmaverant à fel. rec. Julio Tertio, Pio Quinto, & Sixto Quinto Romanis Pontificibus, etiam prędeceſſoribus noſtris, litteræ, & etiam à Nobis chirographum, manu noſtra ſignatum, emanarunt, tenoris ſubſequentis; videlicèt JULIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam; Iis, quæ provida, & laudabili

considerationē per Romanos Pontifices prædecessores nostros Romanæ Curiæ Officialibus, & præsertim Secretariis Apostolicis, qui eidē Curię decori, & ornamento non parùm existunt, ac Nobis, & Apostolicæ Sedi grata devotionis, & familiaritatis obsequia continuè impendunt, providè concessa, & confirmata sunt, libenter, cùm à nobis petitur, Apostolici adiicimus roboris firmitatem, ut tantò firmiùs observentur, quātò iteratis vicibus dictę Sedis fuerint auctoritate firmata; ac alia eis de novo cōcedimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem fel. record. Callistus Tertius, Pius Secundus, Innocētius Octavus, Alexander Sextus, Julius etiam Secundus, Leo Decimus, Clemens Septimus, Paulus etiam Tertius, & diversi alii Romani Pontifices, etiam prędecessores nostri, eisdem Secretariis Apostolicis pro tempore existentibus, ac eorum Collegio etiam in institutione ejusdem Collegii, & reductione numeri ipsorum Secretariorum ad certum numerum tunc expressum, ac suppressione nonnullorum locorū, ex eisdem similiter tunc expressorum; necnō perpetua incorporatione Notariatus dictę Sedis eidem Collegio, & assignatione diversorum emolumentorum, etiā in Cancellaria Apostolica, etiam quoad unum ducatum pro singulis litteris Apostolicis, gratiam, vel justitiam cōcernentibus, tam per eamdem Cancellariam, quàm etiam Cameram Apostolicam, pro quibusvis personis cujuscumque dignitatis, status, & conditionis existentibus, certis tunc expressis exceptis, quibuscumque modis, gratis, seu absque taxæ solutione expediendis eorumdem Secretariorum officio, solvendum: Necnon creatione eorumdem Secretariorum, in Sacri Palatii Lateranen. Comites Palatinos, & Milites Aureatos, cum facultate creandi Notarios, & Tabelliones publicos, ac Judices ordinarios; necnon spurios, & alios, ex quocumque illicito, & damnato coitu procreatos legitimandi, ac etiam creandi Baccalarios, & Doctores in Theologia, Jure canonico, & civili, ac Artibus, & alia diversa privilegia, gratias, cōcessiones, prærogativas, & indulta per diversas eorum litteras cōcesserunt, prout in singulis litteris prędictis pleniùs continetur. Cum autem, sicut dilecti filii moderni Secretarii Apostolici Nobis exponi fecerunt, ipsi cupiant, privilegia, gratias, concessiones, prærogativas, & indulta hujusmodi, ut majorem obtineant roboris firmitatem, nostræ approbationis munimine roborari, pro parte eorumdem modernorum Secretariorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut singulis privilegiis, gratiis, concessionibus, prærogativis, & indultis prædictis, nostræ approbationis robur adiicere, ac aliàs in præmissis oportunè providere, de benignitate Apostolica, dignaremur. Nos igitur eisdem Secretariis concessa, ut par est, illæsa permanere, ac eos non minoribus favoribus, & gratiis, quàm dicti prædecessores prosecuti sunt, amplecti volentes, ac eosdem modernos Secretarios, & eorum singulos, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentiū dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore cēsentes: necnon prędictorum, & aliorum quorumcumq; privilegiorum, facultatum, ac indultorum Apostolicorum prædictis Secretarijs, & Collegio quomodolibet concessorum, ac prædictarum, & aliarum superinde confectarum litterarum tenores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædicta, ac omnia, & singula alia, gratias, privilegia, concessiones, prærogativas, facultates, & indulta Secretariis, & Collegio prędictis per Innocentium, Alexandrum, Julium, Leonem, Clementem, & Paulum prædictos, ac quoscumque alios Romanos Pontifices, etiam prædecessores nostros, etiam per modum statuti perpetui, & aliàs sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac quomodolibet concessa, necnon cum declarationis, & derogationis, ac omnibus, & singulis aliis in eis contentis clausulis, singulas tam sub plumbo, quàm in forma Brevis desuper confectas litteras hujusmodi, necnon in eisdem litteris contenta, & inde secuta quæcumque, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine approbamus, & confirmamus, ac innovamus, & perpetua roboris firmitate subsistere; necnon Secretariis, & Collegio prædictis suffragari debere; eaque omnia, & singula, etiamsi in usu, seu observantia non fuerint, sive sint, suum plenarium effectum sortiri, & à Nobis, ac successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus observari debere, ipsosque Secretarios, & Collegium, præmissa omnia, & singula, prout per Innocentium, Leonem, & alios prædecessores prędictos statuta, & ordinata, ac concessa fuerunt, quocumque usu, & consuetudine contraria non obstantibus, observari facere, & ad usum, consuetudinemque, & observantiam deducere, ac executioni demandare liberè, & licitè posse; sicque per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & diffiniri debere decernimus, & declaramus: & insuper cum quolibet ex ipsis Secretariis nunc, & pro tempore existentibus, etiamsi merè laici, seu conjugati sint, vel fuerint, seu etiam Clericali charactere insigniti, pro tempore conjugati fuerint, aut eos fieri contigerit, ut unam, seu plures pensiones annuas super unius, aut plurium beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura, vel sine cura Sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum, aut mensurum Abbatialium, seu Episcopalium, & Archiepiscopalium fructibus, redditibus, & proventibus, seu ipsos fructus, redditus, & proventus insimul summam quingentorum ducatorum auri de Camera, pro quolibet ex dictis Secretariis non excedentes, quę seu qui transeant ad successores, sibi aliàs reservandas, seu reservandos, & assignandas, seu assignandos, quoad vixerint, & aliàs ad instar dilectorum filiorum Militum S. Petri recipere, exigere, & levare, necnon in suos usus, & utilitatem convertere, absque alia dispensatione, vel licentia à Nobis, seu eisdem successoribus nostris, aut à Sede Apostolica desuper obtinenda, ipsisque Secretariis, & eorum singulis, ut quascumque pensiones super quibusvis etiam Abbatialium, aut Episcopalium, vel Archiepiscopalium Mensarum prædictarum fructibus, redditibus, & proventibus, ac quoscumque fructus, redditus, & proventus illis hactenus, & pro tempore quomodolibet assignatas, & concessos, ac assignandas, & concedendos in Clericum, seu Clericos, non conjugatos per eos pro tempore eligendos, & nominandos, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacūque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura obtinentes, & expectantes, tam in dicta Curia, quàm extrà eam, etiam in mortis articulo in totum, vel in partem, seu partes, etiam coram solis Notario, & testibus, ac etiam sine consensu eisdem pensiones solvere debentium, etiamsi illas, vel illos aliàs trāsferendi facultatem non habuerint, regula Cancellariæ Apostolicæ de cōsensu in pensione requisito nunc, & pro tempore in contrarium edita, ac stylo in similibus reservationibus hactenus observato, nequaquam obstantibus, usq; ad summam quingentorum ducatorum similium, & aliàs ad instar eorumdem Militum S. Petri, etiam litteris Apostolicis pensiones ipsas solvere debentibus non intimatis, dummodo illas pro intimatis habuerint, transferre liberè, & licitè valeant auctoritate Apostolica, & tenore, ac scientia, & potestatis plenitudine præmissis, de specialis dono gratiæ dispensamus, ac eis, & eorum cuilibet pariter indulgemus, ipsosq; modernos, & pro tempore existentes Secretarios, & eorum singulos à decimarum, & subsidiorum, etiam ex quibusvis causis, etiam pro Cruciata Sancta, & expeditione contra infideles, etiam super fructibus, & emolumentis beneficiorum Ecclesiasticorum, ac ejusdem Romanę Curię officiorum, etiā Apostolica auctoritate prædicta, quomodolibet imponendorum, solutione, ac in illis faciendis contributionibus penitus, & omninò perpetuò eximimus, & liberamus, ac exemptos, liberos, & immunes facimus, & fore, eosque ad solutionem hujusmodi decimarum, & subsidiorum, seu contributionem in illis faciendam minimè teneri, nec ad id cogi posse decernimus, & mandamus. Ac eisdem Secretariis etiam Clericis, Presbyteris, Prælatis, Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis pro tempore existentibus, & eorum cuilibet, ut ultra facultates de eorum bonis, etiam Ecclesiasticis, testandi illis quomodolibet pro tempore concessis, & absque illarum præjudicio, de quibuscumq; eorum bonis mobilibus, & immobilibus per eos, tam per Ecclesiam, seu Ecclesias, aut alia beneficia Ecclesiastica, etiā hospitalia, & alia pia loca cujusvis etiā privilegiati ordinis, seu Militiæ fuerint, per eos obtenta, & obtinenda, aut ex ingenio, & industria suis, seu aliàs quomodolibet acquisitis, & acquirēdis, etiāsi juxtà rec. mem. Sixti IV. & prædecessorū Julii, Leonis, & Pauli, aliorumq; Romanorū Pontificum, etiā prędecessorum nostrorum, desuper expeditas litteras immobilia bona non possederint, usque ad summā, & quantitatē sex mill. ducat. similium, & aliàs juxtà formam, seu facultatem dilectis filiis litterarum Apostolicarum Scriptoribus per eamdem Sedem, & Romanos Pontifices concessam pro libito suæ voluntatis testari, & de eis inter eorum utriusq; sexus liberos etiam legitimos, & illegitimos,

aut

aut aliàs quaſcumque, etiam quavis incapacitate incapaces perſonas, diſponere, & etiam inter vivos erogare, ac concedere, & donare: Quodq; ipſi Secretarii, & eorum ſinguli quoſcumque fructus, redditus, & proventus quorumcumq; beneficiorum Eccleſiaſticorum per eos nunc, & pro tempore obtentorum, etiã, ut præfertur, qualificatorũ, necnon penſiones annuas eis ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, & proventibus reſervatas, & reſervandas, cujuſcumque taxæ, ſeu annui valoris fuerint, toties, quoties eis videbitur, dummodo in infirmitate conſtituti non ſint, quibuſvis perſonis etiam laicis, cum quibus ſuam conditionẽ efficere potuerunt meliorẽ uſque ad biennium à die arrendationis per eos pro tempore faciendæ computandũ pro pretio, ſeu pretiis, de quibus ſibi, vel eorum procuratoribus videbitur arrendare, & pretium, ſeu pretia hujuſmodi, etiam anticipata ſolutione, in pecunia numerata recipere, & de receptis ſolventes quietare, & liberare, necnon beneficia, & illorũ fructus hujuſmodi, ſeq. & ſuos in ipſis beneficiis ſucceſſores quoſcumque ad obſervationẽ arrendationis, & conceſſionis hujuſmodi, non tamen ultra dictum biennium cum cautelis, ſubmiſſionibus, & renunciationibus, in talibus apponi ſolitis, obligare, ac dicti arrẽdatores, & conductores fructus, redditus, & proventus, ac penſiones hujuſmodi ad firmam, ſeu annuam penſionem pro dicto biennio percipere, exigere, & levare, ac in ſuos uſus, & utilitatem convertere ſimiliter liberè, & licitè poſſint, plenam, & liberam licentiam, & facultatem impartimur. Decernentes teſtamenta, obligationes, & ſubmiſſiones hujuſmodi reſpectivè valere, plenamque roboris firmitatem obtinere, & obſervari debere, ipſoſque Succeſſores, etiamſi interim dicti Secretarii ceſſerint, vel deceſſerint, aut beneficia ipſa aliàs quomodolibet dimiſerint ad earumdem obligationum, & ſubmiſſionum obſervationẽ, omninò teneri, & efficaciter obligatos, aſtrictoſq; eſſe, in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi ſe ad id perſonaliter obligaſſent, nec interim perſonas prædictas ſuper fructibus, redditibus, & proventibus, aut penſionibus hujuſmodi quominus illos, & illas percipere queãt, quomodolibet moleſtari poſſe, & inſuper ipſis Secretariis, nũc, & pro tempore exiſtentibus, ut quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura ſæcularia, & regularia, ſub expectativis, reſervationibus, mandatis, ac eorum collationum mutationibus, extenſionibus, & revalidationibus, necnon unionibus, & aliis gratiis, etiam præventivis, eis pro tempore conceſſis comprehenſa pro tempore vacantia, tam in dicta Curia præſentes, quàm ab ea abſentes in eadem Curia, coram aliquo Archivii ipſius Curiæ ſcriptore, per procuratores ſuos ſpeciales, vel generales in genere acceptare, & de illis ſibi etiam in genere provideri facere, ac illa conſequi, & habere, necnon acceptationes, & proviſiones hujuſmodi ad beneficia particularia, etiã per procuratorem generalem ſpecificare. Notarii, quoque inde rogari quoties pro parte dictorum Secretariorum requiſiti fuerint, ſuper hujuſmodi acceptionibus, inſtrumenta de beneficiis tunc vacantibus, aliàs juxta ſtylum ejuſdem Archivii conficere poſſint, & debeant, ac acceptationes, & proviſiones hujuſumodi validæ, & efficaces exiſtant; nec ipſi Secretarii ad ſatisfaciendũ Conſtitutionibus ejuſdem Cancellarię Apoſtolicæ de publicandis acceptationibus, & proviſionibus, ac illis intimandis poſſeſſionibus, ſeu eis ad judicium evocandis, & aliis diligentiis faciendis editis nunc, & pro tẽpore edendis, minimè teneantur. Necnon eiſdem Secretariis, ut in aliquo beneficiorum per eos pro tempore obtentorum, & eligendorum reſidendo, ſeu litterarum ſtudio in loco, ubi illud vigeat generale inſiſtẽdo in aliis beneficiis, etiam Curatis, ſeu dignioribus, ac ex jure, ſtatuto, vel fundatione, ſeu alias perſonalem reſidentiam requirentibus, per eos in quibuſvis Eccleſiis, ſive, locis pro tempore obtentis, perſonaliter reſidere nullatenus teneãtur, nec ad id per locorum Ordinarios, vel quoſvis alios inviti compelli poſſint, & nihilominùs omnes, & ſingulos fructus, redditus, & proventus eorumdem beneficiorũ cum ea integritate, quotidianis diſtributionibus, quę preſentibus, & divinis intereſſentibus dari ſolent, dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent, ſive in Eccleſiis, ſive locis, in quibus beneficia hujuſmodi fuerint, ſeu extiterint, perſonaliter reſiderent, etiam quoad vixerint percipere, & quoties eis placuerit per ſe ipſos, vel cũ uno ſocio Presbytero, ſeu Clerico per eos pro tempore eligendo, Horas canonicas, diurnas, & nocturnas, ac alia Divina Officia ſecundũ uſũ Breviarii ejuſdem Romanæ Eccleſiæ, etiam noviſſimè editi, abſque conſcientiæ ſcrupulo, ſimiliter quoad vixerint, dicere, & recitare etiã liberè, & licitè valeant, nec ipſi, aut dicti ſocii ad alium uſum ſuper hoc ſervandum, etiam ratione quorumcũque beneficiorũ eccleſiaſticorum, per eos pro tempore obtentorum, obligati ſint, vel ad id inviti cogi poſſint: Quòdq; quadrageſimalibus, & aliis temporibus Stationum Eccleſiarum Almæ Urbis, & extra illius muros unam, vel duas Eccleſias, ſeu duo, vel tria Altaria unius, vel diverſarum Eccleſiarũ locorũ, in quibus eos pro tempore eſſe contigerit, per eos eligenda, devotè viſitãdo omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, quas conſequerentur, ſi in eiſdem temporibus, & diebus Eccleſias Urbis, & extra ejus muros hujuſmodi perſonaliter viſitarent, conſequi, necnon omnes, & ſingulas utriuſque ſexus perſonas eorum curæ pro tempore creditas, ab omnibus, & ſingulis eorũ exceſſibus, criminibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, à quibus Ordinarii locorũ de jure, vel conſuetudine abſolvere poſſunt, ſimiliter abſolvere, ac vota quæcũq; per eos emiſſa (ultramarino viſitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorũ de eadem Urbe, Sancti Jacobi in Compoſtella, Caſtitatis, & Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, necnon, ut aliquem Presbyterũ idoneum ſæcularem, vel cujuſvis Ordinis Regularem in ſuũ poſſint eligere Confeſſoré, qui vita eis comite in caſibus dictę Sedi reſervatis, præterquam offenſæ Eccleſiaſticæ libertatis, criminum hæreſis, rebellionis, aut cõſpirationis in perſonam, vel ſtatum Romani Pontificis, ſeu Sedem prędictam, falſitatis litterarum Apoſtolicarum, ſupplicationum, & commiſſionum, invaſionis, deprædationis, occupationis, & devaſtationis terrarum, & maris eidem Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubjectorum, offenſæ perſonalis in Epiſcopũ, vel alium Prælatum, prohibitionis devolutionis cauſarum ad dictam Curiam, aut delationis Armorum, & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ſemel dumtaxat in vita; in aliis verò quoties oportunũ fuerit, cõfeſſionibus eorum diligenter auditis, pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendat, & injungat pœnitentiã ſalutarem, ſemel in vita, & in mortis articulo remiſſionẽ plenariam eis in ſinceritate fidei, & unitate ejuſdem Eccleſiæ, ac obedientia, & devotione noſtris, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantiũ perſiſtentibus, eadẽ auctoritate Apoſtolica cõcedere poſſit; ità tamen quòd idem confeſſor de iis, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, illã eis per ſe, ſi ſupervixerint, vel per alios, ſi fortè tunc tranſierint, faciendam injungat, quam ipſi, vel illi omninò facere teneantur: liceatque eis habere Altare portatile cum debitis reverentia, & honore, ſuper quo in locis ad hoc congruentibus, & honeſtis, etiam interdictis, ſine juris alieni præjudicio, & cũ qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, etiam antequam illuceſcat dies, circa tamen diurnam lucem, ita tamen quod illis, vel Sacerdotibus taliter celebrantibus ad culpam nequeat imputari, & ſi ad loca Eccleſiaſtico interdicto, ordinaria auctoritate ſuppoſita, eos declinare contigerit, in illis clauſis januis, non pulſatis campanis, & ſubmiſſa voce, excommunicatis & interdictis prorſus excluſis, in ſua, & familiarium ſuorum domeſticorum præſentia, dummodo ipſi, vel illi cauſam non dederint hujuſmodi interdicto, nec id eis contingat ſpecialiter interdici per ſe ipſos, ſi Presbyteri fuerint, aut proprios, vel alios Sacerdotes idoneos Miſſa, & alia Divina Officia celebrare, ſeu celebrari facere, liberè, & licitè valeãt, auctoritate Apoſtolica, & tenore præmiſſis concedimus, & indulgemus: diſtrictiùs inhibendo decimarum, & ſubſidiorum prædictorum, fructuum, ac juriũ Cameræ Apoſtolicę debitorum collectoribus, & exactoribus pro tempore deputatis, ne decimas, aut ſubſidia hujuſmodi, etiam prętextu quarumcumque facultatum eis pro tempore cõceſſarum, petere, vel exigere, aut eos ad illarũ ſolutionem, ſeu in illis contributionem compellere, vel alios eoſdem, necnon perſonas, in quarum favorem de bonis prædictis teſtari, vel alias diſponere continget deſuper moleſtare quoquomodo præſumant: Ac decernentes, quòd Secretarii prædicti, & quilibet eorum omnibus, & ſingulis immunitatibus, exemptionibus, gratiis & indultis prædictis eis, ut præfertur, conceſſis uti, & frui poſſint, & valeant, ac prædicta omnia, & ſingula durent, & valeant, ac eiſdem Secretariis ſuffragentur, etiam poſtquam illi eorum Secretariatus officia dimiſerint, & Secretarii Apoſtolici eſſe deſierint, dummodo ſaltem per biennium officium Secretariatus officia dimiſerint, & Secretari Apoſtolici eſſe deſierint, dummodo ſaltẽ par biennium officium Secretariatus hujuſmodi retinuerint: necnon irritum, & inane, ſi ſecus ſuper iis à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocircà Venerabilibus fratribus noſtris Balneoregien. & Piſauren. Epiſcopis, ac dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicę Generali Auditori per Apoſtolica ſcripta mandamus,

quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios eiſdem Secretariis, & eorũ cuilibet in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes præſentes litteras, & in eis cotenta quæcũq; ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Secretariorum, ſeu conductorum, vel legatariorum, teſtamentariorum, donatariorum, & hæredum ſuorum deſuper fuerint requiſiti, ſoléniter publicátes, eiſq; in præmiſſis omnibus efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra eos, & eorum quélibet reſpectivè approbatione, cõfirmatione, innovatione, diſpẽſatione, cõceſſione, indulto, exẽptione, facultatibus, decretis, & aliis præmiſſis, pacificè frui, & gaudere, ac fructus, redditus & proventus beneficiorum, in quibus ipſi Secretarii non reſederint juxta noſtrę conceſſionis prædictæ de illis, ut præfertur, percipiendis tenorem integrè miniſtrari; non permittentes eoſdem Secretarios per locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios, ſeu Officiales, & dilectos filios Eccleſiarũ, in quibus beneficia hujuſmodi fuerint, Capitula, ſeu quoſcumque alios, quavis auctoritate fungentes, ad reſidendum in eiſdem Eccleſiis, ſive locis compelli, aut aliàs ipſos, ſeu conductores, Legatarios, teſtamentarios, donatarios, & hæredes prædictos, ſeu eorum quempiam per collectores, & perſonas prædictas, ſeu quoſcũq; alios, quavis auctoritate fungentes, quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, vel inquietari; contradictores, moleſtatores, perturbatores quoſlibet, & rebelles, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint, eadem auctoritate noſtra per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias, eorum arbitrio moderandas, & applicandas, aliaque juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: Nos enim eis quoſcumque moleſtatores, perturbatores, contradictores, & rebelles, conſtito eis ſummariè de non tuto acceſſu, per edicta publica locis affigenda publicis, quæ ipſos perinde arctent, ac ſi eis perſonaliter intimatę forent, conſtito ſummariè de non tuto acceſſu citãdi, ac illis, nec nõ quibus, & quoties opus fuerit, etiam ſub edicto, ac cenſuris, & pœnis ſimilibus inhibẽdi, necnon legitimis ſuper iis habendis ſervatis proceſſibus, eos, quos cenſuras, & pœnas per eos pro tempore latas incurriſſe conſtiterit, eas incurriſſe declarandi, & quoties opus fuerit aggravandi, ac auxilium brachii Sęcularis, ſi opus fuit invocandi, cęteraque deſuper neceſſaria, & opportuna faciendi, & exequendi, plenam, & liberam tenore præſentium concedimus facultatem, non obſtantibus præmiſſis. Et ſi prędicti Secretarii in eiſdem Eccleſiis, ſive locis primã non fecerint reſidentiam perſonalẽ cõſuetam, & ſan. mem. Bonifacii Papę VIII. pariter prædeceſſoris noſtri, per quam conceſſiones de fructibus in abſentia percipiendis ſine præfinitione temporis fieri prohibentur, & qua cavetur, ne quis extra Civitaté, vel Dięceſim niſi in certis exceptis caſibũs, & in illis ultra unam dietã à fine ſuæ dięceſis ad judicium avocetur, ſeu ne Judices, & Conſervatores prædicti ab eadem Sede deputati, extra Civitatem, vel dięceſim in quibus deputati fuerint, cõtra quoſcumq; procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere, aut aliquem extra unã dietam à fine dięceſis earumdem trahere præſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali editis, dummodo aliquis ultra tres dietas auctoritate præſentiũ ad judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Cõſtitutionibus, & ordinationibus, necnon litteris prędicti Alexandri prædeceſſoris, per quas inter alia ſtatuit, & ordinavit, quod tertias pars bonorum eorum, quibus hujuſmodi facultates teſtandi pro tẽpore conceſſę eſſent, & de quibus ipſi teſtati forent prædictæ Cameræ applicarentur, & applicata cenſerentur eo ipſo, ac Eccleſiarum, in quibus ſęcularia, necnon Monaſteriorũ, ſeu aliorum Regulariũ locorũ in quibus regularia beneficia hujuſmodi forſan fuerint, ſeu à quibus ipſa regularia beneficia dependere contigerit, & Ordinum, quorũ illa extiterint, necnon dictarũ Militiarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, & naturis, etiamſi de illis ſervandis, & non impetrandis litteris Apoſtolicis contra ea, & litteris ipſis etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut quovis modo conceſſis non utendo Secretarii ipſi per ſe ipſos, vel eorum procuratorem prędictum hactenus, vel eos impoſterũ prędictum præſtare contigerit juramentum, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis, Eccleſiis, Monaſteriis, Capitulis, & Ordinibus, ac Militiis, necnon Collectoribus, & Exactoribus prædictis, ac quibuſvis aliis locis, Civitatibus, & Univerſitaribus etiam Studiorum generalium, ac ſcriptoribus dicti Archivii, & aliis Collegiis, nec non quibuſvis Capitulis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac quibuſvis aliis perſonis, & locis ſub quibuſcumq; tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiã derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis etiam Motuproprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac quavis conſideratione, & ex quibuſvis cauſis conceſſis, approbatis, & innovatis: Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficiẽti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſsa, & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbũ, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita, obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permãſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, illaq; adverſus præmiſſa nullatenus ſuffragari poſſe decernimus. Necnõ omnibus illis, quæ dicti prædeceſſores in prædictis eorum litteris voluerunt non obſtare contrariis quibuſcumque, aut ſi & locorum Ordinariis, ac Capitulis, eorumq; Officialibus, Vicariis, Canonicis, Collectoribus, exactoribus prædictis, vel quibuſvis aliis cõmuniter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, vel in poſterum indulgeri contingat, quòd perſonas Eccleſiarum, ſeu locorũ ſuarum Civitatis, & dięceſis etiam in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutas, per ſubtractionem proventuum ſuorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, aut aliàs compellere valeant ad reſidendum perſonaliter in eiſdem, ac quod perſonis Eccleſiarum, ſeu locorum eorumdẽ, etiam in dignitatibus cõſtitutis, in illis non reſidentibus, aut qui in eis primam non fecerint reſidentiam perſonalem cõſuetam, fructus, redditus, & provẽtus beneficiorũ Eccleſiaſticorum in abſentia ſua miniſtrare minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excõmunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbũ de indulto hujuſmodi mentionẽ, & quibuſlibet aliis Privilegiis, & Indulgentiis, ac litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earũ impediri valeat, quomodolibet differri, & de quibus, vel quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis: Volumus autẽ, quòd beneficia, in quibus ipſi Secretarii non reſederint, debitis propterea non fraudentur obſequiis, & animarum cura in eis, ſi qua illis immineat nullatenus negligatur, ſed per bonos, & ſufficientes Vicarios, quibus de proventibus neceſſaria congruè miniſtrentur, diligenter exerceatur, & deſerviatur inibi laudabiliter in divinis, ipſorumque beneficiorum congruè ſupportentur onera conſueta. Ac quòd dum in aliquibus Eccleſiis contigerit, dictos Secretarios divinis intereſſe, illum morem, qui in eiſdem Eccleſiis obſervabitur circa hujuſmodi Horas, & Divina officia dicenda, ſtudeãt obſervare, & ne quod abſit, illi propter hujuſmodi gratiam, vel conceſſionem eligendi Confeſſorem reddantur procliviores ad illicita impoſterum committenda, etiam volumus, quòd ſi à ſinceritate fidei, & vnitate prædictæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia, & devotione noſtris, & dictorum ſucceſſorum noſtrorum canonicè intrantium deſtiterint, conceſſio hujuſmodi, ac quoad illam præſentes litteræ eis nullatenus ſuffragentur: Quòdque prædictis Secretarii indulto celebrari faciendi ante diem parcè utantur, quia cũ in Altaris Miniſterio immoletur Dominus Noſter Jeſus Chriſtus Dei filius, qui candor eſt lucis æternæ, cõgruit hoc non noctis tenebris fieri, ſed in luce. An quòd dũ ipſos Secretarios in aliquibus Eccleſiis contigerit intereſſe, illum ordinem, qui in eiſdem Eccleſiis obſervabitur in hujuſmodi Horis Canonicis recitandi, ſtudeant obſervare. Necnon ut in eorumdem Eccleſiaſticorum diſpoſitione bonorum juxta quantitatem reſidui erga Eccleſia, à quibus eadem perceperint, ſe liberales exhibeant, prout conſcientia eis dictaverit, & animarum ſuarum ſaluti viderint expedire, cæterum quia difficile foret eaſdem præſentes litteras ad ſingula loca, ubi illis pro tempore opus fuerit deferre, ſimiliter volumus, & dicta Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd earumdem litterarum tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu Canonici Metropolitan. vel alterius Cathedralis Eccleſiæ, aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, declarationis, diſpenſationis, exemptionis, liberationis, factionis, impartitionis, conceſſionis indulti, inhibitionis, mandati, derogationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contrai-

traire, ſi quis autẽ hoc attentare præſumpſerit, indignationẽ Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MD.LIII. Quinto Idus Februarii Pont. noſtri Anno quarto. PIUS PAPA V. ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis, in quo divina diſpoſitione poteſtatis plenitudo conſiſtit, providentia circumſpecta ad ea, quæ proſpero ſtatui dilectorum filiorum Secretariorum noſtrorum, qui Curiæ Romanæ decori, & ornamento, commoditateſq; eſſe dignoſcuntur profutura, conſpicit operoſis ſtudiis intendit, & his, quæ per Roman. Pontif. Prædeceſſores ſuos illis gratioſè conceſſa comperiuntur, ut perpetuo firmiori ſubſiſtant robore, ſuum, & Sedis Apoſtolicæ munimen, & patrocinium libenter adiicit, eaque de novo concedit, & aliàs ſuper his diſponit, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Sanè cum ſicut accepimus plurima Privilegia, facultates & indulta per ſel. rec. Innocentiũ Octavum, Alexand. Sextum, Leonem Decimum, Clementem Septimum, ac forſan alios Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros eiſdem Secretariis, & eorum Collegio per eorumdem Prædeceſſorum litteras conceſſa fuerint; Nos quoque eoſdem Secretarios, eorumq; Collegium ſpecialis gratiæ favore proſequi, & ut eorum privilegia, facultates, & indulta hujuſmodi firmiora perſiſtant, & ſi quæ forſan in uſu non ſint, aut revocata fuerunt in integrum reſtituantur, providere volentes, eoſdem Secretarios, & eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon litterarum prædictarum, & privilegiorũ in eis contentorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, Motu proprio, non ad ipſorum Secretariorum, aut alicujus pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam ſed ex mera deliberatione, & certa ſcientia noſtris, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſingulas eorumdem prædeceſſorum litteras, omniaque, & ſingula privilegia, facultates, indulta, gratias, libertates, immunitates, exemptiones, antelationes, honores, quatenus Concilii Tridentini decretis non adverſentur, etiamſi illa in uſu non ſint, ac forſan per nos, aut Romanos Pontifices predeceſſores noſtros revocata fuerint, necnon ſalaria, & emolumenta, ac alia quæcumque eiſdem Secretariis per dictos Prædeceſſores conceſſa, & aſſignata, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, perpetuò confirmamus, & approbamus: necnon illis omnibus perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adiicimus, defectus, ſi qui fuerint, aut intervenerint in eiſdem, ſive ex jure, ſive ex facto proceſſerint, ſupplentes. Et pro potiori cautela, privilegia, facultates, indulta, gratias, libertates, immunitates, exemptiones, antelationes, honores, ſalaria, & emolumenta hujuſmodi iiſdem modo, & forma, quibus per prædictos prædeceſſores eiſdem Secretariis, & eorum Collegio conceſſa fuerunt, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, auctoritate, & tenore prædictis de novo concedimus, & aſſignamus, volentes, & ſtatuentes illa ullo unquam tempore per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes revocari, reduci, alterari, aut moderari, ſeu Collegium ipſum ſupprimi, vel extingui non poſſe, niſi reſtitutis prius realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis, tunc viventibus, integrè, & abſque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit, ſicque noſtræ incommutabilis voluntatis fuiſſe, & eſſe atteſtãtes, ac decernentes præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque nullo unquã tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu, vel per fraudem extortas fuiſſe, notari, redargui, vel impugnari poſſe, & ita per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, etiam S. R. E. Cardinales ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter interpretandi, judicandi, & diffiniendi facultate, interpretari, judicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Motu ſimili in contrarium quomodolibet conceſſis, quibus omnibus illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis, habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè in omnibus, & per omnia, quatenus præmiſſis adverſentur, vel repugnent Motu pari derogamus: Necnon omnibus, & ſingulis aliis, quæ dicti prædeceſſores noſtri in eorum litteris voluerunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die 6. Maji MD. LXXI. Pontificatus Noſtri anno 6. SIXTVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex Providentia circumſpecta ea nonnunquam alterat, & immutat, quæ rerum, temporum, ac perſonarum qualitate penſata, vel evidens ſuadet utilitas, vel cogit neceſſitas reformari, induſtrios quoque, & doctrina probatos viros honoribus, & favoribus proſequitur oportunis, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Sanè licèt alias fel. record. Innocentius Papa Octavus prædeceſſor noſter Collegium dilectorum filiorum Secretariorum Apoſtolicorum inſtituerit, & certo tunc expreſſo probatorum virorum numero, & qui Romanę Curiæ decori, atque ornamento eſſent, atque expeditioni Breviũ, & aliarũ litterarũ Apoſtolicarum, quę per Secretarios Apoſtolicos expediri conſueverant accuratius, & diligentiùs attenderent conſtare voluerit, eidéq; Collegio, & Secretariis diverſos annuos redditus, & emolumenta inter ſingulos Secretarios, pro tempore exiſtentes æquis portionibus dividenda, & diſtribuenda aſſignaverit, & in quinterno ejus manu ſubſcripto annotari mandaverit: Ita tamen, quòd liceret ipſi Innocentio, & pro tempore exiſtenti Romano Pontifici, ultra numerum, ab eo tunc præſcriptum, unum Secretarium domeſticum nuncupatum habere, qui ſua, & Romanę Eccleſiæ negotia ſecreta, aut orthodoxæ fidei ſtatum concernentia dumtaxat expedire poſſet, & deberet, quique duabus integris portionibus dictorum emolumentorum, ultra numerum Collegarum facientium, contentus ab omnibus, & ſingulis aliis emolumentis, & expeditionibus, officium Secretariorũ quomodolibet cõcernentibus penitùs abſtineret. Et rec. mem. Pius Papa Quintus, etiam prædeceſſor noſter, poſt diverſos alios Romanos Pontifices, etiam prædeceſſores noſtros tunc ſuos, litteras Innocentii prædeceſſoris prædicti approbaverit, confirmaverit, ac etiam innovaverit, aliaque etiam de novo conceſſerit, voluerit, & ordinaverit prout in ipſorum Pii, & Innocentii prędeceſſorum noſtrorum litteris pleniùs continetur, nihilominus temporis ſucceſſu, multiplicato Secretariorum domeſticorum numero, pro Romani Pontificis arbitrio, ipſi Secretarii domeſtici pręter dictas duas portiones diverſa alia emolumenta ſeorſum à Collegio percipere cõſueverunt, necnon Collegii incuria, ſeu forſan per deſuetudinem effectum fuit, ut nonnulla alia ex emolumentis prædictis, his præſertim, quę in quinterno dicti Innocentii notata reperiuntur, à debitoribus non exigantur. Cùm autem Nos circa officium Secretariatus domeſtici, quod dilectus filius Joannes Bapitiſta Canobius Clericus Bononien. pro nutu, & voluntate noſtra nunc exercet, novam rationem inire conſtituiſſemus, Collegium prædictum, in quo virtutibus, experientia, ac uſu rerũ, & negotiorum ad Romanam Curiam confluentium, & ad dictum officium pertinentiũ, inſignes viri connumerantur, ſe nobis obtulit ipſius officii, cujus ratione pleraque ad ipſum Collegiũ ſpectantia emolumenta exigi conſueverunt, ac eorũ, quę in eo geruntur, curam omnẽ, cogitationemque ſuſcipere, idq; munus, qua decet, fide, & integritate per idoneos, & peritos ab ipſo Collegio electos, & per nos approbatos viros, obire, ejuſque, & aliorum infraſcriptorum ratione, Collegium ipſũ in noſtram, & Sedis Apoſtolicę ſubvẽtionem, ut ingentibus neceſſitatibus Nobis imminentibus aliqua ex parte proſpicere poſſemus, ſummam vigintiquinque milliũ ſcutorũ auri in auro ſponte ſe etiam obtulit ſoluturũ, quã ſtatim in manibus dilecti filii noſtri Hippolyti tituli Sancti Pãcratii Presbyteri Cardinalis Prodatarii noſtri deponi, & conſignari fecit: Nos igitur promptam Collegii prædicti, erga Nos, Sedemq; prædictã reverentiam, & obſequium ad ſublevandum onera, quibus urgemur plurimum cõmendantes, ipſumque Collegium, & Secretarios grarioſo affectu proſequi volentes, ſingularum Innocentii, & Pii, aliorumq; prædeceſſorũ prędictorum litterarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, non ad dicti Collegii, aut alicujus pro eis nobis deſuper oblatę petitionis inſtantiã, ſed ex mera liberalitate, & ſcientia noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, officium Secretariatus domeſtici, quod dictus Joãnes Baptiſta, ut præfertur, exercebat penitus, & omninò perpetuò ſupprimimus, & extinguimus, ita quod nullo unquã tempore per nos, aut Romanũ Pontificem pro tempore exiſtentem, & Sedem Apoſtolicam in ſtatum priſtinum reſtitui, aut reintegrari valeat: curã autem, & exercitium dicti ſuppreſſi officii, ac cuſtodiã regiſtrorum Brevium, & litterarum Apoſtolicarum via, quæ ſecreta appellatur, expeditarum, & pro tempore expediendarum in

mãsionibus Palatii Apostolici in Vaticano, quas dictus Joannes Baptista, suique famuli, & scriptores habitant asservatorum, deinceps, & per unum ex numero dicti Collegii Secretarium, aut aliam æquè idoneam personam à Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente approbandum, seu approbandam ad ipsius Collegii nutum, & liberum arbitriũ nominandum, & deputandum, ac removendum, juxtà ipsius Collegii præscriptum haberi, teneri, & administrari, ipsasq; mansiones in octo cubicula partim infrà, partim supra distributas, quibus per duas portas patet ingressus, & ab uno Dataria Apostolica, ab altero mãsiones Substituti ipsius Datarii cohærent, cum cella vinaria, sub officio regiſtri supplicationum, & aliis suis pertinentiis per Secretarium, aut personas à Collegio prędicto deputandas inhabitantes volumus, & mandamus, curamque, & exercitium hujusmodi, & regiſtrorum custodiam, mansionumque prædictarum usum, & habitationem Collegio, & personæ ab eo deputandæ hujusmodi, ex nunc perpetuo concedimus, & assignamus. Et insuper unam integram ex duabus portionibus emolumentorũ dicti Collegii extrà numerum, ut præfertur, faciendis, & Secretario domestico olim ab Innocentio prædecessore prædicto assignatis, ab ipso officio Secretariatus domestici, etiam perpetuò dismembramus, & separamus, illamque, necnon quatuor alias partes Cibariorum pro victu, & alimento quotidiano Secretarii, aut personæ, ut præfertur, ad curã, & exercitium hujusmodi deputandæ, ac trium famulorum, & unius equi, eisdem modo, & forma, quibus prædicto Joanni Baptistæ dari hactenus cõsueverunt, Collegio prædicto pro Secretario, vel persona deputanda hujusmodi perpetuò concedimus, & assignamus, & per eos, ad quos spectat, & pro tẽpore spectabit, dari, præstari, & assignari volumus, & mandamus: necnon medietatẽ omnium, & singulorum aliorũ emolumẽtorum, quæ hactenus prædictus Joannes Baptista Canobius pro se, & aliis duobus Secretariis domestici percipere, exigere, & levare consuevit; Iraut alia medietas emolumentorum hujusmodi, unà cum altera ex dictis portionibus pro uno, vel duobus, aut pluribus Secretariis domesticis salva remaneat, sive illa ratione taxarum litterarum Apostolicarũ via, quæ secreta appellatur, expediẽ, sive cedularum propositionum Ecclesiarũ, aut Monasteriorum, vel sententiarum à Romano Pontifice pro tempore latarum, ac investiturarum ab eo quomodolibet factarum percipiantur, seu quovis alio nomine nuncupentur, Collegio prædicto pariter concedimus, & assignamus: Ita quod liceat ipsi Collegio per se, vel alium, seu alios, ejus nomine, prædictæ curæ, atque exercitii, & integræ portionis hujusmodi, necnon mansionum, regiſtrorũ. portionum, cibariorum, & aliorum emolumentorum prædictorũ possessionem, propria auctoritate, vigore præsentium, apprehendere, seu forsan interim apprehensam perpetuò retinere, nec desuper à Secretario domestico uno, vel plures pro quo, seu quibus altera dumtaxat integra portio emolumẽtorum ex duabus illi ab Innocentio Prædecessore prædicto assignatis, ac reliqua medietas aliorum emolumentorũ supradictorum salvæ remaneant, quomodolibet molestari possit: ita tamen quod Collegium Secretariorum, seu ad exercitiũ hujusmodi deputatus ipsis Secretariis domesticis rationes, & computa ostendere, & reddere teneantur ipsius Secretariis domesticis pro tempore existentibus, sive unus fuerit, sive plures sub mille ducatorum auri, & aliis arbitrio nostro pœnis, eo ipso, pro qualibet vice, qua contravenerint, incurrendis: Districtius inhibeñ. ne aliquas litteras in forma Brevis, aut etiam sub plumbo expedire audeant, seu præsumant, præter illas, quæ Romani Pontificis pro tẽpore existentis, & Romanæ Ecclesiæ negocia secreta, aut Orthodoxæ fidei statum concernen. & emolumentis sibi, ut supra remanentibus, cõtenti, nihil aliud etiam occasione eorum hujusmodi officii à quoquam percipere possint, sed quidquid lucri ex supradictis taxis Bullarum per viã secretã expediẽ, & quibusvis aliis regaliis prædictis percipietur ad Custodẽ Brevium, seu emolumentorum ab eodem Collegio deputandum destinẽt, ac omninò transmittant; quæ quidem omnia, & singula, ut inviolabiliter observentur, sub eisdem pœnis præcipimus, & mandamus. Præterea eidem Collegio liberam tribuimus facultatem, & auctoritatem nominandi, eligendi, & deputandi tres idoneas personas pro scribendis litteris in forma Brevis per dictum deputatum expediendis, & tam illis, quàm litteris Apostolicis via, quæ appellatur secreta, expeditis regiſtrandis, dictasque personas ad ipsius Collegii nutum removendi, & alias remotarum, recedentium, vel decedentium loco subrogandi, & deputandi. Quibus sic electis, & deputatis personis singulas portiones cibariorum ex Palatio Apostolico, prout illas hactenus habuerunt, & percipere consueverunt, iisdem auctoritate, & tenore perpetuò concedimus, & assignamus, ac ab iis, ad quos spectat, dari, concedi, & præstari volumus, & mandamus pari auctoritate, & facultate prędicto Collegio attributis hujusmodi loca personis ab eo electis perpetuò, vel ad tempus, ex nunc prima vice, & deinde, quotiescumque loca ipsa pro tempore vacare contigerit, pro pretio inter ipsum Collegium, & personas hujusmodi convento, vendendi, seu pignorandi, vel aliàs ac locis ipsis disponendi, ac pretium hujusmodi in dicti Collegii usus, & utilitatem convertendi. Insuper omnes, & singulas taxas officiorum Romanę Curię, & quarumvis aliarum Terrarũ, Provinciarum, Communitatum, & locorum totius Status Ecclesiastici in quinterno Innocentii Prædecessoris prædicti adnotatas, & designatas, & Collegio prędicto applicatas, & assignatas, etiamsi ad presens non solvantur, pro quibus Collegium ipsum debitam recompensam in genere, vel specie non cõstiterit recepisse ipsi Collegio eisdẽ modo, & forma, quibus per dictum Innocentium assignatæ, & applicatæ fuerunt, de novo applicamus, & assignamus, & per Officiales, & Ministros Urbis, & Provinciarum, & Communitatum Terrarum, Locorum, & præsertim per Almæ Urbis, & Civitatis nostræ Bononien. post tamen præsentes, qui pro tempore exiterint, Gubernatores, & eorum Locatenentes, necnon tam præsentes, quàm pro tempore existentes Provinciæ nostræ Marchiæ Thesaurarium etiam ratione propriæ ejus taxę, etiam de preterito, non obstante decreto ad Motum proprium piæ memorię Gregorii Papæ Decimitertii, etiam Prædecessoris nostri, super prætensa concordia inter Collegium prædictum, & dilectum filium Franciscum Sangallettum, ad cujus commodum pro pecuniis ab ipso etiam solutis, hujusmodi concessio cedit, ad Cameram Apostolicam adjecto, & quos vis alios integrè, & absque ulla diminutione juxta formam quinterni, & litterarum Innocentii, Prædecessoris hujusmodi, singulis sex mensibus in principio sub pœnis in litteris dicti Innocentii contentis, incipien. à prima Julii post Dat. præsentium, & successivè singulis sex mensibus in principio, persolvi volumus, & mandamus, sine tamen prejudicio quorumcunque Jurium dicto Collegio pro præteritis taxis competentium, præsertim respectu litium huc usque motarum. Insuper quoque eidem Collegio liberam tribuimus facultatem, & auctoritatem singula quæque officia quarumvis Provinciarum, Terrarum, Communitatum, & locorum Romanæ Ecclesiæ, post publicationem quinterni, ab Innocentio Prædecessore confecti, quomodolibet incorporatorum, & imposterum incorporandorum, juxta facultatem ab eodem Innocentio Prædecessore Collegio prędicto attributam, & cum consilio dilecti filii Benedicti Justiniani moderni, & pro tempore existentis Thesaurarii Generalis taxandi, taxasque impositas hujusmodi ab illis exigendi, & recipiendi modo, & forma ab ipso Innocentio Prędecessore, quoad alios præscriptis, quas quidem taxas de novo imponendas ipsi Collegio perpetuò etiã applicamus, concedimus, & assignamus. Ut autẽ Collegiũ ipsum præcipua aliqua honoris, & dignitatis prærogativa à Nobis etiam decoretur, & qui pro tempore fuerint Secretarii Apostolici de numero participantium per amplius honorentur, singulos Secretarios de numero prædicto præsentes, & futuros, qui in utroq; jure, aut in decretis ad Doctoratus gradum in aliqua publica Universitate fuerint promoti, & vigesimum quintum suæ ætatis annum excesserint, si habitu Prælatorum juxta Innocentii Prædecessoris præscriptum incedere voluerint ex nunc, prout ex tunc, & è contra postquam habitum Prælatorum susceperint, eo ipso absque alia approbatione, & admissione Referendarios perpetuos utriusque Signaturæ nostræ, & Romani Pontificis, pro tempore existentis, creamus, constituimus, & deputamus, ac creatos constitutos, & deputatos fuisse, & esse declaramus, & nunciamus, eisque & eorum cuilibet, ut omnibus, & singulis privilegiis, & emolumentis, immunitatibus, & præeminentiis, facultatibus, gratiis, & indultis, aliis utrisque Signaturæ Referendariis quomodolibet concessis, & quibus ipsi utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurũ pariformiter uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeãt, cõcedimus, & indulgemus: Illi verò Secretariorũ eorumdem, qui antiquior Doctor, & Referendarius, ut singulis nostris, & Romani Põtificis, pro tempore existentis Signaturis nomine Collegii Secretariorũ eo ipso intervenire valeat, pariformiter indulgemus, quòd si ab Urbe absens, vel aliàs impeditus fuerit, vel antiquior Secretarius alia ratione, vel causa dictę Signaturę intervenire habuerit, qui post illum erit antiquior

Secre-

Secretarius,&Referẽdarius indulto hujuſmodi eo ipſo potiatur: Cùmque Secretarii ipſi, qui Clerici erunt noſtri, & Romani Pontificis,pro tempore exiſtentis,ſint Prelati domeſtici, & familiares, ac continui Comenſales, teneanturque juxta præſcriptum Innocentii Prędeceſſoris prędicti, niſi in majori fuerint dignitate cõſtituti,Notariatus habitum ſuſcipere, & deferre,nę quod pro ornamento, & decore Romanæ Curię providè inſtitutum eſt, negligentia, & deſuetudine abrogetur,præſentium auctoritate volumus,ſinguliſque Secretariis præſentibus,& futuris pręcipimus,& mandamus, quatenus,qui Clericali Militiæ,aſcribi voluerint vigintiquinque annis majores, habitum, & inſignia deferant Notariorum Apoſtolicorum, etiamſi voluerint violacei coloris: qui verò fuerint primę tonſurę dumtaxat Clerici, in aliis Ordinibus nondum conſtituti, ſeu Sęculares, etiam conjugati, veſtibus utantur, ſi eis placuerit, etiam violaceis, prout Cubicularii Apoſtolici de honore nuncupati:Habeant etiam, qui Notarii fuerint Sedis Apoſtolicę locum in Capella, & aliis actibus publicis, in quibus cum Cappis, & Rocchettis interfuerint eorum dignitati congruentem, quem ipſis aſſignari curabimus,& nihilominus litteras Pii Prędeceſſoris prædicti, ut ſupra eidem Collegio ſuper confirmatione, & approbatione litterarum Innocentii, & aliorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, tunc ſuorum, rebuſque aliis in eis contentis conceſſis auctoritate,tenore,ſcientia,& Apoſtolicę poteſtatis plenitudine ſimilibus approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuę, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omneſq; & ſingulos,tam juris, quàm facti defectus ſupplemus, præſẽteſque, & in eis contenta quæcumque de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, aut per Nos, vel Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem ſuſpendi, revocari, limitari, moderari, ſeu ad juris terminos reduci non poſſe, neque debere, ſed validas, & efficaces,perpetuò exiſtere, ac dicto Collegio, & Secretariis pro tempore exiſtentibus in omnibus, & per omnia etiam perpetuò ſuffragari,ac vim validi, initi, & ſtipulati contractus inter Nos, & Sedem, ac Cameram Apoſtolicam ex una, & Collegium prædictum ex altera partibus habere debere, ipſumq; Collegium ad verificationem,ſeu juſtificationem pręmiſſorum,vel partis eorum, aut ad regiſtrationem, vel adnotationem præſentium in Camera,juxta Conſtitutionem piæ memoriæ Pii Papæ IV.etiam prædeceſſoris noſtri,faciendam minimè teneri,nec ob non regiſtrationem hujuſmodi præſentes nullitatis, aut invaliditatis vitio ſubjacere,ſed valere,& ipſi Collegio,ac Secretariis ſuffragari debere,perinde, ac ſi in ipſa Camera regiſtratæ fuiſſent, Conſtitutione prædicta non obſtante, & ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices, etiam Cõmiſſarios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi,diffiniendi, & interpretandi facultate, judicari, diffiniri, & interpretari debere, & quidquid ſecus ſuper his à quoquam,quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit,irritum,& inane decernimus. Mandantes Dilectis filiis noſtro Philippo S. Angeli in foro Piſcum Diacono Cardinali Vaſtavillano nuncupato, S. R. E. moderno, & pro tempore exiſtenti Camerario,necnon Theſaurario, Præſidẽtibus, ac Clericis dictæ Cameræ, & aliis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, ut faciant Collegio,& Secretariis prædictis vigintiquinque millium ſcutorum auri in auro prædictorum liberam quietantiam,necnon eidem Collegio, & Secretariis,tam uti ſingulis, quàm univerſis, pro omniũ,& ſingulorum obſervatione,ratione eorum,quæ pertinent ad conceſſionem,& aſſignationem prędicti ſuppreſſi officii Secretariatus domeſtici,& illius emolumentorum,inſtrumentũ promiſſionis omnium,& ſingulorum dictæ Cameræ Apoſtolicæ bonorum mobiliũ, & immobilium, jurium, & actionũ quorumcunque præſentium,& futurorum conficiant·Decernentes inſuper Nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem,ac Cameram Apoſtolicam in eventum,in quem prędictis,illarumq; incolis, & perſonis quomodolibet cõceſſis,& quibus forſan potiuntur, & gaudent quomodolibet cõtrariis quibuſcunq; omnibus, & ſingulis etiãſi de illis ſpecialis,ſpecifica,& expreſſa mentio habenda foret, illorũ tenores, ac ſi de verbo ad verbũ inſererentur, præſentibus pro expreſſis haberi volumus, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæterisque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 1. Aprilis 1586. Põtificatus noſtri Anno Primo. Havẽdo Noi conſiderato all'honore,& util grãde,che apporta alla Sede Apoſtolica il Collegio de'Segretarii Apoſtolici del numero de participanti,ripieno di diverſi Prelati,& d' altre perſone nobili,& virtuoſe,quali cõ li meriti,& honorate qualità loro adornano di molto ſplẽdore queſta noſtra Corte Romana:Et perciò volendo non ſolo preſervare gl'antichi Privilegi,Induli,facoltà,prerogative,preeminẽze,eſſentioni, libertà, immunità, honori,gratie, & emolumenti, & taſſe di diverſi officii dello Stato Eccleſiaſtico,che inſino dalla prima erettione di detto Collegio fatto da Papa Innocentio VIII. di fel. mem. noſtro Predeceſſore, ſono ſtati per titolo oneroſo dal detto Innocentio conceſſi, & ſucceſſivamente da Aleſſandro VI. Giulio II. Leone X. Clemente Settimo, Paolo Secondo, Giulio Terzo, Pio Quinto, & Siſto Quinto, & forſi altri Romani Pontefici parimente noſtri Predeceſſori, in diverſi tempi confirmati, ampliati, & innovati, ſi come in diverſe Bolle, e Brevi, e Cedole de' Motuproprii di detti Predeceſſori ſopra di ciò ſpedite più ampliamente ſi cõtiene; mà ancora reſtituire al detto Collegio quelli emolumenti, & taſſe, l'eſſentioni delle quali da molti anni in quà è ſtata al detto Collegio impedita, ò retardata, ò reſpettivamente non oſſervata, ò meſſa in uſo, ſi come in vigore di dette conceſſioni,& confirmationi, Bolle, Brevi, Cedole, & inſtromenti,ſentenze,decreti,mandati,& altre ſcritture ſi doveva fare, & in particolare le taſſe gia ſolite pagarſi dal Governatore,ò dal Senatore di Roma per loro,& altri loro Officiali, & le taſſe ſi dovevano fare de gli Officii dello ſtato, & dominio,& legatione di Ferrara,doppo che ſono ſtati incorporati all'immediato dominio della Sede Apoſtolica, il che è ſtato con molto danno, & pregiuditio del detto Collegio de' Segretarii Apoſtolici,quali perciò ne hanno preteſo,& pretẽdono ricompẽſa dalla noſtra Camera Apoſtolica,per conventione apoſta in dette conceſſioni, & confirmationi de'detti noſtri Predeceſſori, ſi come più volte appreſſo alcuno de' noſtri Prędeceſſori, & ultimamente appreſſo di Noi per parte di detto Collegio de'Segretarii Apoſtolici n' è ſtato fatto richiamo. Di quì è che Noi volendo provedere all'indennità di detto Collegio,& inſieme troncare tutte le differenze, e pretenſioni,che detto Collegio hà,ò può havere contro la detta Camera per ricompenſa del detto danno patito, & farli anco in ciò gratia,& favore,& havẽdo qui per eſpreſſi,come ſe di parola in parola foſſero inſerti li tenori di tutti,& in ſingole lettere Apoſtoliche,Bolle,Brevi,e Cedole di Motiproprii di detti Innocentio,Aleſſandro,Giulio II.Leone,Clemente,Paolo, Giulio III. Pio,& Siſto, ò altri noſtri Predeceſſori di detti Inſtromenti,ſentenze,decreti,mãdati,& altre ſcritture à favore di detto Collegio de'Secretarii ſpedite,& quelle confirmãdo, & innovando di noſtro Moto proprio,certa ſciẽza,e mera volontà,& deliberatione,& de pienezza di poteſtà Apoſtolica in virtù del preſẽte noſtro Chirografo,vogliamo,& ordiniamo che per l'auvenire detto Collegio de'Segretarii poſſa, è debba liberamente, & ſenza impedimento, nè diminutione alcuna riſcuotere dalli Governatori,& Senatori di Roma,quali doppo li moderni Governatore,& Senatore,alli quali nõ vogliamo ſi ſtenda queſta noſtra diſpoſitione, pro tempore ſaranno deputati,ò da Noi,ò da altri ſucceſſori,le taſſe ſolite,& cõſuete pagarſi già dalli detti Governatore,& Senatore per loro,& altri loro Officiali conforme al Quinterno delle taſſe ſpedite dal detto Papa Innocentio VIII. & ſicome altre volte il detto Collegio de'Segretarii è ſtato ſolito eſſigere dal Governatore, & Senatore di Roma,avanti che per ſpeciale eſſentione conceſſa da molti anni in quà da alcuni Sommi Pontefici, pure noſtri Predeceſſori, à diverſi Governatori, & Senatori, che pro tempore ſono ſtati, foſſe ſtata loro impedita tale eſſattione, prohibendo eſpreſſamente che nelle Brevi, & deputationi di detti Governatori, & Senatore ſi ponga più eſſentione da dette taſſe, ò derogatione alcuna alli Privilegi, & ragioni di detto Collegio, & nondimeno anco ponendoſi con qualſivoglia parole, clauſule, etiam derogatorie di derogatorie ſiano tenuti detti Governatori, & Senatore pagare dette taſſe intieramente per loro, & altri loro

Officia-

Officiali,& la noſtra Camera ſia tenuta farli oſſervare la preſente,altrim ente ſia tenuta di proprio : Et di più concediamo all' iſteſſo Collegio de' Segretarii Apoſtolici, che conforme alla conceſſione, ò dichiaratione fatta à favore loro dal detto Siſto Quinto di poter taſſare, con l' intervento però del Teſoriero Generale della Camera Apoſtolica,che foſſe pro tempore, gl' Officii delle Città, luogi, e Terre, che pro tempore veniſſero ad incorporarſi alla Sede, & Camera Apoſtolica poſſa con intervento di Monſignor Teſoriero noſtro Generale taſſare gl' Officii del Legato, Governatori, Podeſtà, Caſtellani, Barigelli, & altri Officiali della Legatione, Stato, & Dominio noſtro di Ferrara, che ſin quì non ſon ſtati taſſati; eccettuatone però quelli Officiali,che ſogliono deputarſi dalla Città di Ferrara ; & anco taſſare tuti gli altri luoghi dello Stato Eccleſiſtico,che non foſſero taſſati,& fatte che ſaranno le dette taſſe da pagarſi per ſpeditione di Brevi,che di ſei in ſei meſi ſi debbano rinovare dalli detti Officiali, conforme alla conceſſione fatta dal detto Innocentio VIII. poſſano per l'auvenire in perpetuo dal detto Collegio de' Secretari Apoſtolici liberamente, & ſenza alcuna eccettione, e diminutione,eſſigerſi da ſei in ſei meſi ogn' anno in perpetuo,ancorche nõ ſia renovato, ò ſpedito altro Breve nell' iſteſſo modo, & maniera, che ſogliono eſſigerſi l' altre ſimili taſſe de gli Officiali dalle altre Città,Terre,e luoghi dello Stato vecchio temporale di Santa Chieſa, con farſene ritentione particolare dalli Teſorieri,& Depoſitarii,che ſaranno pro tẽpore,nelle Città,Stato, & Dominio di Ferrara, ò da altri, à chi ſpetta, ò ſpettarà in auvenire nelli pagamenti delle proviſioni,& ſalarii,che ſi fanno, e faranno alli detti Legato, Governatore,Podeſtà, Caſtellani, Barigelli, & altri Officiali, ſi come da detto Monſignor Teſoriero, doppo la detta Conſtitutione di taſſe ſarà loro, particolamente in eſſecutione di quelle,ſignificato,& ordinato. Per tanto con il preſente Chirografo ordiniamo reſpettivamente al Reverendiſſimo Cardinale Camerlengo, che tutta volta per parte di detto Collegio ſarà ricercato, li preſti ogni opportuno ajuto, e favore, acciò eſſi liberamente, & pacificamente poſſano godere tutti li privilegi, facoltà, indulti, prerogative, preeminenze, eſſentioni, libertà, immunità, honori,favori,gratie,emolumenti,e taſſe ſopradette, tanto le aſſegnate già, & in ſpecie delli fururi Governatori,e Senatori di Roma pro tempore, dopò li moderni, come di ſopra,quanto quelle,che nello Stato di Ferrara in eſſecutione delli preſenti ſi aſſegnarãno,& in ogni biſogno, procedi contro quelle, che in qualſivoglia maniera direttamente, ò indirettamente haveſſero ardire di moleſtare, ò impedire ſopra di ciò detto Collegio,e ſuoi Eſſattori,Officiali,Miniſtri,ſopra le dette taſſe,&emolumẽti,e loro libera eſattione,& altre coſe ſopradette,con cenſure,& pene Eccleſiaſtiche,& altri rimedii neceſſarii, & opportuni, poſpoſta ogni appellatione, & invocato,in quanto foſſe biſogno,ancora l' ajuto del braccio ſecolare, & à detto Monſignor Teſoriero, che ad ogni richieſta di detto Collegio di Secretarii debba intervenire à taſſare li detti Officii dello Stato, Dominio, & Legatione di Ferrara, con farne tutte le ſpeditioni,ordini, e lettere, che ſopra ciò ſaranno neceſſarie, & opportune. Dichiarando Noi, che tutte le ſopradette coſe, & tutte le altre conceſſeli in qualſivoglia modo, tanto da detto Innocentio Ottavo, quanto da' detti Aleſſandro Seſto,Giulio Secondo,Leone Decimo, Clemente Settimo, Paolo Terzo, Giulio Terzo, Pio Quinto, & Siſto Quinto, & altri noſtri Predeceſſori Romani Pontefici, & da Noi per il preſente noſtro Chirografo s' intendano, & ſiano cõceſſe per titolo,& cauſa oneroſa;& come tali debbano perpetuamẽte eſſerli oſſervate,come ſe tutte foſſero per cõtratto giurato, e fatto nella più ampla forma di eſſa noſtra Camera, nè cõtra la preſẽte ſi poſſa dare di ſurrettione,obrettione,nullità,ò difetto alcuno con la clauſula,ſublata, à tutti i Giudici, tanto ordinarii, quanto Commiſſarii, & Auditori di Rota, e Legati de latere di giudicare, ò interpretare altrimente con il decreto irritante. Vogliamo però che detto Collegio debbia nominatamente renuntiare à tutte le pretenſioni di ricompenſa che hà, ò può havere contro la detta noſtra Camera Apoſtolica per l'eſſentioni conceſſe alli Senatori, e Governatori di Roma dalle dette taſſe, come di ſopra. Concediamo inoltre al detto Collegio de'Segretarii, che tanto ſopra il preſente Chirografo,quanto ſopra le ſpeditioni ordini, e lettere, che in eſſecutione dell' iſteſſo preſente noſtro Chirografo da detto Cardinale Camerlengo, & Monſignor Teſoriero occorrerà farſi, poſſano fare ſpedire lettere, ò per Bolla, ò per Breve tanto per Secretaria de Brevi,quanto per officio di minor gratia, ſi come à loro tornerà più commodo, ò ſarà più opportuno,con più piena, & ſpecifica mentione, e narrativa, & anco intentione di tutti,e ſingoli Privilegi,Indulti, facoltà, prerogative, preeminenze, eſſentione, libertà, Immunità, favori,honori,gratie,emoluméti,e taſſe di detti noſtri Predeceſſori, & da Noi, e dalla Sede Apoſtolica al detto Collegio conceſſi, confermati, & innovati, e dall' iſteſſe lettere, Motuproprii, Inſtromenti, decreti, ſentenze, mandati, & altre ſcritture ſopra di quelle ſpedite. Non oſtante qualſivoglia Conſtitutioni,& ordinationi Apoſtoliche, e le Conſtitutioni di Pio Quarto noſtro Predeceſſore, ſopra la riforma della noſtra Camera, & de regſtrandis, e tutte quelle altre coſe, che detti noſtri predeceſſori nelle loro Bolle, Brevi, e Moti proprii ſopraderti hanno voluto, che non oſtaſſero, & ogni altra coſa, che faceſſe in contrario, alle quali tutte, e ſingole (havendo per eſpreſſo, & inſerto il tenore di ciaſcuna nella preſente) per queſta volta ſola, & ad effetto, che la preſente habbia fermo,& intiero vigore, effetto, & eſſecutione, ſpecialmẽte deroghiamo.Dato nel noſtro Palazzo Apoſtolico li 21. di Decemb. 1621. GREGORIUS Papa Decimuſquintus. Cùm autem ſicut accepimus Secretarii prædicti, ſub die 1. Aprilis 1622. collegialiter congregati in executionem mentis,& voluntatis noſtræ,omnibuſque eorum prętenſionibus in præinſerto chirographo expreſſis, ad favorem dictæ Cameræ Apoſtolicæ renunciaverint,Nos ad renunciationem prædictam, ac grata devotionis, & familiaritatis obſequia, quæ Nobis,& Apoſtolicæ Sedis hactenus impenderunt;& adhuc ſolicitis ſtudiis impendere non deſiſtunt, paternæ dirigentes conſiderationis intuitum,eoſdemque Secretarios amplioribus favoribus, & gratiis proſequi volentes; & eorum ſingulares perſonas, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis,& interdicti,aliiſq; Eccleſiaſticis ſententiis,cenſuris,& pœnis,à jure,vel ab homine,quavis occaſione,vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt,ad effectum præſentium,dumtaxat conſequendum,harum ſerie abſolventes,& abſolutas fore cenſentes;necnon quarumcumque aliarum,tam ipſius Innocentii, ac Alexandri Sexti, Julii Secundi, Leonis Decimi,Clementis Septimi,Pauli etiam Tertii,quàm quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, tam ſub plumbo, quàm in forma Brevis, & ſeu per Cedulas, Motu proprii, aut aliàs quomodolibet expeditarum litterarum, ad favorem dictorum Secretariorum Apoſtolicorũ quomodolibet emanatarũ, veriores, ac totos,& integros tenores, & datis præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata,inſerti forent, pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes,Motu proprio,non ad eorum Secretariorũ, vel aliorum pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam;ſed ex certa ſciẽtia,ac deliberatione noſtris, deque attributę Nobis Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, chirographum prædictum, ac præinſertas, nec non quaſcumque alias tam Innocentii Octavi, Alexandri Sexti, Julii etiam Secundi, Leonis Decimi, Clementis Septimi, & Pauli etiam Tertii, quàm quorumcumque aliorum Romanorum Põtificum prædeceſſorum noſtorum litteras, tam ſub plumbo, quàm in forma Brevis, ſeu per Cedulas Motus proprii, aut aliàs quomodolibet, ad favorem dictorum Secretariorum emanatas, & emanata hujuſmodi, ac omnia,& ſingula in eis,& eorum ſingulis quomodolibet cõtenta,quęcumque privilegia,indulta, facultates,prerogativas prœeminentias, exemptiones, libertates, immunitates, honores, gratias, emolumenta, & taxas, tenore præſentium approbamus, confirmamus, & innovamus,illiſque omnibus,& ſingulis perpetuę,& inviolabilis approbationis, confirmationis, & innovationis, ac Apoſtolicæ firmitatis vim,& robur adiicimus,ac omnes, & ſingulos tam juris,quàm facti,& quoſvis alios,etiã quantũvis ſubſtantiales defectus, ſi qui in præmiſſis,aut eorum aliquo quomodoliber intervenerint,ſupplemus. Decernentes omnia,& ſingula ſupradicta, tam per prædictos noſtro prædeceſſores, quàm per Nos conceſſa,approbata, confirmata,& innovata eidem Collegio Secretariorum competere ex titulo merè oneroſo,ac in vim validi inter Nos, & Sedem, Cameramque Apoſtolicam ex una, & Collegiũ prędictum ex altera partibus initi, & ſtipulati,ac jurati cõtractus;eaque omnia,& ſingula ſupradicta ejuſmodi vim,& robur obtinere, ipſumque Collegiũ ad verificationem,ſeu juſtificationem præmiſſorum,aut partis eorũ, ſeu ad præſentationem,& regiſtrationem prędictorum,in Camera Apoſtolica prędicta, juxtà Conſtitutiones rec. mem. Pii Papę IV. etiam prędeceſſoris noſtri,de gratiis qualecumq; Cameręprędictę intereſſe cõcernẽte in eadẽ Camera, infra certũ tunc expreſsũ tempus prędictis,& regiſtrandis minimè teneri;

teneri; nec eaſdem præſentes, ob non præſentationem, ſeu regiſtrationem hujuſmodi, ſeu ex eo, quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu ex quacumque etiam quantumvis legitima, juridica, & privilegiata cauſa habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, nec præmiſſis conſenſerint, & in eis tractatus, diligentiæ, & quævis aliæ ſolemnitates, & alia de jure, conſuetudine, vel privilegio, ſeu juxtà decreta, ordinationes, reformationes, aut ſtatuta dictæ Cameræ, ac aliàs quomodolibet requiſita non intervenerint, vel ex quibuſvis aliis cauſis de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quovis alio, etiam quantumvis ſubſtantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, revocari, ſuſpendi, limitari, ad vitam, & terminos juris reduci, in jus, vel controverſiam revocari, aut alias in eis in aliquo derogari ullatenus unquam poſſe, neque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, limitationibus, ac decretis etiam irritandis, & declarationibus, vel aliis quibuſvis contrariis Conſtitutionibus, & diſpoſitionibus generalibus, vel ſpecialibus, etiã cum derogatoriarum derogatoriis, aliiſque clauſulis in genere, vel in ſpecie, pro tempore, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, aut aliàs quomodolibet factis, & faciendis cõprehendi; ſed ſemper, & perpetuò ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinũ, & validiſſimũ ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac etiã de novo, ſub quocumque poſteriori data per dictos Secretarios, quandocumque eligenda conceſſas, validaſque, & efficaces eſſe, & fore, vimque validi, & efficacis contractus inter Nos, & dictam Sedem ex una, & Secretarios prædictos ex altera partibus, ritè, & legitimè initi, ſtipulati, & jurati, ut putantur habere, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter perpetuò obſervari, eiſdemque Secretariis in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, eoſque de jure quæſito non tollendo, ac aliis Cancellariæ Apoſtolicæ regulis editis, & edendis, cæteriſque beneficiis, quibus poſſeſſores diutini aliàs gaudere ſolent, & debent omninò gaudere, & ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam prædictæ Sedis de latere Legatos, & Vicelegatos, & quoſcumque alios, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritũ, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, ac aliis infraſcriptis pœnis, dilectis filiis quibuſcumque Cõgregationum Cardinalium Secretariis, ac Cameræ Apoſtolicæ Notariis, cæteriſque, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, ut præmiſſa omnia, & ſingula, prout ad unumquemque eorum pro tempore pertinebit, occaſione expeditionum ſupradictarum inviolabiliter exequantur. Et nihilominus Venerabilibus Fratribus noſtris Oſtien, & Portuen Epiſcopis, ac dilecto filio noſtro Ludovico tituli Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ, Presbytero Cardinali Ludoviſio nuncupato, moderno, & pro tempore exiſtenti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, per præſentes injungimus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Secretariorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicandi, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eoſdem Secretarios præmiſſorum omnium, & ſingulorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, præſenteſque litteras, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari. Non permittendo eoſdem Secretarios deſuper per quoſcumque, quavis auctoritate, quomodolibet indebitè moleſtari, Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque oportuna juris, & facti remedia appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac prædicti Pii Quarti de regiſtrandis, & aliis quibuſcumque Cõſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ ſinguli prædeceſſores noſtri prædicti, in eorum litteris, ac Nos in chirographo ſupradictis volumus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de illis, eorumque totis teñ. ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum omnium, & ſingulorum tenore præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, & impreſſis, manu Notarii publici, ſeu etiam Defenſorum, ac Capellani ipſius Collegii ſubſcriptis, & alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu ſolito ipſius Collegii ſigillo munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extrà adhibeatur; quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 31. Martii 1623. Pontificatus noſtri Anno tertio.

NUM. V.

MOTUS PROPRIUS INNOCENTII XI.

Suppreſſionis Collegii Secretariorum Apoſtolicorum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

ROmanus Pontifex ex debito Paſtoralis officii illi divinitus injuncti, non ſolùm ad ea, quæ Univerſi Chriſtiani Gregis animarum ſalutem reſpiciunt; verùm etiam, quæ ad Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ, cui diverſa onera incumbunt, neceſſitatibus jugiter imminentibus, indemnitatem pariter, & ſublevamen pertinere noſcuntur, vigilantiæ ſuæ aciem dirigens ea, quæ certis ſuadentibus cauſis per ſuos Prædeceſſores in erectione officiorum Romanæ Curiæ fuerunt ordinata, & inſtituta, interdum ex aliis non minus rationabilibus cauſis immutare, & quandoque ad priſtinum ſtatum reducere, aut etiam in totum ſupprimere conſuevit, prout rebus diligenter, & maturè diſcuſſis, & examinatis, ac rerum neceſſitas, & temporum viſſitudo requirunt, ſicque conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Dudum ſiquidem conſueverant ab antiquo tempore Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, ut promptos haberent viros induſtrios, quorum opera in magnis, & arduis Apoſtolicæ Sedis negotiis uti poſſent, ac etiam pro celeriori eorumdem negotiorum expeditione quamplures eligere, ac deputare Secretarios, quos felicis recordationis Calixtus Tertius, & Pius Secundus Prædeceſſores noſtri, ex certis cauſis ad numerum ſex reduxerunt; Poſtmodum verò felicis recordationis Innocentius Octavus ſimiliter prædeceſſor noſter, ut decori, & venuſtati ejuſdem Sedis, & Curiæ, ac faciliori, celeriori, diligentiori, & magis accuratæ expeditioni Brevium, aliarumque litterarum Apoſtolicarum opportunè conſuleretur, ac etiam ut aliquibus, tunc nimium urgentibus Cameræ Apoſtolicæ indigentiis, occurreretur, decem & octo alios elegit, ſeu aſſumpſit, ac deputavit, adeout inſimul cum præfatis ſex, jam extantibus, Collegium viginti quatuor Secretariorum conſtituerent, eidem Collegio, & Secretariis diverſos annos reddituſ, & emolumenta inter ſingulo Secretarios pro tempore exiſtentes, æqui portionibus dividenda, & diſtribuenda, aſſignando, & applicando, coſque etiam creando veros Palatii Apoſtolici Prælatos, ac familiares, & continuos Commenſales, aliaſque plures eis concedendo prærogativas, & præeminentias latius contentas in ejus Conſtitutione, ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Dominicæ Incarnationis 1487. pridie Kal. Januarii Pontificatus anno quarto. Et quoniam intuitu dictorum emolumentorum eidem Collegio applicatorum ab illo, pro ſubventione dictarum urgentium neceſſitatum Cameræ, & Sedis Apoſto-

ſtolicæ, fuerat perſoluta ſumma ſexaginta duorum millium, & quatuor centum florenorum, ſeu ducatorum auri de Camera; Idcircò idem Innocentius Prædeceſſor ſtatuit, & decrevit, quod in eventum, in quem præfati officii revocatio, aut alteratio ſequeretur, reſtitui deberet integra dicta ſumma ſexaginta duorum millium, & quatuor centum ducatorum de Camera, in quibus nullo modo imputari poſſent emolumenta interim percepta, ſibi reſervata facultate alium deputandi in Secretarium domeſticum, ut pariter latius in eadem Conſtitutione continetur, quia verò nonnulli cupiebant variis modis ad antecedens officium Secretariatus aſcendere, præter ejuſdem Pontificis deſiderium, ac voluntatem, quæ fuit, ut ad illud non admitterentur, niſi perſonæ qualificatæ tam ætate, quàm doctrina, quemadmodum ipſum officium requirit. Idcircò idem Innocentius per alias ejus litteras in forma Brevis ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum 1. Februarii 1488. anno pariter quarto ſtatuit, quod nullus ad idem officium aſſumatur, niſi prius ab eodem Collegio, prævio examine, approbatus, & acceptatus fuerit, cui quidem Collegio, alii Romani Pontifices ſui Succeſſores, & ſimiliter Prædeceſſores noſtri præfata privilegia, & prærogativas confirmarunt.

Exortiſque deinde aliquibus controverſiis, pro illarum compoſitione, & terminatione felic. record. Pius Quintus itidem noſter Prædeceſſor, per ejus motum proprium, ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum pridie nonas Maii anno ſexto, quamplura ejuſdem Collegii favore ſtatuit, & decrevit, & præſertim, ut hæc officia nullo unquam tempore per Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes revocari, reduci, alterari, aut moderari, ſeu Collegium ipſum ſupprimi, vel extingui poſſent, niſi reſtitutis prius realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis tunc viventibus integrè, & abſque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit. Demum verò aliis exortis controverſiis inter idem Collegium, & præfatum Secretarium domeſticum felic. record. Sixtus Quintus prævia narrativa, quod in dicto Collegio virtutibus, experientia, ac uſu rerum, & negotiorum ad Romanam Curiam confluentium, & ad dictum officium pertinentium inſignes viri connumerabantur, præfatum Secretarii domeſtici officium ſuppreſſit, extinxit, illudque Collegio univit, & incorporavit cum ejus emolumentis, quorum intuitu ab eodem Collegio ſoluti fuerunt noſtræ Cameræ Apoſtolicæ ſcut. viginti quinque mille auri in auro, plura deſuper ſtatuendo, atque plures etiam prærogativas hujuſmodi Secretariis concedendo, & præſertim, quod eſſent Prælati utriuſque Signaturæ Referendarii, atque locum in Pontificia Capella haberent, ut latius continetur in ejuſdem Sixti litteris in forma Brevis, ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum 1. Aprilis 1586. ejus Pontificatus anno primo.

Collegium verò præfatum pro congerendo ſummam ſcutorum vigintiquinque millium auri, ſeu illius valorem ad effectum illam ſolvendi Cameræ prædictæ, ex cauſa dictæ applicationis, & aſſignationis emolumentorum dicti Secretarii domeſtici, vigore licentiæ, & facultatis per eundem Sixtum conceſſæ, & de qua in ipſius litteris in forma Brevis expeditis ſub die 17. Februarii dicti anni 1586. erexit unum montem ſuper proprietate, & groſſa, ſeu maſſa ejuſdem Collegii, cum obligatione, ac promiſſione illum infrà ſexennium extinguendi, & amplius cum idem Collegium ab eodem Sixto etiam obtinuerit ſimilem ſuppreſſionem alterius Secretarii domeſtici Brevium, quæ Principibus ſcribuntur, & conceſſionem, ac aſſignationem illius emolumentorum ad ejuſdem Collegii favorem, & commodum, perſonis Cameræ noſtræ ſcutis duodecim millibus auri, de licentia, & facultate ejuſdem Sixti erexit, ſeu auxit montem in ſumma dictorum ſcutorum duodecim millium auri ſexennio prædicto, infrà quod dictus Pontifex primum montem extingui voluerat ad aliud ſexennium prorogato, itaut mons primo erectus, & reſpectivè auctus fuerit in ducentis ſeptuaginta octo locis, ad rationem ſcutorum centum monetæ pro quolibet loco, & in aliis centum viginti Locis ad rationem ſcutorum centum auri in auro pro quolibet locorum, ac poſtmodum vigore alterius facultatis, & licentiæ conceſſæ per fel. record. Clementem Nonum pariter noſtrum prædeceſſorem ad effectum extinguendi præfatum montem, erexit, ac conſtituit alterum novum montem locorum quadringentorum quinquaginta octo ad rationem pretii centum, & fructus annui ſcutorum quatuor monetæ Romanæ pro quolibet loco, adjecta tamen ſimili lege præfatum novum montem infrà duodecim annos ab illius erectione computandos extinguendi, prout latius in litteris in forma Brevis dicti Clementis prædeceſſoris, ſub dat. Romæ die 4. Januarii 1669. & reſpectivè in Inſtrumento dictæ erectionis die 16. Maii dicti anni per Petrum Gentilem Catalanum tunc dictæ noſtræ Cameræ Notarium rogato continetur.

Cùm autem inter quamplura ad utrumque ſpirituale, ac temporale regimen pertinentia, quorum notitiam, exactamque informationem initio noſtri Pontificatus, ut par erat, habere curavimus, illa per nos fuerit habita ſuper hujuſmodi Collegio Secretariorum, atque deſuper deputata Congregatione particulari nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, cum interventu Venerabilis Fratris noſtri Alderani Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Cybo nuncupati, ab eadem nobis relatum fuerit per Collegium præfatum nullatenus adimpleri eos fines, & effectus, pro quibus, ut præmiſſum eſt, erectum, & inſtitutum, ac confirmatum fuit, dum negotiorum ei, ut ſupra demandatorum adminiſtratio, cura, & expeditio incumbunt, & reſpectivè exercentur, ac adimplentur per duos ejuſdem Romanæ Curiæ Prælatos extrà dictum Collegium, per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem deputari ſolitos, quorum unus Secretarius Brevium, alter Secretarius Brevium ad Principes nuncupat. adeout præfatum Collegium prorsùs inutile, & ſuperfluum evaſerit, ac remaneat, è converſo autem inter illud, ejuſque Secretarios ex una, ac dictam Cameram ex altera partibus plures tam antiquo, quàm moderno tempore controverſiæ fuerint exortæ, itidemque hujuſmodi officia valdè notabile eidem Cameræ præjudicium, & detrimentum afferre, & cauſare dignoſcantur, proindeque omninò expediens, & opportunum ſit dictum Collegium, ejuſque officia ſupprimere, & extinguere, reſtituto poſſeſſoribus eorumdem officiorum illo pretio, quod reſtituendum eſſe juſtitiæ ratio exigit, atque requirit, propterea que eidem Congregationi, aliiſque Prælatis per nos additis, ac deputatis injunximus, ac demandavimus, ut diſcutere, & examinare, nobiſque poſtmodum referre deberent, quidnam juxtà prædictæ juſtitiæ limites, & rationem, ut unicuique, quod ſuum eſt, & debetur, tribuatur, reſtituendum ſit, cumque inſimul cum dicto Venerabili fratre noſtro Alderano, pluries congregati, partibus intereſſe habentibus etiam auditis, non fuerint unanimes, & concordes in eorum ſuffragiis, & votis, itaut totalis concluſio, & reſolutio valdè differri poſſit in magnum, ac evidens præjudicium, ac detrimentum dictæ noſtræ Cameræ, ac jam ceſſantibus rationibus, & cauſis, ut ſupra exiſtentiæ, & perſeverantiæ ejuſdem Collegii, ſicque nullo modo juſtum, & rationabile ſit, ut incertis, ac illiquidi pretii reſtitutio ipſius jam concluſæ, & determinatæ ſuppreſſionis, & extinctionis ſubſtantiam, ac effectum impediat, decrevimus exindè ad eaſdem ſuppreſſionem, & extinctionem devenire, demandata pro nunc reſtitutione prompтè, ac ſtatim facienda illarum pecuniarum, quas conſtiterit noſtræ Cameræ præfatæ, ex cauſa ſingulorum officiorum hujuſmodi perſolutas verè, & realiter fuiſſe, ad ejuſdem manus, ſive ejus officialium perveniſſe, cognitionem verò, ac terminationem, an & quid, etiam ultrà prædictas pecunias legitimè, & ad ejuſdem juſtitiæ limites, & rationem reſtituendum, ſive perſolvendum ſit, noſtro Theſaurario generali de voto noſtræ Rotæ, ut ita ob peculiarem hujuſmodi Tribunalis ſtylum, & onus edendi, & promulgandi deciſiones, omnibus cauſæ, ac rationes juſtitiæ, & reſolutionum pateant, omni appellatione remota, & aliàs prout infrà, committere, & mandare, &c.

Nos igitur præmiſſa attendente ex cauſis prædictis, & aliis animum noſtrum moventibus cum opportuno remedio, ut ſupra providere volentes, ac litteras Apoſtolicas erectionis Collegii Secretariorum hujuſmodi, aliarumque quarumvis Conceſſionum, Gratiarum, & prærogativarum illis à prædictis, & quibuſvis aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris deſuper quomodolibet emanatarum, etiamſi ſpecialem, & individuam mentionem requirerent totus, & integros tenores præſentibus pro expreſſis, & inſertis haben.

Motu ſimili, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Collegium præfatum, ac omnia, & ſingula dilectorum filiorum Secretariorum hujuſmodi officia, per quoslibet quantumvis expreſſa, & ſpeciali nota dignos poſſeſſa, etiam illa

tria,

tria, quæ in perpetuum conceſſa, atque aſſignata fuerunt; Unum videlicet per Sancti Salvatoris ad Sãcta Sanctorum, & aliud per Sanctus Spiritus in Saxia Hoſpitalia, ſive illorum pro tempore exiſtentes Officiales, & Adminiſtratores, atque reliquum officia hujuſmodi per Capitulum, & Canonicos Sæcularis, & Collegiatæ Eccleſiæ Sancti Euſtachii de Urbe dilectos filios reſpectiva poſſeſſa, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò ſupprimimus, extinguimus, & abolemus, unà cum illorum Collegii Juribus, prærogativis, & privilegiis, adeout ſimile Collegium Secretariorum hujuſmodi omninò ceſſet, & amplius in rerum natura non exiſtat. Omnia verò eorumdem officiorum Secretariorum, & Collegii hujuſmodi per præſentes ſuppreſſorum emolumenta, jura, obventiones, & alios quoſcumque proventus, quæ, & quos volumus, & intendimus ſemper ſalva, & illeſa, & ſalvos, & illeſos remanere ad commodum Sedis Apoſtolicæ, adeout ab iis, qui hactenus illa, & illos ſolverunt adhuc debeantur, & ſolvantur, nihilque penitus cenſeatur, ac ſit quoad illa, & illos innovatum, perindè ac ſi præſens Motus proprius minimè emanaſſet, & non aliàs &c. ab hodie pleno jure, nil penitus excepto, Cameræ noſtræ prædictæ appropriamus, applicamus, & incorporamus, ac pro appropriatis, applicatis, & incorporatis haberi volumus.

Et inſuper per præſentes ſtatuimus, & mandamus omnes illas pecunias promptè, ac ſtatim reſtitui, ſeu perſolvi per dictam noſtram Cameram, quas dicto Theſaurario noſtro legitimè conſtiterit verè, realiter, & cum effectu per ipſorum officiorum nunc ſuppreſſorum titulares, ſeu poſſeſſores, ſive eorum auctores, aut illos, quibus facultas diſponendi de prædictis officiis, ſeu eorum aliquo in toto, vel parte, Apoſtolica auctoritate prædicta, conceſſa fuerit, eidem Cameræ, ſive Datariæ Apoſtolicæ, illarumque Miniſtris, & Officialibus tam in cauſam, & ſub nomine pretii, quàm pro expeditione fuiſſe ſolutas, adeout nè quidem in nihilo reſpectu earumdem pecuniarum Cameræ, ſeu Datariæ hujuſmodi ſolutarum de proprio damnificati remaneant, & donec receperint ad eorum creditum, & liberam diſpoſitionem, penes noſtrum Montem Pietatis de Urbe deſcribi debere decernimus. Volumus quoque, & mandamus, ut dictus modernus noſter, & pro tempore exiſtens Theſaurarius generalis, de voto noſtræ Rotæ, ut ſuprà, omnibus illius Auditoribus ſuffragium præſtantibus, ac ferentibus ſuper præfatis articulis, ſcilicet an, & quid, etiam ultrà dictas pecunias reſpectu omnium poſſeſſorum eorumdem officiorum, & intereſſe habentium reſtituendum, ſeu perſolvendum ſit, aliiſque incidentibus, emergentibus, annexis, connexis, & dependentibus, totoque negotio, citato, & audito dictæ noſtræ Cameræ Commiſſario Generali, audiat, cognoſcat, & juſtitiam faciat, & adminiſtret, omni appellatione, reſtitutione in integrum, recurſu, & reclamatione penitus remotis, atque ſublatis; Et quia etiam dubitari continget, an per hujuſmodi ſuppreſſionem, ac abolitionem Collegii præfati onus prædictæ extinctionis dicti novi Montis per idem Collegium, ut ſupra ultimo loco erecti, & ſolutionis illius fructuum uſque ad actualem, & effectivam ejuſdem Montis extinctionem, remaneat, & ſit penes ipſos Secretarios ejuſdem Collegii; Ideò pro potiori cautela tam dictæ noſtræ Cameræ, quàm ipſius Collegii, ejuſque Secretariorum, per præſentes ſuppreſſorum, declaramus, & decernimus per ſuppreſſionem, & abolitionem hujuſmodi neutri partium, noſtræque Cameræ, ullum præjudicium, neque minimum, inferri, nec illatum fore, juraque utriuſque, etiam quoad repetitionem ſoluti integra, & in totum reſervata eſſe, prout reſervamus, illaque experiri poſſe, ac deberi coram dicto Theſaurario noſtro generali, qui etiam in hujuſmodi articulo, de voto dictæ noſtræ Rotæ procedat, audiat, & cognoſcat, ac juſtitiam faciat, appellatione remota, & in omnibus, & per omnia ut ſuprà quoad alios articulos decrevimus, & mandavimus.

Interim verò ne Montiſtæ dicti Montis ſolutione, & conſecutione debita fructuum locorum Montium ad ſingulos ſpectañ. & pertinen. ſuis loco, & tempore privati remaneant, volumus, & decernimus pro nunc, & per modum proviſionis, & ſine præjudicio jurium, ut ſuprà, per dictum noſtrum Theſaurarium illos perſolvi fieri de emolumentis, & proventibus ejuſdem Collegii dictæ noſtræ Cameræ, ut ſuprà applicatis, & appropriatis. Cæterum quia ut præmiſimus, inter poſſeſſores dictorum officiorum adſunt præfata loca pia, nempe Capitulum Eccleſiæ Sancti Euſtachii, & Hoſpitale Sancti Spiritus in Saxia; quæ eadem officia in perpetuum ex cauſa onerosa, & correſpectiva, Apoſtolica auctoritate, obtinent, ideò præcipimus, & mandamus eidem noſtro Theſaurario, quod præfato Sancti Euſtachii Capitulo, ejuſque Canonicis perſolvi faciat ad effectum reinveſtiendi illud pretium, quod in caſum ſuppreſſionis, vel extinctionis conventum fuit reſtitui, & perſolvi debere; Idemque pretium, & in eadem ſumma perſolvi pariter, ac reſtitui dicto Hoſpitalis Sancti Spiritus, ſalvis utriuſque juribus, coram eodem noſtro Theſaurario de eodem voto Rotæ cognoſcendis, & decidendis quoad illud plus ſeu aliam majorem ſummam, quod, ſeu quam perſolvi, ſeu reſtitui debere pro eorum parte prætendatur; Quo verò ad prædictum aliud Hoſpitale Sancti Salvatoris ad Sancta Sanctorum, quod ex gratia Sedis Apoſtolicæ aliud ſimile officium, ut ſupra obtinet, per modum proviſionis, & donec per eumdem Theſaurarium de eodem voto, ut ſuprà decidatur, & terminetur, An, & quid reſtituendum, ſeu perſolvendum ſit, ex noſtra liberalitate, & munificentia, ac pauperum Infirmorum ſubventione, ex eadem maſſa, ſeu groſſa dictorum emolumentorum, & proventuum ſingulis menſibus, ſumma per nos in ſpeciali ordine, & mandato declarandam, præſtari, ac perſolvi jubemus, & volumus. Præſentes quoque, etiam ex eo, quod ſinguli nominati prædicti præmiſſis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quovis, etiam quantumvis magno, & inexcogitato, & ſubſtantiali defectu, etiam ex quo ſuper præmiſſis ſolemnitates, & alia quævis ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta minimè fuerint, aut ex alio quolibet capite à jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimę, & totalis læſionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore Juris clauſo, ſeu occaſione, vel cauſa quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis prædictorum, ſpecialiter, ac individuè exprimenda foret, aut, quod de voluntate noſtra hujuſmodi, vel aliis ſuperius expreſſis, ſeu illaris nihil ullibi apparente, ſeu aliter probari poſſet, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſùs illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, ſeu Juſtitiæ, remedium impetrari, ſeu etiam motu, & poteſtatis plenitudine ſimilibus concedi, aut ſic impetrato, aut cõceſſo quempiam uti, ſeu ſe juvari in judicio, & extrà poſſe, neque præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, perpetuoque validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque, & non aliàs per quoſcumque Judices; etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata &c. judicari, deffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, Apoſtolica auctoritate, earumdem tenore præſentium decernimus, & declaramus; Non obſtañ. præfatorum felic. record. Calixti Tertii, Pii Secundi, Innocentii Octavi, Pii Quinti, Sixti itidem Quinti, Gregorii Decimiquinti, ac Clementi Noni, & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus, & Indultis, Privilegiis ſupradicto Collegio, illiuſque ſingularibus perſonis quomodolibet conceſſis, necnon piæ memoriæ Pii Papæ Quarti, etiam Prædeceſſoris noſtri, gratias, Cameram prædictam concernentes in eadem Camera omninò regiſtrari debere diſponeñ, ac noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam Conſiſtorialibus deſuper in genere, vel in ſpecie editis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & quibuſcumque etiam quantumvis efficaciſſimis clauſulis, & decretis etiam irritantibus roboratis, ac alias in contrarium prædictorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, ac ſuperius innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & induvidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem

importantes mentio, ſeu quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat motu, & poteſtatis plenitudine ſimilibus derogamus, ac derogatum eſſe volumus, & decernimus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Fiat Motu proprio B.

Et quod ſingulorum officiorum prædictorum conceſſionum, & titulorum tenores, etiam veriores, ac earum dat. habeantur pro expreſſis, ſeu in toto, vel parte exprimi poſſint in litteris, & de perpetuis, ſuppreſſione, abolitione, extinctione, reſtitutione, applicatione, incorporatione, conceſſione, voluntate, ſingulis decretis derogatione, aliiſque præmiſſis, quæ hic pro ſufficienter, & ad partem repetitis habeantur, ut ſuprà in litteris, & cum clauſula ad perpetuam rei memoriam, latiſſimè extendeñ, & quod præmiſſorum omnium, & ſingulorum etiam denominat. qualitat. nuncupat. innovat. aliorumque neceſſariorum major, & verior ſpecificatio, & expreſſio fieri poſſit in litteris. Volumus autem, quod ſola Motus proprii noſtri hujuſmodi Signatura ſufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extrà illud, quacumque clauſula contraria, & cæteris quibuſcumque, ut ſupra non obſtantibus, ſeu ſi videbitur per Breve noſtrum, ſeu officium de Curia expediri poſſint. Per præſentes verò non intendimus ſub præmiſſa pretii reſtitutione officiorum hujuſmodi poſſeſſoribus liberè facienda, comprehendi illum, ſeu illos, qui ratione gravis ætatis juxtà noſtræ Datariæ ſtylum, & obſervantiam ad officii reſignationem admittendi minimè eſſent, cui, vel quibus remaneant ſalva eorum jura, pariter à præfato Theſaurario de voto Rotæ examinanda, & decidenda. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Kal. Aprilis Anno Secundo.

Fiat B.

NUM. VI.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

Stantibus hinc inde deductis.

Dub. *Quodnam pretium ſit reſtituendum in caſu &c.*

ARGUMENTUM.

Latè in præſenti, & ſequentibus diſcurſibus probatur rationibus, & exemplis, quòd in ſuppreſſione Collegii Secretariorum Apoſtolicorum non ſit reſtituendum niſi pretium à Camera receptum; cujus occaſione agitur de propria ſignificatione verbi *reſtituere*; Quando lex dicatur generalis, necne. Quomodo adeſſe dicatur cauſa publicæ utilitatis, & neceſſitatis in conceſſionum revocationibus, ad hoc ut licitè fieri poſſint per Principem, & quando iſte teneatur pretium refundere, & in qua ſumma. De privilegiis fiſci cum agit de damno vitando.

SVMMARIVM.

1 *SVppreſſio Collegii Secretariorum cum obligatione reſtituendi pretium ſolutum Datariæ.*
2 *Super augmento pretii per Secretarios prætenſo commiſſa fuit cauſa Theſaurario cum Voto Rotæ.*
3 *Iuxta tenorem Conſtitutionis Innonentii Octavi reſtituenda non erant, niſi ſcuta 62400. auri, ſi Collegium ſupprimeretur.*
4 *Diſpoſitum in eo, in quo eſt minor ratio, videtur diſpoſitum in eo, in quo eſt maior.*
5 *Vna pars ſcripturæ aliam declarat.*
6 *Verba præcedentia declarant ſequentia, & è converſo.*
7 *Imò præcedentia magis declarant ſequentia.*
8 *Verba geminata fortius operantur.*
9 *Verbum* emiſſe *propriè comprehendit contractum emptionis.*
10 *Verbum* habuiſſe *continet omnes alias aſſignationes, applicationes, ac diſtractiones.*
11 *Validum eſt argumentum, quod deſumitur à ſolito.*
12 *Maximè in eadem materia.*
13 *Sive in contractibus, ſive in alia diſpoſitione verſemur.*
14 *Verba ſynonyma in Conſtitutionibus Apoſtolicis ſæpiſſimè apponuntur ad occurrendum cavillationibus.*
15 *Dictio* aut *de ſui natura eſt adverſativa, & diſiunctiva.*
16 *Limitatur, quando eſt appoſita inter ſimilia, & ſynonyma.*
17 *Diſcretivæ orationis natura eſt ſeparare, & diverſitatem inducere.*
18 *Quod quis verbo non expreſſit, mente cogitaſſe non videtur.*
19 *Verbum* reſtituere *verificatur in eo, quod acceptum eſt.*
20 *Importat idem ac reddere.*
21 *Reddere ſignificat retrodare.*
22 *Reddere ſumitur aliquando pro ſolvere, ſed improprie, & extenſivè.*
23 *Privilegium ne dicatur fruſtratoriam ſufficit, quod ſit in minimo operativum.*
24 *Subrogatum ſapit naturam eius, in cuius locum ſubrogatur.*
25 *Verba debent inſervire intentioni, non intentio verbis.*
26 *Dictio* eos, *concurrentibus coniecturis, ſtat demonſtrativè, non taxativè.*
27 *Ex ſcientia Officialis non habentis oraculum non infertur ad ſcientiam Papæ.*
28 *Datarius dicitur Organum Papæ, quod non dicitur de miniſterio inferiori.*
29 *Motus proprius B. Pii Quinti non eſt intelligendus rebus tantummodo in eodem ſtatu permanentibus.*
30 *Fagnan. in cap. ex epiſtolæ de probat. declaratur.*
31 *Obſervantiæ interpretativæ multum eſt deferendum.*
32 *B. Pius Quintus pro officio Cardinalis de Medices iuſſit reſtitui pretium ſolutum Datariæ.*
33 *Alexander Septimus cùm ſuppreſſit Collegium Subdiaconorum, & Acolytorum, iuſſit reſtitui pretium ſolutum Cameræ.*
34 *Quando in ſuppreſſione locorum vacabilium Vrbis reſtitui mandavit pretium ſcutorum 150. pro quolibet, id fecit munificentiæ gratia.*
35 *Nunquam fuit dubitatum an Camera reſtituere deberet ultra pretium per ſemetipſam, ſucceſſivis temporibus, receptum.*
36 *Clemens Nonus in extinctione Curiæ Burgi, reſtitui demandavit pretium ſolutum per Officialem Datariæ.*
37 *Clemens Octavus, qui in ſuppreſſione Præfecturæ Carcerum iuſſit reſtitui ſcuta 2000. ultra pretium ſolutum Cameræ, id fecit donationis, & largitionis cauſa.*
38 *Clemens Decimus in ſuppreſſione Secretoriorum Montium obligavit Cameram ad reſtituendum pretium acceptum.*
39 *Rex Chriſtianiſſimus pariter in ſuppreſſione Officiorum vacabilium Secretariorum iuſſit reſtitui pretium per Officiales Regiæ Cameræ perſolutum.*
40 *Conventiones, & pacta vim legis habent.*
41 *Privilegium ſufficit, quod aliquid operetur contra diſpoſitionem Iuris.*

42 *Pri-*

42 *Privilegia conceſſa Secretariis per B. Pium Quintum ſatis operativa dici poſſunt in dirimendo quæſtionem, an facta eorum ſuppreſſione, Camera reſtituere dumtaxat teneretur, quod ab initio habuit, vel etiam quod ſucceſſivè percepit ex novis dictorum Officiorum venditionibus.*

43 *Pœna non datur ſine culpa.*

44 *Fiſcus obligatus ad præſtandam evictionem non tenetur niſi ad ſimplum, quamvis promiſiſſet duplum, vel triplum.*

45 *Pactum de retrovendendo, quod non habet expreſſionem certi pretii, licet ex æquitate illud deſumendum ſit de tempore retrovenditionis, tamen ſi adeſt contraria conſuetudo, reſtituendum eſt pretium receptum.*

1 R.P. SAnctiſſimus ob urgentiſſimas cauſas expreſſas in ſuo Motu proprio, ac alias animum ſuum moventes, etiam publicum bonum ſecum ferentes, ſuppreſſit, & extinxit Collegium Secretariorum Apoſtolicorum, & ad normam particularium Conſtitutionum B. Pii Quinti, ac etiam ſequendo veſtigia Summorum Pontificum anteceſſorum, & ſignanter ejuſdem B. Pii Quinti ſanctæ memoriæ, Alexandri Septimi, Clementis Noni, ac Clementis Decimi, & reſpectivè imitando exempla aliarum Curiarum, mandavit Dominis Secretariis tunc Officia poſſidentibus perſolvi totum id, quod ipſi, vel illorum anteceſſores ſolverunt Datariæ, ſive iſtius Officialibus, tam ratione pretii, quàm occaſione expeditionum prædictorum Officiorum.

Prætereà (quod hucuſque practicatum non appareat in in præcedentibus ſuppreſſionis Officiorum) idem Sanctiſſimus, ob ſummam ejus humanitatem, voluit, quod Illu-
2 ſtriſſimus D. Theſaurarius de voto hujus ſupremi Tribunalis, omnibus Dominis ſuffragium dantibus, de Jure procederet, appellatione remota, circa Articulum, An prædictis Dominis Secretariis, vel aliquibus eorum, ultra dictum pretium ſupra exburſatum, aliquid veniat reſtituendum, ſeu perſolvendum, ac etiam ſuper aliis incidentibus, & dependentibus, ut in dicto Motu proprio ſuperius impreſſo.

In cujus exequutionem, reſtitutis eiſdem Dominis, Secretariis pecuniis per ipſos, vel anteceſſores Datariæ ſolutis, aſcenden. ad ſcuta 228557. ad illorum inſtantiam diſputatur præinſertum dubium, ut credimus, favore R. Cameræ reſolvendum, videlicet, deberi tantummodò pretium reſtitutum, non autem illud, quod currebat tempore ſuppreſſionis Collegii, ſive exburſatum occaſione reſignationum dictorum Officiorum.

Conſtitutio enim Innocentii Octavi edita de anno 1487. xii. in Bullario novo, quæ pariter ſupra reperitur impreſſa,
3 eſt litteralis favore Cameræ; Conſiderans enim caſum extinctionis Collegii Secretariorum in §. 23. ſic dicit — *Nos, & eumdem ſucceſſorem, & Cameram Apoſtolicam teneri, & obligatos eſſe &c. ſi erit facta ſimplex emolumentorum reductio, ad ſolvendum &c. ſi verò facta erit Officii revocatio, aut alteratio, ac reſtituendum eis ſupradictam integram ſummam 62400. ducatorum auri de Camera per ipſos ſolutorum.* Igitur niſi ſuperveniſſet Motus proprius B. Pii Quinti (de quo infra) in vim dictæ Innocentianæ Conſtitutionis Dominis Adverſariis erat ſolummodò reſtituenda prædicta ſumma 62400. ducatorum auri primitus Datariæ perſoluta, quibus tamen exburſata fuerunt 228557. ſcuta.

Motus etiam proprius B. Pii Quinti editus de anno 1571. & ſic elapſis annis 84. à data Conſtitutionis Innocentii, qui ſimiliter ſuprà habetur impreſſus, juſtificat intentionem Cameræ, quod nempè debeat tantummodò reſtituere Dominis Secretariis, quod Dataria recepit, tam inſpecto caſu particulari ab eodem Pontifice conſiderato, quàm etiam caſu ſuppreſſionis, & extinctionis Collegii. Reſpectu enim caſus ſpecialis B. Pontifex narrat, quod vacante per obitum Marcelli Officio Secretariatus, credens illius venditionem, & diſpoſitionem ad ſe ſpectare, illud pretio ſcutorum 5500. auri contulit Cardinali de Medices, ſed poſteà comperto errore, dictam conceſſionem annullavit, & quia Collegium reſtituit Cardinali dicta ſcuta 5500. auri, eidem in ſolutum dedit Officium ex vigintiquatuor ad Datariam ſpectan. primo loco vacaturum per deceſſum, præterquam per ejuſdem Officii reſignationem, pro pretio tunc temporis reperibili, & congruo, etiamſi dictam ſummam ſcutorum 5500. à Dataria pro Officio pretio exactam, in parva, vel etiam magna ſumma excederet, cum facultate tale pretium erogandi in utilitatem ejuſdem Collegii.

Poſtmodum verò ſubdit — *Et ſi dictum Collegium ſuper præmiſſis, aut eorum aliquo turbabitur quoquo modo &c. tunc, & eo caſu Cameram prædictam ad ſolvendum cum effectu dictam ſummam 5500. ſcutorum &c. teneri etiam volumus, & ſtatuimus &c.* & rurſus ibi — *notari, impugnari, invalidari, vel in ius, aut controverſiam vocari, aut ad viam Iuris reduci, niſi prius reſtitutis eiſdem Secretariis, & Collegio per Cameram prædictam realiter, & cum effectu præfatis pecuniis.*

Ecce igitur, quod Papa in caſu meræ contraventionis voluit, Cameram teneri ad reſtitutionem ſummæ per Datariam exactæ, nempe dicta ſcuta 5500. nulla habita ratione ad majorem ſummam, quæ ſolui poterat ab emptore; unde facilius hoc affirmandum venit in caſu extinctionis Col- 4
legii vigore facultatis per Innocentium Octavum, ut ſupra reſervatæ, & per B. Pium ut infrà repetitæ, Peregrin. *conſ.* 103. *num.* 17. *lib.* 1. ubi diſpoſitum in eo, in quo eſt minor ratio, videtur diſpoſitum in eo, in quo eſt major, Solorzan. *de Iure Indiar. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 14.

In ordine autem ad caſum ſuppreſſionis Collegii, ſimiliter patet, Cameram teneri ad ſolam reſtitutionem ejus, quod habuit, ponderando, quod idem Pontifex loco ſupradictæ ſummæ ſcutorum 62400. auri in auro primitus Datariæ ſolutum, mandat reſtitui id, quod quilibet ex Secretariis eidem perſolvit ibi — *Volentes, & ſtatuentes &c. Collegium ipſum ſupprimi, vel extingui non poſſe, niſi reſtitutis prius realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis tunc viventibus integre, & abſque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eorum Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit.*

Quod autem Papa mediantibus illis verbis, *pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*, intellexerit de acquiſitionibus Officiorum, titulo oneroſo, immediatè, vel mediatè ab ipſamet Dataria, non autem de Officiis per particulares donatarios, & foventes cauſam lucrativam, vel alios ab eis cauſam habentes, eiſdem Secretariis reſignatis, clarè reſultat ex ſequentibus ponderationibus, deſumptis ex contextu dicti Motus proprii, una enim pars ſcri- 5
pturæ aliam declarat, *l. qui filiabus ff. de leg. primo*, Menoch. *conſil.* 1. *num.* 186. & in terminis litterarum Apoſtolicarum, Rot. *deciſ.* 346. *num.* 4. & 5. *part.* 11. *recent.*

Primò, quia idem B. Pius agendo de altero ex Officiis Secretariatus, de quo ipſe, ut diximus, per errorem in præjudicium Collegii diſpoſuerat, uſus eſt ſequentibus verbis ibi — *Credentes illius venditionem, ac diſpoſitionem ad nos legitimè ſpectare, & pertinere &c.* & rurſus ibi — *ſumma 5500. ſcutorum auri contulimus, conceſſimus, ac aſſignavimus.*

Hinc poſtmodum tractando de ſuppreſſione Collegii, & reſtitutione pretii Officiorum per Datariam venditorum, ad tollendam omnem dubietatem, prudenter uſus fuit verbis ſynonymis ibi — *pro quibus eorum Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*, uti comprehendentibus quaſcumque diſpoſitiones fieri ſolitas per Datariam ſuperius relatas, 6
nempè per modum venditionis, collationis, conceſſionis, & aſſignationis; Verba enim præcedentia declarant ſequentia, & è converſo, *l. utrum ff. de petit. hæred. l. ſi ſervum §. fin. ff. de leg. tertio*: Imò præcedentia magis de- 7
clarant ſequentia, Cephal. *conſil.* 156. *num.* 10. & *ſequen.* Pariſ. *conſ.* 23. *num.* 118. *lib.* 1. & quod verba geminata for- 8
tius operentur *l. Baliſta ff. ad Trebell.* latè Barbat. *conſ.* 37. *num.* 1. & *ſeqq. lib.* 3.

Secundò, & fortius, quia Paulus Tertius occaſione permutationis Caſtrorum, & Caſalium inter Archioſpitale Sancti Spiritus in Saxia, & Rev. Cameram, idem Hoſpitali, *pro uberiori* (ſunt verba Motus proprii expediti ſexto idus Januarii 1538.) *recompenſa permutationis hujuſmodi, unum ex Officiis Collegii Secretariorum* conceſſit, & applicavit, & Pius Quartus poſtquam aſſignaverat Cardinali Farneſio aliud Officium Secretariatus, approbavit, & confirmavit illius permutationem cum Caſali Turris Vergatæ Capituli Sancti Euſtachii, decernendo illud impoſterum vacare non poſſe, ut ejus Motu proprio ſub Kalend. Octobris 1561. qua perpetuitate ſtante, dictum Officium valutatum fuit in ſcutis 11000. ad hoc, ut tale pretium reſti-

tuere-

tueretur in casu illius suppressionis, ut ex Instrumento desuper celebrato die 21. Februarii 1561. per acta Melchioris de Valeriis.

Igitur Beatus Pontifex, ad hoc, ut omnia officia per Datariam vendita, & vendenda, ac etiam duo supradicta concessa, & applicata, & in futurum forsan distrahenda clarè comprehenderentur sub ejus Constitutione respiciente extinctionem, & suppressionem Collegii, habuit necessitatem utendi supradictis verbis, *emisse*, *aut habuisse constiterit*: Verbum enim, *emisse*, propriè comprehendit contractum emptionis, *l. 1. ff. de contrahen. empt. l. 1. ff. de rer. permut.* aliud verò, *habuisse*, cæteras assignationes, & applicationes, ac distractiones, *l. Prætor ait ff. ne quid in loco*.

Tertiò, quia B. Pius in Motu proprio, de quo agimus, in pluribus locis usus fuit verbis synonymis, & signanter in sequentibus ibi -- *contulimus*, *concessimus*, & *assignavimus lit. B.* & ibi -- *univimus*, *anneximus*, & *incorporavimus*, & ibi -- *super unione*, *annexione*, & *incorporatione lit. C.* & ibi -- *suppresserat*, & *extinxerat lit. D.* & ibi -- *ac unionem*, & *annexionem*, & *incorporationem*, & ibi -- *per eiusdem Officii resignationem*, *seu cessionem lit. E.* & ibi -- *facultatem concedimus*, & *indulgemus*, *ac eis impartimur lit. F.* & ibi -- *provisionis*, & *concessionis lit. G.* & ibi -- *spectat*, & *pertinet*, & ibi -- *concessionis*, & *assignationis*, *lit. H.* & ibi -- *concessione*, & *assignatione lit. I.* & ibi -- *revocari*, *reduci*, *alterari*, *aut moderari*, & ibi -- *supprimi*, *vel extingui*, *d. lit. I.*

Unde mirum non est, si post tot verba synonyma Papa, sequendo eumdem stylum, dixerit etiam synonymè loquendo ibi -- *pro quibus eos officia emisse*, *aut habuisse constiterit lit. I.* Maximè dum usque ad finem eorum modo processit ibi -- *extinguere*, & *annullare*, *ac cassare lit. M.* & ibi -- *cum cassatione*, *annullatione*, *extinctione*, & *irritatione lib. N.* à solitis autem fieri validum est argum. *l. si quis donaturus ff. de usufruct. l. Titius ff. quod cum eo*, signanter ut hic in eadem materia, Cephal. *cons. 77. num. 59. lib. 1.* Menoch. *cons. 121. num. 21.* sive in contractibus, sive in alia materia, Eugen. *cons. 90. num. 88.* Card. Seraph.. *dec. 201. num. 8.*

Qui quidem stylus utendi sæpissimè in Constitutionibus Apostolicis verbis synonymis practicatus fuit, & respectivè practicatur à cæteris etiam Summis Pontificibus, ad occurrendum malitiis, & subtilibus cavillationibus, Felin. *in cap. Venerabilis num. 1. not ab. 3. de Offic. deleg.* Gonzal. *ad reg. 8. glos. 6. num. 29. & seqq.* ubi quod inculcatio synonymorum fit ad dictum effectum, Corrad. *in prax. dispensat. lib 7. cap. 6. num. 16. & seqq.*

Neque facit, quod supradicta verba, *emisse*, aut *habuisse constiterit*, reputari nequeant uti synonyma, stante dictione intermedia, *aut*, quæ de sui natura est adversativa, & disjunctiva, ex allegatis per Barbos. *de diction. dict. 96. num. 1. & 2.*

Quia cùm B. Pius usus fuerit eadem dictione, *aut*, inter similia in pluribus locis dicti Motus proprii, ut supra observavimus, inde fit, ut pari modo apposita censeatur hic, maximè dum eadem dictio plerumque inter synonyma invenitur, ut subdit idem Barbos. *loco citato nu. 6. & seqq.*

Quartò, animadvertendo, quod B. Pius in dicto Motu proprio discretivè fuit locutus de vēditione istorum Officiorum, dum dixit, ut supra notavimus, agendo de altero Officio per errorem vendito ibi -- *Credentes illius venditionem*, *ac dispositionem ad nos legitimè spectare*, & *pertinere*, & de resignatione, & cessione, quando eidem Collegio, loco ejusdem Officii, applicavit aliud simile, primo loco (sunt verba præcisa) *per decessum*, *aut quamlibet aliam amissionem*, *vel dimissionem illud obtinentis*, *præterquam per eiusdem Officii resignationem*, *seu cessionem vacaturi*, *lit. E.*

Ex qua discretiva loquutione non solùm infertur ad diversitatem inter venditionem, & resignationem, Surd. *cons. 554. num. 7. 8. & 9.* ubi quod disponens loquendo de duobus separatim, & discretivè, præsumitur, quod illa duo habuerit uti, quid omninò inter se separata, Menoch. *cons. 215. num. 69. & seqq.* Add. ad Greg. *decis. 301. num. 18.* sed etiam resultat, quod si Papa voluisset occasione extinctionis Collegii restitui pretium per Secretarios solutum resignantibus Officia, de hoc quoque fecisset mentionem; verbo enim quod quis non expressit, mente non videtur cogitasse, *cap. cum ordinem de rescript. cap. tua de sponsal.* Oldrad. *cons. 266. num. 10. vers. quod verbo*, Add. ad Greg. *d. decis. 301. num. 18.*

Quintò, quia Papa utendo verbo restitutionis ibi -- *nisi restitutis prius realiter*, *& cum effectu &c. pecuniis*, *pro quibus eos Officia emisse*, *aut habuisse constiterit*, satis clarè declaravit suam intentionem esse, tantummodo esse restituendum pretium Datariæ, vel Cameræ solutum: Verbum enim, *restituere*, juxtà propriam significationem, intelligitur de eo, quod acceptum est, *l. 1. §. eleganter ff. depositi.* & idem importat, ac reddere, *l. inter C. de iur. dot.* reddere autem regulariter habet significationem retrodandi, *l. stichum §. si hæres ff. de stat. liber.* & aliis allegatis, Grat. *discept. 824. num. 8. & 9.*

Et quamvis idem verbum, *reddere*, sumatur aliquando pro solvere, ex juribus exadverso allegari solitis, attamen hoc procedit impropriè, & per viam extensionis, cùm aliud sit reddere, aliud solvere, ut habetur *in d. l. 1. §. eleganter* ibi -- *aliud enim est reddere*, *aliud quasi de suo dare*, Bart. *in l. 1. num. 13. ff. sol. matrim.* Casanat. *cons. 10. num. 190.*

Neque obstat, quod si vigore dicti Motus proprii B. Pii Quinti Camera deberet solummodo restituere Dominis Secretariis pretium Officiorum, quod ab ipsis recepit Dataria, non autem solutum Resignantibus, ad nihilum deserviret hujusmodi dispositio, dum absque illa adhuc esset locus huic restitutioni, ne succederet locupletatio Cameræ cum alterius jactura, & tamen B. Pontifex professus fuit velle ampliare privilegia Collegii ibi -- *Ad hæc Dominos Secretarios*, *& ipsum Collegium amplioris favoris gratia prosequi volentes*.

Siquidem, omissis pro nunc diversis commodis ex ea resultantibus Collegio, satis est dicere, quod vigore Innocentianæ Constitutionis in casu suppressionis Collegii, solummodo erant Secretariis restituenda antedicta scuta 62400. auri, Datariæ primitus soluta, ut supra probavimus; Attento autem Motu proprio ejusdem B. Pii, restituta fuerunt scuta 228557. monetæ, & sic patet, quod B. Pius meliorem fecit conditionem Dominorum Secretariorum in ordine ad pretium Officiorum circa quadruplum, & tamen, ut privilegium dici non possit frustratorium, satis est, quod etiam in minima parte operetur suum effectum, *cap. porrò de privil. in 6. & cap. in his 3. eodem tit.*

Pariter non urget, quod recensita verba Motus proprii B. Pii ibi -- *nisi restitutis prius realiter*, *& cum effectu singulis Secretariis tunc viventibus &c. pecuniis*, *pro quibus eorum Officia emisse*, *aut habuisse constiterit*, sint personalia, adeout retento intellectu pro parte Cameræ dato, veniret solummodo restituendum pretium dictis Secretariis, qui illud solverunt immediatè Datariæ, non autem cæteris habentibus officia ab illis, qui ea obtinuerant ab eadem Dataria, mediante solutione pretii.

Nam favore Dominorum Secretariorum causam habentium immediatè, sive mediatè ab illis, qui officia emerunt à Dataria, assistit regula, subrogatum nempè sapere naturam primordialem ejus, in cujus locum subrogatur, *l. si eum §. qui iniuriarum ff. si quis caut.* Surd. *de aliment. tit. 9. quæst. 21. num. 12.* Barbos. *axiom. 213. num. 1. & 2.* præcipuè quando, ut hic, concurrit voluntas Legislatoris: Verba enim debent inservire intentioni, non intentio verbis, *l. non aliter ff. de leg. 3. cap. sedulo requiris de appell.* Menoch. *cons. 97. num. 44.* & quod dictio, *eos*, ex solis conjecturis stet demonstrativè, non autem taxativè, & limitativè, Menoch. *cons. 346. num. 19. & cons. 647. num. 13.* Barbos. *de diction. dict. 177. num. 2.*

Respectu enim Innocentii Octavi ipse in ampliatione Collegii recepit à Secretariis dict. ducat. 62400. auri, subindè loquendo de extinctione, ejusdem Collegii dixit -- *Si verò* (sunt verba præcisa) *erit facta Officii revocatio*, *seu alteratio ad restituendum eis supradictam integram summam 62400. ducatorum auri de Camera per eos solutorum*, & sic usus fuit eisdem verbis personalibus, & relativis, & tamen fatendum venit intellexisse de Secretariis subrogatis in locum antecessorum, existentibus tempore suppressionis, quæ poterat supervenire, ut evenit ferè post duo sæcula.

Quo verò ad B. Pium, hoc idem affirmandum venit; quia considerans casum remotissimum, quando nempè controverteretur Collegio assignatio officii Secretariatus pri-

primo vacaturi, pro quo ſolverat ſupradicta ſcuta 5500. uſus eſt ſequentibus verbis, ibi --*niſi prius reſtitutis eiſdem Secretariis, & Collegio per Cameram prædictam realiter, & cum effectu prædictis pecuniis*; & agendo de ſuppreſſione Collegii, repetiit in ſubſtantia dictiones relativas, & perſonales appoſitas in Conſtitutione Innocentii, & ſic à primo ad ultimum dicendum venit, hujuſmodi Summos Pontifices voluiſſe reſtitui Secretariis, viventibus tempore extinctionis Collegii, pecunias per ipſos, & eorum anteceſſores reſpectivè ſolutas Datariæ, prout Sanctiſſimus mandavit in ſuo Motu proprio punctualiter exequuto, mediante reſtitutione ſcutorum 228557.

Sicuti non obſtat, quod violata remaneret publica fides ad præjudicium poſſidentium officia per viam reſignationis, ſi interpretando Bullam B. Pii ad ſenſum Cameræ, reſtitueretur in caſu ſuppreſſionis ſola quantitas per Datariam recepta, dum ipſæ reſignationes fuerunt per Papam admiſſæ, & Miniſter Componendarum habuit notitiam pretii conventi, ex cujus ſcientia inferri prætenditur ad illam Papæ.

Quia hujuſmodi facultas reſignandi officia, etiam in infirmitate, fuit Secretariis conceſſa per Innocentium Octavum in allegata Conſtitutione 12. §. 11. qui in caſum ſuppreſſionis Collegii juſſit, eis reſtitui integram ſummam 62400. ducatorum auri Cameræ ſolutam, ut ſupra dictum fuit, quæ reſtitutio eodem modo fieri debebat, ſive ſuppreſſio ſupervenifſet ante admiſſionem reſignationum, ſive poſt admiſſionem illarum; Unde dum in terminis Conſtitutionis Innocentii per admiſſionem reſignationum non dicebatur læſa publica fides, nec præjudicabatur Cameræ, quoad reſtitutionem pretii in caſum extinctionis Collegii, hoc idem affirmandum venit reſpectu Motus proprii B. Pii, cùm in ordine ad admiſſionem reſignationum nihil particulariter diſpoſuerit, ſed ſolum generaliter confirmaverit privilegia Collegio conceſſa per Innocentium, & alios Pontifices anteceſſores.

Præterquam quod non ſubſiſtit in facto, quod Papa ſignando ſupplicationes reſignationum, habeat ſcientiam quantitatis pretii, non ſolùm quia in ſupplicationibus de illo nulla fit mentio, ſed etiam quia tunc temporis non innoteſcit Illuſtriſſimo Datario, ut in atteſtatione Miniſtri
27 Componendarum, ex ſcientia autem iſtius Officialis non habentis Oraculum, non benè infertur ad notitiam Papæ, prout in terminis Procuratoris eſt *text. in l. item veniens* 20. §. *petitam autem hæreditatem ff. de petit. hæred.* ſolus enim
28 Datarius dicitur Organum Papæ, non autem id convenit Miniſtro inferiori, Amayd. *de ſtylo Datariæ lib. 1. cap. 1. num.* 4.

Minuſque urget, quod licet Innocentius in caſum ſuppreſſionis Collegii mandaverit reſtitui Secretariis ducata 62400. Datariæ ſoluta, & Beatus Pius juſſerit reſtitui to-
29 tum id, quod conſtabit eidem ſoluiſſe, nihilominus hoc intelligendum veniat, dummodo pretium officiorum non
30 fuerit actum de rempore ſuppreſſionis Collegii, & ſic rebus in eodem ſtatu permanentibus, Fagnan. *in dicto cap. ex epiſtol. ſub num.* 13. *verſ. idque cum duobus ſequentibus de probat.*

Quia cùm in utraque Conſtitutione exprimatur certa quantitas reſtituenda, nempe in altera Innocentii ſumma ducatorum 62400. & in altera B. Pii, ſumma Datariæ perſoluta, penitus ceſſat partis prætenſio, ex quo aliàs ſequeretur contradictio, ut de ſe patet, Fagnan. verò loquitur in terminis, in quibus non erat determinata ſumma reſtituenda, & tamen concludit ſolummodo, quod debeat reſtitui totum id, quod Camera recepit, ut ex lectura.

Obſervantia quoque quatuor ſummorum Pontificum, videlicet B. Pii Quinti ſanctæ memoriæ, Alexandri Septimi, Clementis Noni, & Clementis Decimi comprobat hujuſmodi intentionem Cameræ, quod nempe veniat ſolummodo reſtituendum pretium ſolutum Datariæ, tam per Officiales exiſtentes tempore ſuppreſſionis, quàm per eorum Anteceſſores, non autem pretium, quod currebat tali tempore extinctionis, vel illud, quod ſolverant reſi-
31 gnatibus eadem Officia. Cui quidem obſervantiæ interpretativæ uti proximæ, & in caſibus individualibus, multum venit deferendum, Honded. *conſil.* 92. *num.* 30. *lib.* 1. Gregor. *deciſ.* 184. *num.* 8. Buratt. *deciſ.* 944. *num.* 6.

Beatus enim Pius, ut narrat in ſuo Motu proprio edito de anno 1571. pro ſcutis 5500. auri vendiderat Officium vacatum menſe Aprilis anni præcedentis 1570. ut diximus, 32
Cardinali de Medices, ſed quia collatio ad ſe non ſpectabat, reſtituta eadem ſumma habita, conceſſionem revocavit litt. D. ex quo aſſequimur, quod idem Pontifex, nulla habita ratione ad pretium officii, tempore annullationis contractus, juſſit reſtitui totum id, quod Datatia habuit.

Rursùs ex quo Collegium ſolvit Cardinali præfata ſcuta 5500. auri eidem applicavit aliud officium primo vacaturum, cum facultate illud vendendi, cum ſolùm pro dictis ſcutis 5500. ſed pro quacumque ſumma invenienda, etiam valdè exceſſiva, & caſu quo Collegium deſuper quandocumque moleſtaretur, decrevit illi reſtitui debere eamdem ſummam ſcutorum 5500. auri, primitus ad Datariam perventum, litt. E. F. G.

Alexander Septimus recol. mem. anno 1655. ſuppreſſit Collegium Subdiaconorum, & Accolytorum Capellæ Pon- 33
tificiæ, mandando reſtitui poſſeſſoribus pretium ſolutum Cameræ, & ejus Miniſtris, etiam occaſione expenſarum pro conſequendis dictis officii, ut ex Motu proprio expedito 8. kalend. Novembris 1655. qui quidem caſus ſuppreſſionis eſt in fortioribus terminis, dum illa facta non fuit ob tam urgentes cauſas, propter quas ſucceſſit altera, de qua agimus, ut videre eſt ex lectura utriuſque Motus proprii, & ſic magis confert ad effectum, de quo agimus.

Neque urget, quod idem Papa eodem anno ſupprimendo Loca vacabilia Urbis, prævia erectione Montis non vacabilis, decreverit, quod Montiſtis Julii, Pii, Avenionen. & Sacri Fœderis adſcribi volentibus in novum Montem, fieret aſſignatio unius loci cum dimidio pro quolibet loco vacabili, reſpectu verò Montiſtarum Datariæ unius loci cum duabus quintis partibus alterius, & Montiſtis Camerariatus unius cum tribus decimis, Montiſtis verò adſcribi nolentibus in novum Montem, reſtitueretur pretium ad dictam rationem, ut latius in Motu proprio anni 1655.

Etenim Papa hoc fecit munificentiæ gratia, prout ſe de- 34
claravit, mediantibus ſequentibus verbis ibi -- *In hoc etiam ſatagentes creditores Montium extinctorum pietatis, ac munificentiæ noſtræ agnoſcere experimentum, dum pro locis extinctis, ex quibus Camera noſtra initio illarum erectionis ſcuta* 100. *in ſingula loca recepit (& aliquorum iudicio, ac etiam exemplo ſanctæ mem. Pii Quinti pro locis Montis Julii* 100. *ſcuta dumtaxat Edicto juſſit reſtitui) nonniſi ad eiuſdem quantitatis receptæ reſtitutionem fortaſſis teneremur, nihilominus &c.* & proindè exemplum non applicatur, ſed potius retorquetur, dum de Jure firmat regulam in contrarium, & hodie reſpondendum venit juxtà tramites Juris ad formam Motus proprii Sanctiſſimi, ſuperius regiſtrati.

Præterea obſervandum venit, quod Camera licèt in erectione Montium vacabilium vendidiſſet quemlibet locum pro ſcutis 100. nihilominus illis denuò vacantibus, vendiderat etiam ultrà ſummam reſtitutam in vim Bullæ ſuppreſſionis, & tamen exemplo B. Pii Quinti, & opinione aliquorum prætendebatur, quod eadem Camera non teneretur, niſi ad reſtitutionem ſcut. 100. pro loco primitus receptorum, abſque eo, quod fuerit nec etiam motiva- 35
tum, quod ipſa deberet reſtituere ultrà pretium ſucceſſivis temporibus receptum, ut clarè dignoſcitur ex recenſitis verbis, & plenè apud bon. mem. Fagnan. *in cap. ex epiſtolæ num.* 11. *& ſeqq. de reſtit. ſpoliat.*

Clemens Nonus ſanctæ memoriæ anno 1667. occaſione 36
reformandi Curiam Burgi, ob cauſas expreſſas in Bulla, ſuppreſſit Officium vacabile Notariatus civilis, & criminalis, applicatis emolumentis Reverendæ Cameræ, quod à Dataria acquiſiverat Joſeph Bartolus pro ſcut. 1000. monetæ, qui illud reſignaverat Silveſtro filio, cui mandavit reſtitui idem pretium Datariæ ſolutum, unà cum expenſis factis occaſione expeditionis, & aliis ſcutis 100. pro omni eo, quod prætendere poſſet pro ſcripturis, & aliis, ut ex Chirographo 5. Decembris ejuſdem anni, & Inſtrumento quietantiæ.

Et ſub eadem die idem Clemens ſubſcripſit alium Chirographum conceſſionis emolumentorum dicti Officii Notariatus criminalis in favorem Joannis Andreæ Januenſis pro menſtruis ſcutis 30. & conceſſionis emolumentorum Notariatus civilis in favorem Benedicti Riccii pro aliis ſcutis 30. pro quolibet menſe, cujus vigore deventum fuit ad venditionem.

Ne-

Neque obſtat, quod Clemens Octavus ſanctæ memoriæ de anno 1592. in ſuppreſſione Præfecturæ carcerum annui
37 redditus ſcutorum 4000. mandaverit reſtitui Joanni Baptiſtæ Lilio poſſeſſori, non ſolùm ſcut. 13000. Cameræ ſoluta, ſed etiam alia ſcuta 200. ad hoc, ut libentiùs conſenſum præſtaret.

Quia Papa hoc fecit pariter largitionis, & donationis cauſa, ſicuti apparet ex Bulla erectionis Montis Charitatis tali occaſione factæ, ibi, *ad effectum congregandæ ſummæ ſcutorum 15000. quæ dicto Ioanni Baptiſtæ reſtitui, & perſolvi decreveramus, nempè treſdecim millia per dictum eius Genitorem ratione pretii eiuſdem Officii dictæ noſtræ Cameræ ſoluti, & reliqua ſcuta 2000. quæ eidem largiti fuimus, ut libentiùs dicti Officii ſuppreſſioni conſentiret*, & ibi, *& alia ſcuta 2000. quæ ei pro primo dictas noſtras litteras donavimus realiter, & cum effectu perſolvantur*.

Clemens Decimus etiam ſanctæ memoriæ anno 1671.
38 Motu proprio ſupprimendo Officia vacabilia Secretariorum Montium, ob graviſſimas cauſas, ſimiliter juſſit per Cameram reſtitui poſſeſſoribus pretium ſolutum Datariæ pro illorum acquiſitione.

Neque vis fieri poteſt in eo, quod Joannes Maria Antonettus obtinuerit reſtitutionem pretii ſui Officii ſoluti Angelo Pompilio reſignanti, quia hoc evenit vigore ſpecialis chirographi ejuſdem Clementis ſub 7. Novembris dicti anni 1671. quę gratia magis comprobat intentionem Camerę, quod nempè, illa circumſcripta, ſimpliciter attendendum eſſet pretium Datariæ ſolutum.

In cujus comprobationem Domini Camerales, pro conſequenda eorum decima ex pretio Officiorum confiſcatorum Marco Arrigo, ex quo non reperiebantur juſtificationes in ordine ad pretium per ipſum ſolutum, mediante alio Chirographo ejuſdem Clementis, 5. Decembris 1671. facta fuit valutatio, *à ragione d'un giulio* (ſunt verba Chirographi) *per luogo, come la noſtra Dataria è ſtata ſolita venderli*.

Michael verò Poleſius tempore ſuppreſſionis poſſidebat Officium Secretariatus Montis Abbundantię reductæ uſque de anno 1638. ſibi reſignatum à Joanne Baptiſta Bandino, ut in ſupplicatione, ſed quia non juſtificavit, quod Bandinus aliquod pretium Datariæ perſolviſſet, nihil conſequutus fuit, ut ex atteſtatione Computiſtæ Reverendæ Cameræ.

Similiter Pompilius de Cupis de anno 1658. obtinuerat à Dataria Officium Secretariatus Montis Subſidii Triennalis tertiæ erectionis, cũ duabus Computiſtariis Montiũ, pro ſolis ſcutis 1200. quas Computiſtarias tempore ſuppreſſionis vendiderat pro ſcutis 1800. & ideò nec iſte pro Secretariæ pretio aliquid obtinuit, ex quo ad illum titulo lucrativo pervenerit.

Præter autem obſervantiam quatuor ſummorum Pontifi-
39 cum Anteceſſorum, habemus conſimile exemplum Regis Chriſtianiſſimi, qui anno 1672. reducendo, & ſupprimendo Officia vacabilia Secretariatuum pariter ob urgentiſſimas cauſas, mandavit reſtitui pretium Regiæ Cameræ ſolutum ibi, *Saranno l'entrate dell' ufficii rimborſate dalla Finanza, che ſi giuſtificaranno havere attualmente pagato nelle noſtre Caſſe ſecondo la liquidatione, che ne ſarà fatta dalli Commiſſarii à queſt' effetto deputati*, ut ex Edicto deſuper expedito de menſe Aprilis. 1672.

Quæ quidem ſuppreſſio habuit ſuum effectum, ut in atteſtatione 20. Februarii 1679. in qua leguntur hæc verba ibi, *Sono ſtate rimborſate dalla Finanza, cioè della ſomma, che loro hanno giuſtificato haverle attualmente pagato nella Caſſa di S. Maeſtà, ſenza haver riguardo à quello, che li detti Officii li ſono coſtati dalli Particolari, che li poſſedevano per avanti, in conformità di detto Editto*.

Quibus omnibus addi poteſt, quod quatenus pluries reperita verba Motus proprii B. Pii ibi, *niſi reſtitutis priùs realiter, & cũ effectu ſingulis Secretariis tunc viventibus pecuniis, pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*, eſſent dubia, utrum nempè à Camera ſint ſolummodò reſtituendæ pecuniæ à Dataria receptæ, tàm à DD. Secretariis Officia poſſidentibus tempore ſuppreſſionis Collegii, quàm ab eorũ Anteceſſoribus, ſive etiam teneatur ſolvere pecunias per ipſos exburſatas Reſignantibus, adhuc de Jure credimus reſpondendum in favorem Cameræ.

Primò Quia inter Innocentium Octavum, & Secretarios ſtipulantes etiam pro ſucceſſoribus conventum fuerat, quod Camera in caſum ſuppreſſionis Collegii reſtitueret ſummam ducatorum 62400. auri per ipſos eidem ſolutorum, ut ex verbis Conſtitutionis 12. ibi, *Si verò erit facta Officii revocatio, aut alteratio, ad reſtituendum eis ſupradictam integram ſummam 62400. ducatorum auri de Camera per ipſos &c. ſolutorum, ſic enim cum ipſis Secretariis nos in tractatum omnium præmiſſorum conveniſſe, & ſic pacto expreſſo eis pro ſe ipſis, & eorum ſucceſſoribus, cum ſimili fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu fuiſſe ſolemniter pollicitos in fide Pontificis recognoſcimus, & atteſtamur*. Conventiones autem, & pacta vim legis habent, & pro lege reputantur, *l. 1. C. de pact.* Cravett. 40
conſil. 624. num. 24. Gratian. *diſcept. 719. n. 23.*

Dum igitur B. Pius occaſione confirmandi, & ampliandi privilegia Collegii voluit non deveniri ad ſuppreſſionem, *niſi reſtitutis integraliter, & cum effectu ſingulis Secretariis tunc viventibus pecuniis, pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*, tale privilegium debet interpretari, ut minùs lædat, quàm ſit poſſibile dictam ſolemnem conventionem, ut diximus, vim legis habentem, ſufficit enim, quòd privilegium contra diſpoſitionem Juris aliquid operetur, *d.* 41
cap. Porrò de privil. in 6. cap. 1. ubi DD. *de reſcript.* Aretin. *conſ. 163. circa fin.*

Quod autem verba Motus proprii B. Pii interpretata juxta intellectum Cameræ, ſint operativa in favorem Collegii, controverti non poteſt, dum ut ſupra diximus, ultra alia commoda, quæ conſiderari poſſunt, Camera loco reſtituendi ducat. 62400. tenetur reſtituere, prout cum effectu reſtituit, ſcut. 228557. quæ Dataria habuerat à Secretariis, juxta verò prætenſionem partis eſſet condemnanda ad aliam ſummam valdè notabilem non habitam, neque receptam.

Secundò. Quia dum hic agitur de ſuppreſſione Officiorum de regalibus Principis facta ex lege fundationis, cadit diſputatio, an Camera debeat ſolùm reſtituere quod à principio habuit, an verò teneatur quoque reſtituere, quod ſucceſſivè ex novis venditionibus dictorum Officiorum 42
exegit, & in iſtis terminis latè examinat quæſtionem Fagnan. *in alleg. cap. ex epiſtolæ num. 11. & ſeqq. de reſtit. ſpoliat.* ad quod etiam facere videtur Felin. *in cap. cum dilecta ſub n. 21.* ibi, *Quædam verò ſunt Collegia perſonarum, quæ poſſunt poſſidere bona in particulari, & diſſoluto Collegio habebit quiſque quod contulit, & ſi ſuperſunt alia bona, erunt ſuperioris* de reſcriptis.

Tertiò. Quia ſi Camera deberet reſtituere pretium ſolutum per Dominos Secretarios reſignantibus Officia, condemnaretur ad ſolvendum quod non habuit, & ſic ad damna, & intereſſe, quod fieri non poteſt, niſi ratione pœnæ, quæ non datur ſine culpa, in noſtro autem caſu nullatenus con- 43
ſiderari poteſt, ſtante quod, ut diximus, ſuppreſſio facta fuit ex urgentiſſimis cauſis, commodum publicum ſecum ferentibus, & per viam legis generalis, & in vim conventionis appoſitæ in erectione ejuſdem Collegii, ut in allegata Conſtitutione Innocentii Octavi, & Motu proprio B. Pii, ſuperius regiſtratis.

Quartò. Quia ſi hoc procedit jure privatorum faciliùs admittendum venit favore Fiſci, ſpeciale privilegium habentis, in hac materia, ut in caſu evictionis non teneatur, niſi 44
ad ſimplum, etiam ſi promiſerit duplum, vel triplum, de quo *in l. ſi Procurator 5. ff. de Iure fiſc.* ibi, *Si procurator Cæſaris rem aliquam vendiderit; quamvis duplum, vel triplum pro evictione promiſerit, tamen Fiſcus ſimplum præſtabit*, & Bald. *in l. 1. C. de hæredit. vel action. venditæ ſub num. 5. verſ. ſed ſcias*, ſic ait: *Sed ſcias quod in contractibus fiſcalibus Fiſcus nunquam tenetur de evictione ultra ſimplum, etiam ſi ſit expreſsè promiſſum duplum*, ut *ff. de Iur. fiſc. l. ſi Procurator*, ubi eſt *text. & num. 6.* ibi, *quærit Gloſ. quid ſi emptor hæreditatis eſt non ſolvendo numquid tenetur Fiſcus?* Reſpondit Gloſ. *quod ſic de æquitate, quod intellige quantum pervenit ad Fiſcum, & non ultra, ne locupletetur cum aliena iactura*. Peregrinus *de Iur. fiſc. lib. 6. cap. 1. num. 37.*

Quintò. Quia, ut ſupra probavimus in hujuſmodi ſuppreſſionibus Camera fuit ſolita reſtituere ſolummodò pretium, quod Dataria habuit, quæ conſuetudo cùm fuerit in quatuor Pontificatibus ſervata, utique attendenda venit, etiam in hac facti ſpecie, prout in durioribus Cagnol. *in l. 2. n. 93. C. de reſcind. vend.* ubi quod licet in pacto de retrovendendo non habente expreſſionem certi pretii, ex æquitate ſolvendum veniat juſtum pretium, inſpecto tempore retrovenditionum, hoc tamen non procedit data conſuetudine, quod reſtituatur pretium receptum, quem refert, & ſequitur Surd. *conſ. 52. num. 51. tom. 1.*

Ex quibus credimus reſpondendum, Cameram non teneri, niſi ad reſtitutionem pretii Officiorum, quod Dataria recepit, & proinde ſuperfluum videtur deſcendere ad caſus particulares, quid nempè dicendum ſit in ordine ad Dominos

minos Secretarios, Officia titulo donationis poſſidente, & reſpectivè quoad alios ab eiſdem cauſam habentes, cùm dicta reſolutio ſit communis omnibus, etiam in ordine ad prætendentes debuiſſe ſignari ſupplicationes, dum tractabat de exequenda ſuppreſſione Collegii. Quare &c.

Sanctes de Pilaſtris Rev. Cam. Apoſt. Commiſſ. Gen.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

PRIMA JURIS.

SVMMARIVM.

1 *Reſtitutio non extenditur ultra acceptum.*
2 *In reſtitutione non cadit augmentum.*
3 *Verbum* reddere *quandoque importat idem, ac ſolvere.*
4 *Eſt tamen interpretatio extenſiva, & impropria.*
5 *Verba ſemper cenſentur in proprio ſignificato prolata.*
6 *Senſus improprius attendi poteſt in ultimis voluntatibus, non autem in contractibus, & obligationibus.*
7 *Impropriatio nimis præiudicialis admitti non debet.*
8 *Clauſæ realiter, & cum effectu, & integrè, & ſine diminutione, quamcumque impropriationem, & fictionem excludunt.*
10 *Contractus claudicare non debet.*
11 *Diſpoſita in caſu particulari declarant intentionem diſponentis in caſu univerſali.*
12 *In diſpoſitionibus dubiis ſemper inſpicitur ſtylus, & uſus ipſius diſponentis.*
13 *Bulla recipit interpretationem à declaratione ipſius diſponentis.*
14 *Diſcretiva diſpoſitio plurimùm confert ad dubiam diſponentis voluntatem declarandam.*
15 *Privilegium ſtrictè eſt interpretandum, ut quo minus fieri poteſt Cameræ præiudicet.*
16 *Fiſcus in caſu evictionis, de iure non tenetur, niſi ad reſtitutionem recepti, etiam ſi promiſſa eſſet evictio ſub pœna dupli.*
17 *Præcipuè ſi evictio ſequitur ex natura contractus.*
18 *Lex nova correctoria antiquæ ſtrictiſſimè eſt intelligenda, ut quo minùs fieri poteſt priorem corrigat.*
19 *Diſpoſitio non dicitur inutilis, quando eſt in aliquo operativa.*
20 *Officia Romanæ Curiæ habent emolumentum eventuale.*
21 *Diminutio rei cedit periculo Domini.*
22 *Qui conſequitur lucrum debet etiam ſubire periculum damni.*
23 *Princeps non tenetur ad reſtitutionem pretii quoties per viam legis generalis, & ex cauſa publicæ utilitatis rem ſuam ſubditis aufert.*
24 *Vel reſtitutio licitè promittitur in ſtatu pinguioris conditionis Ærarii.*
25 *Huiuſmodi promiſſiones rarò, vel nunquam executioni demandantur.*
26 *Reſtitutio tria ſupponit, debitorem, creditorem, & rem reſtituendam.*
27 *Verba* emiſse, & habuiſse *in Bullis Apoſtolicis accipienda ſunt pro ſynonymis.*
28 *Verbum* habuiſse *in Conſtitutione Piana poterat verificari in duobus officiis poſſeſſis per Archihoſpitale Sancti Spiritus, & Capitulum S. Euſtachii mediante permutatione.*
29 *Poteſt operari, quod officialis recuperet pretium Cameræ ſolutum per eius Auctorem, qui immediatè à Camera acquiſivit.*
30 *Verborum impropriatio eſt admittenda ad evitandum ſummum rigorem, & effugiendam correctionem.*
31 *An ſecundus emptor agat de evictione contra primum venditorem, remiſſivè.*
32 *Exuſu loquendi verborum dubietas declaratur.*
33 *Reſignans tacitè renunciat officium in manibus Principis, & iſte novo Officiali illud confert.*
34 *Officia tamquam de regalibus non ſunt in commercio.*
35 *Aſſenſus Principis non eſt retorquendus in ſui præiudicium.*
36 *Obſervantia eſt optima rerum dubiarum interpres.*
37 *Ex actu liberalitatis non poteſt induci obſervantia obligatoria.*
38 *Dictio* nempè *eſt declarativa idemq; importat ac* ſcilicet.
39 *Supremi Principes in iuſtitiæ adminiſtratione gratiam exercere profitentur.*
40 *Privato aſſerenti ſe ſolvere ex liberalitate, ad effectum excludendi obligationem, creditur.*
41 Fagnan. in cap. ex epiſtolæ de probat. *in quibus terminis loquatur.*

Card. de Luca de Offic. & Venal. &c.

R. P. CUM Sanctiſſimus Dominus Noſter in Motu proprio Suppreſſionis, §. *Et inſuper*, expreſsè mandaverit, à Camera promptè, ac ſtatim reſtitui omnes illas pecunias, quas legitimè conſtiterit verè, realiter, cum effectu per Officiorum Titulares ſeu Poſſeſsores, ſive illorum Auctores, quibus facultas diſponendi conceſsa fuerit, eidem Cameræ, ſive Datariæ, tam in cauſam pretii, quàm expeditionum fuiſse ſolutas, itaut reſpectu pecuniarum eidem Cameræ, ſeu Datariæ ſolutarum, in nihilo damnificati remaneant, juſseritque per hoc Sacrum Tribunal deindè cognoſci, *An, & quid, etiam ultrà dictas pecunias reſtituendum ſit.* Conſtanter credimus, negativè reſolvendum eſse, ſcilicet, *Nil ultra deberi.*

Si etenim controverſia decidenda foret juxtà legem fundamentalem datam ab Innocentio Octavo in erectione hujus Collegii Cõſtit. 12. §. 23. *verſ. Si vero* quæve ſuperiùs reperitur impreſſa, reſtitui ſolùm debuiſſent pecuniæ, prima vice per Cameram recepte, in ſumma ducatorum 62400. auri de Camera, adeòque niſi ſuperveniſſet alia Conſtitutio Beati Pii Quinti Camera non fuiſſet coacta reſtituere, prout fecit, ſcuta 228557.

Verùm quia dicta Conſtitutio Piana præcedentem correxit grave damnum, & præjudicium Cameræ, libenter toleramus legem, quamvis duram, in ea præſcriptam. Cumque illa fuerit punctualiter adimpleta, mediante ſcilicet integra reſtitutione pecuniarum, quas juſtificatum extitit fuiſse per Officiales, vel eorum Auctores Cameræ, ſeu Datariæ ſolutas, ultrà expenſas in expeditione, ſequitur, quod nihil ultrà reſtituendum veniat.

Clariſſimum eſt namque, quod vigore dictę Conſtitutonis Pianæ, tam inſpectis verbis, quàm intimè conſiderata mente, Camera non teneatur ad aliud, quàm ad pretium ab ea, vel à Dataria receptum.

Adhibita ſiquidem fuerunt verba reſtitutionem importantia, ibi, *Niſi reſtitutis priùs realiter, & cum effectu &c. pecuniis, pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*: quorum proprietas pati non poteſt interpretationem à DD. exadverſo ſcribentibus allatam, per quam Dataria obligetur ad reſtituendum ultrà acceptum, cùm reſtitutio ultrà illud 1
non extendatur, ut eſt *Tex. expreſſus in l. 1. §. eleganter ff. depoſit.* & notat *gloſ. in l. qui uxori* 19. *verb. reddi ff. de aur. & argen. leg. & in l. mancipia verb. avocandum*, ibi, *aliàs fruſtrà diceret reſtituat C. de ſerv. fugit.* & probant Cravett. *conſ.* 970. *num.* 2. *verſ.* 3. ibi, *Quonam pacto enim reſtitui id poterit, quod datum, aut ademptum nunquam ſit*, inferens 2
proindè in reſtitutione non cadere augmentum, Burſatt. *conſ.* 187. *n.* 27. Bero. *conſ.* 207. *n.* 63. *lib.* 3. optimè Menoch. *conſ.* 1155. *n.* 51. ibi, *Cùm reſtituere non poſſem, quod non accepi*, & *n.* 52. ibi, *Reſtitutio enim, quod eſt conſequens acceptionis, præſupponit ipſam acceptionem tanquam neceſſarium antecedens, ut manifeſtum eſt*, Rebuff. *in l. reſtituere* 75. *in princip. ff. de verb. ſignif.* Gratian. *diſcept.* 884. *num.* 7. & dixit Rot. coram Dunoz. jun. *deciſ.* 7. *num.* 12. *& deciſ.* 59. *num.* 1. *par.* 16. *rec.* & optimè in exadverſo citat. *deciſ.* 90. *num.* 26. coram Arguell.

Licèt autem quandoque verbum, *reddere*, idem ac ſolvere importet, ut per *Tex. in l. verbum reddendi* 94. *ff. de verb.* 3
ſignif. aliaque jura probare contendunt DD. exadverſo ſcribentes, id tamen contingit per interpretationem extenſivam, & impropriativam dicti verbi, ſubjecta materia illam 4
exigente, non autem ex illius proprietate, quæ ſemper acceptionem præſupponit, ut ex eodem *Tex. in l. verbum*

reddendi, respondit Rot. coram Arguell. *cit. decis. 90. n. 26.*

Hujusmodi verò impropriativam interpretationem in casu nostro admittendam non esse suaderi facilè potest; Tùm
5 quia ea semper vitari debet, cùm verba censeantur in proprio
6 significatu prolata, Tùm quia sumus in obligatione, quæ strictè, & rigorosè intelligenda est, quidquid sit in ultimis voluntatibus, in quibus procedunt Jura exadverso allegari solita, ut optimè distinguit Mans. *consult.* 13. *nu.* 35. Rota *decis.* 172. *n.* 89. *ad fin. par.* 6. *rec.* & coram Celso *decis.* 257. *num.* 7. Tùm quia de Jure Camera obligari non poterat nisi
7 ad accepti restitutionem, ut infra probabitur; Tùm demùm quia cùm impropriatio sit nimis Camerę præjudicialis, admitti non debet, ut per *Tex. in l. nec damnosa C. de prec. Imper. offer.* probat Mangil. *de evict. quæst.* 167. *num.* 7.

Illamque penitùs excludere videntur subsequentes
8 clausulæ, *realiter*, *& cum effectu*, *& integrè*, *& sine ulla diminutione*, quamcumque impropriationem, & fictionem excludentes, quæ licèt directæ sint ad commodum Officia-
9 lium, optimè tamen declarant, Summum Pontificem sumere voluisse verba in propria, & rigorosa significatione, cùm nulla æquitas patiatur contractum, & obligationem claudicare, itaut favore Officialium verborum proprietas sit attendenda, ab ea verò sit recedendum pro ipsorum incommo-
10 do vitando, quam claudicationem omninò effugiendam esse ostendere conantur Domini ex adverso scribentes.

Hanc etiam fuisse mentem Sanctissimi Pontificis manifestè colligitur ex ipsius facto. Cum enim Secretariatum vacantem per obitum Marcelli vendidisset Cardinali Mediceo pro pretio scutorum 5500. auri, & deindè comperto, quod Officium erat supprimendum, cùm Collegium non esset adhuc reductum ad numerum vigintiquatuor, juxtà dispositionem Constitutionis Innocentianæ, concessionem revocasset, eidem Cardinali restituit tantùm pretium ab eo Datariæ persolutum, quod cum à Collegio fuisset Sanctissimo Pontifici commodatum, is pro illius satisfactione dedit in solutum Officium primò vacatum à Dataria conferendum, donando augmentum pretii, quamvis summam ab illa exactam in restitutione facta Cardinali Mediceo, in pārva, vel etiam magna quantitate excederet, jubendo, quòd in casu molestiarum Collegio inferendarum, per quas super præmissis turbaretur, Camera teneretur eidem cum effectu persolvere dicta scuta 5500. à Dataria exacta.

Ex qua facti serie plura desumi valent, disponentis voluntatem declarantia circa casum universalis suppressionis totius Collegii: Pro quorum intelligentia præmittendum est, suppressionem, quæ fit per legem generalem, esse minùs odiosam, quàm revocationem concessionis particularis, cùm in illa præponderet ratio publici boni, plurium incommodum compensantis, ut infrà probabitur, adeòque pro-
11 pter majoritatem rationis, disposita in casu particulari, multò magis declarant intentionem disponentis in casu universali.

Primum itaque, quod ex dicto facto resultat, pro declaranda intentione disponentis, est actualis restitutio facta Cardinali Mediceo tantummodò pretii per ipsum Datariæ soluti, ex quo actu, licèt unico, deducitur consuetudo ipsius Pōtificis restituendi pretium acceptum, quę optimè declarat de illo pariter intellexisse, quando cogitando casum universali suppressionis, pretii restitutionem ordinaverat, ex
12 regula, quod in dispositionibus dubiis semper inspicitur stylus, & usus ipsius disponentis, ut tradunt Lap. *alleg.* 89. *num.* 6. Spad. *cons.* 21. *num.* 9. *lib.* 1. optimè Mastrill. *decis.* 257. *num.* 17. & in terminis alterius Bullæ ejusdem Beati
13 Pii, quod recipiat optimam interpretationem à declaratione ipsiusmet disponentis, dixit Rota *decis.* 487. *num.* 1. *vers. præsertim stante declaratione eiusdem Conditoris par.* 1. *divers.*

Secundum exindè resultans pro declaratione propriæ voluntatis in Constitutione antecedenti, est, quòd sicut quando voluit Collegio donare augmentum pretii reperibile de tempore vacationis Officii in solutum dati, id litteraliter expressit, ità pariter exprimere non neglexisset, si cogitando cāsum suppressionis, voluisset restitui ultrà pretium Datariæ solutum: Discretiva quippè dispositio plurimùm
14 confert ad dubiam disponentis voluntatem explicandam, ut in terminis Constitutionis Apostolicæ firmat Spad. *cons.* 41. *num.* 12. *& cons.* 52. *num.* 4. *& cons.* 138. *num.* 2. *& cons.* 140. *num.* 12. *lib.* 1. & in terminis privilegii à Rege concessi, Mastrill. *d. decis.* 257. *num.* 16.

Tertiò, & quidem validius argumentum ex dicta facti serie desumibile est, quòd etiam post donatum augmentum pretii, noluit Sanctiss. Pontifex in casu molestiarum Collegio inferendarum, per quas dispositio, vel in totum, vel in parte effectuari non posset, Cameram ad aliud teneri, quàm ad acceptæ pecuniæ restitutionem. Quòd si solùm accepti restitutionem jussit, quando augmentum pretii concesserat, quantò magis censendum est, ad illam tantùm Cameram obligare voluisse, in casu generalis suppressionis, in quo solùm restitutionem promisit.

Idemque comprobatur ex receptissima regula, quod privilegium strictè debet interpretari, ut minus quàm possibile sit Camera læsa remaneat, ut observant Bero. *cons.* 96. *num.* 13. *lib.* 1. Spad. *cons.* 9. *num.* 11. *lib.* 1. Mangil. *de evict. quæst.* 167. *num.* 7.

Præsertim cùm hæc interpretatio sit Juris dispositivi conformis, qua inspecta, non tenetur Fiscus in casu evictio- 16
nis, nisi ad accepti restitutionem; etiam si adsit expressa conventio evictionis cum obligatione dupli, vel tripli, juxta Text. expressum, & litteralem in *l. si Procurator ff. de iure fisci*, Bal. *in l.* 1. *C. de hæred. vel act. vend. num.* 11. benè Paris. *cons.* 101. *num.* 54. *lib.* 1. Caballin. *de evict.* §. 1. *num.* 88. de Pont. *de potest Proreg. tit.* 4. *de Regal. impos.* §. 4. *num.* 2. *& seqq.* Mangil. *de evict. qu.* 181. *n.* 28. *&* 29. maximè quando evictio sequitur ex natura contractus, ut in casu nostro, cùm Officia sint de sui natura resolubilia, quo casu nihil esse præstandum ultra pretium solutum, op- 17
timè respondet Menoch. *cons.* 418. *nu.* 21. Mangil. *de evict. qu.* 20. *num.* 36.

Considerandum est insuper, quod hæc Constitutio Piana correctoria est antecedentis Innocentianæ in grave damnum, & præjudicium Cameræ, adeoque strictissimè in- 18
telligi debet, ut quod minus fieri potest corrigat priorem, & minus præjudicium Cameræ inferat, uti est vulgata, & receptissima conclusio.

Ad ostendendum autem, contrariam fuisse mentem Summi Pontificis, nihil relevat argumentum ex adverso adductum, quod admissa interpretatione restrictiva obligationis restituendi tantum pretium Datariæ solutum, nedum non ampliata fuissent Collegii privilegia (prout B. Pius facere voluisse desumitur ex verbis dictæ Constitutionis) imò potius ea restricta remansissent, negata facultate recuperandi in casu suppressionis pretium resignantibus persolutum, nec ullam gratiam Papa contulisset reddendo tutos Officiales circa recuperationem pretii Datariæ soluti, cùm circa illam prætendatur nullam difficultatem oriri potuisse, etiam circumscripta dicta speciali provisione.

Quoniam quamplurimas, & quidem magni ponderis utilitates Officialibus attulit Constitutio B. Pii, ita ut non sit opus, ad illius efficaciam salvandam, admittere interpretationem ex adverso prætensam, per quam Camera cum maximo ipsius prejudicio cogenda sit restituere, quod non 19
accepit; Ad effugiendum siquidem absurdum ab inutilitate resultans, sufficit dispositionem in aliquo esse operativam, ut in similibus firmavit Rota *in Bononien. Capellæ* 28. *Iulii* 1669. §. *Præterea coram Reverendissimo Bourlemont.*

Præ cæteris verò commodis, quæ consequuti fuerunt Officiales ex dicta Constitutione, duo potissimè considerandа sunt, præcisè circa securitatem recuperandi pretium: Alterum resultans ex correctione Constitutionis Innocentianæ, qua inspecta, ut diximus, solùm restitui debebat in casu suppressionis Collegii pretium primæ erectionis; Adeout verum non sit, quod circumscripta Constitutione B. Pii, adhuc potuissent Officiales consequi pretium Datariæ solutum. Et cùm in vim dictæ secundæ Constitutionis restitutum fuerit, ut est dictum, ferè quadrupulum pretii primæ erectionis, utique negari non potest Officiales ex illa maximam utilitatem fuisse consequutos.

Alterum commodum Officialibus resultas est securitas recuperandi pretium, absque diminutione, cujus periculum subire poterant, cùm notorium sit Officia Romanæ Curiæ 20
non habere pretium certum, sed eventuale, consistens in majori, vel minori affluentia expeditionum, ut observat Mandos. *cons.* 90. *num.* 8. & secluſa peculiari dispositione, 21
utique Officiales in casu suppressionis pati potuissent damnum diminutionis, per Text. *in l.* 1. *C. de peric. & comm. rei vend.* Ac proinde maximè utilis fuit Officialibus provisio, quæ ipsos tutos redderet de integri pretii consequutione. Neque cum adeò enormi claudicatione trahi debet ad

obli-

22 obligandam Cameram ad reſtituendum pretium non acceptum, id enim operaretur Officiales poſſe augumenti lucrum tutò conſequi, abſque periculo ſentiendi damnum decrementi, contra apertam diſpoſitionem, *Text. in d. l. 1. C. de peric. & comm. rei vend. & in l. evicta re 70. ff. de evict.* ita ſe locupletando cum manifeſta Cameræ jactura.

Neque ſubſiſtit reſponſio exadverſo data, quod ſi Officia decreviſſent in æſtimatione, Camera non deveniſſet ad eorum ſuppreſſionem, & ita commodum recuperandi pretium abſque diminutione nunquam redactum fuiſſet ad actum.

Multæ ſiquidem occurrere poterant cauſæ ſuppreſſionem ſuadentes, prout plures in Motu proprio fuerunt expreſſæ, & ſignanter inutilitas Officialium pro ſervitio Sedis Apoſtolicæ in hoc munere, quæ ſicuti movit Sanctiſſimum ad illam executioni demandandam, quando emolumenta Collegii adeò notabiliter excreverant, ut tali pacto Cameræ anguſtiis ſubveniret, reddendo ipſi quod ſuum eſt, ita movere potuiſſet aliquem ex Anteceſſoribus ad illam decernendam, quamvis pretium Officiorum adeò actum non eſſet, & licèt etiam reperiretur diminutum, ſicut enim Sanctiſſimi Pontificis gloriæ verti debet, quod in tanta Ærarii calamitate munificentiæ laudem cum ſubditorum incommodo, atque diſpendio comparare non ſtudeat, ità nimis injurioſum eſt Summorum Pontificum juſtitiæ, Officiorum ſuppreſſiones lucri cupiditati tribuere, quoties vel alia potentior cauſa illas ſuadeant, vel publica neceſſitas adeò urgeat.

Et ſanè causâ captâdi lucrum (quæ forſan adaptari poſſet, ſi inter privatos ageretur) nimis eſſe alienam à cujuſque Summi Pontificis mente, quamvis ſuperfluum ſit argumentis oſtendere, cum potiùs erubeſcendum eſſet adeò injuriosè de illo ſentire, adhuc tamen quantum à lucro abhorreat Sanctiſſimus Dominus Noſter, ex eo facilè deprehendi poteſt, quod voluntariè denegando plures olim conſuetas gratias, ob quarum frequentiam Officiorum emolumenta adeò notabiliter excræverant, ut experientia docuit, notabilem illorum diminutione attulit Secretariæ Brevium, cujus incommodum ſentire debuiſſent Officiales, niſi ſuppreſſio, de qua adeò conqueruntur, contigiſſet, itaut Officiorum pretium, vel jam redactum eſſet, vel brevi redigendum foret ad id, quod decem, vel quindecim ab hinc annis currebat.

Quinimò cum pretii talium Officiorum diminutio contingere potuiſſet cum majori Cameræ compendio, reintegrando ſcilicèt Datariam de expeditionibus, quibus ſpoliata fuerat, partim conniventia Pontificum, partim induſtria Officialium, cum maximo ejuſdem Datariæ damno, ut eſt notorium, quod utique abſque ulla juſta Officialium querela fieri poterat, pariter contingere valuiſſet caſus ſuppreſſionis Officiorum, pretio valdè diminuto, itaut Officialibus illud cum integritate reſtituendo, maximum fieret beneficium.

Prout etiam magna ipſis utilitas reſultavit ex Conſtitutone Piana, effugiendo aliam pericula amiſſionis vel integri pretii, vel partis ejuſdem, ut contingere potuiſſet, ſi juxtà terminos juris communis articulus iſte fuiſſet decidendus, quemadmodum in alia particulari ſcriptura ex abundanti oſtenderetur. Certum eſt ſiquidem, Principem
23 ad pretii reſtitutionem non teneri, quoties per viam legis
24 generalis rem ſuam ſubditis aufert ex cauſa publicæ utilitatis. Sicuti pariter licitum fuiſſet ex eadem cauſa reſtitutionem ſolùm promittere in ſtatu pinguioris Ærarii conditionis exequendam, ut tendunt Capyc. Galeot. *reſp. fiſc.* 23. *num.* 77. & Capic. Latr. *deciſ.* 188. *num.* 71. *cum ſeqq.* quas
25 promiſſiones rarò, vel nunquam executioni demandari monet R. P. D. de Luca *de Regal. diſc.* 48. *num.* 18.

Aliud quoque periculum ſubire poterant Officiales, cui per Conſtitutionem B. Pii, quatenus mandat integram pretii reſtitutionem (ut ipſi prætendunt, licèt à Camera non admittatur) conſultum remanſit, ſcilicèt imputationis magnæ redditum excreſcentiæ in ſortem, & pretium, quæ de jure evitari non potuiſſet, ut oſtendetur in dicta particulari ſcriptura, præſertim cùm, ut mox dictum eſt, tale immoderatum augumentum provenerit ex conniventia Summorum Pontificum permittentium majorem expeditionum affluentiam per Secretariam Brevium, cum maximo Datariæ præjudicio, unde multò fortiùs emolumenta indebita longo tempore accepta imputari debuiſſent in extenuationem pretii ſoluti.

Card. de Luca de Offic. & Venal. &c.

Nihil relevante reſponſione, quòd huic periculo conſultum fuiſſet per Innocentium Octavum in ſua Conſtitutione, talem imputationem fructuum exceſſivorum in ſortem prohibente. Ea quippè proviſio tunc erat valdè æqua, propter ſecuritatem, quod Camera ſolùm obligata foret ad reſtituendum pretium primæ erectionis, non autem ad illius augumentum reficiendum: At cum per B. Pium promiſſa fuiſſet reſtitutio integri pretii ab Officialibus Datariæ perſoluti, quod adeò notabiliter ad ferè quadruplum aſcendit, nulla facta mentione de prohibitione imputationis fructuum excedentium in ſortem, utique, vel cenſendum non eſt adeò notabile damnum illatum fuiſſe per talem promiſſionem, ut B. Pontifex voluerit, Cameram imputare non poſſe in ſortem fructuum excreſcentiam, ſicuti nos prætendere poſſemus; Vel ſi admittendus eſſet intellectus Bullæ B. Pii ab Officialibus datus, credibile non eſt, illam voluiſſe ulteriùs obligare Cameram ad reſtituendum pretium non acceptum.

Obſtare pariter nequit, quod verba promiſſionis reſtituendi pretium ſint directa Officialibus, & ſint apta comprehendere quemcumque modum acquiſitionis, ſcilicèt per emptionem, & reſignationem, adeòque ſufficiat illis probare quantum in acquiſitone erogaverint, ut illud recuperare valeant.

Quidquid enim ſit de veritate hujus aſſumpti, cum nullatenus ſubſiſtat, verba ad ipſos eſſe directa, ſed tantum poſita in ablativo abſoluto ibi, *Niſi reſtituris priùs pecuniis*, 26
certum eſt reſtitutionem tria ſupponere, debitorem ſcilicèt, creditorem, & rem, ſive pecuniam reſtituendam, & quatenus verba ſunt obligatoria, non niſi ad debitorem dirigi poſſunt, reſpectu cujus proprietas reſtitutionis verificari non poterit, niſi in eo, quod accepit, ex auctoritatibus ſupra allegatis.

Comprehenſio verò cujuſcumque oneroſæ acquiſitionis 27
ſub verbis, *emiſſe*, *vel habuiſſe*, & ita etiam per reſignationem, vel non ſubſiſtit, vel inducere non poteſt obligationem reſtituendi pecunias reſignanti ſolutas. Ut enim examinando totum Bullæ contextum, optimè oſtendi R. P. D. Commiſſarius, dicta verba, ſumi debent pro ſynonimis, quorum frequens eſt uſus in Apoſtolicis Conſtitutionibus, & præſertim in hac, nec intelligi debent de acquiſitione per reſignationem, quam ubi voluit exprimere idem B. Pontifex litteraliter nominavit. Vel ſi verbum, *habuiſſe*, ſumi debeat in diverſo ſignificatu, adhuc retenta vera interpretatione acquſitionis oneroſæ à Dataria, verificari poterat in duobus Officiis poſſeſſis de eo tempore à Venerabili Archioſpitali Sancti Spiritus, & à Capitulo Sancti Euſtachii, mediante permutatione, reſpectu quorum emptio non verificabatur, & ita, ut dicta Loca Pia caura eſſent circa pretii reſtitutionem, adhibenda erant verba, talem acquiſitionis modum comprehendentia.

Quod ſi ad effugiendam inutilem quæſtionem etiam admitteretur, quod verbum, *habuiſſe*, aptum eſſet compre- 29
hendere acquiſitionem per reſignationem, adhuc exinde reſultare non poſſet obligatio reſtituendi aliquid ultra pretium Cameræ ſolutum, cum illa non fuerit ad reſignantem, ſed ad Cameram directa, ſolùmque operari poſſit, quod Officialis pretium conſequi valeat, quamvis à Camera Officium immediatè non acquiſiverit, evitando ſcilicet abſurdum nihil conſequendi, quia nihil Cameræ perſolvit: At circa pretii reſtituendi quantitatem, ſemper recurri debet ad initium acquiſitionis factæ ab eadem Camera per auctorem, ut verificetur tam proprietas reſtitutionis, quàm acquiſitio ab ipſa Camera illius debitrice, quæ duo ſalvari non poſſunt in contractu intermedio, ejuſque pretio.

Indeque corruit aliud argumentum, quod B. Pius promittendo pretii reſtitutionem, aliter non potuerit intelligere, quàm de ſoluto ab Officialibus, tam Cameræ, quàm Reſignantibus, quia ſcilicet talem promiſſionem direxit Officialibus viventibus de tempore ſuppreſſionis, quorum plurimi Officia per reſignationem acquiſiverunt, & per conſequens nihil Datariæ ſolverunt, & quibus proinde nihil ab ea eſſet reſtituendum, pro quo abſurdo vitando, arguunt DD. ex adverſo ſcribentes, ſubſtineri non poſſe interpretationem reſtrictivam ad ſolum pretium Datariæ ſolutum.

Probata ſiquidem convenientia, atque juſtitia ſolùm reſtituendi acceptum, & non ultra, difficultas facillimè evitatur, etiam abſque impropriatione verborum (quæ ta- 30
men ad evitandum ſummum rigorè, & effugiendam correctio-

ctionem, admitti poteſt.) Nam licet Reſignatarii non habeant cauſam immediatè à Dataria, tamen, tanquam ſucceſſores ab illa habentium, optimè ipſis congruere po-
31 teſt reſtitutio pretii ab illorum Auctoribus Datariæ ſoluti, ac ita evitatur quæſtio valdè inter Doctores controverſa, circa regreſſum contra primum venditorem quam examinat R. P. D. de Luca *de empt. & vend. diſcurſ.* 38. *num.* 4. *& ſeqq.*

Omniſque ceſſat difficultas, conſiderando, quod tam Innocentius Octavus, quàm B. Pius uſi fuerunt eadem dictione, *eis*, abſque eo quod perſonalitatem in caſu, quo fuit adhibita, valeat importare, Innocentius enim cogitavit caſum ſuppreſſionis, qui probabiliter poterat eſſe remotus, & contingens, nullo ſuperſtite ex Secretariis ſuo tempore viventibus, qui pecunias erogarunt, ex quo fecit expreſſam mentionem de ſucceſſoribus, qui officia acquirere per reſignationem potuiſſent, cujus ampliſſimam, & effrenatam libertatem conceſſit, ob quam illa ferè perpetua reddita fuerunt, & adhuc juſſit eis reſtitui ſummam 62400. ducatorum auri de Camera per ipſos ſolutorum, ut in ſupra citata *Conſtit.* 12. §. 23. quæ profectò dictiones, *eis*, *& ipſos*, in propria perſonaliſſima ſignificatione verificari non potuiſſent in Officialibus viventibus tempore ſuppreſſionis. Beatus verò Pius conſulendo in caſu moleſtiarum, quas Collegium pati poſſet, circa venditionem Officii in ſolutum dati pro ſcutis 5500. Cardinali Mediceo reſtitutis, & in tali caſu illorum reſtitutionem ordinando, uſus fuit ſimilibus dictionibus: ibi -- *niſi prius reſtitutis eiſdem Secretariis, & Collegio per Cameram prædictam realiter, & cum effectu prædictis pecuniis*, Qui pariter caſus contingere poterat mortuis Secretariis, qui pecunias commodaverant:
32 Ex quo uſu loquendi tam ipſius Pontificis, quàm Anteceſſoris, omnis verborum dubietas optimè declaratur.

Multoque minus verificari poteſt, quod Reſignatarius cenſeatur habere Officium à Dataria, non autem à Reſignante, prorsùs ipſi ignoto, fingendo, quod reſignans tacitè renunciet Officium in manibus Principis, & iſte novo
33 Officiali illud conferat, ut admittere videtur R. P. D. de Luca *tit. de Regal. ad mater. offic. diſc.* 3. *num.* 6. *& diſc.* 12. *ſub num.* 8. §. *cæterum verſ. in Officiis enim*, *& diſc.* 38. *ſub num.* 6. §. *ex ea viva*.

Quamvis enim hujuſmodi impropria, & ficta acquiſitio verificari poſſit, quando agitur de commodo, & ſecuritate Officialis, præſcindendo à præjudicio Cameræ, & Principis, ad effectum ſcilicet, ne poſſit ab illo moleſtari ſu-
34 per poſſeſſione Officii, quod tanquam de Regalibus non eſt in commercio ſine illius aſſenſu. Attamen nullatenus retorqueri valeat in illius præjudicium, inducendo ex illa pre-
35 tii approbationem, & obligationem idem reſtituendi, perindè ac ſi fuiſſet à Camera acceptum, ut regulare eſſe in aſſenſu Principis, tradunt Burſatt. *conſ.* 171. *num.* 26. *lib.* 2. Carleval. *de Iudic. tom.* 2. *diſp.* 23. *à num.* 42. *ad* 49.

Cæterum quatenus diſpoſitio Conſtitutionis B. Pii videri poſſet aliqualiter dubia, quod omninò ex ſupradictis excluſum remanet, adhuc pro tollenda omni difficultate, & obſcuritate, benè probatum fuit per R. P. D. Commiſſarium, ita ſemper obſervatum fuiſſe, tam per ipſum B. Pium, quàm per ſucceſſores Pontifices Alexandrum Septimum, Clementem Nonum, & Clementem Decimum fel. record. & ſignanter ponderanda eſt obſervantia ipſiuſmet B. Pii in hiſce Officiis, cum enim vendendo illud, quod non erat ſuum pro ſcutis 5500. teneri potuiſſet ad quanti Officialium intererat, illoque tempore pretium eſſet majus, dum
36 ex contractu Pii Quarti cum Canonicis Sancti Euſtachii liquet, unum ex eiſdem Officiis valutatum fuiſſe in ſcutis 11000. & ipſemet Pius Quintus conſideravit plus vendi poſſe, nihilominus non obligavit Cameram, niſi ad ſola ſcuta 5500. per eam accepta: Quæ profectò obſervantia, præſertim ipſius Pontificis, optimè declarat mentem Conſtitutionis circa quantitatem pretii reſtituendi, cùm ſit optima in rebus dubiis interpres, ut in terminis Officiorum tradunt Capic. Galeot. *reſp.* 12. *num.* 110. Lanar. *conſ.* 34. *num.* 2. *cum ſeqq.* Rovit. *deciſ.* 72. *num.* 26. R. P. D. de Luca *de Regal. diſc.* 5. *num.* 20.

Neque contraria obſervantia deſumi poteſt ex duobus exemplis ex adverſo allatis, ſuppreſſionis ſcilicet Præfecturæ Carcerum factæ per fel. record. Clementem Octavum cum augmento pretii in ſcutis 2000. & ſuppreſſionis Montium vacabilium per fel. pariter record. Alexandrum Septimum prævia reſtitutione majoris pretii, quam recepe-
rat. Cùm enim utraque exceſſiva reſtitutio proceſſerit ex munificentia, & liberalitate, ut conſtat ex Conſtitutioni- 37
bus ſuper utraque editis, non poteſt ex illis deſumi obſervantia obligatoria, liberalitati repugnans, & de directo contraria, ut in ſimilibus terminis dixit Rota *in Romana annuæ præſtationis* 12. *Februarii* 1677. §. *& ſanè coram Reverendiſſimo Decano*.

Quod autem præfati Pontifices moti fuerint ex liberalitate ad reſtituendum majus pretium, nequit in controverſiam revocari, cùm ſuper hoc habeamus ipſorum oraculum in Conſtitutionibus utriuſque ſuppreſſionis occaſione editis, diſertis verbis expreſſum.

Nam Clemens Octavus in Bulla erectionis Montis Charitatis, ita ſuam intentionem declarat, ibi - *Ad effectum congregandæ ſummæ ſcutorum* 15000. *quæ dicto Ioanni Baptiſtæ reſtitui, & perſolvi decreveramus, nempe* 13000. *per dictum eius genitorem ratione pretii eiuſdem Officii dictæ noſtræ Cameræ ſoluti, & reliqua ſcuta* 2000. *quæ eidem largiti fuimus, ut libentius conſentiret &c.* & infrà, ibi - *Et alia ſcuta* 2000. *quæ ei &c. donavimus &c.* quæ profectò declaratio apertior eſſe non poteſt.

Conſiderando præcipuè diſcretivum loquendi modum circa reale pretium, & illius augmentum Officiali donatum, & duplex verbum ab eodem Pontifice adhibitum, videlicet, *reſtitui*, *& perſolvi decreveramus*, quorum utrumque fuit immediatè declaratum per ſequentia denotantia
38 differentiam inter pretium, & augmentum per dictionem, *nempe*, quæ eſt declarativa, cum idem importet ac, *ſcilicet*, ut obſervat Barboſ. *de diction. dict.* 211. *num.* 1. *& dict.* 357. *pariter num.* 1. Adeoque reſtitutio verificatur in refuſione pretii Cameræ ſoluti, & ſolutio in ejus augmento donato. Ac proinde hujuſmodi exemplum potius retorquetur, cum præſeferat liberalitatem, cujuſcumque obligationis excluſivam, & cùm apertè declaret, quid propriè ſignificet verbum, *reſtituere*, ſcilicet ſolam refectionem pretii per Officialem Cameræ ſoluti, quæ declaratio optimè inſervit pro recta intelligentia Conſtitutionis Beati Pii.

Alexander pariter Septimus ſatis clarè proteſtatus fuit, ſe ad reſtitutionem pretii currentis adſtrictum non eſſe, illamque ſolùm demandaſſe, *ut in hoc etiam* (ſunt ipſius verba) *Creditores Montium extinctorum pietatis, ac munificentiæ noſtræ agnoſcere experimentum &c.* addendo, quod, tam aliquorum judicio, quàm exemplo B. Pii, nonniſi ad acceptæ pecuniæ reſtitutionem teneri poterat.

Nimis verò injurioſa eſt tanti Pontificis gloriæ reſponſio ex adverſo data, quod licet ipſe profeſſus fuerit munificentiam exercere, adhuc talis reſtitutio tanquam facta prævia matura diſcuſſione, cenſeri debeat potius ex obligatione juſtitiæ demandata, adhibendo verba, munificentiam ex- 39
primentia, ad magis conciliandam ſubditorum benevolentiam, ut facere ſolent Supremi Principes, qui etiam in juſtitiæ adminiſtratione, gratiam exercere profitentur.

Hujuſmodi ſiquidem interpretatio nimis lædit notam Sanctiſſimi Principis ingenuitatem, illum arguendo, quod indebitam munificentiæ laudem captare voluerit, cum debitum redderet: Neque conſtat in diſcuſſione hujus articuli, ſcilicet quantitatis pretii reſtituendi agnitam fuiſſe obligationem reficiendi etiam augmentum, quinimò ex aſſertione ejuſdem contrarium potius deſumitur, quæ ſola eſt at-
tendenda, cùm agatur de facto proprio, ex manifeſtatione 40
propriæ intentionis: Si enim creditur privato aſſerenti ſe ſolvere ex liberalitate, ad effectum excludendi obligationem, ut dixit Rota in citata *Romana annuæ præſtationis* 12. *Februarii* 1677. §. *& ſanè coram Reverendiſſimo Decano*, quantò magis circa hoc ſtatuendum erit declaratione Summi Pontificis.

Imò ſuppoſitum agnitæ obligationis reſtituendi pretium auctum, Cameræ tamen non ſolutum, in caſu dictæ ſuppreſſionis factæ per Alexandrum Septimum prorsùs detegitur erroneum, cùm de illius excluſione nullus dubitaverit, & ſolùm quæſtio fuerit circa pretium primæ erectionis (quod ſolummodò reſtituendum eſſe aliqui ſuadebant, ut teſtatur Summus Pontifex, dicendo ulterius, ita fuiſſe à B. Pio in ſimili ſuppreſſione obſervatum) & circa pretium auctum, Cameræ tamen difformiter ſolutum, iuxta vacationum contingentiam, (quem ſecundum modum ex ſumma benignitate in hac Officiorum extinctione ſervari mandavit Sanctiſſimus) & pro hac mitiori opinione conſuluit Fagnanus, cujus auctoritas *in cap. ex epiſtolæ de probat.* adeò magnificatur per DD. ex adverſo ſcribentes, quæ tamen

miri-

mirificè retorquetur, ut oſtendetur in alia ſcriptura, cum reſponſione ſingulis aliis auctoritatibus in contrarium adductis. Unde manifeſtiùs conſtat, reſtitutionem majoris pretii quàm fuiſſet acceptum à Camera, tam in prima, quàm in ſequẽtibus venditionibus ex mera liberalitate proceſſiſſe.

Demùm conqueri non poſſunt moderni Officiales, quod Sanctiſſimus non ſequatur horum Pontificum exemplum, cùm enim ea ſit publici Ærarii anguſtia, ut non patiatur Principem eſſe munificum, cum magno ſubditorum, & Cameræ detrimento, commendanda in hoc potiſſimè eſt religioſiſſima ipſius cura, publica incommoda ſublevandi. Quinimò cum ob maximam reddituum excreſcentiam, ob quam plures ex Officialibus ditati fuerunt, cum ingenti Cameræ læſione, prætendi potuiſſet illorum imputatio in ſortem, ut in alia ſcriptura probabitur, utique fatendum eſt, Sanctiſſimum demandando pretii accepti reſtitutionem, potiùs æquitatem, quàm juſtitiæ rigorem ſervari voluiſſe.

Quamvis autem ex prædictis clariſſima detegatur diſpoſitio Conſtitutionis Beati Pii, adeòut ſuperflua videri poſſit alia inſpectio: Adhuc, quatenus etiam remaneret aliquo modo dubia, faciliùs ſupradictam interpretationem recipere deberet, cum ex deductis in particulari ſcriptura, quæ datur, ex abundanti, conſtat, eam nedum eſſe conformem diſpoſitioni juris, ſed quod hac inſpecta, valdè periclitati fuiſſent Domini Officiales, ſubeundo aleam, vel magnæ diminutionis, vel etiam fortè amiſſionis totius pretii, itaut maximè commendabilis ſit Sanctiſſimi Domini Noſtri equitas, atque clementia, dum abſque alia diſceptatione mandavit reſtitui cuilibet pretium integrum à ſe, vel ab Auctore ſolutum Datariæ, & ulteriùs expenſas in expeditione factas.

Quare &c.

Proſper Archiepiſc. Myren.
Ioſ Baptiſta Bottinus Fiſci, & Cam. Apoſt. Advoc.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

SECUNDA JURIS.

SVMMARIVM.

1 *CONtractus à principio iuſtus, qui temporis progreſſu læſivus efficitur, poteſt reſcindi, & ad iuſtitiam reduci.*
2 *Id fuit etiam ab Ethnicis cognitum.*
3 *Procedit peculiariter in regalibus.*
4 *Læſio Principis, præſertim in regalibus publico bono adverſatur, totique Reipublicæ damnum parit.*
5 *Similes contractus, & conceſſiones enormiter læſivas tenetur Princeps de iuſtitia, & æquitate reſcindere.*
6 *Iniuſtum lucri augmentum in Chriſtiana Religione non ſuſtinetur.*
7 *Hiſpaniarum Reges aliquando huiuſmodi contractus non extirparunt, quia contrahentes mediante magnæ quantitatis oblatione ad æqualitatem contractum redegerunt.*
8 *Princeps non tenetur ad obſervantiam contractus læſivi, uſuramque redolentis.*
9 *Debet eſſe ſtabilis in contractibus iuſtis, atque in eodem ſtatu manentibus.*
10 *Debitum Principis expoſcit, quod præiudicio publici boni occurrat.*
11 *Anteceſſor nequit in præiudicium ſucceſſoris regalia diſſipare, etiam per viam contractus.*
12 *Officia ſunt de regalibus.*
13 *Stante exceſſiva quantitate lucri poſſunt Officia ſupprimi, etiam nullo reſtituto pretio.*
14 *Princeps in hoc fidem datam non fallit.*
15 *Quis non debet locupletari cum iactura Principis, quæ redundat in totius Reipublicæ præiudicium.*
16 *Officia venduntur habito reſpectu ad emolumenta, quæ Officialis percipere poteſt ſua vita durante.*
17 *Æquiparantur cenſibus vitalitiis, quorum pretium conſiſtit in anticipata perceptione illorum fructuum, qui emptori ad vitam conſtituuntur.*
18 *Patrimonium Principis conſiſtit in regalibus.*
19 *Vt Principi ſuccurratur minor læſio requiritur, quàm ad ſuccurrendum cuicumque alteri privato.*
20 *Sufficit læſio in ſexta parte.*
21 *Quando læſio eſt ultra ſextam contractus, tanquam nullus ſubſtineri non poteſt, nec opus eſt beneficio reſtitutionis.*
22 *Quælibet diſpoſitio eatenus obligat, quatenus res in eodem ſtatu permanet.*
23 *Obſervantia in omni materia habet vigorem legis, & præcipuè in materia Officiorum.*
24 *Notabilis fructuum exceſſus cum læſione Principis non ſpectat ad Officiales, ſed ad Principem læſum.*
25 *Conceſſiones ut dicantur oneroſæ, neceſſe eſt, ut pretium æquivaleat valori rei conceſſæ.*
26 *Quando pretium vel non excedit, vel non adæquat medietatem; ſemper præponderat cauſa lucrativa.*
27 *Facultas reſignandi eſt maximo pretio æſtimabilis.*
28 *Conceſſiones gratuitæ poſſunt ad libitum concedentis revocari, etiam nullo reſtituto pretio, præſertim concurrente cauſa publici boni.*
Card. de Luca de Offic. & Venal. &c.
29 *Poſſunt reſcindi, etiã nulla concurrente revocandi cauſa.*
30 *Cauſa publica iuſtificatur per aſſertionem Principis.*
31 *Reſtitutio pretii facienda eſt in revocatione conceſſionis oneroſæ.*
32 *Limitatur quando commoditas refuſionis non adeſſet, quia tunc poſſent revocari conceſſiones oneroſæ, nullo reſtituto pretio.*
33 *Princeps ex quacumque iuſta, & rationabili cauſa poteſt adimere bona privatis, nullo ſoluto pretio, vel modico, ſi commodè ſolutio fieri non poſſit.*
34 *Quod præcipuè locum habet in vindicatione regalium, ad quam Princeps adſtringitur ex cauſa publici boni.*
35 *Debet primo repetere ab iis, à quibus inopiæ cauſa forſan derivavit.*
36 *Princeps per viam legis generalis tollere poteſt ius quæſitum Tertii, nullo refuſo pretio.*
37 *Lex dicitur generalis, quando tangit totum Collegium.*
38 *Lex univerſalis diſtinguitur à præcepto, quod iſtud ferit particularem perſonam; illa vero non promulgatur in odium unius, vel alterius, ſed omnes comprehendit.*
39 *Sufficit tamen, quod comprehendat omnes alicuius generis, non autem omnes cuiuſvis generis.*
40 *Dicitur univerſalis, quando eſt lata pro communi bono.*
41 *Poteſtas ordinaria Principis eſt legibus obnoxia.*
42 *Clauſula* de plenitudine poteſtatis *importat uſum poteſtatis abſolutæ.*
43 *Princeps ex cauſa publicæ utilitatis poteſt conceſſiones revocare de poteſtate ordinaria.*
44 Fagnan. in cap. ex epiſtolæ de probat. *explicatur.*
45 Bald. conſ. 424. lib. 2. *in quibus terminis ſit intelligendus.*
46 Roland. conſ. 71. num. 10. & ſeq. lib. 3. *loquitur in lege particulari, non generali.*
47 Gratian. diſcept. forenſ. 891. num. 13. 29. 30. *declaratur.*
48 *Princeps non poteſt uni rem adimere per viam legis particularis, & alteri concedere, iuſta deficiente cauſa.*
49 Put. deciſ. 381. lib. 3. Ubald. deciſ. 478. n. 9. & deciſ. 4. par. 7. recent. *in quibus caſibus procedant.*
50 *Conceſſiones factæ per viam contractus, ſi grave damnum Principatui inferant, & detegantur læſivæ Reipublicæ, non ſuſtinentur.*
51 *In dubio eſt iudicandum contra fiſcum.*
52 *Ceſſat prædicta regula in claris.*
53 *Ex* text. in l. non puto ff. de jure fiſc. *potiùs deſumitur regula, quod in dubio ſit pronunciandum pro fiſco.*
54 *Contraria opinio procedit in fiſco pœnali.*
55 *Potior eſt cauſa fiſci, quoties agit de damno vitando.*
56 *Non eſt deterioris conditionis, quàm privatus.*
57 *Regula, quod in dubio ſit pronunciandum contra fiſcum ceſſat, quando ad favorem fiſci alia concurrit regula.*
58 *Publica utilitas ſemper privato commodo eſt præferenda.*

R. P. PAulus Jur. C. in *l. cum quidam* 17. ff. *de uſur.* ſic 1
ait, *Præſidem Provinciæ adi, qui ſtipulationem, de cuius iniquitate queſtus es, ad modum inſtæ exactionis rediget:* Hinc Doctores communiter aſſerunt, licitum eſſe cuilibet contractum à principio juſtũ, tractu temporis injuſtum, & læſivũ effectũ, reſcindere, & Præſidis auctoritate, ad juſtitiã re-

ducere, ne aliàs observantia illius per aliquod tempus iniquitati fomentum præbeat, ut nempè alter ex contrahentibus cum aliena locupletetur jactura, ut tradunt Rolan. *conſ.* 1. *num.* 137. *& ſeqq. lib.* 2. Fontanell. *de pact. nupt. par.* 1. *clauſ.* 4. *Gloſ.* 18. *num.* 116, *&* 118. *pag.* 429. Larrea *alleg. fiſc. alleg.* 23. *ſub num.* 11. *& ſub num.* 21. dicens, id etiam apud
2 Ethnicos fuiſſe cognitum, Theſ. *deciſ.* 120. *num.* 2. *& deciſ.* 226. *per totum*.

Idque nullam patitur difficultatem, quoties contractus habet tractum ſucceſſivum, & futura reſpicit, undè certa regula pro læſione excludenda aſſignari non poſſit, quemadmodum advertunt citati Doctores, ac alii mox allegandi.

Si igitur ex dicta regula generali omnibus datum eſt, ad vitandam jacturam, contractum circa res privatas, licèt à
3 principio juſtum, reſcindere, multò fortiùs id licitum eſt Principi pro vindicatione regalium, ut in his præcisè terminis loquuntur Mandel. *conſ.* 34. *à num.* 15. *ad finem*, Ganaver. *conſ.* 2. *à num.* 16. *cum ſeqq.* Molin. *de primog. Hiſpan. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 17. latiſſimè Larrea *alleg. fiſc. alleg.* 32. *à num.* 5. *ad fin.* Faiard. *alleg. fiſc. par. prima alleg. prima à num.* 128. *& in Additionibus ad alleg.* 7. *num.* 68. *poſt alleg.* 32. egregiè del Bene *de Parlament. cap.* 2. *de cauſ. effic. Parlam. dubit.* 4. *ſect. prima num.* 5. *& ſeq. ſignanter ſub num.* 7. *verſ. Tertiò probatur, & num.* 19. *in fine, & ſect.* 2. *num.* 11. *cum pluribus ſeqq.* Capic. Latr. *deciſ.* 188. Gipſius *deciſ.* 43.
4 *num.* 47. Læſio enim Principis ſemper publico bono adverſatur, ejuſque jactura, præſertim in Regalibus, cùm toti Reipublicæ damnum pariat, reparari debet, etiam extraordinariis remediis, ut benè diſtinguendo inter Regalia, & patrimonialia Principis, advertunt Fajard. *citata alleg. prima num.* 130. & Capic. Galeot. *reſp. fiſc. reſp.* 14. *ſub num.* 37.

Quod eſt adeò verum, ut non ſolùm omni jure licitum ſit Principi contractus enormiter læſivos reſcindere, & con-
5 ceſſiones factas revocare, quinimò etiam debeat hoc facere tanquam Juſtitiæ, & æquitatis cultor, ut optimè in ſimilibus reſpondet Larrea *cit. alleg.* 23. *num.* 31. *& ſub num.* 33. *cum pluribus ſeqq. qui num.* 36. ex Bodin. *de Repub.* & Ribadener. *de Principe Chriſtiano lib.* 2. *cap.* 10. refert, quòd in Gallia regnante Philippo Valleſio confiſcata fuerunt anno 1357. omnia bona eorum, qui ex contractu cum Regibus anteceſſoribus inito lucrum exorbitans fecerunt, & priùs idem peractum fuiſſe à Sancto Ludovico anno 1254. ac poſtea à Rege Philippo Pulchro anno 1300. & pluries in Germania tam ſub Maximiliano anno 1500. quam aliis temporibus, ut ibi per eum videre eſt.

Nec reſponſiones exadverſo dari ſolitæ, pro excludenda læſione, in caſu præſenti ullatenus refragari poſſunt.

Nam illa deducta ab incertitudine, & variatione lucrorum, quæ cum indifferens ſit ad incrementum, vel decre-
6 mentum, ſi potiùs illud, quàm iſtud afferre contingat, juſtitiam, & æquitatem contractus alterare non valeat, ſuſtineri poterat Ethnicorum tempore, apud quos uſuræ permittebantur, non verò in Chriſtiana Religione, & præſertim in Urbe ſub oculis Sanctorum Pontificum, qui proindè tot Conſtitutiones ediderunt uſurarum moderatorias, ut punctualiter reſpondet Larrea *dicta alleg.* 23. *num.* 25.
7 *& 26. cum. ſeq.* advertens aliquando non aliter Hiſpaniarum Reges contractus, ita læſivos effectos, penitus non extirpaſſe, niſi quia contrahentes, ſive emptores magnam quantitatem Regibus obtulerunt, ultra pretium ab initio conventum, itaut redditus, & ſors eſſent ad juſtitiam, & æqualitatem redacti.

Minuſque adaptari poteſt alia, quod nempè vox Principis debeat eſſe ſtabilis, & conſtans, ejuſque contractus ſemper ſint bonæ fidei, & legis habeant vigorem; Quo-
8 niam hæc omnia vera ſunt, ſed non inde ſequitur, Principem teneri ad obſervantiam contractuum læſionem & uſuras redolentium, ut pariter reſpondet Larrea *dicta alleg.* 23. *num.* 35. & adducta in objecto applicari poſſunt contractibus
9 æquis, & juſtis, ſive rebus in eodem ſtatu manentibus, ut advertit del Bene *de Parlament. cit. cap.* 2. *dub.* 7. *n.* 30. *&* 31.

Tertia ſimiliter deſumpta ex tolerantia tot Summorum Pontificum, & ex bona fide contrahentium, nullius pariter eſt roboris, quia tolerantia, ſive potius conniventia aliorum obeſſe non debet, quoties ea detegitur præjudicialis publico bono, ſemperque permiſſum eſt Principi, imò
10 ejus debitum expoſcit, tali præjudicio occurrere, Sperell. *deciſ.* 47. *à num.* 41. *cum ſeqq.* Rota coram Coccin. *deciſ.* 2196. *num.* 7. *cum ſeq.* & coram Eminentiſs. Otthobono *deciſ.* 4. *num.* 37. *& ſeq.* & in terminis magis præciſis Larrea *dicta alleg.* 23. *num.* 37.

Præterea vetitum eſt Principi Regalia, & cum Reipublicæ pernicie Jus ſuum in illis remittere, vel minuere, etiam 11
per viam contractus, multòque minus hoc eſt permiſſum Anteceſſori in præjudicium ſucceſſoris, ut monent Doctores cumulati per Barboſ. & Gonzal. *in cap. intellecto de iur. iur.* Bodin. *de Repub. lib.* 6. *cap.* 2. Solorz. *de iur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 30. Maſtrill. *de Magiſtrat. cap.* 18. *num.* 24. *& ſeq.* Choel. *ad Bull. bon. regim. cap.* 28. *num.* 88. *&* 89. *cum ſeqq.* ubi de Conſtitutione Apoſtolica per ſucceſſorem revocata in præjudicium Privilegiatorum, egregiè del Bene *de Parlam. cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 36. *cum pluribus ſeqq. ad fin.*

Cùm igitur hìc ageretur de Regalibus, inter quæ computantur Officia, Ripol. *de Regali cap.* 14. *de Regal. ven-* 12
dit. Offic. num. 7. *cum ſeqq. per tot.* & noviſſimè Prat. *diſcept. foren. cap.* 18. *num.* 12. *volu.* 2. Et emolumenta Officialium in maximum Principis præjudicium, habito reſpectu ad pretium, quod Camera receperat, valdè tractu temporis excreviſſent, adeout nedum juſta, ſed debita, & neceſſaria eſſet illorum reductio ad æqualitatem cum pretio à Dataria recepto, ac de propria natura hujuſmodi Officia ſupprimi poſſent ad arbitrium Summi Pontificis; Utique conſiderata
exceſſiva quantitate lucri ab Officialibus percepti (loquen- 13
do præſertim de illis, qui verè tale lucrum fecerunt, ex quo Officia viliori pretio acquiſierant, eaque per longum tempus poſſederant) ſequitur, quòd circumſcripta Bulla Piana, revocari, & ſupprimi potuiſſent, etiam nihilo reſtituto, unde multò facilius cum refuſione ſolius pretii recepti à Dataria, ut in puncto probat del Bene *cit. tract. de Parlament. cap.* 2. *dub.* 4. *ſect. prima à num.* 5. *per tot. & ſignanter ſub num.* 7. *verſ. tertio probatur, & ſect.* 2. *num.* 11. *& ſeq. & num.* 26. *§. reſpondetur, verſ. præſertim ſecundo, & num.* 27. *ad fin.* ubi contrariis reſpondet, ſignanter, quod non per hoc dici valet, Principem fidem datam fallere, cùm exemplum 14
pateat etiam in pupillis, & Eccleſia, quibus adverſus læſionem per reſtitutionem ſuccurritur.

Neque hoc durum videri debet, nam omnis æquitas expoſtulat, ut in contractibus ſervetur æqualitas, quodque 15
ex jactura alterius, alter non ditèſcat; præſertim quando jactura eſt Principis ſupremi, quæ redundat in totius Reipublicæ præjudicium, ut conſiderat del Bene *loco proximè citato*.

De læſione verò in præſenti, & quidem enormiſſima dubitari non contingit, ut enim egregiè motivatur in erudito diſcurſu, Italico ſermone exarato, circa ſuppreſſionem hujus Collegii *pag.* 32. Officia hujuſmodi vendita fuerunt ha- 16
bito reſpectu ad emolumenta, quæ quilibet Officialis percipere potuiſſet ſua tantùm vita durante, ut regulare eſſe in officiis, etiamſi in conceſſione addita fuiſſet clauſula, *in perpetuum*, in puncto firmat Prat. *diſcept. forenſ. par.* 2. *dicta diſcept.* 18. *num.* 72. Et adinſtar cenſus vitalitii (cui æquipa- 17
rari, ac etiam cenſuum nomine comprehendi hujuſmodi regalia jura, in ſimilibus advertit, & latiſſimè probat Larrea *cit. alleg.* 23. *à num.* 46. *ad fin.*) cujus pretium conſiſtit in anticipata perceptione illorum fructuum, qui emptori ad vitam conſtituuntur: Et nihilominus major pars officiorum, de quibus agitur per viam reſignationum fuit ferè perpetuata, itaut ex triginta officiis ſpatio ferè unius ſæculi, quod fluxit ab Innocentio Octavo ad Beati Pii Quinti Pontificatum, non adhuc vacaſſent ſex, quæ ſupprimi debebant, ut colligitur ex dicta Conſtitutione B. Pii. Unde ipſis profectò tot annis, quot computari ſolent in æſtimanda hominum vita in ſimilibus materiis, Principis Camera, quæ ſolùm pretium ad fructus ex illius percipibiles vita durante commenſuratum receperat, remanſit cum evidenti detrimento ſuis regalibus, & proventibus ſpoliata, itaut læſio non ſit circa plus, vel minus, habito reſpectu ad pretium acceptum, & valorem rei conceſſæ, ſed propriè conſiſtat in omnimoda ſpoliatione, & deperditione eorumdem officiorum per longum tempus, quod eſt æquè ac dicere, quod Princeps in hac parte Patrimonium amiſerat, cùm 18
hoc in illis conſiſtere, tradat Kloch. *de contribut. cap.* 1. *n.* 53. Et propterea magis relucet æquitas, & munificentia Sanctiſſimi Domini Noſtri, qui reſtituendo totum, quod Dataria verè acceperat, non reſtituit, quod erat alterius, ſed proprium donavit.

Prout quoque læſio reſultat ex eo, quod prædicta Officiorum

ciorum emolumenta valdè fuerint excreta, non per induſtriam Officialium, vel per temporis beneficium, ſed ex ipſiuſmet Principis facto, tum per abundantiam gratiarum, tum per tolerantiam, quod tot materiæ, quæ debuiſſent expediri per Datariam, expediri poſſent per Secretariam Brevium, ut eſt notorium, & nihilominus certum eſt, minorem
19 læſionem requiri ad ſuccurrendum Principi, ejuſque Cameræ, quàm cuicumque alteri privato, ut tradunt Fajard. *alleg. fiſc. alleg. prima num.* 123. Capic. Galeot. *reſp. fiſc. reſp.* 25. *num.* 47. Capic. Latr. *conſult.* 5. *num.* 19. ſufficere nam-
20 que in ſexta parte probant de Marin. *quotid. reſol. lib.* 1. *reſol.* 147. *num.* 1. Galeot. *reſp. fiſc. reſp.* 14. *per tot.* & pleniſſimè
21 de Pont. *de poteſt. Proreg. tit.* 4. §. 5. *à princip. ad num.* 47. advertens *num.* 41. quod ſi læſio ſit ultrà ſextam, tunc opus non ſit beneficio reſtitutionis, ſed contractus tanquam nullus ſubſtineri non poſſit, idemque probant Muſcatel. *in prax. civil. lib.* 2. *par.* 2. *gloſ. venduntur num.* 54. Vinc. de Franch. *deciſ.* 120. *num.* 7. *& deciſ.* 224. *num.* 2. Maſtrill. *deciſ.* 84. *num.* 8. & R. P. D. de Luca *diſc.* 65. *num.* 17. *de Regal. & lib.* 2. *eodem. titul. diſcurſ.* 201. *num.* 2.

Ex quibus clarum redditur, quod attenta diſpoſitione juris, Camera nihil forſan reſtituere tenebatur illis præſertim, qui ſupradictum immoderatum lucrum fecerant, & qui viliori pretio emerant.

Idemque firmandum eſt etiam attenta Conſtitutione Beati Pii, licet enim ea præcipiat integram reſtitutionem accepti, & in hac parte ſit Dominis Officialibus favorabilis, adhuc ita ſanè eſt intelligenda, quatenus emolumenta notabiliter non excreviſſent in detrimentum Cameræ, cum
22 quælibet diſpoſitio, aliave conventio eatenus obliget, quatenus res in eodem ſtatu permaneat, ut ex Mandoſ. *conſ.* 90. *num.* 8. Cravett. *conſ.* 95. *num.* 4. Fagnan. *in cap. ex epiſt. nu.* 14. *& 15. de probat.* aliiſque pluribus probant DD. ex adverſo ſcribentes.

Obſervantia pariter plurium Summorum Pontificum, ac etiam aliorum Principum, præcipuè Regis Galliarum, latè probata per R. P. D. Commiſſarium, reſtituendi ſcilicet in ſimilibus cauſis id, quod verè, & realiter in Ærarium publicum devenerat, intelligenda eſt modo prædicto,
23 quatenus ſcilicet emolumenta adeò notabiliter non excreverint, nam licet obſervantia in omni materia, & ſignanter in hac Officiorum, & habeat legis vigorem, ex traditis per Galeot. *reſp. fiſc. reſp.* 12. *num.* 110. Lanar. *conſ.* 34. *n.* 2. *cum ſeqq.* R. P. D. de Luca *de Regal. ad mater. Offic. diſc.* 5. *num.* 20. *& diſc.* 21. *num.* 5. Rovit. *deciſ.* 72. *num.* 26. Tamen non conſtat unquam ità practicatum fuiſſe, quando Officiales magnum lucrum acquiſiverunt per tantam ex-
24 creſcentiam emolumentorum, medio tempore ex facto Principis concedentis reſultantem, cum notabilis illius læſione, quo caſu talis fructuum exceſſus ad eos ſpectare non poterat, ſed ad Principem læſum pertinebat, ut ait del Bene *cit. cap.* 2. *dub.* 4. *ſect. prima ſub num.* 6. *verſ. ſecundo probatur.*

Reſultat etiam ex prædictis, quod conceſſiones (exceptis illis, quæ factæ fuerunt moderno tempore cariori pretio) dici potius poſſint gratuitæ, cum non ſolùm acceptum
25 à Dataria non æquivaleat illarum valori, habito reſpectu ad fructus, ut eſſe neceſſarium ad conſtituendum titulum oneroſum, tradunt Vermigl. *conſ.* 443. *num.* 1. & 2. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. gloſ.* 28. *num.* 25. & firmavit Rota *deciſ.* 457. *num.* 17. *par.* 1. *diverſ.* ſed neque excedat, vel
26 ſaltem adæquet medietatem, quo caſu ſemper cauſam lucrativam præponderare eſt apud omnes incontroverſum, ut monet Bald. *in prælud. feudor. num.* 11. *& in l. qui ſe Patris num.* 34. *C. de vendit. libert.* Soccin. ſen. *conſ.* 4. *n.* 6. *& 17. & conſ.* 82. *num.* 12. *lib.* 3. Roland. *conſ.* 23. *num.* 26. *lib.* 1. Giovagn. *conſ.* 29. *num.* 34. *lib.* 2. Spad. *conſ.* 54. *num.* 40. *lib.* 1. Larrea *alleg.* 67. *num.* 23. Peregr. *de iur. fiſc. lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 28. *& 29.* Cacheran. *deciſ.* 139. *num.* 10. Surd. *deciſ.* 190. *num.* 1. *in fin. verſ. in caſu*, Rota *dicta deciſ.* 457. *num.* 17. *par.* 1. *diverſ.* & coram Merlin. *deciſ.* 86. *num.* 16. *& deciſ.* 571. *num.* 26. *& ſeq.* coram Bich. *& in recent. deciſ.* 463. *num.* 9. *par.* 14. Attenta præſertim facultate
27 reſignandi, quæ, ut experientia docuit, ferè omnes eas conceſſiones efficit perpetuas, & proinde eſt maximo pretio æſtimabilis.

Poſito autem, quod agatur de conceſſionibus gratuitis
28 (ſaltem reſpectu illarum, quibus prædicta qualitas eſt adaptabilis) ſequitur, quod eæ faciliùs potuiſſent ad libitum concedentis revocari, etiam nihilo reſtituto, præſertim cõcurrente juſta cauſa publici boni, ut advertunt Valenzuel. *conſ.* 99. *num.* 32. *& ſeq. & conſ.* 167. *num.* 89. Caren. *reſol. pract. reſol.* 59. *num.* 22. Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 37. *num.* 9. Donat. *in prax. regul. tom.* 1. *tract.* 13. *quæſt.* 2. *per tot.* Molin. *de Primog. Hiſp. lib.* 4. *cap.* 3. *ſub num.* 17. *&* 18. del Bene *de Parlam. cap.* 2. *dub.* 4. *citata ſect.* 2. *a num.* 8. *cum plurib. ſeqq.* & ità fuiſſe judicatum in Conſilio Neapolitano, refert Capic. *deciſ.* 116. *in fine*, prout idem reſolvit Rota *dicta deciſ.* 457. *num.* 14. *&* 15. *par.* 1. *diverſor.* quarum auctoritates plures loquuntur in terminis conceſſionum factarum per viam contractus, ac etiam nulla revo- 29
candi concurrente cauſa, ut præ aliis probat Capic. Galeot. *reſp. fiſc. reſp.* 23. *à num.* 11.

Cumque in præſenti caſu plures juſtæ cauſæ tam publicæ utilitatis, quàm aliæ animum Sanctiſſimi Pontificis moventes, fuerint in Motu proprio ſuppreſſionis expreſſæ, de qui- 30
bus nefas eſſet dubitare, cùm in hoc ſtari debeat aſſertioni Principis, ut omnes conveniunt, & ſignanter monent Valenzuel. *cit. conſ.* 99. *num.* 1. *& ſeq.* Maſcard. *de probat. concl.* 1233. *cum ſeq.* Caren. *reſolut. pract. dict. reſol.* 59. *num.* 32. Feſtaſ. *de collect. par.* 4. *quæſt.* 12. *per tot.* Larrea *alleg. fiſc.* 60. *per tot. & ſignanter num.* 7. Donat. *in prax. cit. tract.* 13. *quæſt.* 8. *ſub num.* 3. Capic. *dict. deciſ.* 116. *num.* 7. Eximi profectò Camera potuiſſet etiam à reſtitutione accepti, 31
quæ ſolùm de rigore juris cedebat in illis paucis conceſſionibus, quæ erant verè oneroſæ, utpotè pro majori pretio, & moderno tempore factæ, ut optimè diſtinguendo inter gratuitas, & oneroſas, advertit Donat. *cit. tract.* 13. *quæſt.* 2.

Quinimò etiam conceſſiones verè oneroſæ revocari potuiſſent non refuſo accepto, dummodo commoditas refun- 32
dendi non adeſſet, quoties ſuppreſſio contingit ex juſtis cauſis, præſertim publicum Reipublicæ bonum concernentibus, ut punctualiter monet del Bene *de Parlam. cap.* 2. *dub.* 4. *ſect.* 3. *ſub num.* 26. §. *reſpectu verſ. præſertim ſi Rex hic, & nunc.*

Et ſumma quidem ratione, nam licet Principi ex quacumque juſta, & rationabili cauſa, & præſertim publica, pri- 33
vatis adimere bona, vel nullo ſoluto pretio, vel modico, ſi commodè ſoluttio fieri poteſt, ut voluerunt Bald. *in l. item ſi verberatum ff. de rei vindic.* Caſtren. *conſ.* 229. *ſub num.* 2. *poſt med. lib.* 1. Pariſ. *conſ.* 2. *num.* 48. *&* 49. *lib.* 4. Roman. *conſ.* 310. *num.* 2. *verſ. ſecunda concluſio, & num.* 3. *per tot.* ex gratia viden. & ibi Adden. Cancer. *var. reſol. par.* 3. *cap.* 3. *num.* 99. Port. *lib.* 5. *commun. opin. concluſ.* 16. Oddus *de reſtit. in integr. par.* 2. *quæſt.* 99. *art.* 8. *num.* 55. *& ſeqq. per tot. & art.* 9. *per tot. ſignanter num.* 71. pariter ex gratia viden. Arnold. Clappemar. *lib.* 4. *Arcanor. Reipubl. cap.* 16. *&* 22. Pruckmar. *de Regal.* §. *Abſoluta poteſtas, Kaſtaur.* Caſtald. *de Imperat. quæſt.* 96. *inter tract. volum.* 16. Vvaremund. *de ſubſidio Regni cap.* 10. *pag.* 136. Io. Harprecht. *de rer. diviſ. in rubr. num.* 101. Petr. Gregor. *in ſyntagm. Iur. lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 49. Belluga in Specul. *Princip. rubr.* 46. *n.* 3. *&* 4. Hotoman. *quæſt. Illuſtr. quæſt.* 1. Fernand. Vaſq. *lib.* 1. *contr. cap.* 5. *num.* 1. de Ponte *de poteſt. Proreg. tit.* 1. *num.* 26. *& tit.* 4. *num.* 36. Maximilian. Fauſt. *in conſ. pro ærar. clauſ.* 10. *ord.* 824. Choell. *ad Bull. bon. regim. cap.* 28. *num.* 86. *& ſeq.* Kloch. *de ærar. lib.* 2. *cap.* 120. *num.* 1. *& ſeq. & num.* 7. 8. *&* 9. del Bene *de Parlamen. cap.* 2. *dub.* 4. *ſect.* 31. *& dubit.* 7. *num.* 34. Afflict. *deciſ.* 361. *num.* 4. ſimiliter ex gratia viden.

Fortiùs itaque hoc potuiſſet reddi licitum in præſenti, ex quo non agebatur de ademptione rerum privatorum, ſed vindicatione regalium privatis conceſſorum, ad quam præcisè Princeps cogitur ex cauſa, publica, nam ea Prin- 34
cipem adſtringit, ut publico bono ſuccurrat, & ſubſidium præbeat, ad tradita per Papon. Arreſt. *lib.* 6. *tit.* 1. *arreſt.* 4. & quidem ordine ſervato, ut nempè Princeps primò incipiat ab iis, qui plus beneficii habuerunt, indè ſcilicet repe- 35
tendo unde inopiæ cauſa forſan derivavit, ut per ſimilia verba monet Kloch. *de ærar. lib.* 2. *citato cap.* 120. *num.* 4. *&* 5.

Accedit, quod Sanctiſſimus Dominus Noſter ſupprimendo hujuſmodi Officia non proceſſit per viam particularis diſpoſitionis potiùs unum, quàm alterum ex Officialibus tangentis, ſed per viam legis univerſalis totius Collegii annihi- 36
lativæ, quod dubium non eſt, poſſe Principem derogare Juri tertio quæſito, etiam abſque ulla refuſione pretii, ut probant Roland. *conſ.* 69. *n.* 44. *lib.* 2. Roman. *cit. conſ.* 310.

ſub num. 1. verſ. primo quod, & num 2. ubi quod hìc caſus nullam habeat difficultatem, Surd. *conſ.* 313. *num.* 100. Caſtren. *dict. conſ.* 229. *ſub n. 2. verſ. vel niſi legem condendo lib.* 1. Venturin. *conſ.* 19. *num.* 9. *verſ. licet ſecus*, Vvamenſ. *conſ.* 1. *num.* 3. *lib.* 1. Cancer. *var. reſol. par.* 3. *cap.* 3. *n.* 92. & 98. Cenſal. ad Peregr. *de fideicommiſſ. art.* 52. §. *verùm hanc aſſertionem*, Choell. *ad Bull. bon. regim. dict. cap.* 28. *num.* 86. Peregr. *de Iur. fiſc. lib.* 5. *tit.* 2. *ſub num.* 52. & 53. Larrea *alleg. fiſc. alleg.* 3. *num.* 11. Faiard. *alleg. fiſc. alleg.* 1. *num.* 82. Diana *oper. moral. par.* 11. *reſol.* 5. *verſ. & hæc ſunt pugnantes*, Molin. *de Primog. Hiſp. lib.* 4. *cap.* 3. *ſub num.* 17. ubi quod caſus legis ſemper cenſeatur exceptus, Rota *dicta deciſ.* 457. *num.* 14. & 15. *par.* 1. *diverſor.*

Quod verò Sanctiſſimus proceſſerit per viam legis univerſalis, patet ex eo, quia ſuppreſſio demandata non reſpicit
37 potiùs unam, quàm aliam perſonam, ſed totum Collegium comprehendit, quod ſufficere ad verificandum legem eſſe generalem, tradit Fulgoſ. *conſ.* 143.

Neque contrarium dicunt Doctores ex adverſo citati, quoniam ſolùm contendere videntur, quod ad eſſentiam
38 legis requiratur univerſalitas, ne in odium potiùs unius, quàm alterius ſuſpicari poſſit promulgata, unde concludunt eam omnes comprehendere, ad differentiam præcepti, quod particularibus dirigitur, ut præter ex adverſo adductos, diſtinguunt Buſſemb. in Medull. Theolog. *tract.* 2. *cap.* 1. *in princip.* Pilaja *deciſ. Pontif. par.* 1. *lib.* 1. *deciſ.* 3. *ſignanter num.* 7. & omnes communiter, verùm non deſcendunt
39 ad hoc, an requiſita univerſalitas talis eſſe debeat, ut omnes cujuſvis generis omninò comprehendat, vel potiùs ſufficiat, ut intra aliquod genus neminem excludat, & ideò prævalere debet punctualis doctrina Fulgoſ. *proximè cit. conſ.* 141.

40 Prætereà non deeſt alia reſponſio, nempè quod univerſalitas ad quidditatem legis requiſita verificetur in ea, quod ea lata ſit pro communi bono, ut benè admonet Argel. *de acquir. poſſeſſ. quæſt.* 1. *art.* 7. *num.* 195.

Corruit quoque aliud fundamentum DD. ex adverſo ſcribentium, conſiſtens in aſſumpto, quod prædicta benè
41 poſſent procedere, ſi ſermo eſſet de poteſtate plenaria, & abſoluta Pontificis ſupprimentis, non verò quando agitur de poteſtate ordinaria, quæ legibus non eſt ſoluta.

Ultra quod enim Motus proprius ſuppreſſionis emanavit de plenitudine poteſtatis, quæ clauſula importat uſum pote-
42 ſtatis abſolutæ; Animadvertendum eſt, quod ubi Princeps movetur ex juſta, & legitima cauſa, publicum bonum con-
43 cernente, ſufficit ejus ordinaria poteſtas, ut punctualiter firmat Capic. *deciſ.* 166. *num.* 5. ibi, *& quando facit cum cauſa, poteſt, & dicitur facere ex poteſtate ordinaria ſine plenaria poteſtate, quia hoc etiam inferior à Principe poſſet facere, de quo loquitur Tex. in cap. in noſtra de iniur. videlicèt de Civitate Brixiæ, & Text. in dict. §. ſi conſtat, loquitur in Civitate qualibet*, & Bartol. *in l. quæcumque de fid. inſtrum. & Iure haſtæ fiſc. lib.* 10. *loquitur de Civitate Peruſiæ, & de Civibus loquitur* Bart. *in proœm. digeſtor. in l. quoties ff. de pollicit. in l. Antiochenſium ff. de privileg. cred.* & notat Alex. *conſ.* 216. 8. *col.* 3. *volum.* & Dec. *in dict. cap. quæ in Eccleſiarum* 12. *col.* & 13. *ſed vis ſtat in cauſa*, & idem comprobat Donat. *prax. tom.* 1. *tract.* 13. *quæſt.* 1. *per tot.*

Et adverti potiſſimùm ſupplicatur, quod refuſio ultrà pretium verè acceptum, eſt ſemper ſpecies pœnæ, ut per doctam plurium caſuum diſtinctionem, videri poteſt in adnotationibus pro Camera datis ad partes; Indè namque fit evidens, omninò eſſe indebitam prætenſionem, ex quo Camera per hanc ſuppreſſionem in nihilo deliquit.

Supereſt examinare doctrinas ex adverſo adductas, quamvis hic labor ſuperfluus videatur, dum ex ſola lectura detegitur, quod vel non applicantur, vel retorquentur.

Ac præ aliis ſanè retorquetur mirificè Fagnan. qui præci-
44 puè tanquam punctualis adducitur *in cap. ex epiſtolæ de probat.* ſolùm enim, ut in alia ſcriptura fuit dictum, diſputat, an Camera teneatur ad reſtitutionem illius pretii tantùm, quo loca Montium, ſeu Officia in prima erectione vendita fuerunt, vel poſito, quod ea ſæpiùs vacantia per obitum, aut alio modo denuò vẽdita fuerint à Camera majori pretio, debeat iſtud refundi, ut videri poteſt *num.* 9. unde patet, quod non applicatur caſui præſenti, ex quo non prætenditur reſtitutio ſolius pretii, juxta primævam erectionem, prout vigore Bullæ Innocentii prætendi potuiſſet, niſi ſupervenìſſet Conſtitutio Piana, nec etiam prætenditur, Cameram juvari poſſe diſpoſitione Juris, neque controvertitur reſtitutio integri pretii per Datariam recepti, quam ſolùm Fagnanus deberi contendit; Imò, ut diximus, manifeſtè retorquetur, dùm *num.* 13. *in fine* expreſsè admittit, nullatenùs eſſe reſtituendum id, quod à Camera non fuit receptum ibi: *Quia intelligitur, dummodo poſtea ad manus Cameræ non pervenerit maius pretium.* Et rurſus à Fagnano conſideratę non fuerunt circumſtantiæ ſuperiùs adductæ, nimirùm enormis læſio, qualitas conceſſionum, publica utilitas, nec non quod ſuppreſſio facta fuerit per viam legis generalis, quibus concurrentibus probatum eſt punctualibus auctoritatibus, Cameram de rigore Juris ad nullam reſtitutionem manſiſſe obnoxiam.

Neque etiam applicatur auctoritas Bald. *conſ.* 424. *lib.* 45
2. nam, ut apparet ex facti ſerie per ipſum regiſtrata, duo quærebant; Primò, an debitor, qui juxta conventionem pecunias ad creditum ſui creditoris poſuerat in Monte Florentiæ tempore decrementi earumdem, eſſet obligatus ad reſtituendum quantitatem correſpondentem diminutionis valoris; Secundò, an Commune Florentiæ in caſu reſtitutionis juxta reformationem tunc factam, teneretur ad reficiendum pretium currens de tempore depoſiti, & deſcriptionis ad creditum emptoris, vel potiùs ad rationem veri crediti, non attenta accidentali diminutione valoris pecuniæ tunc contingente: Et quoad primum reſpondet pro liberatione totali debitoris: Quoad ſecundum aſſerit, reſtitutionem à Communi Florentiæ fieri debere habito reſpectu ad verum creditum, non ad accidentalem valoris pecuniæ diminutionem, & ſummo quidem Jure; nam reformatio diſponebat, quod cuique extracto ſolveretur quarta pars ejus, quod ſibi debere conſtaret, attenta deſcriptione, adeò que cum extractus eſſet deſcriptus creditor pro florenis 500. licèt illi minus valerent, reſtitutio ad hanc rationem fieri debebat. In caſu autem noſtro, Camera ſolùm fuit obligata ad accepti reſtitutionem, inſpecta B. Pii Conſtitutione, & de jure, illa circumſcripta, concurrunt tot rationes obligationem vel minuentes, vel in totum remittentes, ut omnem applicationem excludant, ſolùmque auctoritas Baldi poſſet contra Cameram adduci, ſi in reſtitutione pretii verè accepti, vellet illam regulare ſecundùm inferiorem valorem monetæ tunc currentis, de quo non eſt quæſtio.

Quinimò auctoritas Baldi optimè probat à fortiori intentionem Cameræ, nam ſi Communi Florentiæ licuit juxta reformationem quartam partem verè, & realiter accepti reſtituere, & in hoc nulla fuit controverſia, multò magis licitum fuit Cameræ ſolùm id, quod à Dataria receptum fuit, integrè reddere, juxta Conſtitutionem B. Pii, maximè dum tot concurrunt circumſtantiæ, quæ de Juris rigore contrarium etiam ſuadere potuiſſent.

Similiter non applicatur Rolan. *conſ.* 71. *num.* 10. & *ſeqq. lib.* 3. quoniam loquitur quando Princeps bona priva- 46
torum adimit per diſpoſitionem particularem, non autem quando propria regalia vindicat, & quidem per viam legis generalis, aliiſque ſupra recenſitis circumſtantiis concurrentibus.

Eademque reſponſione tolluntur etiam Gratian. *diſcept. for. cap.* 891. *num.* 13. 29. & 30. (qui ulteriùs loquitur quan- 47
do Princeps adimit uni, ut alteri concedat) Petr. *de poteſt. Princip. cap.* 32. *qu.* 6. Cancer. *var. reſol. par.* 3. *num.* 8. & Maſtrill. *de Magiſtr. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 38.

Prout extra noſtros quoque terminos loquuntur Roman. *conſil.* 352. *num.* 22. *cum ſeq.* Solorz. *de Iur. Indiar. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 55. & *ſeq.* Capic. Latr. *conſult.* 38. Menoch. *conſ.* 307. *num.* 39. *ad* 45. Ruin. *conſ.* 31. *lib.* 5. Antunez. *de donat. Reg. par.* 2 *lib.* 1. *cap.* 2. & *cap.* 13. Mager. de Advo- 48
zatia *cap.* 6. *num.* 190. ac cæteri. Omnes enim tranſeunt cum ſuppoſito, quod Princeps uni tollat, ut alteri tribuat, idque per viam diſpoſitionis particularis, ac etiam deficiente juſta cauſa, ut ſignanter aperit Roman. *d. conſ.* 352. *num.* 25.

Denique numquam contrarium tenuit Rota, nam ex adverſo allegata *deciſ. Putei* 381. *lib.* 3. procedit quando Princeps particulariter diſpoſuit in præjudicium unius pro 49
alterius commodo & ulterius ibi nihil ex profeſſo firmatur, cum lis non eſſet cum Principe, ſed ſolùm incidenter ſermo habetur ſuper intelligntia Imolæ *in cap. quia diligentia de elect.* Caſus autem *deciſionis Vbaldi* 478. *num.* 9. carebat omni legitima cauſa, ut ibi advertitur *num.* 11. & rurſus non agebatur de Principe ſupremo, ſed de Civitate inferiori. Et in ſimili caſu deficientiæ cauſæ juſtæ loquitur *deciſ.* 4.

par. 7.

par. 7. recent. ubi eſt videre *num.* 13. ibi - *cum publica utilitas ceſſet &c.* contrarium firmans *num.* 16. quatenus publica utilitas controverti non poſſet.

Et generaliter animadverti ſupplicamus, quod licèt aliqua ex allegatis ex adverſo auctoritatibus loqueretur concurrente juſta cauſa, vel alia ex prædictis circumſtantiis, numquam tamen eſſet applicabilis in præſenti caſu, in quo cumulativè concurrunt cauſæ juſtæ, & quidem publicæ utilitatis, læſio Principis, lex generalis, qualitas conceſſionum, & quod non agitur de adimendis bonis privato-
50 torum: Conceſſiones enim etiam per viam contractus Principatui grave damnum inferentes, vel à principio, vel etiam ex poſt detectas læſivas, & damnoſas Reipublicæ, numquam ſubſtineri, præter allegatos ſupra per nos in §. *de iure ſiquidem*, & in aliis pluribus ſequentibus, tradunt adducti etiam à D. Arrigo, uno ex DD. ex adverſo ſcribentibus, qui hanc veritatem profitetur in §. *Summos autem Pontifices*, & in §. *dicta autem deciſio*; nempe Gonzal. *in cap. intellecto num.* 3. *de Iure iuran.* Menoch. *conſ.* 1003. *per tot.* Cyriac. *controv.* 402. *num.* 40. *cum duob. ſeqq.* Maſtrill. de Magiſtr. *lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 19. Caſtill. *de coniect. ult. volunt. lib.* 5. *cap.* 89. *num.* 85. *cum ſeqq.* Antunez *de donat. Reg. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 5. *cum ſeqq.* Seſſ. *deciſ.* 79. *num.* 2. *verſ. hoc intellige*.

Igitur ſuperfluum eſt agendi quæſtiones particulares circa prætenſionem augmenti, juxta pretium currens de tempore ſuppreſſionis, vel circa DD. Donatarios, ac habentes cauſam ab eis, dum nihil ab eis Dataria recepit, & totum id, quod habuit, fuit integraliter reſtitutum ad formam dictæ Conſtitutionis Pianæ.

Demum obſtare non poteſt regula, quod in dubiis quæ-
51 ſtionibus contra fiſcum ſit judicandum, deſumpta ex *l. non puto ff. de iur. fiſc.* quoniam cum tam ex diſpoſitione Ju-
52 ris, quàm ex Conſtitutione B. Pii, clariſſima cenſeri debeant Datariæ, & Cameræ Jura, utique prædicta regula, quatenus etiam ſubſiſteret, applicari non poſſet, ut reſpondet Ganaver. *deciſ.* 1. *num.* 119.

Verùm neque ex prædicto Textu poterit unquam legitimè deduci prætenſa regula Fiſco contraria: Ibi enim J. C.
53 Modeſtinus excuſat à delicto judicantem contra Fiſcum in dubiis quæſtionibus, ex qua ſanè præmiſſa non poterit derivari tamquam neceſſarium conſequens, quod in dubio ſit contra Fiſcum judicandum, cùm potius contraria regula Fiſco favorabilis ex eodem Textu deſumatur, ut diſertè probant magni nominis Doctores, & ſignanter Carleval. *de Iudic. lib.* 1. *tit.* 2. *diſp.* 1. *num.* 35. Alfar. *de Offic. fiſc. gloſ.* 16. *privil.* 26. *num.* 14. *& ſeqq.* Garz. *de nobil. gloſ.* 25. *num.* 6. §. *hæc ratio fallax cum ſeq.* Peregr. *de iur. fiſc. lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 12. *verſ. mihi vero*, Fajard. *alleg.* 9. *num.* 280. *& ſeqq.* Boler. *de Decoct. deb. fiſcal. tit.* 5. *quæſt.* 17. *per tot.* Ganaver. *dicta deciſ.* 1. *num.* 121. Qui omnes, vel prædictum Textum pro Fiſco interpretantur, vel illum Fiſco non adverſari aſſerunt per hoc, quod meliorem reddat privati conditionem.

Idque profectò multò fortius eſt admittendum, quoties Fiſcus non agit ad criminis perſecutionem, vel pœnæ exa- 54
ctionem, quo caſu contraria regula forſan procederet, ut explicant Doctores illam firmantes, & conciliando utramque opinionem tradit Alfar. *de Offic. fiſc. gloſ.* 17. *num.* 22. Ac etiam ex eo, quia Camera non agit pro aſſecuratione lucri, ſed pro damno vitando, effugiendi ſcilicet nimis ri- 55
gidam obligationem reſtituendi, quod non accepit, quod ex ſupra traditis, & ex caſibus ſpecificatis in adnotationibus ſapit pœnam; in tali etenim caſu potiorem eſſe Fiſci cauſam probat Alfar. *d. gloſ.* 16. *privil.* 26. *num.* 116. Fajard. *cit. alleg.* 9. *num.* 285. Boler. *de decoct. debit. fiſc. d. tit.* 5. *quæſt.* 17. *num.* 3. Cùm enim, ut probant præfati DD. Fiſcus non ſit deterioris conditionis, quàm privatus, ſicuti privato 56
ſuccurritur pro damno vitando, ita etiam Fiſco conſuli non minus debet.

Addimus, quod præfata regula ceſſat, quoties alia Fiſco faveat, cùm ea ſit merè ſubſidiaria, ut optimè reſpondit 57
Turamin. *in erudita expoſit. præfatæ leg. non puto par.* 2. *cap.* 2. *num.* 10. Ac proindè cum ultrà dictas regulas reſtringendæ obligationis, & damnum vitandi, aliaſque Cameræ favorabiles, concurrat potiſſima ratio publicæ utilitatis, & 58
neceſſitatis, ſemper privato commodo præferendæ, ne ſcilicet Populi novis tributis graventur, ut ſupra fuit probatum, & præ aliis optimè firmat Delbene *de Parlament. tract.* 6. *cap.* 2. *dubit.* 4. *ſect.* 1. *num.* 7. *verſ. tertio probatur*, *& num.* 19. *verſ. hæc autem*, *& ſect.* 2. *num.* 11. *cum ſeqq. & num.* 26. *verſ. reſpondetur*, multò minus aſſerta regula meretur allegari.

Repetimus tamen, quod deducta in hac ſcriptura, ſunt omninò ex abundanti, & ad oſtendendam Sanctiſſimi Pontificis clementiam, ac æquitatem, dum rejectis prætenſionibus, quas de jure Camera potuiſſet habere, voluit reſtitui totum, ac integrum pretium acceptum à Dataria, juxtà legem datam à Conſtitutione Piana, ideoque nulla remanere poteſt difficultatis umbra.

Quare &c.

Proſper Archiepiſc. Myren.
Io: Baptiſta Bottinus Fiſci, & Cam. Apoſt. Advoc.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

TERTIA JURIS.

SUMMARIUM.

1 *Caſus expreſſus diſputatione non eget.*
2 *Qui ſatisfacit legi, ad nihil aliud tenetur.*
3 *Verbum reſtituere non verificatur niſi in eo, quod acceptum eſt.*
4 *Verbum conſtiterit denotat veritatem effectivam, atque excludit fictionem.*
5 *Lex nova correctoria antiquæ ſtrictiſſimè eſt interpretanda, ut quominus fieri poteſt antiquam corrigat.*
6. *Lex particularis dubia interpretationem recipit à diſpoſitione iuris communis.*
7 *Obſervantia in ambiguis eſt optima interpres, & prævalet verborum proprietati.*
8 *Iuſtitia non obligat niſi ad ſimplum, ideſt ad tantumdem, quod vel habitum fuit, vel ad alicuius utilitatem verſum eſt.*
9 *Obligatio reſtituendi ultra acceptum datur ratione culpæ, vel pœnæ, &* num. 19.
10 *Vſuræ, & acceſſiones, quæ ſolvuntur verificatis requiſitis intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis, debentur ratione moræ, quæ redolet culpam.*
11 *Pœna conventionalis debita ad limites eius, quod intereſt, ſolvitur ratione moræ, vel alterius culpæ.*
12 *De iure civili non exigitur à fiſco.*
13 *Pœna dupli, tripli, aut quadrupli, qua impoſita eſt contra fures, alioſque criminoſos, & alia decupli in ſtatu Eccleſiaſtico contra Fiſcales fraudolentos adminiſtratores, ſolvitur ex cauſa delicti.*
14 *Evictio, quæ præſtatur emptori in eo, quod ſua intereſt, etiamſi excedat quod à venditore acceptum fuit, dicitur obligatio pœnalis ob venditam rem non ſuam, vel non liberam.*
15 *Obligatio evictionis, & obligatio reſtitutionis accepti pretii, in quo inter ſe differant.*
16 *Attentator, vel ſpoliator reficit expenſas, fructus amiſſos, aliaqua damna, ratione criminis ſpolii, vel attentatorum.*
17 *Venditor cum pacto redimendi tenetur in redemptione ad pretium currens etiam ultra id, quod recepit, quia præſumitur redimere rem melioratam.*
18 *Damna, & intereſſe generaliter reficiuntur ob contraventionem, fideique violationem.*
19 *Obligatio ultra ſimplum, quando intrat.*
20 *Camera ſi reſtitueret Secretariis pretium currens de tempore ſuppreſſionis pateretur pœnam tripli.*
21 *Hucuſque paſſa eſt uſuras ad rationem viginti, & ultra pro centenario.*
22 *Princeps diſponens de bonis privatorum ſine iuſta cauſa publicæ neceſſitatis, vel utilitatis, tenetur refundere pretium, & totaliter damnum compenſare, &* num. 34. *&* num. 45.
23 *Secus ſi id diſponat per legem generalem, & ex cauſa publicæ utilitatis, &* num. 35. *&* num. 46.

24 *In cauſis attendi debet non quid conſultum, ſed quid iudicatum, quidve exequutum fuerit.*
25 *Fiſcus non eſt regulandus iure privatorum.*
26 *Non tenetur niſi ad ſimplum, quamvis expreſsè promiſſet duplum, vel triplum.*
27 *Plures adducuntur caſus tam individui in Officiis Secretariorum, quàm generales, in quibus Camera non fuit obligata niſi ad reſtituendum pretium acceptum,* & num. 28.
29 *Idem ſervatum fuit in Regnis Galliarum, & Hiſpaniarum.*
30 *Obſervantia contraria cauſam duxit à munificentia, non ab obligatione.*
31 *Vt ſit attendenda neceſſe eſt, quod iuſtificetur in caſu præciſo.*
32 *Regulatur à frequentia, & multiplicitate actuum, non autem ab actu ſingulari.*
33 *In magno lucro poteſt liberalitas exerceri.*
34 *Princeps, & eius actiones dupliciter conſideratæ.*
35 *Factum Principis connumeratur inter caſus fortuitos, & aſſimilatur fulguri, vel tempeſtati.*
36 *Excreſcentia fructuum in huiuſmodi Officiis unde, & à quo tempore provenerit.*
37 *Damnum privatorum cedere debet publicæ utilitati.*
38 *In ſupplicationibus reſignationum non fit mentio pretii.*
39 *Datarius eſt organum Papæ, non autem Miniſtri inferiores.*
40 *Reſignatarius dicitur habere immediatè Officium à Papa, ad effectum ſe reddendi tutum ab hypothecis contractis per reſignantem, & ut periculum vacationis ab eo reguletur, non autem ut Princeps teneatur in caſu ſuppreſſionis ad reſtituendum pretium, quod non recepit.*
41 *In locis Montium fit reſtitutio pretii intrinſeci, non autem augmenti, quod reſignatarius perſolvit reſignanti.*
42 *Lex iuſtitiæ obligat Principem ad reſtituendum acceptum, ne aliàs locupletetur cum aliena iactura.*
43 *Ceſſio Vſusfructus, vel alterius rei conceſſæ ad vitam non operatur translationem ſubſtantiæ, vel alterius iuris vitalitii, niſi accedat conſenſus proprietarii, quo caſu uſusfructus efformatur de novo in perſona ceſſionarii.*
44 *Talis conſenſus non obligat conſentientem ad evictionem, ſeu ad reſtituendum maius pretium, ſi illud in ceſſione fuit auctum.*
45 *Princeps auferens alicui loca Montium, vel iura particulariter, & ſine cauſa publicæ utilitatis, tenetur reficere Poſſeſſori totum id, quod ſua intereſt.*
46 *Sed ſi id faciat ex cauſa publica, non tenetur niſi ad reſtitutionem accepti.*
47 *Simile procedit in ſuppreſſione franchitiarum, & exemptionum à gabellis.*
48 *Verbum* habuiſſe *appoſitum in Motu proprio Beati Pii Quinti verificatur in duobus Officiis poſſeſſis per Hoſpitale Sancti Spiritus, & Capitulum Sancti Euſtachii, mediante permutatione.*

R. P. TRes conſiderandæ ſunt leges, ex quibus pendet generica controverſiæ deciſio, quæ ſit omnibus Intereſſatis, in dubio deſcriptis, reſpectivè applicabilis. Prima particularis Innocentii Octavi; ſecunda etiam particularis Pii Quinti; & tertia communis.

Attenta prima lege particulari, & capitali Erectionis hujuſmodi Officiorum, Conſtitutione ſcilicet Innocentii Octavi, planum eſt, ac litterale, quod in caſu ſuppreſſionis, ad aliud reſtituendum omnibus Officiorum poſſeſſoribus, ad univerſo Collegio Camera non teneatur niſi ad id, quod
1 prima vice habuit, nempe ducatos 62400. ideoque ſi non adeſſet alia lex particularis B. Pii Quinti, de qua proximè infra, caſus tanquam clarus, & expreſſus, diſputatione indignus eſſet, recteque intraret Euangelicum oraculum: *Nonne denarium conveniſti mecum, tolle quod tuum eſt, & vade.*

Altera eſt enunciata lex particularis Pii Quinti in aliquo alterativa præfatæ legis fundamentalis Innocentii Octavi ad favorem Collegii, per quam diſponitur, ut in caſu ſuppreſſionis reſtitui debeant Officialibus pecuniæ, pro quibus eos Officia emiſſe, vel habuiſſe conſtiterit. Et attenta iſta lege, tenetur ſolùm Camera ad id, quod jam adimpletum fuit, nempe ad reſtituendum ſingulis illas pecunias, quæ ad ejus manus obvenerunt, ideoque ſatisfactum 2
eſt legi, neque aliud prætendi poteſt.

Clarum autem videtur, quod iſta lege attenta, non te- 3
neatur ad aliud Camera, quoniam verbum, *reſtituere*, directum eſt ad ipſam Cameram, quæ facere debet reſtitutionem non verificabilem, niſi in eo, quod verè acceptum eſt, juxtà leges litterales per DD. ſcribentes pro Came- 4
ra allegatas, potiſſimè verò accedente illo verbo, *conſtiterit*, quod veritatem effectivam denotat, ac fictionem excludit.

Potiſſimè, quia iſta ſecunda lex Piana, eſt correctoria antecedentis Innocentianæ in damnum, & præjudicium Cameræ, quæ attenta dicta prima lege, ad aliud non teneretur, niſi ad longè minorem ſummam ducatorum au- 5
ri 62400. Ideoque intrat vulgatum, & irrefragabile axioma, quod lex nova correctoria, exorbitans, & privilegiativa, ſtrictiſſimè intelligi debet, ut quòminus fieri poteſt, corrigat priorem legem, atque minus præjudicet illi, cui prior lex aſſiſtit.

Et nihilominus ſufficit, quod iſta lex eſſet dubia, & digna interpretatione, ad hoc, ut ità interpretari debeat, tam ex regula, vel diſpoſitione legis communis, à qua lex 6
particularis interpretationem, ac normam recipere debet, quàm etiam ratione obſervantiæ, quæ ſemper in ambiguis 7
dicitur maxima, & optima interpres, apta prævalere etiam verborum ſignificationi, & proprietati.

Attenta ſiquidem lege communi, (quæ ſuperius tertio 8
loco enunciata eſt) juxta ejus regulas, imò illas juris naturalis, & Divini, certum eſt, quod Juſtitia non obligat, niſi ad ſimplum, ideſt ad tantumdem, quod habitum fuit, vel quod aliàs in ejus utilitatem verſum eſt: ideoque ſi quis habuit centum, ad ſola centum reſtituenda tenetur, & non ultrà.

Et quamvis plures dentur caſus, in quibus reſtituendum 9
eſt plus quàm habitum fuit, attamen id provenit accidentaliter, & ex quibuſdam particularibus rationibus, tanquam per ſpeciem pœnæ alicujus delicti, vel culpæ; ideoque totus punctus eſt, an in facti ſpecie verſemur in aliquo ex his caſibus, adeout intret aliqua particularis ratio, quæ obliget ad reſtituendum ultra acceptum.

Plures autem ſunt iſti caſus. Primus eſt in uſuris, vel 10
acceſſionibus, & iſtæ ſunt hodie illicitæ, ac reprobatæ, præterquam ubi verificentur requiſita intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quorum præcipuum eſt mora, quæ redolet culpam, & delictum, cujus ratione moroſus juſtè hanc pœnam pati debet.

Alter eſt caſus pœnæ conventionalis, & iſta hodie ex 11
Canonica lege non exigitur, nec debetur, niſi ad limites ejus, quod intereſt, juxta caſum præcedentem, & ſic 12
pariter ex ratione moræ, vel alterius culpæ, & tamen etiam de Jure civili non exigitur à Fiſco, ut infrà.

Tertius eſt caſus pœnæ impoſitæ per legem communem, 13
vel particularem, qualis eſt illa dupli, vel tripli, aut quadrupli, quam in jure communi habemus in Inſtitutionibus contra fures, alioſque criminoſos, & illa decupli in Statu Eccleſiaſtico contra Fiſcales fraudolentos adminiſtratores, ex plenè relatis in Theatr. *lib. 2. de Regal. diſc.* 119. & ſic in pœnam criminis, non autem ex lege juſtitiæ, quæ non dato crimine, non obligat niſi ad ſimplum.

Quartus eſt caſus evictionis, quam venditor emptori 14
præſtare tenetur in eo, quod emptoris intereſt de præſenti tempore, quo illa ſequitur, quamvis excedat id, quod à venditore in cauſam pretii receptum eſt, ſed pariter iſta dicitur obligatio pœnalis proveniens ex culpa, quæ ineſſe dicitur in venditore vendente rem non ſuam, vel non liberam; Unde propterea habemus in jure, quod alias eſt obli- 15
gatio evictionis, & alia eſt obligatio reſtitutionis accepti pretii, quoniam iſta intrat, ubi non adeſt culpa, ex qua oritur major obligatio evictionis.

Quintus eſt caſus illius refectionis expenſarum, & fru- 16
ctuum amiſſorum, aliorumque damnorum, & intereſſe, ad quam attentator, vel ſpoliator tenetur, dum ita reſtituere tenetur id, quod non accepit, neque in ejus utilitatem verſum eſt, ſed pariter iſta eſt pœna criminis ſpolii, vel attentatorum.

Sextus eſt caſus illius majoris pretii currentis, ad quod 17
venditor cum pacto redimendi, contra diſpoſitionem juris, ex quadam non ſcripta æquitate tenetur ultra id, quod

rece-

recepit, atque id fundatur in illa præſumpta fraude in venditore, quod redimat rem melioratam, non redimeret autem deterioratam; Iſta verò præſumptio cadit in homine privato gerente negotium privatum, ſed temeritas manifeſta eſſet illam dare in Summo Pontifice adeò juſto, & pio, procedente per viam legis univerſalis, pro utilitate publica, prorsùs alieno ab omni privato intereſſe.

Septimus demùm eſt caſus magis generalis illius refectio-
18 nis damnorum, & intereſſe, ad quam quilibet violator fidei, vel contraventor tenetur, & pariter iſte eſt effectus criminis, cujus ratione criminoſus iſtam patitur pœnam. Et
19 in ſumma ſi qui alii dantur in Jure caſus, in quibus ultra ſimplum, obligatur quis ad reſtituendum id, quod non habuit, neque in ejus utilitatem verſum eſt, ſemper iſta obligatio conſideratur ratione culpæ, & delicti, ſine quo nunquam datur hæc pœna.

20 Quoties itaque obliganda eſſet Camera, quæ ſolùm accepit ſcuta 200. m. parum plus, ad reſtituendum omnibus pretium currens de tempore ſuppreſſionis, quod importaret ſcuta 600. mil. circiter, ita pateretur illam pœnam tripli, de qua fit mentio *dict. diſc.* 119. *de Regal. num.* 18. hoc eſt, reſtituendo ſimplum ratione debiti, & duplum ratione pœnæ; Imò ultrà iſtam pœnam adeò gravem, aliam quoque graviorem jam paſſa eſt, quod pro capitali ſcutorum 200. mil. in ſpatio annorum centum circiter, paſſa eſt jacturam fructuum in ratione annuorum ſcutorum, quandoque 30. mil. & quandoque 40. m. adeout paſſa ſit uſuram ad
21 rationem viginti, & ultra pro centenario, & ad quas pœnas omnis lex, & ratio prohibet, ut Camera innocens, cui nullum delictum importari poteſt, teneri debeat, atque huic ſolidiſſimo fundamento nunquam hucuſque in tot elaboratis ſcripturis data eſt adæquata reſponſio.

Eatenus verò aliqui Doctores obligant Principem, ejuſ-
22 que Cameram ad reſtituendum pretium, quod non accepit, quatenus conſiderari valeat actus illicitus, diſponendo de bonis privatorum, ſine juſta cauſa publicæ neceſſitatis, vel utilitatis, iſtoſque terminos verè percutiunt omnes auctoritates ex parte Officialium deduci ſolitæ, loquentes de Principe auferente poſſeſſori aliquod feudum, vel Officium particulare, ut pro ſe retineat, vel ut alteri concedat, aut quod aliàs violaret fidem, & non obſervaret contractum, ut ex lectura patet, & hic eſt caſus contentus in Conſtitutione B. Pii Quinti, quod Papa indebitè vendiderat Officium, quod non erat ſuum, ſed Collegii; ſed quan-
23 do Princeps ex cauſa publicæ neceſſitatis, vel utilitatis, & per viam legis generalis ſupprimit totum genus illorum Officiorum, tunc non datur, nec dari poteſt auctoritas, vel ratio naturalis, vel poſitiva, quæ comprobet, vel ſuadeat hanc pœnam.

Et nihilominus quidquid dicant aliqui conſulentes, utpotè ad pecuniam, & clientis opportunitatem ſcribentes
24 (cùm attendi debeat non quid conſultum, ſed quid judicatum, & exequutum ſit) etiam in caſibus particularibus non dabitur praxis, quòd ex lege, vel obligatione juſtitiæ Camera reſtituerit ultrà acceptum, cum frequentius neque iſtud reſtitui ſoleat, dum in dicto caſu particulari Conſtitutionis Pianæ ſolùm acceptum reſtitutum fuit, ut infra.

25 Non enim regulandus eſt Fiſcus jure privatorum, quo-
26 niam ſpeciale privilegium Fiſci eſt, ut nonniſi ad pretium, quod recepit, non autem ad formalem evictionem, vel ad duplum, ſeu triplum teneatur, quamvis expreſsè promiſſum ſit, juxta leges expreſſas, & litterales, & claras auctoritates adductas per DD. ſcribentes pro Camera, atque ita omninò planus remanet præfatus intellectus Conſtitutionis Pianæ.

Obſervantia quoque, tam particularis, quàm univerſa-
27 lis idem comprobat; Agendo ſiquidem de obſervantia particulari, imò individua ejuſdem Pii Quinti in hiſmet officiis, actum particularem, ex ordinaria poteſtate fortè illicitum, fecit Pontifex, vendendo Officium, quod non erat ſuum, pro ſcutis 5500. Unde propterea teneri debuiſſet ad quanti Officialium intereſſet, illoque tempore pretium erat majus, dum ex contractu Pii Quarti prædeceſſoris cum Canonicis Sancti Euſtachii liquet, quod valutatum fuit in ſcutis 11000. Idemque B. Pius Quintus eo tempore conſideravit, quod Officium tunc plus vendi poſſet, & tamen ad aliud Cameram non obligavit, niſi ad ſola ſcuta 5500. accepta.

Talis quoque eſt obſervantia generalis hujus Principatus
28 in tot conſimilibus Officiorum ſuppreſſionibus ſequutis ſub Clemente Octavo, Alexandro Septimo, Clemente Nono, & Clemente Decimo, ut in facto; Atque ſi quid ultra pretium acceptum, aliquibus, non autem omnibus reſtitutum fuit, ex titulo munificentiæ, & liberalitatis, expreſsè declarato, id ſequutum fuit, quod ad evidentiam comprobat, cùm lex Juſtitiæ non obligaret, niſi ad acceptum.

Prout etiam talem eſſe obſervantiam Regni Galliarum, 29
in quo frequentiſſimus eſt uſus officiorum, oſtenditur in facto, eamdemque eſſe obſervantiam Hiſpaniarum, habetur Nùntius magna fide dignus, atque in dies expectantur juſtificationes.

Unius caſus contrariæ obſervantiæ Alexandri Septimi in ſuppreſſione locorum Montium vacabilium, nullatenus attendi meretur ex pluribus. Primò quia idem Pontifex ex- 30
preſsè profitetur, id agere potius ex ejus munificentia, & liberalitate, inſinuando diverſam eſſe obligationem, ideoque iſta obſervantia potius retorquetur, vel ſaltem remanet æquivoca.

Secundò quia, juxta ſatis notum, hodieque irrefragabile principium, natura conſuetudinis eſt, ut attendatur in caſu præciſo, & individuo, prohibita omni extenſione, 31
vel ſimilitudine, quamvis rationis identitas accedat, ideoque cùm noſtra quæſtio ſit ſuper Officiis, attendendum eſt id, quod in iſtis obſervatum fuit, non autem quid in diverſa ſpecie locorum Montium.

Tertiò quia conſuetudo regulanda eſt à frequentia, & à 32
multiplicitate actuum, juncta cum longi temporis decurſu, non autem ab actu ſingulari, ideoque ſi tam in Officiis, quàm in locis Montium, continuato ſpatio annorum centum, & ultrà, Camera conſuevit reſtituere ſolùm in tot multiplicatis caſibus id, quod recepit, nullatenus curandum eſt de actu unico.

Et quartò ob magnam rationis diſparitatem, quoniam ſuppreſſio locorum Montium vacabilium, nullum cauſavit Cameræ levamen, ac debiti extinctionem perpetuam, & ſucceſſivam, dum idem remanſit debitum, ſed ſolùm facta fuit ejus tranſmutatio de vitalitio in perpetuum, & ſucceſſivum, ut ita duplicaretur ſors principalis, magnaque pararetur præſentanea copia pecuniarum, unde potuit tan- 33
quam de quodam magno lucro liberalitas exerceri, quod utique ad rem noſtram nullatenus eſt adaptabile.

Et in ſumma, & brevibus quæſtionem decidit, omniaque contraria minuit, vel conciliat diſtinctio latius explicata, & exemplificata in quodam diſcurſu italico idiomate à menſibus jam publicato, quod alii ſunt actus particula- 34
res, quos citra cauſam publicæ neceſſitatis, vel utilitatis facit Princeps, conſideratus tanquam privatus contrahens circa obſervantiam, vel inobſervantiam pactorum, & datæ fidei; & alii ſunt actus univerſales, quos pro publico Principatus regimine gerit per viam legis generalis; Priorinamque caſu adaptantur termini culpæ, & delicti ſecumferentis dictam pœnam reficiendi id, quod non eſt receptum, neque in utilitatem verſum eſt, ad inſtar cujuslibet privati contrahentis; In altero autem caſu, factum Principis con- 35
numeratur inter caſus fortuitos, & aſſimilatur fulguri, vel tempeſtati, aliiſque ſimilibus accidentibus ad refectionem non obligantibus.

Conſiderandum demùm venit, quod ab anno 1586. in quo ob annexionè factâ huic Collegio Officii Secretarii domeſtici, hujuſmodi Officiorum pretium notabile incrementum recepit uſque ad annum 1666. & ſic ſpatio annorum 80. pretii circumferentia fuit inter ſcutos decem, & quin- 36
decim mille, ut patet ex calculo dato in Summario; notabilis verò excreſcentia uſque ad ſummam ſcutorum 23. mil. eſt recens à decennio citrà, ob magnam clementiam, & facilitatem duorum ultimorum Pontificum, quibus à Clementia nomen deſumere placuit, concedendo ingentem gratiarum copiam, majorum, ac inſolitorum emolumentorum productivam; Unde propterea cum Sanctiſſimo ex juſtiſſimis motivis viſum ſit, ac videatur, parcè, & circumſpectè procedere in hujuſmodi gratiis, præſertim inter Regulares, & in derogationibus fideicommiſſorum, aliiſque ſimilibus, exinde prodiit, quod emolumenta magnam, ſatiſque notabilem diminutionem paſſa ſunt, adeout niſi ſuppreſſio facta eſſet; pretium ad antiquum, prioremque ſtatum fortè jam rediiſſet, vel cum aliquo temporis progreſſu rediret, ut cuique ad ſenſum patet, ideoque nulla ſuppetere poteſt ratio, quæ ſuadeat hujuſmodi accidentalis, forteque Reipublicæ præjudicialis excreſcentiæ refectionem. Atque ſi quod exindè reſultat aliquorum 37

pau-

paucorum privatorum damnum, & præjudicium, iſtud cedere debet publicæ utilitati, potiſſimè verò, & abſque principio dubitandi illorum, qui certant de lucro, aliqua namque commiſeratione digni videntur illi, qui certant de vero damno vitando, ſed ſicuti etiam iſti ſubjacent damno fulminis, vel incendii, & inundationis, ita & huic caſui ſubjacere debent, atque ſemper cedere debet publicæ utilitati privatum intereſſe.

Motivum magnificari ſolitum quoad poſſeſſores mediatos, qui pro majori pretio emerunt Officia ab illis, qui pro minori, vel nullo pretio à Papa, ejuſque Dataria habuerunt, quod ſcilicet ipſe Papa per organum ejus Datariæ iſtud ultimum pretium approbaverit, nullum penitus habet facti
38 fundamentum, quoniam in ſupplicationibus nulla fit mentio pretii, ut fit quando immediatè emitur à Datatia; ideoque neque Papa, neque Datarius, qui dicitur ejus Orga-
39 num, aliquam notitiam habent, unde propterea iſtum motivum omninò negligi meretur, nulloque diſcurſu videtur dignum, quoniam Datarius eſt Organum Papæ, non autem quidam Miniſter inferior.

Prout etiam nullius momenti videtur alterum motivum,
40 quod in hujuſmodi officiis, aliiſque juribus Regalibus, quæ ſine Principis aſſenſu, & auctoritate non poſſunt de uno in alium transferri, quando Princeps præſtat ejus aſſenſum, fingitur, ac ſi ipſe directè, & immediatè conferret Officium, vel aliud jus Reſignatario, quoniam id procedit ad duos effectus, ad quos id conſideratur per Doctores; primò nempe, ut ita Reſignatarius reddatur tutus ab hypothecis, aliiſque vinculis contractis per Reſignantem: & ſecundò, ut periculum vacationis reguletur ex iſta ultima perſona; non autem ex prima, ex qua regulari deberet, ſi non adeſſet aſſenſus, non autem exinde inferri poteſt, quod ob ſuperventum caſum, teneatur ille, qui præſtat hunc aſſenſum, ad damnum, & ad jacturam rei propriæ, & ad reſtituendum id, quod non recipit.

Comprobatur id ad evidentiam ex quotidiana praxi lo-
41 corum Montium, in quibus ad eoſdem effectus, & ex eadem ratione, adamuſſim, ac pariformiter procedit id aſſumptum, & tamen Princeps, vel Camera reſtituit ſolum pretium intrinſecum, quod accepit, non autem illud
42 plus, quod Reſignatarius perſolvit Reſignanti. Accepti ſiquidem reſtitutio ex lege juſtitiæ, vel æquitatis fieri debet ſolùm ex illa rationis, ut Princeps non remaneat locupletatus de alieno, neque retineat illam pecuniam ſine cauſa, nunquam verò, ut remanere debeat damnificatus de proprio, reſtituendo id, quod non habuit.

Quinimò præfatum aſſumptum non procedit ſolùm in Officiis, & Locis Montium, aliiſque Juribus Regalibus, in quibus neceſſarius eſt aſſenſus Principis, ſed etiam locum habet in rebus privatis, & indifferentibus, in quibus neceſſarius eſt aſſenſus perſonæ privatæ, ut præſertim contingit in translatione uſusfructus, aut alterius rei conceſ-
43 ſæ ad vitam de una perſona in alteram, quoniam niſi accedat conſenſus proprietarii, ſubſtantia uſusfructus, vel alterius Juris vitalitii reſidet penes cedentem, ex cujus perſona regulatur vacatio; Ceſſionarius autem reputatur tamquam Procurator in rem propriam in ſola commoditate, eodem modo, quo docet quotidiana praxis in penſionibus, ſed ſi accedit dictus aſſenſus, tunc ſubſtantia reſidet in Ceſſionario, ex cujus perſona regulatur vacatio, quia fingitur nova effomatio uſusfructus, vel nova conceſſio ad iſtam vitam, juxta celebrem deciſionem Merlini, cum aliis valdè notis; Ideoque ſi prima conceſſio uſusfructus, vel penſionis, aut alterius Juris vitalitii fuerit gratuita, vel 44
pro minori pretio; ceſſio autem, quæ per primum poſſeſſorem fiat alteri, ſequatur pro majori pretio, atque huic ceſſioni proprietarius, ſeu venditor conſenſum præſtet, nulla lex, vel auctoritas, aut ratio dabitur, quæ obliget conſentientem ad evictionem, vel ad reſtitutionem illius majoris pretii non accepti, ſed potiùs regula Juris eſt in contrarium, quod conſenſus præſtitus pro validitate actus, vel pro ſuo Jure, & intereſſe, ad nihil obligat de proprio, & hic eſt caſus.

Item ſuperius data diſtinctio inter actus particulares regulariter illicitos, & actus generales initos per viam legis univerſalis ex cauſa publica, comprobatur ex praxi quotidiana, & notoria, non ſolùm hujus Principatus, ſed omnium aliorum totius Orbis Catholici in Locis Montium fundatis ſuper redditibus Gabellarum, & Vectigalium, & quæ in Urbe dicuntur Loca Montium, alibi verò dicuntur Comperæ, vel Jura cum Rege, ſive Arrendamenta &c. quoniam ſi Princeps, firmis remanentibus Gabellis, aliiſque redditibus, auferat alicui in particulari aliqua Loca Montium, vel Jura, ut concedat alteri, vel ſibi appropriet, tunc quoties illum non excuſet cauſa publicæ neceſſitatis, 45
vel utilitatis, ratio juſtitiæ exigit, ut reficiat poſſeſſori totum id, quod intereſt, quoniam gerere dicitur actum illicitum, & criminoſum, ideoque luere debet pœnam talis refectionis; ſed ſi ex cauſa publica, & pro bono regimine Principatus, extinguat Gabellas, vel ſupprimat illa Jura, ſuper quibus Loca Montium erecta ſunt, tunc ad aliud teneri non poteſt, niſi ad reſtitutionem accepti, ex dicta ra- 46
tione, ut non locupletetur cum aliena jactura, & non retineat illam pecuniam ſine cauſa.

Ut etiam exemplificari poteſt in conceſſionibus gratuitis, 47
vel oneroſis franchitiarum, & exemptionum à Gabellis, aliiſque oneribus, quoniam ſi firmis remanentibus Gabellis, & oneribus illi privato Conceſſionario denegetur franchitia, tunc malè agitur, atque debet refici totum id, quod intereſt. Si verò extinguantur, & tollantur Gabellæ, tunc dicta refectio utique non intrat, iſtique videntur proprii termini præſentis controverſiæ.

Ad verbum, *habuiſſe*, diſcretivè poſitum in Conſti- 48
tutione B. Pii Quinti, ad verbum, *emiſſe*, DD. ſcribentes pro Camera dant plures ſolidas reſponſiones, quarum ſingulæ ſufficerent, multò magis junctæ, quibus additur altera clarior, quæ reſultat ex nudo facto, quoniam tunc duo ex iſtis Officiis titulo oneroſo, & correſpectivo ita poſſidebantur per Hoſpitale Sancti Spiritus, & per Capitulum Sancti Euſtachii, quoniam non congruebat eis verbum, *emiſſe*, congruebat verò alterum verbum, *habuiſſe*, utpote ex contractu permutationis, vel dationis in ſolutum, compatibiliter tamen cum aliis verbis ejuſdem Conſtitutionis, ut ſcilicet verificabilis eſſet reſtitutio pecuniarum, ſeu pretii accepti per veritatem, non autem per fictionem, ut denotat verbum, *reſtituere*, & aliud verbum, *conſtiterit*, ut ſupra; Ideoque dum prædicto verbo datur operatio compatibilis cum aliis verbis, totoque contextu, omninò ſpernendæ veniunt aliæ ſophiſticæ, & ideales ſignificationes, cum aliis benè deductis per Dominos Camerales.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

QUARTA JURIS.

SUMMARIUM.

1 *PRivilegium ſufficit, quod in minimo ſit operativum.*
2 *Ex privilegio Beati Pii Quinti Secretarii conſequi debent integras ſummas Datariæ perſolutas, quod non conſequebantur ex Conſtitutione Innocentii Octavi.*
3 *Reſtitutio ſummæ unà cum damnis, & intereſſe demandata per B. Pium, quid importat.*
4 *Qui iure ſuo utitur nemini iniuriam facit.*
5 *Verba poſita in Conſtitutionibus Pontificiis propriè ſunt intelligenda.*
6 *Interpretatio inveriſimilis eſt reiicienda.*
7 *Beatus Pius ſciebat augmentum pretii Secretariatuum de tempore edicti Motus proprii.*
8 *Papa donans huiuſmodi Officia, cenſetur donare emolumenta quouſque ſequatur ſuppreſſio.*
9 *Si reſtitutio facienda eſſet etiam de augmento pretii ſoluti reſignantibus, daretur contradictio in Motu proprio B. Pii iubentis reſtitui dumtaxat pretium habitum per Datariam, ſi revocaretur datio in ſolutum primi Officii vacaturi facta Collegio.*
10 *Sine culpa, & dolo quis non debet condemnari ad reſtituendum quod non accepit.*
11 *Habens facultatem redimendi pro eodemmet pretio, ſi conſentiat alienari rem redimendam pro maiori, adhuc ſibi non præiudicat, quin poſſit rem redimere pro priori pretio.*

12 *Ob-*

12 *Obſervantiam conſtituunt actus multiplices, non ſingulares.*
13 *In Hiſpania, ſicuti in Gallia fuerunt ſuppreſſa huiuſmodi Officia, facta reſtitutione pretii Regio Ærario perſoluti.*
14 *Lex nova dubia recipit interpretationem à iure communi,* & num. 18.
15 *De iure fiſcus non tenetur niſi ad ſimplum, quamvis promiſerit duplum.*
16 *Deciſ. Seraphin. 737. num. 6. quo caſu procedat.*
17 *Reſtitutio ultra ſimplum eſt ſpecies pœnæ, quæ non datur ſine delicto.*

R.P. IN poſitione data pro parte Rev. Cameræ fuit plenè juſtificatum ipſam teneri ſolummodo reſtituere pretium Officiorum per Datariam exactum à Dominis Secretariis, exiſtentibus tempore ſuppreſſionis, vel ab eorum Auctoribus, non autem ad ſolutionem pecuniarum per eoſdem reſignantibus ſolutarum, qui illa habuerunt à Dataria ex titulo lucrativo, vel pro minori pretio, & hanc probationem deduximus ex particularibus Conſtitutionibus ſanctæ memoriæ Innocentii Octavi, & Beati Pii Quinti, nec non etiam ex obſervantia, & diſpoſitione Juris communis.

Unde primò non obſtat repetitum objectum, quod dato intellectu Cameræ Motus proprius B. Pii Quinti ad nihilum deſerviret, ſtante quod Domini Secretarii exiſtentes pro tempore ſuppreſſionis Collegii, conſequi debebant vigore Innocentianæ Conſtitutionis totum id, quod ſolverant Datariæ, & tamen Beatus Pontifex profeſſus fuit velle ampliare privilegia Collegii.

Etenim Innocentius condemnavit Cameram; *Si erit facta* (ſunt verba præciſa) *Officii revocatio, aut alteratio, ut præmittitur ad reſtituen. eis univerſaliter Secretariis ſupradictam integram ſummam 62400. ducatorum auri de Camera per ipſos ſolutam, ut ſupra in eius Motu proprio littera B.* Unde non ſubſiſtit, quod mandaverit reſtitui totum id, quod ſolverint Datariæ, & proindè negari non poteſt, quin Beatus Pius privilegium conceſ-
1 ſerit, ita decernendo, ſatis enim eſt, quod illud in minimo operetur ad hoc, ut dici non poſſit ſuperfluum.

Quod clarè comprobatur ex diſcurſu partis adverſæ; dicit enim, quod licet Innocentius juſſerit reſtitui ſcut. 62400. per Secretarios anteceſſores Datariæ ſoluta, hoc tamen debet intelligi, quatenus tempore ſuppreſſionis Collegii pro eiſdemmet Officiis major ſumma non fuiſſet ſoluta Datariæ præfatæ; Data enim majori ſolutione, ne Camera locupletaretur cum alterius jactura, totum perceptum
2 debebat reſtituere: Ecce igitur quod B. Pius declarando caſum omiſſum in Conſtitutione Innocentii privilegium conceſſit Collegio, dum illius vigore ſequuta ſuppreſſione, abſque aliqua controverſia, Domini Secretarii conſequuti fuerunt integras ſummas Datariæ ſolutas, quod non eveniſſet circumſcripta præfata declaratione B. Pii Quinti, & ſic verum erit dicere, quod privilegium non fuerit fruſtratorium, ſed operativum.

Secundò, non ſubſiſtit, quod B. Pius in caſum moleſtiarum ſuper datione in ſolutum Officiis pro ſcutis 5500. man-
3 dando reſtitui Collegio eamdem ſummam unà cum damnis, & intereſſe voluerit in ſubſtantia, quod illi ſolveretur integra ſumma, pro qua dictum Officium venditum eſſet, vigore facultatis conceſſæ ab eodem Pontifice, etiamſi valdè excederet dicta ſcuta 5500. per Datariam habita.

Siquidem pro remotione æquivoci obſervañ. venit, quod B. Pius in Motu proprio, de quo agi fatetur, dictam ſummam 5500. ſcutorum auri recepiſſe mutuo, & gratiosè à Secretariis, & inſuper eiſdem licentiam conceſſit ad cenſum recipiendi conſimilem ſummam, & reſpectivè illis in ſolutum dedit Officium primò vacaturum ſubdens, *Et ſi dictum Collegium* (ſunt verba præciſa) *ſuper præmiſſis, aut eorum aliquo turbabitur quoquo modo, aut præmiſſa in toto, vel in parte conſequi non potuerit, tunc, & eo caſu Cameram præfatam ad ſolvendum cum effectu dictam ſummam 5500. ſcutorum auri unà cum damnis, & intereſſe paſſis teneri, & ad id eamdem Cameram, & omnia illius bona efficaciter obligata, & hypothecata eſſe etiam volumus, & ſtatuimus.*

Hinc patet, quod Papa mandaverit ſolummodò reſtitui pretium Officii per Datariam receptum unà cum damnis, & intereſſe paſſis per Collegium, ad cenſum recipiendo pecuniam ſolutam, verba enim illa pro damnis, & intereſſe reſpiciunt fructus cenſus per Collegium ſolutos, abſque eo, quod reſpicere poſſint majorem quantitatem pretii excedentis dicta ſcuta 5500. pro qua ſumma Officium venditum fuiſſet ab ipſo Collegio, & ſic ex facto corruit objectum.

Præterea ſupplicatur ponderare quod ſi B. Pius caſu quo aliquis ex ſucceſſoribus ſuis impugnaſſet, dationem in ſo- 4
lutum Officii per ipſum factam pro dictis ſcutis 5500. noluit quod Camera teneretur ad pretium Officii venditum per Collegium, vigore facultatis ſibi in Motu proprio conceſſæ, ſed tantùm ad id, quod Dataria habuit, quantò fortius hoc affirmandum venit in caſu ſuppreſſionis Collegii vigore facultatis in ipſa erectione conventæ, ex regula, quod qui Jure ſuo utitur nemini facit injuriam.

Tertiò non obſtat, quod verba Motus proprii B. Pii Quinti, *niſi reſtitutis prius realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis pecuniis, pro quibus eorum Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*, uti indefinita veniant intelligenda, tam in ordine ad pecunias immediatè Datariæ ſolutas, quàm etiam quoad ſummas perſolutas reſignantibus Officia, qui illa habuerunt à Dataria ex cauſa lucrativa, ſive pro vilio-
ri pretio, quia huic objecto fuit plenè ſatisfactum in poſi- 5
tione, non ſolùm ponderando verbum illud *reſtituere*, quod uti poſitum in Conſtitutione Pontificia, propriè ſumi debet, ſed etiam quia (ut etiam ſupra deduximus) idem B. Pius hoc declaravit in caſu fortiori.

Præterquam quod hujuſmodi intellectus partis adverſæ repugnat rationi naturali, quia cùm B. Pius ſciret pretium dictorum Officiorum eſſe auctum, & de die in diem augeri poſſe, non eſt credibile, quod per viam ſimplicis privilegii voluerit, quod Camera, quæ ex Officiis valdè tenuem ſummam retraxerat, teneretur, in caſum ſuppreſſionis Collegii, reſtituere integrum pretium occaſione reſignationum perſolutum, quando poterat dari, ut evenit, quod ſuppreſſio ſuccederet poſt ſæculum, & quando pretium di- 6
ctorum Officiorum eſſet auctum in ſumma valdè exceſſiva; Unde propter totalem inverſimilitudinem reiicienda venit partis interpretatio.

Quod autem B. Pontifici innoteſceret augmentum pretii Officiorum, de quibus agimus, non poteſt in controverſiam deduci; Dum pretium vigintiquatuor Officiorum ſo- 7
lutum Innocentio Octavo erat ſcut. 62400. auri, qui in caſu ſuppreſſionis Collegii eamdem ſummam mandavit reſtitui, facta autem valutatione ad rationem ſcutor. 5500. pro quolibet ex dictis vigintiquatuor locis, prout Beatus Pius alterum ex illis vendidit Cardinali de Medices, aſſequimur pretium omnium Officiorum aſcendere ad ſcut. 132. mil. & ſic augmentum tunc temporis erat circa medietatem, & inſuper, dum B. Pius conceſſit Collegio facultatem vendendi primum Officium vacaturum pro ſumma quantumvis excedente dicta ſcuta 5500. dignoſcitur eumdem Papam exiſtimaſſe pretium Officiorum eſſe in augmento.

Ulterius ſi Papa donaſſet alterum ex dictis Officiis, quod 8
eſt idem, ac dicere, quod donatarius perciperet illius emolumenta ad vitam, quatenus medio tempore non ſequeretur ſuppreſſio Collegii, abſurdum eſſet dicere, quod B. Pius in caſum ſuppreſſionis Collegii intellexerit condemnare Cameram ad reſtitutionem pretii ſoluti per ultimum reſignatarium, ad quamcumque ſummam aſcendentis, quando Papa donans habuit ſolummodò animum donandi emolumenta, retenta natura redimibilitatis.

Rursùs in caſu dictæ ſuppreſſionis promiſſæ, & conventæ Camera deberet reſtituere pecunias ſolutas reſignantibus, quando idem Papa voluit, quod deberet ſolummodò 9
reſtituere pretium, quod Dataria habuit, ſi daretur caſus, quod aliquis ex ſucceſſoribus ſuis impugnaret dationem in ſolutum, factam per B. Pium Officii primo loco vacaturi, & ſic ultra abſurdum in eodem Motu proprio, adeſſet expreſſa contradictio.

Tandem Camera culpa, & dolo cogeretur ſolvere id, quod non habuit contra omnes Juris regulas. Unde ſicuti licuit parti dicere, quod quamvis ex Conſtitutione Inno- 10
centii Octavi in caſum ſuppreſſionis Collegii eſſent reſtituenda ſcuta 62400. Datariæ ſoluta, nihilominus ſi ſucceſſivis temporibus Dataria exegiſſet majores ſummas, Camera tenebatur etiam illas reſtituere, ne locupletaretur cum aliena jactura, eo magis licere debet pro parte Cameræ di-

cere,

cere, quod ſine culpa, & dolo non debet condemnari ad reſtituendum id, quod non habuit, cum hoc ſapiat pœnam, vel mulctam.

Quartò, non obſtat, quod Papa admittendo reſignationes Officiorum, per Signaturam ſupplicationum, notitiam habuerit quantitatis pretii, inferendo exinde quod ſibi præjudicaverit in tantum, quod Camera teneatur ad integram illius ſolutionem, quia huic objecto etiam plenè ſatisfecimus in poſitione data.

Verum ex abuntanti dicimus, quod ſi particularis per-
11 ſona venderet Tenutam, videlicet pro ſcutis 1000. cum pacto redimendi pro eodemmet pretio, & cum alio pacto, quod non poſſet emptor Tenutam alteri vendere, niſi de conſenſu primi venditoris. Ponamus modo, quod idem venditor conſenſum præſtiterit venditioni pro ſcutis 2000. & deinde alteri pro ſcutis 3. mil. & aliis ſucceſſivè; Hinc quæro à DD. ex adverſo ſcribentibus, utrum primus venditor volens redimere tenutam, teneatur ſolvere tantummodo ſcuta 1000. habita, vel etiam ſummas per ipſum non receptas, & exiſtimo, quod reſpondebunt non teneri niſi ad ſcuta 1000. habita. Si hoc igitur procedit in particulari perſona, quantò magis admitti debet in Principe redimente regalia per Anteceſſores diſtracta, maximè ex particulari conventione in ipſa erectione appoſita, & ob urgentiſſimas cauſas bonum publicum ſecumferentes, ut advertitur in hac facti ſpecie ex Motu proprio, qui ſuperius datur impreſſus.

Quintò, in ordine ad obſervantiam, non obſtat, quod
12 Clemens Decimus ſupprimendo Officia Notariorum Rev. Cameræ mandaverit eiſdem reſtitui ſummas ſolutas Reſignatariis, quia cum tam ipſe, quàm alii tres Pontifices anteceſſores, ut probavimus in poſitione, mandaverit ſolummodo reſtitui pretium per ipſos ſolutum Datariæ; Hinc ſequitur, quod Sanctiſſimus ſumma ratione ſequutus fuerit veſtigia quatuor Summorum Pontificum anteceſſorum, inter quos adeſt etiam B. Pius Quintus, ſuper cujus Motu proprio hodiè cadit controverſia.

Cæterum in poſitione deduximus etiam exemplum Re-
13 gis Chriſtianiſſimi ſuppreſſionis conſimilium Secretariorum, quibus fuit reſtitutum pretium Ærario Regio ſolutum, & modo ad Curiam pervenit alia ſuppreſſio in Hiſpania facta de anno 1669. per Catholicam Reginam, in cujus ædicto habetur, quod poſſeſſores Officiorum debeant porrigere memorialia -- *Accioche rimettendoli, & informando, che Salario, ò utili, e profitti particolari poſſano haver havuti nell'eſercitio degl'Officii per il tempo, che gl'hanno eſercitato, ſi riconoſca, veda, & eſamini il tutto in una Giunta di tre Miniſtri da deputarſi*, & ſic patet, quod ad determinandum pretium reſtituen. ponderanda erant emolumenta percepta, quæ forſan, uti nimis exceſſiva reperta, præbuerunt cauſam non reſtituendi pretium, & ſic rectè adaptantur DD. adducti in ſecunda Juris reſponſione mei Advocati fiſcalis.

Et demum omninò conſiderari ſupplicatur, quod negari non poteſt, quin ſaltem Conſtitutio B. Pii Quinti ſit dubia, an reſtitutio pecuniarum intelligenda ſit de pecuniis ſolutis Cameræ, vel de illis, quæ fuerunt ſoluta Reſignatariis, 14
atque in caſu dubio pro interpretatione novæ legis recurrendum eſt ad diſpoſitionem Juris communis, qua attenta 15
ſpeciale fiſci privilegium eſt, ut etiam ubi adſit expreſſa conventio evictionis, & ſolutionis ejus, quod habitum non eſt, ut adhuc ad aliud non teneatur niſi ad ſimplum, quod recepit, juxta Text. litteralem jam allegatum in *l. ſi Procurator ff. de Iur. fiſci*, & clarè firmant Bald. Pariſ. & alii adducti, atque ſuper hoc nulla exiſtimo, nec in facto, nec in jure datur adæquata, & cathegorica reſponſio. *Deciſ. autem* Seraph. 737. *num.* 6. ubi, quod fiſcus adhuc te- 16
netur ad damnum, & intereſſe, procedit non in caſu, quando ut hic proceſſit uti Princeps, & ex cauſa publica, Larre. *alleg. fiſc.* 18. *à num.* 16. *uſque ad* 22.

Prout neque reſpondetur ad aliud irrefragabile motivum, quod ſolvere, & reſtituere id, quod habitum non fuit eſt 17
ſpecies pœnæ, quæ dari non poteſt ſine delicto, dum iidem exiſtimo ſcribentes reſpondendo ad *d. Text. in d. l. ſi Procurator* admittunt, quod reſtitutio ultra ſimplum ſtipulata eſſet ratione pœnæ, ergo dicendum non eſt, quod B. Pius voluerit alicui pœnæ Cameram ſupponere, ſed ejus lex intelligenda eſt ad limites Juris communis, à quo ſem-
per nova lex particularis interpretationem recipere debet, 18
ut quo magis fieri poteſt ejus correctio evitetur, & ne aliàs detur duplex correctio, & duplex exorbitantia, corrigendo Sacram Conſtitutionem, & corrigendo etiam Jus commune.

Quoad folium ſuper obſervantia, dabitur reſponſio ad partes.

Quare &c.

Sanctes de Pilaſtris Rev. Cam. Apoſt. Commiſſ. Gen.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

QUINTA JURIS.

SVMMARIVM.

1 *Officia licet acquirantur à reſignantibus, tamen concedi dicuntur à Papa.*
2 *Declaratur ad effectum ne reſignatarius teneatur ad debita reſignantis, & ad hoc ut periculum vacationis reguletur ex perſona ultimi.*
3 *Deciſio 197. par. 15. in quibus terminis loquatur.*
4 *Alexander Septimus in ſuppreſſione Acolytorum obligavit Cameram ad ſolummodo reſtituendum pretium acceptum.*
5 *Verbum* reſtitutis *non eſt verificabile niſi in eo, quod acceptum eſt.*
6 *Fiſcus non tenetur præſtare evictionem, niſi in ſimplo, quamvis ſe obligaſſet ad duplum, vel triplum.*
7 *Tenetur tamen ad damna, & intereſſe.*
8 *Intelligitur quando Princeps proceſſit uti privatus, non quando uti Princeps ex cauſa publica.*
9 *Camera tenetur ad damna, & intereſſe erga eum, qui ex facto ipſius recuperare nequit quod ſibi debetur.*
10 *Ex diſcretiva proviſione arguitur diverſitas diſpoſitionis.*
11 *In caſu dubio recurritur ad obſervantiam.*
12 *De praxi Regni Hiſpaniarum in reſtitutione pretii, quando ſupprimuntur Officia.*

R.P. QUia inter alias ſcripturas communicata non fuit illa D. Lancettæ, breviſſimè aliqua dicimus etiam ipſi ſatisfaciendo.

Inſiſtit præcipiè in eo, quod juxta Bullam Pianam reſtituen. ſit pretium, & iis, qui non acquiſiverunt immediatè à Dataria, ne alias ſequatur inconveniens, quod non omnibus, ſed ſolùm aliquibus reſtitueretur.

Nec nos controvertimus, ſed viget reſponſio, tam in informationibus, quàm ſuperius adducta, quod reſtitutio facienda omnibus, intelligatur de pretio Datariæ ſoluto, vel ab Officialibus tempore ſuppreſſionis exiſtentibus, vel ab eorum Auctoribus.

Nec obſtat, quod hæc Officia licet acquirantur per reſi- 1
gnationem a Tertiis, tamen concedantur à Papa.

Procedit etenim hæc Concluſio vel ad hoc ut reſignata-
rius ſuper Officiis, vel locis Montium, quæ acquirit, non 2
teneatur ad debita reſignantis, vel ad hoc ut periculum vacationis reguletur ex perſona ultimi, & in his terminis loquuntur DD. in contrarium allegati, & ſignanter R. P. D. de Luca, quemadmodum magiſtraliter declaratur in adnotationibus pro Camera, §. prout etiam nullius momenti videtur, cum duobus ſeqq. cui declarationi omninò ſtandum eſt pro removendo dubio, quod forſan oriri poſſet, ex deductis in particula primi diſcurſus data in ex adverſo Sum. *num.* 1. Atque ita pariter intelligendæ ſunt deciſiones in Romana Locorum Montium 28. Junii 1671. & in Romana Appartamenti 2. Decembris 1675. coram R. P. Taja.

Deciſio verò 197. par. 15. rec. nullatenus adverſatur, quia 3
eſt in caſu prorſus diverſo, Officii nempe Notariatus Agriculturæ, quod Sixtus Quintus juſſerat, ut pro medietate ſolùm vacaret, & pro alia eſſet hæreditarium, ut hæredes præfererentur pro pretio tunc reperibilis, Unde merito fuit dictum *n.* 5. Quod intelligebatur de pretio tunc, ideſt de tempore prælationis à dictis hæredibus petitæ, reperibili.

Inju-

Injustè redarguitur Advocatus fiscalis, cujus scripturarum particulæ datæ fuerunt in ex adverso Sum. *num.* 5. & 10. ab eodem Advocato ponderatæ.

In prima enim, posita secundo loco, particula data fuit mutilata in iis solùm verbis -- Idemque post B. Pium ab aliis Pontificibus fuit observatum in suppressione Officiorum, nam quando fel. record. Alexander Septimus supprimere voluit Acolytos Capellæ, solùm ordinavit restitutionem pretii ab eis realiter soluti, ut in Motu proprio &c. Unde malè fuit ex adverso facta illatio, quod idem Advocatus admiserit restitutum fuisse pretium ab unoquoque Officiali solutum in acquisitione Officii, debuisset enim advertì, quod intentum Advocati fuit ostendere observantiam à diversis Pontificibus continuatam, restituendi solum pretium per Cameram receptum, quemadmodum clarissimè important verba ejusdem primæ scripturæ, quæ sunt sequentia - Omnemque difficultatem tollit observantia restituendi in suppressionibus solum pretium per Cameram receptum à variis Pontificibus continuata, quæ justitiam restitutionis in hac parte manifestam reddit.

Nec sanè Motus proprius Alexandri, decernens suppressionem dictorum Acolytorum Capellæ pati poterat
4 aliam interpretationem, dum ejus verba sunt clarissima, quæ restringunt obligationem restituendi ad solum pretium Cameræ, ac ejus Ministris realiter solutum.

Altera verò informatio ejusdem Advocati ex adverso data Sum. *num.* 5. nihil prorsus continet, quod obligationem restituendi ultra acceptum arguere possit, dum solum in ea refertur, quod in præcedenti Congregatione resolutum fuisset pro restitutione solius pretii soluti, sive Datariæ immediatè, sive resignantibus, & notandum est, quod ipse Advocatus addidit hoc fuisse factum, loquendo *in hac secunda parte ob maximam æquitatem*. Et quia nec etiam DD. Officiales de hoc erant contenti, idcircò meritò per Sanctissimum Motu proprio facta fuit suppressio, & ordinata restitutio, solius pretii Datariæ vere soluti, quousque per hoc sacrum Tribunal cognoscatur, an de rigore juris aliquis ultra restituendum veniat.

Nunc replicando responsionibus ab omnibus DD. ex adverso scribentibus datis, dicimus Cameræ nullatenus obstare principale motivum, in quo (ut etiam inter informandum audivimus) potissimè insistitur, quod scilicet verbum *restitutis*, quo utitur Bulla Piana, hoc importet, juxta sui proprietatem, quod singulis Officialibus, sequuta suppressione, restitui debeat totum id, quod ab unoquoque solutum fuit, sive à Camera, sive ab alio, dummodo ipsi non remaneant in damno, cui Pontifex occurrere voluit, jubendo, restitutionem fieri integrè, & sine ulla diminutione.

Sufficit enim Cameræ, quod ipsa non teneatur restituere, nisi quod accepit, quodque Papa hoc non ordinaverit, prout certè verba Motus proprii id non important, imò contrarium attenta indole verbi *restitutis*, non verifica-
5 bilis, nisi in eo, quod acceptum fuit ex allegatis in prima juris §. Adhibita siquidem cum seq. nec ullus Doctor in contrarium fuit allegatus, qui hoc firmet.

Si autem, vel de Jure, vel ex vi Motus proprii, DD. Adversarii, qui non acquisiverunt immediatè à Dataria, repetere possunt totum id, quod solverunt Resignantibus in acquisitione Officiorum, utantur Jure suo, nobis enim sufficit, quod Camera non teneatur, nec ad restituendum id, quod non accepit, nec de evictione, prout aliàs teneretur, si juxta sensum DD. ex adverso scribentium procu-
6 rare deberet Officialium indemnitatem: Et tamen de Jure, nec etiam ex proprio contractu tenetur fiscus in casu evictionis, nisi ad restitutionem accepti, & si adsit expressa conventio cum obligatione dupli, vel tripli, ut per Text. *in l. si Procurator ff. de iur. fisc.* & per plures DD. probatum fuit in prima Juris §. Præsertim.

Neque ista conclusio ex adverso impugnatur; Imò ad-
7 mittitur à D. meo Fatinello solùm respondente illud esse, quod non teneatur ad damna, & interesse, ad quæ prætenditur etiam Cameram Apostolicam teneri juxtà *consil.* Socin. 156. *lib.* 2. & *decis.* 285. post Pacific. de Salvian.

Verum, quod fiscus non teneatur, nec etiam ad dam- 8
na, quando Princeps non processit uti privatus, sed uti Princeps ex causa publica, ut probant Capic. Galeot. *resp. fiscal.* 18. *sub num.* 42. *vers. Et si damna*, Larr. *alleg. fiscal.* 17. *num.* 24. & 27. & *alleg.* 18. *num.* 16. 17. & *seqq.* & *num.* 22. *in fin.* Altogrd. Jun. *decis. unic. post controv. forens. sub num.* 52. *vers. secus autem, quando* R. P. D. de Luca doctè de more distinguens plures casus *disc.* 159. *de Regal. num.* 8. *cum plur. seqq.* & signanter *num.* 12. dicens, quod his circumstantiis concurrentibus, omninò verius videtur id, quod substinet Larrea.

Nec refert, quod B. Pius in eodem Motu proprio expressè voluerit, Cameram teneri, quatenus Collegium turbaretur, ad restituenda scuta 5500. unà cum damnis, & interesse.

Ibi namque Pontifex loquutus fuit de casu particulari, in quo procedebat uti privatus, dum enim receperat à Secretariis, & Collegio dicta scuta 5500. quæ restituere debuit Cardinali de Medices, & promisit pro Collegii satisfactione, eamdem summam restituere mediante pretio alterius Officii primò vacaturi; meritò promittere debuit, quod si Collegium in præmissis, turbaretur, Camera obligata foret ad restituenda cum effectu eadem scuta 5500. unà cum damnis, & interesse passis, quia nimirum tali casu, 9
facto ipsius Cameræ, non potuisset Collegium recuperare id, quod sibi debebatur, juxtà deducta per Rot. in supracitata *dec.* 285. post Pacific. Ideoque non potest ex tali promissione damnorum, facta in dicto casu particulari, sumi argumentum, quod Pontifex ad ea voluerit Cameram teneri in alio casu longè diverso, nempe suppressionis, & extinctionis totius Collegii.

Imò ex discretiva provisione, ac dispositione in dicto particulari facta, benè sumitur efficax argumentum, quod in 10
casu suppressionis, & extinctionis totius Collegii noluerit Camera teneri posse ad aliud, quàm ad restitutionem pretii per eam recepti.

Observantia per eos adducta plurimum urget pro declaratione dicti Motus proprii quatenus etiam dispositio esset dubia.

Nec suffragatur responsio, quod non detur casus erectionis factæ cum hac præcisa lege, quia dicimus vel eam esse claram, & litteralem, ut in casu suppressionis restitui solùm debeat à Camera totum id, quod ab ea receptum fuit, vel in casu dubietatis benè procedere interpretationem eli- 11
citam ex observantia tot Summorum Pontificum, in similibus suppressionibus, urgente in omnibus eadem ratione, quod Camera de rigore teneri non possit, nisi ad restitutionem accepti.

Addimus nunc observantiam etiam aliorum Principatuum, ut ultra exemplum Regni Galliæ adductum in informatione R. P. D. Commissarii, & datur modò simile 12
in Regnis Hispaniarum, de quo post scripta pervenerunt justificationes præferentes, quod dum suppressa fuerunt Officia data per viam legis generalis nulla prorsus facta fuit mentio de restitutione pretii, quod etiam videri potest originaliter in secunda parte legum Regni *lib.* 7. *tit.* 3. *lib.* 17. *per tot.* ubi verò fuit actum de Officiis venditis, fuit quidem mens Regia, ut restituatur pretium, sed cum magna limitatione, nimirum habita ratione fructuum, & emolumentorum, quæ percepta fuerunt ab Officialibus, ut videre est in ultima suppressione sequuta 29. Maji 1669. Indeque profectò patet non esse ullo modo exorbitans nostrum motivum, quod prætendi forsan potuisset extenuatio pretii, respectu illorum Officialium, qui acquisiverunt vili pretio, & magnos, ac exorbitantes fructus receperunt, & tamen Sanctissimus Dominus noster hoc nullo modo practicari voluit, sed summa justitia motus, & quidem æquitatis dulcedine temperata, restitui voluit singulis, absque ulla diminutione, totum id, quod à Dataria receptum fuit; Unde non habent de quo justè conqueri possint.

Cætera non videntur indigere alia responsione.

Prosper Archiepisc. Myren.
Io: Baptista Bottinus Fisci, & Cam. Apost. Advoc.

RISPOSTA,

Che ſi dà per parte della R. Camera al Diſcorſo ſtampato ſopra l'oſſervanza de' Signori già Segretarii Apoſtolici, con ſeguitare l'ordine de' Pontificati, per maggior chiarezza.

PAolo Secondo, come ſi dice in detto Diſcorſo §. 2. ſuppreſſe il Collegio degl'Abbreviatori, e reſtituì à ciaſcuno Officiale il prezzo, che haveva pagato, in prova di che ſi porta nel Sommario de medeſimi al *num.* 3. la Bolla 16. di Siſto Quarto, che l'aſſeriſce.

Si riſponde, che nella Bolla accennata ſi dice, che era ſtato intieramente reſtituito il prezzo à gli Officiali, mà non paſſa più oltre, onde ſi deve intendere riſpetto al prezza, che era ſtato pagato alla Dataria, e non nell'augmento pagato alli reſignanti, & in tutti i Caſi queſto è un' eſempio, quale non prova l'oſſervanza, nel caſo del quale ſi tratta.

Il B. Pio Quinto ſotto li 7. Marzo 1569. reducendo li frutti del Monte Giulio vacabile à ſcudi 10. e mezzo per cento, quali ſi pagavano dalla Camera à ragione di 12. fece publicare Editto ſtamparo, nel quale ſtanno le ſeguenti parole - *Quodque ſi qui eorumdem Montiſtarum nollent ſic reductis huiuſmodi fructibus in ipſo Monte remanere, ſcuta* 100. *pro quolibet loco dicti Montis eis reſtituerentur*. Del qual'Editto ſi fà anco mentione nel Moto proprio della ſanta memoria di Aleſſandro Settimo, che ſtà nel Summario ſtampato de' Signori Segretarii *ſuper obſervantia* al *num.* 1.

Queſto eſempio è l'individuale, poiche il Papa hà fatto reſtituire ſolamente il prezzo de luoghi de Monti, ch'era pervenuto alla Camera ſenz'haver riguardo al prezzo pagato alli reſignanti.

Il medeſimo B. Pio nel Moto proprio fatto in favore del Collegio de Signori Segretarii nel 1571. narra, che haveva venduto nel meſe d'Aprile 1570. un Segretariato per ſcudi 5500. d'oro al Cardinale de Medici, mà perche conobbe, che la vendita non ſpettava à lui, però volle che ſi reſtituiſſero li medeſimi ſcudi 5500. come ſi legge nel detto Moto proprio, che ſopra ſi dà impreſſo,

A queſto eſſempio ſi riſponde nel Diſcorſo de Signori Segretarii, che ſi trattava d'Officio venduto dalla Dataria, e però non hà che fare in ordine alla reſtitutione del prezzo dell'Officii reſignati, mà ſi replica, che ſuffraga per dibattere la pretenſione di quelli, che credevano doverſi la reſtitutione del prezzo corrente nel tempo della ſuppreſſione del Collegio.

Inoltre eſſo B. Pio nel detto Moto proprio, volendo reintegrare il Collegio delli ſcudi 5500. d'oro, che haveva pagato al detto Cardinale de Medici, gli aſſegnò il primo Segretariato, che vacarebbe, con facoltà di venderlo, non ſolo per li ſudetti ſcudi 5500. d'oro, mà per qualſivoglia ſomma maggiore, che ne ritrovaſſe, & in caſo che mai il detto Collegio, ò poſſeſſore dell'Officio foſſero moleſtati ſopra la detta datione *in ſolutum*, ordina, che la Camera ſia tenuta di reſtituirli li detti ſcudi 5500. con l'intereſſi patiti dal Collegio, quale haveva havuto facoltà di pigliare à cenſo la detta ſomma pagata à detto Cardinale de Medici, come ſi lege in detto Moto proprio al *num.* 1.

Queſt'eſempio è individuale, poiche ſe il Collegio haveſſe venduto (verbi gratia) il Segretariato per ſcudi 20. mil. & in lunghezza di tempo foſſe ſtato moleſtato ſopra detta datione in ſolutum, in conformità del Moto proprio, non poteva pretendere altro che la reſtitutione delli ſcudi 5500. d'oro da lui pagati al Cardinale de Medici, che haveva pagato ſimile ſomma alla Dataria, & in oltre doveva conſeguire li danni, & intereſſi patiti per occaſione del cenſo impoſto, per pagare li detti ſcudi 5500.

Hora dico, ſe in caſo di contraventione con impugnare l'aſſignatione d'un Segretariato fatta dal Papa, la Camera non deve reſtituire ſe non il prezzo, che attualmente hà ricevuto, quanto maggiormente ciò ſi deve dire del caſo preſente, nel quale Noſtro Signore hà fatto un'atto permeſſo, cioè hà eſtinto il Collegio in conformità della Conſtitutione d'Innocentio Ottavo, e del B. Pio, al quale motivo fin'hora non ſento riſpoſta, che appaghi la mia poca capacità, mentre in niun modo ſi puol dire, che ſotto nome de danni, & intereſſi patiti, venghi il prezzo maggiore pagato al reſignante, come ſi moſtra nella riſpoſta della Camera, alla quale mi rimetto.

Clemente Ottavo nell'anno 1592. eſtinguendo l'Officio di Cuſtode generale delle Carceri, fece reſtituire al poſſeſſore, oltre li ſcudi 13. mil. prezzo pagato alla Dataria, altri ſcudi 2000. (*quæ illi largimur*) ſono parole della Bolla data in Sommario de Signori Segretarii, *ut conſenſum huiuſmodi præſtaret*.

Mentre dunque il Papa dichiara d'haver donato li ſcudi 2000. oltre il prezzo, per haver più facilmente il conſenſo, queſt'eſempio non ſi puol portare da Signori Segretarii per moſtrare, che nelle ſuppreſſioni degli Officii non baſti il reſtituire il prezzo, che la Camera haveva ricevuto, non ponendoſi in dubio, che il Papa poſſi fare ſimili, e maggiori donationi.

Vrbano Ottavo nell'anno 1627. con ſuo chirografo volendo in parte diſgravare le Communità, ordinò, che eſtingueſſero alcuni Monti vacabili, con pagare alli Montiſti ſcudi 125. per uno, per ciaſcheduno loco, conforme il prezzo, che correva, come ſi legge nel Sommario de Signori Segretarii al *num.* 2. *circa finem*.

Queſt'eſempio non ſi applica, mentre l'eſtintione de Monti non ſi faceva dalla Camera, che haveva ricevuto il prezzo, mà ſi faceva fare dalle Communità per loro beneficio, e così ſenza aggravio de Montiſti non ſi doveva reſtituire il prezzo pagato alla Camera, e perciò il Papa prudentemente fece reſtituire il prezzo corrente.

Aleſſandro del 1655. eſtinguendo i Monti vacabili, & erigendo il Monte non vacabile, per gratia, fece reſtituire alli Montiſti, oltre li 100. ſcudi, che prima vice erano ſtati pagati alla Dataria per ciaſchedun luogo, come dalla particola del Motu proprio dato nel Summario de Signori Segretarii *num.* 1. e per conſeguenza l'eſempio non ſi applica.

In oltre ſi ſupplica d'auvertire, che la Camera haveva la prima volta venduti li luoghi vacabili eſtinti à raggiore di ſcudi 100. per ciaſcheduno, mà nelli tempi ſucceſſivi eſſendo ritornati à vacare gli haveva venduti conforme alli prezzi correnti, e con tutto ciò nacque controverſia, ſe ſi doveva ſolamente reſtituire il primo prezzo, conforme all' eſempio del B. Pio, & il Papa per gratia, e per munificenza volle, che ſi reſtituiſſero le ſomme taſſate da lui, ſenza che appariſca, che foſſe all'hora tale il prezzo corrente. Sicche fù reſtituito in ſoſtanza quello haveva ricevuto la Camera, come per appunto hoggi ſi pretende pratticare, riſpetto alla ſuppreſſione delli Segretariati.

Il medemo Aleſſandro Settimo nel detto anno 1655. ſuppreſſo il Colleggio de Suddiaconi, & Accoliti, & ordinò li ſi reſtituiſſe il prezzo, che ciaſcheduno havea pagato alla Camera, e Dataria reſpettivamente, come dal Motu proprio ſpedito 8. Kal. Novembris 1655. Qual caſo è nelli noſtri preciſi termini, e così deve ſuffragare alla Camera.

Nè puol ſoſiſtere la riſpoſta data da Signori Segretarii, cioè che tal diſpoſitione ſia dubbia, mentre appare totalmente chiara dalle ſeguenti parole -- *Decernentes pretium dictorum reddituum temporalium, & expenſas quaſcumque à prænominatis perſonis, & eorum ſingulis Cameræ, & eius Miniſtris in ſingulis Officiorum prædictorum titulis, & conceſſionibus realiter ſolutum, & ſolutas, &c. Integrè pecunia numerata, reſtitui*, e come più pienamente nel detto Motu proprio.

Mentre dunque habbiamo il Motu proprio chiaro, reſtano ſuperflue le ponderationi, che ſi fanno ſopra alcuni preteſi equivoci, la prova de quali ſi và deſumendo da ciò, che ſi dà nel loro Sommario al *num.* 5. & 6.

Clemente Nono nell'anno 1667. nel riformare la Curia di Borgo ſuppremè gli Officii del Notaro criminale, e civile, e fè reſtituire al poſſeſſore ſcudi 1000. con le ſpeſe, che haveva

veva pagato alla Dataria, e Miniſtri, & in oltre ſcudi 100. per tutto quello poteva pretendere per le ſcritture, & altro, che laſciava come nel Motu proprio ſpedito li 5. Settembre 1667.

Si dice nel diſcorſo de Signori Segretarii, che l'Officio era ſtato venduto à drittura dalla Dataria, e ſe bene il Padre l'haveva trasferito nel figliolo, non era corſo prezzo, e per conſeguenza quell'eſempio non ſi applica, ma ſi riſponde, che prova in moſtrare, che la Camera non è ſolita reſtituire in caſu di ſuppreſſione, ſe non quello, che hà ricevuto, ſenza haver riguardo al valore dell'Officio, poiche nel caſo ſudetto nell'iſteſſo giorno della ſoppreſſione furono affittati l'emolumenti delli detti due Officii ſuppreſſi in ſcudi 60. il meſe, come ſi prova dall'inſtromento rogato li 17. Ottobre 1667. per gli atti di Matteo de Angelis.

Clemente Decimo nell'anno 1671. ſuppreſſe il Collegio delli Segretarii de Monti, & ordinò, che ſi reſtituiſſe alli medeſimi il prezzo, che haveva ricevuto la Dataria, come dal Chirografo ſpedito pridie kal. Septembris 1671.

Che poi tal diſpoſitione ſia dubbia, come ſi pretende da Signori Secretarii pare ceſſi dalla lettura, & in oltre dall'havere Giovanni Maria Antonetti ottenuto Chirografo particolare, ſpedito li 7. Novembre 1671. perche ſe li reſtituiſſe il prezzo, che haveva pagato al reſignante.

S'aggiunge, che Michele Poleſſi, & il de Cupis non ſono ſodisfatti del prezzo delle loro Segretarie, come dalle atteſtationi del Computiſta della Camera, perche come ſi è ſentito da Signori Camerali di quel tempo, non giuſtificarono, che per dette Segretarie loro, ò li loro Autori haveſſero pagato alcuna ſumma alla Dataria, ò Camera reſpettivamente ſopra di che ſi laſcia la verità al ſuo luogo.

Pare dunque conſiderabile, che per le Segretarie di Marco Arrighi, confiſcate nel tempo della ſuppreſſione, li Signori Camerali del tempo predetto per detrahere le loro portioni havevano biſogno di valutare dette Segretarie, e perche non ritrovarono l'acquiſti fatti da Marco Arrighi, mediante un chirografo del medeſimo Papa delli 5. Decembre 1671. furono valutate le dette Segretarie ad un giulio per luogo, come la Dataria era ſolita venderle.

E per eſſer atto fatto *tempore non ſuſpecto*, deve molto ſuffragare.

Come poi ſi ſia praticato nella reſtitutione del prezzo alli detti Segretarii, mi rimetto alla verità, credo bensì, che quanto ſi deduce nel Sommario de Signori Secretarii dal *num.* 7. fino al *num.* 19. non pare, che pregiudichi punto, e però reſta fermo l'eſempio à favor della Camera.

Il medeſimo Clemente Decimo nel ſupprimere gli Officii di Camera ordinò, che ſi reſtituiſſe alli poſſeſſori ciò, che havevano eſſi pagato indiſtintamente, etiam alli reſignanti, come al Sommario de Signori Segretarii *al num.* 20. Mà per parte della Camera ſi riſponde, che da queſto eſempio non ſi diſtrugge l'oſſervanza pratticata dal medeſimo Pontefice, e da tanti ſuoi anteceſſori, come ſopra giuſtificata; e comprovata anco nelle ſcritture date per parte della Camera.

NUM. VII.

INFORMATIONES

Datæ in prima diſputatione Rotali pro parte Officialium.

ROMANA PRETII SECRETARIATUUM APOSTOLICORUM.

Stantibus hinc inde deductis.

Dub. *Quodnam pretium ſit ſolvendum, & an illud debeatur infraſcriptis emptoribus, videlicet Eminentiſs. Card. Acciaiolo, Iacobo Montiono, Principi Auguſtino Chiſio, Marchioni Sygiſmundo Raggio, Equiti Philippo Acciaiolo, Duci Ioanni Baptiſtæ Roſpiglioſio; RR. PP. Franciſco Nicolino, Ioſepho de Aſte, Marcello Duratio, Dominico Mariæ Curſio, Franciſco Mariæ Victorio; Io: Baptiſtæ Coſtaguto, Duci Franciſco Mariæ Salviato, Abbati Leccio; Principi Gaſpari Alterio, Marchioni Bartholomæo Ruſpolo, & Equiti Lucæ Antonio Cicciaporcio in caſu, &c.*

ARGUMENTUM.

De erectione, augmento, privilegiis, & ſuppreſſione Collegii Secretariatuum Apoſtolicorum. Pretium in eorum extinctione reſtituendum, à quo tempore regulandum. Cauſa quando publica, & lex quando dicatur univerſalis; Eis, qui emerunt dicta Officia à donatariis, an pretium reficiendum veniat. Privilegium quid operari debeat, & gratia Papæ quando perfecta. Reſtitutio pretii Officii ſuppreſſi an ſit facienda ſenibus, qui de ſtylo Datariæ non admitterentur, ad illud reſignandum ex cauſa gravis ætatis.

SUMMARIUM.

1 *Erectio Secretariorum facta per Innocentium Octavum.*
2 *Motus proprius Beati Pii Quinti, in quo demandatur reſtitui Secretariis pecunias, pro quibus Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit.*
3 *Sixtus Quintus ſuppreſſit Officia Secretarii domeſtici, & Secretarii Brevium, & Collegio Secretariorum eorum emolumenta applicavit.*
4 *Valor dictorum Officiorum poſtremo loco auctus eſt uſque ad ſcuta 22. mil. pro quolibet.*
5 *Suppreſſio dicti Collegii facta per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Innocentium XI. & decretum, quod reſtituantur ſolum pecuniæ per Cameram receptæ, & Card. de Luca de Offic. Venal. &c.*
circa earum augmento exquiratur Votum Rotæ.
6 *Verbum* reſtitutis *importat reddere acceptum.*
7 *Verbum* habuiſſe *importat omnem modum acquirendi.*
8 *In diſpoſitione generali quilibet caſus comprehenditur.*
9 *Verba Conſtitutionum non debent eſſe fruſtratoria, & ſuperfluæ.*
10 *Pronomen* eos *eſt perſonaliſſimum.*
11 *Cum lex eſt plana nil aliud venit inquirendum.*
12 *Reſignatarius dicitur habere Officium à Dataria, non à reſignante.*
13 *Scientia Officialis dicitur ſcientia ipſius Principis.*
14 *Verbum* reſtituere *ſignificat etiam dare, & ſolvere.*
15 *Verbum* reddere *importat non ſolum retrodare, ſed per ſe dare.*
16 *Maximè attenta ſubiecta materia.*
17 *Vbi lex eſt clara non recurritur ad exempla.*
18 *In Officiis, & contractibus vitalitiis licita eſt maior fructuum perceptio ob periculum vitæ, quod ſubeſt Officialis, & contrahens.*
19 *Potior eſt conditio illius, cuius damnum eſt irreparabile, quàm illius, cuius damnum reparari poteſt.*
20 *Papa poteſt ad libitum diſponere de Officiis vacabilibus, eaque prout ſibi videtur, donare.*
21 *Poteſtas ordinaria Principis regulatur à iure.*
22 *Amplitudo Principatus non per ea, quæ accipit, ſed per ea, quæ donat refulget.*
23 *Si donatio cadit ſuper Officio venali, propriè dicitur donatum pretium.*
24 *Donatio ex quibus clauſulis dicatur perpetua, & irrevocabilis.*

25 *Causa publica quomodo sit probanda quando agitur de tollendo iure tertii.*
26 *Lex, quæ concernit aliquod Collegium non dicitur universalis.*
27 *Quando non comprehendit omnes subditos dicitur præceptum particulare.*
28 *Quæ circa aliquos statuit quidquam particulare, quoad illos non dicitur generalis.*
29 *In donatione huiusmodi Officiorum censetur Cameram prius recepisse pretium à Donatariis, & postea Papam istis, mediante donatione, illud restituisse.*
30 *Stylus, qui servatur in resignationibus dictorum Officiorum.*
31 *Resignatarius cognoscit in eius auctorem Principem, non resignantem.*
32 *Dicitur contraxisse cum ipso Principe.*
33 *Innumeræ familiæ cum redditibus Officiorum vacabilium sustentantur.*
34 *Quibus bona fide prædicta Officia emerunt, & ipso Principe auctorizante, æquum videtur pretium restituere.*
35 *Princeps auferens aliquam rem à subdito ex causa publicæ utilitatis, tenetur ei persolvere iustum pretium.*
36 *Pretium iustum est illud, quod iuxta communem æstimationem de præsenti constituitur.*
37 *Res empta post perfectum contractum trahit secum augmentum, & diminutionem commodo, & periculo emptoris.*
38 *Princeps ratione publici boni potest per viam legis generalis contractus à se factos revocare, & moderari.*
39 *Capic. Latr. decis.* 188. *explicatur.*
40 *Non dicitur dispositio universalis, quæ restringitur ad certas personas.*
41 *Officia quoad interesse bursale æquiparantur bonis allodialibus.*
42 *Et quoad refectionem pretii nulla inter ea intercedit distinctio.*
43 *In locis Montium cur semper restituatur pretium fixum scutorum* 100.
44 *Observantia ut relevet debet esse individualis in casu præciso.*
45 *Alexander Septimus cum suppressit Montes vacabiles, restituit pretium currens de tempore suppressionis.*
46 *In dubio est pronunciandum contra fiscum.*
47 *Privilegium alicui concessum non est trahendum in diminutionem iurium eidem aliundè competentium.*
48 *Absurdum est liberalitatem retorquere in detrimentum.*
49 *Argumentum desumptum à discretivo modo loquendi cessat, quando casus omissus suppletur à lege.*
50 *Princeps dum concedit privilegium, vult meliorem esse conditionem privilegiati, quàm Cameræ.*
51 *Gratia Papæ à sola signatura perficitur.*
52 *Gratia non expirat, si Papa moriatur post signatam supplicationem: unde introducta fuit regula Cancellariæ* rationi congruit.
53 Habere *verificatur tam de eo, qui habet dominium, & titulum, quàm de eo, qui habet usum, & commoditatem.*
54 *Gratia habetur pro impetrata in odium eius, qui impedimentum impetrationi præstitit.*
55 *Determinatio mentalis, adhuc executioni non demandata, nihil ponit in esse.*
56 *Pacta sunt servanda, sine quibus contrahens non erat contracturus.*
57 *Perceptio fructuum facit præsumere antecedentem solutionem.*
58 *Post perfectam venditionem non est locus pœnitentiæ.*
59 *Non est in culpa, qui diligentiam non profuturam omisit.*
60 *Factum in contrarium subsecutum tollit verba præcedentia.*
61 *Absurdum est sub publica fide Principis emptores fallere,* & num. 62. & 63.
64 *De stylo Datariæ senes gravis ætatis non admittuntur ad resignandum.*
65 *Qui stylus procedit in resignatione Officiorum, non in suppressione.*
66 *In suppressionibus semper fuit solitum restituere pretium, etiam senibus.*
67 *Bulla erectionis Innocentii Octavi indulsit, resignationes fieri posse à Secretariis infirmis, & verisimiliter infra viginti dies decessuris.*

R. P. AD reparandas urgentissimas necessitates, quibus Sedes Apostolica præmebatur, san. mem. Innocentius Octavus de anno 1487. Collegium Secretariorum (quorum numerus per Calistum Tertium, & Pium Secundum ad sex Secretarios reductus fuerat) ad numerum triginta augmentavit cum conditione, quod prædictus numerus ad vigintiquatuor reduceretur; cum primum dicta sex loca per obitum alicujus ex eis, dicta loca obtinentibus, vacare contingerent; Et quia dicti vigintiquatuor Secretarii de novo assumpti, ex propriis facultatibus, pro Cameræ subventione, contribuerant ducatos 62400. auri. Ideò Pontifex eis, & eorum successoribus Secretariatus Officium prædictum pro tempore obtinentibus certa emolumenta annua assignavit, quibus eorum personas, & dignitatem congruè substentarent; Volens propterea ut omnes Secretarii prædicti tam præsentes in Curia, quàm absentes liberè possent de dictis eorum Officiis disponere, nec resignationis illorum receptio quoquo modo per Papam denegari, vel differri posset, aut deberet, etiamsi resignantes ipsi infirmi, & verisimiliter intra viginti dies decessuri forent, & decederent; quatenus verò ex facto Romani Pontificis pro tempore dictorum Officiorum revocatio sequeretur, jussit restitui prædictis Secretariis supradictam summam ducatorū auri 62400. per ipsos ut supra solutorum, in quibus nullo modo emolumenta percepta computari possent, ut latius in Bulla erectionis superius impressa. 1

Tractu temporis dicta Officia, uti venalia, resignari cœperunt etiam personis merè laicis, & uxoratis, ut patet ex Bulla sanct. mem. Julii Tertii, in qua plurima Privilegia concessit. Cumque de anno 1571. unum ex dictis primis sex locis, per obitum Marcelli Augustini vacatum, Beatus Pius Quintus credens illius venditionem ad se spectare, concessisset Cardinali de Medices pretio scutorum 5500. aureorum solutorum in Sedis Apostolicæ subventionem, comperto postmodum, quod dictum Officium remanebat ex prædicta Innocentii Constitutione suppressum, illud extinctum declaravit; & quia Collegium ad sublevandas urgentes tunc Cameræ necessitates, restituit Cardinali dictam summam scutorum 5500. per eum solutam, ideò B. Pontifex assignavit Secretariis unum ex dictis Officiis, ex numero 24. primo loco per decessum vacaturum, pro pretio tunc temporis reperibili, etiamsi dictam summam scutorum 5500. in parva, vel magna summa excederet, ac demum ampliando Privilegia præfatis Secretariis, à prædecessoribus Pontificibus elargita, statuit Collegium ipsum supprimi non posse nisi restitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis, tunc viventibus, integrè, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos Officia emisse, aut habuisse constiterit, ut in Motu proprio supra registrato. 2

Anno verò 1586. sanctæ mem. Sixtus Quintus Officia, tum Secretarii domestici, tum etiam Secretarii Brevium, quæ ad Principes scribuntur penitus suppressit, eorumque emolumenta Collegio Secretariorum applicavit, à quo vice versa summa scutorum 37. mil. auri in duabus vicibus, in Sedis Apostolicæ subventionem, fuit persoluta. 3

Cæterum per ferè sæculi spatium Collegium hujusmodi posteà semper floruit cum maxima Datariæ utilitate, dum affluentia pecuniæ valor istorum Officiorum in dies crevit, usque ad scuta 22. mil. quo pretio eadem Dataria dicta Officia vacantia vendidit, ut patet ex venditionibus Officiorum vacatorum per obitum Marchionis Martii Ursini, & R. P. D. Salviati; unde exemplo Datariæ, promiscuè ab eorumdem Officiorum possessoribus, eodem pretio vendita, & resignata fuerunt, ut in notula data. 4

Cum autem de mense Novembris proximè præteriti Sanctissimus Dominus Noster Innocentius Undecimus decrevisset devenire ad suppressionem dicti Collegii, ac desuper Congregationem Prælatorum deputasset, ut examinare, ac referre deberet, quodnam pretium esset restituendum; eadem Congregatio censuit restitui debere pretium ab uno quoque Officiali exbursatum sive Datariæ, sive aliis resignantibus, quæ resolutio fuit deinde confirmata ab eadem Congregatione, postquam in ea additi fuerant nonnulli alii Prælati, ut patet ex ipsis informationibus Domini Advocati fiscalis, & præsertim ex secūda Juris in principio; sed postmodum 5

dum circa aliqua tantum Officia, quæ particulare requirebant inſpectionem, quædam dubia erant diſcutienda, ſuper quibus dumtaxat Judices prefati adhuc non videbantur concordes, cum interim duratio Collegii exiſtimaretur præjudicialis, hinc poſt habita reſolutione jam capta, quoad Officiales in univerſali, circa pretii reſtitutionem ab unoquoque ſoluti, pro quibus nulla remanebat difficultas, de menſe Aprilis 1678. deventum eſt ad actualem ſuppreſſionem, in cujus Motu proprio jubetur omnes illas pecunias per Cameram reſtitui, & ſolvi, quas Illuſtriſſimo D. Theſaurario conſtiterit verè, & cum effectu per ipſorum Officiorum nunc ſuppreſſorum titulares, ſeu eorum auctores Cameræ, aut Datariæ Apoſtolicæ, tam nomine pretii, quàm pro expeditione, fuiſſe ſolutas; An autem, & quid etiam ultrà dictas pecunias, reſpectu omnium poſſeſſorum eorumdem Officiorum, reſtituendum, ſeu perſolvendum ſit, ordinatum fuit, ut dictus Dominus Theſaurarius de voto hujus Sacri Tribunalis omnibus Reverendiſſimis DD. veſtris votantibus, appellatione, ac in integrum reſtitutione remotis, juſtitia mediante cognoſcat.

Vigore hujus Motus proprii Camera ſolvit Officialibus illam ſolùm ſummam, quam ipſi, vel eorum auctores immediatè Datariæ exburſarunt: Indeque factum eſt, quod licet plurimi in his ultimis annis acquiſierint Officia à Papa, mediante reſignatione ab aliis Officialibus facta, pretio longè majori, & currenti: nihilominus retronumeratis prioribus reſignationibus, uſque ad venditionem immediatè factam à Dataria, illa tantum ſumma, ut dixi, ſoluta fuit, adeout aliquibus vix medietas, vel duæ partes ſolutæ fuerint ex eadem ratione, quia pretia Officiorum R R. PP. DD. Coſtaguti, Duratii, Nicolini, de Aſte, & D. Montioni retroactis emptoribus vacatorum, fuerunt à ſan. mem. Urbano VIII. & Innocentio X. reſpectivè donata eorum Neporibus (licet poſteà iſti recepto pretio currenti illa prædictis DD. Prælatis, vel eorum auctoribus auctoritate Apoſtolica reſignaverint) attamen Camera nihil dictis Prælatis perſolvere voluit, ſub prætextu, quod Dataria, quando Officia ab initio vacarunt, nihil receperit.

Igitur cum ex prædictis omnes Officiales damnum intolerabile proprii patrimonii patiantur aſcendens ad ſcuta cētum quadraginta milla circiter, & ſignanter illi, qui uſque adhuc infelicioris conditionis ſunt, carentes totaliter pretio per eos favore perſonæ incertæ reſignaturæ in ordinibus ſolitis deſtinato, & deinde vigore fidei Miniſtri componendarum ſoluto (ut infrà dicetur) Donatariis Pontificum prædeceſſorum, cujus pretii privatio quantum damni, & incōmodi eis afferat, nemo eſt, qui ignoret, dum ferè omnibus fructus illius inſerviebant pro eorum neceſſaria, atq; honorabili ſtatus ſubſtentatione, vel in Curia degentibus, vel extra in Sedis Apoſtolicæ ſervitio operam navantibus; Ideò ut quam primum poſſibile ſit, tam relevans Officiorum prætium recuperare valeant, ad formam dicti Motus proprii datum fuit præinſertum dubium ad favorem ſupradictorum Dominorum olim Officialium in omnibus ut infra reſolvendum.

Siquidem certiſſimum primò videtur non poſſe prædictis DD. emptoribus denegari reſtitutionem pretii, quod unuſquiſque erogavit in emptione proprii officii; clara etenim ſunt verba Bullæ B. Pii Quinti jubentis Collegium ſupprimi non poſſe, niſi integrè Secretariis viventibus de tempore ſuppreſſionis reſtitutis pecuniis, pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit. Cùm ergo abundè conſtet de quantitate pretii per ſingulos prædictos DD. emptores erogati, illius integra, & indiminuta reſtitutio ad formam dictæ Bullæ controverti non valet.

Nec ſubſiſtit interpretatio DD. Cameralium, quod dicta verba intelligi debeant de pretio ſoluto ipſi Datariæ, non autem de majori inter reſignantem, & reſignatarium
6 poſtea convento, attento præſertim dicto verbo: *reſtitutis*: quod importat reddere id, quod acceptum eſt, ne aliàs Camera cogatur exſolvere pretium, quod non accepit.

Etenim ſufficit reſpondere, Bullam Pianam ordinare indiſtinctè reſtitutionem totius pretii, quo ſingulos Secretarios tempore ſuppreſſionis viventes, Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit, ſicque complecti omnem caſum poſſibilem emptionis, ſive Officium vacaverit per obitum, & pretium ſolutum ſit Datariæ, ſive mediante reſignatione Papa Officium conferat, & reſignanti pretium ſolvatur, præſertim attento illo verbo, ſeu *habuiſſe*, quod latius patet, & ultra ſtrictum ſignificatum verbi emiſſe importat omnem

alium modum acquirendi Officium, etiam per reſignatio- 7
nem ab aliis Officialibus. Idque demonſtratur ex ipſo contextu Bullæ, ubi Beatus Pontifex dat in ſolutum Collegio pro ſcutis 5500. auri Officium primo vacaturum cum facultate aliud vendendi pretio currenti tempore vacationis, quamvis in parva, vel magna ſumma excederet. Deinde volens providere in caſu ſuppreſſionis, mandat reſtitui ſingulis Secretariis tunc viventibus integrè, & ſine diminutione pecunias, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit. Ecce igitur, quod includit etiam illos Secretarios, qui Officium non emerunt à Dataria, & vult illis reſtitui pretium etiam majus, quod ſolvere potuiſſent reſignanti.

Et ſanè impoſſibile eſt, quod Beatus Pius intellexerit de reſtitutione ſolius pretii ſoluti Datariæ, nedum quia ipſe optimè ſciebat, dicta officia, uti venalia, paſſim à Poſſeſſoribus pro pretio currenti reſignari, & pretium, quod tractu temporis creſcere poterat ipſis reſignantibus perſolvi, non autem Datariæ, ſed etiam quia in anno 1571. quo emanavit dicta Bulla, & in ſex annis antecedentibus ejus Pontificatus plures reſignationes dictorum Officiorum factæ fuerunt, & tunc duæ ex tribus partibus Secretariorum viventibus, officia mediante reſignatione acquiſita poſſidebant, ut in libro privilegiorum dicti Collegii fol. 150. & ſeq. 8
ut in *Sum. n. 7.* Ac proinde dum Papa generaliter mandavit ſingulis Secretariis, reſtitui pretium per eos in emptione Officii erogatum, indubitanter in tali diſpoſitione comprehenditur tam pretium receptum ab ipſa Datatia, quàm ab aliis reſignantibus.

Motivum autem fortius incaleſcit, advertendo, quod, retento ſenſu Dominorum Cameralium, B. Pius nullum conceſſiſſet privilegium Secretariis, nam quoad pretium ſolutum Datariæ illud in caſu ſuppreſſionis ſemper erat reſtituendum abſque diſpoſitione dictæ Bullæ, ipſum enim lumen naturale dictat, quod ſi Camera vult auferre Officium ab ipſa venditum pro mille (verbi gratia) debeat ſaltem eadem mille emptori reſtituere, ne pretium, & rem retineat. Igitur cùm B. Pius profeſſus fuerit augere privilegia Collegii, & indè in caſu ſuppreſſionis mandaverit ſingulis Secretariis reſtitui integrum pretium ab eis ſolutum, perneceſsè hęc verba debent verificari in illis, qui mediante reſignatione Officia acquirere, & pretium reſignanti- 9
bus ſolvere debebant, aliàs Bulla fruſtratoria prorſus remanſiſſet, contra omnes Juris regulas, præſertim, quia ob privilegium reſignandi Officia ad libitum poſſeſſoris ab Innocentio Octavo conceſſum, ſemper ferè tres ex quatuor partibus Secretariorum poſſederunt Officia mediante reſignatione, propterea eo magis incongruum eſt, quod Beatus Pontifex in verbis privilegii adeo generalibus, & prægnantibus, voluerit includere minimam tantum partem Secretariorum, qui pretium ſolviſſent Datariæ, quibus ulterius, ut dictum eſt, pro recuperando tali pretio Bulla non erat neceſſaria.

Hoc idem convincunt ad litteram ipſa verba Bullæ accuratè perpenſa, nam Beatus Pius ſimpliciter mandavit reſtitui Secretariis tunc viventibus pretium idem, quod ipſi in acquiſitione Officiorum impenderunt ibi: Niſi reſtitutis prius realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis, tunc viventibus, integrè, & abſque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit: 10
Quippe pronomen illud: *eos*: veluti perſonaliſſimum, & tātum relativum ad ipſoſmet Secretarios de tempore ſuppreſſionis viventes, proximè nominatos Coccin. *deciſ.* 1125. *n.* 4. *& deciſ.* 1680. *n.* 6. operatur, ut dictis Secretariis, ad recuperationem pretii, ſufficiat docere de quantitate per eorum ſingulos erogata in acquirendo Officio, nimiſque aberrare à litterali germano, & vero ſenſu dictæ Bullæ DD. Camerales, qui ulterius prætendunt inquirere, an ab eorum anteceſſoribus, & pro qua ſumma emptio Officiorum ab initio proceſſerit, & an Dataria Secretariis viventibus Officia per obitum vacata, recepto per eam pretio, conceſſerit, vel potius mediante reſignatione pretium, ipſa Dataria approbante, ſolutum fuerit reſignantibus; Beatus enim Pius iſtas conditiones numquam in ſua Bulla expreſſit, ſed ſimplicem, & 11
planam dedit legem, quod reſtituatur pretium à ſingulis Secretariis de tempore ſuppreſſionis viventibus ſolutum: Ideò non eſt aliud inquirendum, alias ſi juxta ſenſum DD. Cameralium Bulla intelligeretur de ſolo pretio ſoluto Datariæ, cùm Bulla ſtrictè agat de pretio per eoſmet Secretarios de tempore ſuppreſſionis viventes erogato, non autem per

eorum auctores, de quibus in ea nullo modo loquitur, aut mentio fit, duobus dumtaxat, vel tribus, qui immediatè emerunt à Dataria, fuisset facienda restitutio, & tamen diversimodè observatum fuit, dum plurimis ex Secretariis viventibus, qui à Dataria directè Officia non emerunt, aliquod pretium fuit restitutum: Ea nimirum ratione, quod si juxta strictum sensum dictorum Dominorum Ministrorum Cameralium fuisset practicata restitutio, improprietas interpretationis, & prætensionis insubsistentia nimis apparuissent.

Quam insuper veritatem ingenuè insinuavit R. P. D. de Luca in suis eruditissimis discursibus datis in dicta Congregatione Prælatorum super hoc negotio à Sanctissimo deputata; In primo nempè incipiente: Quamvis absque dubio §. *dubitandi autem ratio*, & in secundo materno sermone exarato in §. *Rimane però il caso*, & in tertio incipiente pro methodica §. *Quamvis autem*, ut in *Sum. num.* 8. afferens
12 optimam rationem, quia cùm hujusmodi resignationes factæ fuerint auctoritate Papæ, qui directè, & immediatè Officium per novam provisionem confert resignatario, iste dicitur habere Officium ab ipsa Dataria. Cumque pretium solutum resignanti fuerit commune, & currens, etiam quoad ipsam Cameram, & Datariam, quæ pro eodem pretio in casu vacationem vendere consuevit, isti resignatarii eluso remanerent à publica fide, & praxi ipsius Datariæ, & quia aliàs remanerent in damno, si pretium sic ab eis exbursatum, non restitueretur.

Nil relevante, quod in supplicationibus, quæ per Papam signanter, non fiat mentio de quantitate pretii, pro quo Officium fuit resignatum; quia ultra quod sufficit, quod agatur de Officiis venalibus, quæ Papa optimè scit esse in commercio, & resignari prævia exbursatione soliti pretii, juxta supradictam amplissimam facultatem de dictis Officiis disponendi, ab Innocentio Octavo concessam: objectum corruit ex facto, advertendo, quod pretium non solvitur resignanti, nisi prius Officialis Componendæ in calce ordinis faciat fidem de resignatione secuta in favorem ementis; Sicque Dataria, & Papa, mediante proprio Officiali ad hunc effectum præposito, optimè sciunt quantitatem pretii,
13 quo singula Officia venduntur: Scientia enim Officialis in hac materia dicitur scientia ipsius Principis, Cost. *de fact. scient. & ignor. inspect.* 72. *num.* 9. *cum tribus seqq.*

Ex quibus cessat objectum, quod Camera restitueret id, quod non accepit contra propriam significationem dicti verbi, *restitutis*, dum enim ista Officia fuerunt ab initio erecta ad libitum possessorum resignabilia, & illorum pretium non erat fixum, sed variabile, juxta temporum conditiones, quemadmodum Dataria pluries in vacationibus dictorum Officiorum lucrata est magnas pecuniarum summas, dicta Officia vendendo pretio longè majori, & currenti, ita justum videtur, quod in hoc casu suppressionis solvat Officialibus pretium, ipsa Dataria approbante, exbur-
14 satum resignantibus, neque exindè læditur vera significatio verbi, *restituere*, nam æquè benè recipit significatum dandi, vel solvendi, ut sunt *Text. expressi in l. verbum reddendi* 94. *ff. de verb. signific. l. cum quidam* 21. *in fine de legat.* 2. ibi - Etenim verbum *reddendi*, quamquam signifi-
15 cationem habeat retrodandi, recipit tamen, & per se dandi significationem, *& l. hæres meus* 100. *ff. de legat.* 3. Rota *dec.* 77. *ex num.* 12. *& decis.* 90. *num.* 23. *coram Arguell.* stante
16 præsertim subjecta materia, quæ ex supra deductis non patitur restrictionem ad pretium immediatè solutum Datariæ, sed juxta germanum, & verum sensum Bullæ, restitutio in ea ordinata intelligitur respectu Officialis solventis, qui exbursavit pretium, non autem respectu Datariæ: Ideoque omnibus Secretariis, tempore suppressionis viventibus, pretium per eos exbursatum restitui jubetur.

Quinimò cum acquirens Officium, ut infra dicam, ignoret personam resignantem, & dirigat ordinem Banco, solvibilem personæ incertæ, scilicet: *A chi haverà rassegnato liberamente un Segretariato Apostolico, che con fede del Ministro delle Componende, e ricevuta del resignante saranno ben pagati &c.*

Hinc dum solutio non potest effectuari, nisi dictus Minister subtus ordinem faciat fidem, quod talis persona Officium liberè resignavit, sequitur talem solutionem pretii verè imputari, & referri ad Datariam, seu ejus Ministrum, qui designat, specificat, & approbat personam, cui solutio est facienda, non autem ad Officialem dantem ordinem, qui talem specificationem non facit, & ignorat prorsùs, cui nam pecuniæ solvendæ sint, quæ absque specifica expressione liberę resignationis sequutæ, solutæ non fuissent, ideoque in casu suppressionis, semper Dataria restituere debet pretium, modo, quo supra solutum resignantibus, cum etiam in sensu stricto, & rigoroso verbum, *restituere*: hoc casu suam recipiat significationem.

Non subsistit asserta observantia contraria, quod scilicet in similibus suppressionibus Officiorum restitutum fuerit solùm pretium Cameræ solutum: cùm imò appareat, fuisse restitutum pretium ab uno quoque Officiali solutum in sui Officii acquisitionem, ut notorium est, & idem R. P. D. de Luca fatetur in secundo Discurso §. omnisque difficultas, & dictus Advocatus fiscalis in sua prima informatione §. idemque post B. Pium, ubi hujusmodi afferuntur exempla, ad demonstrandum non deberi pretium currens, sed tantum pretium solutum, quod nunquam fuit controversum, licet postea ex improviso contraria, ac tam diversa prodierit resolutio. Cæterum sufficit respondere cum dicto R. P. D. de Luca, prout in supradicto discursu, casum nostrum carere omni difficultate, dum habemus illum decisum in verbis, per Bullam mandantem per verba multum ampla, & prægnantia restitui integrè, & sine ulla diminutione pretium à singulis Secretariis in acquisitione Officiis solutum, quod equidem non doceatur fuisse dispositum in exemplis per Cameram suppositis (quæ tamen non admittimus, ut suis loco, & tempore demonstrabitur) & pro- 17
pterea frustratorium est adducere exempla, quando viget lex clara, quæ in individuo determinat in casu suppressionis præcisam restitutionem pretii, quod singuli Officiales in emptione proprii Officii exbursarunt.

Demum quod aliqui ex Secretariis, qui longo tempore Officia retinuerunt, fructus excessivos perceperint, cum quibus capitale fuerit satisfactum, nullum prorsus habet fundamentum; Tum quia hæc exagerata excessivitas fructuum non justificatur; Tum etiam, quia ob emolumentorum incertitudinem, & periculum vitæ Officialis, qui 18
poterat post modicum tempus mori, & perdere totum pretium, licita est major fructuum perceptio, ut passim practicatur in Societatibus Officii, & similibus contractibus vitalitiis, nec ex quo D. O. M. alicui concesserit longum vitæ spatium, & inde in exactione fructuum continuaverit, debent in ejus præjudicium fructus imputari in capitale; Tum tandem quia cessat omnis difficultas ex ipsa Bulla Innocentii Octavi in fine, ubi cavetur, quod in restitutione capitalis Secretariis facienda in casu suppressionis, nullo modo, & nulla ratione, vel causa computari possint, aut debeant in toto, vel in aliqua parte emolumenta ipsius Officii, quæ fortè interim percepisse appareret, quæ ipsos, & eorum quemlibet justo, & legittimo titulo sibi interim acquirere, & sua facere Papa decrevit, & declaravit, sic enim cum ipsis Secretariis conveniisse, & pacto expresso eis pro se ipsis, & eorum successoribus cum Cardinalem assensu, & consensu fuisse solemniter pollicitum in fide Romani Pontificis, recognovit, & attestatus fuit. Igitur nec ex motivo æquitatis, neque alia justa ratione potest Camera sub prætextu perceptionis istorum fructuum retardare nostris principalibus integram pretii restitutionem.

Imò omnis æquitas urget pro DD. Secretariis contra Cameram; Quæ mediante tali suppressione fecit immodicum lucrum cum notabili damno Officialium; tum in sorte ob pretii augmentum non restitutum, tum etiam in fructibus 19
in magna quantitate diminutis, ut dicitur ab eodem R. P. D. de Luca in tertio discursu relato in dicto *Sum. num.* 8. ibi: *Attamen in isto concursu potior videtur condutio Officialium, quorum damnum est maius, & irreparabile, dum è converso damnum Cameræ reparatur à magna utilitate, quæ ex dicta suppressione resultat*; Unde eo minus videtur permittendum, quod Camera pluribus Secretariis inferat aliud damnum irreparabile totalis privationis pretii, titulo oneroso in emptione Officiorum soluti.

Eadem pretii restitutio ex juribus supra ponderatis competit præfatis RR. PP. DD. Costaguto, Durario, Nicolino, de Aste, ac D. Jacobo Montiono, quibus per immediatam, vel mediatam resignationem, Donatariorum Papę, fuerunt ab ipso Papa concessa Officia, prævia exbursatione pretii effectivi tunc currentis. Nec quidquam obstat, quod Dataria nihil receperit, sed Papa Officia, eorumque pretium donaverit. Cùm enim non possit dubitari, quin Romani Pontifices pro tempore valuerint de his Officiis vacantibus ad libitum disponere, & gratis quandoq; illa elargiri eo-

rum

rum conjunctis, familiaribus, & benevolis, qui illa vel pro ſe retinent, vel accepto pretio aliis vendunt, & reſignant, ut edocendo praxim Romanæ Curiæ ſuper venditione, ac acquiſitione hujuſmodi Officiorum teſtatur R. P. D. de Luca *de Regalib. diſc. 2. num. 11.* ubi refert caſum, in quo Cardinalis, & Princeps fratres de Ludoviſiis, tunc nepotes ſanct. mem. Gregorii Decimiquinti vendiderunt R. P. D. Carafæ 62. Officia vacabilia minora, à Pontifice Patruo donata ad eorum liberam diſpoſitionem, & commodum pro ſcutis 83755. ut legitur in principio diſcurſus, & dicto *num. 11. verſ. Et quandoque ſolet*, & in noſtris terminis Caſtraccan. *de Soc. Offic. cap. 2. num. 14. & ſeqq.* ubi quod poteſt Papa Officia iſta vacabilia donare, quia exinde non læditur dignitas Pontificatus, & aliter miſera eſſet fortuna Principum ſi nil alienare, vel donare poſſent: *& ſub num. 19.* refert præciſa exempla Officiorum Secretariatus Apoſtolici, quæ fuerunt donata, ac *nu. 20. cum ſeqq.* plenè reſpondet omnibus contrariis.

Sequitur, quod nec ipſiſmet Donatariis poſſit adimi pretium officii, quando, ut in præſenti Sanctiſſimus Dominus noſter declaravit, quod in facienda ſuppreſſione adhibere nolebat ſupremam ſuam, & abſolutam poteſtatem,
21 ſed tantùm ſimplicem, & ordinariam, quæ intra limites juris regulatur, Peregr. *de Jur. fiſc. lib. 1. tit. 3. ſub numer. 27. verſ. Pro concordia*, Fagnan. *in cap. conſultationibus num. 76. & ſeqq. de Cler. ægrot.* Cutell. *de donat. diſc. 2. part. 6. ex num. 105. uſque ad 202.* Dantes rationem, quia Princeps debet
22 immotus permanere in ſuis liberalitatibus, ſicut Polus in Cœlo, & lapis angularis, quodque amplitudo Principatus non per ea, quæ accipit, ſed per ea, quæ donat, apparet Barboſ. *in cap. 1. num. 10. recent. & c. in donationibus de pro-*
23 *bationibus*, Surd. *deciſ. 234. num. 10.* & ſine difficultate, quia ſumus in ſimplici officio venali, nullam habente prærogativam. Unde dicitur propriè donatum ipſum pretium, ut latius in *dict. diſc.*

Additis præſertim ampliſſimis clauſulis, ſcilicet, motu
24 proprio officium pretium &c. illiuſque pretium donatione pura, perpetua, irrevocabili, inter vivos &c. donamus, remittimus &c. & condonamus, cum clauſula ſublata, & decreto irritanti: quæ omnia demonſtrant enixam Pontificum voluntatem ſuper hujuſmodi donationum perpetuitate, & irrevocabilitate omninò obſervanda.

Nec obſtat quod Princeps per viam legis generalis, & ex cauſa publicæ neceſſitatis, & utilitatis poſſit conceſſiones
25 gratuitas revocare, quia ad hoc ut diſpoſitio, ex qua tollitur jus tertii, maximè emanata ex ſola poteſtate ordinaria, prætendi poſſit ex cauſa publica, opus eſt quod conſtet, tali indigentiæ aliter provideri non poſſe, quàm aliquorum dumtaxat ſubditorum juribus derogando, eorumque bona Principi applicando, Fagnan. *in dicto cap. Conſultationibus num. 79. de Cleric. ægrot. & in terminis noſtris in cap. 1. num. 34. & 35. de probat.* quod certè non militabat in caſu noſtro, ut facilè conſideranti innoteſcit, dum non deerant plurimæ viæ, quibus Cameræ indigentiis ſubveniri poterat, onere per univerſos ſubditos diſtributo.

Alterum pariter ſuppoſitum, quod proceſſum fuerit per viam legis uoiverſalis, ultra infra deducenda, manifeſtè corruit; Ad hunc enim effectum requiritur pro forma ſub-
26 ſtantiali, quod talis lex non capiat aliquas tantum perſonas in particulari, licet in univerſum acceptas, ut quando accipitur aliquod Collegium, quia tunc non dicitur facta per viam legis univerſalis, ut in ſpecie diſpoſitionis ordinatæ contra omnes perſonas de certo quarterio Civitatis, Scac. *de appellat. quæſt. 17. limit. 20. nu. 7.* Rota *dec. 50 num. 19. part. 2.*
27 *diverſ.* ſed referri debet ad omnes ſubditos, alias lex, amiſſa propria natura, degeneraret in præceptum particulare ad *Text. in cap. erit autem lex 4. diſtinct. l. 1. l. 1. ff. de legib.* Rota *dicta dec. 50. num. 17. part. 2. diverſor.*

Quod ſine difficultate procedit in noſtra facti ſpecie, quia ſuppreſſio officiorum non emanavit abſque reſtitutione pretii, quoad omnes, & ſingulos officiales, ſed particulariter tantùm quo ad aliquos, qui poſſidebant officia, ab initio, provenientia à Dataria, titulo donationis, quamvis illa, rigoroſo pretio currenti, ſicut cæteri Officiales, emiſſent, Unde
28 in ordine ad iſtos non videtur dubitandum, quin diſpoſitio ſit particularis, non autem generalis ad tradita per Suarez *de legib. lib. 1. cap. 7. per tot.*

Nil autem relevat, quod Camera non debet reſtituere pecunias, quas non recepit; Nam præter ſupra deducta

quod verbum: *reſtitutis* in Bulla Piana appoſitum, recipiat etiam ſignificationem dandi, ſeu condonando pretium, cenſetur quod prius illud habuerit, & deindè eiſdem donatariis 29
reſtituerit, quodque in hujuſmodi facto duplex actus intervenerit, ſolutionis ſcilicet, & reſtitutionis ad *Text. in l. perveniſſe 171. ff. de verb. ſignif.* Rebuff. *in l. liberationis col. 1. verſ. videlicet eodem tit. fol. mihi 247.*

Imò duriſſimum eſt, quod actus à mera Pontificis voluntate dependens, tam ingentis præjudicii eſſe debeat illis emptoribus, qui, nullo eorum facto intercedente, more ſolito, ac bona fide officia à prædictis donatariis procedentia reali, & effectivo exburſato pretio, ac cum Principis conſenſu emerunt. Potuerant enim Pontifices donare, & non donare, ſi officia hujuſmodi non donaſſent, ſed vendidiſſent, nullum dictis emptoribus præjudicium fuiſſet illatum. Undè cum deinde placuerit Sanctiſſimo, ea ſupprimere, cauſa dignoſci non poteſt, quare officia ab iſtis poſſeſſa redire debeant ad Principem donantem, pretium autem remanere penes donatarios, & ipſi tertii poſſeſſores, qui officia bona fide, ac ſub fide Principis, titulo emptionis acquiſiverunt, pretio, & officio carere, atque ita ſub fide publica decipi, damnumque irreparabile ex facto tantùm Principis donantis procedens, nulla eorum culpa, Imò contra omnem præteritam obſervantiam, innocentiſſimè ſubire.

Denique ſemper urget inevitabilis, & litteralis reſponſio, quod nempè Bulla Piana non dicit, quod in caſu ſuppreſſionis reſtituatur pretium ſolutum Datariæ, ſed indefinitè, & generaliter mandat reſtitui ſingulis Secretariis tunc viventibus pecunias, pro quibus eos officia emiſſe conſtiterit; igitur ad effectum recuperandi pretium ſatis eſt, quod prædicti Domini Officiales, nunc viventes de tempore ſuppreſſionis, doceant ſe officia à Poſſeſſoribus legitimè emiſſe, & pretium perſolviſſe, ut patet ad ſenſum.

Idque indubitanter procedit, ponderando, quod contractatio, & venditio iſtorum officiorum fit publicè, & palàm, mediantibus Proxenetis; Undè emere volentes, ut dixi, neſciunt perſonam venditoris, nec quis ſit reſignans, ſed bona fide, juxta communem praxim faciunt ordines directos Monti Pietatis, vel alteri publico banco, ut 30
ſolvatur tanta pecunia ei, qui liberè officium reſignaverit, ſolvenda cum fide adminiſtratoris Componendæ, vel alterius miniſtri, per Principem ad id deputati ſuper tali libera reſignatione, deinde venditor reſignat officium in manu dicti Officialis repreſentantis ipſum Papam, per quam reſignationem jus ſuum totaliter remanet extinctum, ac ſucceſſivè Summus Pontifex novum jus ex integro efformat, & officium concedit tali ementi, ſeu reſignatario, qui propterea fidem publicam ipſius Principis ſequitur, quem in 31
ejus directum, & immediatum auctorem agnoſcit, non autem perſonam reſignantem, quæ ſolum eſt cauſa, propter quam ſequitur reſignatio, ut benè docet R. P. D. de Luca *de regalib. diſc. 2. numer. 10. & 17. & diſcurſ. 39. ſub numer. 6. verſic. ex ea viva ratione cum ſeqq. & in eodem lib. 2. de regal. diſc. 163. nu. 12. quem ſequuta fuit* Rota *in Romana Locorum Montium 22. Junij 1671. §. quia ex facto coram Reverendiſſimo Taya.*

Cùm ergo prædicti Domini Officiales, juxta praxim ſupra dictam vigentem in Curia Romana, palam, & bona fide fecerint ordines perſonæ incertæ, ſcilicet: *Achi haverà liberamente aſſegnato in perſona di me infraſcritto un Segretariato Apoſtolico*, & Papa reſignationem officiorum admiſerit poſſeſſoribus, qui illa, donatione mediante, acquiſiverant, optimè conſcius, quod iſti pretium à reſignatario receperant, ut latius in *Summ. dicto num. 9.* utique Domini Principales mei, qui non ſunt ſucceſſores, aut cauſam habentes à dictis donatariis, neque fidem, aut jus privatæ perſonæ reſignantis, ſed ſolam fidem publicam Principis ſequuti ſunt, non poſſunt, nec debent remanere eluſi, & privati pretio officiorum, ſub prætextu, quod eorum auctores pretium Datariæ non ſolverint, ſed habent in debitorem ipſum Princi- 32
pem, cum quo dicuntur contraxiſſe, ut optimè ponderat R. P. D. de Luca *dicto diſcurſ. 39. ſub numer. 6. & diſcurſ. 163. ſub numer. 12. verſic. igitur ille, iuncto verſ. An autem Princeps, & Rota citata Romana Locorum Montium §. maximè conſiderato cum ſequent. coram Reverendiſſimo D. meo Taya, & in particula quæ datur in calce.*

Fortius verò hæc militant reſpectu RR. PP. DD. Coſtaguti, de Aſte, ac D. Montioni, qui immediatè habuerunt

officia ab aliis reſignantibus, qui prius ſolverant pretium Officialibus donatariis; Eſſet enim à ſæculo inauditum, quod qui vult emere officia vacabilia debeat prius inquirere, quis ſit venditor, an & quod pretium ſolverit, & cui, & ſic gradatim aſcendere uſque ad primum, qui immediatè habuit à Dataria, ut appareat, an iſte Datariæ pretium ſolverit. Certè hoc admiſſo deſtrueretur publicum commercium, & redderetur impoſſibilis prompta, & quotidiana venditio officiorum in maximum Curiæ, & Principis detrimentum; Imò funditus deſtructa remaneret pu-
33 blica bona fides, & innumeræ familiæ (quæ cum redditibus iſtorum officiorum ſubſtentantur, ut conſiderat R. P. D. de Luca *dicto diſc. 2. de regal. ſub num. 7. verſ. ſecundi generis, & verſ. tertij demum*) eos ſine propria culpa amiſſos deplorarent, ſi inquiſitio hujuſmodi conceſſionis factæ ab initio per Datariam locum haberet; Undè inſequenda potius videtur juſtitia, æquitatis dulcedine tempe-
34 rata, ut iſti, qui bona fide, & authorizante ipſo Principe, officia emerunt, eorum pretium conſequantur, ad tradita per Rotam in ſæpè citata Romana Locorum Montium coram Reverendiſſimo Taya §. final. ut in dicta particula.

Non ſolùm autem prædictis DD. Emptoribus reſtituendum eſt pretium ab ipſorum ſingulis exburſatum, ſed etiam augmentum pretii currentis, tempore ſuppreſſionis officiorum, ea optima, & fundamentali ratione, quod ubi
35 Princeps aufert rem aliquam à ſubdito, etiam ex cauſa publicæ utilitatis, vel neceſſitatis, tenetur ei perſolvere juſtum, & æquivalens pretium, ne plus unus, quàm cæteri ſubditi contra juſtitiam diſtributivam prægravetur, ut relatis Canoniſtis, cæteriſque antiquioribus latè probant Rolan. *conſ. 69. nu. 15. & ſeqq. per tot. lib. 2. & conſ. 71. ſignanter nu. 9. & 10. lib. 3.* Natta *conſ. 554. per tot.* Maſtrill. *de magiſtr. lib. 3. cap. 4. num. 352. uſque ad 363.* Rot. coram Ubaldo *dec. 478. n. 9. & ſeqq. & in puncto pretij officij ſuppreſſi* Franc. Marc. *dec. 383. per tot.*

Pretium autem juſtum dicitur illud, quod, juxta communem æſtimationem, officia de tempore ſuppreſſionis va-
36 lebant, non autem illud, quo de præterito empta fuerunt per Text. *in l. 3. §. Divi ff. de iur. Fiſc.* ibi juſta pretia non ex præterita emptione, ſed ex præſenti æſtimatione conſtitui, quem in his terminis officii vacabilis expendit, Rot. *deciſ. 197. num. 1. & ſeqq. part. 15. recentior.* ſolidam aſſignans ra-
37 tionem, quia res empta poſt perfectum contractum trahit ſecum augmentum, & diminutionem commodo, & periculo emptoris, & in Romana Officii Curſoratus 15. Febr. 1665. §. Ex quibus coram R. P. D. Ubago, ac in puncto ſuppreſſionis iſtorum officiorum, quod reſtituendum ſit pretium currens bo. me. Fagnan. *in cap. Ex Epiſtolæ num. 11. & ſeqq. de probat.*

Non obſtat, quod Princeps, ratione publicæ utilitatis,
38 per viam legis generalis, poſſit contractus à ſe factos revocare, & moderari juxta *deciſ.* Capyc. Latr. 188. quia Capyc. non agit de pretio ſolvendo in caſu, quo Princeps ex
39 publica cauſa res ab aliquibus privatis auferret, ſed de minuendis, & reducendis ad æqualitatem per viam legis univerſalis, annuis redditibus per Regiam Cameram venditis, quorum dos, ſive fundus conſiſtens in publicis gabellis, cogente neceſſitate popularium ſeditionum, vix ad dimidiam redactus fuerat, quive annui redditus licet de tempore erectionis ſtabiliti in ſeptem pro centenario, tamen urgentibus dictis tumultibus, venditi reperiebantur ad rationem, pluſquam triginta pro centenario, unde his omnibus ponderatis firmat potuiſſe Regiam Cameram dictos annuos redditus reducere, ut unuſquiſque eis frueretur pro quantitate pretii ſoluti, ponderans præcipuam rationem, quod dicti annui redditus eſſent in ſumma certa jam à principio ſtabiliti per Regiam legem; ſicque reſpectu illorum, qui emerant viliori pretio, contractus apparebat exceſſivus, & reductione dignus ut *numer. 87. & ſeqq. & numer. 108.* contrarium admittit, ubi fructus eſſent incerti, & à lege non determinati, prout erant fructus Secretariatuum.

Nequit igitur hæc doctrina applicari caſui noſtro, quia hic non verſamur in lege univerſali ſuper diminutione annuorum reddituum, prout præteritis temporibus fuit reductio generalis fructuum locorum Montium, qui verè dici poſſet caſus Capyc. Latr. ſed agitur de particulari diſpoſitione, per quam ob publicam utilitatem ablata fuerunt Officia vigintiquatuor perſonis tantùm, illa juſto titulo poſſidentibus, quo caſu intrat contraria concluſio, ut iſtis ſolvi debeat integrum pretium rei ademptæ, cùm non poſſit dici diſpoſitio per viam legis univerſalis illa, quæ reſtringi- 40
tur ad certas perſonas, ut reſpondet Roland. *dict. conſil. 69. num. 44. lib. 2.* R. P. D. de Luca *de Regal. diſc. 144. ſub nu. 33. verſ. attamen utraque ratio fiſcalium*, & firmat. Capyc. Latr. *dict. dec. 188. ſeb num. 121.* ibi: *Iniunctum eſſet, quia non poſſet dici id fieri pro bono publico per legem omnibus communem, ſed ſolùm reſpectu creditorum ſuper antiquis arrendamentis, quod fieri non poteſt &c.*

Minus facit, quod non agatur de bonis patrimonialibus, & propriis à Principe ablatis, ſed de Officiis, quorum dominium directum eſt penes ipſum Principem, quia nos non petimus pretium dominii directi, quod non eſt in commercio, ſed pretium concernens merum, & ſimplex intereſſe burſale dictorum Officiorum non habentium annexam juriſdictionem: In his enim Officia æquiparantur bonis merè allodialibus, & liberis Gratian. *diſc. 670. num. 12. & ſeqq.* pluribuſque relatis, Rota *deciſ. 395. numer. 8. 9. & 10. part. 12. recentior.* Indeque totale pretium ſemper re- 41
ficiendum eſt, ne ſubditus damnum publici levaminis indebitè patiatur, ut individualiter hanc diſtinctionem inter ademptionem rei allodialis, & rei de directo dominio Principis plenè reiiciunt, Rolan. *dict. conſ. 69. nu. 15. & ſeqq. lib. 2.* Natta *dict. conſ. 554. ſub nu. 10. verſ. neque obſtat, cum pluribus ſequentibus.* 42

Similiter non urget prætenſa obſervantia reſtituendi ſcuta centum pro ſingulo loco Montium non vacabilium, licet ex poſt eorum pretium creverit, ac quod aliàs felicis mem. Alexander Septimus in ſuppreſſione Acolytorum Capellæ Pontificiæ, & felicis memoriæ Clemens Decimus ſupprimendo Secretarios Montium, & Officia Notariorum Cameræ, reſtituerit ſolùm pretium, vel Cameræ, vel reſignanti ſolutum.

Siquidem extinctio locorum Montium non vacabilium non facit ad rem; Tum quia in illorum erectione ſemper 43
ſtatuitur reſtitutio pretii ad rationem fixam ſcutorum centum pro quolibet loco; Tum quia Camera poſt primum partitum nunquam ſucceſſivè vendit iſta loca Montium non vacabilium, quia cùm non vacent, nunquam ad eam redeunt, ſicque Camera in his non approbat mutationem valoris, ut facit in Officiis, & Montibus vacabilibus; Ideo ſtante diverſitate rationis corruit argumentum de uno ad aliud.

Extinctio verò dictorum Officiorum Capellæ Pontificiæ non ſuffragatur, quia non conſtat quod tempore ſup- 44
preſſionis illorum pretium eſſet auctum ultra illud, quo fuerant empta Officia à ſingulis Officialibus (prout auctum reperitur pretium noſtrorum Officiorum) nec pariter urget alia ſuppreſſio Notariorum Cameræ, & Secretariorum Montium, quia dicta Officia non quemadmodum noſtra æquales redditus, & ſic æquale pretium habebant, ſed ex majori, vel minori lucro, quod ſingula reddebant ob majorem, vel minorem expeditionum quantitatem in illis fieri ſolitarum, eorum valor, & pretium deſumebatur; Ideoque cùm non adeſſet pretium uniforme, prout erat in noſtris Officiis Secretariatuum eoſdem fructus, idemque pretium habentibus, deſervire nequeunt pro exemplo in caſu noſtro, nec ab illis deduci poteſt obſervantia, quæ ut relevet probari debet individualis in caſu præciſo, de quo agitur Gregor. *deciſ. 451. num. 7. & deciſ. 350. num. 18. part. 16. recent.*

Cæterum obſervantia apertiſſimè militat pro noſtris Prin- 45
cipalibus; nam quando fel. mem. Alexander Septimus ſuppreſſit Montes vacabiles, licet in erectione per Cameram venditi fuiſſent ſcutis centum, pro quolibet, & occurrentibus deinde eorum vacationibus diverſis pretiis per Cameram, & etiam per privatos venditi, ac reſpectivè reſignati fuiſſent, ac licet dubius apparuiſſet articulus, an ſolvi deberet pretium à Montiſtis ſolutum, vel præſens æſtimatio. Nihilominus dictus Pontifex amplexus eſt opinionem Montiſtis favorabilem, eiſque ſolvi mandavit pretium currens de tempore ſuppreſſionis, nempè ſcuta 150. pro ſingulo loco, ut legitur in ipſa Bulla ibi: *In hoc etiam ſat agentes creditores Montium extinctorum pietatis, & munificentiæ noſtræ agnoſcere experimentum, dum pro locis extinctis, ex quibus Camera noſtra initio illorum erectionis ſcuta 100. in ſingulo loco recipit, & aliquorum iudicio, non niſi ad eiuſdem quantitatis recepta reſtitutionem fortaſſe teneremur; nihilominus illa plus ferè dimidio æſtimata libentiſſimè refundimus &c.*

Nec

Nec relevat reſponſio, quod dictus Pontifex id fecerit ex motivo munificentiæ, non autem obligationis; nam quamvis adhibita fuerint dicta verba honorifica, tamen veritas eſt, quod fuit reſtitutum pretium currens, & credi debet
46 id eveniſſe, ex quo Papa invenit articulum dubium ſciens, quod in dubiis contra fiſcum eſt reſolvendum ex *l. non puto ff. de iure fiſci*.

Tandem obligationi reſtituendi pretium currens de tempore ſuppreſſionis non obſtat memorata Bulla Beati Pii Quinti, mandans reſtitui ſingulis Secretariis integrè, & ſine diminutione pecunias, pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit; Siquidem pro remotione objecti præmittendum eſt, quod B. Pontifex in dicta Bulla expreſsè declaravit ſe favore Collegii velle diſponere, ejuſque privilegia augere ibi: *Ad hæc dictos Secretarios; & Collegium amplioris favoris gratia proſequi volentes &c.* Dum ergo immediatè poſt diſponit, quod in caſu ſuppreſſionis debeat unicuique reſtitui pretium, quo Officium emiſſe, vel habuiſſe conſtiterit, palam eſt, quod voluit quidem Secretarios aſſecurare à periculo diminutionis pretii; itaut ſemper eſſet reſtituendum pretium ab eis ſolutum, non autem, quod voluerit eiſdem Secretariis notabile præjudicium irrogare, auferendo augmentum pretii illis tamquam Dominis Offi-
47 ciorum de Jure debitum. Certum quippe eſt, quod ubi Princeps privilegium alicui, aut ſpecialem gratiam elargitur, talis conceſſio non eſt trahenda ad diminutionem Jurium aliunde eidem Perſonæ competentium, ſed firmis omnibus aliis juribus debet novum privilegium ſuperaddere per Text. *in l. hac ſaluberrima C. de præpoſ.* Agen. *libr.* 12. ibi: *Cum per abſurdum, perque temerarium ſit hanc noſtræ liberalitatem pietatis quemquam aſtuta interpretatione, non ad augmentum anteriorum privilegiorum, ſed ad diminutionem pervertere, &c.* Ibique notat Bartol. Alex. *conſ.* 32. *n.* 2. *& ſeqq. lib.* 5. Jaſ. *conſ.* 59. *nu.* 9. 10. *&* 11. *lib.* 3. Rot. *dec.* 715. *num.* 7. *parte* 4. *tom.* 3. *rec.*

Minuſque ſuffragatur, quod dicta Bulla Piana expreſſerit augmentum pretii currentis in Secretariatu proximè vacaturo, quod tunc Collegio applicavit, quaſi ubi non expreſſit dictum augmentum, cenſeatur illud denegaſſe,
49 quia hujuſmodi illatio deſumpta ex diſcretivo modo loquendi, ceſſat quando caſus omiſſus ſuppletur à diſpoſitione juris, ut in præſenti Rota *deciſ.* 17. *numer.* 19. *part.* 16. *recentior.*

Unde ſufficit nobis, quod pretium currens non fuerit expreſsè ademptum, ad hoc ut pro illius conſecutione poſſimus uti Beneficio juris communis tribuentis Dominis Officiorum dicti pretii augmentum ex ſupracitatis.

Nulliuſque momenti eſt ponderatio, quod dicta Bulla maximum contulerit Secretariis beneficium in eo, quod fuerint aſſecurati à periculo diminutionis pretii, quia imò hoc periculum parum erat timendum, nam iſto caſu Camera non potuiſſet cogi ad ſupprimenda Officia, nec certè illa unquam ſuppreſſiſſet, niſi magna ad ſui favorem reſultaſſet utilitas, ſicque ceſſat ratio evitandæ claudicationis exadverſo adducta, ut nimirum ſicuti Camera ſenſiſſet incommodum reſtitutionis pretii ſoluti, diminuto Officii valore, ita ſentire debeat commodum augmenti; ultra quod talis ratio eſt quidem conſiderabilis in contractibus, non autem in privilegiis, & gratiis, in quibus verſamur, nam
50 Princeps dum concedit privilegium utique vult meliorem eſſe conditionem perſonæ privilegiatæ, quam ipſius Cameræ, ut de ſe patet.

Deveniendo modo ad tria Officia, nempè D. Equitis Acciajoli, R. P. D. Curſii, & D. Abbatis Lecci, & D. Marchionis Ruſpoli, in quibus cadit particularis inſpectio.

Quoad primum D. equitis Acciajoli non videtur poſſe controverti reſtitutio integri pretii per eum ſoluti Eminentiſſimo Domino Cardinali Chiſio, ſub prætextu, quod non fuerit in ejus perſona expedita reſignatio, Etenim ſciendum eſt in facto, quod uſque à die prima Septembris 1670. D. Eminentiſſimus Cardinalis vendidit prædicto D. Equiti unum Officium Secretariatus, recepto pretio ſcurorum 22000. mandavitque Depoſitario Collegii, ut ſtante dicta venditione, emolumenta, & fructus dicti Officii conſignaret eidem D. Acciajoli, prout ex eodem tempore, iſte ſemper exegit. Ulterius de anno 1675. ſuper hujuſmodi Officii reſignatione fuit porrecta ſupplicatio Sanct. mem. Clementi Decimo, & per eum ſignata, quæ tamen remanſit in manibus D. Druot Miniſtri a Papa deputati ſuper expeditione hujuſmodi ſupplicationum, ſed ob multiplicitatem negotiorum dicti Miniſtri non fuit proceſſum ad reſignationem, alioſque actus concernentes executionem gratiæ; quæ omnia prætatus D. Eques pluries expoſuit, & juſtificavit apud dictam Congregationem à Sanctiſſimo deputatam ſuper hac ſuppreſſione, & inceſſanter inſtetit, ut ſaltem nova ſibi ſignaretur ſupplicatio, juxta clarum pactum à ſanctæ mem. Innocentio Octavo in erectione iſtorum Officiorum ſolemniter firmatum; at ſub prætextu, quod immineret ſuppreſſio, nihil obtinere potuit, & ſolùm Camera ei ſolvere voluit ſcuta 15000. quæ habuerat Dataria, quando Officium prædictum, uti vacans, contulit bonæ mem. Cardinali Bonviſio tunc Prælato.

Poſita igitur hac facti ſerie, dicimus D. Equiti deberi integra ſcuta 22000. per eum exburſata in acquiſitione Officii, ex claris verbis Bullæ B. Pii ſupra, ſæpius ponderatis; Nec obſtat, quod in ejus perſonam non fuerit expedita ſupplicatio, quia ad hunc effectum ſatis eſt, quod jamdiu fue- 51
rit à felicis mem. Clemente Decimo ſignata, cum gratia, ſola Papæ ſignatura perficiatur Caſſador. *deciſ.* 2. *ſub num.* 10. *de penſion.* Rota coram Zarat. *deciſ.* 34. *num.* 27. *cum ſeqq.* & ſi moriatur Papa poſt ſignatam ſupplicationem, ante- 52
quam literæ conficiantur, gratia non expirat, latè Gonzal. *ad regul.* 8. *Gloſſ.* 12. *num.* 44. *& ſeqq.* Advertens *num.* 48, Ideò emanaſſe regulam Cancellariæ de expediendis litteris in forma *rationi congruit* ſuper ſupplicationibus ſignatis per Pontifices anteceſſores.

Fortius verò motivum ſtringit, attentis verbis dictæ Bullæ Pianæ jubentis reſtitui integrum pretium, quo ſingulos Secretarios Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit, quæ ver- 53
ba comprehendunt, nedum eos, qui acquiſiverunt titulum, & dominium Officii, ſed etiam illos, qui conſecuti ſunt commoditatem, uſum, aut inſiſtentiam facti, aut actionem ad Officium *l. ſtipulatio iſta habere licere* 38. §. *hæc quoque* ibi: habere dupliciter accipitur, nam, & eum habere dicimus, qui rei Dominus eſt, & eum, qui Dominus quidem non eſt, ſed tenet *ff. de verbor. oblig. & in l. id apud* 143. *ff. de verbor. ſignific.* ibi: Id apud ſe quis habere videtur, de quo habet actionem, habet enim, quod peti poteſt, *& in l.* 1. §. *quod autem ff. de vi, & vi armat.* Rot. *dec.* 358. *n.* 1. apud Cenc. *de Cenſ.* Cùm ergo incontroverſum ſit emptorem Officii ſine literarum expeditione habere uſum, & commoditatem, ac nudum factum detentionis, prout certè habuit D. Acciajolus; ſequitur ipſum habuiſſe Officium in ſubjecta materia, & ad effectum, de quo agitur.

Et in omnem caſum, cum in Bulla erectionis Collegii ſel. mem. Innocentius Octavus voluerit, ut Secretarii liberè de eorum Officiis diſponere valeant, nec poſſit, aut debeat eorumdem Officiorum reſignationis receptio quavis ratione per Romanum Pontificem denegari, vel differri, etiamſi reſignantes ipſi infirmi, & veriſimiliter infra viginti dies deceſſuri forent, & decederent &c. Hinc dum Dominus Eques pluries, atque pluries, ut dixi, tempore habili, & antequam emanaſſet ſuppreſſio, inſtetit pro admiſſione novæ reſignationis in ſui favorem, & ex adverſo per Datariam fuit impedita, & denegata, ſequitur propterea, quod reſpectu D. Equitis talis gratia haberi debeat pro obtenta, & impetrata in odium impedientis *l. ſi* 54
vehenda §. *idem iuris ad l.* Rhod. *de iact. l. non exigimus* §. 1. *ff. ſi quis caution.* Rot. *recent. dec.* 19. *num.* 9. *&* 10. *part.* 7.

Nec dicatur, quod Collegium tunc erat de proximo ſupprimendum, Ideoque non eſſet admittenda reſignatio pro majori pretio in præjudicium Datariæ, quia cum tempore inſtantiæ factæ per D. Equitem determinatio ſupprimendi 55
ſtaret in mente retenta, & adhuc executioni demandata non eſſet, actique nihil ponebat in eſſe, nec in aliquo Officiorum naturam alterabat, Rota *dec.* 360. *num.* 9. *part.* 16. *rec.* Quod quidem manibus palpatur, nam Officiales durante rumore ſuppreſſionis, continuarunt in ſolito exercitio, & exactione fructuum. Ideoque dum ex natura dictorum Officiorum derivabat obligatio admittendi reſignationem ad omnem requiſitionem Officialis, utique denegari non poterat petitæ reſignationis expeditio, alias non adimplerentur illa verba univerſalia Bullæ: *Nec poſſit, aut debeat* prædictorum Officiorum reſignationis receptio per Romanum Pontificem quavis ratione denegari, vel differri; Jam enim aliqua ratione, ſeu colore expeditio reſignationis foret denegata, & ſic Pontificiæ promiſſiones fides violata remanſiſſet, quod non eſt permittendum.

Confirmantur prædicta, quia ſi ante actualem ſuppreſſionem ſecuta fuiſſet Officii vacatio per obitum Officialis, certè Dataria lucrata fuiſſet Officii pretium, abſque eo, quod cogi potuiſſet ad illius reſtitutionem. Hinc autem perneceſsè ſequitur, quod omni temporis momento, quo Camera retinuit ſpem lucrandi officium per obitum Officialis, fuerit etiam obligata ipſi Officiali obſervare, & adimplere
56 omnia pacta promiſſa, inter quæ erat illud recipiendi, & nulla ratione denegandi, & differendi Officii reſignationem; hujuſmodi enim pactorum intuitu Officialis ſubmiſit ſe huic periculo, aliàs non contracturus, Card. Otthob. *dec.* 134. *nu.* 16. *cum aliis vulgaribus*.

Eoque magis hæc ſibi locum vindicant in præſenti, advertendo, quod nulla adeſſe poterat ſuſpicio fraudis, aut ſimulatæ venditionis in præjudicium Cameræ. Conſtat enim de vera venditione Officii inter partes ſtabilita, & effectuata uſque de menſe Septembris 1670. cum ſolu-
57 tione pretii ſcutorum 22000. ac fructuum perceptione continuata per plures annos ſequentes, prout circumſtantiam antecedentis ſolutionis conſiderat Anchar. *conſil.* 285. *numer.* 4. *verſic. Item iam erat dicta pecunia*. Imò patet, quod etiam aliàs ſignata fuerat ſupplicatio à ſanct. mem. Clemente Decimo, adeout à primo ad ultimum clarè conſtet abſque ulla ratione fuiſſe denegatam D. Acciajolo expeditionem novæ reſignationis, & ideo illam haberi pro obtenta, & impetrata ad effectum, ut ſibi reſtitui debeat integrum pretium exburſatum ad formam Bullæ Pianæ.

Quoad ſecundum Officium R. P. D. Curſii, & D. Abbatis Leccii, præmitto in facto, quod concluſa per Proxenetam venditione Secretariatus Apoſtolici, quem obtinebat Eminentiſſimus Cardinalis Chiſius, R. P. D. Curſius, & D. Abbas Leccius die 4. Septembris 1677. traxerunt ordinem ſcutorum 23000. D. Hieronymo Palazzeſco, ſolvendorum illi, qui liberè, & abſque ulla exceptione, aut vinculo cum fructibus à die prima dicti menſis reſignaſſet unum Officium Secretariatus in perſonam D. Abbatis Sanctacrucii, cum reſervatione decreti ad favorem utriuſque ſcribentis pro medietate, cum autem ſecuta acceptatione dicti ordinis, poſtea de menſe Novembris incepiſſet rumor ſuppreſſionis dictorum Officiorum, propter quem retardabatur admiſſio talis reſignationis, dicti DD. emptores inſtiterunt apud D. Cardinalem, ut ipſis ordinem datum reſtitueret, ſed D. Cardinalis id recuſavit, aſſerendo, ſe curaturum expeditionem reſignationis, unde porrecto memoriali Sanctiſſimo, illoque remiſſo ad Congregationem ſuper dicta ſuppreſſione deputatam, primo loco dictum fuit, quod reſignatio fuiſſet admiſſa cum clauſula: *Citra approbationem pretij*, ſed quia D. Palazzeſcus hoc caſu non ſolviſſet pretium, ex quo in ordine præcipiebatur ſolvi ſcuta 23000. illi, qui liberè, & abſque ullo vinculo Officium reſignaſſet; Ideo diſcuſſo maturè negotio in dicta Congregatione, tandem die 16. Decembris 1677. fuit ſignata ſupplicatio liberè, & abſque ullo vinculo, in cujus executionem, vigore fidei in calce ſupradicti ordinis a Miniſtris Componendæ factæ, D. Cardinalis reſignans exegit pretium ſcutorum 23000.

Ex hoc facto apertiſſimè convincitur, quod R. P. D. Curſio, & D. Abbati Leccio debet reſtitui integrum pretium ſcutorum 23000. per eos in emptione Officii exburſatum, juxtà diſpoſitionem Bullæ Beati Pii Quinti, nedum ex rationibus ſupra in communi pro aliis DD. Secretariis adductis, ſed, & ſpecialiter, quia reſignatio hujuſmodi Secretariatus fuit particulariter diſcuſſa in ſupradicta Congregatione, an eſſet admittenda, vel ne, prout poſtea fuit à Sanctiſſimo Domino Noſtro admiſſa, & approbata; Unde non videtur nec juſtum, nec rationabile, quod dictis Dominis emptoribus, ſub prætextu ſecutæ ſuppreſſionis, deinde ſtatim adimatur tertia pars pretii, reſtituendo ſola ſcuta 14000.

Nil relevante oppoſitione fieri ſolita, quod ſcilicet emptores fuerint in mala fide, vel negligenter omiſerint facere diligentias, ad effectum non ſolvendi pretium, dum jam inſurrexerat rumor ſuppreſſionis Collegii.

Quia antequam aliquis tractatus, vel rumor ſuppreſſionis in Urbe auditus fuerit, nempè die quarta Septembris 1677. fuit perfecta emptio Officii, mediante ordine directo Domino Palazzeſco de ſolvendo ſcuta 23000. & tradito Eminentiſſimo Cardinali Chiſio venditori, qui die 27. Octobris ſequentis conſignavit in manibus Domini Druot Componendarum adminiſtratoris dictum ordinem R. P. D. Curſii, omniaque alia neceſſaria ad reſignationem expediendam, de quo tempore nullus aderat rumor ſuppreſſionis, ut credimus non controverti; poſt dictum verò tempus uſque ad diem ſignatæ ſupplicationis, quæ fuit 16. Decembris ſequentis, quamvis emerſerit fama futuræ ſuppreſſionis, gratis tamen imputatur emptoribus eos aliquid omiſiſſe, ad quod obligati eſſent, non ſolùm quia fecerunt diligentias extrajudiciales, tam requirendo Dominum Cardinalem pro reſtitutione ordinis, quàm procurando, ut mihi ſupponitur, *nihil tranſeat* in Dataria, ſed etiam ex quo tritum eſt, poſt perfectam emptionem non eſſe amplius pœnitentiæ locum, non ſolùm ex conſuetа praxi in mate- 58
ria Officiorum, ut teſtantur practici mercatores Curiæ, ſed etiam de Jure, Rota *dec.* 585. *num.* 3. *part.* 1. *recent.* Sicque nihil poteſt eis opponi, ſi contradictionem injuſtam non procurarunt, vel diligentiam non profuturam non adhibuerunt, 59
Mantic. *dec.* 30. *nu.* 3. Rota coram Penia *dec.* 37. *num.* 10. & *dec.* 457. *num.* 6.

Minus relevat, quod poſtquam in Congregatione fuerat reſolutum: ſignandam eſſe ſupplicationem Eminentiſſimi Chiſii, Dominus Subdatarius dixerit R. P. D. Curſio, quod erat apponenda clauſula, *Citra approbationem pretij ſcutorum* 23000. quia hinc magis corroboratur bonum jus hujus partis, ſi enim fuiſſet ſignata ſupplicatio cum dicta clauſula, emptores non poterant aliquid de pretio amittere, quod certè à Domino Palazzeſco non fuiſſet ſolutum, dum ordo ſolutionis, & acceptatio proceſſerant correſpectivè ad liberam admiſſionem reſignationis, non autem qualificatam, aut præjudicialem: Quapropter dicta verba Domini Subdatarii non afficiebant Dominum Curſium, nec illi onus aliquod afferebant ſcienti Jus ſuum eſſe ſalvum, & carenti facultate contradicendi, præſertim quia ſupplicatio in effectu non fuit ſignata cum dicta clauſula, ſed liberè, ex quo fit ut factum in contra- 60
rium ſubſecutum tollat verba præcedentia, Mantic. *deciſ.* 146. *num.* 4.

Concluditur ergo, quod dum poſt diſcuſſionem factam in Congregatione, an iſta reſignatio eſſet liberè, vel ne admittenda pro dicto pretio ſcutorum 23000. optimè noto, tam ipſi Congregationi, quàm Miniſtris Datariæ, eſt organum Sanctiſſimi, dum inquam Sanctiſſimo Domino Noſtro placuit, talem reſignationem liberè admittere, abſque ulla præſervativa, quoad quantitatem pretii, quod imminente jam ſuppreſſione, erat reſtituendum; Imò non obſtante quod Domini Principales mei, ut ſupra dixi, procuraſſent, quod reciperetur in Dataria *nihil tranſeat*, utique non video, quomodo Camera impugnare velit reſtitutionem dicti integri pretii, & ſubſtinere, quod vigore talis ſupplicationis à Sanctiſſimo ſignatæ, emptores hodie ſolvant pretium ſcutorum 23000. Eminentiſſimo Chiſio, & cras recuperent ſola ſcuta 14000. Hoc enim modo, ſub fide publica Principis fallerentur emptores, quod eſſet abſurdiſſimum, ad tradita per Cyriac. *contr.* 291. *numer.* 29. & 30. ubi quod ex facto Principis nemini 61
laqueus injici debet, & ejus auctoritate non convenit quem- 62
quam decipi, vel circumveniri, quod etiam ponderavit R. P. D. de Luca in dicto ſecundo ejus diſcurſu §. *final.* ubi concludit pro non admiſſione dictæ reſignationis, quia inquit, 63
Imminente ſuppreſſione id eſſet fallere publicam fidem, tamquam per ſpeciem approbationis pecuniæ, cujus imminens reprobatio, &c. & Princeps ſe conſtitueret in obligatione reficiendi illud plus, ad quod non tenetur, &c. nihil obſtante, quod iſta reſignatio concluſa fuerit per menſem, & ultra prius, &c.

Poſtremò reſpectu Secretariatus Domini Marchionis Ruſpoli advertendum eſt, quod in fine Motus proprii ſuppreſſionis declaratur, ſub reſtitutione pretii officiorum Poſſeſſoribus facienda, non comprehendi illum, ſeu illos, qui ratione gravis ætatis, juxta Datariæ ſtylum, & obſervantiam ad Officii reſignationem non admitterentur, cui, vel quibus remaneant ſalva jura, pariter à Domino Theſaurario, de voto Rotæ, examinanda, & decidenda.

Quamvis igitur Dominus Marchio Principalis noſter ſit in gravi ætate conſtitutus, nihilominus eidem debetur pretium proprii Officii, juxta valorem currentem, ex ſupra deductis. Bulla enim Piana mandat ſingulis Secretariis viventibus de tempore ſuppreſſionis reſtitui integrum pretium. Ergo ſive obtinens Officium ſit ſenex, ſive juvenis ſemper ei eſt reſtituendum pretium proprii Officii à Papa ſuppreſſi.

Ne-

Neque relevat, quod de ſtylo Datariæ ſenes gravis ætatis non admittantur ad reſignationem vacabilium. Primò,
64 quia hic non verſamur in reſignatione, ſed in ſuppreſſione Officii, quo caſu præcisè B. Pius juſſit ſingulis Secretariis viventibus de tempore ſuppreſſionis reſtitui integrum pretium eorum Officii; Unde cùm B. Pontifex non excluſerit ſenes gravis ætatis à recuperatione pretii, ſed generaliter omnibus Officialibus, tunc viventibus, illam indulſerit; nullatenus poteſt hodiè in actu ſuppreſſionis tale gravamen ſenibus irrogari.

Secundò, quia dictus ſtylus Datariæ eſt reſtrictus ad reſignationem, quæ à ſenibus de brevi morituris fieri poſſent in fraudem, & præjudicium Datariæ, & ad cujus beneficium
65 vacaret Officium; Ideo non poteſt, nec debet hujuſmodi ſtylus extendi ad alios actus ſpecie diverſos, & præſertim ad ſuppreſſionem Officii vacabilis, quæ cùm fiat voluntariè ab ipſo Papa, ceſſat ſcrupulus præſumptæ fraudis, vel præjudicii Datariæ; aliàs ſequeretur intolerabile abſurdum, quod ſcilicet hujuſmodi ſenes ſine eorum culpa, vel facto remanerent privati Officio pretii, & emolumentis.

Et hinc videmus, quod in tot antecedentibus ſuppreſſio-
66 nibus Officiorum vacabilium per Romanos Pontifices ordinatis, numquam Camera habuit hanc prætenſionem denegandi reſtitutionem pretii ſenibus, quantumvis decrepitis, ſed indiſtinctè omnibus Officialibus viventibus reſtitutum fuit pretium proprii Officii, ut evenit in ſuppreſſione Officiorum Cappellæ, & Montium vacabilium in Pontificatu fel. mem. Alexandri Septimi, in quibus plurimi ſenes, abſque ullo dubio erant comprehenſi. Demum diſſipatur quævis umbra difficultatis ex ipſa Bulla erectionis Innocentii
67 Octavi, in qua, ut ſæpè dixi, Sanctitas Sua expreſsè voluit, ut Secretarii liberè de eorum Officiis diſponere valeant, nec quavis ratione per Romanum Pontificem poſſit, aut debeat reſignatio denegari, vel differri, etiam ſi reſignantes ipſi infirmi, & veriſimiliter infrà viginti dies deceſſuri forent, & decederent.

Si ergo non poſſet impediri reſignatio hujus Officii facienda ab Officiali moribundo, qui poſtea ſtatim decederet, ex quo in reſignatione hujuſmodi Officiorum non habet locum regula de 20. cui ex ſupradictis Papa derogavit, quantò minus poſſet impediri reſignatio facienda à ſene bonæ valetudinis, quantumvis graviſſimæ ætatis, ex quibus evidentiſſimè aſſequimur, quod quemadmodum in iſtis Officiis non poterat procedere ſtylus Datariæ circa reſignationes à ſenibus faciendas, attenta dicta clara lege, & pacto Summi Pontificis in contrarium vigente; Ita à fortiori, dum Sanctiſſimus Dominus Noſter dicta Officia ſuppreſſit, nullo pacto poteſt Camera, ſub pretextu dicti ſtyli Datariæ, evitare reſtitutionem dicti integri pretii Secretariatus Domino Marchioni Ruſpulo, quamvis in gravi ætate conſtituto, omninò faciendam.

Merito, &c.

Gaſpar Turchus.

Particula deciſionis ſuperius allegatæ.

R. P. D. TAYA.

Romana Locorum Montium.

Lunæ 28. Junii 1671.

Aut valido, aut invalido Judicio &c.

QVia ex facto ipſo hi emptores emerunt à licitatore, adeoque, ut loca Montium conſiſtunt in juribus percipiendi annuum redditum perpetuum ex publicis redditibus apud Cenc. *de cenſ. quæſt. 29. num.* 13. Choell. *in Bull. bon. regim. cap. 34. art. 12. ab initio &c.* Tum jure ſpeciali, præcipuè ſel. mem. Urbani Octavi Conſtit. 154. ibi: *Quæcumque alia onerosa, ſeu vincula realia, vel in rem ſcripta, aut rei perſecuratoria ſuper Montibus &c.* quæ tanquam jura cum Principe, non ſunt in libero commercio, abſque ejuſdem Principis aſſenſu, præſtari ſolito per Officialem ad id deputatum, quo accedente tranſeunt in emptorem, & reſignatarium libera ab omni hypotheca, & alio vinculo, cui penes venditorem affecta eſſent, quia fingitur vendentem, vel reſignantem illa refutare in manibus ipſius Principis, itaut ſequatur extinctio. Deindeque per actum occultum novæ efformationis illa de novo conſtitui, & conferri emptori, ſeu reſignatario recipienti immediatè ab ipſo Principe, perſpicuiſſimè apud D. de Luca *de Regal. diſc. 26. num. 2. diſc. 27. num. 2. diſc. 28. num. 2. & 3. & diſc. 29. num. 2. & diſc. 38. num. 6. & diſc. 40. num. 3. & diſc. 43. num. 12. & 13. cum allegatis, præcipuè dicto diſc. 26. dict. numer. 2. verſic. & de locis Montium libr. 2. maximè* Rota *deciſ. 77. numer. 20. part. 6. ſeu coram* Merlin. *dec. 533. num. 19. &c.*

Maximè conſiderato quod fortè licitator quidem, & reſignator debuit, aut certè potuit eſſe ſolicitus de legitima ſubhaſtatione &c. At verò illius reſignatarii, non ita, ut praxis docet, quod volentes emere hujuſmodi loca non ſunt ſoliciti de perſona venditoris, & quiſnam ſit reſignaturus an pauper, vel dives, ſed ſimpliciter fiunt ordines directi Monti Pietatis, vel alteri publico Banco, ut ſolvatur tanta pecunia ei, qui liberè tot loca Montium reſignabit cum fide Secretarii ſuper libera reſignatione, abſque aliqua notitia perſonæ, quæ reſignat. Unde dicta libertas eſt præcisè neceſſaria, & aliàs fide publica eluſi remanerent illam ſequentes, ita D. de Luca *dict. diſc. 38. dict. numer. 6. verſ. altera in idem, & diſc. 39. ad fin. verſ. quod autem contra præmiſſa &c.*

Maximè abſurdum, abſurdiſſimum, quod ſi triginta annis loca Montium ab uno ære ſuo, & bona fide emente ab ignoratis debitoribus, ſeu potius ab ipſo Monte per ignoratos reſignantes, & alium, & alios centies transferentur, dominia in incerto eſſent, & evictioni tot obligationibus ſubiicerentur, cùm concurrat æquitas, ne aliàs Mundus litibus involvatur, Poſth. *de ſubhaſt. in addict. ad inſpect. 54. num. 15.* & Cutell. *dec. 22. num. 26.* maximè ex Afflict. *deciſ. 190. ad finem.*

Acceſſit duplex ratio Privilegiis ſupra ſcriptis, etiam urgendo per ſe, videlicet altera publicæ utilitatis tot hujuſmodi emptorum putantium emere, & ementium à legitimis venditoribus, & publicis Montibus, ut ſupra, nam præter publicam utilitatem, ſtrictam rationem inſuper habemus, ut loquitur Papinian. *in l. ſunt perſonæ 34. ff. de relig. & ſump. funer.* & ad ea Cyriac. *obſerv. 22. lib. 3.* altera privatæ æquitatis horum maximè emptorum, ut ſupra, quod ſi æquitas eſt juſtitia, dulcore miſericordiæ temperata, ut notavit Abb. *in cap. 2. de ſent. & re iudic.* & Rota ſolet de æquitate inclinare Teſte Gomez. *ad regul. de valor. quæſt. penult. num. ult.* Itaut hoc ipſum ſemper, & primò petat à Deo Optimo Maximo, qui ſummam diligit æquitatem, ut in agendis teneat cum moderamine pietatis juſtitiam &c. juxta formam ſupplicationis Compendio utriuſque Signaturæ *nu. 29.* hoc magis valuit in præſenti deciſione, quo non æquitas, ſed miſericordia temperare juſtitiam viſa eſt, ſed ſuperexaltare judicium ad ſententiam Sancti Jacobi epiſtola *Can. cap. 2.*

Et ita utraque &c.

ROMANA PRETII SECRETARIATUUM APOSTOLICORUM.

PRIMA JURIS.

SVMMARIVM.

1 *IN caſu à lege deciſo omnis diſputatio eſt inanis.*
2 *Dictio* tunc *denotat extremitatem temporis.*
3 *Dictio* ſingulis *diſtribuit actum cuilibet in ſolidum.*
4 *Dictio* eos *eſt perſonaliſſima.*
5 *Refertur ſolum ad proximè nominata.*
6 *Contra clara Conſtitutionis verba nulla admittitur interpretatio, maximè in ipſius deſtructionem.*
7 *Lex cenſetur ſpecialiter providiſſe caſui frequentiori, ac magis uſitato.*
8 *Princeps ex iuſta cauſa nequit oneroſam conceſſionem revocare, niſi facta integrali acceptorum reſtitutione.*

9 *Constitutiones semper aliquid operari debent contra ius.*
10 *Maximè quando emanarunt per modum privilegij.*
11 *Privilegia semper ita sunt interpretanda, ut aliquid concedant, & operentur.*
12 *Quamvis essent gravia, & odiosa,*
13 *Et tenderent in præiudicium tertij.*
14 *Frustra ex privilegio conceditur, quod ex dispositione iuris habetur.*
15 *Privilegia sunt latè interpretanda contra concedentem.*
16 *Resignatarius non recognoscit requisitionem Officij à resignante, sed à Principe.*
17 *Habetur ac si Officium emisset à Dataria, non à resignante.*
18 *Non debet sub publica fide, & praxi Datariæ decipi.*
19 *Scientia Papæ inducitur ex scientia Officialis.*
20 *Verbum* restituere *significat retrodare, quod fuit habitum.*
21 *Potest verificari in eo, quod fuit impensum, licet Datariæ non solutum, pro Officij consecutione.*
22 *Importat idem, quod solvere.*
23 *Resignatarius censetur solvere Principi, à quo Officium immediatè recipit, dum consignat Datariæ ordinem nulli certæ personæ directum.*
24 *Observantia ad hoc ut relevet, est probanda in casu præciso.*
25 *Privilegij tenor servandus est.*
26 *In donatione huiusmodi Officiorum fingitur Papam prius habuisse pretium à donatarijs, illudque exindè ipsis restituisse.*
27 *Solvere dicitur, qui liberationem quoquo modo consequitur.*
28 *Acceptilatio solutionem importat.*
29 *Pontifices possunt gratis, & liberè de huiusmodi Officijs disponere.*
30 *Tales concessiones sunt valdæ.*
31 *Infelix esset Principum conditio, si nihil donare possent.*
32 *Liberalitas, & munificentia est virtus Principum particularis.*
33 *Iustæ causæ semper in Principe præsumuntur.*
34 *Princeps non potest suas revocare donationes, sine competenti pretio, & compensatione.*
35 *Resignatarij, qui secuti sunt fidem Principis, non autem resignantis, non sunt pretio persoluto fraudandi.*
36 *Alias destrueretur publicum commercium.*
37 *Princeps ex publica utilitate, seu necessitate auferens rem propriam alicui, tenetur refundere pretium, & reficere omnia damna per eum passa.*
38 *Quod etiam procedit in suppressione Officiorum.*
39 *Pretium iustum dicitur illud, quod non ex præterita emptione, sed ex præsenti æstimatione constituitur.*
40 *Augmentum, & detrimentum pretij cedit beneficio, vel damno illius, qui est Dominus.*
41 *Ad quem spectat damnum, spectare etiam debet augmentum.*
42 *Princeps, qui poterat consequi temporis beneficium, iustum non est, quod eiusdem recusat incommodum.*
43 *Evictione sequuta restituendum est pretium currens, non illud, pro quo fuit facta venditio.*
44 *In retrovenditione attenditur pretium de tempore, quo res retrovenditur, non autem de tempore, quo initum fuit pactum retrovendendi.*
45 *Officia, respectu eorum, quæ concernunt interesse bursale, æquiparantur bonis allodialibus.*
46 *Princeps non potest sine compensatione auferre dominium, & ius privati, sive illud sit utile, sive directum.*
47 *Procedit etiam in Officijs.*
48 *Princeps per viam legis, potest ex causa publicæ utilitatis auferre ius privatorum absque solutione pretij, seu compensatione.*
49 *Dummodo tamen publica utilitas, & necessitas sit talis, ut ei aliter occurri non possit.*
50 *Non sufficit pro motivo publicæ utilitatis præiudicium aliquorum, vel utilitas patrimonij, & fisci.*
51 *Dec. Capic. Latr.* 188. *explicatur.*
52 *Sublato fundo possunt diminui redditus fiscales.*
53 *Contractus successivus qui tractu temporis sit factus iniquus, potest per Principem ad æquitatem reduci.*
54 *Observantia non iuvat, quoties concurrit altera observantia in casu contrario.*
55 *In concursu duplicis contrariæ observantiæ semper prævalere debet ea, quæ est conformis iuris dispositioni.*
56 *Constitutio aliquid demandans intelligitur, rebus sic stantibus.*
57 *Privilegia concessa pro favore, & ampliatione, retorquenda non sunt in odium, & diminutionem.*
58 *Pactum redimendi, seu extinguendi Officia Secretariatuum non legitur expressè conventum in Constitutionibus Innocentij Octavi, & Pij Quinti, sed tantum in ei supponitur redimendi facultas.*
59 *Non est verisimile Beatum Pium derogare voluisse dispositioni iuris communis.*
60 *Pretium, & fructus Officiorum sunt in commercio, ideoque quoad commoditatem, & emolumenta alienari possunt, etiam sine licentia Papæ.*
61 *Titulus potest residere penes unum, & dominium penes alterum.*
62 *Consensus Papæ in officiorum resignatione requiritur ad hoc, ut Papa sciat per cuius obitum Officium sit vacaturum.*
63 *Verbum* habuisse *comprehendit eos, qui simplicem insistentiam, usum, & detentionem de facto acquisiverunt.*
64 *Gratia perficitur ex sola signatura Papæ.*
65 *Etiam si super ea facta non fuerit litterarum expeditio.*
66 *Et si postea Papa moriatur gratia non expirat.*
67 *Dictio* quavis *omnes casus, etiam improprios, complectitur.*
68 *Litterarum expeditio super gratia signata, tempore non suspecto, nullo modo potest impediri.*
69 *Pacta apposita ab habente potestatem legis condendæ vim legis habent.*
70 *Post contractus perfectionem non est amplius locus pœnitentiæ.*
71 *Diligentia omissa non obstat, si adhibita profutura non erat.*
72 *Sub Principis publica fide quemquam decipere, & eludere non convenit.*
73 *Solutio facta de moneta proximè reprobanda, sciente debitore, eum non liberat.*
74 *In suppressione huiusmodi Secretariatuum senes non sunt excludendi à pretij consecutione.*

R. P. SOlvendum est integrum pretium, quod quilibet Secretarius in emptione Officii erogavit; siquidem clara, & litteralis est dispositio Bullæ Beati Pij Quinti, in qua statuitur: *Collegium Secretariorum nullo tempore extingui posse, nisi restitutis prius singulis Secretarijs tunc viventibus integre, & absque ulla diminutione pecunijs, pro quibus eos Officia emisse, aut habuisse constiterit,* Ideoque cessat omnis interpretationis quæstio, & inanis est 1
omnis disputatio, dum habemus casum legis expressum Rìpa *in respons. super ff. vet. tit. de Iur. Gent. & civil. respons.* 4. *num.* 7. *vers. ultimo quod moror* Surd. *consil.* 100. *numer.* 13. Rota *in Anconitana Bonorum* 24. *Maij* 1660. §. *Ex quo coram Reverendissimo Bevilacqua.*

Nec dicta Constitutio Beati Pontificis, & restitutio pecuniarum in ea demandata restringi potest ad pecunias solutas ipsi Datariæ, itaut non comprehendat majus illud pretium, postea inter resignantem, & resignatarium conventum, & solutum, quia hæc interpretatio, & hic intellectus repugnat menti, & voluntati Beati Pontificis, nec non litteræ; & contextui litterali, & proprietati verborum ipsius Bullæ.

Etenim Beatus ille Pontifex respexit solùm ad pretium solutum per Secretarios existentes tempore suppressionis, ut illud integrum, & sine diminutione restitueretur eisdem, nulla habita ratione, cui fuisset solutum, quia voluit restitui Secretariis tunc viventibus, quæ dictio tunc denotat extremitatem temporis *l.* 4. §. *fin. ff. de condit. & demonstrat.* Soccin. Jun. *in l.* Gallus *in princ. num.* 4. *ff. de liber. & posthum.* Rota *decis.* 614. *numer.* 52. *part.* 4. *tom.* 3. *recent.* Voluitque 3
restitui singulis Secretariis, ideſt, omnibus Secretariis, cum dictio illa singulis sit universalis, & distribuat actum cuilibet in solidum Surd. *decis.* 268. *num.* 5. Et quidem voluit,

& man-

& mandavit reſtitui integrè, & ſine diminutione pecunias per ipſos Secretarios, exiſtentes tempore ſuppreſſionis, erogatas in emptione, ſeu acquiſitione Officii, prout patet ex dictione illa *eos*, ibi: *pro quibus eos Officia emiſſe*, quæ eſt perſonaliſſima Barboſ. *dict.* 103. *num.* 2. Rota *deciſ.* 269. *num.* 11. *part.* 5. *recent.* & coram Rembold. *dec.* 596. *nu.* 3. & refertur ſolùm ad proximè nominata Rota *dec.* 689. *nu.* 1. coram Cardinali Seraph. *& deciſ.* 1125. *num.* 4. *coram Coccin.* Si autem reſtitueretur ſolùm pretium ſolutum Dataria non reſtituerentur ſingulis Secretariis integrè, & ſine diminutione pecuniæ per ipſos erogatæ, ſed ſolùm aliquibus Secretariis diminutæ reſtituerentur pecuniæ per ipſos
6 ſolutæ, contra voluntatem Pontificis, & clara verba ejuſdem Conſtitutionis, contra quæ nulla admittitur interpretatio, quæ aliàs eſſet potius deſtructio legis, ſeu privilegii, & ſi permitteretur, numquam in privilegiis eſſet aliquid firmum, ut tradunt Azor. *in titul. moral. Inſt. part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 23. *quæſt.* 2. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſput.* 1. *num.* 5. Caſtropal. *oper. moral. tract.* 3. *diſput.* 4. *par.* 9. *nu.* 1. & 3. Tamburin. *de Iur. Abbat. tom.* 1. *diſput.* 16. *quæſt.* 5. *num.* 3.

Maximè, quia cùm prædicta Officia eſſent ex ſui natura venalia, ac paſſim recepto pretio ſolerent reſignari; idque optimè innoteſceret Beato Pio, in cujus etiam temporibus pluries fuerunt reſignata, quinimò ferè omnia hoc titulo poſſeſſa; utique, dum in Bulla loquutus fuit de pretio à ſolis Poſſeſſoribus tempore ſuppreſſionis viventibus erogato, nulla facta mentione de eorum Auctoribus, cenſeri debet voluiſſe comprehendere etiam illud pretium, quod reſignantibus erat perſolvendum; Imò dicendum eſt ſpeciali-
7 ter huic caſui providere voluiſſe, tanquam frequentiori, ac magis uſitato ad Text. *in l. nam ad ea* 5. *ff. de legib.* Et quia aliàs pecuniæ per ipſos erogatæ integrè, & ſine diminutione non reſtituerentur, prout voluit ipſe Beatus Pontifex.

Quod etiam clarius patet, conſiderando, quod in conceſſione facta Collegio in eadem Bulla de Officio primo vacaturo, tributa fuit licentia illud vendendi pretio currenti, tempore vacationis, quamvis in magna ſumma excederet valorem ſcutorum 5500. auri, pro quibus fuit facta conceſſio, ſignum evidens, quod demandando poſtea Beatus Pontifex reſtitutionem integram, & abſque diminutione ſingulis Secretariis viventibus in caſum faciendæ ſuppreſſionis, voluit includere, & comprehendere etiam eos, qui emerunt directè à Dataria, eiſque reſtitui pretium, etiamſi majus reſignantibus perſolutum: præſertim quia aliàs ſequeretur, quod vix duobus, vel tribus fuiſſet pretium reſtitutum, quia omnes alii habuerunt officia à reſignantibus, & pretium non deberetur, niſi iis, qui, ut fuit dictum, ſunt viventes de prædicto tempore ſuppreſſionis, quod fuiſſe admodum inconveniens, agnoverunt ipſimet Domini Camerales, qui propterea etiam illis, qui à Dataria non emerunt quoddam pretium reddidere.

Ulterius venit potiſſimè ponderandum, quod Beatus Pontifex profeſſus fuit in ſua Conſtitutione augeri privilegia, Collegio Secretariorum competentia, & tamen juxta quan-
8 titatem à Dataria receptam; competebat de Jure Dominis Secretariis, etiam abſque ulla alia declaratione, & privilegio, cum nequeat Princeps, nec etiam ex juſta cauſa, oneroſam conceſſionem revocare, niſi facta prius integrali acceptorum reſtitutione, Capyc. Latro *conſult.* 38. *num.* 9. *& ſeqq.* Marta *vot.* 217. *num.* Tamburin. *de Iur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 16. *quæſt.* 12. *num.* 21. & 22. Actolin. *reſol.* 1. *numer.* 80. *& ſeqq.* Debet igitur Bulla neceſſariò intelligi, etiam de pretio reſignantibus perſolvendo, ne alias dicatur inutilis, contra propriam naturam Conſtitutionum, quæ ſemper
9 debet aliquid contra Jus commune operari, Alex. *conſil.* 30. *numer.* 2. *libr.* 7. Cravett. *conſil.* 301. *numer.* 13. Rota *dec.* 339. *num.* 3. *part.* 13. *recent.* Præſertim ubi emanarunt per
10 modum privilegii, quod propriè dicatur contra Jus, Actolin. *reſolut.* 31.

Undè ſemper in his materiis ea venit capienda interpreta-
11 tio, per quam privilegia aliquid operentur, nec reddantur fruſtratoria, aut ſint inutilia, ſed ut aliquid concedant, *cap. in his de privileg.* ubi Felin. *& in cap.* 1. *& cap. cauſam de reſcript.* Lezan. *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. *ſub num.* 54. Tamburin. *de Iur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 16. *quæſt.* 6. *num.* 9. Quam-
12 vis privilegium eſſet grave, & odioſum, Navarr. *in ſumm. cap.* 12. *numer.* 79. *& in apologet. de reddit. quæſt.* 3. *memb.* 6.
13 *num.* 3. Suarez *de leg. cap.* 23. *numer.* 2. Imò ſi etiam, quando agitur de præjudicio Tertii, fieri debet lata interpretatio, ad hoc, ut privilegium aliquid conferat *cap. Paſtoralis de privileg.* Fagnan. *in cap. olim num.* 24. *de verb. ſignific.* Fruſtra autem ex privilegio conceditur, quod ex diſpoſitione Juris 14
habetur Gonzal. *ad reg.* 8. *gloſſ.* 24. *num.* 149. Coccin. *deciſ.* 1889. *num.* 8.

Multòque magis, in noſtro caſu, amplectendus eſt ſenſus favorabilis Dominis Secretariis, quia tractatur ſolùm de aliquali præjudicio Datariæ, ſeu Principis, contra quem privilegia per eum conceſſa ſunt latè interpretanda *cap. olim,* 15
16. *de verb. ſignific. l. fin. ff. de Conſtit. Princip.* Fontanell. *deciſ.* 476. *num.* 13. *volum.* 2. Cabed. *dec. Luſitan.* 117. *nu.* 5. Rot. *dec.* 168. *num.* 27. *& dec.* 533. *num.* 22. *&* 23. *part.* 14. *recentior.*

Ceſſat demum omnis difficultas reflectendo, quod licet Officia hujuſmodi habeantur mediante reſignatione prioris Officialis, tamen re vera reſignatarius non dicitur reco- 16
gnoſcere illorum dominium, & acquiſitionem à reſignante, ſed ab ipſo Principe, qui admiſit reſignationem Salgad. *in labyrint. credit. part.* 1. *cap.* 35. *nnm.* 20. & infra R. P. D. de Luca *diſc.* 38. *num.* 6. *verſic. Ex ea, & diſc.* 12. *ſub num.* 8. *verſ. In Officijs enim de Regal.* & latius diſtinguendo inter ſimplicem ceſſionem factam abſque conſenſu Papæ, ac reſignationem ſecutam auctoritate ejuſdem, probavit idem R. P. D. de Luca in ſuis doctiſſimis diſcurſibus datis in noſtro *Summ. num.* 8.

Et propterea cùm reſignatarii ſuum jus ab ipſo Principe conſentiente metiri dicantur, debent proindè haberi, ac 17
ſi directè ab ipſa Dataria, non autem ab Officialibus præfatis emiſſent, ut proſequitur in dictis diſcurſibus R. P. D. de Luca, addens, quod licet Camera verè pretium non habuerit, tenetur tamen ad illius reſtitutionem, ne aliàs à 18
publica fide, & praxi ipſius Datariæ remaneant eluſi Officiales, quorum cauſa in concurſu debet eſſe potior propter damnum majus, ac irreparabile per ſuppreſſionem illis à Camera illarum, quæ potius è contra dicitur in lucro, ſtante ingenti utilitate ex dicta ſuppreſſione reſultante.

Quamvis autem in ſupplicationibus non ſoleat fieri mentio de quantitate pretii, pro quo fuit facta reſignatio, non tamen ex hoc valet argui ignorantia in Papa. Tum quia ipſe optimè ſciebat prædicta Officia ex auctoritate Innocentii VIII. eſſe de ſui natura venalia; tum etiam, quia ſufficit in hac materia ſcientia Officialis Componendæ, ſine cujus fide de reſignatione præcedenti non 19
ſolvebantur pretia Officiorum, Habetur enim hoc caſu, ac ſi ipſe Papa ſciviſſet Innoc. *in c. cum dilecta de reſcript.* Coſta *de facti ſcienc. & ignorant. inſpect.* 72. *numer.* 9. *& ſeqq.* Cyriac. *controver.* 532. *numer.* 29. *& ſeqq. & contr.* 533. *num.* 15. Rota *dec.* 387. *num.* 6. *part.* 3. *& dec.* 70. *nu.* 23. *part.* 8. *recent.*

Nec obſtat quod hoc modo Camera reſtitueret, quod non recepit, quando Papa ordinando reſtitutionem videtur voluiſſe, quod redderetur ſolùm id, quod accepit propter 20
verbum illud *reſtituere* importans retrodationem ejus, quod fuit habitum: Etenim in Conſtitutione Piana non habetur reſpectus ad pretium receptum à Dataria, ſed benè ordinatur reſtitutio, juxta quantitatem ſolutam per Officiales, quia non dicitur deberi reſtitui pecunias receptas, ſed mandatur fieri reſtitutio de iis, quæ fuerunt ſolutæ, ut patet ex illis verbis *niſi reſtitutis &c. pecunijs pro quibus eos Officia &c. emiſſe.* Proindeque dum reſtitutio fieri debet habito reſpectu ſolutorum per Officiales, licet Camera reddat plus, quàm ipſa receperit, non tamen dicitur impropriari ſignificatio verbi *reſtitutis*, dummodò reddatur tantùm id, quod 21
fuit impenſum, prout Beatus Pontifex ordinavit, quia reſpectu Secretariorum, qui ſolverant verè, & propriè verificatur reſtitutio.

Idque fortius confirmatur, quia dum Papa ſe retulit ad tempus incertum faciendæ ſuppreſſionis, in quo propter veriſimilem alterationem, ac variationem valoris Officiorum, videtur impoſſibile, quod intellexerit de pretio per Datariam recepto, quia ob ſupradictam facultatem reſignandi Officia Secretariis competentem, & frequentem uſum reſignationum, erat impoſſibile moraliter, quod tempore ſuppreſſionis omnes emiſſent à Dataria, & hoc optimè ſciebat ipſe Beatus Pontifex, & nihilominus voluit omnibus Secretariis reſtitui pecunias integrè, & ſine diminutione, & conſequenter etiam illis, qui non emiſſent à Dataria, ultra quod, quamvis vellemus referre ad Datariam

BIBLIOTECA COMUNALE PRATO

riam prædictum verbum restitutis, non per hoc læderetur significatio illius, ex quo plus redderetur, quàm fuerit receptum, nam esset tali casu accipiendum pro solutione,
22 quia etiam in suo proprio significatu, verbum *restituere* importat idem, quod solvere, vel dare, juxta Text. *in l. verbum reddendi* 94. *ff. de verb. signif. & in l. cum quidam* 21. *in fine ff. de legat.* 2. *& in l. Hæres meus* 20. *ff. de legat.* 3. Soccin. Sen. *cons.* 90. *num.* 21. *lib.* 4. Barbos. *dict.* 350. *num.* 2. Gratian. *dec. March.* 147. *nu.* 6. Rota *dec.* 67. *nu.* 12. *& seqq. & dec.* 90. *n.* 23. *coram Arguell.*

Eoque facilius, quia Officia auctoritate Pontificis resignantur: nam cùm tali casu non soleat fieri ordo directus
23 alicui certæ personæ, solutio, quæ non potest effectuari, nisi mediante fide Ministri Datariæ super resignatione, debet referri ad ipsam Datariam, illiqui imputari tanquam approbanti personam, cui facienda est solutio, fingitur enim quod resignans officium refutaverit in manibus Principis, itaut sequatur extinctio, deindeque per actum occultum de novo constituatur, ac à Principe tradatur resignatario, seu emptori, qui propterea ipsi Principi censetur solutionem facere, à quo officium recepit immediatè, ut cæteris relatis latè firmavit Rota in Romana Locorum Montium 21. Junii 1671. §. *Quia ex facto coram R. P. D. meo Taya*.

Minùs obstat prætensa observantia contraria in nonnullis suppressionibus officiorum exadverso adducendis, quia, ultra quod non subsistit in facto, ut constat ex ipsismet informationibus contrariis R. P. D. de Luca, & D. Advocati Fiscalis, corruit in jure, cùm non doceatur in illis officiis suppressis fuisse ordinatum, prout in nostris Secretariatibus, quod in casum extinctionis redderetur integrum, & absque diminutione id, quod ab unoquoque Officiali fuerat
24 in illorum acquisitione erogatum: ut enim observantia relevet probari debet individualis in casu præciso, de quo agitur Gregor. *dec.* 451. *num.* 7. *& in recent. decis.* 176. *num.* 45. *part.* 5.

Nullius autem momenti videtur objectum contra aliquos ex Secretariis, quos per longum temporis cursum D. O. M. gaudere eorum officiis indulsit, ultra enim alias responsiones in facto datas, sufficit respondere, quod cum ex Bulla prædicta Innocentii Octavi prohibeatur quælibet imputatio emolumentorum perceptorum in casum secutæ suppressionis, non potest sub tali prætextu impediri integra
25 pretii restitutio, sed est servandus tenor privilegii *Cap. porro de privileg.* Valenzuol. *cons.* 43. *num.* 14. Lotter. *de re benef. lib.* 1. *qu.* 24. *nu.* 9.

Ista verò pretii resolutio, utique fieri debet etiam illis, qui mediatè, vel immediatè Officia, mediante solutione valoris de eo tempore currentis, habuerunt per resignationem à donatariis Pontificum, prout pariter deberi fuit resolutum, & decisum in dicta Congregatione particulari Prælatorum, nam etiam in iis verificatur, atque adaptatur Constitutio Piana, quæ cum mandet restitutionem summæ in officiorum acquisitione erogatæ, non respicit, ut supra dictum est, personam, à qua fuerunt acquisita, sed solùm loquitur de Officialibus qui pro officiis habendis pretium persolverunt, & istis mandat restitui pecunias in acquisitione erogatas, & ita eorum tantùm indemnitati consulit. Ideoque parum interest, quod à talibus resignatariis donatariorum, nihil Dataria receperit, quia semper applicatur eadem responsio superius data, quod nempè Bulla Piana loquitur non tantùm indefinitè, sed generaliter, ut, singulis Secretariis pecuniæ restituantur, quatenus solverunt in acquisitione officii, sive Datariæ sive resignantibus, quodque ad hoc, ut pretium sit restituendum, nullatenus postulat, quod fuerit à Dataria receptum; & tamen cùm Papa non solùm donet ipsum officium, sed
26 etiam expressè illius pretium, censetur illud prius habuisse à Donatariis, & statim eis restituisse, adeo ut fingatur quod duplex actus intervenerit, solutionis videlicet, ac restitutionis ad *Text. in l. venisse* 171. *ff. de verb. signific.* Rebuff. *in l. liberationis col.* 1. *vers. videlicet eodem titul. de verb. signif. per Text. quos ille allegat. in l. si fundum sub conditione* §. *Titio ff. de legat.* 1. *& in l. mulier ff. de condit. caus. dat. & in l. singularia* §. *si cert. pet. & in l.* 3. §. *fin. ff. de donat. inter virum, & uxorem*. Hinc Jacob. Rigos. *in eadem l. liberationis ff. de verb. signif.* dicit non tantùm eum solvisse, qui pecuniam numeravit, sed etiam, qui liberatus est, &
27 generaliter solutionis verbum significat liberationem quoquomodo factam ex Text. *in l. solutionis ff. de verb. signif.* Hinc condemnatus solvere, solvisse videtur, qui acceptila- 28
tione liberatus est, etiamsi nihil dederit *l. si stipulatum ff. de donat.*

Summos autem Pontifices posse donare hujusmodi officia, & ipsorum pretium, non videtur posse in dubium re- 29
vocari, & ideo passim soliti fuerunt Summi Pontifices hujusmodi Officia vacantia eorum conjunctis, benevolis, seu de Sede Apostolica benemeritis gratis etiam concedere, ut refert R. P. D. de Luca *Disc.* 2. *per tot. & præcipuè num.* 11. *de Regal.* Talesque concessiones, seu donationes dicuntur omninò validæ, ut latè probat in individualibus terminis 30
Secretariorum Apostolicorum Castracan. *de Societ. offic. cap.* 2. *num.* 19. *& generaliter à num.* 14. *& seqq.* dicens, quod 31
aliàs foret admodùm infelix conditio Principum, quando nihil pro suo libitu donare, seu alienare possent, unde, semper subsistetur donatio Principis, quando non agitur de bonis donatis cum gravi damno ipsius Principatus, & Coronæ, nec de donatione successiva, & habente tractum successivum, quæ tractu temporis facta sit iniqua, & damnosa Reipublicæ, sed de donatione certæ rei, & certi Officii, factą propter labores pro Sede Apostolica susceptos, & supportatos, & aliis justis de causis, aliàs misera esset Principum conditio, & longè inferior, quàm privatorum, si non
haberent facultatem donandi, aut disponendi de aliquo, & 32
liberalitatem exercendi, & munificentiam, quæ est virtus Principum particularis, Cyriac. *contr.* 402. *num.* 40. *cum duobus sequentibus*, Mastrill. *de Magistr. lib.* 6. *cap.* 18. *numer.* 19. Antun. *de Donat. Reg. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 5. *cum seqq.* Menoch. *cons.* 1003. *per tot.* Castill. *de coniect. ultim. volunt. lib.* 5. *cap.* 89. *nu.* 85. *cum seqq. & cap.* 17. *nu.* 15. *& seqq.* Gonzalez *in cap. intellecto nu.* 1. *vers. dixi cum gravi*, Barbos. *nu.* 2. *in vers. Quorum plures ff. de iur. iur.* Less. *dec.* 79. *num.* 2. *vers. Hoc intellige, & seqq.*

Et justæ causæ semper in Principe præsumuntur, Abb. *in cap. quæ in Ecclesiarum numer.* 14. ubi etiam Butr. *numer.* 28. 33
vers. Aut est dubium, & Felin. *num.* 67. *de Constitut.* Cagnol. *in l. rescriptum sub numer.* 7. *vers. quia semper, & num.* 8. *propè fin. C. de precib. imper. offeren.* Capyc. Latro *consult.* 45. *num.* 63.

Et in effectu nolle restituere pretium his, qui emerant à Donatariis Summorum Pontificum, à quibus non solùm Officium ipsum, sed etiam in specie illorum pretium fuit donatum, est improbare, & revocare illas donationes, quas tamen, nec ipse Princeps, qui donavit, nec succes- 34
sor potest revocare, sine competenti pretio, & compensatione, Roman. *cons.* 352. *num.* 22. *cum seqq.* Mattieng. *libr.* 5. *recompilat. titul.* 7. *lib.* 11. *gloss.* 9. *num.* 7. *cum seqq. & titul.* 10. *lib.* 6. *gloss.* 1. *num.* 1. *cum seqq.* Solorzan. *de iur. Ind. tom.* 2. *libr.* 2. *cap.* 27. *num.* 47. *cum seqq.* Peregrin. *de iur. fisc. lib.* 1. *titul. fin. num.* 5. Castill. *de coniectur. ultim. volunt. lib.* 5. *cap.* 89. *num.* 91. *cum seqq.* Burg. *cons.* 25. *num.* 46. *& seqq.* Sess. *dec.* 79. *sub num.* 29. *vers. Et si dicatur cum seqq.*

Fortiùs verò, hæc omnia militant in hoc casu, quia ipsi in acquisitione persolverunt integrum pretium tunc temporis valutatum, quod cum factum fuerit bona fide, ac mediante ordine, ut supra dixi, favore personæ incertæ concepto, & solvibili cum fide Officialis Papæ super libera resignatione, absque aliqua notitia personæ resignantis, nimis inconveniens esset, quod modò fraudarentur eorum pretio, Principe mediante persoluto, cujus publicam fidem 35
secuti sunt, non autem privati Officialis, resignare debentis, cum quo, utique nihil egerunt, cum ipso solo Principe tractantes, & contrahentes R. P. D. de Luca *disc.* 2. *num.* 10. *& 17. & disc.* 38. *num.* 6. *versic. Ex ea viva ratione, & vers. Altera de Regalib. & in eodem titul. discurs.* 163. *numer.* 12. & firmavit Rota *in dicta Locorum Montium* 28. *Ianuarii* 1671. §. *Maximè considerato coram R. P. D. meo Taya*.

Ac majus profectò resultaret absurdum, atque inconveniens respectu illorum, qui Officia non habuerunt immediatè per Donatarii resignationem, sed eorum, qui ab ipso Donatario emerunt, quia hoc modo tolleretur illa facilis libertas, præcisè in his contractibus necessaria, & 36
destrueretur publicum commercium hujusmodi Officiorum, in evidens, & maximum totius Cameræ detrimentum, dum Officia centies in alium atque alium translata nondum essent tuti Domini illorum, prout considerat eadem Rota *in dicta Romana Locorum Montium* §. *Maximè absurdum*.

Cæ-

Cæterum prædicta reſtitutio pretii venit facienda addito inſuper augmento ad quod Officia aſcendebant de tempore ſuppreſſionis, & ſic ſolvendum eſt pretium currens tempore ſuppreſſionis; Officiales ſiquidem, & Secretarii, qui illa emerunt, cum licentia Papæ, erant verè Domini ipſorum Officiorum, dum per ſuppreſſionem, ſeu extinctionem eiſdem aufertur res propria, & privantur dominio illius, debetur reſtitutio juſti pretii, & æquivalentis, ſeu cor-
37 reſpondentis rebus ablatis. Quando enim Princeps, etiam ex publica utilitate, & neceſſitate, aut alia quacumque juſtiſſima cauſa aufert rem propriam alicui, tenetur pretium illius eidem ſolvere, & refundere, necnon reficere omnia damna hac occaſione paſſa Archidiac. *in cap. per principalem 9. par.* 3. Gozadin. *conſ.* 5. *num.* 12. Dec. *conſ.* 357. *ſub num.* 6. *verſ. poſtremò*, Eugen. *conſ.* 50. *num.* 29. *lib.* 1. Soccin. Sen. *conſ.* 266. *num.* 55. *verſ. Reſpondeo in primis lib.* 2. Nutar. *conſ.* 121. *num.* 16. *cum ſeqq.* Roland. *conſ.* 69. *num.* 16. & *ſeqq. per tot. lib.* 2. & *conſ.* 81. *num.* 2. & *ſeqq.* & *num.* 9. & *infrà lib.* 3. Peregrin. *conſ.* 16. *num.* 1. *lib.* 1. Greven. ad Gaill. *obſervat.* 2. *lib.* 2. *concluſ.* 56. *conſiderat.* 2. *per tot.* Valaſc. *conſult.* 22. *num.* 6. Tapia *rubr. de conſtit. Princip. cap.* 1. *num.* 75. Mattieng. *lib.* 5. *recompilat. tit.* 10. *lib.* 6. Petr. *de poteſt. Princ. poſt cap.* 32. *in* 7. *quæſt. num.* 49. & *ſeqq. fol. mihi* 143. Maſtrill. *de magiſtrat. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 352. & *ſeqq.* Cancer. *par.* 3. *cap.* 3. *num.* 83. Solorzan. *de iur. Ind. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 55. & *ſeqq.* Oliva *de foro Eccleſ. par.* 2. *quæſtion.* 35. *num.* 16. Gratian. *diſcept.* 891. *num.* 12. *verſ. Additur*, & *ſub num.* 29. *cum duobus ſeqq.* optimè Mant. *conſult.* 49. *ſub num.* 9. *verſ. Et quanto al primo cum duobus ſeqq.* Gregor. Accac. *de privil. iur. civil. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 16. Antun. *de donat. reg. par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 2. *ſub num.* 20. *in fine verſ. Hoc autem caſu cum ſeq.* ubi teneri Principem auferentem rem alicui ex publica cauſa ſolvere pretium, & æſtimationem rei, & condignam præſtare ſatisfactionem, & *cap.* 13. *num.* 11. *verſ. confirmatur*, Pheb. *deciſ.* 94. *num.* 3. 7. & 9.

38 Et in terminis ſuppreſſionis Officii Franc. Marc. *deciſ.* 383. *num.* 2. & *ſeqq. per tot. par.* 1. *quem refert*, & *ſequitur* Fragoſ. *de Regim. Reipub. Chriſtian. par.* 1. *lib.* 3. *diſput.* 5. *num.* 42. *prope principium*, & *verſ. idem intelligo*, & *verſ. idem addo.*

39 Debetur itaque pretium currens tempore ſuppreſſionis, quia pretium juſtum æquivalens, & correſpondens damno, quod patitur quilibet de Collegio ob ſuppreſſionem ejuſdem, illud dicitur, & reputatur, quod non ex præterita emptione, ſed ex præſenti æſtimatione conſtituitur *ad text. in l.* 3. §. *Divi, ff. de iur. fiſci, gloſſ. in l. fin. verbo poteſt valere C. de pact.* Roland. *conſ.* 71. *num.* 14. & *ſeqq. lib.* 3. Berouſ. *conſ.* 177. *num.* 15. & *ſeqq. lib.* 2. Peregrin. *de Iure fiſci lib.* 6. *tit.* 4. *num.* 8. *verſ. Intellige juſtum pretium*, Gratian. *diſcept.* 545. *num.* 9. & *diſcept.* 766. *num.* 40. & *ſeqq.*

40 Ea ratione, quia tam augmentum, quàm detrimentum pretii, quod regulariter evenit ex longo temporis intervallo, vel majori, aut minori pecuniarum affluentia, ſemper cedit damno, vel beneficio illius, qui principale pretium, ſeu peculium impendit, & eſt Dominus *l. ſi convenerit*, & *l. etiam in fine C. de iur. dot.* Rota coram Carill. *deciſ.* 148. *ſub num.* 4. *verſ. Vade fit*, & *in puncto Officiorum vacabilium deciſ.* 179. *num.* 1. & *ſeqq. par.* 15. *recent.* & *in Romana Officii Curſoratus* 15. *Februarii* 1675. §. *Ex quibus ſequitur coram R. P. D. Vbago*, & in noſtris præciſis terminis optimè probat Fagnan. *in cap. ex epiſtolæ num.* 10. *verſ. Deveniendo ad primum cum ſeqq. de probat.*

41 Et ſicuti pretium dictorum Officiorum erat incertum, & poterat etiam decreſcere, quo caſu damnum ſpectaſſet ad DD. Secretarios, qui contenti eſſe debuiſſent de pretio currenti, licet minori pretio antèa ſoluto, ita ad eoſdem quoque debet augmentum ſpectare *l. ſecundum naturam ff. de*
42 *reg. iur. l. Id quod in fine ff. de privil. & com. rei vendit.* Rota coram Carill. *dicta deciſ.* 148. *num.* 6. & *ſeqq.* Alias eſſet in poteſtate Principis beneficium temporis conſequi, & ejuſdem incommodum, aut detrimentum recuſare, quod eſt contra juſtitiam, ut in ſpecie advertit Bim. *conſ.* 224. *in fine verſ. quod & adde.*

43 Atque hæc comprobantur exemplo evictionis, nam evictione ſequuta reſtituendum eſt pretium currens de tempore evictionis, non illud, quando fuit facta venditio, *l. evitare la* 2. *ff. de evict. l. ſi Titius ff. de action. empt.* Bart. *in l. Tizius la* 1. *in* 2. *not ab. ff. de conſtit. pecun.* Surd. *conſ.* 52. *num.* 50. & *ſeqq.* Rota *deciſ.* 13. *num.* 1. *par.* 4. *diverſ.* & *in rec. dec.* 227. *num.* 3. & *ſeqq. par.* 4. *tom.* 2. & coram Bich. *deciſ.* 291. *num.* 13. & *deciſ.* 314. *num.* 2.

Prout etiam in retrovenditione, quando aliter non eſſet 44
conventum, attenditur pretium attento tempore retrovenditionis, non autem tempore pacti, ſeu promiſſionis de retrovendendo Bald. *in l.* 1. *num.* 30. *C. com. de leg.* Surd. *d. conſ.* 52. *num.* 47. *verſ. poſtremò ſi dicatur cum ſeqq.* Menoch. *conſ.* 606. *ſub num.* 28. *verſ. Et accedit*, Hermoſil. ad Lopez. *tit.* 5. *l.* 42. *gloſſ.* 1. *ſub num.* 5. *verſ. quid ſi venditio*, & interminis per hæc ſimilia, & alia argumenta ſic arguit, & docet Menoch. *d. conſ.* 606. *per tot.* & in terminis individualibus Fagnan. *in d. cap. ex epiſtolæ num.* 12. & *ſeqq.* & *ſignanter num.* 16. *de probat.*

Nec quidquam facit, quod huſmodi Officia reputentur, & connumerentur inter ipſius Principis regalia, proindeque non cadant in commercio privato, ſed ſint, & reſervata remaneant ipſi ſoli Principi, quia hoc tantùm procedit quoad titulum, & ejus ſubſtantiam, nec non diſpoſitionem de una in aliam perſonam, non autem quoad pretium Officiorum, eorumque commoditates, & fructus, & ea omnia, quæ concernunt, & reſpiciunt ſimplex intereſſe burſale. Reſpectu enim horum omnium dicta Officia habentur, 45
& reputantur tamquam patrimonialia, & regulantur adiſtar bonorum merè allodialium, & abſolute liberorum, ut benè diſtinguit Gratian. *diſcept.* 670. *num.* 12. *cum ſeqq.* & benè pariter Rota *deciſ.* 395. *num.* 8. *cum duobus ſeqq. ubi multos refert par.* 18. *rec.* & Princeps non poteſt auferre ſine 46
compenſatione dominium, & Jus privati, ſive illud directum ſit, ſive utile, Antun. *de Donat. Reg. par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 19. *verſ. quod de plenitudine*, & quod non poſſit auferre 47
Officium idem Antun. *d. par.* 2. *d. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 12. Solorzan. *de iur. Ind. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 55. Maſtrill. *de Magiſtr. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 352. & *ſeqq.* Cabed. *deciſ.* 20. *num.* 5. *par.* 2. Martin. Mager. de Advocat. Armat. *cap.* 6. *num.* 190. *cum ſeqq.* Rovit. *conſ.* 69. *num.* 51. 53. *lib.* 1. Noguerol. *allegat. fiſcal.* 119. *num.* 18. 20.

Non obſtat quod Princeps per viam legis ex cauſa publi- 48
cæ utilitatis poſſit Jus, & Dominium Privatorum auferre abſque ſolutione pretii, aut alterius compenſationis, ex Capyc. Latr. *deciſ.* 188. ſolita exadverſo adduci, quia non poteſt conſiderari univerſalitas in ſuppreſſione Secretariatuum, ſicuti, nec publica utilitas, nam publica utilitas, & 49
neceſſitas ad effectum, ut propter eam poſſit per viam legis dominium, & Jus alterius auferri, abſque ſolutione pretii, debet eſſe talis, ut niſi ei ita, aut hoc tantum præciſo modo occurratur, aliter fieri non poſſit, undè timeretur periculum in publico Principatus, ſeu Regni ſtatu, ut declarat Antun. *de donat. Reg. tom.* 1. *par.* 11. *cap.* 11. *num.* 68. *cum ſeqq.* Greven. ad Gail. *concluſ.* 56. *num.* 6 & 8. *lib.* 2. Larrea 50
allegat. fiſcal. 3. *num.* 26. ita ut non ſufficiat præjudicium aliquorum, nec utilitas Patrimonii fiſci Maſtrill. *de Magiſt. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 346. Antun. *de donat. Reg. d. lib.* 1. *d. cap.* 11. *ſub num.* 32. *verſ. Intellige cum ſeqq.* Solorzan. *de Iur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 70. *cum. ſeqq.*

Dicta autem deciſio 188. Capyc. Latr. non applicatur caſui 51
noſtro, quia loquitur in contractu habente tractum ſucceſſivum, & ab initio læſivo, ſeu tractu temporis facto iniquo, qui poteſt reduci ad æquitatem, & quia Regia Camera coacta fuerat tumultibus popularibus Gabellas, deſtinatas pro ſolvendis fiſcalibus, tollere, & conſequenter deficiebant in illo caſu redditus deſtinati pro fructibus, quibus propterea 52
ſublatis, rectè potuit diminui redditus fiſcalium, ut ſæpe contingit in fructibus Locorum Montium, etiam hic in Urbe, ut per R. P. D. de Luca *Diſc.* 103. *de Regal.* & contra- 53
ctus ſucceſſivus ſemper poteſt per Principem reduci ad æquitatem, & juſtitiam, ſi tractu temporis ſit factus iniquus, *cap. ſuggeſtum*, *cap. dilecti de Decim.* Solorzan. *de iur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 1. *d. cap.* 27. *num.* 72.

Et pariter non applicantur exempla de locis montium, ac de quibuſdam Officiis Capellæ Pontificiæ, aliiſque ſimilibus; quo enim ad loca montium militat ratio omninò diverſa, quia nempè in earum erectione conſtituitur quantitas fixa pro reſtitutione; & ulteriùs de illis Camera nunquam ſucceſſivè diſponit poſt primam venditionem, quia non ſunt vacabilia, prout ſunt hujuſmodi Officia, quæ cùm non habeant pretium fixum, ſemper à Dataria fuerunt venditа pretio currenti, quod proinde dicitur ab ea approbatum, neque hodie poteſt impugnari; & quoad alia Officia ſuppreſſa, ſufficit dicere, quod, vel non conſtat, de tempore ſuppreſſionis illorum, pretium eſſe auctum, ultrà illud,

quo

quo fuerant à ſingulis Officialibus empta, vel non habebant æquales redditus, ex quibus, prout in noſtris Officiis, æquale pretium conſtitueretur: undè non mirum, ſi in eis fuit facta reſtitutio de ſolutis tantùm Cameræ, quod è converſo in ſuppreſſione Montium vacabilium facta à ſanctæ memoriæ Alexandro Septimo, quia licèt in iis Camera receperit ſola ſcuta 100. in venditione, quia tamen eorum pretium fuerat de tempore ſuppreſſionis auctum, & redditus erant omninò æquales, prout in Officiis Secretariatum, fuit reſtitutum pretium, quod de eodem tempore currebat, ad rationem 54 nempè ſcutorum 150. pro quolibet, ex quo fit contrariam obſervantiam, in prædictis Officiis Cappellę Pontificię, non eſſe attendendam in concurſu alterius noſtræ contrarię, ac claræ obſervantiæ Rota *deciſ.* 433. *num.* 35. *par.* 9. *tom.* 2. *recent.* Præcipuè dum exempla exadverſo allegata 55 contrariantur ſupradictæ diſpoſitioni Juris, ſecundum quam reſtitutio debetur juxta pretium currens, hoc namquè caſu ſemper ea prævalere debet obſervantia, quæ cum Jure eſt conformis Honded. *conſ.* 53. *num.* 29. *lib.* 1. Spad. *conſ.* 24. *num.* 11. *lib.* 1. Rota *deciſ.* 336. *num.* 6. *par.* 5. *recent.*

Conſtitutio demum ſupradicta Beati Pii minimè contrariatur hujuſmodi reſtitutioni faciendæ juxtà valorem currentem, quatenus enim diſponit eſſe reſtituendum pretium, per ſingulos Secretarios erogatum, intelligenda venit, 56 dummodò majus pretium non fuerit actum & tempore redemptionis majori pretio vendi, & emi non potuerit, ut reſpondet Fagnan. *in d. cap. ex epiſtolæ ſub num.* 13. *verſ. idque non obſtante pacto cum duobus ſequentibus de probat.* Itaut verba conſtitutionis intelligantur præſuppoſitivè, & favore Secretariorum, ut non poſſit minus pretium reſtitui, quàm fuerit ſolutum, & pro quo Officiales Secretariatus habuerint, ſed non tollantur, quin debeat perſolvi majus, ſi tempore redemptionis ſit majus, ne redemptio fiat cum dam- 57 no ipſorum Secretariorum, & Conſtitutio ipſorum favore, & pro ampliatione privilegiorum condita, retorqueatur in odium, & operetur diminutionem contra *Text. in l. hac ſaluberrima C. de Præpoſit.* Agent. *lib.* 12. *ubi* Bartol. *num.* 2. & Joan. de Platea *in* 2. *notab.* Jaſon. *conſ.* 59. *num.* 9. *& ſeqq. lib.* 3. Alex. *conſ.* 32. *num.* 2. *& ſeqq. lib.* 5. Honded. *conſ.* 71. *num.* 54. *lib.* 2. Rota *in recent. par.* 4. *tom.* 3. *deciſ.* 715. *num.* 7.

58 Eòque magis, quia tàm dicta Conſtitutio Beati Pii, quàm illa fel. recordationis Innocentii Octavi non continent conventionem ſuper redemptione, & extinctione facienda, quaſi ità fuerit conventum cum Secretariis, ſed ſolùm ſe habent præſuppoſitivè, ut tradit Fagnan. *in d. cap. ex epiſtolæ num.* 10. *de probat.* Ideòque extinctio, & reſtitutio 59 pretii facienda eſt juxtà diſpoſitionem Juris communis, ità exigente, ut dicitur, publica utilitate, & neceſſitate, cùi non eſt veriſimile illum B. Pontificem derogare voluiſſe, & ità præjudicare Secretariis, ut augmentum pretii reſtitui, & ſolvi non debeat, quod aliàs ſublata Bulla habere debuiſſent, ex latè ſuperiùs adductis.

Ex quibus omnibus patet eſſe ſuperfluam particularem diſputationem ſuper Officiis D. Equitis Acciajoli, R. P. D. Curſii, & D. Abbatis Lecci, & D. Marchionis Ruſpuli, cum ſit reſtituendum pretium juſtum omnibus, ſecundum valorem Officiorum tempore extinctionis. Cæterum quando diſputatio eſſet ſuſcipienda, venit profectò definienda favore dictorum DD. Officialium.

Et quidem, quoad D. Equitem Acciajolum nihil videtur obſtare, quod periculum vitæ in ipſum non fuerit tranſlatum per licentiam Papæ, quia memorat Conſtitutio Beati Pii non dicit eſſe reſtituendum pretium illi, qui titulum Officii, ejuſque Dominium acquiſiverit cum auctoritate 60 Papæ, vel Datariæ, ſed illi, qui Officium emerit, aut aliter habuerit; Officia autem poſſunt emi, & vendi, etiam abſque titulo, & translatione periculi vitæ, quia reſpectu pretii, & fructuum ſunt in commercio, etiam abſque licentia Papę Grat. *diſcept.* 660. *num.* 15. *& ſeq.* Salgad. *in Laberynt. Credit. par.* 1. *cap.* 35. *num.* 5. R. P. D. de Luca *diſc.* 2. *num.* 8. *& diſc.* 4. *num.* 8. *& diſc.* 11. *num.* 3. *& ſeqq. de Regal.* Rota *deciſ.* 114. *num.* 9. *cum ſeq.* poſt Merlin. *de pignor. & deciſ.* 116. *num.* 13. *& ſeqq. & deciſ.* 126. *num.* 12. *cum ſeqq.* 61 *par.* 13. *recent.* Non eſt enim inconveniens, quod titulus ſit penes unum, & dominium penes alterum, ut cæteris relatis norat Salgad. *dicta par.* 1. *cap.* 35. *num.* 11.

Dum autem Beatus Pius conceſſerit privilegium ut deberet reſtitui ſingulis Secretariis integrum pretium ſolutum, reſpexit illorum burſalem commoditatem, non autèm ad periculum vitæ, & in cujus eſſet dominio, reſpectu tituli, ipſa Officia, cum hoc parùm interſit Papæ, cujus conſenſus 62 requiritur ſolùm ut poſſit ſciri per cujus obitum Officium ſit vacaturum, ut advertit Rota *dec.* 116. *verſ. ceſſat difficultas cum ſeq. par.* 4. *tom.* 2. *recent.*

Idque præſertim, attento verbo illo generali *Habuiſſe* 63 per quod veniunt in privilegio comprehenſi; nedum illi qui totale dominium Officii, ſed etiam qui ſimplicem inſiſtentiam, uſum, ac de facto detentionem illius acquiſiverint, *l. Stipulatio iſta* 38. §. *Habere ff. de verb. obligat. l. Id apud* 143. *ff. de verb. ſignif. l.* 1. *ff. de vi, & vi armat.* Decian. *conſ.* 108. *num.* 32. *lib.* 3. Bartol. *de clauſul. inſtrum. cauſ.* 26. *Gloſſ.* 4. *nu.* 2. & 3. Rota *deciſ.* 44. *num.* 1. coram Ubaldo.

Verùm tollitur omnis amaritudo, quia Supplicatio D. 64 Equitis fuit uſque de anno 1675. per ſan. mem. Clementem Decimum ſignata, & conſequenter habuit ſuam perfectionem, quæ in gratiis recipitur ex ſola Signatura Papæ Caſſad. *deciſ.* 2. *ſub num.* 10. *de penſion.* Rota coram Merlin. *deciſ.* 281. *num.* 11. & 12. & coram Zarate *deciſ.* 34. *n.* 27. *cum ſequentibus, & in recent. deciſ.* 562. *num.* 2. *par.* 3. & *deciſ.* 121. *num.* 6. *par.* 12. Etiamſi deindè ſuper ea non 65 fuerit ulteriùs facta expeditio litterarum Rota *deciſ.* 585. *num.* 2. *par.* 2. & *deciſ.* 267. *num.* 4. *par.* 4. *recent. & deciſ.* 465. *num.* 10. & *ſeq.* coram Peutinger. Adeout licèt interim 66 moriatur Papa, qui gratiam conceſſit, non tamen ea dicitur expirare Gabriel. *conſ.* 1. *n.* 1. *de præben.* Cyriac. *contr.* 58. *num.* 5. & *ſeq.* Gonzal. *ad regul.* 8. *gloſſ.* 12. *num.* 44. & *ſeqq.* Rota *dicta deciſ.* 121. *num.* 6. & *ſequentibus par.* 12. *recent.*

Et quando etiam remaneret aliquis ſcrupulus, ille prorsùs removeretur ex pluribus, atque reiteratis inſtantiis per eumdem D. Equitem factis pro admiſſione novę reſignationis, quæ utique non potuit denegari ſub prætextu, quod Collegium tunc eſſet de proximo ſupprimendum, quia Bulla Innocentii Octavi prohibet expreſsè quavis ratione per Romanum Pontificem denegari, vel defferri receptionem Reſignationum hujuſmodi Officiorum, in hac autem prohibitione certum eſt etiam hunc caſum futuræ ſuppreſſionis comprehendi, dum Papa uſus fuit dictione univerſali 67 *quavis*, de cujus natura eſt omnia includere, & nihil excludere, ſed imò caſus etiam improprios amplecti, ut cæteris relatis tradit Sanctorell. *var. reſolut. quæſt.* 48. *num.* 39. & ultrà eum Barboſa *dict.* 317. *num.* 1. & 6.

Fortiùs verò, quia cum ſupplicatio eſſet ſignata tempore 68 non ſuſpecto à Pontifice immediatè anteceſſore; proinde expeditio litterarum nullo modo impediri, & denegari poterat, etiam poſt ſex menſes, & quandocumque Mandoſ. *ad reg.* 10. Cancell. *quæſt.* 4. *num.* 8. & *ſeqq.* Cochier. *num.* 8. Ameyden. *de ſtylo Dataria cap.* 12. *num.* 17.

Ultrà quod ſicuti Camera, etiam poſt illum incertum rumorem de futura ſuppreſſione fuiſſet lucrata pretium Officii hoc medio tempore vacantis, ità pariter debebant Officiales potiri eiſdem privilegiis, & pactis correſpectivis ab periculum amiſſionis Officiis, quorum intuitu contraxerant; eòque magis, dum prædicta pacta fuerant appoſita ab habente 69 poteſtatem legis condendæ; proindeque vim legis haberent Bartol. *in l. Cæſar* 15. *num.* 3. *in prima lectura ff. de public. & vectigal.* Capyc. Latro *deciſ.* 191. *num.* 39.

Quo verò ad R. P. D. Curſium, & Dominum Abbatem Leccium nihil pariter obſtat aſſerta mala fides, & negligentia in procurando non ſolutionem pretiis, quia, ut benè reſpondetur in facto, mala fides tollitur, ex quo, antequam aliquis tractatus, vel rumor ſuppreſſionis in Urbe auditus fuerit, jam fuerat perfecta emptio Officii & ordo traditus Eminentiſſimo Chiſio venditori: Prout etiam removetur negligentia ex diligentiis adhibitis pro recuperando dicto ordine, quæ tamen etiam, ubi deficerent, nihil officeret, quia illæ non erant profuturæ, nam poſt contractum perfectum non licet ampliùs uni partium pœnitere, ut eſt 70 ſatis notum, & diſponit *Textus in l. hæc venditio in principio ff. de contrahend. empt.* cum aliis abundè relatis per Rotam *deciſ.* 408. *num.* 58. *& ſeq. par.* 16. *recent.* Quando autem diligentiam non eſt profutura, etiamſi fuerit ommiſſa 71 numquam obſtat Rota *deciſ.* 37. *num.* 10. *& deciſ.* 457. *n.* 6. coram Pæn. *& in recent. deciſ.* 567. *num.* 6. *par.* 1.

At removetur quælibet difficultas, qui reſignatio prædicti Officii fuit priùs longo tempore diſcuſſa in Congregatione particulari, an eſſet liberè admittenda, vel ne pro ſcutis 23000. & deindè liberè admiſſa, & abſque ulla præſervativa

tiva pretii, quod paulò post ob proximam suppressionem iterùm debebat à Dataria restitui; Ideoque patet, quod dictum pretium fuit à Dataria approbatum, ac per conseques
72 nequit ab ipsa impugnari, ne aliàs emptores, qui sub publica fide Principis, ac mediante signatura Sanctissimi contraxerunt, decepti, ac elusi remaneant contra Text. *in l. 1. C. de his, qui ven. ætat. impetr.* Panzirol. *cons.* 20. *sub n.* 14. Cravetta *cons.* 732. *num.* 6. Cyriac. *contr.* 291. *num.* 29. & 30. & considerat R. P. D. de Luca *in dicto discursu dato in nostro Summario §. finali.*

Et quidem nimis inconveniens videtur, quod idem Officium externo die per Cameram in scutis 23000. appre-
73 tiatum, hodie in tertia parte valoris decrescat ob factum ipsius Cameræ, quæ hoc modo fefellisset emptores, sicuti dicitur de eo, qui vult solvere pecuniam, cujus immineat reprobatio, sciente debitore Gratian. *discept.* 260. *num.* 19. Royas *decis.* 405. *num.* 2.

Quo demum ad Dominum Marchionem Ruspulum nihil obstat gravis illius ætas, propter quam denegatur à Ca-
74 mera restitutio pretii; quoniam ista difficultas, etiamsi in cæteris Officiis vacabilibus posset considerari, utique in hisce Secretariatibus fuit sublata per Innocêtium Octavum in sua Bulla erectionis. Etenim dum ibi voluit Summus Pontifex, ut resignationes Secretariatuum deberent à Dataria admitti, ac recipi, etiamsi Officiales ipsi infirmi, ac verisimiliter infra viginti dierum spatium decessuri forent, ac decederent, nequit profectò sub hujusmodi prætextu retardari Domino Marchioni restitutio pretii in hoc casu suppressionis, in quo potiùs militat major ratio, propter quam est omninò facienda eadem restitutio, quia nempè, cum suppressio fiat voluntariè à Papa, cessat ille timor præsumptæ fraudis, ac præjudicii Datariæ, ob quæ fuit introductus stylus non admittendi resignationes in Officialibus senibus, & de brevi morituris, atque aliàs sequeretur, quod absque aliqua eorum culpa, miseri senes lugerent amissas suas facultates, dum privati remanerent Officio, pretio, & emolumentis, quod esset nimis absurdum, nec unquam aliàs practicatum, nec minus unquam à Camera prætensum, ut patet ex aliis suppressionibus antecedenter factis, & præcipuè ex suppressione Officiorum Capellæ, ac Montium vacabilium in Pontificatu fel. mem. Alexandri Septimi, in quibus, etiam senibus cujuscumque ætatis, fuerunt restituta pretia Officiorum, prout in nostro casu fieri speramus.

Quare &c.

Io: Baptista Arrigus Advoc.

ROMANA PRETII SECRETARIATUUM APOSTOLICORUM.

SECUNDA JURIS.

SUMMARIUM.

1 *Dispositio clara est veluti lex servanda.*
2 *Verbum* restituere *importat obligationem restituendi acceptum, declara, vt num.* 12.
3 *Verbum* habere *comprehendit omnes modos acquisitionis, & num.* 52.
4 *Dictio* singulis *actum tribuit cuilibet, insolidum.*
5 *Actus regulari debet iuxta tempus, quo fortitur effectum.*
6 *Dictio* tunc *denotat extremitatem temporis, in quo actus consumatur.*
7 *Dictio* eos *est personalissima.*
8 *Privilegium contra concedentem latissimam recipit interpretationem.*
9 *Eius verba non debent restringi ad tempus concessionis, sed latissimè se protendunt.*
10 *Resignatarius obtinet officium à Datariâ, non à resignante, ad instar resignationis beneficii, seu translationis pensionis.*
11 *Papa scire censetur, quod scit eius minister.*
12 *Verbum* restituere *aliquando importat emendationem, vel satisfactionem damni.*
13 *Observantia est optima interpres omnium dispositionum.*
14 *Etiamsi verborum intellectus esset violentus, improprius, & de iure non tenendus.*
15 *Interpretatio admittitur in dispositione dubia, non autem in clara.*
16 *Papa potest donare, & gratis disponere de Officiis.*
17 *Principum miserrima esset conditio si donare nequirent, & eorum donatione à successoribus revocarentur.*
18 *Gregoris Decimus quintus sexagintaduo Officia donavit eius consanguineis.*
19 *Officia vacabilia ex decreto Papæ fieri possunt patrimonialia, & hæreditaria.*
20 *Princeps de potestate ordinaria non potest donationem à se, vel antecessore factam revocare, seu limitare,*
21 *Maximè si sit perpetua, & irrevocabilis.*
22 *Et si dictam donationem revocat, tenetur integrum valorem refundere.*
23 *Papa donando officium, fingitur recepisse à donatario pretium, illudque postea eidem restituisse.*
24 *Resignatarii talium Officiorum dicuntur contraxisse cum Principe, eumque solum in auctorem cognoscunt.*
25 *Officium non potest tolli à possessore, licet prædecessor iniustè Officium habuerit.*
26 *Publica fides, & commercium non patitur, quod emens officia teneatur gradatis usque ad originem primæ acquisitionis inquirere, an pretium fuerit Datariæ solutum, vel à Principe primo Officiali donatum.*
27 *Supremi Principes ad legem honestatis, & urbanitatis adstringuntur.*
28 *Quod Princeps possit per viam legis generalis, & ex causa publicæ necessitatis, & utilitatis concessiones gratuitas, etiam pretio non restituto revocare, est opinio controversa, & sententia negativa est verior.*
29 *Cum Princeps remisit partes ad Iudicem, signum est legem condere noluisse.*
30 *Concessiones gratuitæ tunc per legem generalem revocari possunt, quoties aliter publicæ utilitati consuli nequit.*
31 *Lex non dicitur universalis, quando tantummodo respicit certas, & determinatas personas.*
32 *Decis. Capic. Latr.* 188. *quomodo intelligenda.*
33 *Princeps, supprimens officium ex causa publicæ utilitatis, vel necessitatis, tenetur iustum pretium persolvere.*
34 *Iustum pretium dicitur currens de tempore suppressionis, non illud, quo de præterito empta fuerunt Officia, &* num. 36. *&* 37.
35 *Lucrum, & detrimentum cedere debet periculo Domini.*
38 *Pretium Officii concernens interesse bursale est in commercio, ad distinctionem pretii concernentis dominium directum.*
39 *Observantia ad hoc ut relevet, debet probari in casu individuali.*
40 *In dubio est pronunciandum contra fiscum.*
41 *Resolutio Principis emanata super negotio, de quo plenè cognovit, habet vim legis.*
42 *Verba Constitutionis Beati Pii Quinti demandantis restitutionem pretii, quo officia empta fuisse constiterit, stant demonstrativè, non taxative.*
43 *Sunt intelligenda rebus sic stantibus.*
44 *Constitutio edita ad amplianda, & augenda privilegia non debet restringi.*
45 *Debet intelligi ut operetur aliquid ultra ius commune.*
46 *Frustra conceditur ex privilegio, quod habetur ex iuri dispositione.*
47 *Discretivus modus loquendi nihil operatur, quoties aliquid fuit ad maiorem declarationem expressum.*
48 *Vna pars dispositionis aliam declarat.*
49 *Dispositio in casu omisso suppletur à iure.*
50 *Officia quoad pretium, & fructus sunt in commercio, & possunt alienari, etiam absque assensu Papæ.*
51 *Expeditio litterarum nil aliud operatur, nisi quod Papa sciat, per cuius obitum sit Officium vacaturum.*
52 *Verbum* habere *verificatur in eo, qui possessionem rei nactus fuit absque dominio.*

53 *Ex ſignaturâ Papæ dicitur gratia perfecta, etiam abſque litterarum expeditione.*
54 *Reſignationis admiſſio habetur pro impetrata in odium Datariæ eam impedientis, vel differentis.*
55 *Propoſitum in mente retentum nihil operatur, donec tranſeat in diſpoſitionem.*
56 *Pacta diſpoſitionis ſunt ſervanda, quoties ſine illis quos contraxiſſet.*
57 *Contrahentes non ſunt ad imparia iudicandi.*
58 *Fraudis ſuſpicio ceſſat, quando actus geſtus fuit candidè, & ſincerè tempore habili.*
59 *Servandum eſt, quod fuit conceſſum, licèt non fuiſſet cedendum.*
60 *Solvens in moneta, quam ſciebat eſſe reprobandam, non liberatur.*
61 *Poſt perfectam emptionem non eſt locus pœnitentiæ.*
62 *Omittens diligentias non profuturas in nihilo præiudicatur.*
63 *Senes, & infirmi æquiparantur.*
64 *Quilibet ſenex præſumitur vivere quinque annis, vel ad minus per annum.*

R.P. ESt ſolvendum pretiũ, quod unuſquiſq; ex Secretariis in emptionem Officii erogavit, ita litteraliter diſponente Conſtitutione B. Pii Quinti, in qua ampliando privilegia huic Collegio ab aliis Summis Pontificibus elargita, inter cætera diſpoſuit, *non poſſe illud ſupprimi, vel extingui niſi* (ſũt verba precisa) *reſtitutis pecuniis realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis, tunc viventibus, integrè, & abſque ulla diminutione pretii, pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit:* quæ diſpoſitio cùm ſit per ſe clara, venit 1
tanquam lex omninò ſervanda, Surd. *conſil.* 100. *num.* 13. Azor. *inſtitut. Moral. lib.* 5. *capit.* 23. *quæſt.* 2. Rota *deciſ.* 458. *num.* 11. *part.* 4. *tom.* 2. *& deciſ.* 438. *num.* 6. *part.* 9. *recent.*

Nec applicari poteſt interpretatio exadverſò data, quod 2
ſcilicèt illud verbum *reſtitutis* importet obligationem reſtituendi ſolummodò pretium, quod Camera recepit, & ſic non ſit curandum de majori quantitate ſoluta reſignatariis; Huic enim interpretationi contrariatur amplitudo ejuſdem diſpoſitionis, ſive illius integrum contextum, ſive per partes, ſive rationes examinemus.

Et ſanè dum B. Pontifex, mandavit *reſtitui pecunias, quibus Officia emiſſe, vel habuiſſe conſtiterit*; utique patet eum conſideraſſe, non ſolùm caſum emptionis immediatè Camera faciendæ, ſed alium quemcumque modum, etiam per reſignationem acquirendi, cùm talis ſit vis illius verbi *ha-* 3
buiſſe, quod magis latè patet, quam emere, & comprehendit alios modos acquiſitionis *l. ſtipulatio iſta* §. *hæc quoque verbo habere*, & ibi Gloſſ. *ff. de ver. obligat. l. id apud ſe ff. de verb. ſignificat.* Gloſſ. *in l. habere verbo emerit eodem titulo.*

Idque ad oculum demonſtratur ex eo, quod ante prefatam diſpoſitionem dedit Collegio facultatem vendendi Officium primo loco vacaturum, pretio currenti tempore vacationis, ſicque dum poſtmodum voluit ſingulis reddi pretium, quo conſtiterit Officium emiſſe: vel dicendum eſt, quod etiam reſtituendum eſt pretium ei, qui Officium emit à Collegio, & ſic patet diſpoſitionem Bullæ non reſtringi ad eos, qui immediatè acquiſiverunt à Dataria: vel ſi iſti pretium non eſſet reſtituendum, ſequeretur intolerabile inconveniens, quod non omnibus Secretariis, ſed ſolùm aliquibus pecuniæ reſtituerentur contra expreſſam voluntatem Summi Pontificis, qui demandando reſtitutionem 4
ſingulis voluit omnes pariformiter comprehendere, cùm dictio *ſingulis* actum attribuat cuilibet in ſolidum, & indiſtinctè omnes eodem modo determinat Bald. *conſil.* 461. *num.* 6. *lib.* 1. Barboſa *dict.* 372. *num.* 1. Marta *de clauſulis par.* 1. *clauſula* 360. *num.* 2. Surd. *deciſ.* 268. *num.* 5.

Stringit fortiùs argumentum, ſi advertatur, quod de tempore, quo emanavit dicta Bulla plures ex Secretariis viventibus poſſidebãt Officia acquiſita mediante reſignatione; Notumque erat Beato Pontifici, quod cum hujuſmodi Officia eſſent venalia, poterant tractu temporis ferè omnia reſignari. Hinc enim ſequitur, quod dum reſtitutio eſt facienda de tempore ſuppreſſionis, id intelligi debet favore Officialium, qui tali tempore Officia haberent, nec eſt 5
facienda inter eos ulla diſtinctio; cùm ſemper actus regulari debeat, juxtà tempus, quo ſortitur effectum Bald. *in l. Tutoribus ff. de teſtamentaria tutela*, & benè ad rem noſtram reſpondit Rota coram Coccino *deciſ.* 1591. *num.* 49. *& dec.* 614. *num.* 52. *& ſeqq. par.* 4. *tom.* 3. *recent.*

Et ſine argumentis probat litteralis diſpoſitio concepta 6
illis verbis *Secretariis tunc viventibus*, quia dictio *tunc* denotat extremitatem temporis, in quo actus conſumatur, Surd. *deciſ.* 207. *num.* 16. Rota coram Ubaldo *deciſ.* 637. *num.* 3. & in terminis regulandi valorem Officii venalis pro intelligentia alterius Conſtitutionis Apoſtolicæ Rota *deciſ.* 197. *num.* 5. *& ſeq. par.* 15. *recent.*

Prædictis verbis ſubſequuntur alia, non minus clara, 7
videlicet *pecunias, quibus eos emiſſe, &c.* ly enim *eos* oſtendit perſonas, de quibus Pontifex intellexit, cùm ſit perſonaliſſima, & referatur ad perſonas ſuperius nominatas, & expreſſas; & ſic ad viventes de tempore ſuppreſſionis, Barboſ. *dict.* 103. *num.* 2. Rota coram Seraph. *deciſ.* 689. *num.* 1. Ubald. *dec.* 256. *num.* 4. Coccin. *dec.* 1125. *num.* 4.

Nec poteſt aliter res habere, nam ſi in caſu ſuppreſſionis pretium reſtituendum reſtringi deberet ad illud receptum à Dataria, Summus Pontifex nihil per privilegium conceſſiſſet, quia jam de jure Dataria tenebatur reſtituere pretium, quod recepit, & in hac parte nulla particulari conſtitutione indigebat Collegium; quare dum Beatus Pius voluit augere privilegia, & mandavit reſtitui pretium, utique dici debet, quod id voluerit etiam reſpectu illorum, qui à Dataria non emerunt; privilegium enim contra conce- 8
dentem latiſſimam recipit interpretationem *l. Beneficium ff. de conſtitut. Principum*, Abbas *in cap. cum ex iniuncta de Hæreticis*, Rota coram Coccino *deciſ.* 1856. *num.* 8. *in recent. deciſ.* 212. *num.* 6. *par.* 7. *deciſ.* 199. *num.* 22. *par.* 17. *& in Romana Teſtamenti* 13. *Iunii* 1670. §. *cum igitur in fine coram R. P. D. Bourlemont*, ubi amplius quod ex hac ratione detur extenſio ab expreſſis ad connexa non expreſſa.

Imò quod verba privilegii non debeant reſtringi ad tempus conceſſionis, ſed latiſſimè ſe protendant Rota *dec.* 254. 9
num. 24. *par.* 7. *rec.*

Accedit etiam altera viva ratio, quod ſcilicet hujuſmodi officia, licet acquirantur per reſignationem à tertiis perſonis; tamen in rei veritate directè, & immediatè concedantur à Papa, cum enim per novam proviſionem Officium 10
concedatur à Dataria, reſignatarius ab iſta dicitur habere cauſam, non à reſignante, ad inſtar reſignationis beneficii, ſeu translationis penſionis, R.P. D. de Luca *de Regalibus diſcurſ.* 27. *&* 28. *utrobique num.* 2. Salgad. *in labyrint. credit. par.* 1. *cap.* 35. *num.* 20. *& ſeqq.* Rota *in Romana Appartamenti* 2. *Decembris* 1675. §. *Officium coram R. P. D. Taya, cum aliis infra allegandis.*

Quod procedit licèt in ſupplicationibus, quæ per Papam ſignanter non fiat mentio de quantitate pretii, pro quo Officium fuit reſignatum; etenim pretium non ſolvitur, niſi Officialis Componendæ in calce ordinis faciat fidem de reſignatione ſecuta in favorem ementis, & ſic notitia pretii 11
eſt indubitata, quamvis autem habeatur ab Officiali, tamen idem eſt ad noſtrum effectum, quia Dataria, & Summus Pontifex mediante Officiali ſciviſſe dicitur, Surd. *conſ.* 429. *num.* 54. *& deciſ.* 4. *nnm.* 6. & ibi Hodiern. *num.* 19. Capyc. Galeot. *controverſ.* 122. *num.* 28. *lib.* 1. Cyriac. *controverſ.* 532. *num.* 29. Rota *deciſ.* 387. *n.* 6. *par.* 3. *rec.*

Neque ex prædictis læditur ſignificatio verbi *reſtituere* in Bulla adjecti, quaſi Camera reſtitueret, quod non recepit. Etenim non ſemper hoc verbum ſupponit receptionem, ſed 12
variè, juxta varias circumſtantias caſuum, accipitur. Hinc ad rem noſtram intelligi debet pro emendatione, vel ſatisfactione damni, prout illud explicat Federic. de Senis *conſ.* 18. relatus per Cardinalem Tuſcum *littera R. concluſ.* 301. *num.* 2. ſicut etiam eſt intelligendum pro *dare, ſolvere ad* Text. *in l. hæres meus ff. de legat. tertio*, Soccin. ſen. *conſ.* 90. *num.* 21. *lib.* 4. ibi *promiſit reficere, & reſtituere, verbum autem reſtituere importat idem, quod dare*, Barboſ. *dict.* 350. *n.* 2. Gratian. *deciſ. March.* 147. *num.* 6. Rota coram Arguelles *deciſ.* 77. *num.* 14. ubi pluribus comprobat, & materiam exornat, *ut deciſ.* 90. *num.* 23.

Perperam autem allegatur ex adverſo obſervantia in contrarium; quod ſcilicet in caſu ſuppreſſionum fuerit reſtitutum pretium Cameræ ſolutum, & non ultrà. Non ſolùm enim id non probatur, ſed è converſò conſtat de contrario, juxta exempla relata à R. P. D. de Luca, & à D. Advocato fiſcali, in quibus fuit reſtitutum pretium ab unoquoque Officiali ſolutum in acquiſitione officii, iſta autem obſervan- 13

tia

tia ponit falcem ad radices, cum ea ſit optima interpres omnium diſpoſitionum, Rota coram Burat. *deciſ.* 85. *nu.* 4. *et deciſ.* 379. *num.* 3. *et* 9. Atque ei adeo defertur, ut intellectus inde reſultans omninò tenendus ſit, quamvis eſſet
14 violentus, & neceſſe foret impropriare verba, & appareret malus, ac de jure non tenendus, Soccin. Senior. *conſil.* 145. *num.* 2. *lib.* 1. Ruin. *conſil.* 104. *num.* 3. *lib.* 5. Rota *deciſ.* 608. *numer.* 6. *part.* 2. *deciſ.* 254. *numer.* 8. *et* 9. *part.* 16. *deciſ.* 211. *et deciſ.* 212. *utrobique numer.* 7. *part.* 17. *recentior.*

Obiectum verò, quod aliqui ex Secretariis fructus exceſſivos perceperint, cum quibus capitale fuerit ſatisfactum, nobis non obſtat, quia præter alias fortiſſimas reſponſiones in facto adductas, omnem tollit difficultatem Conſtitutio fel. mem. Innocentii Octavi, qua cavetur, *quod in reſtitutione capitalis Secretariis faciendа nullo modo, et cauſa* (ſunt verba præciſa) *computari poſſint, aut debeant in toto, vel aliqua parte emolumenta ipſius Officii, quæ forte interim eos per-*
15 *cepiſſe appareret, etc.* & hæc verba cùm ſint clara nullam recipiunt interpretationem, quæ ſolùm admittitur in diſpoſitione dubia, Bald. *conſ.* 174. *in fine lib.* 2. Azor. *Inſtitut. Moral. lib.* 5. *cap.* 23. *quæſt.* 2. Rota *deciſ.* 78. *num.* 10. *part.* 11. *recent.*

Quibus ita firmatis, quo ad Officia in genere; deſcendendo ad particularia, credimus pro reſtitutione integri pretii reſpondendum favore RR. PP. Coſtaguti, Duratti, Nicolini, & de Aſte, ac Domini Jacobi Montioni, quibus per immediatam, vel mediatam reſignationem Donatariorum Papæ fuerunt conceſſa Officia, prævia exburſatione pretii effectivi, tunc currentis.

Poſita enim Summi Pontificis poteſtate (de qua nefas
16 eſt dubitare) donandi, & gratis concedendi Officia, tam propriis Agnatis, & Familiaribus, quàm aliis quibuſcumque ſibi benè viſis Bald. *conſ.* 451. *in princ. lib.* 1. Card. Tuſc. *verbo Papa concluſ.* 58. *per totam*, Caſtracan. *de ſociet. Offic. cap.* 2. *numer.* 14. *& ſeq.* Urſel. *concluſione* 167. *numer.* 52. Maſtril. *de Magiſtrat. lib.* 1. *cap.* 18. *numer.* 18. & 19. ubi, quod aliàs ſervilis, & quodammodo miſerrima eſſet con-
17 ditio Principum, ſi neque inter vivos donare poſſent, & eorum donationes à Succeſſoribus revocarentur, Peregr. *de iur. fiſci lib.* 1. *titul.* 3. *numer.* 50. Cyriac. *controverſ.* 402. *numer.* 40. Caſtil. *de coniect. ultimarum voluntatum lib.* 5. *cap.* 89. *num.* 85. *& ſeqq.* Quod, & pluries practicatum
18 videmus à Summis Pontificibus, ut de donatione facta à fel. mem. Gregorio XV. de 62. Officiis teſtatur R. P. D. de Luca *de Regal. diſc.* 2. *num.* 11. & loquendo de iſtiſmet Officiis, Caſtracan. *dicto cap.* 2. *numer.* 19. Gratian. *cap.* 891. *num.* 14. & 28. ubi quod difficultas cadit in voluntate, non in poteſtate, congruitque aliud ſimile exemplum, quan-
19 do Summi Pontifices Officia vacabilia efficiunt libera patrimonialia, & ad quoſcumque extraneos tranſitoria, hoc enim caſu dicuntur illorum pretium, quod ad Cameram reverteretur, donare hæredibus, & tamen nemo eſt, qui talem poteſtatem controvertat, & videmus id pluries practicatum, ut apud Gratian. *cap.* 580. *num.* 1. *cum ſequentib. & cap.* 730. *num.* 52. Rota apud Fenzon. *ad ſtatut. Urbis deciſ.* 14. *per totam, in recent. deciſ.* 197. *num.* 12. & *deciſ.* 303. *num.* 8. *part.* 15.

Inde ſequitur, quod procedendo cum terminis ſimpli-
20 cis poteſtatis intra limites juris regulandæ (ad differentiam ſupremæ, & abſolutæ poteſtatis, quam nolle adhibere Sanctiſſimus Dominus noſter ejus ſumma pietate declaravit) debeat hæc donatio remanere, nec poſſit præjudicium ullum Officialibus inferri, Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancel. gloſ.* 9. §. 2. *num.* 32. Cutel. *de donat. diſc.* 2. *practic.* 6. *numer.* 196. Surd. *deciſ.* 234. *num.* 10. Molina *de primogen. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 18. Maſtril. *de Magiſtrat. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 36. & 37. Peregrin. *de iure fiſci lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 19. & 45. Cyriac. *controverſ.* 57. *numer.* 4. Caſtil. *controverſ. lib.* 5. *cap.* 89. *n.* 92.

Potiſſimum, quia in donationibus adjectæ fuerunt plures clauſulæ, quæ oſtendunt enixam voluntatem Pontificis, quod hujuſmodi donationes eſſent perpetuæ, irrevocabiles, & omninò executioni demandan-
21 dæ ibi: *Motu proprio, &c. Officium prædictum, illiuſque pretium donatione pura, & irrevocabili inter vivos, donamus, remittimus, & condonamus, cum clauſula ſublata, & decreto irritanti*: ut in valdè debilibus terminis advertit Peregrin. *de iure fiſci lib.* 1. *titul.* 3. *n.* 42.
22 Et donationes revocando, tenetur integrum Officii valorem refundere, & ſine diminutione reſtituere, Ruin. *conſ.* 31. *num.* 22. & 23. *lib.* 5. Natt. *conſ.* 554. *num.* 14. & 35. Maſtril. *de Magiſtrat. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 38. & *lib.* 3. *cap.* 5. *numer.* 352. Valaſc. *conſult.* 22. *numer.* 4. Capyc. Latro *conſult.* 38. *num.* 44. & 50. Antun. *de donat. Regiis lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 3. Petra *de poteſtate Principis quæſt.* 7. *principali num.* 91. & *ſeq.* Leſſius *de iuſtit. & iure lib.* 2. *cap.* 5. *dubit.* 8. *num.* 40. *verſ. ratio eſt*, Franciſc. Marc. *deciſ.* 385. *per totam part.* 1. & probant alii plures, infra allegandi.

Nec dicatur, quod Camera non debeat reſtituere pecunias, quas non recepit. Primò quia jam huic objecto occurrit reſponſio ſupra deducta ex generalitate Bullæ Beati Pii Quinti mandantis reſtitui pretium, pro quo Secretarios Officia emiſſe, vel habuiſſe conſtiterit, quæ verba comprehendunt præſentem caſum ex allegatis. Secundò, quia hic caſus magis ſtringit; etenim Papa donando of- 23
ficium, vel condonando pretium dicitur illud recepiſſe, cùm donatio implicet duplicem actum, quia ſcilicet fingitur pretium ſolutum, & deinde reſtitutum donatario, ad Text. *in l. ſi quis delegaverit ff. de notat. l. veniſſe, & l. ſolutionis ff. de verborum ſignific.* latè Galerat. *de renunciat. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 5. *& ſeqq.* Tertiò, quia ita declaravit obſervantia Summorum Pontificum, qui ſoliti fuerunt donare, ut in facto, quam obſervantiam omninò eſſe attendendam ſupra oſtendi.

Et quartò, quia notoria eſt praxis, juxta quam Officiales emunt offieia, ii enim bona fide faciunt ordines perſonis incertis, illi ſcilicet, qui reſignaverit officium; reſignatio autem fieri non poteſt ſine ſcientia, & licentia Principis; quare dum Secretarii ſequendo fidem publicam, ignorarunt perſonas contrahentium, non eſt illis imputan-
dum, quod acquiſiverint à donatariis, quoniam dicun- 24
tur contraxiſſe cum ipſo Principe; eumque ſolum in Auctorem cognoſcut ad text. §. *optimum Authen. de exhiben. reis*, Rev. P. Dom. de Luca *de Regal. diſc.* 26. 27. 28. & 29. *in omuibus numer.* 22. *cum ſequentib.* Joannes Franciſcus de Ponte *deciſ.* 28. *numer.* 19. *& ſequentib.* Rota *in Romana locorum Montium* 28. *Iunii* 1671. §. *quia ex facto coram R. P. D. Taya.*

Imò in durioribus terminis, quod officium non poſſit 25
tolli à poſſeſſore, licet illius prædeceſſor injuſtè officium habuerit, Capyc. Galeot. *controverſ.* 52. *num.* 31. *lib.* 1.

Quæ ſi vera ſunt reſpectu illorum, qui immediatè emerunt à donatariis, abſque ulla difficultate procedunt, reſpectu RR. PP. Coſtaguti, de Aſte, ac D. Montioni, qui immediatè habuerunt officia ab aliis; qui pretium ſolverunt donatariis, iſtorum enim favore, præter rationes ſuperiùs recenſitas, militat alia fortiſſima ratio, ut ſcilicet non videatur permittere publica bona fides, ut emens offi- 26
cia teneatur non ſolùm inquirere, à quo emat, ſed etiam gradatim aſcendere, inquirendo, à quibus illi emerint, & originem negotii inveſtigare, ut ſciatur, an pretium fuerit Datariæ ſolutum, vel à Principe donatum; hoc enim publicum commercium deſtrueret, eique penitus contrariatur, attenta praxi faciendi ordinem perſonis incertis cum approbatione Summi Pontificis, ut benè explicat R. P. D. de Luca *ae Regal. diſc.* 2. *num.* 7. *verſ. tertii generis*, Rota *in dicta Romana locorum Montium* 1671. *coram R. P. D. Taya*, cum aliis ſupra allegatis.

Reiicienda eſt propterea hujuſmodi exceptio, quæ bonam fidem tolleret, cùm ad iſtum effectum ſufficeret ſolus reſpectus honeſtatis, & urbanitatis, ad quam ſervan- 27
dam, etiam Supremi Principes, quodammodo adſtringi videntur, *cap. pervenit in fine* 11. *quæſt.* 1. *cap. ecce* 9. *diſtinct. l. digna vox Cod. de legibus*, Joan. Andreas *in cap. ſignificaſti* 18. *num.* 3. *de foro competenti*, Pariſ. *de reſignat. benefic. l.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 17. & 18. Rota *deciſ.* 1. *numer.* 4. *de Bigamis in noviſ.*

Neque prædictis obſtat regula, quod Princeps poſſit per 28
viam legis generalis, & ex cauſa publicæ neceſſitatis, & utilitatis conceſſiones gratuitas, etiam pretio non reſtituto, revocare; quoniam ultra, quod hæc concluſio non venit, ita abſolutè ſupponenda, cùm in contrarium ſtet auctoritas plurium magni nominis Doctorum, & ſignanter Jaſon. *in l. Barbarius num.* 44. *& ſeq. ff. de offic. Prætor.* Afflict. *deciſ.* 321. *num.* 17. Capyc. Galeot. qui refert concordantes, iſtamque opinionem dicit in jure veriorem *dict. controverſ.* 52. *num.* 21. *lib.* 2. Maſtril. *de Magiſtrat. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 356. Adhuc difficultas tollitur ex pluribus, & primò

Quia hic non agitur de lege univerſali; Sanctiſſimus

enim D. N. ejus summa pietate mandavit, quod articulus iste decideretur in hoc supremo Tribunali; hinc enim
29 patet noluisse eum legem condere, nam alias non remisisset Partes ad Judicem, ita in individuo respondendo simili objecto probat ex Capyc. *decis.166. num.8. in fine*, Capyc. Galeot. *d. controv.52. num.20.*

Secundò, quia tunc per viam legis generalis possunt re-
30 vocari concessiones gratuitæ, quoties aliter publicæ utilitati provideri non potest, adeout adsit moralis necessitas, quæ hic deficit Jason. *in l. Gallus §. & quid si in tantum in 2. lectura num.28. ff. de liberis, & posthum.* Bellon. Jun. *consil.66. numer.5.* Gabriel. *de iure quæsit. non tollend. conclus.2. numer.5. & 24.* Cyriac. *controvers.310. num.25.* Castil. *controvers. iuris lib.6. titulo de tertiis cap.41. num.193. versic. sed pro maiori*, R. P. D. de Luca *de Regalibus discurs.148. num.37.* Capyc. Galeot. *dicta controvers.52. numer.23. lib.1.* ubi materiam pluribus exornat, Antun. *de donat. Regiis lib.1. part.2. cap.11. num.78. versic. igitur*, Capyc. *decis.166. num.6.* Rota coram Dunozet. Juniore *decis.482. numer.16. et in Pisauren. Indulti* 10. *Decembris* 1674. coram Reverendissimo D. Decano.

Tertiò, quia lex universalis respicit omnes subditos;
31 quod hic non verificatur, quia cum fuerit demandata restitutio pretii aliis Officialibus, demptis istis particularibus, quorum officia ab initio proveniebant à Dataria titulo donationis, dispositio dicitur particularis, & objectum non applicatur Bartol. *in l. Toties de pollicitat.* Ruin. *consil.46. num.4. lib.1.* Paris. *consil.1. num.4. et seqq. lib.1.* Fagnan. *in cap. consultationibus num.79. de cleric. agrot.* Suarez *de legibus lib.1. cap.7. per totum*, Rota *decis.50. num.19. p.2. diversor.*

Ideò non obstat, imò mirificè favet huic nostræ intentio-
32 ni, Capyc. Latr. solitus exadverso allegari *decis.188.* quoniam in illius casu agebatur de lege generali omnes tangente; hic autem agitur de particulari, quo casu, & ipse admittit pretium esse restituendum, ut in num. 113. & ulterius ibi agebatur de distributione fructuum, & reducendo ad æqualitatem contractum, qui tractu temporis justitiæ, & æquitatis limites nimium excesserat, non verò de suppressione officii, & sic totalis ademptionis fructuum, & rei prout in casu nostro; ideoque tanquam extranea præsenti hypothesi, non potest ad decisionem causæ adduci.

Et hæc quoad pretium exbursatum: quo verò ad augmentum illius, respectu temporis suppressionis officiorum;
33 dicimus pariter esse sine diminutione solvendum, quoties enim Princeps ex causa etiam publicæ utilitatis, vel necessitatis officium supprimit, tenetur persolvere justum, & æquivalens pretium, Surd. *consil.203. num.38.* Roland. *consil.69. numer.15. lib.2. cum pluribus seqq.* Gratian. *cap.891. num.29. vers. ita est etiam*, Afflictus *dict. Constitut. Regni in præludiis quæst.17. num.5. vers. et tunc lib.1.* Mastril. *de Magistrat. lib.1. cap.27. num.38.* Peregrin. *de iure Fisci lib.1. tit.3. n.67. vers. et tunc aut Princeps.*

Pretium autem illud dicitur justum, quo secundum
34 communem æstimationem officia valebant de tempore suppressionis, non attento tempore, quo de præterito empta fuerunt, ea ratione, quia Princeps debet restituere pretium, unà cum damnis, & interesse, ut prosequitur Mastril. *ubi supra num.42.* ubi quod hoc procedit, tam in foro conscientiæ, quàm in foro contentioso, & latissimè pluribus exemplis comprobat Roland. *consil.71. num.8. in fine versic. quia dubitatur de quo pretio, ubi quod debet esse congruum, seu competens, iuxta rei valorem, et æstimationem*, Natta *consil.554. num.15. ubi quod beneficia Principum debent esse ab omni diminutione remota*, Noguerol. *allegat.5. num.36.* Gratian. *cap.891. numer.29.* Rota coram Ubaldo *decis.478. numer.9. et seqq.* & latè discusso articulo Fagnanus *in cap. ex epistolæ de probat. numer.11. cum sequentibus.*

Idque etiam suadet fortissima, & indubitata ratio, quod
35 scilicet damnum, & commodum cedere debet periculo domini, *l.1. C. de peric. rei venditæ, l. etiam in fine C. de iure dotium*; quare sicut si valor decrevisset, damnum spectaret ad Secretarios, nec Camera vellet ultra restituere, ita dum auctus fuit, ad Secretarios spectare debet commodum, ad servandam æqualitatem inter partes, & de facto Camera pluries vendidit pretio currenti de tempore contractus;
36 ideoque attendi non debet quanti res sit empta, sed quanti de tempore præsenti æstimatur Cyriac. *controvers.169. n.18.* Rota *decis.197. num.3. part.15.* ubi in terminis æstimandi valorem officii.

Sicut etiam videmus, quod pretium inspicitur de tempore evictionis, non attento tempore venditionis, & in casu retrovenditionis attenditur tempus, quo fit retrovenditio, 37
licèt valdè actum fuerit, ut omissis generalibus, quæ ad comprobationem utriusque propositionis de facili possent adduci, in his præcisis, & individualibus terminis notat Fagnan. *in cap. ex epistolæ n.16. de probat.*

Nec refert, quod hic non agatur de bonis patrimonialibus à Pontifice ablatis, sed de Officiis, quorum dominium
38 directum est penes ipsum Pontificem; quia nos non petimus pretium dominii directi, quod scimus non esse in commercio, sed pretium concernens merum, & simplex interesse bursale, ut in puncto respondendo huic objecto notant Roland. *cons.69. num.25. lib.2.* Nata *cons.554. num.11.* R. P. D. de Luca *de Regalibus disc.148. numer.33. §. utraque ratio vers. et quo ad alteram.*

Minus juvat exemplum ductum à Locis Montium non vacabilium; quoniam pretium semper restituitur ad rationem scut. 100. licet deinde creverit: quoniam responsio est in promptu, quod scilicet in eorum erectione, non fuit dictum quod esset restituendum pretium, quo constiterit fuisse empta loca Montium, sed fuit statuta restitutio pretii ad favorem fixam scut. 100. pro quolibet loco; sicut etiam non stringit ad aliud exemplum de Officiis Capellæ Pontificiæ, & Notariorum Cameræ, ac Secretariorum Montium; tum quia non constat, quod de tempore suppressionis illorum pretium fuisset auctum; tum quia dicta Officia non habe- 39
bant æquales redditus, nec pretium uniforme, ut hic: observantia autem debet esse in casu præciso, & debet probari cum omnibus suis qualitatibus, aliàs non relevat, Burat. *decis.129. num.6.* Cell. *decis.219. num.5.* Gregor. *decis.451. num.7. et in recent. decis.537. num.15. part.4. tom.3. et decis. 292. num.22. part.12. recent.*

E converso verò, retorquendo argumentum, adducimus observantiam in similibus terminis nobis favorabilem; in suppressionem enim locorum Montium vacabilium facta à fel. mem. Alexandro Septimo fuit restitutum pretium in scutis 150. quamvis Camera non recepisset nisi scut. 100. Absque, eo quod obstet replicatio, quod id factum fuerit ex motivo munificentiæ, non obligationis, quia ex ipsa Bulla patet Summum Pontificem agnovisse articulum dubium, & 40
in dubiis semper contra Fiscum est pronunciandum *l. non puto ff. de iure fisci*, Potissimum quia præcesserat maturum 41
examen negotii in Congregatione particulari ad id deputata, quare licèt in suppressione exprimatur munificentia, & liberalitas ipsius Summi Pontificis, non ideò excluditur quin legem faciat, *ut in § optimum auth. de exhiben. reis*, ibi: *tanquam imperialem munificentiam, et in l. in rebus*, ibi: *hac nostra lege humanitatis C. de iure dotium*, ita ut non possit ad decisionem præsentis quæstionis adduci, per ea quæ habentur in *l. si imperialis C. de legibus, et constitutionibus Principum*, & notat ibi Barbos. *num.1. et infra.*

Tandem non refert, quod dum in Bulla Beati Pii Quinti demandatur restitutio pretii, quo Officia empta fuisse 42
constiterit, prætendi nequeat augmentum ejusdem pretii, postea superventum, quoniam obligatio restituendi illud pretium, importat quidem ne possit minus restitui, sed non tollit quin pretium, si fuerit auctum, dari non debeat cum suo augmento; quia verba stant demonstrativè, non taxativè, Gabriel. *cons.64. num.5. lib.2.* & ipsa Bulla non respicit casum, quo pretium augeretur; 43
ideò intelligenda venit, rebus sic stantibus Cravetta loquens de similibus Officiis venalibus *cons.95. num.4.* & de istismet tradit Fagnan. *in cap. ex epistolæ num.10. et 14. de probat.*

Et tollit omnem difficultatem animadversio, quod hæc 44
Bulla facta fuit ad augenda, & amplianda privilegia Collegii; quare non debet restringi, Rota *decis.334. num.2. part.9. recent.* sed omnia veniunt sine diminutione restituenda, in puncto Natta *cons.554. num.34. vers. lex anti-* 45
qua, & est regula generalis, quod constitutio semper intelligi debet, ut operetur aliquid ultra jus commune Cravet. *cons.201. num.13.* Rota *decis.339. num.3. part.3. recent.* quamobrem cùm restitutio pretii soluti esset de jure debita, nec circa illam poterat cadere ulla dubitatio, necessariò 46
dici debet, quod noluerit Beatus Pontifex se restringere ad istum casum, cùm frustra concedatur ex privilegio, quod ex dispositione juris habetur *l.1. Cod. de Thesaur. lib.10.*

Con-

Gonzales *ad regul.8. Cancellariæ gloſ.24. num.* 149. Rota coram Coccin. *deciſ.*1889. *num.*8.

Nec urget, quod Bulla Piana expreſſerit augmentum pretii currentis in Secretariatu proximè vacaturo, quo-
47 niam non inde ſequitur, quod reſpectu aliorum noluerit ſolvi augmentum; diſcretivus enim modus loquendi nihil operatur, quoties aliquid potuit ad majorem declarationem exprimi illius caſus, qui prævidebatur, latè Rota *deciſ.*345. *num.*11. *cum ſeqq. part.*16. *recent.* imò ex hac expreſſione benè argui poteſt, quod ſimile ſervari voluerit in
48 aliis caſibus, cùm una pars diſpoſitionis declaret aliam *l. qui filiabus* 17. *in principio l. ſi ſervus* 50. *in fine ff. de legatis* 1. *Bononien. Fideicom. de Medico* 23. *Ianuarii* 1673. §. *excluſio coram R. P. D. Taya*, quamvis nobis unico verbo
49 ſufficiat reſpondere, quod dum in Bulla non denegatur expreſsè reſtitutio augmenti, diſpoſitio ſuppletur ex diſpoſitione Juris Rota *deciſ.*220. *n.*19. *part.*11. *recent.*

Tranſeundo modo ad alios particulares Secretarios; dicimus eſſe integrè reſtituendum pretium D. Equiti Acciajolo, non obſtante unica exceptione, quod non fuerit ejus favore expedita reſignatio. Certum eſt enim, quod hujuſ-
50 modi Officia, reſpectu fructuum, & pretii, ſunt in libero commercio, & poſſunt licitè alienari, etiam ſine aſſenſu Papæ, Gratian. *cap.*670. *num.*12. *cum ſeqq.* R. P. D. de Luca *de Regal. diſc.*2. *num.*8. Rota *deciſ.*116. *n.*13. *part.*4. *tom.*2. *recent.* & poſt Merlin. *de pignorib. deciſ.*114. *n.*9. ideoque
51 parum refert, quod litteræ non fuerint expeditæ, cum hoc ſolùm fiat, ut Papa ſcire poſſit per cujus obitum Officium ſit vacaturum, ut benè Rota *d. deciſ.*116. *n.*14. *verſ. ceſſat difficultas p.*4. *tom.*2. *recent.*

Quem caſum benè providere voluit Beatus Pius Quintus, dum in Bulla demandavit, quod reſtituerentur pecuniæ, quibus conſtiterit Secretarios Officia emiſſe, aut ha-
52 buiſſe, quæ diſpoſitio benè arguit pretium reſtituendum eſſe etiam illis, qui ſolam poſſeſſionem haberent, licèt dominium non fuiſſent conſecuti, juxta Text. expreſſum *in l. ſtipulatio iſta* §. *habere ff. de verb. obligat.* Decian. *conſ.* 108. *num.*32. *lib.*3. Honded. *conſ.*69. *num.*35. *lib.* 1. Rota coram Buratto *deciſ.*191. *num.*12. *& deciſ.*336. *num.* 4. Ubald. *deciſ.*44. *num.*1.

Sed hæc dicta ſint ex abundanti, quoniam ex facto habemus ſupplicationem fuiſſe ſignatam uſque de anno 1675. à fel. mem. Clemente Decimo, & ex hoc gratia remanſit per-
53 fecta, etiam abſque expeditione litterarum, Roſa *de executore Litterarum Apoſtolicarum part.*1. *cap.*2. *nu.* 20. *& ſeqq.* ubi *quod ideo poſt obitum Pontificis concedentis expeditio ſit ſuper regula rationi congruit*, Lotter. *de re benefic. lib.* 3. *q.* 2. *num.*8. Amayden. *de ſtylo Dataria lib.*1. *cap.* 21. Rota *deciſ.* 281. *num.*6. coram Merlino *& deciſ.*34. *num.* 27. coram Zarate.

Verùm non ſolum D. Eques obtinuit gratiam ſignari, ſed ulteriùs pluries inſtetit pro expeditione, antequam emanaſſet ſuppreſſio, nec quidquam potuit obtinere, quare cùm in Bulla erectionis Collegii à fel. mem. Innocentio Octavo
54 diſpoſitum fuerit, quod reſignationum admiſſio non poſſet impediri, vel differri, eo ipſo, quod impedimentum proceſſit à Dataria, in ejus damnum haberi debet pro conceſſa, & impetrata, Rota *deciſ.*19. *num.*10. *par.*7. *& deciſ.*318. *n.*7. *part.*5. *recent.* Bich. *deciſ.*370. *n.*16.

Nec facit quod tunc temporis eſſet proxima ſuppreſſio; quoniam nobis ſufficit, quod ea eſſet ſolummodo in mente retenta, & adhuc ad actum non perducta, ut exinde nihil
55 valeat deduci, ad regulam, quod propoſitum in mente retentum, donec tranſeat in diſpoſitionem, nihil operatur, Rota apud Pacific. de Salviano *deciſ.*150. *numer.*12. Caval. *deciſ.*635. *num.*1. Burat. *deciſ.*199. *num.*4. *&* 5. *cum aliis in deciſ.*360. *num.*9. *part.*16. *recent.* Potiſſimum quia, ut mox dicebam, in Bulla erectionis dicitur, quod reſignatio, qua-
56 vis ratione denegari, aut differri non poſſit, quæ verba ſunt generalia, & comprehendunt omnem caſum, & ſub tali diſpoſitione Officiales contraxerunt, adeout, ſi reſignatio impediretur, ipſi remanerent decepti, quoniam aliàs non contraxiſſent ad Text. *in l. conventionalibus ff. de verb. obligat.* Rota coram Seraph. *deciſ.*225. *num.*2. Eminentiſſ. Otthobon. *deciſ.*131. Royas *deciſ.*64. *num.*12. *in fine.*

Ulterius eſt obſervandum, quod ſi Officium vacaſſet per obitum Secretarii ante ſuppreſſionem, certè Dataria illius pretium fuiſſet ſuperlucrata; quare ita à pari debuiſſet
57 admitti reſignatio omni temporis momento, quo Camera retinuit ſpem lucrandi officium, ne contrahentes ad impa-

ria judicentur contra regulam Text. *in l. ſi id quod ff. de reſcindenda vendit.* Cravetta *conſ.*145. *n.*13. Mantica *de tacitis lib.*2. *tit.*4. *n.*75.

Quæ certius procedunt, ex quo conſtat omnia fuiſſe can- 58
didè, & ſincerè geſta, quia conſtat de ſolutione ſcut. 22000. de Signatura Gratiæ per ſel. mem. Clementem X. de petitione expeditionis, ut in ſimili de reſignatione facta à ſano, qui ſtatim infirmus fuit jacere coactus tradit A Ponte *conſ.* 114. *num.*4. *lib.*2.

Similiter iutegrum pretium reſtituendum eſt R. P. D. Curſio, & D. Abbati Leccio, quoniam licet ei à principio non fuiſſet admiſſa reſignatio, dum poſtea illam admiſit Sanctiſſimus Dominus Noſter, poſtquam negotium fuit
formiter diſcuſſum, & examinatum in Congregatione, ceſ- 59
ſat quælibet difficultas, Surd. *conſ.*298. *num.* 22. ubi in fortioribus quod ſervanda eſt ſecuritas conceſſa, quamvis non fuiſſet concedenda, quodque debet à damno conſervari, qui ſic contraxit Cyriacus ex gratia viden. *controverſ.* 291. *n.* 3. *&* 29. & comprobavit Doctiſſimus Noſter R. P. D. de Luca in ejus diſcurſu ſuper hoc ipſo negotio edito. Publica enim fides non patitur quod contrahens cum licentia poſi-
tiva, quando Officiales ſciebant proximam ſuppreſſionem, 60
amittat pretium, ut in ſimili de ſolvente in moneta, quam ſciebat eſſe reprobandam Gratian. *cap.*260. *nu.*19. Menoch. *de arbitrariis caſu* 232. *num.*25. *&* 26. cum aliis apud Royas *deciſ.*405. *num.*2.

Accedit quod tempore, quo irrepſit rumor ſuppreſſionis ordo jam fuerat ſubſcriptus, & conſignatus Eminentiſſimo Chiſio, à quo illum repetere non valuerunt, & proindè tantò minùs debet illis præjudicium irrogari, cum nequeant de nagligentia, aut mala fide imputari, ex quo non
poterant amplius contradicere, & poſt emptionem perfe- 61
ctam non erat amplius locus pœnitentiæ, *l. hæc venditio ff. de contrahenda emptione*, Rota *deciſ.*385. *num.* 3. *part.* 1. *& deciſ.*408. *num.*58. *p.* 16. *recent.* Quare licet ipſi feciſſent 62
omnes diligentias poſsibiles, tamen, quia ex prædictis profuturæ non erant, ex quo fuerunt omiſſæ, nihil eis remanſit præjudicatum, Rota *deciſ.*567. *n.*6. *part.*1. *deciſ.*362. *nu.*13. *part.*10. *recent.* coram Mantica *deciſ.*30. *num.*3.

Verùm nec ipſi omiſerunt facere omnes diligentias, quia procurarunt obtinere à Dataria nihil tranſeat, & non obtinuerunt; imò licèt fuiſſet dictum, quod in licentia erat apponenda clauſula *circa approbationem pretii*, quæ impediviſſet ne Mercator, cui demandata fuit ſolutio in caſu liberæ reſignationis, pretium non exburſaſſet; tamen hoc poſtea factum non fuit, quapropter certior apparet bona fides Emptorum, quibus proindè venit reſtituendum integrum pretium, ex allegatis.

Remanet Officium D. Marchionis Ruſpoli, cujus reſpectu militant omnia in principio deducta, eique non obſtat exceptio ingraveſcentis ætatis, ob quam Dataria admittere non ſolet reſignationes. Quoniam Bulla B. Pii Quinti mandat reſtitui pecunias ſingulis Secretariis viventibus de tempore ſuppreſsionis, quæ diſpoſitio cum ſit generalis, nec excipiat ſenes, verificatur etiam favore D. Marchionis, & ita in ſimilibus caſibus practicatum fuit, dum occaſione ſuppreſſionum aliorum Officiorum, pecuniæ fuerunt indiſtinctè, & indifferenter reſtitutæ, tum juvenibus, tum ſenibus, ut in facto.

Cæterum, pro eliminanda penitùs omni difficultate, ſupplico adverti ad duo. Primò, quod D. Marchio Ruſpulus in hoc negotio ſe habet merè paſſivè, quia nec reſignavit, nec petiit admitti reſignationem, quo caſu applicantur ea, quæ dicuntur de ſtylo Datariæ circa non admiſsionem, Sed Dataria ſupprimit Officia, & ſic privat D. Marchionem fructibus ſui Officii, quare in actu voluntario debet ſolvere pretium, ne abſque ſui culpa amittat D. Marchio rem, & pretium. Secundò quod in Bulla erectionis fel. memor. Innocentii Octavi datur facultas Secretariis: ut liberè de eorum Officiis diſponere valeant, nec quavis ratione poſsit, aut debeat reſignatio impediri, vel differri, etiamſi Reſignantes eſſent infirmi, & veriſimiliter intra viginti dies deceſſuri forent, & decederent; quare tantò minùs poteſt denegari reſtitutio occaſione ſuppreſsionis, ſi in fortioribus, etiam admitti debuiſſet reſignatio facienda ab infirmo, cùm D. Marchio, qui eſt in bona valetudine, poſsit, licet ſenex, longius vivere, & de facto vixit, & tamen ad omne peius 63
ſenes, & infirmi æquiparantur, ut in *cap. quoniam* §. *niſi fortè ut lite non conteſtata*, Pariſ. *de reſignatione materiam latè tractans lib.*5. *q.*3. *n.*47. *cum ſeqq.*

Imò si esset admittenda resignatio illius, qui decederet infra viginti dies, ut litteraliter disponitur in dicta Bulla, eo certius admittenda esset resignatio senis, qui de jure,
64 vel quinque annis, vel saltem per annum, quamvis esset omninò viribus confractus, vivere præsumitur, ut pluribus allegatis probat Paris. *de resignat. lib.* 10. *q.* 5. *n.* 7.

Quare, &c.

Cyriacus Lancetta Advocatus.

ROMANA PRETII SECRETARIATUUM APOSTOLICORUM.

TERTIA JURIS.

SUMMARIUM.

1 *Casus à lege decisus quæstiones non patitur.*
2 *Pretium formale constituitur in resignatione cuiuslibet Officii, illudque propterea est restituendum.*
3 *Constitutio generaliter loquens, generaliter est intelligenda.*
4 *Dictio* singulis *comprehendit omnes in solidum.*
5 *Dictio* per eos *est personalissima.*
6 *Verba accipienda sunt legaliter, non grammaticaliter.*
7 *Verbum* restituere *de iure plerumque accipitur pro dare, & solvere.*
8 *Verificatur in eo, qui solvit id, quod antecedenter non habuit.*
9 *Verbum* pro cautela potiori *important securitatem, damnique evitationem.*
10 *Ubi eadem militat ratio, eadem militat dispositio.*
11 *Ad effugiendas lites, aliaque mala tollenda sustinetur actus, qui aliàs de rigore sustineri non posset.*
12 *Papa liberè disponit de Officiis vacantibus, ac etiam donando familiaribus, & consanguineis, qui deinde accepto pretio ea resignant.*
13 *Non dicitur peccare, qui futuræ legis insciis, pristinam sequutus est observationem.*
14 *Iustum pretium non ex præterita venditione, sed ex præsenti æstimatione desumitur.*
15 *Etiam in materia Officiorum.*
16 *Augmentum, & diminutio spectat ad Dominum.*
17 *Constitutiones Innocentii VIII. & B. Pii V. mandantes in casu suppressionis restitui Secretariis pecunias per eos solutas, stant demonstrativè, non taxativè.*
18 *Quæ emanarunt in favorem, non sunt in odium retorquenda.*
19 *Facere ex facto opponitur facere ex pacto.*
20 *Constitutiones prædictæ intelligendæ sunt, rebus sic stantibus, non autem si valor fuisset mutatus.*
21 *Princeps debet consulere publicæ utilitati alio modo, quàm lædendo ius quæsitum alterius.*
22 *Revocans ex causa publicæ necessitatis, seu utilitatis concessionem onerosam, tenetur solvere possessoribus iustum pretium.*
23 Decis. Capyc. Latr. 188. *in quibus terminis loquatur.*
24 *Quando pretium est taxatum à lege non attenditur eius augmentum, secus quando est arbitrarium.*
25 *Diversitas rationis inducit diversitatem iuris.*
26 *Data instantia in contrarium locum non habet argumentatio à pari.*
27 *Præcipuum Principis est, omisso Iuris rigore, æquitatem habere præ oculis.*
28 *Dominium, & possessio Officii potest transire in resignatarium, etiam absque litterarum expeditione, & n.* 20.
29 *Licentia præambula, quam habent Officiales vendendi Officia, efficit, quod venditio sit perfecta, etiam antequam Princeps assensum præstet, qui proindè dicitur necessarius, nec potest denegari.*
30 *Papa scire debet per cuius mortem officium vacet.*
31 Habere *verificatur etiam in illis, qui non rei dominium, sed nuda detentationem, factique insistentiam habent.*
32 *Imò etiam in illis, quibus tantummodò actio ad rem competit.*
33 *Gratia sola signatura Papæ perficitur.*
34 *Post signatam supplicationem, si moriatur Papa, ante litterarum expeditionem, gratia non expirat.*
35 *Imminens privatio interim non impedit effectus dominii.*
36 *Proximè expellendus non habetur pro expulso.*
37 *Agendorum mensura non ab eo, quod erit, sed ab eo, quod est sumenda venit.*
38 *Contractus claudicare non debet.*
39 *Claudicatio contractus est potissimum à Principe vitanda.*
40 *Princeps tenetur servare illud naturale præceptum, quod tibi non vis alteri ne feceris.*
41 *Solutio antecedens facit cessare suspicionem fraudis.*
42 *Expeditio de iure debita, & tamen denegata in odium denegantis, habetur pro effectuata.*
43 *Nemo sub fide Principis est decipiendus.*
44 *Contractus sine consensu consistere non potest, tanquam corpus sine anima.*
45 *Senes, & infirmi parificantur.*
46 *Statutum loquens de infirmo verificatur in sene.*
47 *Princeps, ex intervallo, non potest concessioni adiicere conditionem.*

R. P. REstituendum est pretium, nedum ab unoquoque Officiali persolutum in acquisitione Officii, sed currens tempore suppressionis Collegii.

Quod enim attinet ad pretium solutum, Constitutio Beati Pii Quinti expressè disponit: *Officia revocari, seu Collegium supprimi, vel extingui non posse, nisi restitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis, tunc viventibus, integrè, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos Officia emisse, aut habuisse constiterit*; Unde cùm habea- 1
mus casum à lege decisum, non est rationibus disputandum *l. prospexit ff. Qui, & à quibus manumiss. l. Ancillæ*, ubi glos. *verbo Quæstio*, & Bald. *num.* 2. *C. de furt.*

Nec in restituendo pretio potest fieri discrimen inter eos, qui Officia emerunt immediatè à Dataria, & eos, qui me- 2
diatè, per resignationem sibi ab aliis Officialibus factam, sed omnibus restituendum est quod solverunt, ut formaliter inquit Bald. loquens de reformatione editam per Commune Florentiæ de restituendo creditoribus Montis pecunias, quas verè constiterit sibi deberi *cons.* 424. *num.* 1. *lib.* 2. ibi: *Sed ponamus quod Actori meo constiterunt trecenta, mihi verò posito in locum Actoris mei constiterunt quingenta vel è converso, quid inspicimus? Respondeo: Contractus meus pretium formale constituit.*

Et re vera, cùm Piana Constitutio generaliter loquatur, 3
generaliter est intelligenda *l.* 1. §. *nondum ff. de arbitr. l. de pretio ff. de public. in rem action.* cumque Officia essent à sui primæva erectione resignabilia, ut in litteris Innocentii Octavii, dum B. Pius statuit *in casu suppressionis restitui singulis Secretariis, tunc viventibus, integrè, & absque ulla diminutione pecunias, pro quibus eos Officia emisse, aut habuisse constiterit*; utique intellexit inter Secretarios viventes tempore suppressionis plurimos futuros, qui Officia habuissent ex resignatione, sicuti effectivè plures aderant, etiam tempore editæ dictæ Constitutionis, consequenter mandando restitui integrè *singulis Secretariis* pecunias per eos solutas, pariformiter complexus est eos, qui pro habendo Officio 4
pecunias solvissent resignantibus, cum ea sit indoles dictionis *singulis*, ut distributivè, & separatim versetur per omnes, ipsosque comprehendat in solidum *l. non distinguemus* §. *Cum in plures ff. de recept. arbitr. l. vel singulis ff. de vulgar. & pupillar.* Galliaul. *in l.* 2. §. *ex his num.* 25. *ff. de verborum obligat.* Soccin. jun. *cons.* 50. *num.* 1. *vers. aliquando*, & 2. *lib.* 1. Manent. *decis.* 43. *num.* 22.

Dum itaque Beatus Pius V. mandat restitui Secretariis *tunc*, idest tempore suppressionis viventibus, pecunias *per eos solutas*, deregitur quàm irrationabilis, & contraria menti Beatissimi Pontificis sit prætensio Cameralium restituendi Secretariis resignatariis pecunias, non quas ipsi solverunt resignantibus, sed quas diebus antiquis resignantes, seu resignantium Auctores solverunt Camerę; Dictio enim 5
illa *per eos* est personalissima, & refertur ad Secretarios præsentes tempore suppressionis proximè nominato Seraphin. *decis.* 689. *nu.* 1. cum concordantibus apud Barbos. *dict.* 103. Ideo absque manifesta violentia litteræ, detorqueri

non

non poteſt ad eos, qui non eſſent tunc Secretarii, ſed longè ante deſiiſſent eſſe.

Idque probatur evidentia; nam B. Pius in dicta Conſtitutione dat in ſolutum Collegio pro ſcutis 5500. auri Officium primò vacaturum, cum facultate illud revendendi pretio reperibili, etiamſi in parva, vel magna ſumma excederet pecuniam à Collegio ſolutam Datariæ, deindè conſiderans poſſe aliquando in futurum de facto contingere ſuppreſſionem Collegii mandat *reſtitui ſingulis Secretariis, tempore ſuppreſſionis viventibus, integre, & abſque ulla diminutione pecunias, pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*; Ecce igitur quod B. Pius in hac integra, & indiminuta reſtitutione pecuniæ, comprehendit etiam illum Secretarium, qui emiſſet à Collegium præfatum officium pretio majori, quàm Collegium emerat à Dataria, & conſequenter comprehendit illos Secretarios, qui officium non emiſſent à Dataria, ſed à privatis, & vult eiſdem reſtitui pretium, quod ipſi ſolverunt reſignanti, non quod reſignans ſolverat Datariæ.

Nob obſtat verbum *reſtituere*, quo utitur Conſtitutio Piana.

6 Quia non eſt accipiendum grammaticaliter, ſed legaliter, ut nos monet Text. *in l. fin. ff. de verborum ſignific.* de
7 Jure autem licèt hoc verbum *reſtituere* importare aliquando ſoleat, retrodare accipitur tamen plerumque pro dare, & ſolvere, *l. verbum reddendi 94. ff. de verborum ſignific.* ibi: *quamquam ſignificatum habeat retrodandi, recipit tamen, & per ſe dandi ſignificationem, l. cum quidam 21. ff. de legat. 2.* ibi: *Etenim verbum reddendi, quamquam ſignificationem habeat retrodandi, recipit tamen, & per ſe dandi ſignificationem, l. hæres meus 98. ff. de legat. 3.* ibi: *Nam qui reddere iubet ſimul, & dare iubet*, & notarunt Rebuf. *in l. reſtituere 75. verſ. 9. ff. de verbor. ſignific.* monens reſtituere
8 quem etiam id dici, licet ab eo, qui petit non habuerit, Cagnol. *in l. curabit num. 70. C. de act. empt.* & pro omnibus ſufficiat in hoc articulo elegantiſſima deciſio Arguelles *77. à num. 12. ad 15.* quæ nedum Juribus, ſed auctoritate humaniori litteraturæ Profeſſorum, propoſitionem hanc exornat, & fulcit.

Patet ex præmiſsis, nec conſtituendum eſſe diſcrimen inter Secretarios, qui Officia emerunt à donatariis Papæ, ſive immediatè, ſive mediatè; Tum ob generalitatem verborum Conſtitutionis complectentis omnes Secretarios viventes tempore ſuppreſsionis, & non habentis oculos ad eorum Auctores; Tum quia dum mandat reſtitui dictis Secretariis tunc viventibus pecunias, pro quibus ipſi officia emerunt, vel habuerunt, nullam habet rationem de pretio ſoluto, vel non ſoluto Cameræ, ſed de pretio indefinitè ſoluto pro emendo, vel habendo officio, & non cui ſoluto, ſed à quo; Tum denique quia pecunias reſtitui jubet pro indemnitate Secretariorum, quibus auferuntur officia, ne careant re, & pretio, ut denotant verba illa *pro cautela potiori*, &c. quæ important ſecuritatem, & evitationem
9 damni, *l. ſi debitori meo ff. de iudic.* Bertazzol. *clauſ. 4. gloſ. 25. num. 1.* quæ ratio cum æquè militet pro iis, qui emerunt,
10 à donatariis, ac ab aliis, vel à Dataria, operatur identitatem in ſingulis eorum *l. illud ff. ad l. Aquil.* cum concordantibus apud Barboſ. *axiom. 197. num. 3. & 4.*

Accedit ratio bonæ fidei, & publici commercii; nam cum officiorum reſignationes fiant auctoritate Papæ, abſq; ulla inquiſitione tituli, quem in officio habebat reſignans, & non ſolvatur reſignanti pretium, niſi poſtquam per atteſtationem Miniſtri à Papa deputati, conſtet de libera reſignatione, nulla ratio patitur, quod ſub iſta communi conſuetudine, ac publica credulitate, reſignatarii remaneant decepti, & abſque ulla eorum culpa ſentiant jacturam proprii patrimonii. Hoc enim eſſet facere ſtragem innumerabilem reſignationem, tam in iſtis, quàm in aliis officiis, &
11 depauperare familias, & ſuſcitare infinitas lites, ad quæ mala tollenda legum latores voluerunt ſubſtineri actum, qui aliàs de rigore non ſubſtineretur, *l. iuſto errore*, ubi notat Caſtren. *n. 3. ff. de Vſucapion.* Rota coram Achil. *deciſ. 4. de Conſtitut.* coram Burat. *deciſ. 735. n. 10. & in Ravennat. Bonorum 7. Iunii 1666. coram Eminentiſs. Carpineo.*

Et cum Summi Pontifices retroactis temporibus conſueverint Officia donare, tam familiaribus, quàm gentilibus
12 ſuis, qui deinde recepto pretio ea reſignant auctoritate Papæ, ut notum eſt, & teſtantur Caſtracan. *de Societ. Offic. cap. 2. num. 14. & pluribus ſequen.* Illuſtriſs. D. de Luca *de Regalib. diſcurſ. 2. numer. 11.* Donec prodeat Conſtitutio, *Card. de Luca de Offic. & Venal. &c.* qua Summi Pontifices id ſibi licere non permittant, non eſt cur iſta conſuetudo donandi, & ſubſecutæ Donatariorum reſignationes damnentur, mulctando innocentes reſignatarios amiſsione integri ferè patrimonii, Nihil enim pec- 13
cavit antiquitas, quæ præſentis legis inſcia, priſtinam ſequuta eſt obſervationem, nos monet Juſtinianus in *l. iubemus in fin. C. de Teſtam.*

Verùm ultra pretium ab unoquoque Secretario ſolutum, reſtituendum eſt etiam augmentum, quod medio tempore accrevit, & publicè currebat tempore ſuppreſsionis, duplici ratione.

Altera quia juſtum pretium non ex præterita venditione, ſed ex præſenti æſtimatione deſumitur, cum pretia re- 14
rum, quæ à lege non ſunt taxata, varientur ex tempore *l. 3. §. ſed ex aliis ff. de iur. fiſc. l. ad reſcindendam C. de reſcindend. vendit. gloſs. final. in l. 2. C. de patrib. qui fil. ſuos diſtrax.* Guttierez. *practic. quæſt. lib. 2. quæſt. 178. numer. 6.* Peregrin. *de Iur. fiſc. lib. 6. tit. 4. num. 8.* qua ratione in pro- 15
pria materia æſtimandi valorem Officiorum utuntur Caſtrenſ. *in l. omnimodo §. Imputari num. 4. C. de inoff. Teſtam.* Afflict. *in §. præterea ducatus num. 34. de prohib. feud. alienat.* per Frederic. Roland. *conſ. 11. num. 11. lib. 2.* Valaſc. *in prax. partit. cap. 13. num. 71.* Giurb. *ad conſuetud. Meſſan. cap. 1. gloſs. 2. num. 115.* Fagnan. *in cap. ex epiſtolæ num. 11. & ſeqq. de probat.* Rot. *deciſ. 197. numer. 3. 5. 6. & 18. part. 15. recentior.*

Altera quia augmentum pretii ſicuti, & diminutio ſpectat ad Dominium *l. 1. C. de peric. rei vendit. l. ſi hæres ff. ad* 16
leg. falcid. Theſaur. *deciſ. 140. in fine*, dicens ſe credere hanc propoſitionem, & quod reſultaret maxima iniquitas ſtatuendo contra jura de periculo, & commodo rei venditæ loquentia Rot. *d. deciſ. 197. num. 4. part. 5. recent.*

Non obſtant Conſtitutiones Innocentii VIII. & B. Pii V. mandantes in caſu ſuppreſsionis reſtitui Secretariis pecunias per eos ſolutas.

Quia id intelligitur demonſtrativè, non taxativè, ſcili- 17
cet ad oſtendendum non poſſe illis reſtitui minus, Gabr. *conſ. 64. num. 5. & duobus ſequen. lib. 2.* Et cùm dictæ Conſtitutiones emanaverint in favorem, & majorem cautelam Secretariorum, non poſſunt in eorum odium retorqueri, 18
ad celebrem Text. *in l. hac ſaluberrima C. de Præpoſit. Agent. in Reb. lib. 12.* quo argumento nominatim utitur Fagnan. *in d. cap. ex epiſtolæ num. 10. de probation.*

Emanarunt ſanè dictæ Conſtitutiones Innocentiana, & Piana ad privilegiandum, & favoribus proſequendum Secretarios, ut ex earum contextu patet, & verus ſenſus verborum in eis appoſitorum, ſuper reſtitutione pecuniarum, eſt, quod ad alliciendos homines, ut pecunias ſuas traderent Cameræ pro emendis iſtis Officiis difficillimis illis temporibus, quibus neſciebantur futuri eventus Cameræ, & incerta mens ſucceſſorum Pontificum, Innocentius, & Pius, pro majori Secretariorum cautela obligarunt Cameram ad reſtituendum Secretariis pecunias ſolutas, ſi Officia revocarentur, aut ſupprimerentur *ex facto Romani Pontificis* uti evenire poterat, non quod in illis verbis reſervaverint Cameræ, ex pacto, facultatem revocandi, vel ſupprimendi Officia, & multò minus non reddendi juſtum pretium, quale eſt currens tempore ſuppreſsionis per prædicta; Nam facere *ex facto* opponitur facere *ex pacto*, Dec. 19
in l. fin. num. 12. C. de pact. ibi: *Nota quod pactum diſtinguitur à facto, & fieri hic accipitur pro eo, quod fieret omnino de facto, & contra Ius, ſed pacto interveniente aliud videbatur, quia pactum debet regulariter ſervari*, & benè in propoſito ratiocinatur Fagnan. *in dict. cap. ex epiſtolæ num. 10. 14. & 15. de Probation.*

Rurſus dictæ Conſtitutiones intelligendæ ſunt, rebus ſic ſtantibus, nempè quatenus Officiorum valor medio tem- 20
pore inter emptionem, & ſuppreſsionem non fuiſſet mutatus, Cravet. *conſ. 95. num. 4.* Fagnan. *in dict. cap. ex epiſtolæ num. 14. & 15.* Mandoſ. loquens de Officiis militum Sancti Petri *conſ. 90. num. 8.* advertens Officia Romanæ Curiæ in dies creſcere, & decreſcere, tam quoad redditus, quàm quoad pretium, & plura in comprobationem videri poſſunt apud Caſanat. *conſ. 44. num. 36. & ſeqq.*

Non obſtat etiam prætextus publicæ utilitatis, quia Prin- 21
ceps poſſet huic conſulere alio modo, quàm lædendo jus alteri ex contractu ſecum geſto, quæſitum Rota *deciſ. 4. num. 14. & 15. part. 8. recent.* Fagnan. *in dicto cap. ex epiſtolæ num. 35. de probation.*

Præterea eſto poſsit Princeps, propter publicam

necessitatem, vel utilitatem revocare officia ex causa one-
22 rosa concessa, tenetur tamen solvere possessoribus justum eorum pretium, Pinel. *in rubric. C. de bon. matern. cap.* 2. *num.*4. Mastril. *de Magistr. lib.*1. *cap.*27. *num.*38. Suarez *allegat.* 10. *num.* 1. *vers. hocigitur casu*, Cravet. loquens de officio Secretariatus à Rege Galliarum dato in solutum, *cons.*95. *num.*7. & 8. Noguerol. *alleg.* 5. *numer.* 36. Roland. *cons.*71. *num.*10. & *tribus sequent. lib.* 3. Cancer. *var. resol. part.*3. *cap.*3. *num.*84. Petr. *de Princ. Potest. cap.* 32. *quæst.*6. *num.*49. *pag. mihi* 193. Gratian. *discept.*891. *nu.*13.19. & 30. Cabed. *decis.*20. *num.*5. Franch. March. *decis.* 383. *num.* 2. & *per tot. part.*1. Ubald. *decis.*478. *num.*9. à quibus concorditer affertur ratio, quod factum ex causa publicæ utilitatis paucis præjudicare non debet, quo minus damnum eis reficiatur, aliàs ista publica utilitas claudicaret, quia alios ditaret, alios ad inopiam reduceret.

Hinc non urget Capyc. Latr. *decis.* 188. exadverso allegari solitus, firmans posse Principem ex causa reformare
23 contractus secum initos; nam loquitur de contractu injusto, & læsivo, & propterea reducendo ad justitiam, ut se explicat num.107. contractus autem initus inter Cameram, & Collegium Secretariorum, nullam habuit in se injustitiam, ergo &c.

Rursus inapplicabilis est dicta decisio Capyc. ad casum
24 nostrum; agitur enim in ea de redditibus Fiscalibus Regni Neapolitani, qui habent pretium taxatum à Regia pragmatica, ut vendatur in rationem septem pro centenario, sed necessitate urgente, ob populares seditiones, vendebantur in rationem 15. & etiam 20. sicque resultabat injustitia contractus, quia ubi pretium est taxatum à lege non habet latitudinem, sed debet servari præcisè, alioquin contractus pro majori pretio initus est injustus, quia contra legem, secus ubi pretium non est à lege taxatum, sed arbitrarium, ut distinguit idem Capyc. *nu.* 108. & 115. Pretium autem istorum Secretariatuum, sicuti, & cæterorum officiorum Romanæ Curiæ, est, & semper fuit arbitrarium, tam inter privatos, quàm inter hos, & Principem, qui semper illa vendidit pretio majori, prout tempore venditionis currit; Ergo decisio Capyc. retorquetur contra Cameram.

Fundamentum non habet prætensa observantia Cameræ in suppressionibus officiorum, non restituendi pretium currens, nam in suppressione Collegii Notariorum Tribunalis Cameræ non poterat considerari pretium currens dictorum officiorum, eo quia cum dicta officia non essent uniformia in fructu, ita etiam non erant in pretio, nam ex auviamentis majoribus, vel minoribus, & ex protocollis, & scripturis pauciotibus, vel pluribus, majoris, vel minoris ponderis, in unoquoq; Officio existentibus, unumquodque eorum habeat particulare pretium, sicque non erat verum dicere, quod unum, & idem pretium esset uniforme, & currens: Ideoque necesse fuit confugere ad restitutionem, juxta solutionem à singulis Notariis factam in acquisitione officiorum. Idemque dicendum est de Officiis Secretariorum Montium, quibus cum inter ipsa, & prædicta differrent in redditibus juxta majorem, vel minorem montium quantitatem, quæ sub dictis officiis continebantur, uniforme pretium statui non potuit. Officia autem Secretariatuum erant ejusdem redditus, & prærogativæ, sicque idem pretium sortiebantur in publico commercio.

Minus deduci potest observantia ex suppressione quorundam officiorum Capellæ Pontificiæ; quia hucusque Camera non probavit, ea quanti fuissent empta à possessoribus, ut dignosci possit, an idem, vel majus pretium restituerit. Præterea illa officia sicuti erant exigui redditus, & requirebant servitium personale in Capella, præstandum à personis infimæ conditionis, ut est in Curia notum, ita non currebant in platea, & in publico commercio, sicuti officia Secretariatuum, & consequenter non erat dare in illis pretium currens distinctum à pretio soluto, sicuti in istis.

Deduci tandem non potest ex extinctione locorum montium non vacabilium.

Quia Camera illa erigit pretio scutorum 100. pro quolibet, & expressè reservat sibi facultatem ea extinguendi eodem pretio; Et post primam erectionem, & venditionem, Camera ea successivè non vendit majori pretio, quia, cùm non vacent, non reverruntur ad Cameram, sicque Camera in eis non approbat mutationem, & augmentum valoris de soluto sibi prima vice ad currens tempore extinctionis, ut contingit in officiis, & locis montium vacabilibus. Ideo stante diversitate rationis, non licet arguere de 25
illis ad hæc, nam diversitas rationis diversitatem juris inducit, *l fin. ff. de rit. nupt.* Surd. *cons.*67. *n.*19. & data instan- 26
tia in contrarium locum non habet argumentum à pari glos. *in l. Creditor. verbo vendito ff. de nov. oper. nuncia. Et in can. sicut caus.*1. *quæst.*1. Cur. Sen. *cons.*10. *num.*3. Greg. Lop. *in l.*19. *tit.*8. *part.*5. *num.*5.

Verùm è contra observantia est indubitata pro restitutione pretii currentis. Habemus enim quod sanctæ mem. Clemens Octavus in suppressione officii Custodis generalis Carcerum Status Ecclesiastici, licet ad eam motus fuerit ex causa publicæ honestatis, & utilitatis, tamen officiali, ultra pretium ab eo solutum Cameræ, erogari per Camerari jussit scuta duo millia ratione lucrorum, quæ officialis fecisset, officio non suppresso.

Et sanctæ mem. Alexander Septimus, in suppressione locorum montium vacabilium, restituit scuta 150. pro unoquoque loco, licet Camera in erectione recepisset tantùm scuta centum, motus ad id, quia tempore suppressionis, tale currebat pretium.

Idemque Alexander Septimus, dum ad publicum Urbis ornatum dirui mandavit domunculas ligneas, quas in publica Platea Canonici Sanctæ Mariæ ad Martyres, vulgo della Rotonda, ex gratiosa concessione Sixti Quinti, ad merum lucrum construxerant, ut minus quam fieri posset detrimentum ex hujusmodi demolitione Canonici tunc viventes paterentur, concessit illis fructus unius Canonicatus in dicta Ecclesia vacantis inter ipsos, donec viverent, distribuendos, ut ex brevi sub datum 27. Aprilis 1663. Et si hoc fecit Summus ille Pontifex, dum revocavit concessionem merè gratiosam, in casu, quo aderat præcisa necessitas destruendi domunculas, dato quod in dicta Platea publicus ornatus fieri deberet; Videant RR. PP. quid agere conveniat in revocatione officiorum acquisitorum per viam contractus onerosi, quando nulla videbatur specialis urgentia supprimendi tantùm officia Secretariatuum, ut Principis ærario subveniretur, nam pluribus modis idem fieri poterat, quibus omnes de populo, ut æquum est, ad id concurrerent, non autem soli nostri Officiales, tanta eorum patrimonii jactura.

Nec dicant Domini Camerales præfatos Pontifices fuisse moros ex æquitate, quia ultra quod de jure aliter fieri non poterat, non respondere sufficit observantiam, & consuetudinem Summorum Pontificum esse utendi æquitate, & non rigore in restituendo pretium officiorum, seu regalium per eos suppressorum, idque summa ratione fecerunt, 27
quia præcipuum Principis est æquitatem præ oculis habere, rigore juris omisso, Menoch. *cons.*202. & *cons.*606. *utrobique num.*18.

Officium emptum per Equitem Acciajolum ab Eminen- 28
tissimo Cardinali Chisio anno 1670. non debet diverso jure censeri ab aliis, licet fuerit tantùm signata, & non expedita supplicatio,

Quia cùm inter ipsum, & dictum Eminentissimum intercesserit solutio pretii, & respectivè consensus, ac patientia, quæ in corporalibus habet vim traditionis, & sub- 29
secuta fuerit effectiva perceptio emolumentorum officii quolibet mense, negari non potest, quin idem Dominus Acciajolus effectus fuerit Dominus, aut saltem possessor officii, absque alia litterarum expeditione Contard. videndus *in l. unica limit.*2. §. 8. *num.*46. & *tribus sequentibus C. si de moment. possess. pag. mihi* 257. Salgad. *in Labyrint. Credit. pariter videndus part.*1. *cap.*35. *num.* 68. & *duobus sequentibus*, ubi ad rem nostram ponderat licentiam generalem, & præambulam alienandi officia, datam à Papam in illorum erectione, ex qua perficitur substantia venditionis, illa verò licentia particularis, est quid extrinsecum, & accidentale, & dicitur licentia necessaria, quia à Principe denegari non potest, & ideò interim venditio valida est, & perfecta, Rota *decis.*764. *num.*2. & 3. *par.*2. *recent.* & *decis.* 284. *num.*12. *part.*5. & *decis.*414. *num.*3. & *seqq.* post Merlin. *de pignor.* & *decis.* 303. *num.*7. *part.*15. In quibus firma- 30
tur Dominium, & possessionem officii acquiri, absque expeditione litterarum, quæ de stylo nunquam negatur: (& tamen in præsenti negata fuit:) & solum requiritur, ut Papa sciat per cujus mortem officium vacet, neque contrarium in substantiam firmat aliæ decisiones relatæ per Illustrissimum D. de Luca *disc.*16. *de regal.* ut ex eorum lectura videre est.

Et

Et cum Conſtitutio Beati Pii Quinti mandet reſtitui pecunias illis, *qui officia emerunt, aut habuerunt* comprehendit æquè eos, qui litteras expediverunt, ac eos qui non expediverunt; quatenus enim iſti de toto rigore dici non poſsent acquiſiviſſe officii dominium, eo quod non habebant titu-
31 lum à Principe, & ſic non comprehendi ſub verbo *emiſſe*, certè comprehenduntur ſub verbo, *habuiſſe*, ſub quo veniunt etiam illi, qui nudam detentationem, & facti inſiſtentiam habent, cum dicatur *in l. ſtipulatio iſta* 33. §. *hæc quoque ff. de verb. oblig. habere dupliciter accipitur, nam habere, & eum dicimus, qui rei Dominus eſt, & eum, qui Dominus quidem non eſt, ſed tenet, & in l. Id apud* 143. *ff. de verb. ſignif. Id apud ſe quis habere videtur, de quo habet actionem, habetur enim, quod peti poteſt in l.* 1. §. *quod autem ff. de vi, & vi armat. quod autem ait Prætor quæque ibi habuit, ſic accipimus, ut omnes res contineantur, non ſolùm, quæ propriæ ipſius Principis fuerunt, verum etiam, quæ apud eum depoſitæ, quarumque uſum, vel uſumfructum habuit, & conſonat. l. rem* 52. *ff. de acquir. rer. domin.* Rota *deciſ.* 358. *num.* 1. *& ſeqq.* poſt Cenſ. *de cenſ.*

Igitur, cùm D. Acciajolus poſſideret, aut ſaltem detineret Officium, & pro hac poſſeſſione, ſeu detentione erogaſſet ſcuta 22000. nemo negabit eum comprehendi ſub Conſtitutione Beati Pii Quinti, mandante reſtitui integrè, & abſque diminutione pecunias illis, quos Officia nedum *emiſſe*, ſed & *habuiſſe* conſtiterit.

Sub quo verbo *habuiſſe* comprehenderetur, etiam abſq;
32 actuali Officii poſſeſſione, ſed ex ſola actione ad illud, ut in *d. l. Id apud ff. de verb. ſignif. & l. Rem ff. de acquir. rer. domin.* quam ſanè actionem ad Officium Secretariatus habebat tempore ſuppreſſionis, & antea dictus Dominus Acciajolus, tam contra D. Card. Chiſium, ut conſenſum præſtaret expeditioni, prout in apocha ſe quandocumque præſtaturum promiſerat, quàm contra Principem, ut reſignationem omni tempore admitteret, quia ad id Innocentius Octavus ſub fide Romani Pontificis ſe, & Succeſſores ſuos, pacto cum Secretariis inito, obſtrinxerat in Bulla erectionis.

Verùm quando præmiſſa deficerent, adhuc in tuto verſamur. Nam ſuper hujuſmodi Officii reſignatione porrecta fuerat anno 1675. ſupplicatio ſan. mem. Clementi X. & per eum ſignata in perſonam, & ad favorem Eminentiſsimi D. mei Cardinalis Acciajoli. Placuit enim D. Equiti illud ponere in capite non ſuo, ſed dicti Eminentiſſimi, quæ ſupplicatio ſic ſignata, licet remanſerit in manibus Domini Druot miniſtri, & officialis à Papa deputati ſuper expeditione hujuſmodi ſupplicationum, abſque eo quod fuerit proceſſum ad regiſtrationem, alioſque actus concernentes, non ſubſtantiam, ſed probationem, & executionem gratiæ, inde tamen non ſequitur, quin dictus Eminentiſſimus reſi-
33 gnatarius non ſit quoad Papam cenſendus Secretarius ſicuti alii, quia gratia ſola ſignatura Papæ perficitur Lotter. *de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 37. *num.* 54. Caſſad. *deciſ.* 4. *numer.* 2. *&*
34 *de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Zarat. *deciſ.* 34. *num.* 27. & ſi moriatur Papa poſt ſignatam ſupplicationem, antequam litteræ conficiantur, gratia non expirat Joan: Andreas *in Proœm. 6. Decret. num.* 9. *&* 10. Gonzal. *ad reg.* 7. *gloſs.* 12. *num.* 44. *& duobus ſequen. advertens num.* 48. & ideò emanaſſe regulam Cancellariæ de expediendis litteris in forma ratione congruit ſuper gratiis conceſſis per Pontifices anteceſſores, prout per duos menſes ante ſuppreſſionem fuit à D. Equite ſæpè inſtitutum pro ulteriori expeditione, tum voce apud Illuſtriſſimum D. Prodatarium, tum ſupplici libello apud Sanctiſſimum, & per Sanctitatem Suam remiſſo ad Congregationem tunc deputatam, in cujus locum ſucceſſit Sacra Rota, cùm Sanctiſſimus ei commiſerit in Bulla ſuppreſſionis cognitionem prætenſionum omnium, & ſingulorum intereſſe habentium.

Et ſanè expeditio dictæ Supplicationis non potuit abſque injuſtitia, meo judicio, impugnari, vel retardari, ſub præ-
35 textu, quod Collegium eſſet de proximo ſupprimendum, quia adhuc erat in ſuo eſſe, & ſubſtantiam, & imminens privatio non impediebat interim effectus Dominii, *l. non*
36 *ideo ff. de rei vendit.* & homo de proximo expellendus non habetur pro expulſo, Anchar. *conſ.* 285. *num.* 3. *verſ. ſed certè*, & cùm ſuppreſſio Collegii requireret factum, non ſuf-
37 ficiebat ſola animi cogitatio de ſupprimendo, cum agendorum menſura ſumenda ſit, non ab eo, quod erit, ſed ab eo, quod eſt, ut inquit Bald. *in l. ſi nondum num.* 4. *&* 11. *C. de furt.* ut ex eo repetit Felin. *in cap. cum adeo ſub num.* 4. *de reſcript.* & conferunt congeſta à Poſth. *de ſubhaſt. inſpect.* 17. *num.* 61. *& duob. ſequent.*

Et ſicuti Innocentius VIII. promiſit Secretariis ſe, & ſucceſſores Pontifices admiſſuros reſignationes, etiamſi Reſignantes eſſent infirmi, & veriſimiliter deceſſuri, & de facto decederent, addens, quod per Romanum Pontificem *Reſignationis receptio quavis ratione denegari, vel differri non poſſit*, ita nec deneganda erat, quamvis Collegium haberetur pro infirmo, & morti proximo.

Aliàs magnum, & intolerabile ſequi poterat abſurdum, quia ſi in illo ſtatu rerum, dum agebatur de ſuppreſſione Collegii, aliquis Secretarius deceſſiſſet, vacaſſet Officium ad beneficium Cameræ, neque hæc Officii æſtimationem reſtituiſſet hæredibus decedentis, ſed ſibi retinuiſſet, tanquam ſuperlucratam per mortem Officialis, quamvis Collegium eſſet de proximo ſupprimendum, ita denegare non poterat admiſſionem reſignationis, ne Secretarii ſtarent interim ſub periculo amittendi Officium per obitum, & non poſſent de Officio diſponere; fuiſſet enim hæc claudicatio 38
contractus, *l. fin. C. de furt. & lit. expenſ.* & eſt à Principe potiſſimum vitanda, ut monent Bald. *in cap. unic.* §. *Inveſtitura ſub n.* 3. *de nov. form. fidelit.* Menoch. *conſ.* 606. *n.* 13. 39
Teneturque Princeps ſervare illud commune, & naturale 40
præceptum, quod tibi non vis, alteri ne feceris, Afflict. *ad Conſt. Reg. fol. mihi* 207. *col.* 1. *num.* 29. *& in cap.* 1. §. *Similiter n.* 11. *ad fin. de capitan. qui cur. vend.*

Faciliùs hæc omnia procedebant in admittenda ulteriori expeditione reſignationis, dum nec levis adeſſe poterat ſuſpicio fraudis, quia omnia geſta erant tempore habili, etiam ab annis 7. ſolutum fuerat Reſignanti pretium in ſumma 41
ſcutorum 22000. & ab annis tribus ſignata Supplicatio, prout hanc circumſtantiam antecedentis ſolutionis conſiderat, Anchar. *dicto conſ.* 285. *num.* 4. *verſ. Item iam erat dicta pecunia ſoluta*, & multum ad hoc propoſitum urgent firmata per Felin. *in cap. in præſentia num.* 36. *verſ. Sed non ſine ſcrupulo de probat.* Pariſ. *conſ.* 13. *nu.* 73. *lib.* 1. Jo. Franc. de Pont. *conſ.* 214. *n.* 4. *lib.* 2.

Quare, cùm expeditio eſſet ex præmiſſis de Jure debita, & tamen denegata, habenda eſt, in odium Cameræ dene- 42
gantis, pro facta Celſ. *deciſ.* 139. *num.* 16. *& deciſ.* 177. *n.* 2. *&* 3.

Quoad Officium reſignatum ab Eminentiſſimo Chiſio Illuſtriſs. D. Curſio, pretio ſcut. 23000. ultra obligationem ex ſæpè dicta Conſtitutione Plana, qua tenetur Camera reſtituere ſingulis Secretariis pecunias per eos ſolutas, ſive ipſi Cameræ, ſive Reſignantibus, accedit ejuſdem Illuſtriſſimi D. Curſii bona fides, dum Cauſa diſcuſſa in Congregatione, an reſignatio eſſet admittenda propter imminentem ſuppreſſionem Collegii, & prætendentibus Came- 43
ralibus non niſi admitti, niſi cum clauſula: *Citra approbationem pretii*, fuit reſolutum eſſe admittendam ſimpliciter, prout admiſſa fuit, nec alias Reſignatarius pretium ſolviſſet, quia ordinem fecerat de ſolvendo illi, qui Officium liberè, & abſque ulla conditione reſignaſſet, unde duplex ad illius favorem inſurgit ratio, altera ne decipiatur ſub fide Congregationis, & Principis, Pariſ. *conſ.* 68. *num.* 177. *lib.* 4. Surd. *conſ.* 298. *nu.* 22. Merlin. Pignatel. *conſ.* 53. *num.* 10. *&* 11. *part.* 1. Altera, ne cum ipſe conſenſerit contractui libero, habeat contractum vinculatum, contra ſuum conſen- 44
ſum, quem aliàs non dediſſet, & ſine conſenſu contractus conſiſtere non poteſt, tanquam corpus ſine anima, Seraph. *deciſ.* 838. *n.* 4.

Ideò reſtitutio pretii pro hoc Officio regulanda eſt juxta ſenſum Illuſtriſs. de Luca, qui ut eſt rectus Veritatis, & Juſtitiæ Cultor, in ſuo Diſcurſu de ſupprimendo Secretariorum Collegio incipien. *Quamvis abſque dubio* §. *finali*, loquens de iſta reſignatione dignam protulit ſententiam, dicens, quod Dataria non debebat admittere, aliàs falleret publicam fidem, & eſſet in dolo, decipiendo Emptorem, quodque de Juſtitia ſe conſtitueret in obligatione reficiendi illud plus.

Marchioni Ruſpulo, licet ſeni, reſtituendum eſt *in pretium*, quod aliis Secretariis, quia cùm Innocentius Octavus in Bulla erectionis Collegii ſe, & Pontifices ſucceſſores obſtrinxerit pacto admittendi reſignationes, etiam ab Infirmis, & veriſimiliter deceſſuris, idem ſtatuendum in ſenibus, qui non alia ratione arceri poſſent à reſignando, 45
quàm veriſimilis, & de brevi obventuræ mortis; Parifican- 46
tur enim Senes, & Infirmi, *c. Quoniam ut lit. non conteſt.* & Statutum loquens de Infirmo, verificatur in Sene, ut notat

Abbas *in cap. magnæ num. 9. de vot.* & si hoc in Resignationibus, multò magis in Suppressione, cum ista proveniat à facto Principis, qui cum in contractibus utatur jure privati, non videtur posse facto suo voluntario alteri præjudicium afferre.

Accedit observantia, nam in suppressione locorum Montium vacabilium, pretium restituum fuit pariformiter Juvenibus, ac Senibus, & Dominicus Jacobatius, licèt esset Senex supra septuagesimum ætatis annum, fuit admissus ad resignandum suum Secretariatuum sub san. mem. Alexandro Septimo.

Unde stylus, qui in contrarium per Camerales asseritur, non subsistit in casu suppressionis; Imò quoad Officia Secretariorum, nec in casu resignationis, & meritò cum ipsi 47
habeant in erectione Collegii pactum cum Summo Pontifice initum, cui non potuit, ex post, modus, aut conditio adjici, ut de Collegio Militum Sancti Petri dicebat Mandos. *cons. 90. num. 5. vers. Nec Camera*, & generaliter Mantica *de tacit. lib. 13. tit. 40. num. 9. & 10.*

Quare, &c.

F. Fatinellus Advocatus.

ROMANA PRETII SECRETARIATUUM APOSTOLICORUM.

QUARTA JURIS.

SUMMARIUM.

1 *SUmma scut. 62400. auri, quæ iubetur restitui per Constitutionem Innocentii Octavi in casu suppressionis, non fuit apposita taxative, sed demonstrative, & num. 16.*

2 *Pretium auctum, ipsique Datariæ per Secretarios persolutum, restituendum erat, etiam in terminis Constitutionis Innocentii, quatenus supprimerentur, & num. 3.*

4 *Beatus Pius V. voluit ampliare obligationem restitutionis, etiam respectu pretii resignantibus exbursati.*

5 *Obligavit Cameram ad restituendum maius pretium, ratione Officii Cardinalis Medicei, dum, in casu inobservantiæ, iussit restitui pretium unà cum damnis, & interesse.*

6 *Damna, & interesse eò magis debentur, si fuerunt præcisè in obligatione deducta.*

7 *Verba* emisse, *&* habuisse *non fuerunt in casu, de quo agitur, accepta pro synonymis.*

8 *Verbum* habuisse *non verificatur dumtaxat in duobus officiis possessis per Hospitale S. Spiritus, & Capitulum S. Eustachii, sed etiam in aliis acquisitionibus.*

9 *Comprehendit omnem acquirendi modum.*

10 *Verbum* restituere *significat propriè idem ac dare, & solvere.*

11 *Verba* Secretariis tunc viventibus *referuntur ad Secretarios viventes de tempore suppressionis.*

12 *Resignatarius, qui dicitur habere officium à Papa, manifestè deciperetur, nisi integrum pretium ab isto recuperaret.*

13 *Scientia, & factum ministri dicitur scientia, & factum Principis.*

14 *Solitum, quod debet attendi, desumitur ex ultimis actibus.*

15 *Non est recurrendum pro observantia ad Nationes finitimas, quando plura in contrarium vigent exempla in proprio Principatu.*

17 *Princeps auferens à subditis officia, etiam ex causa publicæ utilitatis, tenetur refundere pretium.*

18 *Lex non dicitur generalis, quando percutit aliquos tantum.*

19 *Fiscus in casu evictionis non tenetur nisi ad simplum.*

20 *Est tamen obligatus ad damna, & interesse, quæ dicuntur interesse intrinsecum illius simpli.*

21 *Pretium currens de tempore suppressionis est restituendum, habito respectu ab observantiam.*

R. P. REstituio pretii per singulos Secretarios exbursati in acquisitione Officii, sive Datariæ, sive aliis Resignantibus, videtur extra controversiam, quia sunt nimis clara verba Bullæ B. Pii V. *Volentes, & Statuentes, &c. Collegium ipsum supprimi non posse, nisi restitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis tunc viventibus* (ideſt tempore suppressionis) *integrè, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos Officia emisse, aut habuisse constiterit:* Quod benè agnoscentes DD. Camerales, toto studio cum extraneis, & longè nimis mendicatis argumentis conantur mentem, & verba Beati Pontificis restringere ad pretium solutum Datariæ, sed omnia ex nostris informationibus, jam datis, & infra deducendum penitus corruunt.

Et in primis exadverso supponitur, quod vigore Bullæ Innocentii Octavi, in casu suppressionis, sola scut. 62400. auri fuissent Secretariis restituenda, sed attenta dicta Bulla Piana, Camera persolverit longè majorem summam, scuta nempè 228557. quod valdè in toto contextu informationum magnificatur, quasi hoc majus pretium provenerit à dispositione prædictæ Bullæ Pianæ, & inde Camera non debeat sentire onus ulterioris pretii soluti resignantibus.

Verùm fallacia suppositi statim convincitur, advertendo, quod etiam in puris terminis Bullæ Innocentii Octavi 1
fuisset in casu suppressionis restituendum pretium, quod quisque Secretarius Datariæ persolvisset, ratio est, quia in parte ubi demandatur restitutio scut. 62400. Papa non procedit per pactum negativum, aut restrictivum, ut sola dicta summa restitui debeat, sed è contra declarat se velle favorabiliter Secretariorum indemnitati providere, ut scilicet integram summam per eos exbursatam, consequantur, & damnum majoris summæ, ibi: *Cæterum quoniam iidem Secretarii, &c. bona fide crediderunt simplici verbo nostro, Nos dignum reputantes, ut ipsorum indemnitati consulamus, &c.* Sequiturque obligando Cameram ad restituendum integram summam scut. 62400. à Secretariis solutam. Expressio autem dictæ quantitatis, non stat taxativè, sed demonstrativè ad id, quod Secretarii tunc Pontifici tradiderant, & intelligitur, rebus sic stantibus, dummodo pretium non fuerit augmentatum. Cæterum si ut postea evenit, pretium fuit auctum, & Secretarii majorem quantitatem 2
pro acquireñ. Officiis solverunt, *ipsi Datariæ*, indubitatum est, quod & hæc major quantitas illis veniat restituenda, aliàs contra omnem justitiam, petitam, ex ipso lumine naturali, Camera locupletaretur cum aliena jactura, & dispositio Pontificia, emanata ad favorem Secretariorum, in eorum odium retorqueretur, ut latissimè in puncto probat Fagnan. *in cap. ex epistolæ num. 11. & seqq. de probat.* ubi quod est restituendum etiam pretium currens de tempore suppressionis.

Igitur restitutio scutorum 228557. quæ ex adverso soluta dicuntur Datariæ à Secretariis, vel eorum Auctoribus, 3
non egebat Bulla Beati Pii V. sed de Jure omnibus noto, erat facienda, ut de se patet.

Unde dum post Bullam Innocentii, Beatus Pius, profitendo ampliores gratias facere nostris Secretariis, ibi: 4
Ad hæc dictos Secretarios, & Collegium amplioris favoris gratia prosequi volentes, jussit *Collegium supprimi non posse, nisi prius singulis Secretariis, tunc viventibus restitutis integrè, & sine diminutione pecuniis, pro quibus eos Officia emisse, aut habuisse constiterit.* Palam est quod voluit tollere omnem ansam dubitandi, & promptam restitutionem pretii, ab unoquoque exbursati, sive Datariæ, sive aliis resignantibus demandare.

Nec perspicuam hanc voluntatem Beati Pontificis, restituendi generaliter pretium à singulis Secretariis solutum, offuscant plures ponderationes exadverso adhibitæ super contextu ejus Bullæ, nam prima, in qua sit peculiare fundamentum, quod scilicet in casu, quo Collegium molestaretur super Officio ei concesso pro scutis 5500. auri, Papa voluerit Cameram teneri ad restitutionem dictæ summæ scutorum 5500. nulla habita ratione ad majorem summam, quæ solvi poterat ab emptore, in facto non subsistit, imò mirabiliter contra Cameram retorquetur.

Etenim postquam Beatus Pius narravit se per errorem disposuisse de Officio vacato per obitum Marcelli Augustini favore Cardinalis de Medices, à quo receperat scu-

ta

ta 5500. commendata promptâ Secretariorum voluntate, qui exhibuerunt dictas pecunias præfato Cardinali perſolvere, dedit eiſdem Secretariis in ſolutum, pro eadem ſumma ſcutorum 5500. primum ex dictis Officiis per deceſſum vacaturum, cum facultate illud vendendi pro pretio tunc reperibili, etiamſi dictam ſummam 5500. ſcutorum in parva, ſeu magna ſumma excederet, at quia evenire poterat, quod procedente tempore ſuper præfatis moleſtaretur, volens propterea Beatus Pius illius omnimodè indemnitati proſpicere, ita diſpoſuit *Et ſi dictum Collegium ſuper præmiſſis, aut eorum aliquo turbabitur, quoquo modo, aut præmiſſa in toto, vel in parte conſequi non potuerit, tunc, & eo caſu Cameram prædictam ad ſolvendam cum effectu dictam ſummam* 5500. *ſcutorum, unà cum damnis, & intereſſe paſſis, teneri, & ad id eamdem Cameram, & omnia illius bona efficaciter obligata eſſe volu-*
5 *mus, &c.* ut in Motu proprio ſub littera G. Ecce ergo quod Papa non ſe reſtrinxit ad ſolam reſtitutionem ſcutorum 5500. pretii ſoluti à Secretariis, ut ſupponunt Domini Camerales, ſed apertiſſimè voluit, quod Camera teneretur refundere, etiam majus pretium, quo Collegium potuiſſet dictum Officium vendere, contentum in dicta promiſſione damnorum, & intereſſe *l. ſi traditio 4. C.*
6 *de act. empt.* præſertim quia fuerunt præcisè in obligationem deducta ad tradita per *Rotam coram bon. mem. Celſo deciſ.* 290. *num.* 2. *&* 3. *& deciſ.* 319. *num.* 2. *& ſeqq.*

Hinc, ut dixi, fortiter hoc motivum retorquetur contra Cameram, ſi enim Papa adeo accuratè, & religiosè ordinavit reſtitutionem, etiam majoris pretii in dicto caſu, eo fortius id affirmandum venit in caſu ſuppreſſionis Collegii. *Cui ſucceſſive* providendo in eadem Bulla declaravit ſe velle majoribus gratiis Secretarios proſequi, indèque juſſit Collegium ſupprimi non poſſe, *niſi Secretariis tunc viventibus* reſtitutis integrè pecuniis, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit.

7 Secunda ponderatio, quod d. verbum ſeu *habuiſſe* ſit ſynonymum, & ſignificet idem, quod verbum *emiſſe*, indeque non poſſit referri ad officia, habita per reſignationem, non videtur ſubſiſtere, quatenus enim ad hoc expenduntur verba prolata circa dictum primum Officium vacaturum ibi: *Credentes illius venditionem, ac diſpoſitionem ad Nos ſpectare*: & ibi: *contulimus, conceſſimus &c.* hæc prædicantur de ſolo dicto Officio conceſſo Cardinali de Medices, & ideo nil mirum, ſi uti ſynonyma accipiuntur; At verbum *habuiſſe*, diſcretivè adiectum poſt verbum *emiſſe*, in caſu ſuppreſſionis, uti generale, & aptum de ſui natura comprehendere omnem modum, quo Secretarii, de tempore ſuppreſſionis viventes, officia acquirere potuerunt, non poteſt, nec debet reſtringi ad ſimplicem caſum collationis, & emptionis factæ à Dataria, alias violaretur vera illius ſignificatio, & ſenſus litteræ, ac cum iſtis extraneis interpretationibus totaliter remaneret deſtructa mens, & voluntas Pontificis concedentis, quod eſſet abſurdum; præſertim quia ſubiecta, materia neceſſario id ſuadet, cùm iſta Officia de ſui natura eſſent ad nutum ipſorum Officialium reſignabilia, & ſemper major illorum pars, etiam tempore Beati Pii, poſſiderent Officia mediante reſignatione, indeque dùm Papa omnibus reſtitui juſſit pretium, quo eos *Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*, remanet indubitatum, quod eſt reſtituendum pretium ſolutum reſignantibus, ut latius
8 probavi in informatione.

Minus relevat, quod Papa uſus fuerit dicto verbo, *habuiſſe*, ut comprehenderet Officia per Paulum Tertium, & Pium Quartum in perpetuum conceſſa Archihoſpitali Sancti Spiritus, & Eccleſiæ Sancti Euſtachii, mediante permutatione aliorum bonorum. Primò, quia ſi, ut prætendit Camera, dicta Officia ex cauſa dictæ perpetuitatis fuerunt jam valutata in ſumma certa, & determinata, nullatenus erat in caſu ſuppreſſionis neceſſaria diſpoſitio Bullæ Pianæ, ſemper enim fuiſſet reſtituendum pretium præfixum, indeque Papa nullum reſpectum ad hæc Officia habere potuit. Secundò, quia Beatus Pontifex clarè loquutus fuit de Officialibus tempore ſuppreſſionis viventibus, ibi: *niſi reſtitutis ſingulis Secretariis tunc viventibus integrè pecuniis, pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit.* Sicque liquidum patet voluiſſe aſſecurare, ut unuſquiſque haberet pretium, vel majus, vel minus, quo Officia *emiſſet vel habuiſſet*, non autem reſpexiſſe ad dicta loca Pia, quorum officiorum pretium nec augeri, nec minui poterat, Tertiò tandem, quia neſcimus videre cur dictum verbum *habuiſſe* non debet etiam comprehendere caſum officii habiti à reſignantibus, dum ex ejus generalitate, omne modum 9
acquirendi, complectitur, & quod plus eſt, iſte priſcus modus reſignationis erat frequentior in acquiſitione hujuſmodi Officiorum adhibitus, & à Bullis Summorum Pontificum approbatus.

Tertia ponderatio facta circa verbum *reſtitutis*, quod 10
non poſſit verificari reſpectu Cameræ, quæ non recepit pretium ſolutum reſignantibus, tollitur ex informatione §. *ex quibus ceſſat obiectum*, ubi ex Textibus, & doctrinis punctualibus oſtendi, verbum *reddendi* paſſim in jure recipere ſignificationem dandi, & ſolvendi, neque id improprie, & per extenſionem, quando ut in caſu noſtro diſpoſitio B. Pii dirigitur in favorem Officialum, quibus jubet reſtitui pecunias per eos ſolutas, non autem pecunias per Datariam receptas, imo ex contextu ejuſdem Bullæ patet, quod B. Pius indiſtinctè adhibuit verbum *reſtituere*, & verbum *ſolvere*, habito ſolum reſpectu ad favorem recipere debentis, ut loquendo de Secretariis, qui nihil receperant à Cardinali de Medices, ibi quoniam Secretarii prædicti, &c. dicta 5500. ſcuta à prædicto Cardinali recepta reſtituturos ſe obtulerunt, & ibi propterea iidem, ut commodius pecunias dicto Cardinali, &c. reſtituendas recipere valeant, &c. & loquendo de Camera, quæ receperat dictam ſummam, non utitur verbo, reſtituere, ſed verbo ſolvere ibi: *Et ſi dictum Collegium, &c.* turbabitur, eo caſu Cameram prædictam ad ſolvendum dicta ſcuta 5500. *&c. teneri &c.* ut in Motu proprio ſub littera *D. & G.* Sicque evidentiſſimè convincitur, quod verbum *reſtitutis*, in caſu ſuppreſſionis ab eodem Beato Pontifice repetitum favore Officialum, qui recipere debebant pretium, propriiſſimè explet ſignificatum ſolutionis integri pretii per Cameram faciendæ, quod indubitanter confirmatur, quia dum Papa ſe retulit ad tempus incertum ſuppreſſionis, in quo veriſimiliter valor Officiorum erat variandus, impoſſibile ſit, quod intellexerit de pretio per Datariam recepto, dum ob frequentem uſum reſignationum non erat moraliter poſſibile, quod tempore ſuppreſſionis omnes reperirentur emiſſe à Dataria, & nihilominus voluit omnibus Secretariis tunc viventibus integrè reſtitui pecunias ab unoquoque illorum ſolutas in acquiſitione Officii.

Abſurdum inſuper ponderatum in noſtris informationibus, quod alias hæc Bulla Piana fuiſſet penitus fruſtatoria, ſi non comprehenderet pretium ſolutum reſignantibus, ſtat inconcuſſum, nec evertitur ex eo, quod vigore Bullæ Innocentii Octavii ſcuta 62400. in erectione Officiorum erogata, fuiſſent reſtituenda, quia jam oſtendi ſupra in §. *verum fallacia cum ſeqq.* hoc ſuppoſitum nullum habere fundamentum.

Prout firmum remanet alterum abſurdum, quod juxta ſenſum Dominorum Cameralium, pretium fuiſſet reſtituendum tribus tantum, aut quatuor Secretariis, qui tempore ſuppreſſionis reperti ſunt immediatè emiſſe Officia à Dataria, nam illa verba Bullæ, *niſi reſtitutis ſingulis Secre-* 11
tariis tunc viventibus integre pecuniis, pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit, uti perſonaliſſima, & præciſe deſignantia perſonas Secretariorum tunc viventium, non poſſunt ad eorum Auctores trahi, nil obſtante, quod etiam dicatur, in Conſtitutione Innocentii Octavi legi dictum verbum *eos*, ibi ad reſtituendum eis prædictam ſummam 62400. ducatorum per eos ſolutorum, nam ultra quod ibi non leguntur dicta verba *tunc viventes*, magis præciſam perſonalitatem denotantia, advertitur, quod B. Pius loquutus fuit non de ſumma certa, ſed de pretio incerto, quod quiſque Secretarius vivens de tempore ſuppreſſionis erogaſſe conſtiterit, ideo ejus diſpoſitio eſt ſolum referibilis ad eos tunc viventes, & ad totum pretium per illos exburſatum.

Læſio, & violatio publicæ fidei eſt evidentiſſima, dum enim, ex notoria praxi Officiorum Romanæ Curiæ, ipſe Papa Officium in ſuis manibus liberè dimiſſum, confert novo Officiali, ſciens iſtum ſolvere pretium tali dimittenti, & reſignanti, & quod plus eſt, hic novus Officialis, trahendo ordinem pro ſolutione pretii, ignorat prorsùs, quæ ſit 12
perſona reſignans, utique Officium ipſum recognoſcit, & habere dicitur ab ipſo Papa concedente, & ab eo in caſum ſuppreſſionis pretium debet recuperare, alias manifeſtè deciperetur, & eſſet in damno, ut in informatione §. *quam inſuper veritatem cum ſeqq.* & fortius id procedere debet in noſtris Officiis, quorum reſpectu habemus dictam promiſſionem

nem B. Pii, quod in casum extinctionis restitui debeant integræ pecuniæ à singulis Secretariis tunc viventibus in acquisitione Officiorum exbursatæ.

Non obstat quod in supplicarionibus non fiat mentio de pretio, illudque nec Papa, nec Datarius sciunt, quia satis est, quod Papa sciat in his resignationibus intervenire pretium, illudque persolvi resignanti, ut dicatur talem actum auctorizare, & approbare, ultra quod cùm ad istũ effectum Papa apponat proprium Ministrum Componendarum, qui recipit pro ipso Principe Componendam expeditionis, hoc
13 exuberat, & scientia, ac factum istius dicitur scientia ipsius Principis præponentis, *l. 1. ff. de institut. act.* Mandel. *consil.* 104. *num.* 5. *&* 6. *& de Officiali Cameræ*, Dec. *cons.* 404. *num.* 5. *& seq.* maximè quia supplicationes perneceſſe signantur, postquam dictus minister recepit ordines pretii solvibiles resignantibus, sine quibus ordinibus præcedentibus non potest scire quinam esset resignans, & resignatarius in supplicationibus exprimendi.

Observantia restituendi solum pretium solutum Datariæ, quæ ex adverso dicitur militare pro Camera ex facto quatuor Summorum Pontificum videlicet B. Pii Quinti, ac sanctæ mem. Alexandri Septimi, Clementis Noni, & Clementis Decimi, qui diversa Officia vacabilia extinxerunt, absolutè negatur. Verè enim observantia stat pro nostris principalibus, ut latiùs in Memoriali, quod datur ad partes, ubi ad oculum demonstratur Summos Pontifices prædecessores nunquam reliquisse Officiales, quibus Officia extinxerunt, *in aliquo damno*, sed restituisse integraliter pretium ab unoquoque resolutum, vel Datariæ, vel resignantibus, imò pluries persolvisse majus pretium, currens tempore suppressionis.

Duo tamen placeat advertere in hoc puncto observantiæ; Alterum quod omnis exempla suppressionum exadverso allata, quando juxta sensum Cameræ per impossibile subsistinerent, non officerent casui nostro, quod in erectione talium Officiorum adsit, prout in nostris Officiis, peculiaris promissio Papæ, quod in casu suppressionis restitui debeat integrum pretium à singulis Officialibus tunc viventibus, in acquisitione Officiorum erogatum.

Alterum quod quamvis aliquæ ex suppressionibus prædictis continerent aliquod dubium, propter quod fuerit hęsitatum, an esset restituendum solum pretium receptum à Dataria, nihilominus fuit omnis controversia sublata ex ultima suppressione Officiorum Notariorum Cameræ, facta de anno 1672. à sanct. mem. Clemente Decimo, per Dominos Camerales ommissa, in cuius chirographo claris litteris declaravit, ut Camera restitueret integrum pretium, tam solutum Datariæ, quàm resignantibus, ex quo assequimur, quod in omnem casum, standum esset huic solito, ul-
14 timo loco per Papam ordinato, & declaratorio præcedentium suppressionum, ut in puncto Officiorum Noguerol. *alleg.* 5. *num.* 16. Cæterum hæc dicuntur ex abundanti, quia nostris principalibus semper assistit prædicta peculiaris, & clarissima dispositio Bullæ Pianæ, quæ tollit omnem difficultatem.

Exemplum Regis Christianissimi, qui in suppressione Officiorum similium, solum restituit id, quod Cameræ Regiæ fuerat persolutum, poterat omitti, tum quia nescitur, cujus naturæ sint alia Officia, & an in erectionibus illorum habeant promissiones, approbationes, & privilegia Principis concedentis, prout habent nostra, tum etiam quia non sunt mendicanda exempla ab exteris nationibus, quando habemus legem claram jubentem restitui integrum pretium à singulis Officialibus persolutum, & in Urbe suppe-
15 tunt plura exempla, præsertim ultimo loco observata, quibus patet Sanctam Sedem Apostolicam, omnium Regum, & Nationum Christianarum Matrem, & Magistram, semper subditis suis in his suppressionibus Officiorum, saltem pretium ab eis exbursatum restituisse, imò æquitatem, & urbanitatem, ut par est amplectendo, quandoque etiam majus pretium currens super addidisse.

Consideratio, quod inter Innocentium Octavum, & Secretarios in casum suppressionis fuerit initum pactum restituendi scuta 62400. quodque subinde Bulla Piana in sæpè relata dispositione restituendi integrum pretium à suis Officialibus solutum, debeat interpretari, ut quam minus lædat dictum pactum, iterùm dico, quòd non subsistit, nam 16
dictum pactum non stat taxativè favore Cameræ, ut sola scuta 62400. restituere debeat, sed demonstrativè, & favore Secretariorum appositum, ut non posset minus restitui, & ideò secluſa Bulla Piana semper fuisset indubitata restitutio majoris pretii, successivis temporibus Datariæ soluti, ut supra probavi; Ergo, ut Bulla Piana, non sit frustratoria, perneceſſe debet operari restitutionem pretii, etiam resignantibus persoluti.

Quamvis agatur de suppressione officiorum, quæ sunt de Regalibus Principis, nihilominus, quando, ut hic, Princeps aufert talia officia à subditis, etiam ex causa publicæ 17
utilitatis, tenetur illis refundere pretium æquivalens, ut in informatione §. *Non solum autem*, & latiùs comprobant DD. in jure scribentes in informationibus juris jam datis, ubi etiam optimè firmatur non posse in præsenti casu publicari terminos legis generalis, ex quo agitur de ablatione of- 18
ficii, quoad aliquos tantùm, maximè dum Sanctissimus, pro sua summa humanitate, declaravit supprimere officia ex auctoritate ordinaria, intra Juris limites incluſa, non autem ex potestate absoluta, & proinde huic Sac. Tribunali remisit deciden. quodnam pretium sit persolvendum.

Proinde non petimus à Camera solutionem pretii, nec uti pœnam, nec uti evictionem dupli, vel tripli valoris officiorum, sed ad formam Bullæ Pianæ, dicimus quod dum Camera supprimit officia ad nostros principales spectantia debeat refundere pretium, quod ipsi in illorum acquisitione exbursarunt.

Aliàs sequeretur intolerabile absurdum, quod nempè Camera tolleret nostris principalibus officia, faciendo notabilissimum lucrum ex illorum annuis redditibus cum totali jactura Patrimonii eorumdem DD. Officialium, quod non est permittẽ.

Cæterum, quando esset examinanda conclusio, per Dominos Camerales adducta, quod fiscus ex speciali privilegio, in casu evictionis non tenetur nisi ad simplum, etiam 19
si promiserit duplum, vel triplum, ex *l. si Prorsus* 5. *ff. de Jur. fisc.* nil profecto adversaretur nostræ intentioni, quia nihilominus semper fiscus est obligatus ad præstandum 20
damna, & interesse, quæ dicuntur interesse intrinsecum illius simpli, quanti scilicet res evicta valeret de tempore evictionis, ut respondendo *d. l. si Prorsus*, aliisque exadverso allegatis firmat Guzman. *ex gratia viden. de eviction. qu.* 8. *ex num.* 34. *cum pluribus seqq.* & Rot. coram Seraphin. *decis.* 787. *num.* 5. *&* 6. ubi refert, quod Rota alias ita interpretata fuit prædictum Textum in Volaterana Terrarum 18. Aprilis, & 28. Maii 1586. coram Blanchetto, sequitur Ermosil. ad Lopez *leg.* 33. *tit.* 5. *part.* 5. *glos.* 1. *num.* 3. *in fine fol. mihi* 618. *tom.* 2.

Insuper debetur nostris principalibus etiam majus pre- 21
tium, currens de tempore suppressionis, tam attenta dispositione Juris, latè comprobata in prioribus scriptis, quibus Camera non respondet, quàm solito per antecessores Pontifices observato, & præsertim à sanctæ mem. Clemente Octavo in extinctione Officii Custodiæ Carcerum, Urbano Octavo in extinctione Montium Cancellariæ, & Alexandro Septimo in suppressione Montium vacabilium, de quibus distinctè fit mentio in prędicto Memoriali super observantia, adeout hoc quoque pretii augmentum indubitanter deberi dignoscatur.

Postremo supplicamus pro resolutione favorabili, etiam quoad D. Equitem Acciajolum, R. P. D. Cursium, & D. Marchionem Respulum, quos Camera licet in dubio, quod disputatur comprehensos, consultò tamen sub silentio transmisit, quia non habet quid congruè respondeat; Pro istis enim dictis Officialibus, nedum concurrunt Jura in communi pro aliis deducta, sed specialia fundamenta, ex quibus dictum pretium illis venit omninò restituendum.

Quare, &c.

Gaspar Turchus.

RO-

ROMANA PRETII SECRETARIATUUM APOSTOLICORUM.

QUINTA JURIS.

SVMMARIVM.

1 *Non eſt contra legem indicandum.*
2 *Reſignatarius non dicitur emere officium à reſignante, ſed illud habere à Papa,* & num. 5.
3 *Verbum* habere *includit in ſe quemcumque modum poſſidendi,* & num. 28.
4 *Verbum* reſtitutis *importat aliquando obligationem dandi, & ſolvendi id, quod non fuit receptum, attentis caſuum circumſtantiis.*
5 *Reſignatarius recognoſcit in auctorem Pontificem.*
6 *Scientia, & approbatio Papæ inducitur ex ſcientia, & approbatione officialium.*
7 *Dictio* ſingulis *omnes comprehendit.*
8 *Dominus directus liberi conſentiens, contractui geſto ſuper re feudali, poſtea non valet ſub prætextu ſuorum iurium efficere, quod contrahens effectu contractus fruſtretur.*
9 *Papa donando officia, fictione iuris cenſetur prius exegiſſe à donatariis pretium, illudque poſtea eiſdem donatariis, mediante donatione, reſtituiſſe.*
10 *Princeps de poteſtate ordinaria non poteſt, ex motivo publicæ cauſæ, officium donatum adimere donatario, niſi ei ſoluto pretio, vel data æquali recompenſa.*
11 *Emens à donatario Principis, ſi res ab eodem Principe evincatur, habet contra ipſius Cameram actionem ad pretium.*
12 *Princeps auferens rem alicui, publica urgente neceſſitate, vel utilitate, tenetur ſolvere iuſtum, & integrum pretium.*
13 *Iuſtum pretium conſtituitur ex præſenti æſtimatione, non ex antiquo contractu.*
14 *Etiamſi agatur de pretio rei per Principem ademptæ, ex cauſa publica.*
15 *Et quamvis directum eiuſdem rei dominium reſideat penes Principem, ſolumque dominium utile adimatur.*
16 *Princeps auferens ſubdito res ſuas per legem univerſalem, non tenetur ad pretii reſtitutionem.*
17 *Contraria tamen opinio à pluribus magni nominis DD. amplexa reperitur.*
18 *Lex univerſalis eſt ea, quæ de ſui natura omnes comprehendit.*
19 *Lex, quæ ferit certas, & determinatas perſonas, non dicitur univerſalis, nec liberat Principem à iuſta pretii reſtitutione.*
20 *Privilegium, & favor debet privilegiato aliquid adiicere, non autem quidquam de ipſius iuribus detrahere.*
21 *Gratia Principis non eſt ſiniſtre interpretanda.*
22 *Argumentum deſumptum ex diſcretivo modo loquendi, ceſſat quoties omiſſum ſuppletur à iure.*
23 *In dubio eſt contra Fiſcum pronunciandum.*
24 *Principis reſolutio, poſt maturam diſcuſſionem, eſt ſervanda pro lege.*
25 *Summa Principis laus eſt ſubmittere legibus Principatum.*
26 *Verba legislatoris indicantia pietatem, & munificentiam, legis vigorem non tollunt.*
27 *Obſervantia, quæ non ſit in caſu præciſo, non eſt allegabilis.*
29 *Gratia per Papam ſignata eſt quoad ſubſtantiam perfecta, etiamſi non fuerit deventum ad ulteriores formalitates.*
30 *Præambula obligatio Principis de præſtando conſenſu officiis, quod per ſimplicem illius petitionem habeatur pro præſtito, quoties expeditio impedita non fuerit ex culpa, vel incapacitate petentis.*
31 *Diſpoſitio in mente retenta, nec adhuc ad actum perducta, nihil ponit in eſſe.*
32 *Pacta ſunt ſervanda, quorum contemplatione aliquis contraxit, alias non contracturus.*
33 *Petitio reſignationis, quæ præfert indemnitatem petentis, non continet fraudem, ſed prudens conſilium,* & num. 34.
34 *Mala fides, ex ſuperventa notitia, non inducitur in eo, qui proſequitur inſtantiam incaptam cum bona fide, de tempore non ſuſpecto.*
35 *Factum eſt potius attendendum, quam verba.*
36 *Declaratio contraria non eſt apta tollere ea, quæ ſunt à lege deciſa, & determinata.*
37 *Sine facto noſtro, vel ſine ſuprema Principis auctoritate, ius noſtrum à nobis auferri non poteſt.*
38 *Lex ſpecialis facit ceſſare generalem.*
39 *Vbi nulla cadit ætatis diſtinctio, ſenex, & iuvenis æquiparantur.*

R. P. DUplex eſt inſpectio hujus Cauſæ. Prima circa pretii quantitatem pro ſuppreſſis Secretariatibus ſolvendam.

Secunda circa perſonas, quibus dicta pretii quantitas ſit ſolvenda.

Quoad pretii quantitatem, non videtur dubitandum de illa, quæ verè ab unoquoque ex iſtantibus fuit ſoluta, & effectivè exburſata, ſivè ipſi Datariæ, ſivè cuicumque alteri reſignanti, quoniam reſpectu iſtius ſpecialem, & claram habemus legem conditam à Beato Pio, à quo expreſsè ſancitum fuit *Collegium Secretariorum Apoſtolicorum ſupprimi non poſſe, niſi reſtitutis prius Secretariis tunc viventibus de tempore ſupreſſionis, integrè, & abſque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſiteritur.* 1 Conſtat enim principales noſtros officia emiſſe, vel habuiſſe diverſis pretiis realiter, & cum effectu exburſatis, & in facto recenſitis. Unde citrà dubium hoc pretium ſingulis integrè, & abſque ulla diminutione venit reſtituendum, alias judicaretur contra expreſſam voluntatem, & legem Pontificis, qui etiam ſubſtulit omnibus facultatem aliter judicandi.

Nec ex quo Beatus Pontifex uſus fuerit verbo *reſtituere*, rationabiliter prætendi valet, quod intellexerit de illis ſolum pecuniis, quæ ipſi Cameræ, ſeu Datariæ ſolutæ reperirentur, non autem de ſolutis aliis officia reſignantibus; eſt enim adeo clara Pontificis voluntas comprehenſiva omnium pecuniarum, quibuſcumque pro officiorum conſequutione ſolutarum, ut verè non patiatur, nec admittat hujuſmodi diſputationem.

Siquidem omnia illa verba: *pecuniis, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*, appoſita noſcuntur ad hunc præciſum effectum includendi eos, qui non emiſſent immediate à Camera, atque excludendi dictam interpretationem, reſtrictivam ad pecunias ipſi Cameræ ſolutas, ſi enim cum hac reſtrictiva diſponere voluiſſet Pontifex, utique unico verbo ſe expediviſſet, dicendo *pecuniis per Cameram receptis*, nec tot alia verba ineptè ſuperaddidiſſet.

Et ſignanter ponderanda ſunt illa verba: *emiſſe, aut habuiſſe*, quæ, non niſi ſpeciali ſtudio tollendi hanc diſputandi occaſionem, adiecta dici poſſunt, de omnibus enim, & ſolis illis, qui immediatè à Camera officia emebant, verificabatur primum verbum: *emiſſe*, Tunc enim verè aderant 2 omnia emptionis, & venditionis ſubſtantialia, ſcilicet Camera vendens, Officialis emens, & pretium cum ipſa re vendita, de aliis vero, qui non emebant officia immediate à Camera, ſed ea obtinebant ob reſignationem alterius officialis, propria emptio, & venditio non poterat verificari. Non enim aderat qui proprii emptoris, & venditoris perſonam gereret. Nam reſignans non transferebat officium in novum officialem, ſed reſignationem faciebat in manibus Pontificis, qui novo officiali officium concedebat, itaut novus officialis reciperet officium à Pontifice, qui certè non vendebat, adinſtar beneficiorum reſignatorum ut explicat 3 *Reverendiſſimus de Luca de regal. diſc. 2. num. 9.* & 10. & *diſc. 12. ſub num. 8. §. ceterum*, & §. *ſeqq.* & probant alii infra citandi, Unde ne dubitaretur de iſtorum comprehenſione, conſulto addita fuerunt dicta verba, *aut habuiſſe*; iſti enim licet proprie non emerent officia, cum non adeſſet proprius emptor, & venditor, tamen proprie officia habebant

bant pro pecuniis resignanti solutis, cum verbum habere, ex sui proprietate, quemcumque possidendi modum includat *l. stipulatio ista* 38. §. *habere ff. de verbor. obligat. l. habere ff. de verb. signific.* Decian. *resp.* 108. *num.* 32. *lib.* 3. Honded. *cons.* 69. *num.* 32. *& seqq. lib.* 1. Gratian. *discept.* 838. *num.* 9. 10. *& seqq.*

Nec propria indoles, & naturalis significatio illius verbi *restitutis* destruit nostram intentionem, adeo solidè fundata-
4 tam; Illa enim in jure est indifferens ad plura, & æque benè importat obligationem dandi, & solvendi etiam id, quod non fuit receptum, juxta casuum circumstantias per *Text. in l. verbum reddendi* 94. *ff. ae verbor. signific. l. hæres meus* 98. *ff. de legat. glos. in l.* 1. *vers. hoc interdictum, ff. quorum legatorum, & glos. parva ibidem verbo restituere, ubi etiam* Bartol. *num.* 5. Jason *in rubr. ff. solut. matrim. num.* 20. *vers. quia verbum,* Cagnol. *in l. curabit num.* 70. *C. de act. empt.* Ruin. *consil.* 197. *num.* 2. *in fine lib.* 1. Soccin. Sen. *cons.* 90. *num.* 21. *&* 22. *lib.* 4. Gratian. *discept.* 130. *num.* 11. *& seqq. & decis.* March. 147. *num.* 6. Altograd. *cons.* 30. *num.* 5. *lib.* 2. Alciat. *cons.* 18. *num.* 15. *lib.* 9. Capyc. Lat. *consult.* 2. *num.* 46. *lib.* 1. quod vero circumstantiæ casus nostri suadeant idem importare hìc verbum *restitutis*, ac verbum *solutis*, constat ex prædictis dum Pontifex non se restrinxit ad id quod Camera accepit, sed mandat restitui omne id, quod officiales pro habendis officiis erogaverint, quod non impleretur, si solveretur solum id, quod à Camera fuit receptum, & non id plus, quod officiales solverunt resignantibus.

Non omittendo, quod dum officiales recuperant id, quod verè erogarunt, ista recuperatio, ipsorum respectu, potius meretur restitutionis titulum, quàm solutionis.

Hinc Pontifex non obligat ad justificandum, quid solutum fuerit Cameræ, sed solum quid verè officiorum possessores, pro habendis officiis, solverint ibi: *pecuniis, quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit*. Unde dum docent de vera pecuniarum erogatione, pro officiorum consecutione, nil aliud probare debent, ut easdem à Camera post suppressionem, recuperent.

Confirmantur prædicta ad evidentiam, pluribus argumentis benè deductis per D. Causæ patronum, & signanter primò quod tota ista officiorum materia regulatur per Ministros Pontificis specialiter deputatos, sive emantur immediatè à Dataria, sive habeantur per aliorum resignationem, itaut acquirentes officia per resignationem consueverit dirigere ordinem, cum summa certa, solvenda innominatim ei, qui resignasset, ad favorem scribentis, unum Secretariatum, & facta per Ministrum pontificis in calce ordinis fide resignationis, solvebantur resignanti pecuniæ, & ad favorem resignatariis expediebantur Bullæ concessionis officii tanquam vacantis.

Hinc enim duo resultant; Alterum, quod novus officialis, licet officium consequeretur mediante consignatione,
5 tamen verè non haberet officium à resignante, sed ab ipso Pontifice, eumque in auctorem recognosceret, aliter non permittente essentiali officiorum natura ad *Text. in auth. de exhibendis reis collat.* 5. §. *optimum quoque circa medium* ibi: *hoc habebant tamquam imperialem munificentiam*, Bald. *in cap. si facta sub num.* 2. *vers. & noto, quod ego tit. si de feud. fuerit controv.* Valenz. *cons.* 155. *num.* 21. *&* 22. *lib.* 2. R. P. D. de Luca *de regal. dict. disc.* 12. *sub num.* 8. à Ponte *decis.* 28. *num.* 19. *&* 21. Georg. *in repetit. feudal. cap.* 14. *num.* 76. *&* 83. *cum seqq.* Amat. *cons.* 49. *num.* 11. *& seqq.* Salgad. *in labyr. credit. par.* 1. *cap.* 35. *à num.* 18. *ad* 27. *alios referens* Amicangel. *de regal. offic. par.* 8. *sub num.* 3. *&* 4. *ac sub num.* 13. *vers. sed his non obstantibus, & num.* 14. *cum seqq.*

Alterum verò, quod Pontifices, mediante dicto speciali ministro fidem resignationis in calce ordinis, rationi sui officii faciente, sciverint, & consequenter approbaverint quantitatem pecuniarum solutam resignanti, prout ex
6 Theorica Bartholi *in l. si publicanus* §. *in omnibus num.* 1. *in fine, ff. de publican.* Cravett. *cons.* 894. *num.* 33. Cyriac. *controvers.* 532. *num.* 29. *&* 31. Hodiern. ad Surd. *decis.* 4. *num.* 19. Peregr. *de iure fisc. lib.* 6. *tit.* 8. *num.* 26. Gratian. *discept.* 560. *num.* 21. *&* 32. Giovagn. *cons.* 10. *num.* 11. *lib.* 1. Menoch. *cons.* 1007. *num.* 92. *&* 93. Rot. coram Mellin. *decis.* 4. *num.* 7. *& in recent. decis.* 356. *num.* 8. *par.* 1. *decis.* 70. *num.* 23. *par.* 8. *& decis.* 260. *num.* 24. *par.* 7.

His autem stantibus, nimis violata remaneret publica fides, si interpretando Bullam Beati Pii ad sensum Cameræ, restitueretur in casu suppressionis sola quantitas per Cameram olim recepta, & sic longè minus eo pretio, quod possessores, sciente, approbante, & concedente Pontifice, ac sequentes ejusdem Pontificis fidem, cumque solum in auctorem recognoscentes, pro habendis officiis erogarunt, quod non erogassent, si ipse Pontifex non approbasset, nec concessisset.

Secundò, quod jam de tempore Beati Pii officia frequenter resignabantur à possessoribus officiorum, majori pretio eo, quo à Camera emerant, & idem Pius in sua Bulla, applicando Secretariatum primo vacaturum ipsi Collegio, declarat quod possit illud vendere pretio reperibili, quamtumvis longe majori. Unde cùm Pontifex voluerit consulere indemnitati omnium, qui de tempore suppressionis officia, mediante pretio, habere reperirentur, ut ostendunt illa verba *singulis Secretariis tunc viventibus* utique fatendum est, quod comprehenderit æqualiter eos, qui non solverunt pretium Cameræ, sed aliis resignantibus, alias non consuluisset omnibus, sed minori illorum parti, quales sunt illi, qui immediatè à Camera emerunt.

Tertiò, quia explicando verbum *restituere*, juxta sensum DD. Cameralium, sequeretur maximum absurdum, scilicet, quod illi, qui officia habuerunt mediante resigna- 7
tione, nihil penitus consequi deberent de pretio ab eis soluto resignantibus, quia ipsi verè nihil solverunt Datariæ, & sic Sanctissimus Pontifex sub prætextu favendi Secretariis, illos decepisset, & damnum amissionis totius pretii intulisset, quod nec quidem prætendunt DD. Camerales, qui jam solverunt partem pretii pluribus, qui nihil Cameræ solverunt, illud scilicet, quod ultima vice à mediatis auctoribus Camera recepit, Unde necesse est fateri verbum illud *restitutis* non restringi ad illas solas pecunias per nostros officiales solutas Cameræ, sed comprehendere omnes pecunias, quomodocumque pro officiis obtinendis ab ipsis erogatas.

Hæc omnia militant æqualiter, etiam pro illis, qui emerunt mediatè, sive immediatè à Donatariis Pontificum, quamvis nihil de pretio intraverit in bursam Cameræ, ad effectum enim applicandi dispositionem Bullæ Beati Pii, non debent officiorum possessores ostendere quid Camera receperit, sed quid ipsi pro habendis Officiis verè erogaverint, ut fuit superius probatum. Unde dum constat ipsos erogasse totum id, quod solverunt Donatariis, vel iis, qui à Donatariis habuerunt, certè fundatam habent pariter intentionem id totum sine ulla diminutione consequendi à Camera, atque illis ad litteram adaptantur verba Bullæ; quod scilicet hujusmodi pretio emerint, vel habuerint officia, & applicantur præcisè ea omnia, quæ de pecuniis solutis Resignantibus supra id, quod ipsi Resignantes solverant Cameræ superius dicta fuere, cùm eadem omninò sit ratio.

Confirmatur quia, ut dictum fuit superius, mediante 8
persona Officialis, totam hanc materiam Officiorum regulantis, & fidem resignationis ad pretii exactionem necessariam, subtus ordinem facientis, scientiam habuit Pontifex, quod Donatarii vendebant Officia hujusmodi pretio, atque investiendo Emptorem de Officio, hanc venditionem, & pretii solutionem de necesse approbavit; nulla apposita limitatione, aut reservatione. Unde bona fides, & justitia distributiva non patitur, quod idem Officium supprimat, & adimat non soluto præfato pretio, quod, ipso Pontifice approbante, solutum fuit, sine hujusmodi approbatione solutum non fuisset, prout dicitur de Domino directo, consensum præstante contractui gesto super re feudali, cui hęc Officia ęquiparantur, qui si consentiat sine ulla limitatione, nequit postèà sub prætextu suorum Jurium, ex lege feudali ipsi competentium, efficere, quod dictus contrahens effectu contractus frustretur, aut præjudicium aliquod patiatur, Bursat. *cons.* 171. *num.* 2. *&* 37. *in fine lib.* 2. latè Fachin. *contr. Jur. lib.* 7. *cap.* 16. *in princ. & per tot.* Rosental. *de feud. tom.* 1. *cap.* 9. *membr.* 1. *concl.* 18. *num.* 1. 2. *& seqq. ubi concord.* Cyriac. *contr.* 446. *num.* 1. *&* 2. *&* num. 5. *&* 6. Scrader. *de feud. par.* 8. *cap.* 4. *numer.* 31. *& seq. & num.* 34. *vers.* 2. *hac conclusio fol. mihi* 212. *tom.* 1.

Ponderando etiam, quod Pontifices donando Officia 9
donarunt expresè etiam illorum pretia; Unde legitima Juris fictione censetur solutum pretium, Donatariis restitutum, ex *l. singularia ff. si cert. pet.* cum aliis in facto allegatis.

Certius hæc procedunt, quia adeo valida, & efficax re- 10
putatur in Jure donatio Principis, quoad Officia, ejusque pre-

pretium, ut nec quidem ab ipſo immediato Donatario poſſit, ex ordinaria poteſtate à Jure regulata, etiam ex cauſa publica, Officium donatum adimere; niſi ſolvendo illius pretium, vel dando recompenſam æqualem, cùm poſt donationem non differat Donatarius à quolibet privato Domino rei ſuæ Bald. *de feud. tit. de Allodii §. ad hoc ſub num. 17. verſ. quæro an in hoc caſu fol. mihi* 92. Gabr. *concl. Jur. lib. 3. de Jur. quæſit. non tollen. concl. 2. num. 25.* ubi plures Scrader. *de feud. tom. 1. fol. mihi* 562. *ſub num. 27. verſ. hoc tamen caſu*, Marta *de Juriſd. part. 4. cent. 2. caſ. 195. num. 28. & 29.* Menoch. *conſ. 103. num. 25. 29. & ſeqq.* Roland. *conſ. 69. num. 25. & ſeqq. lib. 2. & ſignanter ſub num. 28. verſ. facit etiam ubi ſequitur* Ruin. *conſ. 31. num. 22. & 23. lib. 5.* firmantem, quod Rex Franciæ, qui ex juſta Cauſa ademit Caſtrum uni donatum, tamen teneatur ſolvere Donatario Caſtri pretium, idem Roland. *conſ. 70. num. 11. & ſeqq. lib. 3.* Petra *de poteſt. Princip. 7. q. princip. num. 91. & 92.* Natt. *conſ. 127. num. 16. & conſ. 554. num. 14. & 15. ac in Iudicio de officiis à Principe conceſſis, & donatio* Capyc. Latr. *conſult. 38. num. 9. & ſeqq. & præſertim num. 44. & 50. ubi ita deciſum teſtatur tom. 1.* plenè Caldaſ. *conſ. 8. num. 68. & ſeqq.* Antunez. *de donat. Regiis lib. 1. par. 1. cap. 3. num. 62. & melius eodem lib. 1. par. 2. cap. 13. num. 12.* Solorzan. *de iur. Indiar. lib. 2. cap. 27. num. 55. & 58. & mult. ſeqq.* Fragoſ. *de Regim. Reipub. par. 1. lib. 3. diſp. 5. ſub n. 42. paulo poſt princ.* Franc. Marc. *deciſ. 38. per totam par. 1.* Cabed. *deciſ. Luſitan. 20. per tot. par. 2.*

Fortius igitur ſolvendum eſt pretium noſtris Poſſeſſoribus, qui verè illud ſolverunt mediatè, aut immediatè præfatis Donatariis, ob auctoritatem, & approbationem Pontificis, qui recepta reſignatione Donatariorum inveſtivit modernos Officiorum Poſſeſſores. Iſti enim officia receperunt à Pontifice, atque ipſum recognoſcunt in Auctorem potius, quàm incognitum Reſignantem, quem ideo conſulto non nominant in ordine pretii ſolvendi, ut ſcilicet manifeſtent ſe totaliter ſequi fidem Principis, ut fuit probatum ſuperius in §. *hinc enim duo reſultant*, & in terminis ejus qui emit à Donatario Principis, quod ſcilicet re per
11 ipſum Principem adempta, actionem habeat ad pretium contra Cameram ipſius Principis, deciſum fuit coram Puteo *deciſ. 381. lib. 3.* & ideo etiam; inſpecta Juris communis diſpoſitione, ſolvendum eſt pretium, quod à præfatis Donatariis, ſeu ab eis cauſam habentibus, ſolutum fuit, clarius autem ſtante Jure ſpeciali Bullæ Pianæ, ut ſupra.

Ex his abundè patet nullam cadere rationabilem dubitationem circa pretii quantitatem, ab unoquoque ex Officialibus, de tempore ſuppreſſionis viventibus, verè pro habendis officiis, ſolutum. Unde diſputatio reſtringitur ad augmentum pretii currentis de tempore ſuppreſſionis, ſupra id, quod unuſquiſque Officiorum poſſeſſor verè exburſaverat, an ſcilicet etiam iſtud argumentum ſit ſolvendum.

Ad congruam verò hujus articuli reſolutionem duo videntur examinanda. Primum an inſpecta Juris communis diſpoſitionem ſolvendum ſit præfatum argumentum.

Secundum, quatenus Juris communis vigore eſſet ſolvendum, an hoc de Jure privati fuerint Secretarii per Bul-
12 las ſpeciales hujus Collegii.

Quoad primum certa creditur Juris concluſio, quod Princeps, etiam ex cauſa publicæ neceſſitatis, vel utilitatis, privans aliquos rebus, & bonis propriis, tenetur ex juſtitia ſolvere iiſdem juſtum, & integrum earumdem rerum pretium, & quidem ex ſolidiſſima, atque inexpugnabili ratione, quod ſcilicet talium rerum poſſeſſores, non habent majorem cæteris obligationem contribuendi publicæ neceſſitati, aut utilitati. Unde ſi ultra privationem rerum ſuarum, quam inviti patiuntur, ferre etiam deberent juſti illarum pretii diminutione, utique contra juſtitiæ diſtributivæ leges nimium plus cæteris gravarentur. Roland. *conſ. 69. per tot. lib. 2. & conſ. 71. per totum ſignanter num. 9. et 10. lib. 3.* Natta. *conſ. 122. num. 16. et 17. & conſ. 554. num. 1. et per tot.* Peregr. *conſ. 16. num. 1. lib. 1.* Soccin. Sen. *conſ. 266. num. 55 verſ. reſpondeo lib. 2.* Solorzan. *de Iur. Indiar. tom. 1. lib. 2. cap. 21. num. 62.* Paſchal. *de Patr. poteſt. par. 1. cap. 1. num. 69.* Maſtrill. *de Magiſtr. lib. 3. cap. 4. tom. 1. num. 361. et ſeqq.* Caſtill. *contr. Iur. lib. 3. cap. 6. num. 6. et 12.* Spad. *conſ. 189. num. 8. lib. 3.* Marta *de Juriſd. par. 4. cent. 2. caſ. 195. num. 32.* Grævejus *pract. concluſ. tom. 2. concl. 56. conſid. 2. per tot. et ſignanter num. 5.* Cutell. *de donat. diſc. 2. partic. 6. num. 46.* plenè Petr. Anton. de Petr. *de poteſt. Princip. quæſt. 7. princip. fol. mihi* 193. *num. 49. et ſeqq.* Surd. *conſ. 303. num. 38.* Maſcard. *de general. ſtat. interpret. concl. 8. num. 60. et 62.* Aryas de Meſa *var. reſolut. lib. 2. cap. 49. nu. 7. et 18. in fin.* Cabed. *deciſ. Luſitan. 18. num. 14. et ſeqq. et deciſ. 20. num. 5. par. 2.* Revert. *deciſ. Reg. Cam. 436. per tot. deciſ. 445. num. 1. et deciſ. 243. num. 2. verſ. ubi dicit*, Rota coram Ubald. *deciſ. 478. num. 9. et ſeqq. ac ferè per tot. tom. 2.*

Cùm igitur Dominus Noſter per ſuppreſſionem privaverit noſtros principales Secretariatibus, quos poſſidebant, quamvis id egerit ex juſta publicæ utilitatis cauſa; Nihilo- 13
minus Camera ſolvere debet eiſdem principalibus juſtum, & integrum Secretariatuum pretium.

Pretium autem juſtum Secretariatuum eſt, certè non ſolùm id, quo olim illi empti, vel habiti fuerunt, ſed quidem illud, quod ex communi æſtimatione reputatur de præſenti, etiamſi temporis beneficio fuerit auctum, cùm iſta ſit virtus naturalis emptionis, ut trahat ad emptorem omne augmentum ſubſequutum, juxta *Text. in l. 3. §. Divi ff. de Iur. fiſc.* ibi: *Juſta pretia non ex præterita emptione, ſed ex præſenti æſtimatione conſtitui*, Peregr. *de Iur. fiſc. lib. 6. tit. 4. num. 8.* & in terminis Romanæ Curiæ Rot. *deciſ. 197. num. 1. ad 6. par. 15. recent. cum aliis notiſſimis.*

Atque de pretio ſolvendo à Principe adimente ex publi- 14
ca cauſa bona privatorum, quod ſcilicet pretium juſtum ſit illud, quod communiter de tempore ademptionis reputatur, non autem pretium antiquum, probant Grævejus *pract. concluſ. dicta concl. 56. conſid. 2. num. 5. lib. 2.* Caldaſ. *dicto conſ. 8. num. 70. prope fin. fol. 74.* Marin. *de confiſcat. quæſt. 18. num. 1. 21. & ſeqq.* Spad. *conſ. 189. num. 8. lib. 3.* Reverendiſſimus de Luca *de regal. diſc. 148. num. 18.* Revert. *d. deciſ. 436. per totum* ibique de Marin. *num. 1.*

Et quoad hujuſmodi Secretariatus docuit praxis Datariæ, quæ in dies illos vendidit pretio majori currenti de tempore vacantiæ, non autem antiquo, ſatis inde demonſtrans pretium juſtum non eſſe niſi currens de præſenti, ac proinde ne ultimi poſſeſſores fraudati remaneant in parte aliqua juſti pretii, conſequi omninò debent, etiam augmentum currens de tempore ſuppreſſionis.

Non obſtat, quod agatur de Officiis, in quibus poſſeſſores non habent plenum dominium, cùm directum ſemper maneat apud Principem.

Quoniam iſta diminutio dominii, quam privati habent in Officiis, efficit quidem, ut vilius reputetur eorum pretium, quàm ſi apud eos eſſet plenum dominium, non tamen operari valeat, ut Princeps, adimendo hæc officia, exi- 15
mere ſe poſſit à ſolvendo integrum, & juſtum pretium currens dominii utilis eorumdem officiorum, pro quo ſolum ſupplicatur, eadem namque prorsùs ratio ſervandi æqualitatem, & juſtitiam diſtributivam inter ſubditos, militat in habentibus ſimplex dominium utile, quoad pretium iſtius utilis dominii, ac in habentibus dominium plenum, quoad pretium dominii pleni, & ideò in Principe adimente feuda, officiis ſimillima, & quorum dominium reſidet pariter 16
apud Principem, noſtram concluſionem firmant Bald. *ſuper feud. tit. de allod. §. ad hoc ſub num. 17. verſ. quæro an in hoc caſu* Menoch. *conſ. 307. num. 50. & conſ. 377. num. 8.* Scrader. *de feud. 2. par. 9. partis principalis ſect. 11. ſub num. 27. verſ. hoc tamen caſu tom. 1. fol. mihi* 562. *optimè* Mart. *de iuriſd. par. 4. cent. 2. caſ. 195. num. 28. & ſeqq.* Roland. *dict. conſ. 69. num. 15. & ſeqq. lib. 2.* Nat. *dict. conſ. 554. ſub numer. 10. verſ. neque obſtat, & pluribus ſeqq.* ac Solorz. *de Iur. Indiar. lib. 2. cap. 27. à numer. 55. ad 58. fol. mihi* 450. ubi etiam agit de ſuppreſſione ſimilium officiorum, ut patet ex *num. 36. & ſeqq. & num. 46. & ſeqq.*

Similiter applicari non poteſt limitatio Principis privan- 17
tis ſubditum rebus ſuis per legem univerſalem, quo caſu non teneri Principem ad pretii ſolutionem, firmant aliqui relati per Capyc. Latr. *deciſ. 188. n. 58. & ſeqq.*

Quoniam ultra quod iſta concluſio eſt valde controverſa, & reiicitur à pluribus magni nominis Doctoribus, & ſignanter à Jaſon. *in l. Barbarius num. 44. ff. de Offic. Prætor.* Grevejo *pract. concl. lib. 2. concl. 56. conſid. 2. num. 8.* Maſtril. *de Magiſt. lib. 3. cap. 4. num. 356. tom. 1. lib. 1. cap. 27. nu. 38.* ubi in ſpecie de officiis, ex cauſa publica per viam legis, ademptis Affict. *in Conſtit. Regn. ea, quæ ad decus lib. 1. tit. quod nullus Prælatus, &c. rubr. 47. numer. 13. in verſ. licet*, Jaſ. *fol. 151. & deciſ. 321. num. 17.* Gabr. *concluſ. Iur. tit. de*

Iur.

Jur. quæſit. non tollend. concluſ. 2. ſub numer. 26. verſic. contrarium voluit, latè Antunez. *de donat. Reg. part. 2. lib. 1. cap. 2. num. 19. & 21.* adeout ſi neceſſe eſſet hanc diſputationem aſſumere in abſtracto, facilè oſtendi poſſet veriorem eſſe contrariam opinionem, atque uti æquiorem in judicando amplectendam.

Verſamur certè in terminis longè diverſis, & diſtantibus à caſu legis univerſalis.

Lex enim univerſalis ea ſolùm dici valet, quæ ſui natu-
18 ra, & aptitudine omnes comprehendit, ut de ſe patet, & notat Larrea *allegat. fiſcal. 3. numer. 11.* ibi: *Sed & lege univerſali, quæ omnes comprehendat*, Surd. *conſil. 313. numer. 99.* benè Jaſon. *in rub. ff. de legib. numer. 5. & ſeqq.* Roland. *conſil. 99. numer. 11. lib. 2.* Rota *deciſ. 50. à num. 15. ad 20. part. 2. diverſ.* & in puncto Cancer. *variar. reſolut. part. 3. cap. 3. à numer. 93. ad 98.* & de hac lege univerſali loquentes contrarii Doctores firmant, quod præſuppoſita juſta, & honeſta cauſa, impellente Principem ad condendam univerſalem legem, ſi ea per accidens aliquibus magnum damnum inferat, & rebus propriis privet, non teneatur Princeps illud reficere, quaſi provenerit ex caſu merè fortuito.

Talis autem nullo jure dici poteſt ſuppreſsio noſtri Col-
19 legii, reſtricta ad viginti quatuor perſonas, Secretariatus poſsidentes, nec alios includere valens, atque non per accidens, ſed ex objecto, & directè ordinata ad illorum privationem, & quod ſimilis actus non ſit lex univerſalis liberans principem à juſta pretii ſolutione, notat ſpecialiter Iaſon. *in dict. l. Barbarius num. 44. de officio Prætor.* Surd. *conſ. 313. num. 100.* Alex. *conſ. 191. num. 17. lib. 2.* Rolan. *dict. conſ. 69. num. 44. lib. 2.* Capyc. Latr. *dict. deciſ. 188. ſub num. 121. prope fin. verſ. quia non poſſe dici.*

Quoad ſecundum, firmato ex præmiſsis Jure conſequendi augmentum pretii currentis de tempore ſuppreſsionis, attenta pura juris communis diſpoſitione, nullatenus ſubſiſtere videtur, quod illud ademptum fuerit Secretariis per Bullas ſpeciales Collegii, ſcilicet ſanctæ mem. Innocentii Octavi, & Beati Pii V.

Quamvis enim in utraque Bulla non exprimatur alia promiſsio, quàm ſolvendi in caſum ſuppreſsionis integram ſummam à Secretariis verè ſolutam, ſine ulla diminutione, non tamen inde valet inferri pactum negativum, quod ſolùm non debeat augmentum pretii currentis, aliàs ex ſimplici Juris communis diſpoſitione debitum, ut ſupra, quatenus de tempore ſuppreſsionis reperiretur auctum ultra pretium ſolutum.

Siquidem dicti Pontifices in præfatis Bullis, & ſignanter in illis partibus, quæ pro Camera allegari ſolent, expreſsè declarant, quod intendunt ſolùm ſpeciali gratia, & privilegio favere Secretariis, eorumque ſecuritati conſulere, non autem Cameræ, prout clariſsimè legitur in Bulla Innocentii §. *Cæterum noſtro Summar. num. 1. alias in Bullar. tom. 1. Conſtit. 12. §. 25.* ibi: *Cæterum quoniam iidem Secretarii, &c. bona fide crediderunt ſimplici verbo noſtro. Nos dignum reputantes, ut ipſorum indemnitati conſulamus*, ac ſequitur obligando Cameram ad reſtituendum in caſu revocationis integram ſummam à Secretariis ſolutam, ut pariter in Bulla Pii §. *ad hæc*, ibi: *Ad hæc dictos Secretarios, & Collegium amplioris favoris gratia proſequi volentes*, ac poſteà immediatè diſponit, quod in caſu ſuppreſsionis: *reſtitui debeat Secretariis integrum pretium, quo eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*, ut in noſtro Summ. num. 3. poſt med.

Firmata autem certa, & incontrovertibili voluntate dictorum Pontificum conferendi ſimplicem favorem, & gra-
20 tiam Secretariis, omnis diſpoſitio ſubſequens dictam favendi, & privilegiandi expreſsionem, taliter explicanda venit, ut quidem addat aliquid Juris iiſdem Secretariis, non tamen quidquam detrahat de aliis juribus, ad ipſorum favorem à jure derivantibus, Textus eſt litteralis in dict. *l. hac ſaluberrima Cod. de præpoſitis agentium in rebus lib. 12.* & concordat Text. *in l. quod favore 6. Cod. de legib. & Conſtitut.* Bartol. *in dicta leg. hæc Saluberrima numer. 2.* Joan. de Platea *verſic. 2.* nota Perez. *in dict. tit. de præpoſit. Agent. ſub numer. 6. verſic. ubi amplius, & numer. 7.* Bald. *in auth. habita num. 6. C. ne filius pro Patre*, Alexan. *conſil. 32. num. 2. & ſeqq. lib. 5.* Jaſon. *conſ. 59. num. 9. & ſeqq. lib. 3.* Dec. *conſ. 457. num. 12. & ſeq.* Cephal. *conſ. 369. num. 108. & ſeqq. lib. 3.* Pariſ. *conſ. 61. num. 49. lib. 2.* Honded. *conſil. 71. num. 5. & ſequen. lib. 2.* Menoch. *conſil. 85. num. 113. & ſequen.* Surd. *de aliment. titul. 1. quæſt. 8. numer. 9. & ſequentib.* Cyriac. *controverſ. 297. numer. 33. & plenè controv. 291. num. 31. ad 49.* Rota *deciſ. 715. nu. 7. part. 4. tom. 3. recent.*

Porrò ſi promiſſio reſtituendi pretium verè ſolutum, quam ex motivo privilegiandi Secretarios, eiſque favendi fecit Innocentius, & Pius, contineret pactum negativum exadverſo prætenſum, quod eiſdem ſolvi non deberet augmentum fortè contingens, multum detraheret Juri Secretariorum, qui vigore Juris communis conſequi poſſent etiam augmentum ut ſupra; Ideoque ne contra ſolemniter ſancita in dicta *l. hac Saluberrima*, ſiniſtrè interpretemur gratiam, & privilegium Principis, fatendum eſt, quod promiſſio reſtituendi pretium verè ſolutum, facta fuit ſolùm ad aſſecurandum Secretarios à periculo diminutionis pretii, quæ alioquin eorum damno ſequi potuiſſet, addendo ipſis ex privilegio aſſecurationem ab hujuſmodi periculo in caſu ſuppreſsionis, non autem ad illos privandos augmento de Jure communi eis debito. 21

Imò ſi admitteretur contraria interpretatio longè majus intuliſſent Pontifices damnum Secretariis, quàm Beneficium, & ſic graviter illos, ſub gratiæ, & favoris nomine, decepiſſent, quod nefas eſſet opinari. Etenim aſſecuratio à ſimplici periculo diminutionis pretii futura erat penè inutilis. Nam ſi Officiorum pretia decreviſſent, non potuiſſet cogi Camera ad illa ſupprimenda, nec certè ſuppreſſiſſet, ceſſante utilitate totali, ac unica ſuppreſſionis cauſa, & ſic Camera non fuiſſet experta præjudicium promiſſæ aſſecurationis in caſu ſuppreſſionis, privatio autem Juris conſequendi pretii augmentum temporis, & commercio beneficio contingens, certum, & magnum cauſatura eſſet damnum Secretariis, nam hæc ipſa privatio invitaſſet Cameram ad ſupprimendum, ut ipſum ſubſecutum augmentum lucrifacerer, reſtituendo ſcilicet ſolum pretium ſolutum, & acquirendo fructus longè majores, temporis beneficio adauctos, & quàm ingens eſſet damnum hujuſmodi privationis, manifeſtat noſtrum Summarium, & dilucida facti narratio.

Similiter nec ex quo Pius mandaverit reſtitui pretium ſolutum argui debet, quod noluerit ſolvi augmentum pretii currentis, quod non expreſſit, quia hoc argumentum 22
ceſſat in Jure, ubi id, quod non exprimitur ſuppletur ex Juris diſpoſitione, ut in hoc caſu Rot. *deciſ. 220. numer. 19. part. 11. & deciſ. 17. num. 19. part. 16. recent.* Nos enim non egemus, quòd Pius hoc augmentum nobis conceſſerit, ſatis enim conceditur à Jure communi ex prædictis. Unde ſufficit quod illud non ademerit.

Firmiora tandem apparent omnia prædicta, inſpecta obſervantia ſecuta de tempore fel. mem. Alexandri VII. in ſuppreſſione Montium vacabilium, quorum pretium, cùm de tempore ſuppreſſionis reperiretur auctum, ferè ad dimidium ſupra id, quod Camera receperat, & præfatus Pontifex, prævia ſpeciali Congregatione, habita ſuper articulo ſolutionis hujuſmodi augmenti, diſcrepantes, & varias audiverit ſententias, itaut articulus reputatus fuerit in Jure dubius, & diſputabilis; Ideò gloriosè imitando Juriſconſultum in *l. non puto 10. ff. de Jure fiſci* reſpondentem, quod 23
in dubiis quæſtionibus contra fiſcum ſit judicandum; mandavit ſolvi Montiſtis ſingulis pretium currens, cujus augmentum ad maximam ſummam aſcendebat: hæc enim 24
Principis reſolutio poſt maturam articuli diſcuſſionem utique legem facit pro ſimilibus negotiis, ex Text. aperto in *l. finali, & leg. humanum 8. C. de legib. & Conſtit. capit. in cauſis 19. de ſentent. & re iudic.* Barboſ. *in dicta leg. final. numer. 1. & ſeqq. & in dicto capit. in cauſis numer. 1. 2. & 3.* ac plenè Antunez *de donat. Reg. part. 2. lib. 1. cap. 10. num. 40.*

Nec hujuſmodi reſolutio tribui poteſt meræ dicti Pontificis liberalitati, ob illa verba *pietatis, & munificentiæ noſtræ experimentum*. Quoniam cùm præceſſerit formalis articuli examen, & cognita fuerit illius in Jure dubietas, utique manifeſtum redditur Pontificem uſum fuiſſe præfatis verbis, ob loquentis decorem, & majeſtatem, cujus ſumma laus reputatur ſubmittere legibus Principatum, 25
juxta dictum Theodoſii *in l. digna vox C. de legib.* non tamen inde tollitur vera controverſæ quæſtionis deciſio, vim 26
legis habens, & plura extant exempla, quod Legislatores in decidendo dubias quæſtiones, & amplectendo partem privatis magis favorabilem, uſi fuerint verbis, ipſorum pietatē, & Imperialem munificentiam indicantibus, abſq; eo, quod

tamen

tamen dubitare liceat, quin ipſorum placita legis habeant vigorem ut patet in *l. unica in princ. C. non licere habitatoribus Metrocomiæ &c. lib.* 11. *l. hac Saluberrima in med. C. de Præpoſit. Agent. in rebus libr.* 12. *l. ſimus* 36. *in fine ante §. cum autem C. de inoffic. Teſtam. l. in univerſis* 11. *C. qui dari Tutor, vel Curator l. ſi unus* 27. *circa finem C. de donat. inter Vir. & Vxor. l. in rebus* 30. *circa finem C. de iur. dot. & in auth. de exiben. Reis collat.* 5. *ſub §. optimum quoque* ibi: *Hoc habeant, non tamquam paternam hæreditatem, ſed tamquam Imperialem munificentiam.*

Alii verò caſus, ex adverſo allegari ſoliti ad oſtendendam contrariam obſervantiam, inapplicabiles demonſtrantur per Dominum cauſæ Patronum, cum deficiat omnimoda
27 circumſtantiarum ſimilitudo, ſine qua inallegabilis remanet quælibet obſervantia, ex notiſſimis Juribus, ac benè explicat *Rota* coram Lodoviſ. *deciſ.* 162. *à num.* 1. *ad* 4. & ſignanter non probatur, quod in illis caſibus pretium currens eſſet majus eo, quod ab Officialibus fuerat ſolutum, Imò potius auditur quod reperiebatur diminutum, in qua circumſtantia ſtat vis diſputationis. Unde amplectenda omninò erit dicta obſervantia Alexandri, quæ nullam penitus habet cum noſtro caſu diſcrepantiam, niſi quod ibi de longe majori agebatur Cameræ intereſſe.

Atque ex his omnibus, ſimul junctis, reſolvendum videtur, ſolvendum eſſe pretium currens de tempore ſuppreſſionis.

Deſcendendo modo ad ſecundam noſtri dubii inſpectionem circa perſonas, quibus dictum pretium currens ſit ſolvendum, dubitatur ſolum de tribus, ob peculiares uniuſcujuſque circumſtantias, ſcilicet.

Primò de D. Equite Acciajolo.

Secundò de R. P. D. Curſio.

Tertiò de D. Marchione Ruſpolo.

Quoad D. Equitem Acciajolum, controverſia oritur ex eo, quod licet præfatus Eques emerit Secretariatum ab Eminentiſſimo Cardinali Chiſio de anno 1670. nihilominus non reperiatur expedita ſolita Bulla conceſſionis officii in ejus perſona. Unde prætenditur ex adverſo ſolvendum eſſe ſolum pretium ſcutorum 14000. ſolutorum à dicto Cardinali Chiſio, quamvis ipſe Eques Acciajolus, pro habendo officio, ſolverit Cardinali ſcuta 22000. Verum favore D. Equitis reſolvendum creditur ex pluribus.

Primò, quia cum ex prædictis ſolvendum ſit ſingulis Secretariis pretium currens, ideo ſive attendatur perſona Cardinalis Cheſii, ſive Equitis Acciajoli, ſolvi debet non minus, ſed plus ſcutis 22000. cum pretium currens de tempore ſuppreſſionis aſcenderet ad ſcuta 23000.

Secundò, quia Bulla Piana utens illis verbis *emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*, nequit reſtringi ad illos ſolum, qui officia habent in titulum, ſed comprehendit etiam illos,
28 qui in effectu habent omne officii commodum, & utilitatem, prout certè habebat Eques Acciajolus, cum talis ſit vis, & ſignificatio illius verbi *habuiſſe*, ex allegatis in principio.

Tertiò, quia de facto ſignata reperitur ſupplicatio per
29 Pontificem favore dicti Equitis. Unde gratia, quoad ſubſtantiam remanet perfecta, etiam ſi non fuerit proceſſum ad alias formalitates requiſitas ſolum ad probationem, adeò ut nec per obitum Papæ ſignantis gratia expiret Boer. *deciſ.* 348. *num.* 7. Coccin. *deciſ.* 869. *num.* 9. *& deciſ.* 888. *num.* 22. *& deciſ.* 1743. *in princ. & ſeqq. ubi concord.*

Quartò quia etſi non haberemus gratiam per ſignaturam Papæ perfectam, nihilominus cum ante ſuppreſſionem fuerit pro expeditione reſignationis ſupplicatum; Supplicatio haberi debet quoad Cameram, & Dominum Equitem pro expedita, itaut ſub hoc prætextu nullum pati debeat Eques pretii detrimentum.

Quoniam ſanct. mem. Innocentius Octavus in Bulla erectionis Collegii, ſub Pontificia fide, promiſit admiſſionem reſignationis hujuſmodi Officiorum, quocumque tempore, ſine ulla penitus retardatione, ex quacumqe cauſa, *& in §.* 11. ibi: *Pari modo volentes ut omnes Secretarii libere poſſint de dictis eorum Officiis diſponere, nec poſſit, aut debeat eorumdem officiorum reſignationis receptio, etiamſi reſignantes ipſi infirmi, & veriſimiliter infra* 20. *dierum ſpatium deceſſuri forent, & decederent* per Romanum Pontificem, *quavis ratione denegari, aut differri.* Ubi autem Princeps ſpeciali obligatione ſe adſtringit ad præſtandum conſenſum, tunc per ſimplicem petitionem intereſſe habentis, habetur pro præſtito, etiamſi ſequuta non fuerit expeditio, dummodo impedimentum non dederit culpa aliqua, vel incapacitas ipſius petentis, quod hic abeſt Burſatt. *conſ.* 156. *num.* 6. 11. *et ſeqq.* Gratian. *diſcept.* 33. *num.* 40. *et ſeqq. et diſcept.* 730. *num.* 55. *et ſeqq.* Surd. *deciſ.* 182. *num.* 12. *et deciſ.* 344. *num.* 56. A Ponte *deciſ.* 6. *num.* 11. *et ſeqq.* Rota *deciſ.* 278. *num.* 26. *et* 360. *num.* 6. *par.* 9. *et deciſ.* 129. *num.* 15. *et* 16. *ac plenius deciſ.* 408. *num.* 39. *et ſeqq. par.* 16. *recent.*

Nec quidquam obſtat, quod de tempore huius ultimæ petitionis nota jam eſſet voluntas ſupprimendi Collegium.

Quia cum adhuc non eſſet ad actum perducta, ſed in 31
mente retenta, nihil poſuerat in eſſe, nec in aliquo Officiorum naturam alteraverat. Unde dicta ſimplex voluntas impedire non poterat, quin Secretarii omnibus ſuis Juribus, ex officiorum natura derivantibus, uterentur ad *Text. in l. legem* Anaſtaſii 7. *C. de natural. liber. et ſignanter poſt medium* ibi: *Non ante lata ſanctio, quàm ex hoc die reſecanda*, pia urget ratio Perez. *in C. tit. de legib. num.* 20. Rota coram Cavaler. *deciſ.* 635. *num.* 1. & apud Pacific. de Salvian. *deciſ.* 150. *num.* 11. coram Buratt. *deciſ.* 199. *num.* 4. *et* 5. *ac in recent. deciſ.* 360. *num.* 9. *par.* 16. alias non impleretur, ſed excluderetur Pontificia promiſſio nulla ratione, & cauſa denegandi, aut differendi admiſſionem reſignationis; jam enim aliqua ratione, & cauſa denegata fuiſſet.

Fortius, ponderando, quod ſi uſque ad ultimum momentum actualis ſuppreſſionis ſecutus fuiſſet obitus alicujus Officialis, prout certè ſequi poterat, utique Camera lucrata fuiſſet Officii ſortem, abſque eo, quoad præcedens ſupprimendi determinatio patrocinari potuiſſet defuncti officialis hæredi, hinc autem per neceſſe ſequitur, quod ſicut Camera uſque ad ultimum momentum, quo officia extiterunt non ſuppreſſa, retinebat ſpem lucrandi ſortem, ita pariter toto hoc tempore ſervare, & adimplere deberet pacta promiſſa, inter quæ præcipuum eſt illud admittendi, nec ulla ratione denegandi, aut differendi reſignationis admiſ- 32
ſionem, quorum pactorum comtemplatione Officiales ſe ſubmiſerunt dicto periculo, alias non contracturi ex benè deductis per Rot. *in Romana ſocietatis Officiis* 2. Junii 1608. coram Lancellot. impreſs. penes Marcheſ. *de Comiſſ. par.* 2. *fol. mihi* 838. Seraph. *deciſ.* 225. *per tot.* Royas *deciſ.* 64. *num.* 6. *et ſeqq.* & latè Card. Otthob. *deciſ.* 131. *à num.* 1. *ad* 7. *et num.* 16. Neque hic intrare poteſt ulla ſimulationis vel fraudis præſumptio, ob quam denegari poſſet reſignationis admiſſio; cum enim conſtet de venditione inter partes ſtabilita, ac cum pretii ſolutione, ac fructuum perceptione effectuata ante plures annos, itaut etiam à ſanctæ mem. Clemente Decimo ſignata fuerit ſupplicatio, utique petitio ad- 33
miſſionis reſignationis, in eo rerum ſtatu, dici non poterat fraus, & ſupplantatio Cameræ, ſed quidem prudens conſilium, quo mediante D. Eques ſuæ indemnitati perſpicebat, ex benè traditis per Tiraquell. *de retract. in præfat. à num.* 78. *ad fin.* Decian. *conſ.* 23. *num.* 19. *et* 20. *lib.* 2. plenè Buratt. *deciſ.* 6. *num.* 11. *et ſeqq.*

Cum igitur uſque ad actum ſuppreſſionis viguerit in ſuo robore Pontificia promiſſio admittendi, & nulla ratione denegandi reſignationis admiſſionem, haberi debet pro admiſſa per ſimplicem petitionem, ante dictam ſuppreſſionem, itaut D. Eques conſiderari debeat in ſua propria perſona, perindè ac ſi reſignatio fuiſſet expedita, ex ſuperiùs allegatis.

Quoad R. P. D. Curſium, cum ipſe de tempore ſuppreſſionis eſſet actualiter Secretarius, reportata Pontificis conceſſione, & officii poſſeſſione, ſub nomine D. Abbatis Sanctacrucii; fundatam ſimiliter habet ſuam intentionem pro conſecutione totius pretii ſoluti; & currentis, prout habent omnes alii Secretarii, tam ex Jure communi, quàm ex forma meritabili Bullæ Pianæ, quæ expreſſis verbis diſponit favore omnium Secretariorum, de tempore ſuppreſſionis viventium, ſine ulla penitus limitatione Unde redeunt hic ad ejus favorem omnia, quæ ſuper prima dubii parte dicta fuere.

Stante verò adeo ſolido ejus intentionis fundamento, denegari ei non poteſt totius pretii ſolutio, niſi concludenter probetur à Camera exceptio aliqua legitima, apta ad ipſius intentionem deſtruendam.

Duplex audita fuit exceptio. Altera quod reſignatio non fuerat obtenta bona fide.

Altera verò, quod Dominus Subdatarius dixerit oretenus præfato R. P. D. Curſio, quod Congregatio licèt decreviſſet expeditionem reſignationis ad ejus favorem, tamen

non

non intendebat approbare pretium inter Patres conventum.

Quoad primum, ex deductis superius pro Domino Equite Acciajolo, constat hic non adaptari considerationem bonę, vel malæ fidei, scilicet præcognitæ suppressionis, dum alioquin officii venditio non fuit simulata, sed vera, & quidem stabilita, & irretractabiliter firmata, antequam de suppressione cogitaretur, prout factum fuisse cum D. R. P. Cursio non dubitatur. Poterant enim Officiales ante actualem suppressionem, liberè uti omnibus ejus juribus, sincerè perficiendo, & exequendo fidem præcedentium contractuum, etiamsi id agerent ad consulendum propriæ indemnitati, ex supra allegatis, & sic ista exceptio si subsisteret in facto, nullam haberet Juris revelantiam. 34

Cæterum nec in facto subsistit, nam respectu Domini Cursii emptoris, certè nulla considerari poterit mala fides, cum contractum firmaverit, & ordinem consignaverit die 4. Septembris anni 1677. de quo tempore nullus aderat suppressionis rumor, & post ordinis consignationem non erat amplius in ejus potestate contractum dissolvere, tam ex legis vigore quàm ex stylo.

Minus autem respectu Cardinalis resignantis, cuius minister purè exequendo contractum jam firmatum die 27. Octobris sequentis, consignavit in manibus Domini Claudii Druot Componendarum Administratoris ordinem R. P. D. Cursii atque omnia alia necessaria, ut in forma solita resignationem expediri curaret; hac enim die pariter nulla penitus evulgata fuerat suppressionis fama, prout creditur exadverso fatendum, & satis constat ex eo, quod dictus Componendarum Minister liberè in forma solita commissionem expeditionis recepit, nullo facto verbo de futuræ suppressionis cognitione, prout è contra de ea loquutus fuit, quando post paucos dies idem Minister Cardinalis resignantis rediit ad eumdem pro expeditione recipienda, tunc enim respondit, quod meditans Sanctissimus Dominus Noster Collegium supprimere, mandaverat suspendi resignationum expeditiones, sine speciali ordine Sanctitatis Suæ, quod occasionem præbuit Cardinali resignanti recurrendi ad eumdem Sanctissimum, qui dignatus fuit supplicationem remittere particulari Congregationi, tunc deputatæ pro Justitia, in qua exactissimè discussa materia, resolutum fuit ex Justitia hanc resignationem esse relaxandam, & expediendam in forma solita, prout factum fuit, nulla posita limitatione.

Hinc enim manifestum redditur, quod cum omnimoda bona fide, & ante ullam futuræ suppressionis notitiam Cardinalis prima vice pro resignationis expeditione apud solitum Ministrum instetit, quo principio admisso inutilis re- 35
manet ad malæ fidei inductionem superventa suppressionis notitia, & deputatio Congregationis super hac materia, quæ plures menses postea occupavit. Nam Cardinalis prosecutus fuit solum primam instantiam, ante ullam suppressionis notitiam inceptam, nec quidquam egit de novo.

Atque hanc omnimodam Cardinalis resignantis bonam fidem, ingenuè testati fuerunt in ipsa Congregatione integerrimi Datariæ Ministri, eamque canonizavit resolutio ejusdem Congregationis postea secuta, & effectui demandata.

Quoad secundam exceptionem, licet admittatur in facto, tamen inutilis creditur ad effectum quidquam minuendi de pretio, per R. P. D. Cursium soluto, ex pluribus per Dominum causæ Patronum ponderatis; maximè dum post hujusmodi assertionem Domini Subdatarii, de facto expedita fuit resignatio, sine hac declaratione non approbandi pretium, & facta fuit in calce ordinis solita fides resig- 36
nationis, nullo superaddito verbo. Unde potius iste ultimus actus in scriptis redactus, & omninò certus considerandus venit, quàm præcedens verbalis assertio, cui subsecutum est factum contrarium ad *Text. in cap. Dilecti filii* 52. *de appell. & l. si tamen* 48. §. *ei qui servum ff. de ædilic. edict.* Greg. *decis.* 247. *num.* 18. Coccin. *decis.* 1369. *num.* 71. *& decis.* 386. *num.* 9. *par.* 16. *recent.*

Ponderando etiam, quod R. P. D. Cursio in nihilo prodesse valebat præfata declaratio Subdatarii, quoniam ipse ex parte sua jam perfecerat irretractabiliter contractum per ordinis consignationem, juxta notorium stylum.

Præterà cùm intentio R. P. D. Cursii fundetur, nedum in jure communi, sed in Bulla speciali sanctæ mem. B. Pii Quinti mandante expresè solui in casu suppressionis *singulis Secretariis tunc viventibus integrè, & absque ulla diminutione pecunias, pro quibus Secretarios officia emisse, aut habuisse constiterit*, suffragari non potest ad tollendum Jus ex hac Bulla resultans dicta declaratio, quod *Dataria non intelligebat approbare pretium*. Bulla enim promisit solutionem totius pretii verè pro habendis officiis exbursati, non autem requirit, quod idem pretium fuerit solutum prævia approbatione Datariæ, ut constat ex relatis verbis; Unde dum aliunde, etiam citra Datariæ approbationem, probat Jus suum, & veram quantitatem pretii soluti R. P. D. Cursius, scilicet ex Bulla Pii, nequit eo privari ob dictam declarationem non approbandi, quæ non est apta tollere ea, quæ sunt à lege decisa, & determinata, ut notat Salicet. *in l. alimenta* 11. *num.* 4. *ff. de neg. gest.* Roman. *cons.* 247. *num.* 6. Thomat. *decis.* 51. *num.* 23.

Et verè dicta declaratio Domini Subdatarii facta potius censeri debet ad reservandum illæsa Jura Datariæ circa prætensionen, quam postea manifestavit solvendi omnibus Secretariis solum pretium ab ipsis immediatè solutum Cameræ, non autem id plus, quod solverunt resignantibus, interpretando in hunc sensum Bullam B. Pii, ne scilicet postea R. P. D. Cursius, audiendo hanc novam prætensionem, se existimaret deceptum, stante pretii approbatione, quæ tamen prætensio satis confutata fuit superius ex solo tenore Bullæ Pianæ, etiam secluſa approbatione pretii, fieri solita per Datariam, quæ approbatio ponderata solum fuit ex abundanti.

Nunquam verò intelligi potest dicta declaratio facta ad diminuendum Jus, quod alioquin ex solius Bullæ dispositione haberet D. Cursius, ad hunc enim effectum certè non sufficiebat simplex declaratio non approbandi pretium sed necesse erat, vel pactum expressum, quo mediante D. Cur- 37
sius remitteret Jus suum, & conveniret de recipiendo, in casu suppressionis, minus pretio soluto resignanti, vel suprema auctoritas Papæ, qui ab eo Jus dictæ Bullæ Pianæ adimeret, sine quorum altero Jus nostrum à nobis auferri non potest, & in dubio præsumitur neminem privatum velle jus suum remittere, nec Principem velle eidem præjudicare, juxta vulgatas regulas.

Tandem quoad D. Marchionem Ruspulum fundata pariter remanent ipsius Jura, ex deductis pro cæteris Secretariis, non obstante, quod sit summo senio confectus, in qua ætate Dataria non admittit resignationes.

Quia, ut benè respondet Dominus causæ patronus, spe- 38
ciale est in hoc Collegio, ut nec ratione senectutis denegari possit admissio resignationis, cùm in hoc clarissima sit erectionis lex, mandans, quod nulla ratione recusari possit, & recipiatur etiam à proximè morituro, qui verè paulò post decedat, unde hæc lex specialis facit cessare legem generalem ad Text. *in l. Sanctio legum* 41. *ff. de pœn. ubi* Bartol. Fagnan. *in cap. cum dilectus numer.* 64. *& seqq. de consuetudin.*

Et tamen non sumus hodie in resignatione admittenda, 39
sed in suppressione, quæ sive cadat in senem, sive in juvenem, requirit omninò pretii solutionem, tam ex jure communi, quàm ex Bulla B. Pii nullam ætatis distinctionem admittente.

Quare &c.

Dominicus Thaurusius Advoc.

RO-

ROMANA PRETII SECRETARIATUUM APOSTOLICORUM.

SEXTA JURIS.

SUMMARIUM.

1 *Verba privilegii latiſſimam recipiunt interpretationem contra concedentem.*
2 *Etiam mediante extenſione, & impropriatione.*
3 *Verba* realiter, & cum effectu, integrè, & ſine ulla diminutione, *appoſita in Conſtitutione Beati Pii, ſtant demonſtrativè, non taxativè.*
4 *Indebitum non conſideratur reſpectu ſolventis an debeat, ſed reſpectu recipientis an ſibi debeatur.*
5 *Non dicitur indebitum, ſi præcedenter aderat obligatio reſtituendi quod non fuerat receptum.*
6 *Potius eſt ſuccurrendum habenti cauſam oneroſam, ne ſit in damno, quàm favendum alicui in cauſa lucrativa.*
7 *Fiſcus non tenetur ad duplum in præſtanda evictione.*
8 *Tenetur tamen ad damna, & intereſſe.*
9 *Princeps neque per viam legis generalis poteſt auferre rem propriam ſubdito, niſi reſtaurato damno.*
10 *Verba ſynonyma dicuntur, quæ idem ſignificant.*
11 *Verbum* emere *ſignificat dominium pretio acquirere.*
12 *Verbum* habere *comprehendit omnem acquirendi modum.*
13 *Non licèt redarguere litteras Apoſtolicas de mala latinitate.*

R.P. CONſtitutio Beati Pii Quinti non eſt contractus, ſed privilegium, etiam juxta ſenſum Cameræ, editum favore Secretariorum; quod patet ex illius tenore, & ex ponderatis à me in informatione §. emanarunt.

Igitur Domini Camerales malè arguunt, dum dicunt verba in contractibus intelligenda eſſe ſtrictè, ad differentiam ultimarum voluntatum, & proindè inferunt verbum *reſtituere*, quo B. Pius utitur, accipien. eſſe ſtrictè, & pedagogicè pro *reddere acceptum*, quia nos non verſamur in
1 eo tractu, ſed in privilegio, in quo verba latiſſimam recipiunt interpretationem contra Principem privilegiantem, *l. Beneficium ff. de Conſtitut. Princip. cap. quia circa de priv.* Alexand. *conſ.* 110. *num.* 10. *lib.* 6. Dec. *conſ.* 25. *nu.* 96. *lib.* 1. etiam extendendo, & impropriando verba *gloſſ. l. hac ſa-*
2 *luberrima verbo convertere C. de propoſit. agent. in reb. lib.* 12. Olrad. *conſ.* 300. *à nu.* 1. *ad quintum.*

Verba realiter, & cum effectu, integrè & ſine ulla dimi-
3 *nutione* ſunt prolata ad favorem, & cautelam Secretariorum, ut liquet ex ipſa Conſtitutione, ideò ſtant demonſtrativè, non taxativè, nempè ſecuros reddunt Secretarios, ut ipſis reſtituatur ſolutum, etiamſi officia minoris valerent tempore extinctionis, non autem excludunt quin ſi pluris valerent, id etiam non reſtituatur, ut ex Fagnan. *in cap. ex Epiſtolæ de probat.* & aliis oſtendimus in Informationibus.

Et cùm dicta verba referantur ad perſonas Secretariorum ibi-*Secretariis tunc viventibus, &c. per eos ſolutis, &c.* Intelligenda ſunt reſpectu eorumdem Secretariorum, qui debent recipere omnes pecunias per eos ſolutas, & proindè ceſſat argumentum Dominorum Cameralium, quod Camera non debeat reſtituere, quod non recepit, cùm hoc videretur quædam ſpecies indebiti, quia retorquendo argumentum dico, quod indebitum non conſideratur reſpectu ſol-
4 ventis an deberet, ſed reſpectu recipientis, an ſibi deberetur *l. repetitio ff. de condit. indebit. l. de hæred. C. de petit. hæred. l. de quare* §. *cum abſentem, &* ibi *gloſ. verb. repetere, ff. de iudic.*

Maximè verò cùm B. Pius ſciret tempore dictæ Conſtitutionis plures adeſſe Secretarios, qui officia habuerant ex reſignatione privatorum, & longè plures futuros prævidere potuit, tempore ſuppreſſionis, cùm videret officia quotidiè reſignari.

Et eſſe in privatorum commercio, ad inſtar rei in Foro venalis; Et rurſus cum ipſe in dicta Conſtitutione aſſignaſſet Collegio unum officium, pretio ſcutorum aureorum 5500. cum facultate illud reſignandi perſonis ſibi benè viſis, & pretium recipiendi, etiamſi in magna quantitate excederet dictam ſummam, pro qua illud ipſe aſſignaverat Collegio, inde benè idem B. Pontifex intellexit pretia Officiorum in dies creſcere, & officia reſignari, & nihilominus voluit omnibus indiſtinctè Secretariis, viventibus tempore ſuppreſſionis, reſtitui per Cameram pecunias ab eis ſolutas.

Quibus perpenſis nimis clarè patet, quod complexus eſt tam eos, qui à Camera, quàm qui à privatis emerant, ſeu habuerant; Et conſequenter voluit, quod Camera ſolveret tam pro ſe, quàm pro privatis, qui officia vendiderunt Secretariis viventibus tempore ſuppreſſionis, undè eo certius nequit Camera ſe eximere ab indiſtincta, & uniformi reſti- 5
tutione omnibus facienda, ſub prætextu indebiti, quoad eos Secretarios, à quibus ipſa non recipit, ex notabili theorica Batt. *in l. ſi penè* §. *primo ff. de condit. indebit.* quam reaſſumit Nois *de contract. tractat. de indebit. tit. de cauſ. quæ faciunt ceſſare condit. indebit. nu.* 10. *&* 11.

Ex dicta aſſignatione officii facta per Beatum Pium V. Collegio, pretio ſcutorum aureorum 5500. plura alia deducuntur contra Cameram.

Primum, quod ideo Beatus Pius Quintus reſtitui mandavit Cardinali Mediceo dictos aureos 5500. quia pretium non creverat modico tempore unius anni, qui interceſſerat à die venditionis illi factæ per Cameram.

Secundum quod ſi ad præjudicium Cameræ donavit Collegio augmentum pretii dicti officii illi aſſignati, multò magis voluit indemnes eſſe Secretarios, tempore ſuppreſſionis viventes, per reſtitutionem ipſis à Camera faciendam integrè, & abſque ulla diminutione pecuniarium per eos ſolutarum; nam non eſt veriſimile, quod voluerit favere Collegio in cauſa lucrativa, & damnum afferre ſingulis Secretariis habentibus cauſam oneroſam, contra monitum in *l. aſſidnis* §. *hæc autem C. qui pot. in pignor. hab.* 6

Tertium quod ſemper verum eſt, quod Cardinali Mediceo fuit reſtitutum pretium per ipſum antea ſolutum, unde actus prædictus nullo modo retorqueri poteſt contra nos.

Extranei ſunt à caſu noſtro termini evictionis reſpectu dupli, ad quam non tenetur Fiſcus ex *leg. ſi propter ff. de iur.* 7
Fiſc. cum aliis exadverſo cumulatis.

Quia nos non petimus pœnam à Fiſco, ſed indemnitatem noſtram, & ad hanc Beatus Pius ſæpe dicta ſua Conſtitutione obſtrinxit Cameram, dum juſſit, quod in caſu moleſtiarum teneretur Collegio ad reſtitutionem dict. 5500. aureorum unà cum damnis, & intereſſe, quod utique includit etiam pretium currens, ultra ſolutum ab initio, nam in hoc conſiſtit damnum Secretariorum, & tanti ſua intereſt officia fuiſſe ſuppreſſa, quanti valet tempore ſuppreſſionis, 8
& eſt etiam de jure, quod Fiſcus teneatur ad damna, & intereſſe *cap. unic. in fin. &* ibi: *gloſ. de nov. form. fidel. l. ſi min. ubi pariter gloſ. verb. inferenti verſ. nec liberatur C. de iur. fiſc. lib.* 10. Pont. *de poteſt. Proreg. tit.* 4. §. 4. *nu.* 24. Marin. *reſol. quotid. lib.* 1. *cap.* 149. *& extenſo dicto tex. exadverſ. allegat. in l. ſi propter ff. de iur. fiſc.* dixit Rot. *coram Seraphin. dec.* 787. *nu.* 6. *&* 7. benè diſtinguens aliud eſſe, quod Fiſcus non teneatur ad pœnam dupli, vel tripli, aliud, quod non teneatur ad damna, & intereſſe, & individualiter ad hæc teneri Cameram Apoſtolicam firmant Soccin. *conſil.* 156. *n.* 5. *lib.* 2. & Rota apud Pacif. *de ſalv. interd. dec.* 285. *nu.* 4. *& duob. ſeqq.* ubi agitur de ſuppreſſione gabellæ facta à Papa ex natura rei, & tamen dicitur teneri ad damna, & intereſſe.

Quod eſt Conſtitutione Innocentiana non deberetur Officialibus in caſu extinctionis pretium ſolutum ab unoquoque, ultra ſcut. 62400. auri ſoluta à Collegio in erectione, conſtanter negamus, & ſatis probavimus in informationibus, in quibus oſtendimus illa verba ſtare demonſtrativè, & intelligi cum ſuppoſito, quod non fuiſſet mutatus ſtatus, & valor officiorum, illatio ideo corruit, quæ fit à DD. Cameralibus ex aſſumpto non ſubſiſtente, nempè, quod cum Innocentiana non eſſet reſtituendum ultra ſolutum Cameræ, hoc eſt ultra aureos 62400. Piana ſatis privilegii, & beneficii attulerit Secretariis, jubendo reſtitui alias pecunias ſolutas, ſed ſemper intelligendo de ſolutis Camerę, nam ut dixi ſuppoſitum non ſubſiſtit.

Quę longa verborum pompa dicuntur de ſuppreſſione 9
hujus Collegii per viam legis generalis refelluntur à Capyc.

Card. de Luca de Offic. Venal. &c.

Galeott. *controv.* 52. *à nu.* 35. *ad finem*, quem pro omnibus allegare ſufficit.

Effugere non poſſunt DD. Camerales vim verborum *emiſſe*, aut *habuiſſe*, quæ ſunt comprehenſiva omnium Secretariorum tunc viventium, tam eorum qui emerunt officia, quàm, qui alio modo habuerunt, & tam â Camera, quàm à privatis, dicendo illa eſſe ſynonyma, quia verba ſynonyma dicuntur ea, quæ idem ſignificant, ut verbum enſis ſpata, ut monet Alberic. *in dictionario verb. ſynonyma* ſed verbum *emere* ſignificat dominium pretio acquirere *Inſt. de empt. & vendit. in princ.* verbum autem *habere* comprehendit omnem modum acquirendi, ut oſtendi in informatione §. *Et cum conſtitutio*, igitur non ſunt ſynonyma, & dicere quod Papa habuerit illa pro ſynonymis, cum non ſint, eſſet redarguere litteras Apoſtolicas de mala latinitate, quod non licet *cap. Apoſtlicæ cauſ.* 35. *quæſt.* 9. *ubi gloſſ. verb. decoquitur*, Imol. *conſ.* 133. *nu.* 5.

Quæ percutiunt obſervantiam Cameræ reſtituendi pretium, currens tempore ſuppreſſionis officiorum, adducuntur à nobis in particulari ſcriptura, gratia majoris brevitatis, & claritatis ideò hic omittuntur &c.

Quare &c.

F. Fatinellus Advoc.

ROMANA PRETII SECRETARIATUUM APOSTOLICORUM.

SEPTIMA JURIS.

SVMMARIVM.

1 *VErbum* reſtituere *verificatur etiam in eo, quod quis non accepit.*
2 *Pater dicitur reſtituere dotem habitam à filio.*
3 *Reſtituere ſignificat idem quod perſolvere.*
4 *Maximè quando eſt adiectum quantitati.*
5 *In Bulla Beati Pii accipitur pro eodem ſolvere, & reſtituere.*
6 *Appellatione damnorum, & intereſſe venit augmentum pretii.*
7 *In quacunque evictione reſtituendum eſt pretium, unà cum damnis, & intereſſe,*
8 *Et quidem pretium currens de tempore evictionis, ſi illud maius ſit pretio ſoluto.*
9 *Diverſitas intentionis arguitur, ex diverſo modo diſponendi.*
10 *Bulla Innoc. Octavi mandans reſtitui ſcut. 62. m. intelligitur dummodo Camera maiorẽ ſummam non recepiſſet.*
11 *Princeps auferens rem conceſſam mediante pretio, tenetur omnia accepta integrè reſtituere.*
12 *Dictio* tunc *denotat extremitatem temporis.*
13 *Dictio* eos *eſt perſonaliſſima.*
14 *Refertur ad proximè nominatos.*
15 *Verba* emiſſe, & habuiſſe *ſignificant omnem acquirendi modum.*
16 *Verba ſynonyma ſunt illa, quæ idem ſignificant.*
17 *Verba ſunt intelligenda ſecundum illorum latitudinem, & ſignificationem.*
18 *Superfluitas ſemper eſt vitanda.*
19 *Verba ſatis operantur, ſi tollunt dubietatem, & maiorem expreſſionem inducunt.*
20 *Verbum genericè poſitum debet genericum habere ſignificatum.*
21 *Qui ſecutus eſt publicam fidem, non debet in aliquo præiudicari.*
22 *Obſervantia eſſe debet individualis, ad hoc ut ſuffragetur.*
23 *Princeps tenetur ſervare leges, & eſt ſubiectus contractibus.*
24 *Nec de plenitudine poteſtatis contravenire poteſt contractui.*
25 *Non poteſt auferre bona privatorum, pretio non reſtituto, etiam ſi agat per viam legis generalis, & ex cauſa publica.*
26 *Non dicitur lex generalis, quæ ſolum tangit unum Collegium.*

R.P. QUoad quantitatem pretii, reſtituendam in caſu ſuppreſſionis, litteralis eſt Conſtitutio Beati Pii, ut in caſu ſuppreſſionis reſtituerentur realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis, tum ſcilicet tempore ſuppreſſionis viventibus, integrè, & abſque ulla diminutione, pecuniæ per eos Secretarios tunc vivẽtes erogatę in emptione, aut acquiſitione officiorum, quæ Conſtitutio non poteſt intelligi, & declarari, ut diſponat eſſe reſtituendum ſolum illud pretium, quod aliquando Datarię fuiſſet perſolutum, nam eadem Conſtitutio, & verba illius reſpiciunt ipſos Secretarios, itaut habere debeant ſinguli pecunias ab ipſis erogatas integrè, & ſine diminutione, & officia ſunt venalia, & majors pars Officialium ſemper habet officia acquiſita per reſignationem ab aliis Officialibus, & ita intellecta Conſtitutione, juxta ſenſum Datariæ, ſeu Camerę, aut DD. pro illa ſcribentium, neceſsè eſt facere vim verbis, & non reſtituerentur omnibus Oficialibus integrè pecunię per ipſos ſolutæ in acquiſitione officii, prout voluit Beatus Pontifex per verba univerſalia, & reſpectivè perſonaliſſima, ut oſtendimus in noſtris informationibus.

Nec obſtat unicum verbum *reſtitutis*, in quo exadverſo totum ferè conſiſtit fundamentum, quaſi illud ſolùm importet retrodonationem ejus, quod quis accepit, quia etiam dictum verbum, ſicut & alia reſpicit ipſos Secretarios, ut officium ſupprimi non poſſit, niſi eiſdem reſtituta pecunia per eoſdem ſoluta, & ſecundum omnimodam proprietatem verbi *reſtitui*, dicitur alicui id, quod fuit ab ipſo ſolutum, ſive reſtituatur ab eo, qui illud accepit, ſive ab alio, unde pater rectè dicitur reſtituere dotem habitam à filio, juxta *Text. in l. ſi cum dote* §. *tranſgrediamur ff. ſolut. matr.* & ibi Barboſ. *n.* 16. Capyc. Latr. *dec.* 36. *num.* 2. & docet communis uſus loquendi, & ulterius illud verbum *reſtituere*, varias habet ſignificationes, & ſecundum ſubjectam materiam, prout dicunt debere intelligi DD. Camerales, propriè ſignificat idem, quod verbum *perſolvere*, & dare, Rota *coram Arguell. dec.* 77. *num.* 12. *& ſeqq. & dec.* 90. *nu.* 23. neque iſta eſt impropria ſignificatio ſed propria, quando verbum reſtituere eſt adjectum quantitati, prout in caſu præſenti, Rota *coram Arguell. dicta deciſ.* 77. *ſub nu.* 13. *verſ.* & apud bonæ litteraturæ Auctores, *& dict. dec.* 90. *nu.* 23. *&* 27. & probat etiam illud Euangelii - *reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*; *& quæ ſunt Dei, Deo*, & oſtendit etiam ipſa Bulla B. Pii, ubi in caſu moleſtiarum diſponit reſtituendum eſſe pretium illius Officii reſignati, & utitur verbo ſolvere, & aliquando verbo reſtituere, & accipitur pro eodem ſolvere, & reſtituere.

Comprobatur ex eo, quia conceſſo uno Secretariatu Collegio, cum facultate alienandi pro quocumque pretio, etiamſi magnam ſummam excederet, deinde ſubdit, & mandavit, quod in caſu ſuppreſſionis, ſingulis Secretariis, tunc exiſtentibus, reſtitueretur integrum pretium per ipſos ſolutum, & ſic etiam illi Secretario, qui dictum officium à Collegio emiſſet pro quocumque pretio.

Nil refragante, quod in caſu moleſtationis, & impugnationis, conceſſionis, & aſſignationis ipſius Officii faciendæ per Cameram, idem Summus Pontifex mandaverit reſtitui ſcuta 5500. per ipſum Collegium pro Camera Cardinali Medices ſoluta, nam hoc potiùs exemplum retorquetur mirificè contra Cameram, nam Papa loquitur in caſu impugnationis, & annullationis, quæ per Cameram exiſtente adhuc Officio penès Collegium, facta fuiſſet, & ulterius mandat reſtitui dicta ſcuta 5500. necnon damna, & intereſſe ibi - *Ad ſolvendum cum effectu dicta ſcuta* 5500. *unà cum damnis, & intereſſe paſſis*, quorum nomine etiam augmentum pretii fuiſſet comprehenſum; Adden. ad Gregor. *deciſ.* 88. *num.* 10. Amat. Panormitan. *reſolut.* 97. *nu.* 10. *& ſeqq.* quod eſt regulare in quacumque evictione, ut ſit reſtituendum pretium unà cum damnis, & intereſſe, Latr. *dec.* 74. *nu.* 14. Rota *dec.* 313. *in fine par.* 10. *rec.* & quidem illud pretium currens de tempore evictionis, ſi illud ſit majus pretio ſoluto Rota *dec.* 227. *nu.* 3. *& ſeqq. par.* 4. *tom.* 2. *rec. & coram Bich. dec.* 291. *nu.* 13. *& dec.* 314. *nu.* 2.

Et ſanè ſi Summus Pontifex voluiſſet privilegiare Datariam, ſeu Cameram, ut ſolum in caſum ſuppreſſionis tenere-

tur

tur reſtituere pretium illud, quod ab ipſis Officialibus exiſtentibus tempore ſuppreſſionis, vel ab eorum Auctoribus fuiſſet Datariæ, ſeu Cameræ ſolutum, id utique expreſſiſſet, ſicut expreſſit, ſecundum ſenſum Partis adverſæ, in caſu moleſtiarum prædicto, nec locutus fuiſſet ita generaliter favore Secretariorum exiſtentium tempore ſuppreſſionis, ut eiſdem pretium per ipſos ſolutum integrè reſtitueretur, Spad. *conſ.* 41. *nu.* 12. *&* *conſ.* 138. *nu.* 2. *lib.* 1. Maſtrill. *dec.* 257. *nu.* 16.

Confirmatur ulterius, quia B. Pontifex per ſuam Conſtitutionem voluit privilegia Collegii Secretariorum ampliare, ut ipſe dicit, ſi autem Camera, ſeu Dataria teneretur ſolum reſtituere pretium ipſi ſolutum, nullum fuiſſet conceſſum privilegium, nec antiqua ampliata fuiſſent, ut probavimus in noſtris Informationibus.

Nec ſubſiſtit reſponſo DD. ex adverſo ſcribentium, quod ſtante Conſtitutione ſanctæ mem. Innocentii Octavi, Camera teneretur ſolùm reſtituere ſcut. 62. mil. auri in totum, & ita Conſtitutio B. Pii ampliaverit privilegium, mandando, quod in caſu ſuppreſſionis, Secretariis reſtitueretur totum pretium per ipſos ſolutum Cameræ, etiamſi exceſſiſſet dicta ſcuta 62. mil. auri, quia etiam quando non ſuperveniſſet Bulla B. Pii, ſi Camera vendidiſſet Officia, & recepiſſet pretium, quod excederet dicta ſcuta auri, tenebatur Camera reſtituere totum pretium receptum, quamvis ex-
10 cedens, quia dicta Bulla Innocentii mandans reſtitui dicta ſcuta 62. mil. intelligitur dummodo Camera majus pretium, & majorem quantitatem non recepiſſet, intelligendo illam præſuppoſitivè, prout fieri debet, Fagnan. *in cap. ex epiſtola nu.* 10. *de probat.* Princeps enim auferens rem conceſſam, mediante pretio, tenetur omnia accepta integrè reſtituere, Capyc. Latr. *conſult.* 38. *numer.* 9. *&* *ſeqq.* & fuiſſet injuſtiſſimum auferre officium, & non reſtituere totum pretium, quod Camera, ſeu Dataria receperat.

Nec dictum privilegium Beati Pii eſt adeò magnum, & damnoſum Cameræ, ut ex adverſo prætenditur, quia Papa
11 ſe retulit ad tempus incertum faciendæ ſuppreſſionis, quo tempore potuiſſet dari caſus, ut pretium ſolum per ſingulos Secretarios eſſet fortaſſe minus, quàm eſſet illud ſolutum tempore Innocentii Octavi, quo caſu non fuiſſet damnoſum Cameræ, licet nec etiam, tempore præſenti damnoſum ſit Cameræ, quia etſi reſtituatur pretium ab unoquoque Secretario ſolutum, ſuppreſſo Collegio, recipit omnes illius redditus, quod tendit in magnam utilitatem Cameræ, ad quam ſublevandam fuit facta ſuppreſſio; Undè ceſſat prætenſa læſio, imò retorquetur, dum pro ſcutis 228. m. circiter, quæ uſque adhuc fuerant ſoluta, recipit Camera annuos redditus ſcut. 40. m. nec erat læſa, ſolvendo dictam ſummam redditum, dum receperat à Collegio pluribus vicibus ultra duodecies centena millia aurea, ut ſi temporis anguſtia permitteret, demonſtraretur, nec ſuffragatur reſponſioni, hodie dictos redditus eſſe diminutos, nam utinam hoc priùs eveniſſet, damnum enim intollerabile, ex ſuppreſſione reſultatum, noſtri principales fortaſſe paſſi non fuiſſent.

Perſonalitas verborum Conſtitutionis B. Pii, in noſtris informationibus conſiderata, non deſtruitur ex verbis ex adverſo ponderatis Conſtitutionis Innocentii, & ejuſdem Pii, quia in caſu ſuppreſſionis eadem Conſtitutio B. Pii loquitur de Secretariis tunc viventibus, per illam dictionem
12 reſtrictivam *tunc* ad tempus ſuppreſſionis, & conſequenter ad eoſdem reſtringitur ſolutio pretii, ut intelligatur Conſtitutio de pretio ab eiſdem Secretariis tunc viventibus ſoluto,
13 per dictionem illam *eos*, quæ eſt perſonaliſſima, & refertur
14 ad proximè nominatos Secretarios, ut probavimus in noſtris informationibus: Conſtitutio autem Innocentii, & eadem B. Pii antecedenter ad eamdem dictionem perſonalem *eiſdem*, *ſeu eis* exadverſo ponderatis, loquuntur de Collegio, & Secretariis in genere, ideòque ad idem Collegium, & eoſdem Secretarios in genere referri illa dictio *eiſdem*, *ſeu eis*, ut patet ex ipſarum lectura, in locis exadverſo ponderatis.

Subſiſtit etiam quod B. Pontifex Pius non fuit contentus
16 mandare reſtitutionem pretii his Secretariis, qui emiſſent, ſed etiam illis, qui aliter habuiſſent, ibi *Pro quibus eos Officia emiſſe*, *aut habuiſſe conſtiterit*, quę ultima verba ſunt generalia, & ſignificant omnem modum acquirendi, nec ſunt
16 ſynonyma, ut exadverſo prætenditur, ſynonyma enim verba tunc dicuntur, quando idem ſignificant, & nihil aliud poſſunt ſignificare, ſed quando poſſunt aliud importare,
17 ſemper intelligenda ſunt, ſecundum illorum latitudinem & ſignificationem, ut aliquid operentur ad *Text. in l. prima* §. *generaliter ff. de legat. præſtan.* Bald. *in l. omnia privilegia C. de Epiſcop. & Cleric.* Cyriac. *contr.* 428. *nu.* 29. Et ſu- 18
perfluitas ſemper eſt evitanda, Surd. *conſ.* 80. *numer.* 5. *&* *ſeqq.* Bellon. Jun. *conſ.* 74. *num.* 23. Cravett. *conſ.* 175. *num.* 3. In caſibus verò exadverſo ponderatis verba non poterant aliud importare, & fuerunt appoſita, cauſa tollendæ dubi- 19
tationis, & majoris expreſſionis, ideòque in illis caſibus licèt pro ſynonymis habita fuerint, evitatur tamen ſuperfluitas, ex dicta alia operatione, Honded. *conſ.* 60. *nu.* 171. Roman. *conſ.* 10. *nu.* 10. *&* *ſeqq.* *&* *conſ.* 37. *nu.* 34. Imò nec negatur à DD. ſcribentibus pro Camera major latitudo ſignificationis verbi *habuiſſe*, dum admittunt per illud comprehendi duos caſus, Hoſpitalis ſcilicet Sancti Spiritus, & Capituli Sancti Euſtachii, neſcitur tamen quare debeat comprehendere iſtos duos caſus tantùm, minimè verò alios quoſcumque, dum verbum generaliſſimè poſitum generale 20
etiam debet habere ſignificatum.

Inſuper hoc verbum *emiſſe* debet reſtringi emptionibus factis à Dataria, ſufficit enim Secretariis quoquo modo, & à quocumque emiſſe officia, non enim verbum emiſſe eſt reſtrictum ad Datariam, quia hoc numquam dicitur in Bulla Beati Pii, nec ad illam poteſt attribui, dum clara eſt ejus diſpoſitio favore Officialium, & ad illos tantum directa, ne ex ſuppreſſione ſuccedenda fortaſſe in damno remanſiſſent, ut intuentibus, ſine paſſionis fuco, apertiſſimè patet.

Fundamentum verò publicæ fidei eſt inevitabile, quia poſt dictas Conſtitutiones, & ſignanter illam B. Pii, officia 21
empta fuerunt, ut fieri ſolet in Curia ab incerto venditore, ſub fide publica Miniſtri Datariæ, abſque ulla inquiſitione tituli, & Juris reſignantis, & reſignationes approbatæ, & admiſſę fuerunt per Datariam cum ſcientia pretii, cum Miniſter non ſubſcribat fidem reſignationis, niſi ſub ordine de ſolvendo pretium, & ſi aperiretur hæc via non reficiendi pretium niſi illud, quod fuiſſet ſolutum Cameræ, deſtrueretur commercium, quia etiam in aliis Officiis, ita practicatur, & ſi Secretarii ſecuti ſunt publicam fidem, & ſolitum commercium, non debent in aliquo puniri.

Ad obſervantiam reſpondetur in particulari ſcriptura, in qua oſtenditur non ſubſiſtere in facto, & ſemper Summos Pontifices reſtituiſſe pretium ſolutum reſignantibus, etiam ſi illud eſſet majus pretio ſoluto Cameræ, ſeu Datariæ; Ego unica reſponſione contentus abibo, quod nempè in nullis caſibus exadverſo allatis aderat ſimilis Conſtitutio, ut eſt noſtra Conſtitutio B. Pii, ut integrum pretium reſtituatur à ſingulis Officialibus perſolutum, ut autem obſervantia 22
ſuffragetur, ad interpretationem caſus controverſi, probari debet individualis, Rota *coram Celſ. dec.* 232. *nu.* 4. *&* *coram Gregor. dec.* 172. *nume.* 2. *&* *in rec. deciſ.* 172. *numer.* 32. *par.* 17.

Nullo autem modo ſubſiſtit, quod attenta etiam dicta Bulla B. Pii potuiſſet Collegium ſupprimi, nullo pretio reſtituto per viam legis univerſalis, pactis enim, & conventionibus etiam Princeps ſtare tenetur, & officicia vendita mediante pretio nullo modo poteſt revocare, & adimere, niſi toto accepto per ipſum pretio reſtituto, nec ullus Doctor loquitur in his terminis, quando ſcilicet Princeps promiſit officia non ſupprimere, nec auferre, niſi toto pretio reſtituto, nec aliquis Doctor loqui poteſt, quia licet Princeps non ſit ſubjectus legibus civilibus, ex quo ad eas obſervandas nulla vis eum poteſt adſtringere, tenetur tamen eas obſerva- 23
re, & ſicut cæteri eſt ſubjectus contractibus, Bald. *in l. qui ſe Patris n.* 34. *C. Vnde liberi conſ.* 285. *ſub n.* 4. poſt medium *cum ſeqq.* Grat. *diſcept.* 892. *nu.* 9. *&* *ſeqq.* quod adeò eſt ve- 24
rum, ut nec etiam de plenitudine poteſtatis poſſit Princeps contractui contravenire, Dec. *conſ.* 285. *ſub num.* 6. *&* *conſ.* 291. *ſub num.* 7. *verſ. Sed etiam, Deus ipſe*, Barboſ. *in cap. ex Epiſtolæ ſub n.* 4. *verſ. Adeout de prob.* Gratian. *dicta diſcept.* 891. *ſub nu.* 29.

Sed nec etiam de Jure communi, quando non adeſſet Bulla B. Pii, potuiſſet fieri ſuppreſſio, pretio non reſtituto, tum quia Princeps nec etiam per viam legis univerſalis, ex 25
cauſa publica, poteſt auferre bona privatorum, non reſtituto pretio, & in ſpecie non poteſt auferre officia, quæ facta alienatione, & conceſſione, ſunt in dominio acquirentis, ſeu emptoris, nec ullum allegari poteſt exemplum apud Sedem Apoſtolicam, tum quia non poſſunt applicari termini legis univerſalis, dum agitur de ſuppreſſione unius Collegii tantùm, ut in noſtris informationibus, & iniquum

esset si publicæ utilitati pauci tantùm privati succedere debuissent, non autem omnes subditi, ut fieri debere à nemine impugnatur.

Plura demùm dicuntur in diversis informationibus, sed cum potius sint cathedratica dubitatione, ac ingenii ostentatione probata, eis brevitatis temporis angustia respondere non sint.

Quare &c.

Io. Baptista Arrigus Advoc.

ROMANA PRETII SECRETARIATUUM APOSTOLICORUM.

OCTAVA JURIS.

SUMMARIUM.

1 *Constitutio Innocentii Octavi, quoad pretii restitutionem faciendam Secretariis, quomodo intelligenda.*
2 *Dispositio Principis, ad alicuius favorem emanata, retorqueri non debet in odium, & diminutionem.*
3 *Cessante supposito cessant illationes.*
4 *In verborum interpretatione attendi principaliter debet mens disponentis.*
5 *Verbum* restituere *propriè importat refectionem totius damni, & interesse, quod quis passus fuit.*
6 *Verba* emisse, & habuisse *non sunt synonyma.*
7 *Pretium currens de tempore suppressionis, quamvis auctum inter contrahentes, non dicitur duplum, sed simplū.*
8 *Non petitur ratione pœnæ, &* nu. 17.
9 *Refectio damnorum, & interesse importat integri pretii solutionem.*
10 *Ex scientia Officialium Datariæ arguitur scientia Papæ.*
11 *Observantia, ut sit attendenda, debet esse præcisa, atque probari cum omnibus suis requisitis.*
12 *Princeps articulum decidens, causa maturè cognita, dicitur legem condere.*
13 *In Officiis Romanæ Curiæ non cadit læsio respectu perceptionis fructuum, quæ pendet ab incerto eventu.*
14 *Nemo potest conqueri de læsione, quæ ex propria oritur voluntate.*
15 *Fulgos. dec. 143. nu. 3. quomodo intelligatur.*
16 *Venditio Officiorum specialiter erectorum ad effectum vendendi, non dicitur dissipatio Regalium.*
18 *De differentia inter loca Montium non vacabilia, & officia, quoad obligationem Principis restituendi pretium, &* nu. 19.

R.P. REspondendo Informationi Facti, & primæ Juris, creditur nullatenus subsistere id, quod tamquam certum, & indubitatum præsupponitur ab utroque doctissimo scribente, scilicet quod vigore Bullæ Innocentii Octavi erectionis Collegii, si non supervenissent Bulla Beati Pii, solvi debuisset in casu suppressionis Secretariis simplex summa scutorum 62. m. auri, & nil ultra, excluso omni Jure consequendi tam augmentum pretii currentis cum majorem summam verè solutam, sive resignantibus, sive ipsi Cameræ. 1

Quoniam in nostris informationibus ostendere curavimus, quod Innocentius nunquam cogitavit hanc legem negativam, adeò Secretariis præjudicialem, imponere, per quam ipsi privati remansissent beneficio summæ æstimabilis, à solo jure communi derivante, consequendi scilicet in casu suppressionis non solùm omnem pecuniam verè pro officiis solutam, sed etiam pretii currentis augmentum, quodve dumtaxat Innocentius voluit tribuere privilegium assecurationis, quod ex quacumque causa minui non posset, in casu suppressionis, summa scutorum 62. mil. auri de tempore erectionis soluta, firmis de cætero, & in suo robore manentibus Juribus Secretariorum cõsequendi majorem summam, juxta legis dispositionem, sine ulla innovatione.

Hæc veritas manifestatur ex lectura dictæ Bullæ §. 23. in qua Papa protestatur simpliciter velle ibi consulere Secretariorum indemnitati, adeòut in Bulla in margine adnotatum solum legatur *assecuratio emolumentorum*. Quomodo autem dici posset consultum Secretariis, si per hanc dispositionem adimeretur eis Jus consequendi non solum justum pretium currens, sed etiam omnem majorem summam ab ipsis verè solutam, sive resignantibus, sive Cameræ, prout in assumpto dictorum Dominorum scribentium continetur.

Et quod nullatenus admitti possint similis interpretatio voluntatis Principis, ad alicujus favorem loquentis, sancitum habemus in *allegata l. hac saluberrima C. de præposit. Agent. lib.* 12. ibi- *cum per absurdum sit hanc nostræ liberalitatem pietatis non ad augmentum anteriorum privilegiorum*, sed diminutionem convertere. 2

Sublato hujusmodi assumpto pluriès repetito, & inculcato, corruunt in naturalem consequentiam cuncta argumenta, quæ inde ex adverso trahuntur, ex regula *Textus in l. cum principalis ff. de reg. Iur.* 3

Verbum *restitutis*, quo utitur B. Pius commodissimam, & non violentam recipit explicationem de omni eo, quod Secretarii verè exbursarunt pro habendis officiis, sive Cameræ, sive resignanti, itaut non remaneant in damno, attentis nostris circumstantiis in informatione explicatis, demonstrantibus talem fuisse mentem loquentis, quæ circa terpretationem dicti verbi *restitutis* attendi debet, ex allegatis in informatione, & iterùm plenè Salgad. *de regul. protect. p. 4. cap.... n.* 188. *& seqq.* ubi quod propria vis verbi restituere est importare refectionem totius damni, & interesse ejus, cujus fieri debet restitutio, etiam in materia stricta, & odiosa; Et quandiù recipiens id recipit, quod exbursavit, verificatur ejus receptione propriissima restitutio. 4 5

Cæterum nec Bulla B. Pii est correctoria Bullæ Innocentii Octavi, quia ista, ut dixi, non disponit, quod Camera nil teneatur solvere ultra scuta 64. mil. ut ex adverso prætenditur, sed quidem, quoad summam majorem reliquit Jura Secretariorum in proprio esse, sine innovatione, Bulla verò B. Pii addit simplicem assecurationem, quod summa verè soluta, sive Cameræ, sive resignanti, alioquin ex Juris dispositione in casu suppressionis solven. nullo casu minui posset, cum alioquin potuisset aliquo casu pretium Secretariatuum decrescere.

Augmentum desumptum ex promissione facta personaliter restituendi singulis Secretariis, tunc viventibus, est quidem inevitabile, nam si restitui debuisset solum eis, qui emissent à Dataria, utique restitutio non fieret singulis Secretariis de tempore suppressionis viventibus, quorum major pars non emit à Dataria, sed habuit media resignatione Officialis.

Bulla Innocentii, quoad primævam summam, de qua solùm cogitavit, & pro indemnitate Collegii loquutus fuit, utique mandat fieri restitutionem omnibus Secretariis, nemine excepto, ita etiam Bulla B. Pii, quæ mandat fieri restitutionem de omni summa à singulis Secretariis, tunc scilicet tempore supppressionis viventibus, pro habendis Officiis erogata, necesse est, ut neminem excluderet, si intelligeretur solùm de illis, qui à Dataria emerunt.

Et illa verba *emisse*, aut habuisse adeò manifestam reddunt hanc Pii voluntatem, ut verè omnem tollant dubitationem. 6

Hinc ex adverso asseritur, quod Pontifex hęc verba synonyma adhibuit in eadem Bulla.

Admittimus frequentem stylum ponendi in Bullis verba synonyma, quodque ipse B. Pius plura synonyma verba adhibuerit, sed nullibi probatur prędicta verba emisse, aut habuisse, esse in Jure synonyma, quo non probato, corruit argumentum. Aliud est enim uti verbis synonymis, aliud facere synonyma verba, quæ non sunt, Angelus de Perusio *cons. 36. sub num. 4. vers. per prædicta*, & quod hoc verbum *habuisse* non sit synonymum cum verbo emisse, fatentur ipsi Domini ex adverso scribentes, dum ajunt; quod aliud verbum habuisse, fuit appositum ad comprehensionem Archihospitalis Sancti Spiritus, & Capituli Sancti Eustachii, quibus non adaptabatur verbum emisse, si igitur hæc verba non stant synonymè nulla adest ratio, quod suffragentur potiùs uni Secretario, quàm alteri. 7

Ca-

Caſus pretii ſolvendi à Principe, qui res privatis, etiam ex publica cauſa adimit, eſt longè diverſus à caſu evictionis præſtandæ de re per fiſcum vendita, unde à diverſis nequit fieri illatio, & is, qui petit ſolum juſtum Secretariatus pretium, ſive de facto pro illius conſequutione erogatum, ſive de tempore ademptionis currens, non petit duplum, ſed merè ſimplum, ne ſit in damno rei, quam amittit.

Prout nulla hic applicatur conſideratio pœnæ; Doctores enim firmantes ſolvi debere juſtum pretium currens, non
8 dicunt in pœnam, ſed eo quia ob publicam utilitatem non debet plus gravari unus, quàm alter, prout inæquale eſſet gravamen, ſi illi, à quo ob publicum bonum adempta fuerunt officia, non recuperarent integrum pretium.

Reſtitutio facta Cardinali Medices fuit verè evictionis caſus, ex quo per errorem fuerat ei facta officii venditio, & meritò ſequuta fuit reſtitutio ſolius pretii ſoluti Cameræ, quia non aderat aliud pretium ſolutum alteri, nec ſpatio paucorum menſium pretium poterat dici auctum.

Quoad Collegium, cui applicatus fuit Secretariatus, primò vocaturus, cum facultate vendendi, non ſolùm Papa in caſu perturbationis hujus facultatis, non prohibet ſolvi pretii augmentum, quod nobis ſufficeret, ſed ulterius expreſsè mandat, quod ultra pretium ſcutorum 5500. ſolvantur Collegio omnia damna, & intereſſe, quod certè conſi-
9 ſtit in ejuſdem integri pretii ſolutione, Alexand. *conſ.* 67. *n.* 2. *verſ. tamen benè lib.* 2. Ruin. *conſ.* 140. *numer.* 9. *verſ. & quamvis lib.* 1. Gratian. *diſcept.* 677. *nu.* 1. Poſth. *reſol.* 117. *n.* 1. & 2. Rota apud Zach. *de obligat. cameral. deciſ.* 44. *n.* 15. & ſic argumentum validiſſimè retorquetur.

Pluries firmata reperitur concluſio per Rotam, quod nedum à ſcientia Datarii, ſed etiam aliorum Officialium Can-
10 cellariæ, & Datariæ præſumatur ſcientia Papæ, ex allegatis in informatione, unde cum eadem concluſione videtur nunc procedendum, nil obſtante æquivoca fide miniſtri Componendarum, ut in facto.

Quoad caſus pro obſervantia contraria recenſitos, ſatisfaciat Dominus cauſæ Patronus, cùm de cætero ſit certum in jure, quod ad effectum, ut obſervantia inducat novam legem
11 deſtructivam antiqui juris diſpoſitionis, nedum debeat eſſe in caſu preciſo, ſed plurima concurrere debeant requiſita, hic omninò deficientia.

Nec ullus ex caſibus in contrarium cumulatis comparari valet cum obſervantia ſanctæ mem. Alexandri nobis favora-
12 bili, ſub quo Pontifice, examinato articulo, quo ad pretium currens, & cognita opinionum varietate, Sanctiſſimus, & glorioſiſſimus ille Pontifex mandavit ſolvi pretium currens, quod fuit veram legem condere, & caſum decidere pro ſimilibus caſibus, ex deductis in informatione, quibus non adaptantur exadverſo reſponſiones.

Atque hæc deciſio Alexandri utique prævalere debet obſervantiæ Regni Galliarum, quæ tamen, ultra notam juris irrelevantiam, nequit comparari noſtris circumſtantiis, & ſignanter diſpoſitioni Bullæ Pianæ hic vigentis.

Quoad ſecundam juris informationem, quatenus reſpicit ſanctiſſimam, & glorioſiſſimam noſtri vigilantiſſimi, & æquiſſimi Principis in ſupprimendo voluntatem, atque intentionem, eſt ſummè commendabilis.

Quatenus verò ibidem probari contenditur enormiſſima læſio Cameræ, ob quam juſtitia miniſtrante poſſent auferri officia, ſine juſti pretii refectione, admitti nullatenus poteſt.

Natura enim emptionis hujuſmodi Officiorum Romanæ Curiæ eſt omninò immunis à læſionis cenſura, cum illorum 13
fructus pendeat totaliter ab incerto eventu, *l. ſi ea lege* 17. *C. de recenſ.* Rota *deciſ.* 408. *numer.* 7. *& ſeqq. par.* 16. *& paſſim*.

Fortius ſi, ut exadverſo aſſeritur, pendet fructuum augmentum à voluntate Pontificis, volentis ex ſuo arbitrio plura expediri per Secretariam Brevium, quæ expediebantur olim per Datariam, nemo enim poteſt conqueri de læſione, 14
quæ ex propria voluntate, ejuſdem arbitrio variabili, oriatur, ut patet, ad ſenſum, & eſt *Textus in l. cum donationis* 34. *C. de tranſact.* Soccin. Jun. *conſ.* 97. *à nu.* 23. *ad* 26. *lib.* 2.

Præterea ex fructuum incremento Camera ipſa beneficium conſequuta fuit, vendendo officia, quæ pluries vacare contingit, uſque ad ſcuta 23. mila, adeout ſi calculetur pecunia, quæ ab initio erectionis, uſque in præſens pervenit ad Cameram ex his officiis, & comparetur cum ſimili quantitate, quæ in eamdem Cameram intravit ex venditione locorum montium non vacabilium; competietur, longè minorem uſuram paſſam fuiſſe Cameram pro his officiis, quàm pro montibus non vacabilibus.

Præterea qualitas legis univerſalis ſatis rejecta creditur in informatione, nec quicquam meretur attendi dictum Ful- 15
goſii *conſ.* 143. *n.* 3. qui non examinat hunc articulum, ſed tantum alia occaſione ait, quod voluntas Principis eſt lex, etiam ſi unum, vel alterum tangat.

Doctores, per nos allegati, loquuntur de Principe adimente res feudales, aut officia privatis, ex cauſę publicæ utilitatis, & ſic optimè congruunt præſenti diſputationi.

Conſiderari nequit in hoc themate diſſipatio regalium Principatus, quia agitur de officiis modernè, ſpecialiter 16
erectis ad effectum vendendi, ſicut ſunt tot alia Romanæ Curiæ Officia, quorum venditio, quotidie fieri ſolita, nimis incongruè diceretur regalium diſſipatio.

Ex his reſponſum creditur etiam eruditiſſimis adnotationibus in particulari folio deſcriptis, noſtri enim principales petunt ſolum id, quod verè pro habendis officiis erogarunt, ad formam, & vigore Bullæ Pianæ, & ulterius augmentum pretii currentis ad formam juris communis, cui non reperi- 17
tur derogatum. Unde nullatenus cogitant de exigenda aliqua pœna, de qua nunquam cogitare dicitur, qui cupit ſolum ſuæ rei juſtum pretium, & nil ultra.

Quod obtinentes officia per reſignationem haberent cauſam à Principe concedente, fuit ſatis probatum, nec videtur poſſe controverti, quia non erat fictio, ſed mera realitas, nam Papa verè providebat de officio reſignatarium.

Exemplum locorum montium non vacabilium, & ſimilium non applicatur, quia in eis Papa repreſentat meram 18
perſonam debitoris, qui citra ullam dubitationem ſolvendo id, quod ſub uſura accepit, liberatur ab omni obligatione, ad inſtar impoſitoris cenſus.

At in officiis Princeps non remanet ſimplex debitor, ſed quidem venditor, qui non poteſt regulariter recuperare 19
rem venditam, & quamvis id liceat Principi, maximè publica urgente cauſa, nihilominus tunc ex poteſtate ordinaria à jure regulata, atque ex honeſtate, tenetur ſolvere juſtum illius pretium currens, perindè ac ſi auferret rem alterius privati, ut firmant allegati in informatione.

Quare &c.

Dominicus Tauruſius Advoc.

ROMANA PRETII SECRETARIATUUM APOSTOLICORUM.

NONA JURIS.

SUMMARIUM.

1 *Verbum* reſtituere *ſignificat ſolvere, ſi id ſuadet ſubjecta materia, &* num. 2.
3 *Non verificatur in caſu, in quo nil fuit nec receptum, nec ſolutum.*
4 *Verbum* reddere, *ſi reſpiciat aliquod corpus particulare, non verificatur in ſolutione.*
5 *Verbum* reſtituere *ſignificat emendationem damni.*
6 *Quis non dicitur habere ſine diminutione aliquid, niſi totum habeat.*
7 *Loco damnorum, & intereſſe venit pretium auctum.*
8 *Augmentum, & diminutio ſpectat ad Dominum. Card. de Luca de Offic. Venal. &c.*
9 *Una pars diſpoſitionis alteram declarat.*
10 *Intellige ſi utriuſque diſpoſitionis verba ſint dubia, ſecus ſi clara.*
11 *Dicto* ſingulis *omnes æqualiter determinat, &* numer. 16.
12 *Fiſcus licet non teneatur ad duplum quamvis expreſsè conventum, tenetur tamen ad reſtitutionem pretii currentis de tempore ſuppreſſionis.*
13 *Privilegium non debet eſſe ſuperfluum, ſed contra concedentem recipit latiſſimam interpretationem.*
14 *Ad quem ſpectaſſet damnum ſpectare debet augmentum.*
15 *Verbum* habuiſſe *quemcumque modum poſſidendi comprehendit.*

17 *Verba* tunc viventibus *præseferunt extremitatem temporis, in actu suppressionis.*
18 *Officiales, in resignatione huiusmodi officiorum, Principem recognoscunt in auctorem.*
19 *Assensus Principis in dictis resignationibus auctorizat actum, non approbat pretium.*
Declara ut num. 20.
21 *Scientia non solùm Datarii, sed etiam aliorum Officialium, dicitur scientia Principis.*
22 *Observantia, ad hoc ut relevet, probari debet in casu præciso, & cum omnibus suis circumstantiis.*
23 *In suppressione officii Princeps tenetur restituere iustum, & æquivalens pretium.*
24 *Maximè si concessiones fuerint onerosæ.*
25 *Princeps licet ex iusta causa contractum revocet, tenetur tamen ad restitutionem pretii.*
26 *Eximitur à pretii restitutione, quando ita publica necessitas urget, ut aliàs ipsi occurri nequeat, quàm per revocationem contractus.*
27 *Non dicitur lex generalis, quando Princeps remisit partes ad Iudicem.*
28 *Nec minus, quando lex non respicit omnes.*
29 *Lex expressa servanda est, omni interpretatione secluſa.*

R.P. ADmittunt DD. mei pro Reverenda Camera scribentes, quod verbum *restituere* juxta subjectam
1 materiam varias recipit interpretationes, & non so ùm supponit receptionem, sed etiam verificatur in solutione, juxta punctuales auctoritates in informatione allegatas.

Inspecto autem tenore Bullæ Pianæ utique ad evidentiam convincitur, quod ibi dictum verbum solutionem importat; Non enim legitur relatum ad ipsam Cameram, quasi dictum fuisset restitutis pecuniis per Cameram receptis, prout de facili potuisset dici, sed præcisè refertur ad Secretarios, qui solverunt, dum dicitur: *restitutis pecuniis, pro quibus eos officia emisse, vel habuisse constiterit*: Atque ideo, eo ipso quod non sunt restituendæ pecuniæ per Cameram receptæ, sed pecuniæ per Secretarios solutæ, non impropriatur significatio istius verbi, quod æquè benè verificatur in solutione,
2 juxtà plenè adducta in *decis.* 77. & *decis.* 90. *coram Arguell.* ad differentiam alterius casus, quando scilicet, nec pecuniæ
3 fuerunt receptæ, nec solutæ, in quibus terminis, quia deficit utrumque extremum, benè procedere possunt nonnullæ ex auctoritatibus exadverso congestis, & signanter Gratian. *cap.* 424. & Rot. *dec.* 59. *num.* 16. *rec.* vel quando verbum
4 *reddere* respicit aliquod corpus particulare, quia in illo casu non potest verificari verbum *solvere*, ut exemplificatur in *dec.* 90. *nu.* 27. *coram Arguell.*

Dum igitur hic agitur de restituendis pecuniis, & quidem de pecuniis solutis, nullo habito respectu ad recipientem, clara nimis, & litteralis apparet dispositio, ut Officiales consequi debeant pretium solutum, & sic eis satisfiat pro damno, quod mediante suppressione officii passi sunt: ver-
5 bum enim *restituere* pro emendatione damni solet intelligi, ex deductis per Federic. de Senis *cons.* 18. cum aliis in mea informatione §. *neque ex prædictis allegatur.*

Istamque veritatem non excludunt, imò mirificè comprobant verba, & clausulæ in eadem Constitutione adjectæ, dum enim dictum fuit, quod pretium sit restituendum: *realiter, cum effectu, & integrè, sine ulla diminutione*, clarius resultat, quod sit restituendum pretium solutum, nulla habita ratione pretii recepti, nam si Camera restitueret pretium dumtaxat perceptum, non restitueretur sine diminutione, nec realiter, & cum effectu pretium, quo constiterit Secretarios emisse, aut habuisse officia, quod dictæ lit-
6 terali dispositioni repugnat; non enim dicitur quis habere sine diminutione, nisi totum habeat, Gosadin. *cons.* 42. *nu.* 8. Menoch. *cons.* 264. *num.* 26. plenè Barbos. *dict.* 167. *per tot. & dict.* 168.

Fortiùs stringunt prædicta, & omnis penitus in causa tollitur difficultas, attento exemplo adeo ex adverso magnificato circa Secretariatum vacantem, quem B. Pius Quintus contulit Cardinali de Medices pretio scutor. 5500. auri, cui deinde comperto, quod officium non poterat vendi, restituit eidem pretium, cumque istud sibi fuisset commodatum à Collegio dedit ei facultatem vendendi officium primo loco vacaturum, pro pretio reperibili, jubendo quod in casum molestiarum, Collegio inferendarum, Camera teneretur eidem cum effectu restituere, non solùm dicta scuta 5500. à Dataria exacta, ut ex adverso notatur, sed ulterius progrediendo, etiam damna, & interesse ibi: *Et si dictum Collegium turbabitur quoquo modo &c. tunc, & eo casu Cameram prædictam ad solvendum cum effectu dicta scuta* 5500. *una cum damnis, & interesse teneri, & ad id obligatam, & hypothecatam esse.*

Non potest itaque aliundè, quàm ex hac circumstantia haberi clarior hujus causæ resolutio, nam retorquendo argumentum, si juxta doctrinas, & conclusiones ex adverso firmatas, significatio verbi *restituere*, debet sumi ab observantia in simili casu ab eadem Constitutione desumpta, victoria est certa pro hac parte, dum Beatus Pontifex voluit Cameram teneri ad restitutionem scut. 5500. unà cum damnis, & interesse, & sic ad illud plus, quod valere posset officium; 7
loco enim damnorum, & interesse venit pretium auctum, *l. nominis ff. de evict. ubi quod venit etiam interesse accidentale*, Bald. *cons.* 182. *lib.* 1. Mangil. *de evict. quæst.* 179. *nu.* 22. & 23. ibi: Appellatione damni, & interesse venit etiam lucrum majoris valoris.

Et quamvis sola scuta 5500. fuerint restituta Cardinali de Medices, tamen id ex duplici ratione evenit, & primò quia à tempore venditionis usque ad tempus restitutionis, solum unius anni tempus effluxit, quo tempore probabile est, quod pretium auctum non fuerit, tantò magis, quia dubitabatur de validitate, & subsistentia venditionis. Secundò, & clarius, quia dum agnitum fuit, quod Sanctus Pontifex illud conferre non potuerit, quia data nullitate actus, 8
dominium officii non potuit dici translatum in Cardinalem, adeout neque diminutio, neque augmentum ad illum spectasset, cum hoc solum domino debeatur, *l.* 1. *C. de peric. rei venditæ l. si hæres ff. ad l. falcidiam*, Thesaur. *dec.* 140. *in fine*, & demum quia Cardinali fuit restitutum pretium solutum, dum enim habuit pretium, quod solverat, non potest dici actus contrarius nostræ Bullæ dispositionis.

E converso Sanctus Pontifex dedit Collegio facultatem vendendi officium primo loco vacaturum, pretio currenti temporis vacationis, etiamsi excederet summam scutorum 5500. & sic dum postmodum voluit quod Officia non possent supprimi, nisi restitueretur singulis pretium solutum, necessariò fateri oportet, quod non intellexit de pretio per Cameram recepto, nam certè illud plus, quod venditum fuisset dictum officium, Camera non receperat, & tamen restituere debebat. Absque eo, quod dicatur hunc casum simpliciter fuisse discretivè consideratum, quoniam ultra quod responderi posset, quod imò una pars disponens, al- 9
teram declarat, *l. qui filiabus* 17. *in principio, & l. si secus* 50. *in fine ff. de legat.* 1. *cum aliis in decis.* 398. *numer.* 1. *par.* 15. *rec.* & discretivus modus loquendi procedit, quando verba 10
utriusque disponentis sunt clara, secus si dubia, quia tunc utraque eodem modo declaratur, Rot. *decis.* 410. *num.* 7. & 8. *par.* 14. *rec. & melius in Bononien. fideicom. de Ginis* 7. *Maii* 1672. §. *final. coram Reverendiss. D. Decano.* Tollitur difficultas, ex quo Summus Pontifex præcipiendo, quod 11
restituererur pretium singulis Secretariis, eos pariformiter determinavit, Barbos. *dict.* 372. *num.* 1. Surd. *dict. cons.* 268. *num.* 5.

Neque hic applicatur conclusio, quod in casu evictionis fiscus non teneatur ad duplum, vel triplum, quamvis adesset 12
expressa conventio, quoniam nos tale quid non prætendimus, sed solum ipsum pretium, quod fuit solutum, quodque currit de tempore suppressionis.

Omnia itaque perstringendo, patet, quòd Constitutio Piana in quavis sui parte examinetur, importat necessitatem restituendi pretium solutum, ponderando ultra prædicta, quod benè subsistit argumentum per nos adductum, quod nisi Constitutio resp ceret hunc casum, nihil Summus Pontifex per privilegium concessisset, quia jam de jure tenebatur Dataria restituere pretium, quod recipit, supplicando adverti nullatenus subsistere objectum, quod inspecta Constitutione Innocentiana, Camera non tenebatur restituere nisi scuta 62400. auri, & non ultra, quoniam hic intellectus non potest adaptari præfatæ Constitutioni, in qua dicta summa fuit solùm demonstrativè, non autem taxativè enunciata, adeòut intelligi debet restitutionem esse faciendam de dicta summa, qua stante fuerat recepta, sed si major quantitas fuisset Cameræ soluta, utique, & illud plus etiam in vim præfatę Constitutionis restitui debuisset, ne aliàs, contra omnes regulas, dicamus voluisse Sanctum Pontificem, quod Camera locupletaretur cum aliena jactura, & plus reciperet, quàm restitueret, cùm igitur postea B. Pius amplian-

pliando privilegia Collegii mandavit restitui pretium solutum, necessario debet intelligi de pretio etiam à Camera non recepto, ne aliàs privilegium remaneat superfluum, &
13 inane, cùm tamen è converso adversus concedentem latissimam recipere debeat interpretationem *l. Beneficium ff. de Constit. princ.* Rota *coram Coccin. dec.* 1856. *nu.* 8. *in recent. decis.* 299. *nu.* 22. *par.* 17. *rec.* nec debeat restringi ad tempus concessionis, Rot. *dec.* 254. *nu.* 24. *par.* 7. *rec.*

Non subsistit, quod mediante hac Constitutione Officiales habuerint securitatem non recipiendi pretium diminutum, & non imputandi fructus excessivè perceptos cum ipso pretio, quoniam respectu hujus ordinariæ circumstantiæ, habemus claram legem in Constitutione Innocentii Octavi, quod in restitutione facienda computari non possint emolumenta, cui dispositioni B. Pius non derogavit. Respectu verò primæ dicimus, quod si pretium decrevisset, damnum
14 spectasset ad Dominos Secretarios, qui contenti esse debuissent de pretio currenti, quare ex hac ipsa ratione argumentum retorquetur, & pari modo dici debet, quod augmentum ad ipsos spectare debeat *l. secundum nostram ff. de regul. Iur. l. id, quod ff. de peric. & commod. rei vendit.* Rot. *coram Carill. dec.* 148. *nu.* 6. *& seq.*

Cæterum subsistit, quod dum in Constitutione Piana mandatur restitutio pecuniarum, quibus Secretarios Officia emisse, aut habuisse constiterit, per hæc verba clarissimè comprehendantur etiam ii, qui mediatè per resignationem
15 acquisierunt; Verbum enim *habuisse* magis latè patet, quàm illud *emisse*, & quemcumque modum possidendi compreliendit *l. stipulatio ista* §. *habere ff. de verborum obligat.* Gratian. *discept.* 838. *nu.* 9. & 10. Rota *decis.* 44. *num.* 1. *coram Vbaldo.*

Nec dicatur, quod sint synonyma, quoniam hæc intelligentia manifestè repugnat naturæ verborum, & licet Summi Pontifices in eorum Constitutionibus pluriès utantur verbis synonymis, tamen non ideò dici possent synonyma ea, quę habent diversum significatum, ut hic; quod agnoscentes DD. ex adverso scribentes, dicunt illud verbum *habuisse* esse contradistinctum à verbo *emisse*, respectu dictorum Officiorum, quæ possidebant Archihospitale Sancti Spiritus, & Capitulum S. Eustachii.

At nos, acceptando confessionem, qua ly *habuisse* magis latè patet, quàm *emisse*, & diversos modos acquirendi importet, facili negotio difficultatem tollimus, utpotè, quia nulla ex adverso assignatur, nec assignari potest ratio, cur potiùs verificetur hoc verbum *habuisse*, in istis duobus, & non in cæteris Officialibus. Certius, & sine ullo scrupulo, dum Summus Pontifex usus fuit verbo *singulis*, dum man-
16 davit restitui singulis pecunias, quibus officia emisse, aut habuisse constiterit, quod verbum *singulis* penitus excludit interpretationem ex adverso datam, & non solùm comprehendit Hospitale, & Capitulum, sed etiam omnes alios, cosque omnes pariformiter determinat, Baldus *cons.* 461. *nu.* 6. *lib.* 1. Barbos. *dict.* 372. *nu.* 1. Marth. *de claus. par.* 1. *claus.* 360. *numer.* 2. Surd. *decis.* 268. *num.* 5. *cum aliis supra allegatis.*

Replicatio autem, quod intelligi debeat de pretio soluto primo loco Rev. Cameræ, supponit id, quod est in quæstione, nam si est restituen. pretium solutum etiam iis, qui à à Camera non emerunt, & restitutio est facienda sine diminutione, utique respiciendum est, non quid Camera recepit, sed quid Officiales soluerunt.

Potissimum, quia concurrunt plura verba denotantia, quod Summus Pontifex respexit ad eos, qui tempore suppressionis extarent, & mediantibus resignationibus acquisiverunt, dum non solum usus fuit dictione *eis*, sed quod
17 magis est, addidit *tunc viventibus*, ex quibus patet fuisse consideratam extremitatem hujus temporis, & pretium esse restituendum, juxtà valorem tunc currentem, ut in his terminis observat Rota ex gratia videnda, *decis.* 197. *nu.* 5. & *seq. par.* 15. *rec.*

Nec relevat, quod in præcedenti Constitutione Innocentii pariter adsit dictio *eis*; Tum quia non adsunt alia verba *tunc viventibus*; Tum quia ibi illa dictio respicit Collegium, hic verò respicit singulos, qui vivunt de tempore suppressionis, & ulterius jam dixi, quod etiam in terminis illius Constitutionis fuisset restituendum majus pretium, si majus fuisset solutum.

Subsistit ulterius, quod Officiales licèt emerint à particu-
18 laribus, tamen Supremum Principem, in Auctorem cognoscunt, juxta ea, quæ latè deducta fuerunt in nostris Informationibus, ubi adduximus punctuales auctoritates, non attenta responsione, quod assensus Principis requiratur solum pro validitate actus, sed non inde induci possit appro- 19
batio pretii, quæ resultet in ipsius præjudicium, quoniam Bursatt. & Carleval. ad id allegati, loquuntur in terminis consensus præstiti venditioni feudi, vel rei fideicommissio 20
subjectæ, in quo dicunt nunquam censeri Dominum voluisse Jus suum remittere; sed hic non est casus noster, quia agimus de venditione officii, quod in totum à Principe recognoscitur, cumque Princeps sciens quantitatem pretii non reclamaverit, dum postea vult officium extinguere, debet integrum pretium restituere, ne lædatur publica fides, ut benè docet R. P. D. de Luca in ejus doctissimis discursibus in proposito præsentis suppressionis anno præterito, scribendo pro veritate emanatis, quibus aliud addere est superfluum, supplicando observari, quod scientia Principis est indubitata, quamvis habeatur à solo Ministro, qui antequam supplicationem formet, videt, qui nam sint con- 21
trahentes, & est generale, quod non sola scientia Datarii, sed etiam aliorum Officialium, dicitur scientia Principis, Rota *dec.* 70. *num.* 23. *par.* 8. cum aliis in informationibus allegatis.

Ad ea, quę dicuntur circa observantiam, consultò omittimus respondere, quia datur scriptura ad partes, in qua omnibus plenè satisfit. Hoc unum generaliter addo, quod in exemplis, quotquot ex adverso afferantur, semper adest diversa ratio, quia nullibi adest Constitutio præcedens Papalis, quæ mandet restitui pretium solutum, nec justificatur, quod pretium fuisset auctum, & ideò istæ notabilissimæ circumstantiæ omnia diversificant, & observantia penitus excluditur, cùm ea debeat esse in casu præciso, & debeat probari cum omnibus suis qualitatibus, aliàs 22
non rel. vat, Buratt. *dec.* 129. *numer.* 6. Cels. *dec. numer.* 5. Gregor. *decis.* 451. *numer.* 7. & *in rec. dec.* 294. *numer.* 22. *par.* 12.

Quibus ita firmatis pro responsione ad primam scripturam juris descendendo ad ea, quæ in separata scriptura, quę dicuntur in facultate supremi Principis reducendi contractus ad æqualitatem, ubi tractu temporis superveniat læsio, quodque ideò possit ille contractus rescindere, & revocare, facilis est responsio, si advertatur, quod nos numquam negavimus hanc facultatem, etiam respectu potestatis ordinariæ in Summo Pontifice, sed diximus, quod hic non agitur de reducendo contractum ad æqualitatem, mediante reductione fructuum, sed totali suppressione officii, in quo casu tenetur Princeps justum, & equivalens pretium 23
restituere, Antun. *de donat. reg. par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 20. *in fin.* Mastrill. *de magistr. lib.* 3. *cap.* 4. *numer.* 312. Peregr. *de Iur. fisc. lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 67. Rota *coram Vbald. decis.* 478. *numer.* 9. & in nostris terminis latè discusso ad partes articulo, probat Fagnan. *in cap. ex epistola nu.* 12. *de probat.*

Idque procedit non solùm si concessiones sint onerosæ, ut quidquid dicant aliqui in contrarium allegati probant te- 24
stantes de communi, & veriori opinione, Ruin. *cons.* 31. *n.* 22. *lib.* 3. Roland. *cons.* 70. *num.* 11. Capyc. Latr. *consult.* 38. *nu.* 9. Franch. March. *dec.* 38. *per totum par.* 1. Cabed. *decis.* Lusitan. 120. *per tot. par.* 2. Petra *de potest. Princip. quæst.* 7. *n.* 91. & 92. Solorzan. *de Iur. Indiar. lib.* 2. *cap.* 27. *numer.* 12. & 58.

Supplicando hic signanter observari, quod ferè omnes DD. ex adverso relati probant, quod Princeps possit ex justa causa contractus revocare, quod nos admittimus, sed non 25
descendunt ad quæstiones, an pretium sit restituendum, in quo articulo habemus doctrinas punctuales supra allegatas, & aliàs in informationibus congestas, firmantes Principem teneri ad restitutionem.

Qua conclusione stante, non est opus assumere quæstionem ex adverso excitatam, an propter ingentem fructuum quantitatem concessiones dicantur gratuitæ, quia ubi etiam vera esset propositio, adhuc pretium veniret restituendum, quamvis in rei veritate objectum non subsistat, quia agitur de officiis vacabilibus caro pretio emptis, quę certè non pariunt fructus periculo, & pretio æquivalentes, ut omnibus notum est.

Et quamvis alii Doctores velint, quod ex causa publicæ utilitatis possit Princeps, etiam non restituto pretio, contractus revocare, tamen ultra quod plures Doctores magni nominis contrarium tenent, ut ego ostendi in mea in- 26
formatione §. neque prędictis, adhuc tollitur difficultas, ex quo non sufficit revocationem fieri ex causa necessitatis, nisi

oſtendatur, quod aliter publicæ utilitati conſulere non poſſit, ut probant ipſimet Doctores ex adverſo allegati, & ſignanter Odd. *de reſtit. in integr. par. 2. quæſt. 69. art. 8. nu. 59. & pluribus comprobant* Capyc. Galeot. *contr. 52. nu. 23. lib. 2.* Galeot. *de Iur. quæſ. non tollen. clauſ. 2. nu. 5. & 24.* R. P. D. de Luca *de regal. diſc. 148. num. 37.*

Rurſus hic non agitur de lege univerſali; Tum quia Summus Pontifex remiſit partes ad Judicem, ut in puncto obſervant Capit. *dec. 166. numer. 8. in fin.* Capyc. Galeot. *dict. controv. 52. nu. 20.* Tum quia non reſpicit omnes ſubditos, ſed ſolum illos de Collegio, Surd. *conſ. 313. num. 99.* Canc. *ex adversò allegat. par. 3. cap. 3. nu. 93. & 94.* Rota *dec. 50. nu. 19. par. 2. diverſ.*

Cæterum fateri oportet, quod omnes iſtę quæſtiones ſunt penitùs extraneæ à præſenti caſu, ut examinantur in abſtracto, nam verſamur in caſu, quo Bulla Beati Pii Quinti mandat non ſupprimi Officia, niſi reſtituto pretio ſoluto. Ideò ad quid aſſumere tot diſputationes, ſi res in præſenti hypotheſi ex facto deciſa remaneat, & hæc litteralis diſpoſitio tollit neceſſitatem aſſumendi articulum, & quando ſit reſtituendum plus, quàm habitum fuit; Quoties enim habemus legem expreſſam, ea venit ſervanda, ſecluſa omni interpretatione, Surd. *conſ. 10. n. 13.* Azor. *inſtit. moral. lib. 5. cap. 13. quæſt. 2.* Rot. *dec. 438. num. 6. par. 9. recent.*

Quare &c.

Cyriacus Lancetta Advoc.

ROMANA PRETII SECRETARIATUUM APOSTOLICORUM.

Diſcurſus ſuper obſervantia.

R.P. TEmporis anguſtiæ, in quibus nos poſuit ſera, ac nimium rigoroſa informationum Partis adverſæ traditio, non permittunt eo modo, reſpondere, quo fieri debere, notiſſimum eſt. Unde notulas potiùs, memorię tantùm cauſa exaratas, quàm formales reſponſiones edere cogimur, Ignoſcant igitur Reverendiſs. Patres breviſſimi temporis neceſſitati, ac inſuper majori neceſſitati ſuccurrant celeri juſtitia controverſa dubia decidentes, quorum reſolutioni, cum non parum prodeſſe debere exiſtimatum fuerit, ſi non offuſcata ſequutæ obſervantiæ veritas DD.VV. Reverendiſſimis innoteſcat, præteritarum ſuppreſſionum ſeriem ſequenti diſcurſu, licet vernaculo idiomate congeſto, ſolita Sacri veſtri Tribunalis humanitate confiſi, ſincerè exponere non dubitamus.

PEr provare, che nell'eſtintioni, ò ſoppreſſioni d'Officii vacabili ſempre ſia ſtato reſtituito quel prezzo, che ciaſcun poſſeſſore d'eſſi haveva pagato, ò alla Camera, ò Dataria, ò à raſſegnanti indifferentemente, contro quello, che ſi pretende per parte de Signori Miniſtri Camerali, cioè che ſi ſia reſtituito ſolamente il prezzo, che per ciaſchedun' officio haveva ricevuto la Dataria, ò la Camera, ſi portano i ſuſſeguenti eſempi, tralaſciando quello, che usò Aleſſandro Settimo di glor. mem. nell'eſtintione de Monti vacabili, *per i quali reſtituì il prezzo corrente di ſcudi 150. per luogo*, benche ſecondo il conſeglio, che da alcuni gli fù dato, dicono poteſſe reſtituir ſolamente ſcudi 100. come è notorio, & apertamente appariſce dalla Bolla ſpedita ſub v. idus Martii 1655. E quello, che fece oſſervare Urbano Ottavo nell'eſtintione de Monti delle Cancellarie, & Archivio vacabili, *havendo fatto reſtituire à Montiſti à ragione di ſcudi 125. per luogo, conforme il prezzo, che di quel tempo correva, quantunque l'erettione foſſe ſtata fatta à ragione di ſcudi 100. per luogo ſolamente* come per ſuo Chirografo diretto à Monſignor Teſoriere di quel tempo, & erettione di detti Monti, onde reſtingendoſi preciſamente à ſoli offiicii.

Paolo Secondo, quando ſuppreſſe il Collegio dell'Abbreviatori, reſtituì à ciaſcun'Officiale il prezzo, che haveva pagato contro quello, che s'aſſerisce in un diſcorſo ſtampato, fatto ſopra la ſoppreſſione ſeguita del Collegio de Secretarii Apoſtolici, dove ſi dice non eſſer ſtato reſtituito à poſſeſſori d'eſſi prezzo alcuno, anzi ſi equivoca di più dicendoſi, che foſſero eſtinti da quel Pontefice gl'officii de Segretarii medeſimi hora ſoppreſſi, il che è affatto diverſo, come appariſce chiaramente per la Bolla decimaſeſta di Siſto Quarto ſuo ſucceſſore ſub 3. Idus Januarii 1478. dove ſi hà eſpreſſamente, che Paolo Secondo ſoppreſſe detto Collegio d'Abbreviatori, *e reſtituì prima integralmente à ciaſcun' Officiale il prezzo da eſſo antecedentemente pagato*, e ſe alcuno di detti Officiali ſi dolſe, ſupponendo, che non gli ſi poteſſe togliere quell'Officio, che era ſuo, e da lui ſtato pagato, e con tutto che glie ne foſſe ſtato reſtituito intieramente il prezzo, non haverà conoſciuto ſe vi concorreſſe una giuſta cauſa, & una preciſiſſima neceſſità, che è rara à ſuccedere, & è l'unico fondamento, per il quale ſi ſalvano ſimili ſoppreſſioni, anzi alle volte non può ciò fare il Prencipe, benche vi concorra la publica neceſſità, e particolarmente quando ſi tratti di togliere, ò diminuire quelle ragioni, che competono à privati con il medeſimo Prencipe, nel qual caſo aſſolutamente ſi nega, che di giuſtitia ſi poſſa fare, oltre che in ogni caſo alle publiche neceſſità devono contribuire, e concorrere tutti i ſudditi, non alcuni pochi ſolamente, come dice l'eruditiſſimo moderno nel Teatro di verità, nel libro *de Regal. diſc. 148. nu. 37. Quartus caſus eſt, ubi Princeps auctoritatem ſuam interponit in iuribus, quæ privatis cum ſeipſo, ſeu Republica ex contractu, & cauſa correſpectiva competunt, ut ſunt loca Montium, &c. fiſcalia, &c. quæ Princeps vel ſolvere deneget, vel diminuat, ſive extinguere velit pro minori pretio, quam eorum intrinſecum importet, & tunc in ordine ad omnimodam denegationem id facere non poteſt, quamvis urgeret publica neceſſitas, tum quia raro, vel nunquam verificatur illa neceſſitas præciſa, cui aliàs conſuli non poſſit, juſtificans huiuſmodi ſubditorum, ac privatorum oppreſſiones &c. tum etiam quia ut ſupra dictum eſt publicis neceſſitatibus omnes ſubditi pariformiter, & pro modo virium occurrere, & contribuere debent, non autem aliqui particulares tantùm, atque aliàs videtur iniuſtitia manifeſta.*

Clemente Ottavo quando ſoppreſſe l'officio della Prefettura generale della Cuſtodia, e Guardiani delle Carceri, fece reſtituire ad un certo Gio: Battiſta Lilio, poſſeſſore di detto officio, ſcudi 13. mil. moneta per il prezzo pagato per detto officio, & in oltre gli furono fatti pagare altri ſcudi 2. mila, ad effetto, che più volontieri preſtaſſe il conſenſo à detta ſoppreſſion, e come coſta per Bolla del medeſimo Pontefice data *ſub 3. Idus Aprilis* 1592. nell'anno 1. del ſuo Pontificato. Da che ſi raccoglie con quanta circoſpettione, e con quall'oſſervanza di buona fede procedeſſe quel Pontefice nella ſudetta ſoppreſſione, la quale quantunque foſſe tanto ſalutifera, e neceſſaria per mero beneficio publico d'evitare i danni, che pativano i miſeri carcerati dalla poca applicatione, ò malitia forſe di detto Miniſtro, e de ſuoi ſubordinati, volle nondimeno, che prima accedeſſe il conſenſo dell'Officiale, al quale non ſolo reſtituì il prezzo ſborſato, mà di più altri ſcudi 2. mila, come ſi è detto di ſopra. Ne oſta che foſſe reſtituito al detto Giovanni Battiſta il prezzo ricevuto dalla Camera, come ſi aſſeriſce nel fatto dato hora per parte d'eſſa al §. *Quia Papa hoc fecit*, e che il di più gli foſſe donato. Primo, perche il detto officio non era ſtato mai venduto; onde non ſi puol dire, che la Camera habbia reſtituito il prezzo ricevuto, di quello ſi poſſa dire, che l'Officiale habbia havuto il prezzo pagato. Secondo perche veramente hebbe non ſolo il prezzo pagato, mà di più ſcudi 2. mila come s'è detto, perche più facilmente preſtaſſe il conſenſo alla ſoppreſſione del ſuo officio, come non ſi nega da'Miniſtri della Rev. Camera, ne è maraviglia, che ciò faceſſe à titolo di donatione, mentre non poteva ciò fare à titolo di prezzo, quale ne era, ne poteva eſſere in alcun modo maggiore di quello, ch'egli haveva pagato, non havendo il detto officio in queſto caſo prezzo corrente, eſſendo unico, e non mai venduto, anzi ſi raccoglie, che non havendo il Papa obligatione alcuna di dargli maggior prezzo del pagato da lui, nondimeno conoſcendo qual ſia il danno di queſte ſoppreſſioni, volle al poſſibile diminuirglielo.

Aleſſandro Settimo quando nell'anno 1661. ſoppreſſe gl'officii de Suddiaconi & Accoliti della Cappella Pontificia, oltre la giuſtiſſima cauſa del maggior decoro di quella, ſurrogando in luogo di perſone ordinarie, che quelli officii poſſedevano, Prelati de primi della Corte, fece pagare dalla Rever. Camera à poſſeſſori di eſſi il prezzo da ciaſcuno di loro pagato, come s'aſſeriſce da Monſignor Illuſtriſſimo

de

de Luca in un ſuo diſcorſo *al §. omniſque difficultas*, e dal Sig. Avocato fiſcale nella ſua prima informatione fatta in occaſione della ſoppreſſione del Colleggio de Segretarii Apoſtolici al §. *Idemque poſt Beatum Pium*. Ne oſta ciò, che ſi dice nel fatto dato hora per parte della Camera, fondato sù le parole equivoche del Moto proprio d'Aleſſandro Settimo, atteſo, che in fatto ſi oſſervò il contrario, & hanno atteſtato tanto Monſignor de Luca, quanto il Signor Avvocato fiſcale nelle loro ſcritture, già altre volte date nella Congregatione deputata, per conoſcere qual prezzo ſi doveſſe reſtituire in queſta ſoppreſſione, quando ingenuamente atteſtorono, che nella ſuppreſſione di queſti officii s'era pratticata la reſtitutione à miſura del prezzo da gli Officiali pagato, come da dette loro ſcritture, come anco chiaramente ſi prova dal prezzo, che fù reſtituito à Franceſco, e Gio. Battiſta fratelli de Pocavena, in ſcudi 2100. per un'officio d'Accolicato, che era in teſta del ſudetto Franceſco, uno de' ſudetti Officiali del tempo della ſoppreſſione, quale per il medeſimo prezzo l'haveva compiato dagli heredi del q. Giuſeppe Gislenio raſſegnato Scipione Gislenio à favore del ſudetto Franceſco, come coſta per fede di credito, ò partita del Monte della Pietà; e per fede di Gioachino Valdrino dell'anno 1655. amminiſtratore delle Componende, con ordine di Monſignor Teſoriere di quel tempo, diretto à i Signori Nerli, all'hora Depoſitarii Generali della Camera, nel Banco de' quali Nerli eſſendo tutti gli altri mandati fatti à gli altri poſſeſſori dell' Officii, è facile il vedere eſſer ſeguito il medeſimo con gli altri ſimili poſſeſſori, che havevano havuto l'officio da raſſegnanti, benche tal diligenza ſia poco neceſſaria, non potendoſi controvertere tal verità, mentre ſe ne hanno ancora l'atteſtationi fatte da'ſudetti Monſignor de Luca, & Avocato fiſcale nelli loro publici diſcorſi, & informationi.

L'iſteſſo oſſervò Clemente Decimo di ſan. memoria nella ſuppreſſione fatta nell'anno 1671. delle Segretarie de Monti (benche per eſſere medeſimamente equivoca la diſpoſitione del Moto proprio ſpedito pridie Kal. Septemb. 1671. vadano perſuadendoſi il contrario i Miniſtri Camerali, e credano, che in queſta ſuppreſſione non foſſe reſtituito, che il prezzo ricevuto, e reſpettivamente pagato alla Dataria) mentre quantunque poteſſe eſſer ſtimata equivoca la diſpoſitione di detto Moto proprio circa la reſtitutione del prezzo di detti Officii, reſta però la difficoltà affatto ſpianata dal fatto, e da ciò, che effettivamente ſeguì nella vera, e reale reſtitutione di detti prezzi.

Deve dunque ſaperſi eſſer ſtati nove i Segretarii de Monti, come appariſce dal ſudetto Motu proprio, cioè.

1. Marco Arrighi Segretario del Monte Suſſidio 4. erettione, Sale 3. erettione, Sale à oro 2. e 3. erettione.

2. Michel Polezzi Segretario del Monte Suſſidio 3. erettione, e del Monte Abbondanza ridotta.

3. Pompilio de Cupis Segretario del Monte Communità 3. erettione.

4. Giovanni Cruciani Segretario del Monte Religione 2. erettione.

5. Diego Orſaia Segretario del Monte Communità 2. erettione, e Sale 2. erettione, e Riſtorato 3. erettione.

6. Mutio Galli Segretario del Monte San Bonaventura.

7. Adriano Ricci Segretario del Monte Novenale 1. e 2. erettione, e del Monte Alumiere 2. erettione.

8. Olimpio Ricci Segretario del Monte Fede, e del Monte Riſtorato 2. erettione.

9. Gio. Maria Antonetti Segretario del Monte Riſtorato prima erettione.

Da queſti nove Officiali ſi deve principalmente levare Marco Arrighi, al quale dalla Rev. Camera furono confiſcate le Segretarie, con il ſuppoſto d'alcuni mancamenti fatti da lui, talmente che nel tempo della ſoppreſſione, già detti ſuoi Officii erano incamerati, e ſi poſſedevano, e facevano dalla Rev. Camera eſercitare à conto proprio, onde à queſto non fù reſtituito prezzo alcuno, ne di lui tenuto conto, eſſendo che non foſſe più Officiale, ne padrone di detti Officii, anzi ſi ritrovaſſe carcerato, ne ſi liberò ſenza una groſſa compoſitione, come è publico, e notorio. Ne oſta la valutatione di detti Officii fatta da' Miniſtri Camerali à loro commodo, come nel fatto dato per parte della Camera, ſi dice al §. *in cuius comprobationem*, poiche potevano valutare i detti Officii quanto volevano, non perciò ſi potrà dire eſſer ſtata fatta alcuna reſtitutione di prezzo al detto Marco Arrighi, quale non n'era più poſſeſſore, ſiche come ſi è detto di ſopra, non ſe ne può inferire oſſervanza neſſuna.

Da gl'altri otto ſi devono anco levare Michele Polezzi, al quale non è ſtato ſin' hora reſtituito prezzo alcuno, perche non havendo in pronto le giuſtificationi della conceſſione, e de pagamenti fatti, non potè ſodisfare i Signori Miniſtri Camerali con le prove neceſſarie, & eſſendo decrepito, non volſe attendere à queſt' affare, tanto più che ſi trattava di un prezzo di ſcudi 300. ſolamente, onde ſin'hora non hà ricevuto il prezzo, quantunque ſiano dopo ritrovati i recapiti neceſſarii, e ſiano in mano de' Miniſtri della Santiſſima Trinità de Convaleſcenti ſua herede, come per informatione di queſto fatto havuta dal detto Gio: Battiſta Cruciani informatiſſimo degl' intereſſi di detto Michele Polezzi, mediante ſua lettera, onde ſi concorda con i Miniſtri della Reverenda Camera, che Michele Polezzi non riceveſſe prezzo, mà ſi diſcorda nella cauſa, mentre non ſuccedè per altro, che per non haver havuto pronte le giuſtificationi del prezzo, da lui nell'acquiſto di eſſo pagato.

E ſi deve anco levare Pompilio de Cupis, il quale haven'o havuta la ſua Segretaria del Monte Communità terza erettione inſieme con le due Computiſtarie del Monte Fede, e del Monte San Bonaventura per prezzo di ſcudi 1200. come per la partita di Dataria, & eſſendogli ſtati offerti ſcudi 400. per prezzo di detta Segretaria, eſſendo il terzo di ſcudi 1200. furono da lui riculati, pretendendo di conſeguire ſumma maggiore, onde reſtò indeciſa, & irreſoluta queſta reſtitutione, ne è ſin'hora ſeguita, come per fede del Sig. Franceſco Maria de Cupis fratello del poſſeſſore di detto Officio.

Non è dunque, che non gli foſſe reſtituito il prezzo à cauſa, che haveſſe ricevuto nella vendita delle due Computiſtarie 1800. ſcudi, onde gli reſtaſſe la Segretaria con ſolo titolo lucrativo, come ſi dice nella ſcrittura di fatto dato per parte della Camera al §. *Similiter Pompilius*, mà perche volendo calcolare la detta Segretaria per il terzo di ſcudi 1200. volendogli ugualmente dividere à proportione de i trè Officii comprati, e parendo irragionevole al poſſeſſore di eſſo, non volſe accettarlo, e perciò ſin' hora non ſi trova haverne ricevuto il prezzo, alla qual tardanza gran parte puol' haver havuto la morte del Principale intereſſato, e la poca ſomma, della quale ſi trattava, l'uno, e l'altro impedimento ſufficiente à deſertare i giudicii, che s'hanno à fare con Auverſarii potenti.

De gl' altri ſei, che rimangono quattro, cioè Giovanni Cruciani, Diego Orſaia per le Segretarie delli Monti, Communità ſeconda, e Riſtorato terza erettione, Mutio Galli, & Adriano Ricci, havevano comprato il loro officio immediatamente dalla Dataria, onde reſtituendoſegli il prezzo pagato, era il medeſimo del ricevuto dalla Dataria, e dandogli il prezzo ricevuto dalla Dataria, era l'iſteſſo, che il prezzo pagato, come appariſce da gl'ordini à loro fatti da Monſignore Teſoriere di quel tempo, diretti al ſacro monte della Pietà di Roma, e perciò ne da queſti ſi può haver notitia certa del vero fatto ſeguito in queſta ſuppreſſione, e del vero prezzo reſtituito.

Delli rimanenti, Olimpio Ricci è uno, che hebbe il ſuo officio non immediatamente dalla Dataria, mà per raſſegna fattagliene da Onorato Etneo per prezzo di ſcudi 13700. qual' Onorato l'hebbe immediatamente dalla Dataria per la ſomma ſudetta di ſcudi 13700. moneta, mà perche tanto pagò Onorato Etneo alla Dataria, quanto Olimpio Ricci ad Onorato Etneo, milita la medeſima ragione detta di ſopra, che havendo ricevuto Olimpio, moderno poſſeſſore, del tempo della ſuppreſſione il prezzo da lui pagato, hà anche ricevuto il prezzo, che prima haveva ricevuto la Dataria, mentre fù il medeſimo ſenza diminutione, ò augumento alcuno, come per prova del pagamento fatto da Onorato Etneo alla Dataria, ſi porta l'ordine, che Monſignore Teſoriere fece à detto Olimpio Ricci, dove vi ſi eſpone queſta qualità, e per prova, che il medeſimo prezzo pagaſſe Olimpio Ricci ad Onorato, ſi porta l'obligo fatto da detto Olimpio ad Onorato per detta ſomma, ogni volta, che gli foſſero da lui raſſegnate le dette Segretarie del Monte Fede, e Riſtorato ſeconda erettione, e ricevuta del detto Etneo; non puol portare chiarezza alcuna del prezzo, che veramente fù pagato in detta ſuppreſſione.

L'altro, che è Gio. Maria Antonetti Segretario del Monte Riſtorato prima erettione, che hebbe il ſuo officio per raſſegna fattagli da Angelo Pompilii per ſcudi 5250. e Diego

Orſaia

Orſaia per la Segretaria del monte Sale ſeconda erettione, quale hebbe per raſſegna da Filippo Boncompagno per prezzo di ſcudi 3200. ſerviranno per far coſtare, che veramente anche in queſta ſoppreſſione s'oſſervò di reſtituire il prezzo, che ciaſcuno haveva pagato, quantunque poteſſe parere in certo modo dubio il ſenſo del Moto proprio di Clemente Decimo, e dalli pagamenti antecedenti, per le ragioni dette, non ſi ſia potuto conoſcere la verità del ſeguito, mà più toſto habbino data occaſione d'equivocare, & in certo modo di far reſtar offuſcata la verità del fatto, e della vera intentione havuta de reſtituire à ciaſcuno il prezzo veramente ſborſato, come s'era pratticato antecedentemente, e ſuſſeguentemente anche ſi pratticò.

Gio. Maria Antonetti dunque pagò ad Angelo Pompili la Segretaria del Monte Riſtorato prima erettione ſcudi 5250. come coſta per Inſtromento rogato per gl'atti dell'Abinante Notaro Capitolino li 27. Aprile 1659. e detto Angelo pagò alla Dataria prezzo della medeſima dell'anno 1656. ſcudi 3300. come per partita ne' libri di detta Dataria. Di più pagò il medeſimo Gio. Maria Antonetti, quando hebbe queſta Segretaria altri ſcudi 500. alla Dataria per l'aggiunte de' Monti, che ſi fecero in tempo di detto Angelo ſuo anteceſſore, come coſta parimente per la partita ne i libri di Dataria, & inoltre pagò detto Antonetti altri ſcudi 198. à Diego Orſaia per aggiunta d'altri luoghi 1800. fatta à detto Monte Riſtorato prima erettione, in luogo d'altretanti Monti Difeſa eſtinti, e paſſati in detto Monte Riſtorato, de quali eſſendone ſtato al ſuo tempo Segretario Diego Orſaia, eſſo haveva pagato alla Dataria li ſudetti ſcudi 198. Come per il mandato fatto da Monſignor Teſoriere al detto Antonetti. Inoltre pagò altri ſcudi 300. per altre aggiunte fatte nel tempo, che era Segretario il detto Antonetti, come ſi dice nel detto mandato di Monſignor Teſoriere verſo il fine, ſiche in tutto da queſta Segretaria haveva ricevula Dataria ſcudi 4298. cioè.

Da Angelo Pompilii per la prima compra fatta nell' anno 1656.	ſcudi	3300.
Dall'Antonetti per l'aggiunte fatte nel tempo di Angelo ſudetto da lui pagati, quando gli fù raſſegnato l'Officio	ſcudi	500.
A Diego Orſaia per luogi 1800. Monte Difeſa paſſati in Monte Riſtorato prima erettione	ſcudi	198.
E più per altre aggiunte fatte in tempo d'eſſo Antonetti	ſcudi	300.
In tutto	ſcudi	4298.

Ad ogni modo al detto Antonetti ſono ſtati pagati per reſtitutione del prezzo della Segretaria ſcudi 4860. 25. con eſpreſſa dichiaratione di pagarli per tanti, che haveva fin'all'hora giuſtificato haver effettivamente ſborſato nell'acquiſto d'eſſa, quale s'aſſerisce pagata da lui per ſcudi 5448. come nel mandato fattogli da Monſignor Teſoriere.

Se dunque haveſſe inteſo il Papa non reſtituire, ſe non quel prezzo, che haveva ricevuto la Dataria, non ſi doveva all'Antonetti, che ſcudi 4298. e pure glie ne furono reſtituiti ſcudi 4860. 25. cioè ſcudi 562. 25. più di quello la Dataria haveva ricevuto, dunque non s'atteſe il prezzo della Dataria, mà il prezzo veramente, e realmente pagato, il che non eſſendo potuto provarſi dall'antecedenti pagamenti, atteſo che per li medeſimi prezzi, che furono venduti gli Officii dalla Dataria, per li medeſimi ancora furono comprati da' poſſeſſori di detti Officii, del tempo della ſoppreſſione, ò immediatamente, ò mediatamente, come di ſopra ſi è moſtrato con ogni chiarezza, ſi deduce nel pagamento fatto à detto Antonetti, e più manifeſtamente ſi raccoglie l'intentione di pagare il prezzo realmente ſborſato, mentre benche ſi veda nella vendita di detta Segretaria, che è ſeguita trà l'Antonetti, & Angelo Pompilii, che il prezzo foſſe di ſcudi 5448. ad ogni modo, perche detto Antonetti non giuſtificò haver pagato più di ſcudi 4860. 25. non gli fù per all'hora reſtituito più, come eſpreſſamente ſi dichiara in detto mandato di Monſignor Teſoriere, dove ſi dice: *Si compiaceranno pagare ſcudi 4860. 25. à Gio. Maria Antonetti, al quale ſi fanno pagare per tanti, che ſin'adhora hà giuſtificato haver pagati in conto delli ſcudi 5448. prezzo della Segretaria del Monte Riſtorato prima erettione, cioè ſcudi 5250. comprata da Angelo Pompilii ſuo anteceſſore, ſcudi 198. pagati à Diego Orſaia &c.* Non facendoſi mentione alcuna del prezzo della Dataria, onde non ſi può in modo alcuno negare l'intentione del Papa di voler, che ciaſcuno haveſſe il vero, e giuſto prezzo, che haveva pagato nell'acquiſto del ſuo Officio, e ſe più l'Antonetti giuſtificato haver ſpeſo, più gli ſarebbe ſtato reſtituito, e nel noſtro caſo è ſufficiente, che habbia havuto intieramente quanto hà giuſtificato haver pagato ſenza neſſuna rifleſſione al prezzo delle Dataria.

Ne oſta, che il Papa eſpreſſamente ordinaſſe à Monſignor Teſoriere di pagare à detto Antonetti la ſumma da lui nell' acquiſto dell'Officio ſborſata, come ſe haveſſe voluto fargli gratia ſpeciale, mentre ſi ritorce l'aſſunto verſo la medeſima Camera; ſe ſtante l'equivoca diſpoſitione del Chirografo, il Papa medeſimo dichiarò, che ſe gli reſtituiſſe il prezzo da lui pagato, acciò non reſtaſſe in danno, all'uſo dell'altre ſoppreſſioni antecedentemente fatte, per le quali neſſun' Officiale ricevè danno alcuno, nel che principalmente conſiſte l'eſſenza della preſente queſtione. Ne ciò può dirſi faceſſe per gratia ſpeciale, imperciòche il medeſimo fù oſſervato ancora con l'Orſaia all'hora Segretario del Monte Sale ſeconda erettione, hora Segretario di tutti li Monti, e fù ſuſſeguentemente pratticato dall' iſteſſo Clemente nell'altra ſoppreſſione fatta de' Notari di Camera, come in appreſſo ſi dirà.

Monſignore Orſaia dunque ſecondo eſempio in queſta ſoppreſſione, per il quale ſi prova veramente eſſer ſtato reſtituito il prezzo pagato, comprò da Filippo Boncompagno la Segretaria del Monte Sale ſeconda erettione, per prezzo di ſcudi 3200. come coſta dal mandato fatto da Monſignor Teſoriere di quel tempo à detto Orſaia, per la reſtitutione del prezzo à lui dovuto, per la ſoppreſſione di queſto officio, nella quale furono à lui reſtituiti ſcudi 1186. 84. per luoghi 10784. che reſtavano in piedi nel tempo della ſoppreſſione, à ragione di bajocchi 11. per luogo, alla qual ragione eſſo l'haveva pagata à detto Filippo Boncompagno in ſomma di luoghi 29079. come in detto mandato, con eſpreſſa dichiaratione, che del compimento del prezzo n'era ſtato ſodisfatto dalli Montiſti di detto Monte, quando ne ſeguirono l'eſtrattioni, atteſo che ogni volta, che ſi eſtrahono i Monti, i Montiſti per ogni Monte eſtratto devono pagare al Segretario una tal ſomma reſpettiva al prezzo pagato, & alla quantità de' Monti, che ſono ſotto detta Segretaria, in reſtitutione del prezzo d eſſa, per la rata di quella quantità de Monti, che ſi eſtrahono, come chiaramente ſi racoglie dal detto mandato. Il che maggiormente ſi comprova, mentre era ſolita la Dataria vendere le Segretarie de Monti à ragione d'un giulio per luogho, come s'aſſeriſce nel Chirografo di Clemente decimo diretto à Monſignor Teſoriere in occaſione delle decime, che dovevano conſeguire i Cammerali per l'officii incamerati di Marco Arrighi, portato nel Sommario della Camera num. 16. & ad ogni modo eſſendo, che dall'Orſaia foſſe ſtato pagato à ragione di bajocchi 11. per luogo al Boncompagni, alla medeſima ragione gli fù reſtituito il prezzo, come s'è detto, e provato di ſopra. Eſſendo, che dunque Monſignor Orſaia, nella ſoppreſſione del ſuo Officio, habbia ricevuto il compimento dell'intiero prezzo pagato da lui à Filippo Boncompagno, con ordine eſpreſſo di Monſignor Teſoriere, diretto ſolamente all'integrale ſodisfattione del prezzo da lui pagato, ſenza neſſuna conſideratione del prezzo pagato da detto Boncompagni, ò ſuoi Autori alla Dataria, come in detto ſuo mandato ſi vede, chiaramente appariſce l'intentione havuta, & il fatto ſeguito in queſta ſoppreſſione, cioè di reſtituire indiſtintamente à ciaſcun' Officiale il prezzo da eſſo pagato.

Mà quello, che toglie ogn'ombra di difficoltà, è la ſoppreſſione ſeguita de' Notari di Camera, fatta da Clemente Decimo di fe. mem. nel ſuſſeguente anno 1672. nella quale per non incorrere nell'equivoci paſſati, & evitare le difficoltà, che inſorſero nella ſoppreſſione antecedente delli Segretarii de Monti, eſpreſſamente ordinò, che ſi reſtituiſſe il prezzo pagato da ciaſcuno, non dentro i limiti del prezzo ricevuto dalla Dataria, mà ſecondo quello haveſſero fatto i contrahenti nelle raſſegne ſeguite fra loro, come per ſuo chiaro Moto proprio. Il che ottimamente dichiara qual foſſe l'intentione ancora nell'antecedente ſoppreſſione, della quale non ſi parla nell'informationi date per parte della Camera.

Ne oſta, che il B. Pio ritrovando non ſpettare à lui un'officio vacato per morte di un tal Marcello, che haveva venduto al Cardinale de Medici (ſtante che foſſero ſtati reſtituiti à queſto Cardinale dal Collegio ſcudi 5500. che eſſo per ottenerlo haveva pagato alla Dataria) aſſegnaſſe al Collegio

per

per li medeſimi ſcudi 5500. il primo Officio, che foſſe vacato, onde s'argomenta, che il B. Pio, che promulgò la Bolla à favore del Collegio, anch'egli oſſervò di reſtituire il prezzo ſolamente ricevuto dalla Dataria, come ſi ſuppone da Miniſtri della Camera nel loro fatto al §. *Beatus enim Pius*, poiche ſi riſponde, che detto prezzo era il medeſimo pagato dal Cardinal de' Medici, e perche il ſudetto Cardinale l'haveva havuto immediatamente dalla Dataria, non ſi può dire, che vi foſſe diſtintione di altro prezzo, che ſi foſſe potuto pagare al raſſegnante, onde l'argomento non conclude coſa alcuna, anzi ſi vede eſſere un'atto corriſpondente alla diſpoſitione della medeſima Bolla fatta à favore de' Segretarii, e loro Collegio.

Ne parimente oſta, che in caſo, che il Collegio veniſſe in qualſivoglia modo turbato dal poſſeſſo di detto Officio, ordinaſſe la reſtitutione ſolamente delli ſcudi 5500. ricevuti, onde ſe ne faccia la conſeguenza iſteſſa di ſopra eſpreſſa, come in detto fatto al §. *Rurſus ex quo Collegium*, poiche oltre al prezzo ſudetto delli ſcudi 5500. ordinò la reſtitutione di tutti i danni, & intereſſi, che il Collegio, quando foſſe turbato, patiſſe, ò haveſſe potuto patire, come nel Sommario della Camera al num. 4. doppo la lettera G.

Ne oſta l'altra eſtintione del Notariato Civile, e Criminale di Borgo fatta dalla ſanta mem. di Clemente Nono, poiche ſe fù reſtituito à Silveſtro Bartoli per prezzo di eſſo ſolamente ſcudi mille, quanto fù pagato alla Camera da Gioſeppe Bartoli ſuo Padre, ciò ſuccedè, perche al figliolo fù raſſegnato l'Officio ſenza prezzo, come ſuol ſuccedere continuamente nelle raſſegne frà padri, e figlioli, onde non puol ſervire per eſſempio, che in ſimili caſi ſi reſtituiſca ſolamente quel prezzo, che è ſtato ricevuto dalla Dataria, mentre con effetto ricevè il prezzo medemo, che haveva pagato Giuſeppe ſuo Padre, che è quello ſi intende provare per parte del Collegio, cioè che non ſia ſtata mai fatta ſuppreſſione fin'hora, che l'Officiale ſia reſtato in danno, anzi ſi ritorce contra la medeſima Camera, mentre il detto Silveſtro ricevè oltre li ſcudi 1000. pagati da Gioſeppe ſuo padre, altri ſcudi 100. come da' Miniſtri della Camera non ſi nega, per la qual coſa ſi conoſce chiaramente, che non ſolo gli fù reſtituito il prezzo pagato, mà tutto ciò, che poteva pretendere, e per giuſtitia gl'era dovuto.

In ſomma, *è ſempre vero dire, che non è ſtata fatta in alcun tempo ſoppreſſione d'officij, ò monti vacabili, e che i poſſeſſori d'eſſi habbino ricevuto un minimo danno, bensì ſpeſſe volte ſi ſono ritrovati in utile, come ſeguì nell' eſtintioni de' monti vacabili fatta da Vrbano Ottavo, & Aleſſandro Settimo, e nell'eſtintioni dell'officii fatte da Clemente Ottavo, e Clemente Nono eſſendo di giuſtitia, che à chi è ſoppreſſo l'officio ſi debba reſtituire il vero prezzo pagato, anzi il giuſto prezzo corrente.*

Provata dunque la conſuetudine nello Stato Eccleſiaſtico di reſtituire nelle ſoppreſſioni degli officii il prezzo, che ogni poſſeſſore di eſſi hà pagato ò all' iſteſſo Principe, ò ad altri reſignanti, non hà luogo il ricorſo alla conſuetudine d'altri Principati, mentre, anco ſecondo il ſenſo de'Signori Miniſtri Camerali, eſpoſto nel diſcorſo ſtampato, fatto ſopra la ſoppreſſione di queſti Officii, queſta non ſi deve oſſervare, ſe non in mancanza di conſuetudine nel proprio Dominio, il che non procede nel caſo noſtro, che habbiamo una inconcuſſa oſſervanza contraria, & in oltre per corroborare la ſudetta oſſervanza, una legge ſpeciale nella Bolla del Beato Pio Quinto, come s'è moſtrato in altre informationi, *quale non è nel Regno di Francia, ne hà havuto à ſuo favore alcuno de' Collegij, ò altri officii ſuppreſſi fin' hora, con tutto che ſenza legge particolare habbiano ottenuto cio, che anco con la ſudetta lege ſi controverte hoggi à igià Segretarii Apoſtolici*, onde non può in modo alcuno rilevare quello, che ſi prattichi in altri Regni, ò altri Principati, ne' quali quando vi ſia queſt'uſo, non ſi fà torto ad alcuno, pratticandoſi quell'oſſervanza, che è nota à tutti, *per la quale è in arbitrio de' Contrahenti non ſoggettarſi à ſimili eventi, il che non ſuccede nel caſo noſtro, che eſſendoſi communemente veduto pratticare il contrario, come s'è moſtrato, reſtano gl'Officiali deluſi dalla bona fede, con la quale s'è ſempre trattato, e ſono ſtati comprati queſti, ed altri ſimili Officii.*

E tutto ciò ſia detto per di più, in riposta della pretesa oſſervanza in contrario. Del reſto (eſſendo, che ſia ſtata prattica la reſtitutione del prezzo pagato dall'Officiali ſolamente, perche ò l'officio era unico, e perciò non vi era altro prezzo corrente, che quello, che l'Officiale haveva pagato, ò havendo le rendite diverſe, & alterabili dalla diverſità, e multiplicità de' negotii di ciaſcun Officio, di dove naſcendone il maggiore, ò minor lucro, ne veniva in conſeguenza il maggior, ò minor prezzo, onde non vi ſi potendo ſtabilire prezzo commune, fù preſo eſpediente di reſtituire il prezzo pagato da ciaſcuno) *non può queſt' oſſervanza pregiudicare al giuſto prezzo, che correva nel tempo della ſoppreſſione, dovuto à noſtri già Officiali, come nelle informationi ſi è dimoſtrato.*

ROMANA PRETII SECRETARIATUUM APOSTOLICORUM.

DECIMA JURIS.

SVMMARIVM.

1 *BVlla Beati Pij Quinti, niſi intelligeretur de reſtitutione integri pretii per quoſcumque Secretarios ſoluti, evaderet fruſtratoria.*

2 *Iuſſit reſtitui pretium, unà cum damnis, & intereſſe, ſi revocaretur datio in ſolutum facta Collegio de primo officio vacaturo.*

3 *Damna, & intereſſe reſtringi non poſſunt ad fructus cenſus per Secretarios imponendi, pro eadem ſumma ſi velent, ſed ad maius pretium reſignantibus exburſatum.*

4 *Verba*, unà cum damnis, & intereſſe *comprehendunt omnia damna, & intereſſe undequaque provenientia.*

5 *Princeps non poteſt ſubdito auferre rem propriam, niſi refuſo pretio.*

6 *Obſervantia aliarum Provinciarum non attenditur, quoties viget individua, & præciſa obſervantia in proprio Principatu.*

7 *Vltimus ſtatus eſt inſpiciendus.*

8 *Fiſcus ultra ſimplum tenetur ad damna, & intereſſe.*

9 *Limitatur ſi Fiſcus procedat uti Princeps.*

10 *Larr. alleg. 18. à num. 16. qui firmat hanc limitationem, in quibus terminis procedat.*

11 *In ſuppreſſione huiuſmodi officiorum Sanctiſſimus uſus fuit poteſtate ordinaria, non abſoluta.*

R.P. ITerum conſtanter dicimus, quod etiam ſcluſa Bulla Piana, ſemper Camera fuiſſet obligata in caſu ſuppreſſionis perſolvere Secretariis integrum pretium, etiam excedens ſcut. 62400. recepta per Innocentium Octavum, dum ſupponimus, ipſam Cameram recepiſſe dictum majus pretium, & hæc præſuppoſitio, uti patens lumine naturali fruſtra exadverſo repetitur, quod opus habuerit declaratione Bullæ B. Pii Quinti.

Bulla igitur Piana (in qua Summus Pontifex profitetur 1
velle augere privilegia Secretariis, ordinando Collegium ſupprimi non poſſe, niſi prius reſtitutis integrè, & ſine diminutione pecuniis ſingulis Secretariis, de tempore ſupreſſionis viventibus, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit) ne ſit fruſtratoria, perneceſſe debet intelligi de reſtitutione integri pretii, quod quiſque Secretarius de tempore ſuppreſſionis vivens, docebit ſe exburſaſſe pro emptione, aut acquiſitione offici, aut Datariæ, aut reſignantibus, maximè quia ita cogit ſubjecta materia, dum major pars Secretariorum ſemper poſſedit officia per viam reſignationum, aliàs Beatus Pius nullum dediſſet privilegium, ut de ſe patet.

Sed cur quærimus argumenta, quando ultra ſupra relata verba ſatis aperta, ex viſceribus Bullæ iſta veritas clariſſimè 2
eluceſcit, etenim, ut diximus, Beatus Pius dedit in ſolutum Secretariis primum ex dictis officiis, vacaturum per deceſſum pro ſcutis 5500. cum facultate illud vendendi pro pretio tunc reperibili, etiamſi dictam ſummam in magna quantitate excederet, & ſi ſuper hoc Collegium moleſtaretur, juſſit

Ca-

Cameram ad reſtitutionem non ſolùm dictæ ſummæ, ſed etiam damnorum, & intereſſe paſſorum teneri, & ſic etiam ad illud majus pretium. Imò dum in tempore ſuppreſſionis poterat adeſſe iſte emptor officii, qui illud à Collegio pro dicta majori ſumma emiſſet, jam non poteſt negari, quod illi Papa ex ſupradicta diſpoſitione voluerit reſtitui dictum majus pretium, Datariæ minimè ſolutum.

Nec evitatur fortiſſimum hoc motivum ex ponderatione exadverſo facta, quod nimirum Papa dederit licentiam Secretariis accipiendi ad cenſum dictam ſummam ſcut. 5500. & ſic promiſſio reſtituendi damna referenda ſit ad fructus cenſus, per Secretarios ſolvendos, non autem ad augmentum pretii, quia hæc interpretatio deſumitur ex ipſo contextu Bullæ, qui exadverſo confunditur, advertendo, quod Beatus Pius prius dedit in ſolutum Collegio dictum officium, cum facultate etiam pro majori ſumma illud vendendi, adjectis clauſulis, quod nullo modo deſuper moleſtaretur, aliàs Camera teneretur ad reſtitutionem ſcut. 5500. cum damnis, & intereſſe paſſis, ut in Motu proprio littera B.

Poſteà verò per orationem ſeparatam ibi: *Præterea iiſdem, ut commodius pecunias dicto Cardinali reſtituendas &c. reperire valeant, ſummam prædictam &c. ad cenſum accipiendi licentiam concedimus &c.* Igitur patet, quod præcedens diſpoſitio promiſſionis damnorum, & intereſſe non poteſt referri ad fructus cenſus, de quo Papa adhuc non fuerat loquutus, ſed ad majus pretium, quod Collegium fuiſſet recepturum, & reſpectivè emptor officii Collegio exburſaſſet.

Ultra quod dicta verba *unà cum damnis, & intereſſe paſſis,* 4 cùm ſint generalia, comprehendunt omnia damna, & intereſſe, quæ Collegium potuiſſet ſubire, ſive reſpectu fructuum cenſus, ut eſt notorium.

Argumenta exadverſo denuò inculcata, quod Camera non debeat ſubire hanc pretii reſtitutionem, quaſi ſit pœna, quæ abſque culpa, & dolo non infligitur, nullius ſunt relevantiæ, dum nos petimus noſtrum pretium vigore claræ Bullæ Beati Pii, qui juſſit officia ſupprimi non poſſe, niſi reſtituto dicto integro pretio, quod quiſque Secretarius vivens in acquiſitione officii expendiſſe conſtiterit, quod videtur 5 omni juſtitiæ, & æquitati congruere, cùm Princeps non poſſit ſubdito tollere rem, aut officium proprium, niſi ei refundat pretium talis officii, ut ſemper Pontifices prædeceſſores practicarunt, adeòut in tot ſæculis nullum poſſit per Cameram dari exemplum contrarium.

Attenta præſertim publica bona fide, ſecundum quam iſta officia empta fuerunt ab incertis reſignantibus, ipſo Papa approbante, & expeditionem, ſeu Bullam in favorem Officialium ſignante, & optimè ſciente, quod pretium ſolvebatur reſignantibus, unde nullatenus docet, quod poſtea iſti Officiales remaneant decepti, & ſpoliati officiis, & pretio ſub novo, & numquam audito, aut imaginario prætextu, quod ab initio, & ante ſæcula Dataria, vel non receperit tantum pretium, vel officia fuerint à prædeceſſoribus Pontificibus donata, cui abſurdo nihil ſolidi ex adverſo reſpondetur.

Exempla Regis Chriſtianiſſimi, & aliud Reginæ Catholicæ, de novo in reſponſionibus adducta, non faciunt ad rem, quando habemus præciſam, & individuam obſervantiam Sedis Apoſtolicæ in his ſuppreſſionibus, reſtituendi ad minus pretium ab Officialibus ſolutum vel Datariæ, vel reſignantibus, & mirificè confert ultimus ſtatus ſuppreſſionis 7 factæ à ſanctæ mem. Clemente Decimo de Notariatibus Cameræ, in qua juſſit reſtitui integrum pretium ab uno quoque ſolutum, ad tollenda æquivoca, forſan exorta ex verbis præcedentium ſuppreſſionum.

Exageratæ concluſioni, quod Fiſcus non teneatur, niſi ad ſimplum, fuit data congrua, adæquata, & cathegorica reſponſio cum doctrinis punctualibus, quod ſcilicet Fiſcus te- 8 netur ad damna, & intereſſe ipſius ſimpli, quæ conſiſtit in pretio rei currentis tempore evictionis, quatenus verò 9 exadverſo reſpondetur, id non procedere, quando Fiſcus procedit uti Princeps, ex Larrea *allegat.* 18. *à num.* 16. replicamus Larream non tangere hanc quæſtionem, ſed aliam re- 10 ſtauri faciendi Appaltatori vectigalium, quando fuit interdictum commercium ex cauſa belli, vel alterius publicæ neceſſitatis, quod toto Cœlo diſtat à caſu noſtro.

Ultra quod hoc refugium DD. Cameralium (quando vident non poſſe adæquatè reſpondere) quod ſcilicet proceſſum fuerit per legem generalem uti Principis, & ſimilia, non ſubſiſtit, cùm Sanctiſſimus Dominus Noſter, pro ſua infi- 11 nita humanitate, & æquitate, noluerit in hac ſuppreſſione adhibere ſuam ſummam, & abſolutam poteſtatem, ſed ordinariam, & intra limites juris, & Juſtitiæ incluſam, & ideò cauſam decidendam remiſit huic Sacro Tribunali, prout de jure, quod non feciſſet, ſi ſupremam auctoritatem adhibere voluiſſet, ſed per modum conditæ legis ordinaſſet, abſque alio recurſu, illius obſervantiam.

Quare &c.

Gaſpar Turchus.

NUM. VIII.

PRIMA DECISIO ROTÆ

REVERENDISS. D. ALBERGATO DECANO.

Veneris 16. *Junij* 1679.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Verba ubi ſunt clara, non eſt recurrendum ad ſubauditos intellectus; Verbum *reſtituere* aliquando ſignificat dare, & ſolvere. Quæ dicatur integralis ſatisfactio.

SUMMARIUM.

1 *IN claris non eſt convolandum ad interpretationem.*
2 *Verbum* reſtituere *de ſui natura ſignificat reddere, & retrodare.*
3 *Aliquando accipitur pro dare, & ſolvere.*
4 *Dictio* tunc *ſignificat extremitatem temporis.*
5 *Dictio* eos *eſt perſonalis.*
6 *Non dicitur integrè habere, qui totum non habet.*
7 *Ex diverſis non fit illatio.*

COllegium, quod anno 1487. ſan. mem. Innocentius Octavus ex ſex Secretariis Apoſtolicis primitus inſtitutis à ſuis prædeceſſoribus Calixto Tertio, & Pio Secundo, auxerat ad 30. conditione adjecta, quod illis ſex decedentibus eorum officia alteri concedi amplius non poſſent, ſed accreſcerent aliis, itaut impoſterum 24. dumtaxat Secretarii exiſterent, noviſſimè urgentiſſimis de cauſis, publicum bonum reſpicien. extinxit, & ſuppreſſit Sanctiſſimus Dominus Noſter, mandans perſolui ſingulis Secretariis, officia poſſidentibus, totum id, quod ab eis, vel eorum Auctoribus ſolutum fuit Cameræ, & ulterius Motu proprio, incomparabili ſuæ humanitatis, & juſtitiæ exemplo, cognitionem An, & quid ultra quantitatem ſolvi demandatam reſtituendum, ſeu perſolvendum eſſet, commiſit Illuſtriſſimo Theſaurario de voto Rotæ, omnibus Auditoribus ſuffragium præſtantibus, appellatione remota. Quamobrem propoſui hodie dubium ſuper quantitate pretii reſtituendi, & reſponſum fuit, eſſe reſtituendum pretium illud, quod quilibet ex Secretariis erogavit in emptionem ſui officii.

Fundamentum enim hujus reſolutionis fuit Conſtitutio B. Pii Quinti edita anno 1571. qui comperto, quod officium vacans per obitum Marcelli Auguſtini, à ſe conceſſum Cardinali Mediceo, recepta ſumma ſcutorum 5500. auri, erat unum ex illis ſex, quæ ad formam Innocentianæ Conſtitutionis vendi amplius nequibant, dicta ſua particulari Conſtitutione, loco dicti Officii; cujus pretium dicto Cardinali reſtituere ſe obtulerat Collegium Secretariorum, eidem Collegio, & Secretariis aſſignavit pretium Officii alterius Secretariatus, ex numero viginti quatuor, primo loco vacaturi, concedens facultatem Secretariis Officium prædictum

ctum vendendi pro pretio tunc temporis reperibili, & congruo, etiamsi dictam summam scutorum 5500. pretium ex venditione percipiendum, in parva, vel magna summa excederet, illudque in usus, & utilitatem Secretariorum, & Collegii convertendi, ac ulterius privilegia Collegii confirmavit, & pro potiori cauthela eadem denuò concessit, subdens hæc verba - *Volentes, & statuentes illa ullo unquam tempore per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes revocari, reduci, alterari, aut moderari, seu Collegium ipsum supprimi, vel extingui non posse, nisi restitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis, tunc viventibus, integrè, & absque ulla diminutione, pecuniis, pro quibus eos Officia emisse, aut habuisse constiterit.* Ex quorum verborum tenore DD. censuerunt resultare expressam voluntatem dicti B. Pontificis, quod in casu suppressionis, & extinctionis hujusmodi Collegii, & Officiorum debeat restitui singulis Secretariis pretium ab ipsis solutum pro officio obtinendo, propterea ad eorum favorem militare specialem,
1 & expessam Constitutionem Papalem, propter quam recurri non potest ad interpretationem, & subauditum intellectum, juxta Text. *in l. ille, aut ille §. cum in verbis ff. de legat. 3. l. non aliter ff. eodem* Rot. *decis.* 589. *num.* 2. & 3. coram Card. Seraph.

Nec verbum illud *restitutis* visum est posse referri ad restitutionem illius quantitatis, quam Camera recepit in concessione, seu venditione officii facta per ipsam, non autem ad illud plus, quod solutum fuit resignantibus ab illis, qui mediante resignatione à Summo Pontifice admissa, acquiserunt officia, quia licèt verbum *restituere* de sui natura
2 significet reddere, & retrodare, juxta Text. *in l. prima, §. eleganter ff. Depos.* Glos. *in l. qui uxori verb. reddi ff. de aur. & argent. legat. & in l. mancipia verb. avocandum Cod. ae serv. fugit.* Menoch. *cons.* 1155. *num.* 51. Rot. *decis.* 7. *num.* 12.
3 coram Dunoz. Jun. tamen significat, & accipitur aliquando etiam pro dare, & solvere juxta Text. *in l. . . . verb. reddendi ff. de verb. signif. l. cum quidam ff. de legat. 2. l. hæres meus ff. de legat. 3.* & eleganter relatis juribus, & DD. ac etiam humanioris litteraturæ professoribus, exornat, *decis.* 77. *à num.* 12. *ad* 15. coram Arguell.

Quod autem hujusmodi verbum acceptum fuerit in Constitutione Piana in significationem solvendi, seu dandi, desumebatur, tum ex illis verbis, quibus B. Pius utitur, loquens de scutis 5500. auri restituendis Cardinali Mediceo ibi - *Quoniam Secretarii prædicti &c. dictam summam &c. eidem Cardinali nostro nomine restituere se obtulerunt;* & tamen Secretarii cùm nihil à Cardinali recepissent, eidem nihil propriè restituere tenebantur, tum etiam ex quo B. Pius sciens officia esse venalia, & resignabilia, & sic pretium posse mutari, ut colligitur ex verbis ejusdem Constitutionis in ea parte, in qua assignans Secretariis officium vacaturum loco illius concessi Cardinali Mediceo, dedit Collegio, & Secretariis facultatem illud vendendi pretio reperibili, etiam excedente dictam summam scutorum 5500. auri, & postea considerans casum suppressionis ipsorum officiorum, generaliter statuit, Collegium supprimi, aut extingui non posse, nisi prius restitutis singulis Secretariis, tunc viventibus integrè, & absque ulla diminutione pecuniis, unde colligitur, ipsum non respexisse ad Cameram, à qua restitutio facienda erat de tempore suppressionis, & extinctionis, sed ad Secretarios, qui pecunias solverant pro emendo officio, quibus tunc facienda erat restitutio, indicant verba *Secretariis tunc viventibus*, dictio enim *tunc* significat extremitatem temporis, & ad illud dispositionem 4
restringit, Barbos. *dict.* 419. *num.* 1. & 7. Rot. *decis.* 87. *num.* 10. coram Royas, & ostendunt etiam alia verba - *pro quibus eos officia emisse, aut habuisse*, nam illa dictio *eos* est personalis, & refertur ad personas supra expressas Secreta- 5
riorum tunc viventium Paris. *de resignat. lib.* 11. *quæst.* 5. *nu.* 6. Menoch. *cons.* 200. *num.* 3. Barbos. *dict.* 103. *num.* 3. & si in casum suppressionis, & extinctionis Collegii non restitueretur singulis Secretariis tunc viventibus pecunia ab ipsis soluta pro obtinendo officio, sed dumtaxat illud, quod venditum erat, esset contra tenorem dictæ Bullæ Pianæ, quia eisdem non restitueretur integra, & absque ulla diminutione pecunia, cùm integrè, & sine diminutione habere non dicatur ille, qui totum non habet, Menoch. *cons.* 687. *num.* 43. Rot. *decis.* 300. *vers. hæreditatem par.* 1. *recent.* cum aliis per Barbos. *dict.* 167. *num.* 1. *& seqq. ubi num.* 7. dicitur inte- 6
gra pecunia, idest omnis pecunias per Text. *in l. si rem alienam la prima §. omnis ff. de pignorat. act.* & facit Bald. *cons.* 424. *num.* 1. *lib.* 2.

Nec visum est DD. posse applicari exempla aliarum suppressionum, & extinctionum officiorum, tum à Summis Pontificibus, tum ab aliis exteris Principibus factarum, in 7
quibus dumtaxat pretium ingressum in publicum Ærarium fuit Officialibus restitutum, quia inde non potest desumi observantia declarativa pro casu, de quo agitur, nam nullibi cautum erat, quod in illorum extinctione restitueretur pecunia ab Officialibus soluta pro emendo officio, prout in istis officiis Secretariatuum specialiter dispositum est, per dictam Pianam Constitutionem, mandantem Collegium supprimi, aut extingui non posse, nisi prius restitutis realiter, & cum effectu singulis Secretariis, tunc viventibus, integrè, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit, quapropter de uno ad alterum nequit inferri vulgata *l. Papinianus ff. de minor.* & ubi militat diversa ratio, diversa quoque debet militare juris dispositio ad Text. *in l. illud ff. ad l. Aquil.*

Et ita utraque &c.

NVM. IX.

Discursus contra decisionem, ad effectum audiendi sensum Tribunalium, & Jurisconsultorum, de quibus infrà, cum subscriptionibus multorum Jurisconsultorum Neapolitanorum.

ARGUMENTUM.

De significatione verborum *restituere, reddere*, & *solvere* Officia venalia, & jura vitalitia quomodo sint in commercio; Lex nova quando dicatur correctoria antiquæ; Donatio, in quo casu præsumenda, & quando sit personalis. De variis speciebus fisci, & quando sit, necne odiosus. Subscriptiones, & approbationes præsentis discursus trium Advocatorum Neapolis.

SVMMARIVM.

1 Facti series.
2 *In claris non intrant quæstiones.*
3 *Verbum* restituere *non est verificabile, nisi in eo, quod alteri ablatum est, vel ab eo receptum.*
4 *Quandoque accipitur pro dare, vel solvere.*
5 *De differentia inter verbum* restituere, *& verbum* reddere, *ac* solvere, *ubi de vera, & propria significatione dictorum verborum.*
6 *Verbum* reddere *magis latè patet, quàm verbum* restituere, *& de eorum differentia.*
7 *Clarum dicitur illud, quod sensu corporeo percipitur, absque aliqua impropriatione verborum, vel ratiocinio.*
8 *Verba non sunt improprianda, nisi concurrentibus conjecturis, & præsumptionibus contraria voluntatis.*
9 *Actus ascribitur mandanti, non mandatario.*
10 *Officia venalia, aliaque jura Principis non sunt in commercio, quoad substantiam, sed quod commoditatem, & quomodo dicantur de resignante in resignatarium transire, &* num. 41.
11 *Resignatarius non dicitur obtinere beneficium à resignante, sed directè, & immediatè à Papa.*
12 *Usufructuarius non potest cedere usumfructum quoad substantiam, sed tantum quoad commoditatem, nisi accedat consensus proprietarii, quo casu ipse dicitur creare novum usumfructum.*
13 *Quod etiam procedit in pensionibus, aliisque juribus vitalitiis.*

14 *Ver-*

14 *Verba* emisse, & habuisse, *de quibus in Motu proprio, intelliguntur de pecuniis solutis Camerae, non resignantibus.*

15 *Ius redimendi censum vitalitium exerceri potest pro eodem pretio, quamvis intermedio tempore, etiam cum consensu redimere volentis, fuisset venditus tertio pro maiori pretio.*

16 *Illud plus, quod resignans percipit à resignatario in huiusmodi iurium cessione, non dicitur pretium, sed praemium resignationis.*

17 *Concordia restringitur ad ea, quae sub controversia cadebant.*

18 *Verba effrenata non faciunt praesumere partes inivisse contractum à concordia diversum, & separatum.*

19 *Confirmatio nihil addit de novo, sed restringitur ad limites confirmati, cui verba, quantumvis ampla, famulantur.*

20 *Rubrica attenditur ad probationem, vel interpretationem dispositionis.*

21 *Assistentia iuris transfert in adversarium onus probationis.*

22 *Lex nova non praesumitur corrigere antiquam, quando est de per se in aliquo operativa.*

23 *Novatio non praesumitur, sed necesse est, quod exprimatur.*

24 *Donatio non praesumitur, atque omnis capi debet intellectus pro eius exclusione.*

25 *Maximè quando est valde exorbitans, & nulla concurrit causa donandi.*

26 *Ex appositione, vel omissione eorum, quae sunt de stylo, arguitur voluntas Papae, quidve agere intellexerit.*

27 *Papa, qui noluit praeiudicare Camerae in summa minori, non est praesumendus eidem praeiudicare voluisse in valde maiori, &* num. 39.

28 *Obligatio restituendi damna passa, refertur ad damna passa de proprio.*

29 *Fiscus non tenetur ad stipulationem, ex qua sibi emergit laesio enormissima.*

30 *Donationes gratuita Officiorum futurorum sunt revocatae per regulam Cancellariae 64. & per Constitutionem Pauli Quinti, & Vrbani Octavi.*

31 *Sunt invalidae, nisi registrentur in Camera, & derogetur regulae de iure quaesito non tollendo.*

32 *Donatio gratuita censenda est personalis, & restricta ad personas cognitas, & benemeritas, non autem ad ignotas, & futuras.*

33 *Maxime si fiat ex motivo gratitudinis.*

34 *Et contemplati sint donatarij viventes.*

35 *In dubio pronunciandum est contra fiscum.*

36 *De variis speciebus fisci.*

37 *Contra fiscum in dubio pronunciandum est, quando fovet causam lucrativam ratione poenae, seu successionis ad exclusionem illorum de sanguine.*

36 *Non autem quando fovet causam onerosam, & correspectivam, & agit de damno vitando, & recta Ærarii administratione.*

37 *De variis privilegiis, quae in isto postremo casu competunt fico.*

38 *Respublica, quando agit de damno vitando, est magis privilegiata in suis bonis, quam sit mulier in sua dote.*

39 *Obligatio expressa Camerae restituendi idem pretium pro uno Officio facit praesumere, id observandum esse in caeterorum suppressione.*

40 *Principes cum recedunt à contractu, de iure non tenentur restituere, nisi pretium receptum.*

41 *Officia venalia non sunt in commercio.*

42 *Princeps cum ea supprimit, restituit illud pretium, quod habuit.*

43 *Beatus Pius Quintus cum demandavit restitutionem pecuniarum, solum removere studuit eiusdem restitutionis dilationem.*

COllegio Secretariorum Apostolicorum, quod tunc ex sex Officialibus constabat, Innocentius Octavus alios 24. adjunxit, quamplura concedendo privilegia, aliquas faciendo notabiles assignationes emolumentorum, quorum intuitu scut. 62. auri ab eodem Collegio recepit sub variis legibus, illis praesertim ad rem facientibus, quod licèt tunc numerus esset triginta Officialium, nihilominus reduci deberet ad vigintiquatuor, adeòut deficientibus antiquis, sex illorum officia, seu loca provideri non possent, sed extincta remanere deberent, quodque ad ejusdem Collegii suppressionem deveniri non posset, nisi prius integrè restitutis per Cameram praefatis scutis 62. mil. Idque per successores Pontifices Alexandrum Sextum, Julium Secundum, & Leonem Decimum approbatum, & confirmatum fuit cum concessione aliorum privilegiorum ad rem non facientium. Cùmque sub B. Pio Quinto contigisset vacatio unius ex praefatis sex antiquis locis, vel officiis supprimendis, Pontifex autem, hujus rei ignarus, illud vendidisset Cardinali Mediceo pro pretio scut. 5500. auri, atque Collegium recursum habuisset ad eumdem Pontificem, hic agnoscendo veritatem, cum ejus Motu proprio provisionem dicti officii cassavit, & annullavit, sed quoniam opportebat restituere Cardinali emptori acceptum pretium scutorum 5500. auri, carebat verò prompta pecunia, ob graves impensas celeberrimae classis Maritimae contra Turcas, & Secretarii se obtulerunt pro eo, & ejus nomine, tamquam per speciem mutui, dictam pecuniam restituere, dummodo pro reimbursatione sibi daretur insolutum officium primo vacaturum, quod pro reperibili pretio, etiam majori, vendere posset, idcircò in eodem Motu proprio, facta ista concessione, inter alias disponitur, quod Secretarii dictam summam accipere possent ad Censum, quodque in eventum non implementi, Camera teneretur ad solvendum dictam summam scutorum 5500. auri unà cum damnis, & interesse passis, declarando ita inter ipsum Pontificem, & Sedem Apostolicam, ex una, & Collegium ex altera partibus conventum esse, quodque dictus Motus proprius vim initi, & stipulati contractus habere deberet.

Hactenus circa dictum officium, vel respectivè pretium, super quo erat controversia, & super quo principaliter conventio inita fuit, postmodum per novum periodum novae orationis, novaeque, ac diversae dispositionis inchoativam ex *vers. Ad haec* subjungit Pontifex, quod volens amplioris favoris gratia Collegium prosequi, ut ea, quae per Praedecessores concessa fuerunt firmiter subsistant, idcircò omnia per dictos Praedecessores concessa, quatenus Concilii Tridentini decretis, non adversentur, confirmat, & approbat, & pro potiori cautela de novo concedit. *Volens (sunt verba praecisa) dicta privilegia ullo unquam tempore alterari, aut moderari, seu Collegium ipsum supprimi, vel extingui non posse, nisi restitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis tunc viventibus integrè, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eorum officia emisse, aut habuisse constiterit:* cumque in Cedula hujus Motus proprii concedatur Secretariis facultas expediendi desuper unam, vel plures litteras in forma Brevis, idcircò ex tunc illi curarunt expedire duo Brevia, unum super dicta parte, concernente restitutionem scutorum 5500. ad effectum illos sumendi ad censum, & alterum separatum super secunda parte, continente confirmationem privilegiorum, atque huic secundo, impresso ex tunc in quodam libro, data fuit inscriptio, quòd esset Confirmatio privilegiorum.

Cùm autem Sanctissimus Dominus Noster Innocentius Undecimus ex justissimis causis publicam utilitatem, ac necessitatem concernentibus, Collegium praefatum extinguere, ac supprimere decrevisset, plures autem exortae forent dubitationes super restitutione pretii, facienda officiorum possessoribus, idcircò in Motu proprio dictae suppressionis mandavit, quod promptè per Cameram eis restitui deberent illae pecuniae, quas constaret ad eamdem obvenisse, prout jam sequutum fuit, pro eo verò pluri, quod per eosdem Officiales solutum fuit resignantibus pretium, prout de jure decidendum commisit judicio Rotae, à qua coram Decano, dato dubio, An, & quale pretium restituendum sit sub die 16. Junii praeteriti prodiit resolutio restituendum esse totum id, quod quilibet ex Secretariis erogavit in emptionem sui officii, ex unico fundamento praefatae Constitutionis in verbis supra registratis, quasi quod ita expressè, ac in verbis ita statuatur, adeòut intret vulgaris regula, Text. *in l. ille, aut ille ff. de leg.* 3. quod in claris, & expressis non intrant quaestiones, & argumenta, ut ex decisione desuper edita, quae datur annexa, ideòque videndum est, an dicta resolutio subsistat, necne.

Pro methodica veritatis indagine, duae videntur efformandae inspectiones, una procedendo cum praefati Piani Motus proprii littera, seu verbis, ut facit decisio, & altera procedendo, cum ejusdem Motus proprii juridica interpretatione.

Quoad

Quoad primam partem, verba in eorum tam naturali, & grammaticali, quàm legali significatione assistunt Cameræ, ut non teneatur ad restituendum, nisi id, quod recepit, quoniam verbum *restituere* non est verificabile, nisi in 3 eo, quod alteri ablatum est, vel ab eo acceptum, non autem in eo, quod nec ablatum, nec habitum fuit, ut expressè probant quamplura jura litteralia, *L. restituere* 35. & 75. *de verb. signific. l.* 1. §. *eleganter ff. depositi.* cum concord. per Rebuff. *in dict. l.* 75. & Menoch. *cons.* 1155. *num.* 51. & *seq.* Et docent ipse discursus universalis, & communis loquendi usus.

Admittit decisio hanc regulam, sed respondet, quod quan- 4 doque accipitur pro dare, vel solvere, juxta ibi allegatas auctoritates; *L. verbum reddendi ff. de verb. signific.* cum concord. per Rot. apud Arguell. *decis.* 77. *an.* 12. *ad* 15.

Verùm in hoc solemniter æquivocatur, quoniam verum est assumptum, de quo in mox allegata Rota decisione coram Arguell. & in juribus, ac auctoritatibus ibi recensitis, sed æquivocum est in applicatione, pro qua benè facienda, 5 & diluendis æquivocis, reflectendum est ad differentiam, quæ dignoscitur inter verbum *restituere*, & verbum *reddere*, ac etiam ad significationem verbi *solvere*. In vera siquidem, ac stricta, tam legali, quàm grammaticali significatione, verbum *restituere* verificatur solùm in rebus, quæ consistunt in specie; Verbum autem *solvere* verificatur in rebus, quæ consistunt in genere, in quo recipiunt functionem, semper tamen cum præsuppositio debiti, & obligationis restituendi, vel solvendi domino, vel creditori id, quod receptum est, & habetur in manibus de alieno, unde licitè retineri non potest, ut puta exemplificando si quis licitè, & sine delicto ex causa commodati, vel depositi, seu locationis, & simili, aut illicitè ex spolio, & violentia detinet domum, prædium, equum, vestem, vel aliam rem alterius, intrat verbum *restituere*, non autem verbum *solvere*, quoniam istud non verificatur, nisi in rebus consistentibus in genere, in quo recipiunt functionem, puta in pecunia, tritico, vino, oleo, & similibus, semper tamen, quod actus fiat per debitorem, vel obligatum restituendi, vel respectivè solvendi, ubi verò sive agatur de specie, sive de genere, aliquid datur sine obligatione, de proprio, ex liberalitate, non dicitur *restitui*, vel *solvi*, sed dicitur concedi, elargiri, donari &c. unde propterà de facili conceditur eloquutionis impropriatio, quod in restituente speciem ex obligatione adhibeatur verbum *solvi*, & in solvente pecuniam, vel aliud genus adhibeatur verbum *restitui*, seu *reddi*, & hic est casus, de quo in dicta decisione Rotæ coram Arguell. quod in substantia aderat debitum, sola verò quæstio erat, an reddenda esset species, vel solvenda esset quantitas, non autem ut sive verbum restituere, sive verbum reddere, aut verbum solvere esset adaptabile illi, qui nihil recepit, nullamque habet restituendi, vel reddendi, sive solvendi obligationem, quoniam licèt, quando donator, vel mutator, aut deponens commodat, vel deponit, sive mutuat (de facto dicatur restituere, vel solvere, attamen ista est vulgaris, & improprià loquutio, non autem legalis, vel grammaticalis.

Verbum verò *reddere* latius patet, quoniam non solùm 6 est aptum significare idem, quod significat verbum *restituere*, seu verbum *solvere*, quorum utrumque semper præsupponit debitum, sed etiam est aptum denotare idem ac verbum *dare*, vel *donare*, ut frequenter istud verbum practicatur in sacra pagina in Deo, qui nullam habet obligationem erga homines, sed totum concedit ex gratia, ibi: *redde mihi lætitiam salutaris tui*, & ibi: *reddidit mercedem Sanctorum suorum* cum mille similibus passibus, vel locis, qui cumulari de facili possunt, & sic magna differentia est inter verbum *restituere*, & verbum *reddere*, atque impropriatio verbi restituere in verbum solvere semper præsupponit debitum restituendi, vel solvendi alienum, quod habetur in manibus, secus autem in verbo *reddere*; *dicta l. verborum reddendi de verb. signif.* Rebuff. *ibid.* & *in dicta l. restituere* 75. *eod. tit.* Gratian. *decis.* 47. *num.* 5. & 6. Andreol. *controv.* 40. *num.* 12.

Et nihilominus si procedendum est impropriationem, 7 ergo non benè dicitur, quod res sit adeò expressa, & clara, ut intret regula textus *in lege ille, aut ille*, quoniam clarum, & expressum dicitur solum id, quod patet oculis corporeis, atque solo sensu corporeo percipitur, absque aliqua impropriatione, vel ratiocinio, aliaque operatione intellectus, non autem ista accedente, Tiraquell. *ad l. connub. gloss.* 1. *num.* 174. Rot. apud Bich. *decis.* 612. *num.* 16. *ubi concordantes.*

Prætereà, ut patet ex eadem decisione coram Arguell. & concordantibus ibidem allegatis, ad dictam verborum im- 8 propriationem, tamquam per limitationem regulæ, non devenitur, nisi quando ita suadeant facti circumstantiæ, ac diversæ voluntatis argumenta, præsumptiones, & conjecturæ, ita famulando substantiæ veritatis potius, quàm verborum cortici, & grammaticali, seu litterali significationi, quia debitum adsit in substantia, quod nullatenus dici potest in casu, de quo agitur, quoniam ex dicto Motu proprio nullum colligi videtur argumentum, vel probatio, quod Pontifex impropriè loqui voluerit, ac demandare restitutionem non accepti, tamquam per gratuitam elargitionem, sed potius clarè convincitur contrarium, quoniam per sex vices adhibetur istud verbum *restituere*, tamen in aliis quinque præcedentibus semper adhibetur juxta propriam, & naturalem significationem restituendi id, quod habitum fuerat, & tamquam alienum retineri non poterat, ut ad evidentiam probat contextus totius cedulæ Motus proprii.

Et licèt in decisione ponderetur, quod bis Pontifex adhibeat istud verbum impropriè, occasione dicendi, quod Secretarii volebant restituere Cardinali Mediceo scut. 5500. quos ipsi non habuerant, sed habuerat ipse Papa; Attamen id mirificè retorquetur, atque apertè probat fallaciam, quodque Papa adhibere voluerit istud verbum in ejus vera, propria, & naturali significatione, quoniam rectè sciens, quod illud non congrueret Secretariis, qui nihil habuerant à Cardinali Mediceo, sed competeret ipsi Papæ, qui summam prædictam à præfato Cardinali habuerat, prudenter, ac mysteriosè utraque vice, post verbum restituere, adjecit illa verba *pro nobis*, & *nomine nostro*, & sic in effectu ipse Papa restituebat acceptum per manus mutuatoris, tamquam 9 ejus Mandatarii, & negotiorum gestoris, eo modo, quo in dies Principes, & Magnates, ac viri nobiles, & negotiatores, solutiones faciunt eorum creditoribus per manus famulorum, vel proactorum, sive institorum, aliorumque mandatariorum, adeòut aliqua mirandi occasio fortè subesse videatur, quod ista consideratio in Decisione fiat, dum ad evidentiam comprobat contrarium.

Demum quoad istam primam inspectionem verbalem, pro clariori comprobatione præmissorum, reflectendum est, quod alia verba subsequentia, *Scilicet pecuniis, pro quibus eorum officia emisse, vel habuisse constiterit* referri legaliter non possunt, nec debent, nisi ad pecunias solutas Cameræ, à qua, & non ab aliis officia emi, & haberi dicuntur, nulletenus verò dicta verba congruunt privatis resignantibus, atque ad hoc attentè reflectendum videtur, quoniam si loqui volumus more Doctorum, & per veros terminos, ac propositiones legales, ista res remanet omninò plana ad favorem Cameræ.

Pro istius assumpti comprobatione reflectendum est ad certum, & ubique receptum principium, quod ista officia 10 venalia, aliaque similia jura Principis, vel Reipublicæ, non sunt in privato commercio, quoad substantiam, & quoad translationem de uno in alterum, cùm solum in commercio sit eorum commoditas, firma remanente substantia in persona Officialis cedentis, quæ pro vacatione attenditur, quoties non accedat Principis beneplacitum, in cujus casu resignatio, quæ fit per officii possessorem, aliud non operatur, nisi extinctionem proprii juris, ita tollendo se de medio, ac faciendo se mortuum, ut propterea sequi dicatur vacatio, atque officium, tamquam vacans, ex integro per Principem conceditur resignatario, & sic resignans est solum medium, vel occasio, nunquam verò ipse dici potest venditor, vel concessor, neque quod ab eo resignatarius emisse, vel habuisse dicatur. Eatenus autem pretium conventum solvitur resignanti, non autem Principi, quia cum hic semel pretium habuerit, justum, & rationabile non est, ut illud duplicatum recipiat, stante facultate concessa resignandi, dum ita esset locupletari cum aliena jactura, in 11 reliquis autem adamussim in hoc procedunt ea, quæ habemus in resignationibus bonorum Ecclesiasticorum, quoniam resignatarius non dicitur habere beneficium à resignante, quamvis cum consensu Papæ aliquam pecuniarum summam ei solvat pro extinctione pensionis reservatæ, vel reservandæ, sed dicitur directè, ac immediatè obtinere à Papa, Salgad. & *alii relati in theatr. lib.* 2. *de regal. disc.* 4. & 16. & *in aliis pluribus, cum sit principium indubitatum.*

Idque

Idque non eſt ſpeciale in officiis, & aliis juribus cum Principe, eo quia ſint de regalibus, ut aliqui malè opinantur, rerum principia non perſcrutantes, ſed generaliter in
12 terminis juris communis procedit in omnibus juribus vitalitiis, quando agitur de translatione juris de una perſona in alteram, ut præſertim habemus in jure diſpoſitum in uſufructu, à quo ex identitate rationis arguere licèt ad cenſus vitalitios, & ad emptiones bonorum ad vitam, quoniam uſufructuarius, abſque conſenſu proprietarii, non poteſt vendere, vel cedere uſumfructum alteri, quoad ſubſtantiam, ſed ſolum poteſt vendere, vel cedere commoditatem, quæ redolet ſimplex mandatum ad exigendum, durante vita cedentis, ex cujus perſona regulatur uſusfructus extinctio, vel ceſſatio, quando verò accedit proprietarii conſenſus, iſte operari dicitur extinctionem prioris uſusfructus in perſona cedentis, & novam ex integro creationem alterius uſusfructus in perſona ceſſionarii, ex qua vacatio regulatur, adeòut proprietarius, conſentiendo mutationi perſonæ, ita emere dicatur aleam, quæ poteſt æquè ſe habere ad lucrum,
13 & ad damnum, quia poteſt translatarius decedere ante transferentem, Rota latè, & magiſtraliter apud Merlin. *deciſ.* 843. *cum concordant. in theatr. lib.* 6. *de dote diſc.* 148. *ex num.* 1. *ubi ex profeſſ.* idemque paſſim habemus in translationibus penſionum Eccleſiaſticarum, & in cenſibus, aliiſque contractibus vitalitiis, & ſic ad rem noſtram illa verba
14 *emiſſe, & habuiſſe*, ſi dicere volumus, quod Papa benè, & legaliter tamquam peritus, non autem tamquam idiota loquutus fuerit, nullo modo referri poſſunt ad reſignantes, ſed ad Papam, & ad Cameram, unde de conſequenti, pecuniæ pro quibus officia emi, vel haberi dicuntur, ſunt illæ, quæ ſolvuntur Papæ, & Cameræ tamquam venditori, & conceſſori, non autem illæ pluris, quæ ſolvuntur reſignanti tamquam donativum, & recognitio reſignationis.

Ponamus itaque, quod imponatur cenſus vitalitius, cum
15 facultate redimendi, per Titium ad favorem Sempronii, vel quod cum eodem jure redimendi Titius vendat Sempronio prædium ad vitam, vel prædii uſumfructum, pretio ſcutorum mille, ubi verò Cajus acquireret illum cenſum, vel illum uſumfructum, atque pro obtinenda ejus ceſſione, ultra mille ſolvat Sempronio emptori alia centum, vel centum, ſive plus, Titius autem venditor, vel impoſitor cenſus morem utique gerendo, ejus conſenſum præbeat, utique in caſu, quo velit exercere redimendi facultatem, ad aliud teneri non debebit, niſi ad mille, quæ recepit, iſtæque, quoad ipſum, ſunt pecuniæ, pro quibus illud jus em-
16 ptum, vel habitum fuit, reliquum verò eſt præmium, vel donativum, quod reſignatarius fecit reſignanti, ad hoc, ut illum poneret in locum ſuum, atque reſignatarius percipere debet primum pretium ſolutum venditori per reſignantem, tamquam ejus ceſſionarius, & ſubrogatus in ejus locum, iſtique videntur veri, ac proprii termini quæſtionis, de qua agitur. Et per conſequens, ſi attendere volumus verba eo modo, quo in propria, & vera tam legali, quàm naturali ſignificatione attendi debent, iſta aſſiſtunt Cameræ, cui potius congruere videtur dicta regula Textus *in leg. ille, aut ille*, quàm verè mirandum eſt adductam fuiſſe in contrarium, ita malè redarguendo Cameræ defenſores, & conſiliarios, vel de aperta ineptia, & fatuitate non intelligendi verba clara, & expreſſa, vel de manifeſta calumnia, aſſumendo, & ſubſtinendo litem in re adeò clara, expreſſa, & litterali, quod intret dicta regula Textus *in leg. ille, aut ille*.

Iſta ſufficere, & abundare videntur pro impugnatione deciſionis, abſque neceſſitate aſſumendi aliam inſpectionem ſuper juridica intelligentia, vel interpretatione, ſive operatione dicti Motus proprii Piani, verùm ad ſuperabundantiam aſſumendo iſtam inſpectionem, ex illa clarum quoque eſſet bonum jus Cameræ, quamvis juxta ſenſum deciſionis verba ſibi obſtarent.

Ad id autem dignoſcendum, reflectendum eſt ad totum contextum præfati Motus proprii, qui integrè, & per extenſum, non autem per particulas conſiderari debet. Attento ſiquidem ejus contextu, juxta facti ſeriem, cùm miſterio diſtinctè ſuperius enarratam, illa conventio inter Papam, & Secretarios in ſubſtantia principaliter continet concordiam inter eos initam ſuper illo officio vacato, & vendito per Papam, qui vendere non potuerat, idque dedit occaſionem illi controverſiæ, quæ cum ea conventione ſopita fuit, ideòque intrat dilemma. Aut dicimus, quod totus Motus proprius, etiam in §. Ad hæc, in quo continentur verba ſuperius regiſtrata, in quibus ſe fundat deciſio, continet unicam diſpoſitionem individuam, aut dicimus, quod continet duas partes, ac diſpoſitiones diverſas, ac ſepararas, unam ſcilicet ſuper dicta concordia ab initio uſque ad §. Ad hæc, & alteram confirmationis privilegiorum, à dicto §. Ad hæc, uſque ad finem.

Si dicimus juxta primam partem dilemmatis, quod ſit unica, individua, & correſpectiva diſpoſitio, tunc dicta verba nullatenus facere poſſunt illam operationem, quæ in deci-
17 ſione præſupponitur, quoniam de natura concordiæ eſt, ut reſtringatur ad ea, quæ erant in controverſia; Unde propterea quæcumque verba, quantumvis ampla, & effrenata, quæ in ea adjiciuntur, ſtant famulativè, & ultrò non operantur, niſi quando conſtet de partium voluntate, in dubio non præſumenda, faciendi alium actum, vel contractum à concordia diverſum, & ſeparatum, latè Rota apud Merlin. *dec.* 17. apud Gregor. *dec.* 158. *dec.* 1211. *ex num.* 18. *par.* 11. *recent. cum concord. in theatr. lib.* 1. *de feud. diſc.* 47. *nu.* 8. *&* 11. *& alibi pluries, quia eſt principium certum*. Ideòque cùm quæſtio, quæ conventioni cauſam dedit, eſſet ſolum ſuper uno officio, ejuſque pretio ſcutorum 5500. utique ultrò egredi non poteſt, neque alium operari effectum, adeò extraneum, adeòque Cameræ leſivum, & præjudiciale in ſumma ſcut. 150. mil. circiter, atque aliàs eſſet dare, quod pro mutuo ſcutorum 5500. quod Secretarii fecerunt Pontifici, reportaſſent, adeò magnum, & ingens lucrum, unde reſultaret, vel maxima, & nunquam audita uſura etiam inter Judæos, vel maxima, & pluſquam enormiſſima læſio.

Aut dicimus, ut verius dicendum videtur, quod dictus
18 Motus proprius contineat duas partes omninò diverſas, ac diſtinctas, primam ſcilicet ab initio uſque ad §. Ad hæc ſuper concordia, & contractu correſpectivo, circa reintegrationem ſcutorum 5500. Et alteram à dicto §. Ad hæc, uſque ad finem, in qua continetur mera gratia ſuper confirmatione privilegiorum, & tunc quatenus pertinet ad hanc ſecundam partem, verba in facti ſerie regiſtrata, in qua totum eſt deciſionis fundamentum, eatenus attendi debent, ſuamque faciunt operationem, quatenus idem diſponatur in confirmatis Privilegiis Innocentii Octavi, Alexandri Sexti, Julii Secundi, & Leonis Decimi, ex certo, & recepto juris
19 principio, quod de natura confirmationis eſt nihil de novo inducere, ſed reſtringi ad limites confirmati, adeòut verba, quantumvis ampla, ſtent famulativè pro majori firmitate actus, ſed ultrò non progrediantur, quoties non conſtet de voluntate faciendi omninò novam, ac diverſam conceſſionem, *cap.* 1. *&* 2. *de confirm. util. vel inutil.* Rota *dec.* 293. *nu.* 13. *par.* 11. *rec. cum concord. in theat. lib.* 1. *de feud. diſc.* 60. *num.* 11.

Quod autem dicta ſecunda pars ſit diverſa, & confineat ſolùm confirmationem, patet non ſolùm ex omninò nova periodo, novæ Orationis inchoativa, ſed etiam quia in prima parte Pontifex profitetur procedere per viam contractus, & conventionis, in hac verò ſecunda parte profitetur procedere per viam gratiæ. Ac etiam comprobat obſervantia ipſorum Secretariorum, qui ſuper hac ſecunda parte expedierunt litteras in forma Brevis ad partes, eique inſcripſerunt Rubricam Confirmationis privilegiorum; Rubrica
20 enim attenditur ad probationem, vel interpretationem, Gloſſ. *in l. unic. cap. ne liceat* 3. *provocare cum concord.* apud Royas *dec.* 359. *n.* 74. *Firmana ſucceſſionis* 14. *Martij* 1664. Bevil. *& ſæpius*.

Quodque non adſit voluntas faciendi novationem, & concedendi de novo id, quod non continetur in privilegiis confirmatis, ſufficeret negare, donec talis voluntas probetur, 21
cùm Cameræ aſſiſtat præfata juris regula, quæ de ejus natura transfert onus probationis in alteram partem; Et tamen conſtat de negativa ex pluribus, quæ ſimul juncta ponunt rem in claris. Primò, quoniam ita corrigeretur lex fundamentalis Innocentii Octavi præcipientis, quod in caſu ſuppreſſionis Collegii, Camera deberet reſtituere ſolùm acceptos ſcutos auri 62000. Juris autem regula certa, & vul- 22
garis eſt, quòd legum correctio non eſt præſumenda, niſi probetur, quoties nova lex in aliquo remaneat operativa, adeòut omninò fatua, & inutilis dici non valeat. *Legum correctio non eſt præſumenda, omniſque intellectus capiendus pro excluſione*, Roman. *conſ.* 57. *num.* 1. *& ſeq.* Men. *conſ.* 1060. *num.* 87. *&* 88. Altogr. *conſ.* 83. *num.* 83. *lib.* 1. Secundò, ob aliam vulgarem regulam, quod novatio non præſu- 23
mitur, neque danda eſt, niſi expreſsè dicatur. *Novatio non præſumitur, l. fin. cap. denotat.* latè Capyc. Lat. *conſult.* 120.

num.

num. 39. *& ſeq.* Rot. *deciſ.* 252. *par.* 12. *deciſ.* 264. *num.* 3. *par.* 16. *recent.*

Tertiò, quia id importaret ingentem donationem, ſine cauſa, cum maxima Cameræ læſione; Regula verò juris pari-
24 ter certa, & vulgaris eſt, quod donatio non præſumitur, niſi probetur, omniſque intellectus capiendus eſt pro ejus excluſione. Traquell. *in l. nunquam, verb. donatore largitur num.* 206. *& ſeqq.* Rota verò apud Cavaler. *deciſ.* 603. *deciſ.* 41. *num.* 2. *& ſeqq. par.* 9. *Recent.* Idque ſi procedit in omni privato, qui habet liberam poteſtatem donandi, & projiciendi ejus bona, multò magis dicendum eſt in adeò Sancto Pontifice, quòd in illis anguſtiis, in quibus Camera reperiebatur, ut idem Motus proprius comprobat, hanc adeò exorbitantem, & præjudicialem donationem, ſine aliqua cauſa, facere voluerit.

25 Quartò, quoniam adeò Pontifex circumſpectus eſſe voluit non innovandi, atque non faciendi rem exorbitantem, quod in confirmatione adjecit præſervativam, dummodò privilegia, quæ confirmantur, non ſint contraria decretis Concilii Tridentini, medio tempore ſuperventi; Ideòque multò minùs dicendum eſt, quòd hanc adeò exorbitantem, & læſivam innovationem facere voluerit, ſine aliqua juſta cauſa, nulloque impellente rationabili motivo.

Quintò, quoniam in donationibus, & gratiis Cameræ
26 præjudicialibus, ſtylus eſt derogandi aliquibus Conſtitutionibus, illis præſertim Pauli Secundi ſuper prohibita alienatione bonorum Eccleſiæ, ac etiam derogandi regulæ de jure tertii quæſito non tollendo, & Conſtitutioni Pii Quarti de regiſtrandis, vel quod ſolet iſta adimpleri cum regiſtratione in Camera, quæ omnia neglecta fuerunt contra rerum veriſimilitudinem, ſignum clarum, quod Papa nunquam ad id cogitavit, ex ſtylo namque arguitur voluntas Papæ, & an facere voluerit actum uno modo, vel altero, Mantic. *deciſ.* 214. Gregor. *& Add. deciſ.* 150. Burat. *& Add. deciſ.* 510. *deciſ.* 25. *par.* 10. *recent. cum Concord. in Theatr. lib.* 12. *de Benef. diſc.* 23. *num.* 6. *& ſapiùs.*

27 Et ſextò omnium clariùs, quoniam expreſsè conſideravit Pontifex, quod Officium primò vacaturum Collegio aſſignatum, poſſet vendi multò pluri ultrà ſummam ſcutorum 5500. & tamen in caſu inobſervantiæ, vel ineffectuationis noluit obligare Cameram ad totum id, pro quo Officium venditum eſſet, ſeu vendi potuiſſet, ſed ſolùm ad reſtituendum id, quod per ipſum Papam acceptum fuerat in dicta ſumma ſcutorum 5500. Ideòque multò minùs dicendum eſt, quod obligare voluerit Cameram ad id, quod in deciſione firmatur; Iſtudque eſt argumentum clarum, & inſolubile, quod propterea in deciſione ſub ſilentio involvitur, quia reſponderi non poteſt.

Et quamvis præſupponatur per aliquos motivari, quòd in dicto caſu inobſervantiæ non ſolùm demandetur reſtitutio ſcutorum 5500. ſed etiam damnorum, & intereſſe, quaſi quod veniat etiam augmentum pretii. Attamen iſtud motivum verè nulla conſideratione dignum eſt dupliciter, quoniam non dicitur de damnis, & intereſſe ſimpliciter, &
28 in genere, ſed de damnis & intereſſe paſſis, illud enim verbum *paſſis*, non eſt referibile, niſi ad damnum paſſum de proprio, quod attento contextu Motus proprii, verè, & propriè congruit fructibus ſolutis pro cenſu imponendo per Collegium pro dicta ſumma, ut promptè reſtitui poſſet Cardinali, aliàs enim fatua fuiſſet loquutio cum expreſſione ſummæ certæ, ut ad ſenſum. Et ſecundò, quia in omnem caſum, quicumque intellectus his verbis tribuatur, reſtringitur ad illud unicum officium, & quatenus non effectuaretur aſſignatio, ideòque ultrò non extenditur, cum in ſtipulationibus ſtrictiſſima fiat intepretatio, & non detur ex-
29 tenſio, juxtà nimis vulgata principia; Vel eſſet læſio pluſquam enormiſſima, & omnino intolerabilis, quæ redoleret magnam pœnam, ad quam, licèt ſtipulatam, fiſcus non tenetur, *l. ſi Procurator. ſupra ff. de iure fiſci*, Parſ. *conſ.* 101. *num.* 54. *lib.* 1. Mangil. *de evict. par.* 181. *num.* 28. *& 29.*

30 In omnem caſum iſta diſpoſitio importaret abſque dubio merè gratuitam largitatem, ac donationem, ideòque unum de duobus perneceſsè dicendum eſt, vel ſcilicet, quod iſta futurorum officiorum, eorumque pretii donatio cadat ſub regula Cancellariæ 64. revocatoria hujuſmodi conceſſionum, & ſub Conſtitutione revocatoria Pauli Quinti, vel ſub altera magis lata, & effrænata Conſtitutione revocatoria
31 Urbani Octavi; Sive quod invalida dicenda ſit ex defectu regiſtrationis in Camera, juxtà Conſtitutionem Pii Quarti, cui in Motu proprio non eſt derogatum, ac etiam ex regula Cancellariæ, *de Iure Tertii quæſito non tollendo*, cui pariter non eſt derogatum.

Vel quod dicenda veniat donatio merè perſonalis facta Secretariis illius temporis, à quibus Pontifex gratum officium recipiebat; Idque comprobant tres demonſtrationes; Prima, quia niſi demus irrationabilem, ac ſtultam prodi- 32
galitatem, donationes non fiunt niſi erga perſonas gratas, & benemeritas, quales erant illi Secretarii, non autem hodierni poſt ſæculum. Secundò, quia Pontifex expreſsè pro- 33
fitetur ſe induci ad conceſſionem hujus gratiæ ex motivo gratitudinis, ibi: *Nos è contra promptam Secretariorum voluntatem agnoſcentes, eamque gratam, ut par eſt habentes, meritòque in Domino commendantes, &c.* Et tertiò ob illa verba, *ſingulis Secretariis tunc viventibus*, eſſet namque iſta impropria eloquutio, ſi de omnibus etiam futuris Papa intelligere voluiſſet, quoniam ſufficiebat dicere *Secretariis* ſimpliciter, cum perneceſsè præſupponantur viventes, quia mortui non poſſunt eſſe Secretarii, ſed dicitur, tunc viventibus, hoc eſt illis ſecum contrahentibus, qui de tempore ſuppreſſionis ſuperviverent, & extarent, conſiderando iſtas tres ponderationes ſimul junctas, & unitim.

Motivatum quoque præſupponitur per aliquos ex Do- 34
minis, vel per alios, quod ſufficeret caſum eſſe dubium, ut in dubio reſpondendū veniat contra Fiſcum, ex vulgari dicto Plinii ad Trajanum, quod *ſub bono Principe cauſa Fiſci mala eſt*; Verùm reſpondetur, quod, ex præmiſſis, non ſumus in dubio, ſed in claris pro Camera; Et nihilominùs ubi dici poſſet, quòd eſſemus in dubio, adhuc id de directo adverſatur fundamento deciſionis, quod res adeò clara ſit, ut intret regula *Textus in l. ille, aut ille*, quod eſt de directo contrarium caſui dubio, in quo magis pro uno, quàm pro altero, ratione majoris aſſiſtentiæ, & æquitatis reſponderi debeat.

Et ulteriùs in hoc manifeſtum adeſt æquivocum, non quidem in ipſa propoſitione, ſed in ejus mala applicatione, pro qua dignoſcenda, reflectendum eſt, quod tres ha- 35
bemus in jure Fiſci ſpecies, quarum prima eſt odibilis & pœnalis in caſu proſcriptionum, ſeu confiſcationum, & pœnarum, ac mulctarum ex cauſa criminis. Altera eſt non pœnalis, ſed adhuc odioſa, licet non tanti, quia Fiſcus fovet cauſam lucrativam in excluſionem illorum de ſanguine, quæ verificatur in bonis vacantibus morientium ab inteſtato, nullis relictis conjunctis intrà decimum gradum, & tertia eſt fiſci contrahentis, & foventis cauſam onerosam, & correſpectivam, adeoùt ad inſtar cujuſlibet privati contendat de damno vitando, & de recta adminiſtratione publici ærarii.

In primis duabus ſpeciebus adaptari poteſt aſsumptum, atque in his terminis propriè loquuntur ejuſdem aſsumpti 36
Auctores. *L. non puto ff. de iure fiſci cum concord.* apud Ganaver. *deciſ.* 1. *n.* 121. *& per tot.* Peregr. *de iur. fiſci lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 12. Alfar. *de officio fiſci gl.* 16. *privil.* 26. *num.* 14. *& ſeqq.* Fajard. *alleg. fiſcal.* 9. *num.* 280. *& ſeqq.* nullatenus verò 37
in tertia ſpecie, in qua error prorſus clarus, & manifeſtus eſt id aſserere, quoniam potiùs fiſcus eſt magis favorabilis, & privilegiatus quàm ſint perſonæ privatæ, dum potitur multis privilegiis, & favoribus collectis per Peregrinum, Alpharum, Larream, & alios de fiſcali materia tractantes, & præſertim quod gaudet privilegio hypothecæ tacitæ & altero privilegio potioritatis adverſus anteriores, etiam hypotecarios, in bonis poſtea acquiſitis, atque habet æqualem concurſum cum dote, aliiſque creditoribus privilegiatis, cum aliis pleriſque privilegiis, quibus non gaudet fiſcus, quando fovet cauſam lucrativam, juxtà primam & ſecundam ſpeciem, undè de facto pro communi uſu loquendi Curiæ Romanæ, & aliarum Curiarum, contradiſtingui ſolent fiſcus, & Camera, ideòque habemus contradiſtinctos Procuratorem fiſcalem, & Commiſſarium Cameræ, atque Advocatus adhibet eamdem contradiſtinctionem, quoniam ſe ſubſcribit, & intitulat fiſci, & Cameræ Advocatum, quaſi quod primum vocabulum fiſci complectatur fiſcum pœnalem, & odioſum, alterum verò vocabulum Cameræ complectatur publicum Ærarium, cui meritò privilegia, & favores competunt, quoniam res publica, utpotè complexiva pupillorum, infantium, amentium, vir- 38
ginum, viduarum, aliarumque miſerabilium perſonarum, jure pupillorum, aliorumque miſerabilium cenſenda eſt, atque effectus Reipublicæ dicuntur dos ipſius, quæ fingitur ſponſa Principis pro ſuſtinendis publicis oneribus politici matrimonii, ideòque magis privilegiata eſſe debet, quā ſit pri-

vata mulier in ejus dote, quando tractat de damno vitando, ſecus autem, quando de lucro captando, ut in privatis mulieribus ſtatutum eſt in jure.

Et hæc quoad Pianam diſpoſitionem. Quid verò, ea ſecluſa dicendum ſit, eſt extera punctum, dum nunc ſtrictè agitur de ſubſiſtentia fundamenti deciſionis, ideòque alteri inſpectioni id reſervandum venit.

I. B. D. L.

Subſcriptiones DD. Franciſci de Andrea, & Federici Cavalerii Juriſconſultorum Neapolitanorum.

Attentè perpenſis verbis Conſtitutionis Beati Pii, & rationibus adductis per Rotam in ſua deciſione, nulla recognoſcere valui, fuiſſe conſideratum caſum, de quo ad præſens agitur; ſcilicet fore ut Officia ab iis Secretariis, quibuſcum tunc contrahebatur, eſſent aliis vendenda, itaut ſuppreſſio facienda eſſet cum novis emptoribus. Idem enim fuit conſideratum ſolùm reſpectu primi Officii vacaturi, quod concedebatur Collegio pro pretio ſcutorum 5500. quamvis ex illius venditionem majus pretium Collegium eſſet acceptum. Et tamen cum etiam in caſum, quo ſucceſſores Pontifices noluiſſent ſtare contractui, non ad aliud Cameram obligare voluerit Pontifex, quàm ad reſtitutionem eorumdem ſcutorum 5500. unà cum intereſſe; Non verò ad pretium, quod ex illius Officii venditione Collegium potuiſſe adquirere, Non video probabilem rationem, cur dicere debeamus Pium, reſpectu aliorum Officiorum, quorum intuitu nullus inibatur contractus, voluiſſet obligare Cameram, in caſum ſuppreſſionis, ad reddendum pretium longè majus, quàm quod fuiſſet acceptum. Quin potiùs Pontificis mentem in ea clauſula de reſtituendo pretio in caſum reſtitutionis, non aliam fuiſſe crederem, quàm explicandi id, quod de Jure inerat, ſcilicet ut niſi integrè pretium acceptum fuiſſet redditum, non poſſent Officia extingui, ac per conſequens recedi à venditione. Quæ eſt omnis obligatio, qua Principes, cùm contrahunt cum ſubditis, cenſeri poſſunt adſtricti; Et qua utinam in aliis Regnis Principes ſe obligatos profiterentur, juxta *l. digna vox C. de legibus.* Unde ſcriptis per Illuſtriſs. Dominum, abſque ulla hæſitatione ſubſcribendum cenſui. Neap. die.. Jan. 1680.

Franciſcus de Andrea.

Validiſſimum prædictis præſtant argumentum, quæ in principio allegationis inſinuata ſunt, ſcilicet Sanctiſs. Dominum Noſtrum Innocentium Undecimum juſtiſſimis de cauſis, publicam utilitatem, & neceſſitatem concernentibus, Collegium extinguere, & ſupprimere decreviſſe. Nec poſſeſſoribus Officiorum gravis injuria, aut læſio reſtitutione prioris pretii à Camera recepti infertur; ſciebant enim, & ſcire debebant hujuſmodi Officia in eorum libero commercio ex contractatione non eſſe. Item & ſubjecta ſuppreſſioni, & Principis facultati, & diſpoſitioni revocandi conceſſionem, quo fit, ut ea ſuppreſſione res reduceretur ad priſtinam cauſam, quæ aliud non importat, niſi reſtitutionem illius tantùm pretii à Principe in ſua conceſſione, ſive contractu recepti. Item non aliud novum, vel in Jure exorbitans B. Pium in ſuo Motu proprio in illis verbis circa finem *verſ. Volentes, & decernentes*, diſponere voluiſſe ad beneficium Collegiatorum, cenſendum eſt, niſi id præcipuum, quod cùm reſtitutio pretii eſſet facienda à Principe non præcisè, & illicò, ſed cum aliquo temperamento, nimirum ut quàm primùm commodè de ſuo Ærario ſatisfacere potuiſſet, eam facultatem ampliſſimam ſibi, & ſucceſſoribus abdicavit, ut præcisè, & ante omnia realiter, & cum effectu ante ſuppreſſionem, vel in ipſius ſuppreſſionis actu, pretium illud, ad quod de Jure tenebatur, à Camera reſtitui debuiſſet, videantur ad rem, quæ latè recenſet R. Galeot. *in eleganti libello de Princip. poteſt. circa revocationem privil. & conceſſionum à n. 73. & iterum num. 253. cum pluribus ſeqq.* eò magis, quod ſuppreſſio, ut diximus, eſt facta cauſativè & tam rationabiliter; Imò expreſſa, ac ſpecifica quodammodò facultas ſuppreſſionis in Pontificiis Indultis Innocentii Octavi, Alexandri Sexti, & B. Pii reſervata videtur. Cætera ſatis doctè, Jure quidem, & eleganti ſtylo comprobata exiſtimo.

Federicus Cavalerius.

Subſcripſere prædictis alii quindecim, primi nominis, illius Sacri Conſilii Advocati, ſola ſubſcriptione contenti.

NUM. X.

Votum, ſeu Reſponſum Rotæ Florentinæ.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

De eadem materia.

SUMMARIUM.

1 *Impugnatur prima deciſio Rotalis 16. Junii 1679. coram Albergato.*
2 *De intellectu Conſtitutionis Innocentii Octavi, & B. Pii Quinti.*
3 *Camera non tenetur reſtituere quod non accepit, ſed tantum acceptum.*
4 *Datur exemplum in redemptione cenſus.*
5 *Non debetur nova gabella in caſu redemptionis cenſus.*
6 *In caſu ſuppreſſionis locorum Montium, vel aliorum redditum publicorum, quale pretium ſit reſtituendum.*
7 *De eodem intellectu, de quo ſupra num. 2.*
8 *Verbum* reſtituere *importat ſolummodò obligationem reſtituendi acceptum cum ſeq.*
9 *De eodem verbo, & quando accipiatur pro verbo* ſolvere.
10 *De differentia inter verbum* reſtituere, *& aliud* reddere.
11 *Actus tribuitur mandanti, non exequenti, & ſolum attenditur perſona, cuius nomine geritur.*
12 *De eodem verbo* reſtituere *quid importet.*
13 *Strictior ſit interpretatio in privilegis, quàm in contractibus.*
14 *De peculiari intellectu Conſtitutionis Pianæ, in verbo* coſque.
15 *Facultas reſignandi non importat facultatem vendendi.*
16 *Verba ſunt referenda ad eum, cui magis congruunt.*
17 *Verbum reſtituere potiùs refertur ad perſonam, quæ debet reſtituere, quàm ei, cui facienda ſit reſtitutio.*
18 *Dictio* eos, *quando non importat perſonalitatem.*
19 *Officia haberi dicuntur à Principe, non à reſignante, & 22.*
20 *Verba* emiſſe, & habuiſſe, *quomodo ſint intelligenda.*
21 *Verba generalia reſtringuntur à ſubſequentibus.*
22 *Aſſenſus, qui præſtatur per Principem reſignantibus, non operatur, quod pretium videatur ſolutum ipſi Principi, & quid importet aſſenſus.*
23 *De eodem, quo ſupra num. 6.*
24 *Pecunia ſoluta reſignanti à reſignatario non dicitur propriè pretium, ſed quædam remuneratio.*
25 *In ſupplicationibus reſignationum nulla fit mentio pretii, ſecus in iis, quæ conceduntur per obitum.*
26 *De differentia inter caſum, in quo Princeps contrahat cum Officialibus uti ſingulis, vel potiùs uti repræſentantibus corpus.*

27 Col-

17 *Collegium nunquam moritur, licèt moriantur, aut mutentur perſonæ.*
28 *Quod debetur Collegio non debetur ſingulis.*
29 *Quid debeatur in caſu ſuppreſſionis Collegii, quando iſtud decreviſſet.*
30 *Confirmatio non ampliat confirmatum, dat tamen robur, maioremque firmitatem.*
31 *De privilegio fiſci non ſolvendi, niſi cùm poteſt.*
32 *Sufficit, quod verba declarent, ne dicantur eluſoria.*
33 *Non præſumitur, quod Princeps voluerit derogare iuribus Cameræ.*
34 *Obſervantia plurimum prævalet in hac materia pretii reſtituendi in caſu ſuppreſſionis.*
35 *Pro fiſco eſt in dubio pronunciandum, quando agitur de damno vitando.*
36 *In caſu ſuppreſſionis ex cauſa publicæ neceſſitatis, quid ſit reſtituendum.*
37 *Quod Princeps neque teneatur ad reſtitutionem pretii.*

1 POnderatis, & maturè diſcuſſis rationibus deciſionis Sacræ Rotæ Romanæ in Romana pretii Officiorum Venalium 16. Junii 1679. coram R. P. D. Albergato declaratoriæ obligationis Rev. Cameræ Apoſtolicæ reſtituendi cuilibet ex dictis olim Secretariis Apoſtolicis pecunias erogatas pro obtinendo Officio, ſeu Secretariatu, etiam ultra ſummas ab eadem Camera, vel Dataria receptas, Quamquam apud Nos maxima ſit auctoritas dicti Tribunalis, attamen hac de re, pro veritate Conſulti, cùm nemo noſtrum acquieſcere potuerit in obſequium ejuſdem voti: pro injuncti muneris executione reſpondemus: nullum jus, nullamque actionem competere dictis olim Dominis Secretariis, contra Reverendam Cameram Apoſtolicam, pro reſtitutione ejus quod immediatè, vel ſaltem mediatè, non fuit ipſi Cameræ, vel Datariæ ſolutum.

Hoc nobis ſuadente lectura utriuſque Conſtitutionis Summorum Pontificum Innocentii VIII. & B. Pii V. in
2 quarum neutra cautum eſt, Reverendam Cameram Apoſtolicam in caſu ſuppreſſionis teneri ad reſtitutionem pretii non recepti.

Corruit proinde dictorum olim Secretariorum prætenſio, nullaque ratio patitur, quod Camera teneatur reſtituere quod non accepit ad *Text. in Authent. ſed quæ C. de Pactis*
3 Vameſ. *conſ.* 4. *num.* 10. *cent.* 4. Rot. *deciſ.* 59. *num.* 1. *par.* 16. *recent.* Maximè, quia de natura reſolutionis hujuſmodi contractuum eſt reſtituere ſolum id, quod fuit acceptum, ut patet in redemptione cenſus venditi à privata perſona, quæ non niſi tenetur ad pretium acceptum à primo
4 emptore, tametſi cenſus majori pretio mox fuerit ab ipſo tranſlatus in alterum, à quo redimi debet, latè Salgad. *Labyrint. credit. par.* 1. *cap.* 27. *num.* 8. Cenc. *de Cenſ. quæſt.* 108. *num.* 20. *& ſeqq.* Sin minus reſolutio eſſet novus contractus, quod ſecus eſt *ad Text. in l. prout quiſque ff. de ſolut.* Leſſius *de iuſtitia & iure lib.* 2. *cap.* 2. *dubit.* 14. *num.* 115. Ideòque in locis, ubi viget Statutum Gabellarum, nova
5 non debetur Gabella, Gratian. *diſcept.* 180. *num.* 10. & 11. Capan. *de iure Adhoæ quæſt.* 63. *num.* 9. Azzeved. *recopilat. lib.* 9. *leg.* 1. *tit.* 17. *num.* 99. Guttier. *de Gabell. quæſt.* 10. *num.* 23.

Et magis in terminis ſuppreſſionis ſcilicèt locorum Montium, ſive redemptionis cenſuum conſtitutorum in publicis redditibus, quorum jure regulantur officia, aliæque regalium jurium conceſſiones ex Leothard. *de Vſur. quæſt.*
6 22. *num.* 22. Larrea *allegat.* 23. *num.* 46. *in fin. & alleg.* 99. *num.* 23. R. P. D. de Luca *de Dot. diſc.* 148. *num.* 8. Quod Camera Principis teneatur ſolum ad pretium acceptum, licèt tractu temporis creverit valor locorum Montium, ſeu cenſuum conſtitutorum in publicis redditibus confirmant de Lug. *de iuſtitia, & iure diſp.* 25. *ſect.* 11. §. *Vnio num.* 2. *circa medium*, Gibalin. *de Vſur. lib.* 4. *de var. Præſtat. annuis cap.* 7. *ſect.* 7. *num. fin.* Azor. *Inſtitut. moral. par.* 3. *lib.* 10. *cap.* 23.

7 Et ceſſat omne dubium in contingenti, attentis dictis Conſtitutionibus *Innocentii Octavi, & B. Pii Quinti*, ſiquidem in prima expreſsè fuit dictum, Cameram Apoſtolicam in caſu ſuppreſſionis teneri ad reſtituenda ſcuta aurea 62400. à Collegio Secretariorum recepta, quibus in terminis cum claram habeamus conventionem, nil ultra debetur, etiamſi reſolutio ſequatur intra tempus, quo Princeps promiſit non revocare, ex plenè deductis per Marcell. Maur. *alleg.* 38. *num.* 9. Rocc. *de Offic. eorumque regim. rub.* 14. §. 7. *num.* 23. & pluries deciſum refert Reverter. *deciſ.* 4. *num.* 5. *num.* 3.

Et in altera B. Pontifex declaravit, Collegiũ ſupprimi non poſſe, *niſi prius reſtitutis Secretariis tunc viventibus integrè, & cum effectu pecuniis, pro quibus eos officia verè, & realiter emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit.* Quod quidem verbum 8
reſtituere non niſi obligationem importat reſtituendi illud idem, quod fuit acceptum *ad Text. in l. reſtituere* 35. & 75. *ff. de verb. ſignif.* Alciat. *in l. nemo rem ſuam ff. de verb. oblig.* Vinn. *lib.* 4. *inſtit. de interdictis* §. *ſequens diviſio in fin.* Rebuff. *ad dict. l.* 75. Menoch. *conſ.* 1155. *num.* 1. Surd. *de Alim. tit.* 6. *quæſt.* 23. *num.* 5. & *DD. communiter*; Alludent in id ipſa verbi Etymologia, cum *reſtituere* dicatur quaſi *retro ſtatuere*, & rem acceptam reddere Rebuff. *in dict. l. reſtituere* 75. Nebriſſen. *in Lexico verbo reſtituere.*

Nil relevante, quod cùm verbum *reſtituere* accipi ſoleat etiam pro *ſolvere ad Text. in l. cum quod ff. de legat.* 2. *l.* 9
Hæres meus ff. de legat. 3. Arguell. *deciſ.* 77. *per tot.* hoc in ſenſu fuerit expreſsum in Piana Conſtitutione, attentis duobus fundamentis in deciſione perpenſis, quorum tamen neutrum nobis viſum eſt regulæ efficaciam excludere, vel in minimo alterare ſubſtantiam contractus.

Non enim primum elicitum ex mandato B. Pontificis, quod Secretarii tenerentur reſtituere Cardinali Mediceo ſcuta 5500. quæ ab eodem Cardinali numquam acceperant.

Quoniam ultra quod in caſu, de quo quæritur, applicari non poſſe videntur verba, nec termini deciſionis Arguell. tùm quia aliquod eſt diſcrimen inter vebum *reſtituere*, & 10
verbum *reddere*, de quo loquitur deciſio; hoc enim facilius impropriatur, & accipitur pro *ſolvere*, quàm verbum *reſtituere*, ut benè declarant Federic. de Senis *conſ.* 18. *num.* 6. Rodulph. *de Vſur. quæſt.* 6. *num.* 33. Tum quia cùm nullum præexiſtat debitum, quæſtio non eſt an potiùs debeatur ſpecies, vel quantitas, ut in cauſa *deciſ. Arguell.* (ultra alias facti circumſtantias ibidem perpenſas) quibus in terminis admittitur impropriatio verbi *reſtituere*, præſertim ſi agatur de ſubſtinenda aliqua diſpoſitione, vel actu per ea, quæ in ſpecie perpendunt, Pangal. *in l. ſi quis maior ff. de Tranſact. num.* 49. Aretin. *lib.* 4. *inſtit. de Interdict.* §. *ſumma diviſio num.* 10. ibidemque Oinotomus *num.* 72. Sed agitur de inducenda obligatione, & gravanda Reverenda Camera Apoſtolica ad reſtituendum quod non accepit, propterea ſi verba impropriantur, ne ſequatur abſurdum, ut quis teneatur ſolvere ultra quod debet Mantic. *de Tacit. lib.* 2. *tit.* 4. *num.* 81. & *tit.* 7. *num.* 17. multò magis retinere debent propriam ſignificationem, quando, ut hic, quis teneretur reſtituere, quod non accepit Mantic. *de Tacit. lib.* 2. *tit.* 13. *n.* 1.

Ex facto penitus eliditur fundamentum, Collegio ſiquidem Secretariorum non nomine proprio fuit injunctum onus reſtituendi ſcuta 5500. Cardinali Mediceo, vice, & nomine Summi Pontificis, qui cum re vera teneretur eidem Cardinali ad reſtituenda dicta ſcuta 5500. Vel dici non 11
poteſt expreſſiſſe verbum reſtituere in impropria ſignificatione, ſed propria, quia actus tribuitur mandanti, non exequenti, ſolùmque attenditur perſona, cujus nomine geritur ad *Text. in l. item eorum* §. *ſi Decuriones ff. quod cuiuſque univerſitatis nomine, & l. ſideiuſſor ff. de legat.* 3. Valenſuel. *conſ.* 155. *n.* 22. & 27. Et in individuo, quod verbum *reſtituere* ſumatur in propria ſignificatione, quod actus expletur no- 12
mine ejus, in quem propriè verificaretur verbum *reſtituere*, affirmat Gloſſ. *in* §. *ſumma diviſio Inſtit. de Interdictis*, ibi *Potes dicere, quod propriè dicitur hoc verbum reſtituere, habito reſpectu ad perſonam defuncti, qui res ipſas poſſedit; Et hæres cenſetur eadem perſona cum perſona defuncti.*

Vel quatenus verbum *reſtituere* ibidem fuerit prolatum in impropria ſignificatione, attamen cum B. Pontifex addiderit illa verba *pro Nobis, & nomine noſtro*, potiùs elicitur Argumentum, quod in omnibus aliis partibus Conſtitutionis, quibus nil addidit, quando expreſſit verbum *reſtituere*, hoc protulerit in propria ſignificatione, vulgata *l. unica* §. *ſin autem deficientis C. de caduc. tollend.*

Porrò quoquo modo dicta verba fuiſſent prolata in prima parte Conſtitutionis, in qua proceditur per viam contractus, non inde inferri poſſet ad alteram, magiſque remotam, in qua proceditur per viam gratiæ, cùm materia ſit diffe- 13
rens, & ſtrictior fiat interpretatio in privilegiis, quàm in contractibus Crot. *in l. omnes populi ſub num.* 231. *ff. de in-*

Card. de Luca de Offic. Venal. &c.

ſtit. & Iur. Gallia *de verb. ſignific. lib.* 8. *cap.* 25. *numero* 18.

Non ſubſiſtere viſum eſt alterum, quod cùm B. Pontifex ſciret Officia eſſe venalia, & reſignabilia, eorumque pretium poſſe augeri (quippe dedit facultatem Collegio Secretariorum vendendi Secretariatum primò vacaturum pretio reperibili in majori quantitate mox conſiderando caſum ſuppreſſionis ejuſdem Collegii, per illa verba directa ad Secretarios, *Quod Collegium ſupprimi non poſſit, niſi priùs reſtitutis Secretariis tunc viventibus pecuniis, pro quibus eos Officia emiſſe, & habuiſſe conſtiterit*, declaraverit, quod Reverenda Camera teneretur ſolvere Secretariis viventibus totum id, quod ab ipſis fuiſſet erogatum pro obtinendo officio, ſin minus dicta verba verificari non poſſent. 14

Siquidem ex ſcientia Beati Pontificis officia in poſterum vacatura poſſe recipere augmentum pretii, quando verè reſpectu Officialium hæc fuiſſent in commercio, atque venalia (quod ſecus eſt, cùm facultas reſignandi non importet facultatem vendendi, Cabed. *deciſ.* 24. *num.* 8. *lib.* 2. Marin. *ad Reverter. deciſ.* 225. *in fin.* Maſtrill. *de Magiſtr. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 56.) potiùs contraria eliceretur præſumptio, quod B. Pontifex noluerit in generali ſuppreſſione præjudicare juribus Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ, ipſam gravando ad reſtituendum quod non accepit, Rot. *deciſ.* 666. *num.* 8. *par.* 2. *& deciſ.* 496. *num.* 6. *& deciſ.* 417. *num.* 3. *par.* 12. *recent.* 15

Quod verò attinet ad verba prolata à Pontifice, conſiderando caſum generalis ſuppreſſionis, hæc utique non ſuadent dictum onus fuiſſe injunctum Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.

Tùm quia non videntur directa ad Secretario, ut ſupponit *deciſio*, quippe fuerunt imperſonaliter prolata ibi: *Collegium ſupprimi non poſſit, niſi priùs reſtitutis Secretariis &c.* propterea cum reducenda ſint ad certitudinem, & perſonalitatem, juxta ſubjectam materiam, referendaque ſint ad eum, cui magis congruunt ex natura rei geſtæ Bald. *conſ.* 330. *nu.* 2. *verſ. item verba lib.* 3. Rota *deciſ.* 414. *num.* 13. *par.* 12. *recentior.* tanquam obligatoria, non niſi ad Reverendam Cameram, cui fuit injuncta obligatio reſtitutionis, referri poſſe videntur, Millin. *deciſ.* 256. *num.* 2. Potiſſimum attenta proprietate verbi *reſtituere*, quod potius refertur ad perſonã reſtituere debentem, quàm cui eſt facienda reſtitutio, ut ex *Text. in* §. *ſumma diviſio, inſtitut. de interdict.* benè declarant ibidem Baldum. *num.* 11. Miſinger. *num.* 12. & Arrect. *num.* 23. 16 17

Et ceſſat omne dubium, attentis verbis antecedentibus, *Collegium ſupprimi, vel extingui non poſſit*, quæ cum referantur ad Cameram, ſeu Pontificem pro tempore, quo Collegium ſupprimere poterat, ita & per conſequens ſubſequentia *niſi priùs reſtitutis*, tanquam onus, quod antea erat implendum à Pontifice ſupprimere volente. Atque expreſſio Secretariorum tunc viventium cum pronomine *eos*, tanquam facta ad denotandas perſonas, quibus facienda erat reſtitutio, prædictis etiã omnibus circumſcriptis, nullatenus perſonalitatem important, ex juribus, & fundamentis adductis per Theſaur. *quæſt. ultima num.* 7. *lib.* 2. Merlin. *deciſ.* 353. *nu.* 21. multoque minus in contingenti altera accedente ratione deſignationis perſonarum, quibus facienda erat reſtitutio, ad denotandam ſcilicet differentiam reſtitutionis ſcutorum 62400. conventæ in Bulla Summi Pontificis, qua attenta, reſtitutio facienda erat Collegio, tanquam unam perſonam repreſentanti, non ſingulis Secretariis. 18

Tùm quia, & quatenus re vera dicta verba fuiſſent directa ad Secretarios, attamen ex verbis ſubſequentibus *pro quibus emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*, elicitur quod Camera non fuiſſet obligata, niſi ad reſtituendum quod fuit ipſi, vel Datariæ ſolutum. Siquidem officia, quæ ex jam dictis non ſunt in commercio, ſive obtineantur per vacationem in caſu mortis, ſive per reſignationem, non dicuntur emi, vel haberi à reſignante, ſed à ſolo Principe Gloſſ. *in leg. legatus in verbo abdicare*, ibidemque Bartol. *ff. de offic. præſidis*, Medic. *conſ.* 179. *n.* 19. *in fin.* Larrea *allegat.* 119. *de officior. venditione num.* 4. Maſtrill. *de magiſtr. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 11. Aponr. *deciſ.* 28. *num.* 17. Roccus *de officiis, eorumque regim. rub.* 18. *num.* 47. 19

Atque ex prædictis corruit etiam æquivoca ponderatio verbi *habuiſſe* quod tanquam diſcretivè poſitum ad verbum *emiſſe*, deſigner acquiſitiones officii, etiam à reſignantibus factas. 20

Vel quia verba *emiſſe*, & *habuiſſe*, fuerunt poſita pro ſynonymis, ut benè ponderavit in facto R. P. D. Cameræ Commiſſarius.

Vel quia cum de eo tempore duo officia poſſiderentur titulo oneroſo, & correſpectivo à duobus locis Piis, quibus, cum propriè non conveniret verbum *emiſſe*, fuit expreſſum verbum *habuiſſe* compatibiliter cum aliis verbis Conſtitutionis.

Porrò cum reſpiciant acquiſitionem faciendam à Camera, non à reſignantibus, à quibus reſignatarii, ut dictum eſt, Officia non dicuntur habere, ſemper verum erit non eſſe reſtituendum, niſi quod Camera accepit, à qua reſignatarii officia habere dicuntur. Et cùm Sanctiſſimus Dominus Noſter Innocentius Undecimus mandaverit Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ reſtitutionem dictis olim DD. Secretariis, totiuſque pecuniæ ab ipſis, ſeu à reſignantibus (in quorum locum fuerunt ſubrogati) Rev. Cameræ, & Datariæ ſolutę, plenè ſatisfactum eſt etiam aliis verbis Pianę Conſtitutionis *integrè, & ſine diminutione*, utpotè quæ quamvis generalia, declarationem, & determinationem recipiunt à verbis *emiſſe ad Text. in l. ſi uno in princip. ff. locati*, Alex. *conſ.* 40. *num.* 3. *lib.* 4. Ramon. *conſ.* 48. *n.* 11. Cyriac. *controver.* 62. *num.* 18. Ludovic. *deciſ.* 90. *num.* 14. *& deciſ.* 511. *num.* 23. 21

Nec ſubſiſtit replicatio, quod cum officia, etiam per reſignationem habeantur à Principe, ipſi quoque pretium videatur ſolutum, & brevi manu traditum reſignantibus, præſertim attento aſſenſu præſtito reſignationi, qui vim habet novæ conceſſionis uno actu occultato, Rovit. *conſ.* 104. *lib.* 2. *num.* 11. Lanar. *conſ.* 8. *num.* 14. 22

Licet etiam reſignatio officii non valeat abſque aſſenſu Principis, à quo Reſignatarii habere dicuntur, attamen aſſenſus importat quidem validitatem actus, quodque in vacatione officii ſit attendenda vita perſonæ, in quam facta eſt reſignatio, in aliis tamen aſſenſus nullum Principi affert præjudicium, ut habemus in reſignationibus locorum Montium, quæ cum ſint de regalibus Principis, nec ſint in commercio, abſque ejus aſſenſu, præſtari tamen ſolito reſignationem petentibus, per quam efformatur novum jus ad favorem reſignatarii, qui immediatè dicitur habere à Principe, non à reſignante, R. P. D. de Luca *de Regal. diſc.* 29. *num.* 6. Rot. *in Rom. locorum Montium, Lunæ* 28. *Junii* 1671. coram R. P. D. Taja; Nihilominus Princeps in ſuppreſſione locorum Montium non tenetur reſignatariis, niſi ad reſtituendum id, quod accepit, tametſi reſignatarius plus dederit reſignanti ex Azor. Filiucc. Gibal. *de Vſur. de Lug. aliiſque adductis* §. *Et in terminis.* Nec inter alterutrum caſum aſſignari valet differentia, quod officia vacent ad favorem Principis, ſecus autem loca Montium, quoniam quoad actum reſignationis, de quo quæritur, ne dum ſumus in identitate rationis, ſed etiam caſus, & in terminis locorum Montium vacabilium, ſeu temporalium loquuntur Filiucc. de Lug. Giballin. Azor. *locis citatis*. Et in individuo, quod pecunia ſoluta reſignanti à reſignatario non ſit pretium officii, ſed remuneratio quædam, ſeu adimplementum innominati contractus optimè Ferdinand. de Brancia *inter conſilia diverſ.* Marin. *alleg.* 66. *num.* 9. *&* 18. *verſ. quid ergo erit iſta pecunia*. 23 24

Et confirmatur, quia in ſupplicationibus reſignationum nulla fit mentio pretii, ſecus autem in illis, quibus petitur officium vacatum per mortem Officialis, ſeu Secretarii. 25

Poſtremò non obſtat quod inane, & eluſorium redderetur privilegium *Beati Pii Quinti*, quod dici non debet Oldrad. *de litteris Principum cap.* 11. *num.* 32. ſi Dominis olim Secretariis non eſſet reſtituendum, quod fuit ſolutum reſignantibus, quippe attenta ſola *Conſtitutione Innocentii Octavi* in caſu ſuppreſſionis erat reſtituendum totum id, quod fuit Cameræ ſolutum ex Fagnan. *in cap. Epiſtolæ de Probat. num.* 9. *& ſeqq.*

Vel quia verum non eſt, ſecluſa *Piana Conſtitutione*, pretium fuiſſe integraliter reſtituendum Secretariis, cum cõtrariam habeamus conventionem, initam cum *Summo Pontifice Innocentio Octavo*, cui quidem conventioni non obſtare videntur deducta per Fagnan. *loco citato*, quoniam quidquid ſit de veritate dictæ Concluſionis, in caſibus, quibus Princeps contrahit cum Officialibus tamquam ſingulis, celebrando quaſi tot de novo contractus, quot ſunt perſonæ, quibus venduntur officia, cum oppoſitum in fortioribus terminis tueatur de Lug. *diſp.* 25. *ſect.* 11. §. *Unico num.* 200. 26

200. utique non procedere videtur, quando, ut hic *Summus Pontifex* contraxit cum Officialibus, tanquam repræsentantibus unum Corpus, seu unam Personam, cui in actu suppressionis promisit restituere tantumdem, hoc enim
27 casu cum aliud sit Corpus Collegii, quod numquam moritur, licet moriantur, atque mutentur personæ Collegii *l. proponebatur ff. de Iudiciis*, Ramon. *cons.* 37. *num.* 104. Aliud singuli de Collegio, Surd. *cons.* 28. *n.* 2. *& cons.* 447. *nu.* 30. R. P. D. de Luca *de emphyt. disc.* 12. *num.* 4. *& disc.* 77. *num.* 7. Rot. coram Merlin. *decis.* 632. *n.* 7. Et quod debetur
28 Collegio, non debeatur singulis *l. sicut* §. *si quod ff. quod cuiusque universitatis nomine*, Solorsan. *de Iur. Indiar. lib.* 2. *cap.* 31. *n.* 34. Non tenebatur Reverenda Camera Apostolica, nisi ad id, quod acceperat à Collegio, cum quo contractus fuit gestus, & de revocatione, seu suppressione conventum, restituta summa scutorum 62400. accepta. Velut è contra probabiliter fuisset obligata ad restitutionem
29 ejusdem summæ scutorum 62400. dicto Collegio, licet de tempore suppressionis numerus Officialium in majori parte decrevisset, ut loquentes in proximis terminis de quodam Monte Neapolitano affirmant Giball. *de Vsur. cap.* 7. *art.* 3. *conject.* 4. de Lug. *disp.* 25. *sect.* 11. *num.* 201. *in fin.*

Vel quia etiam supposita veritate conclusionis Fagnani, quodque versaremur in terminis, quibus loquitur, contractus scilicet celebrati cum singularibus personis, non indè elusoria redderentur verba *Pianæ Constitutionis*, multa enim operarentur, licet sufficeret quid minimum *glos. in l.* 1. *C. de raptu Virginum*, Casanatt. *cons.* 4. *num.* 276. Primò scilicet majorem subsistentiam Privilegiorum dicti Col-
30 legii, licet enim confirmatio non ampliet confirmatum, dat tamen robur, majoremque auctoritatem confirmato, *glos. in cap. quia diversitatem verbo forma communi de constitutione præbend.* Decian. *cons.* 18. *num.* 288. *lib.* 1. Solorzan. *de Iur. Indiar. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 25. *tom.* 2. Rot. *decis.* 58. *num.* 1. *par.* 6. *recent.* quod etiam expressè declaravit *Beatus Pontifex*, ibi - *utque ea, quæ per eumdem Innocentium Octavum &c. eo firmius subsistant, quod sæpius fuerint Apostolica Auctoritate munita.* Secundò operaretur derogationem
31 Privilegio Fisci non solvendi, nisi cum potest, ex congest. per Capyc. Galeott. *respons. fiscal.* 23. *num.* 78. quia fuit expressè declaratum, Collegium supprimi non posse, nisi restitutis prius pecuniis Secretariis. Tertiò demum (omissis aliis) pro declaratione hujus Articuli, de quo poterat disputari, num scilicet in casu suppressionis restituenda essent sola scuta 62400. à Collegio Secretariorum accepta, vel potius quod à singulis Secretariis fuit solutum Reverendæ Cameræ Apostolicæ in Officii acquisitione. Quæ quidem
32 declaratio de per se sufficeret, ne verba Constitutionis dicerentur elusoria *l. quæ dubitationis ff. de reg. iur.* Mantic. *de tacit. lib.* 6. *tit.* 6. *num.* 3. Rot. *decis.* 490. *num.* 8. *par.* 4. *divers.* Otthobon. *decis.* 244. *num.* 24. maximè quia attenta dicta declaratione, restitutio quæ anteà debebatur ex interpretatione legis fuisset debita ex contractu, quæ longè differunt inter se.

Atque in hanc sententiam eo proclivius descendimus, attenta *mente B. Pii Quinti*, qui nunquam præsumendum
33 est voluisse derogare Juribus Cameræ, eam gravando ad restituendum id, quod non tenebatur, Grivel. *decis.* 82. *num.* 21. Rot. *dicta decis.* 666. *num.* 8. *par.* 2. *recent. & decis.* 414. *num.* 3. *par.* 12. *recent.* Præsertim nulla facta derogatione *regulæ Cancellariæ de Iure quæsito non tollendo*, & pluribus Constitutionibus Summorum Pontificum, derogatoriis hujusmodi donationum.

Et augetur præsumptio in casu nostro, *quo Beatus Pontifex*, noluit Reverendam Cameram teneri restituere Secretariis ultra summam acceptam scut. 5500. soluram Cardinali Mediceo, in eventum, quo successores Pontifices ratam non habuissent dationem in solutum Officii primo vacaturi, factam dicto Collegio, atque ideo si noluit in dicto casu particulari Reverendam Cameram subire damnum restitutionis, ultra dicta scuta 5500. multo minus dicendum est hoc voluisse in casu generalis suppressionis totius Collegii.

Prædictis accedant, quando versaremur in dubio (quod non credimus) tum observantia ne dum Galliæ, Hispaniæ, & hujus Civitatis Florentiæ, restituendi in suppressione 34
Officiorum, seu locorum Montium solum id, quod fuit Principi, seu fisco solutum, quæ sufficeret, cùm ex observantia, quæ viget in aliis locis vicinis ad similia judicetur, *Cap. super de censibus*, Ludovic. *conclus.* 29. *n.* 69. Vvessembec. *cons.* 95. *num.* 23. Misinger. *cons.* 1. *num.* 14. Boer. *decis.* 265. Verùm etiam Romæ, cum circumscriptis paucis casibus, ex speciali munificentia Summorum Pontificum in suppressione declarata, semper fuerit restitutum solum id, quod fuit Cameræ, vel Datariæ solutum, ut probarunt RR. PP. DD. scribentes pro dicta Camera Apostolica.

Tum favor fisci, pro quo semper in dubio est pronuncian- 35
dum, quando, ut hic, agitur de damno vitando, Mattesilan. *singular.* 15. Raudens. de Analog. *cas.* 33. *num.* 212. Valensuel. *cons.* 100. *num.* 101. Fontanel. *decis.* 254. *num.* 17. multòque magis in contingenti, quo cum Sanctissimus Do- 36
minus Noster suppresserit Collegium Secretariorum Apostolicorum, per legem universalem, ob publicam utilitatem, si Rev. Camera teneretur ultra acceptum, nil prodesset suppressio, quippe utilitas compensaretur cum damno, ut in fortioribus terminis contra donatarios, scilicet ex causa remunerationis, firmant in specie Regens Constantius *lib.* 12. *num.* 118. Rochus *de Officiis, eorumque regim. rubr.* 10. *de milit. stipend. num.* 125. imò neque hoc casu Principem 37
teneri ad restitutionem pretii, quod accepit in venditione officii testantur, Alex. *cons.* 101. *num.* 7. *lib.* 1. Valensuel. *cons.* 99. *num.* 35. *& 37. lib.* 1. del Bene *de Parlament. dubit.* 4. *sect.* 3. *num.* 26. §. *respectu*, Bellucc. *in specul. Principis rub.* 46. *num.* 3. Afflict. *decis.* 361. Aliique latè adducti à RR. PP. DD. pro Reverenda Camera Apostolica scribentibus.

Et ita concordi voto, ingenuè, & pro veritate sentimus infrascripti Rotæ Florentinæ Auditores. Salva &c.

Florentiæ 16. Februarii 1680.

Camillus Finetti Prætor, & Relator.
Ioannes Argentius Rotæ Aud.
Ioseph Vrceolus Rotæ Aud.
Cosmus Farsettus Rotæ Aud.
Flaminius Palma Rotæ Aud.
Petrus de Angelis Rotæ Aud.

NUM. XI.

Votum, seu Responsum Rotæ Senensis.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Confirmatio non alterat substantiam confirmati; Ut inducatur nova concessio, opus est verbis individualibus; Verba generalia non continent insolita, & incogitata. In stipulatione deducta verificantur inverisimilibus, non autem in iniquis, & injustissimis. Concessio quando, & quomodo restringenda.

SUMMARIUM.

1 *EX proœmio apparet causa finalis, quæ demonstrat intentionem concedentis.*
2 *Confirmatio restringitur ad privilegia concessa, nova autem non inducit.*
3 *Nunquam trahitur extra concessa.*
4 *Non alterat substantiam confirmati, sed illam tantummodo roborat.*
5 *Quoties verba possunt referri ad privilegia concessa, non trahuntur ad nova tribuenda.*

6 *Verba* denuò, ac perpetuò ſtatuimus *importat novam conceſſionem.*
7 *Dummodo tamen aliæ demonſtrationes, & inditia concurrant.*
8 *Verba confirmationis tribuunt robur Indultis confirmatis.*
9 *Opus eſt individualibus, & ſpecialibus verbis, ut cenſeatur inductum novum privilegium in præiudicium Cameræ.*
10 *Verba non important præiudicium concedentis, quoties ad aliud referri poſſunt.*
11 *Verba ſemper accipi debent, retento eodem themate diſpoſitionis.*
12 *Generalitas verborum privilegii non extenditur ad ea, quæ ſine maxima difficultate concedi non ſolent.*
13 *Maximè ſi ſint inſolita, & retorqueantur in concedentis præiudicium.*
14 *Non continent quæ ſunt contra, vel præter voluntatem concedentis.*
15 *Verba ſunt improprianda, ſi important ſenſum contrarium menti diſponentis.*
16 *Clauſula* quorum tenores *operatur, quod non poſſit opponi ſubretio.*
17 *Idem operatur clauſula* ſublata.
18 *Privilegia in conceſſione habent inſitam clauſulam* rebus ſic ſtantibus, & in eodem ſtatu permanentibus, quo erant in tempore conceſſionis.
19 *Privilegium in eo, in quo evadit iniuſtum, non eſt obſervandum.*
20 *Servitus, quæ incepit eſſe damnoſa, quæve in conceſſione non erat talis, redditur inefficax.*
21 *Lex, quæ cæpit eſſe iniuſta, efficaciam amittit.*
22 *Privilegium alias validum, ſi ſit iniuſtum poteſt à Principe auferri in totum, vel moderari.*
23 *Si continet modum, quo lædatur publica utilitas, annullatur.*
24 *Privilegium non valet, quando Camera eſt ingenti ære alieno gravata.*
25 *Clauſula* rebus ſic ſtantibus *non operatur, quando contrahentes cogitare potuerunt de alteratione ipſius rei.*
26 *Verba* tunc viventibus *idem important, ac verba* tunc exiſtentibus.
27 *Mentio facta in contractu de excogitatis, & incogitatis verificatur in mutatione honeſta, & veriſimili, non autem in iniqua, iniuſtiſſima, & inveriſſimili.*
28 *Privilegia non ſunt late interpretanda, quando maximè præiudicium ex eis reſultat Cameræ, & publicæ utilitati.*
29 *Privilegium ceſſat ceſſante cauſa.*
30 *Cauſa conceſſionis declarat mentem concedentis.*
31 *Aperit intelligentiam comprehenſionis privilegii conceſſi.*
32 *Iuſtificat conceſſionem ipſam.*
33 *Conceſſio reſtringenda eſt, quando tendit in perniciem Cameræ.*
34 *Nullum verbum eſt tam generale, quod non recipiat interpretationem à debitis circumſtantiis.*
35 *Verba recipiunt conditiones à iure inductas.*
36 *Novatio nunquam præſumitur, ſed poſterior promiſſio conformanda, & regulanda eſt cum originali obligatione.*

CUm meliora ſint motiva facti, quàm juris, hinc duobus in facto ſuppoſitis; Primò videlicet, quod auctо per Innocentium Octavum felicis. record. Pontificem Maximum Collegio Secretariorum Apoſtolicorum, quod primitus inſtitutum fuerat ex ſex tantum Secretariis, uſque ad triginta in totum, nec non pluribus privilegiis decorato, & emolumentis cumulato, de quibus in Bulla anni 1581. ſeu &c. ibidem inter alia in §. *Cæterum quoniam* hoc unum ſancitum, ac ordinatum legitur, quod in caſu ſuppreſſionis, aut extinctionis dictorum Officiorum, teneatur, & obligata ſit Camera Apoſtolica reſtituere dictis Secretariis ſcuta ſexaginta duo millia, quæ in tot aureis numeratis ab ipſo Collegio, ſeu Secretariis re vera recepit.

Secundò, quòd tempore, ſeu anno 1571. de menſe Maji, quo Beatus Pius Quintus volens iiſdem favoribus, indultis, & gratiis, à prædeceſſoribus Pontificibus jam conceſſis, dictum Collegium proſequi, Motum proprium, de cujus interpretatione eſt controverſia, promulgavit. Pretium, quo per Cameram vendebantur, ſive recuperabantur à Secretariis tunc poſſeſſoribus prædicta officia, ad exceſſivam, ſeu exorbitantem ſummam non pervenerat, ad quam hodiè reſſignantes dicta officia aſcendere fecerunt, ideſt ad ſcuta viginti millia, & ultra; ſed non excedebat valorem ſcutorum quinque millium quingentorum. Prout ex ipſa Piana Conſtitutione conſtat venditum fuiſſe per eumdem Beatum Pontificem unum ex dictis Officiis Cardinali Ferdinando Mediceo, pro quo etiam pretio, ſive ſimili, tribuitur facultas Collegio, vel Secretariis vendendi primum officium vacaturum, ad ſui reimburſationem, prout fuſius in dicto Motu proprio par. 1. habetur.

Duobus iſtis ergo, uti dictum eſt, in facto ſuppoſitis, atque firmatis, infirmum utique, ac debile redditur unicum illum motivum, ſuper quo innititur Rota, fundatum in generalitate, ac proprietate verborum contentorum in ſecunda parte Conſtitutionis Pianæ, *verſ. Volentes &c.* Cæteris omniſſis uti levioribus, ac pleniſſimè reſolutis, & confutatis non minus egregiè, quàm doctè de more à R. P. D. de Luca, in elaboratiſſima ſua conſultatione in præſenti cauſa, Typis ædita, ſuper quibus verba facere denuò, ſuper vacaneum duximus.

Quoniam Beati Pii intentio in ſecunda parte dicti Motus proprii fuit ſolùm confirmandi, ſeu innovandi privilegia, indulta, & favores à præcedentibus Pontificibus Secretariorum Collegio jam conceſſa, non autem de novo ulla inducendi, aut concedendi; Quemadmodum ex proœmialibus verbis dicti Motus proprii, in ſecunda parte clarè conſtat ibi - *Vt ea, quæ per eumdem Innocentium Octavum, Leonem, Clementem, & alios Romanos Pontifices iiſdem Secretariis, & Collegio conceſſa fuere, eo firmius ſubſiſtant, quo ſæpius fuerint Apoſtolica auctoritate munita, ideo ſingulas, &c.* Ex quibus apparet cauſa finalis, ſeu ratio, quæ aperit mentem, & demonſtrat intentionem concedentis ſe reſtringentis ad indulta jam conceſſa, ſecus ad nova tribuenda, aut inducenda; Sicuti in terminis ſimilium verborum, vel clauſularum firmavit, Rota *in recent. par. 1. deciſ. 666. num. 8. in fin. & deciſ. 569. num. 4. & ſeqq. par. 2.* Quoniam cum Piani Motus verba non contineant conceſſionem expreſſam, ſed ſolam confirmationem, indè ſequitur, ut ad alia privilegia referri non poſſint, quàm ad antea conceſſa, ob ea corroboranda, & validitate munienda, caſu quo fortè poſſet ambigui, an validè conceſſa fuerint hujuſmodi privilegia, necne; Id enim eſt naturale, ac proprium munus, & effectus ipſius confirmationis, juxtà ea, quæ affirmantur *in d. deciſ. 569. n. 2. & ſeqq.* Ubi tanquam quid longè diverſum conſideratur nova privilegia inducere, & jam conceſſa confirmare, quia confirmatio nunquam trahitur extra conceſſa, Rota coram Bich. *dec. 229. num. 17. & deciſ. 629. n. 35.* Nec confirmati ſubſtantiam alterat, ſed ejus defectus tantummodò ſupplet, idem Bich. *deciſ. 91. num. 9.* Et id omni caret hæſitatione, quoties verba Motus poſſunt congruè referri privilegiis antea conceſſis, Rot. *par. 6. recent. deciſ. 157. num. 10.* Quemadmodum in præſenti caſu contingit, in quo verba *Volentes, ſtatuentes &c.* referuntur ad confirmationem, ſeu corroborationem privilegii jam inductam, & ordinatam favore Secretariorum, in caſu revocationis dictorum Officiorum à Pontifice Innocentio Octavo in dicta Bulla continente ampliationem dicti Collegii, inſita inter alias ejuſdem Pontificis in Bullario *tom. 2. num. 12. §. 23.* cujus tenor eſt hujuſmodi, ſcilicet, quod non poſſit extingui, aut ſupprimi dictum Collegium, niſi reſtitutis integris ſcutis ſexaginta duo millibus numeratis, & receptis à Camera Apoſtolica, ſicuti clarè diſponitur in allegato Motu Piano in Principio cap. 2. ibi - *Vtique ea per Innocentium Octavum &c.* Ponderantur etiam ad excludendam quamlibet novam conceſſionem verba *Volentes &c.* quibus non ſolet uti Pontifex in novis concedendis largitionibus, ſed diverſis hujuſmodi, ſcilicet tenoris, *denuò, ac perpetuò ſtatuimus*, Rot. *deciſ. 84. num. 6. par. 1. recent.* quæ in dicto Motu proprio non leguntur, nec adſunt, quin etiamſi adeſſent, ex ſe ſolis, non poſſent novum privilegium inducere, quoties aliæ demonſtrationes, & inditia clarè animum Pontificis exhibentia non concurrerent, prout obſervat Rota coram Bichio *deciſ. 517. numer. 10.* & in terminis, in quibus agitur de confirmatione, veluti in dicto Motu Piano, verba intelliguntur tribuere

validi-

validitatem iis indultis, ſed nulliter à Pontificibus anteceſſoribus conceſſis, ut explicat Rot. *par. 2. recent. deciſ.* 513. *num. 6.* Quamobrem ob evitandam relationem ad jam
9 conceſſa indulta, neceſſum erat Pontifici ſpecialibus, & individualibus verbis dictum novum privilegium concedere, præſertim cùm agatur de Camerę Apoſtolicæ præjudicio, Rota *deciſ. 569. n. 6. verſ. Multo magis, & n. 7. par. 2. recent. & deciſ. 666. par. 1. num. 9.* in quibus duabus deciſionibus, & idem reſolvitur, ubi agitur de excludendo præjudicio concedentis, quoties ad aliud dicta verba referri poſſunt, Cyriac.
10 *controverſ. 284. num. 88.* Barz. *deciſ. 170. num. 21.*

Nec difficultatem inferunt verba Piani Motus, quæ licet juxtà eorum generalitatem, & proprietatem novam legem, ſeu privilegium inducere, & creare videantur, ſecundum intellectum, ſenſum, & interpretationem eiſdem traditam à Rota *in dicta ſua deciſ.*

Nam præterquam quod verba ſemper accipi debent retento eodem themate confirmationis, ut per Rotam coram
11 Dunozet. Jun. *deciſ. 748. n. 57.* Advertendum eſt generalitatem verborum privilegii nunquam operari, ut ipſum privilegium extendatur ad ea, quæ de raro, & ſine maxima
12 difficultate ſolent concedi, Rota *deciſ. 84. par. 1. rec. num. 7.* quæ loquitur in terminis largitionum, & donationum
13 exuberantium; Præſertim ſi ſint inſolita, & in maximum ipſius Principis concedentis præjudicium retorqueantur, juxtà doctrinam Oſaſc. *deciſ. 39. num. 14.* ac propterea dicta privilegia nunquam continere valent ea, quæ ſunt contra, & præter voluntatem elargientis, Andreol. *controv. 212. num. 44.* Quod abſurdum eveniret in præſenti caſu, quo Camera Apoſtolica aſtringeretur, ad exſolvendum, & exburſandum quadruplum ejus, quod revera accepit, ut notat Bich. *deciſ. 521. num. 12.* Quinimò,
15 & jure quidem ſubjecta materia ſuadet, ut vis inferatur verbis, ac improprientur, ne ſenſum contrarium menti proferentis inducant, Merend. *contr. Iur. lib. 22. cap. 27. num. 7.*

Nec in contrarium urgent clauſulæ appoſitæ in dicto
16 Piano Motu, *quorum tenores &c.* quoniam iſtæ intelliguntur appoſitæ ex ſtylo, nec quidquam aliud operantur, niſi quod opponi non valeat ſubreptio, Rot. *par. 2. recent. deciſ. 569. num. 8.* quo in ſenſu pariter accipienda eſt clauſula
17 *ſublata, &c.* cùm per ipſam non auferatur facultas Judici cognoſcendi ſuper comprehenſione, necne, Rot. *dict. deciſ. 569. num. 9.*

Præterea dato, ſed numquam tamen conceſſo, quod Beatus Pius Quintus Pontifex voluerit in dicto ſuo Motu proprio vigore illorum verborum *ſtatuentes, &c.* quæ adeò clara, & generalia prædicantur, novam largitionem, aut privilegium inducere, itaut adſtringeretur Camera Apoſtolica reſtituere, & exburſare omne impenſum factum à Secretarii, occaſione conſecutionis dictorum officiorum, tam reſpectu Cameræ, quàm reſpectu reſignantium.

18 Nihilominus dicta verba, etſi generalia, important reſtitutionem ejus pecuniæ, quæ eo tempore, quo facta fuit conceſſio, fuiſſet impenſa à Secretariis, tunc poſſeſſoribus dictorum officiorum ob eadem aſſequenda à Camera, aut à raſſignantibus ſolùm, non autem præfata verba extendi poſſunt, nec debent ad pecuniam expenſam ex poſt ab eorum ſucceſſoribus in raſſignationibus poſtea ſecutis, propter vulgatiſſimam juris regulam, quod privilegia in conceſſione inſitam habent clauſulam *rebus ſic ſtantibus, & in eodem ſtatu permanentibus, quo erant tempore conceſſionis per Text. in l. eum qui ff. de ſolut. Et cap. ſuggeſtum de decimis*, Iaſ. *in l. quod ſervus ff. de condit. cauſ. dat.* Quamobrem cùm ibidem contigerit temporis progreſſu pretium, & valorem dictorum officiorum, adauctum urgente neceſſitate, aut alio voluntario caſu, perventum ad exuberantiam maximam quadrupli ejus quod erant in pretio, & valore dicta officia tempore conceſſionis, inde reſultat iniquitas adverſus
19 conceſſionem, aut privilegium; Ac per conſequens injuſtitia, quæ operatur, ut in eo, quod excedit juſtum valorem, ipſum privilegium nullatenus attendi valere, ac obſervari debeant, *Text. eſt in l. ex facto*, & ibi Alex. *ff. de vulgar. & pupill.* egregiè Franciſc. de Ponte *de poteſt. Proreg. tit. 5. de taxis, & extraordinar. num. 31. & ſeqq.* Solorzan. *de Iur. Indiar. tom. 2. lib. 1. cap. 22. num. 52. & 54. & ſeqq.* Mirabiliter pluribus textibus Canonicis, & Canoniſtarum auctoritatibus hujuſmodi ſententiam ſequens, &
20 confirmans; Et in terminis conceſſæ ſervitutis, ſi effluxo tempore cœperit eſſe damnoſa, quæ tempore conceſſionis non erat talis, redditur inefficax, dixit Taxon. *ad pragm. Regn. de antifat. verſ. Tertio, obſervat. 4. num. 261.* Et in propinquioribus terminis legis, ſcilicet, quæ ſi cœperit eſſe injuſta, ſeu per aliquod accidens ad iniquitatem vergat 21
legis vim, ac efficaciam amittat, firmavit Valdaur. *obſerv. Illuſtr. cap. 2. num. 62. & ſeqq. par. 1.* Pellicion. *Illuſtr. quæſt. quæſt. 21. cap. 10. verſ. in foro autem extendi*, quinimò in tali caſu, etiamſi privilegium eſſet validum, poterit Princeps 22
illud in totum auferre, moderari, aut temperare, Rovit. *in pragm. reg. 1. de privil. univerſ. num. 9. & 11.* Idem Solorz. *tom. 2. lib. 1. cap. 27. num. 40. & 73.*

Nec diverſimodè poteſt intelligi conceſſum privilegium hujuſmodi in ſenſu Juris (quando verè fuiſſet conceſſum) 23
ſicuti in puncto firmat J. C. *in l. 2. in fin. C. de privileg. Scolar. lib. 12.* ubi Imperator mandat *ne ſub prætextu conceſſi privilegii flagitionem creſcat auctoritas, vel publica vacillet utilitas &c.* quaſi fuiſſet dictum, ne ſub prætextu privilegii, auctoritas creſcat pretium augendi dictorum officiorum, quod ſonat in flagitium, dum vacillare facit utilitatem publicam, & Cameram defraudat Apoſtolicam; Quo ſuper Text. omnes ſcribentes concordant, privilegium nunquam poſſe continere modum, quo lædatur publica utilitas, ſeù concedatur facultas Privilegiatis, quid faciendi contra publicum bonum, prout contingeret prævio augumento exceſſive pretii dictorum Officiorum maximo cum detrimento Cameræ Apoſtolicæ, & Pontificatus ipſius Pontificis concedentis; Quæ utique doctrina multum facit ad rem, & inſervit pro cauſæ hujus deciſione, ad cujus corroborationem etiam addi poteſt *Text. in cap. 1. de feud. cogn.* 24
ubi Præpoſitus ait privilegium non valere, nec attendi, quando Camera Apoſtolica eſt in neceſſitate conſtituta, & ingenti ære alieno oppreſſa, ſive gravata, doctè in iſtis terminis loquitur dictus Franciſcus de Pont. *de poteſt. Proreg. tit. 5. de Taxis num. final.* necnon Solorz. *loco ſupra citato* omninò videndus cum Cyriac. *controv. 310. num. 61. 68. & 84. cum ſeqq.*

Nec valet dicere, quod conceſſio præſentis privilegii facta ſit Secretariis poſſidentibus Officia tempore ſuppreſſionis, ac propterea mens, & intentio Beati Pontificis concedentis fuerit indultum concedere ad tempus longè remotum, quo de facili poterat dari augmentum pretii dictorum Officiorum, ideoque etiam ceſſet, nec attendatur 25
clauſula *rebus ſic ſtantibus*, quæ non operatur, quando contrahentes potuerint cogitare de futuro augmento, & alteratione ipſius rei, nam hæc clauſula ſemper ceſſat, ubicumque agatur de re, quæ ſecundum ſui ſubjectam materiam augmentum, ſeu diminutionem recipiat, juxta DD. quos allegat Barboſ. *var. tract.* ſuper clauſula *rebus ſic ſtantibus*; Quoniam ſemper illud obeſt obſtaculum conſiſtens in iniquitate, & exuberantia pretii, cauſatum ex temporis progreſſu, fomento, & aviditate Secretariorum, qui Privilegium ceſſare fecerunt eodem abutentes, & ſub prætextu Pontificiæ largitionis, redigentes ad exceſſivum pretium dicta Officia maximo cum detrimento, ac evidenti pernicie tam Cameræ Apoſtolicæ, quàm ſanctæ intentionis, & mentis B. Pii concedentis, ex quo fit ut privilegii, ac largitionis Pontificiæ facti fuerint incapaces, nec iidem prodeſſe, aut eorum favore militare debeant, cùm non contineant exceſſum pretii, emanatum occaſione reſignationum poſtea factarum.

Præterea advertimus oportet in eodem Motu proprio præcipi reſtitutionem integræ pecuniæ *ſingulis Secretariis tunc viventibus*, non eo ſolo intuitu, ut hujuſmodi privilegium dirigatur in perſonas Secretariorum viventium *tempore ſuppreſſionis*, aut revocationis, ſed ad donatandum, quod reſtitutio pecuniæ facienda eſt ſingillatim tantum illis, qui tunc *vivebant*, non univerſaliter toti Collegio, illis etiam ſcilicet, qui tempore ſuppreſſionis poterant eſſe extincti, & eorum Officia vacantia, & 26
iterum in Cameram redacta, & ideò verba ſingulis *Secretariis tunc viventibus* idem ſonant, *ac ſingulis Secretariis tunc exiſtentibus in Officio*, & poſita fuere ad excludendam reſtitutionem illorum, qui jam fato functi fuere, & etiam ne præſumerentur ſub privilegio comprehenſi illi Secretarii, qui vivebant tempore promulgationis præfati Motus Piani.

Prædictis etiam adſtipulatur, quod licet ſubjecta materis ſimilium Officiorum vacabilium poſſit, in genere ſuo, augmentum, & diminutionem recipere, nihilominus ſuperius conſiderata clauſula *rebus ſic ſtantibus*, remanet in

ſuo robore, quia nunquam excogitari potuit ſano judicio, & recto contrahentium, quod valor, & pretium Officiorum alteraretur, & perveniret ad quantitatem adeò inſolitam, & inexcogitabilem penitus, etiam ſi expreſsè habita fuiſſet mentio de excogitatis, & incogitatis, attamen dicta verba nunquam extendi poſſunt niſi ad mutationem, ſeu alterationem honeſtam, & moderatam, ac veriſimilem, ſecus ad iniquam injuſtiſſimam, ac omninò inveriſimilem, ut in noſtro caſu pluribus doctorinis innixus clarè oſtendit Valdaur. *obſer. Illuſtr. tom. 2. obſer. 94. num. 21. & ſeqq.* Pelliccion. *illuſtr. quæſt. quæſt. 21. cap. 10. verſ. diligenter hic*. 27

Et ſi fortè replicaretur privilegia latiſſimè ſemper accipienda, & interpretari debere in favorem ejus, cui conceſſa fuere contra Principem concedentem, de facili reſponderi poteſt reſtrictionem in noſtro caſu deduci, & fieri non intuitu concedentis in ſui ſcilicet damnum, ſive comodum, ſed urgente neceſſitate ob maximum præjudicium Cameræ, & publici commodi, ſeu publicæ utilitatis, quo caſu filet decantata ſuperius regula, prout ingenioſe conſiderat Solorz. *de Iur. Indiar. tom. 2. lib. 1. cap. 27. num. 70.* 28

Et tandem notiſſimi Juris eſt, quod ceſſat privilegium ceſſante ratione, & cauſa conceſſionis ejuſdem, Bich. *deciſ. 394. num. 13.* Verum ex totius Motus proprii contextu colligitur cauſa, & ratio confirmationis, ſeu novæ conceſſionis (ſi adeſſet) quod fuerit beneficium mutui ſcutorum quinque millium quingentorum facti à Collegio Secretariorum ipſi Pontifici, quæ cauſam, ſeu beneficium de ſe modici ponderis exiſtit, & tamen ea eſt, quæ patefacit, & declarat mentem, ac intentionem concedentis Rot. *deciſ. 466. num. 1. & deciſ. 221. num. 2. & deciſ. 482. num. 1. par. 1. recent.* nec non adaperit intelligentiam comprehenſionis privilegii conceſſi, Rot. *deciſ. 181. par. 1. recent. & ſeqq.* & quæ tandem juſtificat conceſſionem ipſam, Rot. *deciſ. 702. n. 7. dicta par. 1.* ideoque non videtur rationabile Summum Pontificem voluiſſe remunerare Collegium prædictum retributione, ſeu recompenſatione adeò exceſſiva, in perniciem evidentiſſimam Cameræ Apoſtolicæ, ingenti mole æris alieni oppreſſæ, quo caſu ſemper conceſſio coarctanda, ac reſtringenda eſt, ut in ſimilibus loquitur Zarat. *deciſ. 67. num. 6. & 10.* præcipuè cum ſatis munificentiæ, ac remunerationis uſus fuerit erga dictum Collegium, eidem concedendo facultatem vendendi primum Officium vacaturum, & in proprium uſum convertendi omnem pecuniam, quæ ex tali venditione percepturum erat, necnon permittendo uſumfructum reddituum dictorum Officiorum, qui de Jure debebantur Cameræ, & longè excedunt ſortem mutuatam à Collegio Pontifici, & à quo exceſſu reddituum factum eſt maximum, & intollerabile augmentum pretii Officiorum per Aſſegnationes, ſeu revenditiones poſtea ſecutas, & tandem committendo, & mandando reſtitutionem per Cameram faciendam Collegio pecuniæ ſibi numeratæ dum poterat per Pontificem ſupprimi Collegium, abſque alia reſtitutione, quod ſufficienter propter utilitates ſupra conceſſas, & receptas remanebat compenſatum, & ſatisfactum. 29 30 31 32 33

Ex quibus prædictis rationibus, & motivis ſatis abundè, & evidenter conſtat, ac in aperto ponitur, qualis verè fuerit mens, & intentio Beati Pontificis Pii Quinti concedentis, uti videlicet Adminiſtratoris Bonorum Cameræ Apoſtolicæ, nunquam ordinandi, nec jubendi reſtitutionem integræ pecuniæ à Secretariis modo viventibus impenſæ, tùm quia ex verbis Motus proprii id non infertur, tùm quia verba quantumcumque generalia, univerſalia, & geminata legis, ſeu diſpoſitionis, ſemper reſtringuntur ex ratione, cùm nullum ſit tam univerſale verbum, quod non recipiat reſtrictionem ex conſideratione debitarum circumſtantiarum, Andreol. *dicta controv. 112. num. 42.* necnon ſemper recipit conditiones à Jure inductas, S. Felic. *deciſ. 212. num. 10.* quæ promiſſiones quantumvis abſolutæ, ſemper ad primitivam cauſam, & originalem obligationem referuntur, & ſecundum eam accipiuntur, tamquam non novativæ, ſed accumulativæ, quia nunquam cenſetur facta novatio per poſteriorem promiſſionem originalis obligationis, à qua dependet, propterea que illius naturam ſapit, & ſecundum illam venit regulanda, idem S. Felic. *in dicta deciſ. 212. num. 7. & 10.* præterea dato per impoſſibile, quod ex verbis dicti Motus id deduceretur, attamen inſpecto ſtatu rerum tempore conceſſionis, & diverſitate, ac varietate rerum, ad quam redactæ fuere tempore præſenti, cùm non potuerit inferri, non debet, nec poteſt ipſe Motus proprius attendi. 34 35

Et ita in puro ſenſu veritatis, & Juſtitiæ affirmandum, & ab hac ſententia uti veriore in judicando nunquam eſſe recedendum dicimus, ſalvo tamen &c.

Franciſcus Maria Sergriſi Prætor Rotæ Senen.
Aſcanius Venturinus Auditor Rotæ Senenſis &c.
Dominicus Gualendus Aud. Rotæ Senen.

NUM. XII.

Votum, ſeu Reſponſum Rotæ Maceratenſis.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

De eadem materia.

SUMMARIUM.

1 *QVid eſſet reſtituendum Secretariis Apoſtolicis ex Conſtitutione Innocentii VIII.*
2 *De eodem.*
3 *De Motu proprio B. Pii V. & ſeq.*
4 *Reſtitutio non poteſt verificari, niſi in eo, quod fuit acceptum.*
5 *Verbum* reſtituere *an poſſit accipi pro* ſolvere.
6 *De eodem Motu, de quo ſupra num. 3.*
7 *Verba tam in contractibus, quàm in conſtitutionibus ſtrictè, & proprie ſunt accipienda.*
8 *Conſtitutio poſterior ſupplet, & declarat antecedentem.*
9 *Explicatur deciſ. 77. Arguell.*
10 *Verbum* reddere *quid importet.*
11 *Vna pars Conſtitutionis alteram declarat.*
12 *Verba ſunt interpretanda ad favorem promiſſoris.*
13 *Lex non dicitur à poſteriori correcta, niſi conſtet de voluntate corrigendi.*
14 *Novatio non inducitur, quamvis in poſteriori contractu novæ conditiones, & qualitates apponantur.*
15 *Quando pro Fiſco, & Camera ſit reſponden.*

INtentio Cameræ Apoſtolicæ fundatur in aperta diſpoſitione *conſtitut. 12. §. 23. prope fin.* ſan. mem. Innocentii VIII. determinantis, quod ſi officium Secretariorum Apoſtolicorum revocaretur, vel alteraretur, deberet eiſdem Secretariis reſtitui integra quantitas ſexaginta duorum millium, & quingentorum ducatorum auri de Camera per ipſos ſolutorum, & numeratorum. 1

Cùm igitur Sanctiſſimus D. N. ratione publicæ utilitatis, & neceſſitatis, officium prædictum ſuppreſſerit, Camera habet regulam pro ſe, quod non teneatur reſtituere, niſi quantitatem expreſſam in Conſtitutione Innocentiana, à qua non poteſt, nec debet recedi, niſi de contrario doceatur Barboſ. *axiom. 198. ubi etiam num. 3.* quod regulæ contradicens debet expreſsè ſuam contradictionem probare. 2

Totum igitur cauſæ momentum eo recluditur, an obſtet Motus proprius B. Pii V. Sed tantum abeſt, quod noceat, ut potius contra DD. olim Secretarios retorqueatur, cùm enim dicat reſtitutis pecuniis, certum eſt, quod Camera non tenetur reddere niſi pecunias, ratione eorumdé officiorum receptas, reſtitutio enim non poteſt verificari, niſi in eo, quod fuit acceptum Becc. *conſ. 53. num. 8. dicens*, quod de proprietate ſermonis non poteſt dici reſtitui, quod datum non eſt *lib. 1.* Surd. *conſ. 46. num. 20. & 21.* Actolin. *reſol. 32. num. 70. cum aliis in deciſione contraria allegatis.* 3 4

Non ſuffragante reſponſione, quod Beatus Pius acceperit verbum reſtituere pro ſolvere, dum Secretariis obtulerũt reſtituere ſcuta 5500. auri, quę ipſe Papa, non autẽ Secretarii, 5

tarii, à Cardinali Mediceo receperat, quia Secretarii non promiſerunt reſtituere pro ſe ipſis, ſed pro Papa, ibi noſtro nomine, & pro nobis reſtituturos ſe obtulerint, & ſic nihil differt, an ipſe recipiens reſtituere voluerit, an alius pro eo, cùm ſemper ſit verum dicere, quod reſtituebatur acceptum, & actus attribuebatur illi, qui receperat, ut denotant illa verba pro nobis, & noſtro nomine Barboſ. *dict.* 287. *num.* 18.

Prout nec obſtat, quod idem Pius Quintus mandaverit reſtitui Secretariis tunc viventibus integrè, & abſque di-
6 minutione pecunias, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit, quoniam intelligitur de pecuniis Cameræ ſolutis pro emendis, vel habentibus officiis, ut benè probatur in diſcurſu Illuſtriſſimi Domini de Luca, aliàs enim Camera reſtitueret, quod non habuit, imò cum maximo ſuo damno ſolveret de publico id, quod redundavit in utilitatem commercii privatorum, & verbum illud reſtituere impropriè acciperetur, cùm tamen, ſive Motus proprius Pianus accipiatur uti Conſtitutio, ſive uti contractus, ſem-
7 per verba propriè, & ſtrictè accipi debeant, ut in Conſtitutionibus dixerunt Caſtagn. *de benef. deduct. ne eg. quæſt.* 7. *num.* 71. Gratian. *diſcept.* 885. *num.* 11. Rota *Bonon. diverſ. deciſ.* 97. *num.* 7. & in terminis præciſis verbi reſtituere Becc. *dicto conſ.* 53. *num.* 8. & in contractibus idem firmatur per text. *in l. quicquid adſtringenda* 99. *ubi ſcrib. ff. de verb. oblig.* Cyriac. *controv.* 158. *num.* 31. Rot. *rec. par.* 14. *deciſ.* 109.

Et hic eſt germanus intellectus motus proprii Piani, in quo fit relatio ad Conſtitutionem Innocentianam, quæ pariter vult pecunias integrè Secretariis reſtitui debere, & loquens de pretio recepto à Camera, operatur quod idem Motus proprius intelligatur pariter de pecuniis, quas Camera habuit in venditione Officiorum, non enim eſt novum,
8 quod conſtitutio poſterior ſuppleatur, & declaretur per antecedentem Thomat. *deciſ.* 234. *num.* 26. Si verò expreſsè non dixit de reſtituendis dictis ducatis ſexaginta duobus millibus, & quadrigentis, ſed de pecuniis, quibus officia emerentur, vel haberentur, id fecit, quia Camera potuiſſet forſan pluris vendere, nec erat conveniens, quod illud pluris retineretur, non autem, quod Camera reſtitueret, quod non recipiebat, cùm hoc non in prudentiſſimo Principe, ſed vix in fatuo eſſet præſumendum.

Caſus Deciſionis 77. Arguelles nihil habet commune
9 cum noſtro, ut benè animadvertit Illuſtriſſimus D. de Luca, qui benè aſſignat diſcrimen inter verba reſtituere, & reddere, & quando etiam verſaremur in verbo reddere, idem
10 eſſet dicendum, quia verbum reddere, ex ſui propria ſignificatione, importat retrodare, ex interpretatione verò importat dare, ut dicit *gloſ. in l. verbum reddendi* 94. *ff. de verbor. ſignific.*

Si igitur in vero, & proprio ſignificatu importatur retrodatio, neſcitur videre, cur abſque aliqua cauſa abſurdi, correctionis, ſuperfluitatis vitandæ, aut alia ſimili, debeat recurri ad interpretationem, cùm tamen ab ipſa verborum proprietate nunquam ſit recedendum, niſi quando, conſtat mentem contrahentium fuiſſe in contrarium, quod tamen in dubio non præſumitur, ſed debet ab allegante probari. Rot. *diverſ. par.* 2. *deciſ.* 223. *num.* 1. *cum duobus ſeqq.* Sperell. *deciſ.* 177. *num.* 35.

Quinimò cùm Beatus Pius Quintus in antecedenti parte, qua Secretariis obtulerant reſtituere ſcuta 5500. ſoluta 11
à Cardinali Mediceo, acceperit pro retrodare, ut fuit ſuperius probatum, in eodem etiam ſenſu retrodandi fuit acceptum in altera parte reſtituendi Secretariis, Altogr. *conſ.* 12. *num.* 31. *lib.* 2. Rot. coram Merlin. *deciſ.* 747. *num.* 15.

Contrarium aſſerere eſſet peccare contra plura juris axiomata, quod nempe verba ſunt ſemper accipienda in ſuo proprio, & vero ſignificatu, quotieſcumque in illo poſſunt verificari, Rot. coram Buratt. *deciſ.* 279. *num.* 11. 12
quod ſunt interpretanda ad favorem promiſſoris, Rot. coram Arguell. *deciſ.* 90. *num.* 14. quodque etiam in re dubia debemus deſervire verborum proprietati, Gratian. *deciſ.* 43. *num.* 13. præcipuè quando agitur de obligando, Rot. coram Arguell. *dec.* 25. *num.* 35.

Peccaretur etiam in Conſtitutionem Innocentianam, quę ſi accipiatur uti lex, non poteſt cenſeri correcta à poſte- 13
riori, niſi expreſsè conſtet de voluntate corrigendi, Thomat. *deciſ.* 234. *num.* 25. quod adeò verum eſt, ut nunquam correctio ſimilis conſtitutionis poſſit induci ex conjecturis, & ſubauditis intellectibus, Rot. *Bononien. diverſ. deciſ.* 94. *num.* 51.

Si accipitur uti contractus, & pariter hodiè eſt concluſio indubitata, quod non inducitur novatio, quamvis in contractu poſteriori novæ conditiones, & qualitates apponan- 14
tur, *l. fin. C. de novat.* Altograd. Jun. *controv.* 91. *num.* 31. *in fin.* eoque magis dum Beatus Pius profitetur velle obſervare, & implere eamdem Conſtitutionem Innocentianam, nunquam enim poteſt cadere novatio contractus, cujus obſervantia, & implementum exhibetur Antonin. de Amat. *reſol.* 57. *num.* 18. Monac. *deciſ. Bonon.* 54. *num.* 22. *cum ſeqq.* Capyc. Latr. *deciſ.* 38. *num.* 42. *& deciſ.* 200. *num.* 26. præſertim quia ad hunc effectum novatio ſemper excluditur, niſi contractus ſint inter ſe incompatibiles, ut unus faciat corruere alium Antonin. de Amat. *reſol.* 89. *num.* 11. Staiban. Jun. *conſ.* 7. *num.* 3. Altograd. Jun. *controv.* 91. *n.* 29. & 32.

Hinc benè patet, quam malè contra Cameram fuerit adductus *text. in l. ille aut ille ff. de leg.* 3. quoniam ultra quod deciſio contraria, contra propriam ſignificationem verbi reſtituere, recurrit ad interpretationem, quæ non datur in claris, res potius eſt clara favore Cameræ, quæ nititur regulæ non avulſæ ab exceptionibus contrariis, ut fuit ſuperius probatum.

Quando etiam res eſſet dubia, adhuc eſſet determinan- 15
dum ad Cameræ favorem, licèt enim res fiſci non ſit bona niſi ſub malo Principe, & in dubiis videatur ſentiendum contra fiſcum, tamen concluſio tunc ſolum procedit, quando agatur de confiſcationibus, pœnis, & bonis vacantibus, non autem quando agitur de contractibus, in quibus ad favorem fiſci in dubio eſt pronunciandum, ultrà adductos ab Illuſtriſſimo Domino de Luca Farin. *fragm. par.* 1. *verb. fiſcus num.* 189. apud quem innumeri concordantes.

Et ita &c. ſalvo &c.

Antonius Giampè Rotæ Maceraten. Auditor, & Prætor, &c.
Ludovicus Gaugellus Rotæ Maceraten. Auditor.
Seraphinus Maſſinus Rotæ Maceraten. Auditor.
Franciſcus Picarellus Rotæ Maceratenſis Auditor.
Sebaſtianus Antonius Daniellius Rotæ Maceratenſis Auditor &c.

NUM. XIII.

Reſponſum quatuor Juriſconſultorum Lucenſium.

Primum Reſponſum D. Hieronymi Palmæ I. C. Lucenſis.

ARGUMENTUM.

Verbum reſtituere, in ſuo proprio, vero, & naturali ſignificatu, importat retrodationem ejus, quod per reſtituere debentem fuit prius acceptum; Verba in dubio debent accipi in ſua propria, & vera ſignificatione. Privilegium, & conſtitutio, debet regulari à cauſa in prooemio expreſsa, & juxta veriſimilem mentem concedentis interpretari, Princeps quando aliqua Jura, ſeu aliquam reſtitutionem mandat, & quomodo.

SUMMARIUM.

1 *Reſtitutionis verbum, ſecundum propriam, & naturalem ſignificationem, prædicatur tantum de eo, quod prius per reſtituere debentem fuit acceptum, licet quandoque etiam accipiatur pro dare, & ſolvere, ut num.* 2.
3 *Deciſ.* 77. *coram Arguelles, explicatur.*
4 *Verbum reddere in ſui propria ſignificatione importat retrodare quod acceptum eſt.*
5 *Dictio aliquando importat exceptionem ad regulam.*

6 *Ver-*

6 *Verba, ſecundum eorum propriam ſignificationem, ſunt accipienda, & num.7.*
8 *Verba quando in ſui propria ſignificatione recipi poſſunt, nunquam ad alium ſenſum ſunt trahenda.*
9 *Dictio præfatis, eſt repetitiva eorum, quæ ſuprà dicta fuerunt.*
10 *Mens veriſimilis concedentis attenditur, ad interpretationem cuiuſcumque diſpoſitionis, & num.13.*
11 *Verba univerſalia reſtringi debent iuxta naturam actus, ſuper quo emanarunt, & iuxta veriſimilem mentem loquentis.*
12 *Verbum nullum eſt adeo generale, quod inſpectis debitis circumſtantiis rerum, & perſonarum non debeat civiliter intelligi.*
14 *Verbum uno modo, in una parte diſpoſitionis acceptum, ita pariter in alia debet intelligi.*
15 *Argumentum à diſcretivo modo loquendi, in iure efficax eſt.*
16 *Subſtantia cauſæ, non expreſſio verborum dat activitatem contractui.*
17 *Verba ampla, & generalia reſtringi ad limites ſuæ cauſæ.*
18 *Superfluitas potius eſt toleranda, quàm quod verba generalia contra veriſimilem mentem diſponentis in grave eius præiudicium retorqueantur.*
19 *Confirmatio addit robur confirmato, ea autem, quæ in ipſo continentur nullo modo extendit.*
20 *Verba ambigua debent intelligi, iuxta naturam diſpoſitionis, in qua prolata fuerunt, & iuxta cauſam in proœmio adductam, & num.21. & 22.*
23 *Verba ambigua intelligi debent, iuxta Iuris Communis diſpoſitionem.*
24 *Conſtitutio, ſeu privilegium debent intelligi, ut lædat ius Commune minus, quàm ſit poſſibile.*
25 *Princeps quando ex cauſa publica revocat conceſſiones, an teneatur aliquid refundere.*
26 *Sufficit, ut refundat pretium per ipſum acceptum.*
27 *Verba ambigua iuxta ſolutum, & conſuetum, & obſervatum in aliis caſibus ſunt interpretanda.*
28 *Interpretatio ea ſumenda eſt, ut promittens minus quàm poſſibile ſit remaneat gravatus.*
29 *Donatio in dubio non præſumitur, & omnis interpretatio ſumenda eſt ad eam excludendam, & nu.30.*
31 *Verba generalia cuiuſcumque diſpoſitionis, ita intelligenda ſunt, ut ex eis non reſultet inconveniens, neque notabilis læſio.*
32 *Et præcipue, ut ius ipſius concedentis notabiliter non lædatur.*
33 *Verbum, quod poteſt habere plures ſignificatus, nunquam debet intelligi in eo ſenſu, quod ſit contra veriſimilem mentem diſponentis, & num.34.*
35 *Verba ambigua conceſſionis ſemper ad favorem concedentis veniunt interpretanda.*
36 *Item, eo modo, ut præcedentes conſtitutiones non cenſeantur, vel minus quàm poſſibile ſit, innovatæ.*
37 *Superfluitas evitatur, quando verba quid minimum operantur.*
38 *Datio inſolutum differt in aliquibus ab emptione, & venditione.*
39 *Iura vitalitia, licet de uno in alium per reſignationem tranſeant, tamen ſemper dicuntur eadem, quæ à Principe primo loco conceſſa fuerunt.*
40 *Princeps aſſenſum præſtando reſignationi Iurium Vitaliciorum, nunquam cenſetur ſibi velle præiudicare.*
41 *Cauſa privilegii attendi debet ad dignoſcendam eius naturam.*
42 *Privilegium ob benemerita conceſſum, in dubio cenſeri debet perſonale, & num.43.*
44 *Privilegium quandoque variatur, & alteratur per mutationem perſonæ, maximè quando qualitas, vel meritum perſonæ eſt cauſa privilegii, & num.45. & 46.*
47 *Interpretatio in privilegiis ſumitur à mente concedentis.*
48 *Verba cuiuſcumque privilegii ſunt ſecundùm æquitatem intelligenda.*
49 *Verba in quacumque diſpoſitione ſuperfluo appoſitum cenſeri non debet.*
50 *Superfluitas nunquam eſt toleranda, niſi ubi alias ſequeretur abſurdum.*
51 *Pro interpretatione Privilegii, quæ veniant attendenda.*

VIdetur recedendum omninò à deciſis, ſeu revocandum votum traditum, & reſolvendum ad favorem Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ, & hoc tam inſpectis verbis Motus proprii Beati Pii Quinti, quàm veriſimili mente ipſius Pontificis.

Dixi inſpectis verbis Motus proprii, quoniam in eo dicitur per Pontificem ipſum, vel alios ejus Succeſſores pro tempore exiſtentes, non poſſe dictum Collegium revocari, reduci, alterari, aut moderari, ſeu Collegium ipſum ſupprimi, vel extingui non poſſe, *niſi reſtitutis prius realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis tunc viventibus integrè, & ſine aliqua diminutione pecuniis, pro quibus eos dicta officia emiſſe, ſeu habuiſſe conſtiterit*; De jure autem non videtur ambigendum, quin verbum reſtitutionis, ſecundùm propriam, & naturalem ſignificationem, non prædicetur tantùm de eo, quod per reſtituere debentem fuit prius acceptum, ut ſunt 1
Textus *in l. reſtituere* 35. & 75. *ff. de verb. ſignific.* & præcæteris benè Alciat. *in dicta l. reſtituere* 75. *num.* 3. ibi *proprie autem reſtituere dicimus, quod accepimus*, Ludovic. Carbon. *de omn. rer. reſtit. quæſt.* 3. §. *reſtitutio*, ubi paulò poſt definiendo, ſeu deſcribendo ipſam reſtitutionem, hæc habet, *Tu brevius ſic deſcribas, reſtitutio eſt actus iuſtitiæ, quo cuique redditur quod ab eo ablatum, vel acceptum eſt fol.* 20. benè Becc. *conſ.* 53. *num.* 8. ibi *& de proprietate ſermonis non poteſt dici reſtitui, quod datum non eſt*, Surd. *conſ.* 94. *num.*23. 24. ubi ex Salycet. *in l. ſi conſtante num.* 6. *C. de donat. ante nupt.* dicit verbum reſtituere non adaptari quando quid non eſt datum, Menoch. *conſ.* 1155. *nu.* 51. *ubi ex gloſs. in l. mancipia in verbo avocandum C. de ſerv. fugitiv.* benè ad propoſitum noſtrum dicit, quod reſtitui non poteſt, quod non fuit acceptum, Cagnol. *in l.* 2. *num.* 17. 18. *C. de pact. inter empt. & vend. ibi proprièque reſtituimus quod accepimus*, Rebuff. *in l. reſtituere* 75. *num.* 9. *ibi licet regulariter id reſtitui dicatur, quod quis accepit ff. de verb. ſignif.* D. Altograd. ſen. *conſ.*84. *num.*106. *vol.*1. *& conſ.* 20. *num.*16. *vol.* 2.

Qua concluſione firmata, quam admittit ipſa deciſio, non videtur obſtare reſponſio per Sacram Rotam adducta, quod ſcilicet verbum reſtituendi, & reddendi aliquando 2
etiam ſignificet dare, & ſolvere, ex traditis per Arguell. *dec.* 77. *num.*21. *& num.*15. & quidem ex pluribus, &

Primò quia *deciſ.*77. coram Arguell. (ultra quod non loquitur in verbo reſtituendi, ſed reddendi, quod latius patet, ut apparet ex Textu *in l. verbum reddendi* 94. *ff. de verb.* 3
ſignif. in quibus terminis pariter loquuntur omnia jura in eadem deciſione allegata) conſiderat quidem verbum illud reddere, idem ſæpè importare, quod ſolvere, ſed ſemper ſuppoſita præcedenti acceptione rei, ex qua ſubſequenter reſultet legitima obligatio, ſive reddendi, ſive ſolvendi, quoniam in præfata deciſione controverſia cadebat ſuper reſtitutione dotis vel in pecunia, vel in fundo, vigore illorum verborum, de quibus in dicta *deciſ.* 77. *ante num.* 10. *in fine del quale il detto Signor Gio: Battiſta debba rendere al detto Signor Capitano Marcello il detto lucro dotale ſcudi* 1500. & firmatur reſtitutionem fieri debere in pecunia, ex fundamentis ibidem adductis, contra quæ cum obiici poſſet de natura, & ſignificatione verbi reddere, Rota reſpondet tale verbum ſæpè exponi pro ſolvere, & pro dare, ſed non ad alium effectum, quàm demonſtrandi non implicare, ſed ſe compati cum ſolutione pecuniæ, nec ad ſpeciem tantum referri, & ſic nihil ex hoc inferri poteſt ad caſum noſtrum, in quo ſtrictè videndum eſt, an tale verbum de ſui natura ſignificet rem, ſeu pecuniam per prius acceptam, quod pariter verificabatur in facti ſpecie, de qua apud Arguell. quia ſive retrodare, ſive ſolvere, & dare, verbum reddendi importaret circa quod ibi erat quæſtio, ſemper tamen dictum verbum intelligebatur, & referebatur ad dotem prius acceptam.

Secundò, & efficaſſimè, meo judicio, reſpondetur, quòd etiam verbum reddere, licet ex interpretatione aliquando ſumatur, pro dare; Tamen in ſui vera, & propria ſignificatione importat retrodare, quod acceptum eſt, ut probat pũctualis Gloſſ. *in l. verbum reddendi* 94. *ff. de verb. ſignif. litt. N. Verbum reddendi retrodandi, & hæc eſt propria ſignificatio*, & rurſus eadem Gloſſ. *in verb. ſignificatione litt. O. ibi ex interpretatione*, benè Alciat. *in d. leg.* 94. *num.* 3. *verſ. quod tamen*, Arnold. Corvin. *in explicat. dictæ l.* 94. *in verbo reddendi litt. A.* ubi ait reddere propriè ſignificare retrodare, licet aliquando pro dare accipiatur, & quoad proprietatem verbi admittit Calvin. *in ſuo Lexic. in verbo reddere in primo* §. *optimè videndus* Giurb. *ad conſtit. Meſſ. cap.* 15. *gloſſ.* 15. *incipit reddantur par.*1. *n.* 1. nec diſſentit Rota coram 4

Ar-

Arguell. *decis.* 90. *n.* 26. licet hanc appellet significationem rigorosam, dùm tam *Textus in l.* 3. *si quis servum ff. de statut. liber.* quàm Calvin. Rebuff. *& alciat.* ab ea citati, dicunt hanc esse propriam significationem.

Vindicata igitur à contrariis hac conclusione, quæ in controversiam revocari non potest, & expressè firmatur, & admittitur in decisione, quæ revidetur in *vers. quia licèt verbum*, deficit præcipuum fundamentum ejusdem decisionis, quod Constitutionis Pianæ verba sint clara, & ideo non sit opus recurrere ad intepretationem, & subauditos intellectus juxtà vulgata.

Nam si in sua vera, & propria significatione, admissa in decisione, verba motus Piani assistunt Cameræ, quomodò ne dici potest rem esse claram, ad favorem Secretariorum, maximè dum eadem decisio ad effectum deducendi talem claritatem, statim subjungit, quod dictum verbum *restituendi*, licet de sui natura significet reddere, & retrodare, tamen aliquando accipitur pro dare, & solvere, illa autem dictio *aliquando*, qua utitur decisio, & etiam multi ex DD. 5 ab ea relatis, certum est quod significat, & importat exceptionem ad regulam, ut ex Rebuff. *in l. interdum ff. de verb. signif.* dixit Barbos. *diction. num.* 1.

Tantum igitur abest, ut hujusmodi argumentum à Sacra Rota adductum vim faciat ad favorem DD. olim Secretariorum, ut potius in cõtrarium retorqueatur, decisio enim sic arguit, debet restitui omne, & integrum pretium exbursatum, eorum auctoribus per DD. Secretarios, quia verba motus Beati Pii Quinti sunt clara, dum in ea mandatur restitui iisdem pecunias per eos solutas integrè, & absque ulla diminutione, quia licet verbum restituere propriè significet retrodare, tamen aliquando accipitur pro dare, & solvere; Cujus argumenti fallacia evidens est, dum constituitur fundamentum claræ dispositionis, nedum super verbis ambiguis, quod sane fieri non posset, sed super improprias, & extensiva significatione verbi, undè illud idem argumentum, retorquendo dicitur rem esse claram ad favorem Reverendæ Cameræ Apostolicæ, dum verbum restitutionis in Constitutione Piana appositum, propriè significat retrodationem sivè rei, sivè pecuniæ per anteà acceptæ. De jure autem certum est quod verba secundum eorum propriam 6 significationem sunt accipienda Gratian. *decis. March.* 45. *num.* 12. Larr. *decis. Granat.* 52. *nu.* 17. Joseph. Vel. *dissert.* 49. *num.* 55. *vers. vel ex eo*, Ramon. *cons.* 100. *num.* 116. benè Rot. coram Rembold. *decis.* 475. *nu.* 7. *decis.* 239. *n.* 2. *par.* 15. & quod non comprehendatur illud, quod non nisi 7 sub lata verbi significatione venit eadem Rot. *decis.* 109. *num.* 5. *& 6. par.* 14. & in terminis verborum Constitutionis post Farinac. *cons.* 76. *num.* 8. *lib.* 1. dixit Sperell. *decis.* 103. *num.* 10. benè Solorzan. *de Iure Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 46. Cyriac. *controv.* 378. *num.* 34. *&* 35. Rot. coram Coccin. *decis.* 226. *num.* 10.

Cum igitur pro Reverenda Camera Apostolica militet vera & propria significatio verborum Constitutionis Pianæ, & huic regulariter stari debeat, docendum est, & demonstrandum venit ex adverso, quæ nam ratio urgeat, ut à vera, & propria verbi significatione recedamus, quia quando verba in sui vera significatione recipi possunt, nunquam ad alium sensum sunt trahenda Rot. coram Coccin. 8 *decis.* 235. *num.* 62. Ramon. *cons.* 100. *num.* 118. Quod licet secundam ex propositis inspectionibus contineat, hoc est verisimilem mentem concedentis, non tamen inutile erit hic breviter tangere motiva, ex quibus decisio censuit admitendam esse hujusmodi interpertionem.

Sacra igitur Rota primo loco adducit pro comprobanda tali interpretatione, quod dictum verbum restituere in hoc sensu fuit acceptum per Beatum Pium Quintum in dicto Motu proprio, quando loquutus fuit de scutis 5500. auri solvendis per dictum Collegium Secretariorum Cardinali Mediceo, quo loci utitur verbo restituere, licet Secretarii, eorumque Collegium nihil à Pontifice recepissent.

Sed hoc argumentum (quo tamen manifestam implicantiam continet cum claritate Constitutionis Pianæ in principio decisionis supposita) apertam patitur æquivocationem, dum in dicto Motu proprio, quando agitur de restitutione facienda Cardinali Medices, dicitur expressè promisisse restitutionem nomine ipsius Pontificias, ibi *dictam summam quinque mille, & quingentorum scutorum auri in auro, eidem Ferdinando Cardinali nostro, & pro nobis restituturos se obtulerunt*; Undè licet Collegium Secretariorum à præfato Cardinali nihil recepisset, verè tamen, & propriè applicabatur nomen restitutionis, quia pro Camera, & nomine Cameræ, & Pontificis, qui pecuniam acceperat, restituebant, unde potiùs hæc ratio retorquetur, ut inferius demonstrabo.

Successivè decisio figit pedem in hoc quod Pontifex cogitaverit dictum Officium Secretariatus vendi posse, & alienari majori pretio dictorum scutorum 5500. dum id expressit, ex quo arguitur, etiam in suppressione de pretio majori, quo dicta Officia potuerint esse vendita, cogitasse.

Sed hujusmodi illatio nullo modo procedit; Primò quia in particula præfata Pontifex dat facultatem Collegio præfato vendendi dictum primum Officium Secretarii vacans, pro pretio tunc temporis reperibili, & congruo, etiam si dictam summam scutorum 5500. in parva, vel etiam magna quantitate excederet, & sic per verba omninò incerta, sed in casu, quo hujusmodi unio, & annexio impugnaretur per Cameram, seù ad viam juris reduceretur, non demandatur restitutio, nisi præfatorum scutorum 5500. per eos solutorum, in illis verbis *nisi priùs restitutis eisdem Secretariis, & Collegio per Cameram præfatam realiter, & cum effectu pecuniis præfatis*, quæ dictio præfatis tanquam repetitiva eorum, quæ supra dicta fuerant Barbos. *dict.* 126. 9 *num.* 1. manifestè, & ad oculum demonstrat, Pontificem loquutum fuisse de scutis 5500. auri, de quibus paulò proximè supra dictum fuerat, unde potiùs retorquetur objectum in contrarium, si enim in casu, quo hujusmodi Officio, annexo dicto Collegio, & pro quo dictum Collegium pretium anticipatè solverat, ipsum privatum esset, vel talis unionis viam juris reduceretur, Pontifex eisdem restitui voluit solum summam scutorum 5500. solutam, licet talis anticipata solutio fuerit unica causa, ob quam fuit factus dictus Motus proprius, quomodo ne dicere possumus mentem Pontificis fuisse, ut in casu suppressionis omnium Officiorum restitueretur non summa verè soluta Cameræ, sed ab ipsis Secretariis eorum auctoribus? Plurimum autem verisimilis mens concedentis attenditur ad interpretationem cujuscumque dispositionis ut ad effectum re- 10 stringendæ obligationis, ponderavit Rot. *decis.* 297. *num.* 7. *par.* 15.

Secundo, licet ad abundantem, dicitur quod ex præcedenter narratis resultat, quod in casu suppressionis, seu reductionis istius Officii uniti toti Collegio Secretariorum, particulariter B. Pontifex disposuit circà restitutionem faciendam toti ipsi Collegio, unde non rectè infertur ad restitutionem demandatam in casu suppressionis totius Collegii, cum ex diversis non benè fiat illatio, juxtà vulgata; Supponit enim decisio, quod Beatus Pius post cogitationem habitam, quod dictum Officium primo loco vacaturum potuerit vendi majori pretio, devenerit immediatè ad dispositionem, & ordinationem restitutionis pretii in casu suppressioni totius Collegii ipsorum Secretariorum, quod non subsistit cum ex post, & priusquam loquatur de restitutione in casu suppressionis totius Collegii, disponat particulariter dictus Motus proprius Beati Pii Quinti, tàm in casu, quo dictum Collegium assequi non posset dictum Officium primo loco vacans, vel in ejus pacifica possessione turbaretur, quàm etiam in casu, quo pro parte Cameræ dicta unio invalida prætenderetur, seu ad viam juris reduci, in quo ultimo casu, cum sola scuta 5500. auri Cameræ, & Pontifici soluta restitui mandaverit, ideò nedum cessat illatio, de qua in decisione, sed retorquetur motivum, ut supra adnotavi.

Quod verò in decisione subjungitur Beatum Pium Quintum in præfata Constitutione non respexisse ad Cameram, sed ad Secretarios tunc viventes, quibus debebat fieri restitutio, quod desumitur ex dictione *tunc* extremitatem temporis denotante, & ex dictione illa personali *eos habuisse*, *&c.* quod pariter ad Secretarios tunc temporis viventes directum videtur.

Non subsistit, quoniam licet admitteretur, quod non conceditur verba fuisse directa ad Secretarios, & quidem ad illos tempore suppressionis existentes, tamen principaliter Cameram ipsam respiciunt, seu Pontifices successores, dum per orationem separatam, incipiente *volentes*, declarat Pontifex nolle ullo unquam tempore, dictum Collegium per ipsum, aut alios successores supprimi, aut alterari, seu extingui posse, nisi restituris prius singulis Secretariis tunc viventibus integrè, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos Officia emisse, vel habuisse constiterit,

unde

unde reſtitutio, appoſita tanquam per modum conditionis in caſu extinctionis, ſeu ſuppreſſionis, non poteſt intelligi directa, niſi Pontificibus ſucceſſoribus, à quibus fieri vellet dicta ſuppreſſio, Secretarii enim tunc viventes non reſtituere, ſed recipere debebant, Camera autem, ſeu ærarium Pontificis reſtituere tenebatur.

Nec conſiderabiles ſunt illæ clauſulæ integrè, & abſque ulla diminutione, quaſi quod non haberent DD. olim Secretarii integram pecuniam, ſi totum pretium per eos expenſum non reciperent, quia ſemper latet ſolita æquivocatio, non enim dicit conſtitutio, quod Secretarii debeant habere pretium per eos propriis auctoribus exburſatum integrè, & abſque ulla diminutione, ſed dicitur, quod Camera debeat reſtituere integrè, & abſque ulla diminutione pecunias, pro quibus &c. quæ quidem Camera non recuſat reſtitutionem integram, & ſine diminutione illius pecuniæ, pro qua ab ipſa Camera Secretarii officia emerunt, ſeu habuerunt, unde verba hujuſmodi, licet ampla, & univerſalia, relata tamen ad Cameram, prout juxtà tenorem dicti Motus proprii referri debent, plenè, & punctualiter verificantur, ultra quod talia verba univerſalia reſtringi debent juxta naturam actus, ſuper quo emanant, ac juxta veriſimilem cogitatum diſponentis, ut in ſatis ſimilibus Thomat. *deciſ. March.* 249. *num.* 34. 35. 36. *vol.* 2. ubi aderant in le-
11 gato liberationis ad favorem uxoris illa verba, *tutto quello ho ſpeſo*, & nihilominus juxta veriſimilem mentem diſponentis, reſtringuntur dicta verba ad expenſas factas de proprio, non verò ad expenſas factas de pecunia uxoris, benè etiam Rota *deciſ.* 297. *per tot. par.* 15. *ſed præcipuè num.* 4. & paſſim in jure procedit, quod verbum nullum eſt adeò generale, quod inſpectis debitis circumſtantiis rerum, perſonarum, & formę diſpoſitionis non debeat civiliter intelligi, atque limitationem recipere, Cyriac. *contr.* 292.
12 *numer.* 16. Altograd. Jun. *controverſ.* 83. *numer.* 27. *vol.* 1.

Quæ tamen omnia ex abundanti deducta ſunt, quia dictæ clauſulæ integrè, & abſque ulla diminutione optimè, & punctualiter verificantur in pecunia per Cameram recepta, in qua ſolum ut ſupra firmatum fuit cadit, & applicari poteſt demandata reſtitutio.

Ex quibus cum proprietas verborum aſſiſtat intentioni Cameræ, neque aliqua urgens ratio afferatur, ob quam recedendum ſit ab ea, opus non eſſet de ſecunda inſpectione, quæ veriſimilem mentem concedentis reſpicit, agere, ut tamen undequaque inſubſiſtentia deciſionis eniteat, placet hunc articulum examinare.

Veriſimilis igitur mens Papæ concedentis, à qua regulari-
13 ter quælibet diſpoſitio interpretationem recipere ſolet Solorzan. *de Iur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 46. Rot. *deciſ.* 432. *num.* 13. *part.* 9. *tom.* 2. evidenter aſſiſtit intentioni Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ, & quidem ex pluribus, &c.

Primò, quia cum pluries, ac per multas vices in dicto Motu proprio, ultra particulam, ſuper qua ad præſens cadit diſputatio, uſus fuerit Summus Pontifex hoc reſtitutionis vocabulo, ſemper illud in ſua propria, & vera ſignificatione retrodandi, quod acceperat, acceptum fuiſſe conſtat, unde hoc eodem modo, non autem diverſimodè in hac particula accipi debet, cùm concluſio, licèt vulgata, veriſſima tamen
14 ſit, quod verbum uno modo in una parte diſpoſitionis acceptum, ità pariter in alia ſumi debeat, Baytell. *deciſ.* 31. *num.* 61. D. Altograd. Sen. *conſ.* 12. *num.* 31. *vol.* 2.

Secundò quia, quando Pontifex voluit in caſu, quo Collegium præfatum officium primo loco vacaturum conſequi non poſſet, ipſius indemnitati conſulere, demandando nedum reſtitutionem ſcutorum 5500. auri ſolutorum, ſed etiam refectionem omnium damnorum, expenſarum, & intereſſe, uſus non fuit verbo reſtitutionis, utpotè quod ad dicta ſcuta 5500. auri ſoluta referri tantum poterat, ſed uſus fuit verbo ſolvere, quod de ſui natura nedum ſcuta 5500. ſoluta, ſed etiam damna, & intereſſe per eos paſſa comprehendebat ibi *tunc & eo caſu Cameram præfatam ad ſolvendum cum effectu dictam ſummam* 5500. *ſcutorum, unà cum damnis, & intereſſe paſſis teneri.*

Ex quo diſcretivo modo loquendi ſatis efficax argumentum colligitur, quod ſcilicet ubi Pontifex Cameram teneri voluit ad ſolutionem alicujus ſummæ, præter acceptam, uſus fuit verbo *ſolvere*, & illud *reſtitutionis* omiſit, ità ubi de reſtitutione facienda dixit, de retrodatione pecuniæ acce-
15 ptæ intelligendum veniat, ut in ſimilibus D. Altograd. Sen. *conſ.* 83. *num.* 58. & 59. *vol.* 2. & dixerat antea *in conſ.* 48. *num.* 14. & *conſ.* 66. *num.* 9. *lib.* 1.

Tertiò plurimum apud me urget totus contextus, & cauſa ipſius Motus Piani, cùm non expreſſio verborum, ſed ſubſtantia cauſæ det activitatem diſpoſitioni, ſeu contractui, Pariſ. *conſ.* 32. *num.* 34. *lib.* 2. Afflict. *dec.* 378. *num.* 5. Rot. 16
deciſ. 33. *num.* 4. *part.* 2. *diu. Add. ad deciſ. num.* 4. *part.* 8. Buratt. *dec.* 774. *num.* 12.

Certum autem eſt promulgationi talis Conſtitutionis cauſam dediſſe ſcuta 5500. auri, quæ Pontifex reſtituere debebat Cardinali Mediceo, ab eo recepta pro emptione unius ex officiis Secretariatus, quod jam per antea ſuppreſſum extiterat ad favorem ipſius Collegii, ad cujus proinde præjudicium reſultabat hæc nova venditio, & ſucceſſivè Summus Pontifex declaravit dictum officium ut ſupra venditum, fuiſſe ſuppreſſum, & nulliter collatum dicto Cardinali Mediceo, cui reſtituuntur per Cameram, & pro ea per dictum Collegium ſcuta 5500. per eum antea ſoluta, & exinde, pro ſatisfactione præfatæ ſummæ per dictum Collegium ſolutæ, aſſignatur Collegio officium primo loco vacaturum, ſeu ejuſdem pretium, & pro ejus indemnitate, duplex legitur diſpoſitio ad ipſius favorem; Prima in caſu, quo officium primo loco vacaturum conſequi non poſſet, vel in eo turbaretur, & tunc obligatur Camera ad ſolutionem ſcutorum 5500. per Collegium exburſatorum unà cum damnis, & intereſſe paſſis, & ſumma quidem cum juſtitia, quia cum Collegium præfatum dictam ſummam ſcutorum 5500. recipere deberet ad cenſum, ſeu ad cambium, ad effectum eam pro Camera, & ejus nomine reſtituendi Cardinali Mediceo, omninò juſtum erat, ut in caſu, quo pretium ex venditione primi officii vacaturi percipere non poſſet, ei reſtituerentur, nedum dicta ſcuta 5500. ſed etiam reficerentur damna, & intereſſe paſſa; Secunda diſpoſitio reſpicit caſum, quando per ſucceſſores B. Pii, vel Cameram eorum nomine diceretur de nullitate dictæ gratiæ, ſeu eam ad vitam juris reducere prætenderent, & id fieri non poſſe mandavit, niſi reſtitutis dictis Secretariis, & Collegio præfatis pecuniis, quæ verba ut ſupra dixi, & demonſtravi, referri non valent, niſi ad dicta ſcuta 5500.

Hæc eſt ſubſtantia primæ partis dicti Motus proprii, in qua nihil eſt, quod veriſimiliter ſuadeat mentem Summi Pontificis fuiſſe, ut in ſuppreſſione hujus Collegii ſolveretur potius pretium exburſatum per DD. Secretarios eorum auctoribus, quàm illud per Cameram verè receptum, quinimò efficaciſſimè urget in contrarium, quod ſupra tetigi, quod ſcilicet ſi reſpectu hujus officii primo loco vacaturi, quod datum fuit in recompenſam mutui gratuiti facti per Collegium Cameræ, in caſu, quo gratia talis conceſſionis prætenderetur invalida, vel ad viam juris reduceretur, mandantur reſtitui ſolùm ſcuta 5500. per Cameram recepta, licet ipſe Pontifex dicto Collegio facultatem dederit præfatum officium primo loco vacatum, majori pretio dictis ſcutis 5500. vendendi, eo fortius in caſu ſuppreſſionis, vel extinctionis totius Collegii, non intellexerit Summus Pontifex majus onus Cameræ imponere, quàm impoſuerit reſpectu dicti Officii primo loco vacaturi, cujus conceſſio ipſi Motui proprio cauſam dedit.

In ſecunda verò parte dicti Motus proprii, ubi continetur particula, quæ huic controverſiæ cauſam dat, nihil aliud legitur, quàm confirmatio privilegiorum, per anteceſſores Pontifices dicto Collegio conceſſorum, ut in §. ad hęc, ibi *adhæc dictos Secretarios, & Collegium amplioris favoris gratia proſequi volentes, ut ea, quæ per eumdem Innocentium &c. ac alios forſan Pontifices prædeceſſores noſtros eiſdem Secretariis, & Collegio conceſſa fuerunt, eo firmius ſubſiſtant, quo ſæpius fuerint Apoſtolica auctoritate roborata*, ex qua parte Motus proprii reſultat.

Quartum motivum deductum ex eo, quod cùm habeamus in hac ſecunda parte cauſam expreſſam diſpoſitionis, quia ſcilicet privilegia dicti Collegii ab aliis Pontificibus ei conceſſa eò firmiora eſſent, quò multiplices confirmationes accederent, omnia ſubſequentia verba in eadem parte contenta, quantumvis ampla, & generalia, reſtringi debent, & reduci ad limites præfatæ cauſæ, Mantic. *de tacit. & ambig.* 17
lib. 3. *tit.* 2. *num.* 19. Solorzan. *de Iur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 45. Cyriac. *controv.* 292. *num.* 13. Altograd. Jun. *controv.* 83. *num.* 16. *tom.* 2.

Nec obliciantur verba illa, *amplioris favoris gratia proſequi volentes*, & quod aliàs, admiſſo ſenſu noſtro, dicta verba in ſecunda parte appoſita eſſent ſuperflua.

Quia

Quia dicta verba intentioni noſtræ in nihilo officiunt, ſed oportunè omnino appoſita fuerunt, quoniam cum in prima parte dicti Motus proprii jam pleniſſimè fuiſſet conſultum indemnitati Collegii, pro reintegratione ſcutorum 5500. per eum Sanctæ Sedi mutuatorum, cum omnibus clauſulis, & cautelis neceſſariis, certè nihil aliud oportunum erat pro validitate conventionis inter partes initæ, unde cùm Summus Pontifex, ultra prædicta, ex ſua mera liberalitate voluerit privilegia eiſdem Secretariis per ſuos anteceſſores conceſſa, confirmare, certè eos amplioris favoris gratia proſequutus fuit, cum dicta confirmatio nihil cum prima parte Motus proprii commune haberet.

Quòd verò ad objectum ſuperfluitatis; Ultra quod potiùs toleranda eſſet ſuperfluitas, quàm quod verba generalia, contra veriſimilem mentem diſponentis in grave ejus prejudicium retorqueantur, Mantica *de tacit. & ambig. lib.* 4. *tit.* 2. *num.* 10. D. Altograd. Jun. *in ſua controv.* 83. *num.* 49. *volum.* 2. illud ex ſubſequentibus verbis ejuſdem Conſtitutionis de medio tollitur; Pontifex enim ipſe reddit cauſam, quare ſimpliciter confirmando privilegia ab aliis Pontificibus conceſſa, eos amplioris favoris gratia proſequatur, quia ſcilicet, ſunt verba Motus proprii, privilegia eò firmiùs ſubſiſtant, quò ſæpiùs fuerint Apoſtolica auctoritate munita. 18

Quintum pariter argumentum eadem diſpoſitio Motus proprii, in dicto §. ad hæc, nobis ſuppeditat in præmiſſorum comprobationem, quia nempè, cum ibi expreſsè dicatur, quod ultra jam ſupra in prima parte deducta, volebat, & intendebat confirmare privilegia per anteceſſores ſuos eidem Collegio conceſſa, de natura confirmationis eſt addere quidem majus robur, & validitatem rebus confirmatis, ea autem, quæ in ipſis continentur, nullo modo extendere, ut per Bonden. *collect. leg.* 34. *n.* 97. Rot. *deciſ.* 530. *n.* 6. *& deciſ.* 395. *n.* 3. *par.* 15. ubi quod confirmatio, & declaratio nihil novi addunt, ſed ſolùm quod factum fuerat, oſtendunt. 19

Si autem veba illa *reſtitutis priùs &c.* juxtà ſenſum deciſionis accipi deberent, quis eſt, qui non videat, Motum proprium B. Pii in dicta ſecunda parte terminos ſimplicis confirmationis excedere, dum contra tenorem Brevis Innocentii Octavi, de quo ſpecialiter in ipſa confirmatione fit mentio, mandantis in caſu extinctionis, ſeu revocationis præfatorum officiorum, reſtitui dictis Secretariis ſcuta 62000. per eos effectivè Cameræ ſoluta, diſponeretur in caſu extinctionis ſolvi eiſdem Secretariis majorem ſummam ultrà illam per Cameram verè receptam.

Dato igitur, licèt non conceſſo, verba præfatæ particulæ aliquo modo dubia eſſe, illud certum eſt, quod ſi ſumatur interpretatio illa, quæ favet Cameræ, & quæ eſt juxtà propriam verborum ſignificationem, ea eſt omninò conformis qualitati, & naturæ confirmationis ſupra expreſſæ, ſi autem alius ſenſus à parte prætenſus recipitur, non poteſt in dubium revocari illum eſſe prorsùs incompatibilem cum confirmatione, dum extendit talem reſtitutionem, ultra ſummam in Brevibus confirmatis contentam, & ſic expreſsè innovat, & revocat anteceſſorum Conſtitutiones, & ſic illam Innocentii Octavi, de qua tamen, ad effectum confirmandi, exppreſsè fit mentio in ipſo Motu Piano: In hac autem ambiguitate, quatenus adeſſet, quod non admittitur, verba juxta naturam ipſius diſpoſitionis, in qua fuerunt prolata, intelligenda forent, Cyriac. *controverſ.* 292. *num.* 13. Salgad. *de reg. protect. par.* 4. *cap.* 9. *num.* 126. benè Caſtill. *quotid. controv. de coniect. de interpret. ultim. volunt. lib.* 4. *cap.* 41. *num.* 47. & ſic eo modo, quod ſe compati poſſent cum confirmationis natura, & ſic juſtam cauſam in 20 21 22 proœmio adductam benè Altograd. Jun. *dicta contròv.* 83. *num.* 24. *tom.* 2. Valenzuel. *conſ.* 119. *num.* 70. *volum.* 2. ubi ait id procedere, etiamſi verba diſpoſitionis eſſent generalia.

Sexto loco hæc interpretatio, ac intelligentia ſumenda eſſet ex eo, quia hoc modo verba intelliguntur juxtà Juris Communis diſpoſitionem, quod in ambiguis faciendum eſſe, dixit Rota *deciſ.* 90. *num.* 14. *par.* 16. & quod Conſtitutio, ſeu Privilegium ita interpretandum ſit, ut lædat jus commune minus, quàm ſit poſſibile, dixit Caſtill. *deciſ.* 193. *num.* 36. *tom.* 2. 23 24

Quod verò Jure communi attento reſtitui non debeat in caſu ſuppreſſionis ſimilium Jurium vitalitiorum à Principe conceſſorum, niſi pecunia verè per Cameram accepta, admittere videtur ipſa deciſio, dum reſpondendo obſervantiæ, quæ in aliis caſibus id faciendi demonſtrabatur, dicit in præſenti adeſſe pactum clarum, & expreſſum, & ideò dictos caſus non applicari, ſed ne tacitè ex præfata deciſione deducere videar, quod expreſsè comprobari poteſt, dico, quod quidquid ſit, an Princeps, quando ex cauſa publicum bonum reſpiciente revocat ſimiles conceſſiones, teneatur aliquid refundere, in quo articulo, negativam tenet Afflict. *de feud. lib.* 3. *de Capit. qui Cur. vend. an intellig.* §. *ſimiliter poteſt nu.* 11. *fol.* 273. *tom.*... Capyc. Galeot. *reſponſ. fiſcal.* 23. *num.* 75. cum aliis, qui cumulari poſſent, illud communiter receptum videtur, ut ſufficiat per Principem refundi pretium ab ipſo acceptum, ut per Capyc. Galeot. *dicto reſponſ. fiſcal.* 23. *num.* 73. & admittit expreſsè Fagnan. *in cap. ex epiſtolæ num.* 10. 11. 12. *de probat.* & per quatuor vices in Regia Camera Summaria Neapolis fuiſſe deciſum teſtatur Reverter. *in ſua deciſ.* 425. & illam refert Rocc. *in ſuo tract. de offic. eorumque regim. tit. de tract. pro extraction.* §. 7. *num.* 22. 23. contra quam tamen Rocc. aliquid dicit, demonſtrando talem reſtitutionem fuiſſe fundatam ſuper pacto appoſito in eadem conceſſione, licèt in diverſo caſu, quia ſupra *num.* 18. 20. & 21. firmaverat, poſſe abſque aliqua ſolutione tales conceſſiones revocari ex cauſa publicum bonum reſpiciente, penè Vermigliol. *conſ.* 439. *per tot. & præcipuè num.* 3. ibi *reſtituto pretio aliàs percepto*, facit Belug. *in Specul. Princip. tit. de privat. offic. per Principem faciend. Rubric.* 26. *num.* 6. 25 26

Septimo urget pro hac parte ſolitum, & conſuetum in extinctione aliorum officiorum vitalitiorum, in quibus Camera non niſi pretium per ipſam habitum reſtituit.

Et licèt in deciſione reſpondeatur, non poſse ex præfatis caſibus ſumi obſervantiam declarativam, ex eo quia hic habeamus ſpeciale pactum in caſu extinctionis, & ſuppreſſionis.

Attamen adhuc argumentum viget, quia cum verba pacti ad minùs ſint ambigua, ea juxtà obſervatum in aliis caſibus, ſolitum, & conſuetum ſunt interpretanda, ut ex Soccin. Jun. & Sim. de Pret. dixit Caſtill. *deciſ.* 59. *num.* 8. *verſ. item ex conſuetis lib.* 1. & melius *deciſ.* 51. *num.* 23. *eodem lib.* 1. 27

Octavo plurimùm facit, quod ſi capienda eſset interpetatio ad favorem DD. olim Secretariorum, & Pontifex ipſe, ejuſque Camera, & Ærarium ingens damnum reciperet, dùm cogeretur exburſare notabilem ſummam pecuniarum, quam ipſa non recepit, ille autem ſenſus, & ea intelligentia recipienda videtur, per quam promittens minùs, quàm poſſibile ſit remaneat gravatus, ut pluribus juribus in id cumulatis probat D. Altograd. Jun. *dicta controv.* 83. *num.* 44. 45. facit Rot. *deciſ.* 297. *num.* 7. *par.* 15. 28

Nono conſiderandum eſt, quod cum in limine fundationis hujuſmodi Collegii expreſsè cautum fuerit, quod, in caſu extinctionis ejuſdem, deberent ſolvi tantummodò pecuniæ per Cameram receptæ, ſi dicere volumus Conſtitutionem Pianam contrarium diſponere, certè illud ſupra plus, quod Camera exburſaret, ultrà verè acceptum, eſset alienatio, & per conſequens donatio, maximè ſi reciperetur interpretatio, quæ ex adverſo datur, quod in dicta particula comprehendantur quicumque Secretarii, ultra illos tunc temporis officia obtinentes, erga quos alios futuros Secretarios nulla nec quidem gratitudinis cauſa concurrebat, quę donatio ultrà quod dubio non præſumitur, & omnis eſt ſumenda interpretatio, ut ex ea excludatur Andreol. *controv.* 4. *nu.* 15. ubi concordantes allegat; Adhuc ſi Pontifex eam facere intellexiſset, utique derogaſset Conſtitutionibus de his materiis loquentibus, & quibus derogari ſolet, quando de Juribus Cameræ ſit alienatio, quod cum non fecerit, & tales clauſulæ in noſtro Motu proprio non legantur, indè earum omiſſione reſultat Pontificem non intellexiſſe de Juribus Cameræ alienare, vel ei præjudicium inferre, ut ſimilibus, Rota *deciſ.* 25. *num.* 20. *par.* 10. 29 30

Decimo loco mens veriſimilis Pontificis concedentis, juxtà ſenſum Cameralium, depromi videtur ex eo, quod inveriſimile omninò ſit Pontificem, tam ſingularibus animi dotibus ornatum; proùt fuit B. Pius Quintus, id in mente habuiſse, ut in caſu ſuppreſſionis, Camera teneri poſset ad exburſandum duplum, & triplum ejus, quod verè receperat, verba autem licet generalia cujuſcumq; diſpoſitionis, ita intelligenda ſunt, ut ex eis non ſequatur inconveniens, neque notabilis læſio, ut per Caſtill. *tom.* 4. *cap.* 41. *num.* 62. 63. 64. Altograd. Jun. *controv.* 83. *num.* 31. *tom.* 2. & præcipuè ut jus ipſius concedentis notabile detrimen- 31

mentum non recipiat, ut post Rimin. Jun. *conſ.* 268. *num.*
32 28. *vol.* 4. dicit Caſtill. *dict. cap.* 41. *num.* 65. Et magis ad rem, quod quando unum verbum poteſt habere plures ſignificatus nunquam debeat in eo ſenſu, nec referri ad id, quod
33 ſit contra veriſimilem voluntatem diſponentis, poſt Gratian. *conſ.* 17. *num.* 50. *volum.* 1. & alios latè firmat Paſſerin. *problem. leg.* 5. *num.* 42.

Undecimo loco ad hunc pariter effectum non eſt ſpernenda proprietas, & vera, propriaque ſignificatio illius verbi *reſtituere*, de qua ſupra jam fuit ſermo habitus, & juxta
34 quam loquentis mentem ſemper eſſe intelligendam, niſi in contrarium manifeſtè appareat, probat *Textus expreſſus in l. non aliter ff. de leg.* 3. cum aliis apud Bonden. *collect. leg.* 34. *num.* 87.

Duodecimo, quia etiamſi admitteretur verba, de quibus agitur, eſſe aliquo modo dubia, & ambigua, adhuc recipienda eſſent in eo ſenſu, qui cum certo, vel minus dubio, aut veriſimiliore cæterorum verborum ejuſdem diſpoſitionis ſenſu cohæreat, ut poſt plures firmat Paſſerin. *in problem. leg.* 1. *num.* 62. At ſi interpretatio juxta proprietatem verborum recipitur, certum eſt quod cohæret, & ſe conformat cum natura ipſius diſpoſitionis, in hac parte antiquorum privilegiorum confirmatoriæ; ſi verò ſenſus ex adverſo adductus admittitur, nedùm hæc pars repugnat naturæ confirmationis, ſed expreſsè corrigit, & innovat præcedentes Conſtitutiones, quas B. Pius velle confirmare ſe declarat, ut ſupra fuit dictum.

Ultimo tandem, quia verba ambigua conceſſionis ſemper
35 ad favorem concedentis veniunt interpretanda, Caren. *reſol.* 197. *num.* 8. Altograd. Jun. *controv.* 83. *num.* 44. *tom.* 2. & in puncto ad favorem Cameræ, & ſiſci D. Spad. *conſ.* 9. *num.* 11. 13. *volum.* 1. prout etiam in dubio ea eſſet ſumenda interpretatio, per quam Conſtitutioni antecedenti Innocentii Octavi non cenſeatur, vel minus, quàm poſſibile
36 ſit derogatum, D. Spad. *conſ.* 21. *num.* 11. *lib.* 1.

Ex quibus conſtare videtur nedùm verba, ſed etiam veriſimilem mentem Pontificis concedentis aſſiſtere intentioni Cameræ.

Quibus non obſtat, ſi iterum opponeretur de ſuperfluitate præfati Motus proprii in ea parte, in qua demandatur reſtitutio pecuniarum Secretariis in caſu ſuppreſſionis Collegii.

Quia ultra duas reſponſiones ſupra traditas huic objecto, quarum prima fuit, quod potiùs tolerari deberet ſuperfluitas verborum, quàm quod ex illis magnum damnum proferenti, contra ejus intentionem, reſultet; Secunda autem, quod cùm Papa dicat ſe confirmare, quia quæ ſæpiùs auctoritate Apoſtolica roborata ſunt, firmius ſubſiſtant, ſuperfluitas per conſequens conſiderari non poteſt.

Addo nunc tertiam, quod nempè aſſerta ſuperfluitas omninò ceſſat, tum quia Pontifex dicit confirmare privilegia omnia eiſdem per ſuos anteceſſores conceſſa, etiam ſi uſu recepta non eſſent, tum quia recepto etiam ſenſu per nos allato, verba dici non poſſunt ſuperflua, dum in Brevi Innocentii Octavi demandatur reſtituio in caſu ſuppreſſionis ſolum ſcutorum 62000. quæ expreſſio cum dubitari poſſet, an ſtaret taxativè, itaut ſignificaret ſolùm dicta ſcuta 62000. fuiſſe per Cameram recepta, oportuna ſanè fuit ſubſequens declaratio in Motu Piano contenta, in quo dicitur Cameram in caſu ſuppreſſionis teneri ad reſtitutionem totius, ac integræ pecuniæ per ipſam receptæ, & quidem abſque aliqua diminutione, ex quibus ceſſat prorſus objec-
37 ta ſuperfluitas, ut per D. Altograd. & congeſtos ab eo *dict. controv.* 83. *num.* 48.

Neque minus ad effugiendam vim præfatorum argumentorum adduci merentur illa verba dictæ particulæ *emiſſe*, *vel habuiſſe conſtiterit*, quaſi quod illud verbum *habuiſſe* referatur ad alios, præterquam ad Cameram, quia cùm duo ex præfatis officiis de tempore Motus proprii non fuiſſent vendita per Cameram, ſed data inſolutum, oportunè fuit adhibitus talis modus loquendi, quia quamvis datio inſolutum fraternizet cum emptione, & venditione, tamen in multis etiam differt, & ſecundum aliquorum ſententiam ap-
38 pellatione emptionis non venit, ut per Decian. *conſ.* 18. *n.* 3. cum pluribus aliis adductis per Merlin. *deciſ. Rotæ noſtræ Luc.* 23. *num.* 36.

Si autem vis ex adverſo fieret ſuper verbo illo *emiſſe*, quaſi quod illud referatur ad emptionem factam à poſſeſſoribus, hoc eſſet ſupponere id, de quo diſputatur, & quod ex ſupradictis videtur omninò concludendum, ut dicta verba ad Cameram penitus referri debeant, & tamen ad abundantem ſubjungitur, quod licet hujuſmodi Jura vitalitia de uno in alium per reſignationem tranſeant, dicuntur tamen ſemper eadem, quæ à Papa, ſeu Camera primo loco conceſſa fuerunt, ut latè probat Salgad. *in labyr. cred. par.* 4. 39
cap. 8. *num.* 14. *& ſeq.*

Neque ex eo, quod Pontifex aſſenſum, & beneplacitum det hujuſmodi reſignationibus poteſt indè deduci, quod ſibi præjudicaverit; Quia indubitatum eſt Datariam de pretio hujuſmodi tranſlationum, occaſione conſenſus præſtandi, nullam habere notitiam, ultra quod de Jure indubitatum eſt per talem aſſenſum in nihilo intelligi poſſe prejudicatum juribus ipſius Principis aſſentientis, Carleval. *de* 40
Judic. tom. 2. *lib.* 1. *tit.* 3. *diſput.* 23. *num.* 42. Venturin. *conſ.* 37. *num.* 127. Boſcol. *in ſua controv. poſt lib.* 1. D. de Luc. *de feud. art.* 3. *num.* 95.

Hæc ſunt, quæ meo judicio videntur ponere rem prorſus in claris ad favorem Rev. Cameræ Apoſtolicæ, & nihilominus licet omninò ad abundantem ſubjungo, quod etiamſi verba Motus proprii accipienda eſſent juxtà ſenſum in deciſione expreſſum; Adhuc talis reſtituio pretii exburſati per Secretarios non verificaretur, niſi in illis, ſex Secretariis exiſtentibus de tempore Motus proprii, & qui ſupervixiſſent de tempore ſuppreſſionis, non autem militare poſſent ad favore aliorum, qui ex ipſis non ſunt, & hoc quidem ex pluribus, &

Primò, quia cauſa hujus privilegii (à qua debet ejus vis deſumi, & natura dignoſci ad *Text. in l. in omnibus* 69. *ff. de* 41
reg. iur. cum aliis per Rot. *in Caſenat. ſeu Sarſin. Laudemiorum* 19. *Junii* 1656. *coram R. P. D. Albergato* §. *& primò quidem*, Bonden. *collect. leg.* 35. *num.* 3.) non alia certè fuit, ut in principio ipſius Motus proprii exprimitur, quàm gratitudo erga Secretarios tunc temporis viventes, qui ſummam ſcutorum 5500. Summo Pontifici gratis mutuati fuerunt, eam fortè accipiendo ad cenſum, & ſub cambiis, juxtà facultatem ipſis in dicto Motu proprio tributam, & ſic ſe ipſos gravando ad ſatisfaciendum de redditibus officii cujuſlibet eorum ad proprios uſus deſtinatis fructus, & cambia, donec per vacationem, & venditionem primi Officii Secretariatus tale debitum extingueretur.

Cùm igitur hæc cauſa gratitudinis, quę præfato motui originem dedit non verificetur, nec verificari valeat, niſi in perſonis illorum Secretariorum, qui tunc temporis indigentiis Cameræ Apoſtolicæ ſubvenerunt, tale privilegium per conſequens, tamquam ob benemerita conceſſum, cenſeri debet perſonale, ut multarum legum inductione, ac DD. auctoritate probat Arias de Meſ. *var. reſol. lib.* 2. *cap.* 27. 42
num. 3. 4. ubi dicit id procedere, etiam ſi conceſſio eſſet de ſui natura realis, quia ſi fuit facta contemplatione certæ perſonæ, & ob benemerita, cenſeri debet perſonalis, confirmat eo non citato Venturin. *conſ.* 24. *n.* 134. & nemine 43
ex eis adducto Capic. Galeott. *controv. forenſ. cap.* 51. *num.* 9. *lib.* 2.

Nec novum in jure eſt, quod mutata perſona, ac per perſonæ mutationem, & variationem, varietur, & alteretur privilegium, ut poſt Boer. Avendan. & alios ſcripſit Salgad. 44
de reg. protect. part. 3. *cap.* 10. *num.* 293. maximè quando, vel qualitas, vel meritum perſonæ eſt cauſa immediata privilegii, ut ex Bald. dixit Menoch. *conſ.* 704. *num.* 18. & 45
dixerat antea *conſ.* 443. dixit *num.* 36. & de privilegio per- 46
ſonali, quod extinguatur mutata perſona, dixit Rot. *deciſ.* 76. *num.* 14. *par.* 15.

Secundo loco id efficaciter comprobatur ex Mente B. Pii concedentis, cùm de jure indubitatum ſit in privilegiis primariam interpretationem ſumi à mente concedentis, ut ex *Text. in cap. de his de verb. ſignif.* Suarez, Caſtro Pal. Acac. 47
de privil. probat. Caren. *reſol.* 59. *num.* 60. Intentio autem B. Pii nullo modo concurrere, neque adduci poſſe videtur pro extenſione hujus privilegii ad Secretarios futuros, & poſt decurſum ſæculi hujuſmodi officia habituros, circa quod ulterius non inſiſto, cùm in fortioribus ſupra demonſtraverim excludi omninò veriſimilem mentem Pontificis, circa quantitatem pecuniæ reſtituendam, ultrà verè per Cameram receptam, etiam reſpectu Secretariorum tunc exiſtentium, ut ex rationibus, & fundamentis ibidem adductis, ad quæ nunc ſufficiat remiſſio, ſolum addo, quod ſi reſpectu Officialium tunc viventium aliqua conſiderari poterat cauſa eos gratificandi, ex motivis ſupra deductis, certè reſpectu ſucceſſorum in officio, nullum ſuberat motivum eis ita latè favendi cum tam gravi præjudicio Cameræ Apoſtolicæ,

ut

ut ſcilicet ea teneretur reſtituere, quod non receperat, & ſic ſi etiam eos hæc pars Motus proprii comprehenderet, quis non videt, quod læſionem Cameræ contineret, neque aliquam illorum reſpectu rationabilem cauſam haberet, unde ſi verba cujuſcumque privilegii ſunt ſecundùm
48 æquitatem intelligenda etiam ſi aliter ſonarent, ut per Rot. *deciſ.* 400. *num.* 34. *par.* 9. *& deciſ.* 165. *num.* 16. *par.* 16. ea certè in caſu noſtro ſumenda eſt interpretatio, per quam dicta reſtitutio ultra pretium perceptum per Cameram dirigatur ſolùm ad Secretarios de tempore Motus proprii actualiter exiſtentes, ac de tempore ſuppreſſionis Collegii ſuperviventes, quorum reſpectu aliqua ſaltem gratitudinis cauſa concurrebat, non verò extendi ad alios futuros Secretarios omninò incertos, & incognitos, & in quibus nullum neque gratitudinis, neque meritorum motivum verificari poterat.

Confert ad idem, quod cum reſpectum Cameræ hæc reſtitutio, ultrà habitum per eam, & mera donatio, vel pro ejus excluſione reſolvendum eſt, vel ſaltem ut reſtringatur minus, quàm ſit poſſibile, juxtà vulgatas Juris regulas, undè quando pro totali excluſione donationis concludendum non eſſet, prout ego in rei veritate reſolvendum cenſerem; Adhuc ſaltem hujuſmodi prætenſa donatio reſtringenda videtur ad Secretarios de tempore Motus proprii exiſtentes, non autem ad eorum ſucceſſores extendi.

Tertio loco plurimum urgere videntur ipſa verba Motus proprii in hac parte, & ſignanter ſpeciali animadverſione digna mihi videntur illa verba, *ſingulis Secretariis, tunc viventibus*, cum enim in quacumque diſpoſitione verbum quodlibet ſuperfluò appoſitum cenſeri non debeat, ſed ali-
49 quid operati, Surd. *conſ.* 94. *num.* 19. Gratian. *diſceptat. for. cap.* 383. *num.* 8. Altograd. Sen. *conſ.* 100. *num.* 39. *vol.* 2. & omnis interpretatio poſſibilis ſit ſumenda potiùs, quàm admittenda ſuperfluitas, niſi in eo caſu, in quo aliquod abſurdum emergeret, ut ſupra tetigi, quibus addo Actolin. *reſol.*
50 74. *num.* 27. Cyriac. *contr.* 622. *num.* 17. *par.* 4. Bonden. *collect. leg.* 34. *num.* 84. 85. Clarum videtur, dicta verba aliud operari non poſſe, quàm denotare reſtitutionem dictis modo, & forma faciendam eſſe Secretariis exiſtentibus in officio de tempore Motus proprii, & de tempore ſuppreſſionis viventibus, aliàs enim ſit talis reſtitutio omnes, & quoſcumque Secretarios comprehenderet, ſuperflua omninò fuiſſet adiectio illorum verborum *ſingulis Secretariis tunc viventibus*, quia certum erat, mortuos dici non poſſe ampliùs Secretarios, neque ipſis aliquam reſtitutionem debitam fuiſſe, nec minus eorum hæredibus, cùm agatur de juribus vitalitiis, quæ cum perſona extinguuntur, unde ne dicta expreſſio remaneat otioſa, concludendum eſt ex præfatis verbis deduci reſtitutionem totius, & integræ pecuniæ, ac pretii, pro quo eos emiſſe, vel habuiſſe officia conſtiterit, directam non fuiſſe, niſi ad illos ex Secretariis Collegium conſtituentibus de tempore Motus proprii, qui viuerent, quando ſequeretur ſuppreſſio, quod etiam confirmatur ex verbo illo *ſingulis*, quod quodammodo videtur appoſitum contradiſtinctè à dictione illa *omnibus*, quo uſus fuiſſet Summus Pontifex, ſi indiſtinctè quibuſcumque Secretariis, actualiter de tempore ſuppreſſionis exiſtentibus, talis reſtitutio eo modo, & forma, prout in deciſione ſupponitur, facienda eſſet.

Ex quibus ſive attendatur mens Pontificis concedentis, ſive cauſa, & motivum diſpoſitionis, ſive inſpiciantur perſonæ, in quas conceſſio directa eſt, quæ tria eſſe animadvertenda monet Rot. *deciſ.* 339. *num.* 10. *par.* 17. omnia 51
ſuadent particulam Motus proprii in clauſula, de qua agitur, referri non poſſe, niſi ad Secretarios ſuperviventes de tempore ſuppreſſionis, ex illis tamen actualiter de tempore Motus proprii officia obtinentibus.

Hæc tamen omnia ex abundanti dicta ſint, non quia optimè de jure non procedant, ſed quia omninò ſuperflua exiſtimo, cum juxta ſupra in principio deducta verba Motus proprii, verificari non poſſint, niſi in pretio effectivè per Cameram recepto.

Ex quibus in ſenſu veritatis cenſeo recedendum à deciſis, ſalvo tamen ſemper omni &c.

Hieronymus Palma.

II. Reſponſum D. Joannis Torre J. C. Lucenſis.

SVMMARIVM.

1 *Duæ negativæ faciunt unam affirmativam.*
2 *Res regulariter redimi debet pro eo pretio, pro quo fuit vendita.*
3 *Verba ubi ſunt clara, non eſt opus recurrere ad interpretationem, & ſubauditos intellectus.*
4 *Verbum reſtituere ſignificat retrodare id, quod per prius fuit acceptum.*
5 *Verborum ſenſus dicitur ambiguus, quando duplicem habet ſignificationem, & multipliciter intelligi poteſt.*
6 *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur.*
7 *Actus non ab ordinante, ſed ab exequente, dicitur factus.*
8 *Privilegia ita interpretantur, ut reducantur ad iuris communis intelligentiam.*
9 *Officia vitalitia ſolent redimi pro eodem pretio, pro quo à Principe fuerunt vendita.*
10 *Res inter alios acta aliis non nocet.*
11 *Alteri per alterum conditio deterior fieri non poteſt.*
12 *Conſenſus ad unum effectum adhibitus, in aliis præiudicium non infert.*
13 *Donatio non præſumitur, ſed potiùs error.*
14 *Pontifex, non eſt præſumendum, quod voluerit reſcribere contra Cameram.*
15 *Lex generalis, & fundamentalis qualificat omnes alias ex poſt ſuper eadem materia editas.*
16 *Confirmatio nihil de novo tribuit, nec precedenter diſpoſita extendit.*
17 *Clauſula iiſdem modo, & forma, importat ſimplicem confirmationem.*
18 *Verba dubia Bullæ, & Conſtitutionis ab obſervantia recipiunt declarationem.*
19 *Etiam ſi contrarius intellectus eſſet de iure verior.*
20 *Dictio huiuſmodi æquiparatione importat.*
21 *Æquiparatorum idem debet eſſe iudicium.*
22 *Diſpoſitio reſtricta ad certas perſonas illa non egreditur.*
23 *Privilegia dicuntur privatæ leges.*
24 *Ideò privilegiatas ſolùm non aliis proſunt.*
25 *Privilegium extinguitur mutata perſona.*
26 *Privilegium ſemper eſt perſonale, quando perſona eſt cauſa proxima conceſſionis.*
27 *Privilegium, prout quælibet alia diſpoſitio, declaratur à ſua cauſa.*
28 *Diſpoſitio quælibet recipit declarationem à ſubiecta materia.*
29 *Officium vitalitium, quando reſignatur, in reſignante cenſetur novum.*
30 *Acceſſorium ſequi debet naturam ſui principalis.*
31 *Dictio tunc extremitatem temporis denotat.*
32 *Deficiente materia deficit materiatum, & num.* 33.
34 *Dictio tunc reſtringit diſpoſitionem ad caſum expreſſum.*
35 *Nullum verbum nec minima ſyllaba debet ſtare otioſa.*

SUppreſſit Sanctiſſimus, juſtis de cauſis animum ſuum moventibus, officia Secretariatus Apoſtolici per olim Pontifices Caliſtum Tertium, & Pium Secundum erecta in num. 6. & per Innocentium Octavum poſtea ampliata ad 24. mandavitque, ut Dominis Secretariis tunc officia poſſidentibus, perſolveretur totum id, quod ipſi, vel eorum antecеſſores, ſolverunt Datariæ, vel ejus Officialibus, tam ratione pretii, quàm occaſione expeditionum.

Præterea, delegavit Illuſtriſſ. Theſaurario articulum, de voto Rotæ omnibus DD. Suffragium dantibus, deciendum; an ultra dictum pretium, ſupra exburſatum, aliquid dictis ol. Secretariis veniret reſtituendum, ſive perſolvendum.

In cujus executionem, propoſito in Rota articulo prædicto; placuit huic Sacro Auditorio reſcribere favore dd. Dom. Secretariorum *eſſe reſtituendum pretium illud, quod quilibet ex Secretariis erogavit in emptionem ſui officii, ut ex deciſ.* 16. 16. Junii præſentis anni coram Reverendiſſimo Decano.

Non acquieſcens huic reſolutioni Camera Apoſtolica, novam impetravit audientiam; & hoc interim, fuit mihi

(licet

(licet inter juris consultos minimo) injunctum, ut pro veritate aperiam sensum meum in hujusmodi quæstione.

Ut igitur tanto muneri mihi impartito satisfacerem, omni, qua potui sedulitate, & diligentia decisionem Rotæ præfatam, Bullasque Pontificias in ipsis enunciatas perlegi, ex quibus, licet prima fronte animus inclinaret favore dd. DD. Secretariorum pro decisionis confirmatione; Attamen radicitus verbis Literarum Apostolicarum enucleatis, adhæsi contrariæ sententiæ; Quod DD. Secretarii præfati nil ultra pretium eis respectivè, ut supra exbursatum, prætendere possint à Camera Apostolica, & sic quod à decisis sit recedendum.

Et moveor quia, dum in erectione, ac ampliatione Collegii dd. Secretariorum, Summi Pontifices reservaverint sibi ipsis facultatem supprimendi, & extinguendi dicta Officia, & Collegium Secretariorum, eaque sibi restituendi soluto pretio; ut colligitur ex Bulla Innocentii Octavi, in qua in casu revocationis, aut alterationis ejusdem Collegii, promittitur restitutio summæ solutæ per eosdem Secretarios; ibi, *si vero erit facta officii revocatio, aut alteratio ad restituendum eis supradictam integram summam* 62400. *ducatorum* & clarius in Motu proprio Beati Pii Quinti in illis verbis *Collegium ipsum supprimi, vel extingui non posse, nisi restitutis prius realiter &c. pecuniis, pro quibus eos Officia emisse, aut habuisse constiterit;* ex hac enim dictione *nisi* proposita negatione, resultat contrarium ejus, quod supra negatum fuit; perindè ac si expresè fuisset reservatum jus supprimendi, & extinguendi idem Collegium, Menoch. *cons.* 356. *num.* 9. Bellon. Jun. *cons.* 1. *n.* 105. 106. Rot. coram Amat. Dunozet. *dec.* 748 *num.* 45. *cum similibus in dec.* 760. *n.* 10. & 288. *num.* 8. *par.* 14. *rec.* 1

Talis redemptio, & reductio Officiorum fieri debebat pro eodemmet pretio, pro quo Camera illa respectivè venditerat Secretariis, videlicet pro pretio de tempore contractus venditionis à Camera, vel ejus Officialibus recepto; Nedùm quia, ita de jure præsumitur, quando à partibus non est facta mentio quantitatis pretii; pro quo res vendita sit redimenda, ut cum multis insinuat Bellon. Jun. *cons.* 767. *num.* 31. Mantic. *de tacit. & ambig. convent. lib.* 4. & *tit.* 31. *num.* 21. ubi quod hoc videtur verisimiliter à contrahentibus cogitatum, & actum, ideò pro expresso habendum est, & allegato Casanatt. *cons.* 7. *num.* 3. & aliis ita tenet Fontanell. *dec.* 74. *num.* 45. *lib. primo*, & in terminis nostris ponderat Fagnan. *in c. ex epistolæ n.* 11. & *seqq. de restit. spoliat.* Sed etiam quia præfatus Pontifex Innocentius Octavus id expressit in Bulla ampliationis dicti Collegii, de qua supra, voluit enim quod in casu revocationis dicti Collegii restituerentur dd. Officialibus scuta auri de Camera 62400. per eos soluta in erectione Collegii præfati, ibi, *Si vero erit facta officii revocatio, aut alteratio, ut præmittitur ad restituendum eis supradictam integram summam* 62400. *ducatorum auri de Camera per ipsos solutorum.* 2

Ex quo cùm desumatur initam fuisse potius conventionem de reddendo rem venditam pro eodem pretio, quàm pactum de retrovendendo, talem conventionem fuisse validam, & omninò servandam non dubitatur; nam fuit approbata de jure divino, ut in Leviti. cap. 25. in illis verbis; *Cuncta Regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur*; De jure Canonum, ut desumitur *ex tex. in cap. ad nostram* 5. *de empt. & vendit. de iure civili in l.* 2. *C. de pact. inter emptor. & vendit.* ubi plenissimè scribentes, & plenè Tiraquell. *de retract. convent. in præfat. n.* 3. 4 Cald. *de empt. & vend. cap.* 4. *num.* 14. Mantic. *de tacit. & ambig. convent. lib.* 4. *tit.* 31. *num.* 7. Castill. *lib.* 2. *quotid. contr. cap.* 25. *n.* 30. & *seq.* Gonzal. *Telleſi ad decretal. in comment. d. cap. ad nostram de empt. & vend. n.* 3. Hermosill. ad Lopez. *l.* 42. *tit.* 5. *part.* 5. *gloss.* 1. *num.* 5. ubi benè notat ad propositum, quod quidquid sit in pacto de retrovendendo; in hac conventione nullum oritur dubium, quin debeat restitui pretium, de tempore contractus, non de tempore redemptionis; Proindè non poterat dubitari, quod summa per Cameram recepta esset restituenda, non alias, tàm de jure, quàm vigore Bullæ dictæ erectionis.

Justè igitur Sanctissimus suo infallibili sancivit diplomate, ut in moderna suppressione restituerentur singulis Secretariis summæ per eos, vel eorum respectivè antecessores, Cameræ Apostolicæ, vel eorum Officialibus solutæ, & inanis est prætensio, quod majus pretium restituatur.

Opponitur in decisione, quæ revidetur, contrarium resultare ex verbis expressis dicti Motus propii B. Pii Quinti, dùm loquendo de privilegiis aliàs concessis dd. Dominis Secretariis ait, *volentes, & statuentes illa nullo umquam tempore per nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, revocari, reduci, alterari, aut moderari, seu Collegium ipsum supprimi, vel extingui non posse, nisi restitutis priùs realiter, & cum effectu singulis Secretariis tunc viventibus integrè, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos Officia emisse, aut habuisse constiterit*: ex iis enim censuerunt DD. resultare expressam voluntatem d. B. Pontificis, quod in casu suppressionis, & extinctionis dicti Collegii deberet restitui singulis Secretariis pretium ab ipsis solutum pro Officio obtinendo; propterea ad eorum favorem militare specialem, & expressam Constitutionem Papalem, ex quo superfluum sit recurrere ad interpretationes, & subauditum intellectum *iuxta tex. in l. ille aut ille, §. cum in verbis ff. de leg.* 3. *l. non aliter ff. eod. cum similibus.* 3

Verùm hujusmodi objecto, quod est decisionis Achilles, pluribus mediis satisfieri posse credidi, &

Primò ostendendo, quod litteralis intellectus dictorum verborum potius favet Reverendæ Cameræ, quàm ei noceat.

Secundò quod mentio, & intentio B. Pontificis suadeat DD. Secretariis non fuisse promissum, nisi pretium Camerę exbursatum.

Tertiò quod pro interpretatione favore Cameræ asistat observantia, tàm dicti B. Pontificis, quàm aliorum Principum.

Quartò (quod apud me videtur incontrovertibile) quod quatenùs suprà narrata verba essent referrenda ad pretium, à quolibet ex Secretariis exbursatum pro obtinendo officio Secretariatus, ea dispositio esset restringenda ad Secretarios dumtaxat viventes tempore concessionis dictorum privilegiorum, non verò ad Officiales in Secretariatibus successores.

Redeundo ad primum, dicta verba *restitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis tunc viventibus, integrè, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos Officia emisse, aut habuisse constiterit*, aliter interpretari non possunt, juxtà sensum litteralem, nisi quod Camera debeat exbursare Secretariis, in casu suppressionis, eandem Summam, quam ipsa in actu venditionis percepit: est enim indubitatũ quod vebum *restituere* significat retrodare, quod priùs fuit acceptum *ad text. in l. restituere* 35. & 75. *ff. de verb. signific. l.* 1. *§. elegante ff. depositi*, Alciat. *dicta l. restituere* 75. *num.* 3. Cagnol. *l.* 2. *num.* 17. 18. *C. de pact. inter empt. & vendit.* Surd. *cons.* 94. *num.* 23. 24. Altogr. Sen. *cons.* 84. *n.* 6. *lib.* 1. benè Tomat. *decis.* 50. *num.* 501. *ubi quod propria significatio verbi restituere est dare quod accepimus; & concordat* Rot. coram Dunozet. Jun. *decis.* 7. *num.* 12. coram Gregor. *decis.* 271. *num.* 3. coram Cavaler. *decis.* 591. *num.* 5. & *in recent. decis.* 314. *num.* 2. 3. *par.* 14. *dec.* 59. *num.* 1. *par.* 16. 4

Non resistit quod hujusmodi verbum restituere aliquando etiam accipiatur pro dare, & solvere, ut insinuat decisio quæ revidetur in §. *tamèn significat ad tex. in l. verbum reddendi ff. de verb. signific.* & aliis apud Arguell. *decis.* 77. *num.* 12. *ad* 15. quia verissima est consideratio Illustriss. Dom. mei de Luca in doctissimo discursu ultimo, favore Cameræ edito §. *verum in hoc solemniter*, & duobus sequentibus, hujusmodi interpretationem potius convenire verbo reddere, quàm restituere, in quibus terminis loquuntur *tex. allegati, & decis. coram Arguell.* & comprobatur etiam ex *Thesaur. linguæ latinæ tom.* 2. *litt. R.* verbo *reddere*, ubi quod reddere aliquando capitur pro dare.

Et quatenus ad utrumque sensum verbum restituere potuisset adaptari, quod negatur, nihilominus assumptum decisionis, quod nulla in dictis verbis ambiguitas cognoscatur, omninò detegeretur insubsistens, ambiguus enim & æquivocus, non clarus, & apertus dicitur verborum sensus, quando est duplicis significationis, ac multipliciter accipi potest, ut tenet Gallin. *de verb. signif. lib.* 3. *cap.* 13. *per tot.* & concordat Mantic. *de tacit. lib.* 1. *tit.* 15. *num.* 4. & *seq.* 5

Nec pro interpretanda voluntate B. Pontificis, favore DD. Secretariorum, circa verbum *restituere*, stringunt decisionis argumenta, & signanter quod idem Pontifex eodem verbo usus sit loquens de scutis 5500. auri restituendis à Secretariis Cardinali Mediceo, à quo nihil receperant; quia dum immediatè sequuntur verba *pro nobis, & nomine nostro*,

noſtro, detegitur quod Secretarii reſtituere debebant nomine Cameræ dictam ſummam, tamquam ejus Mandatarii, ſive Procuratores, & per conſequens potius ad Cameram debitricem ſummæ prius receptæ, quàm ad Secretarios ſolventes adaptatur dictum verbum *reſtituere*, ob regulam vulgatam, qui per alium facit per ſe facere videtur Barboſ. *axiom.* 92. & pervulgatum eſt, quod actus non ab exequente, ſed ab ordinante dicitur factus, *l. ſi hæres teſtamento ff. de act. empt.* Cravett. *conſ.* 144. *n.* 3. Surd. *conſ.* 391. *nu.* 38. Capon. *controv. forenſ.* 9. *num.* 7. ex quo patet, quod hìc pariter hoc verbum reſtituere accipitur, juxta ejus propriam, & genuinam indolem pro retrodare.

Nec pariter reſiſtit alterum in eo fundatum, quod Pontifex ſciebat Officia eſſe venalia, & reſignabilia, & ſic pretium poſſe mutari, & nihilominus diſpoſuit, quod Collegium non extingueretur, niſi prius reſtitutis ſingulis Secretariis tunc viventibus integrè, & abſque ulla diminutione pecuniis &c.

Quia tantum abeſt hujuſmodi argumentum officere intentioni Cameræ, quod potius eidem adſiſtit, ſiquidem non obſtante tali ſcientia, noluit Cameram teneri, niſi ad ipſum pretium ſcutorum 5500. quod receperat, ibi *niſi prius reſtitutis eiſdem Secretariis, & Collegio per Cameram realiter, & cum effectu pecuniis præfatis*, & pari modo tenendum eſt in caſu noſtro, in quo viget eadem ratio, fortificatur aſſumptum ex conſimili diſpoſitione, de qua in Bulla Innocentii Octavi la 12. in ordine, in qua ſimiliter in caſu ſuppreſſionis demandatur reſtitutio integræ ſummæ, & declaratur eſſe eadem à Camera recepta, *ut in* §. 23. *ibi ſi verò erit facta Officii revocatio, aut alteratio &c. ad reſtituendum eis ſupradictam integram ſummam* 62400. *auri de Camera per ipſos ſolutorum &c.*

Ex quibus, & aliis oportuniſſimè relatis in diſcurſibus Illuſtriſſ. DD. de Luca, & Advocati Fiſcalis, qui ad comprobationem Jurium Cameræ contra deciſionem omnem lapidem moverunt, arbitror pleniſſimè fuiſſe ſatisfactum huic primo aſſumpto, quod verba Motus proprii, juxta eorum veram, & propriam ſignificationem, adaptari valeant ad pretium per Cameram receptum non verò ad pretium ab Officialibus ſolutum reſignantibus, ut ſupponitur in deciſione.

Quod verò veriſimilis mens B. Pontificis ſuadeat, quod in caſu ſuppreſſionis non deberet reſtitui à Camera, niſi pretium eidem exburſatum, mihi videtur evidentiſſimè deſumi poſſe.

Primò, quia privilegia interpretantur eo modo, ut reducantur ad juris communis intelligentiam, Caſanatt. *conſ.* 59. *num.* 19. 20. Gonzal. Tellez. *ad decret. in cap. cauſam de reſcript. num.* 6. *in fine deciſ.* 165. *num.* 13. *part.* 16. *recent.* ſed eſt conforme diſpoſitioni juris communis, ut ſimilia Officia redimantur pro eodem pretio, pro quo à Camera vendita fuerunt, ex latè cumulatis per Fagnan. *d. cap. ex Epiſtola num.* 11. *& ſeq. de reſtit. ſpoliator.* Galeott. *reſponſ. fiſcal.* 23. *num.* 73. Vermigliol. *conſ.* 434. *per tot. & præcipuè numer.* 3. Bellig. *in ſpecul. Princip. tit. de privat. off. per Principem faciendis rub.* 26. *num.* 6. *merito &c.*

Secundò, quia pretium Officiorum Secretariatus, in translatione de uno in alium omninò dependet à pactis, & conventionibus contrahentium, non verò à Pontifice, nam idem pretium taxatur abſque interventu Cameræ, vel ejus Miniſtrorum, unde non poteſt præſumi quod Pontifex voluerit, ut eidem Cameræ inferretur præjudicium facto alterius, contra regulam quod res inter alios acta aliis non nocet, Gratian. *diſcept.* 744. Barboſ. *axiom.* 199. *utrobique num.* 11. nec alteri per alterum iniqua conditio infertur, *l. non debet ff. de regul. iur. cap. non debet* 22. *eodem tit. in* 6. & in terminis, in quibus verſamur, quod Officiales paciſcendo cum renunciatario non poſſunt aliquod præjudicium Cameræ inferre, tenent Caſtracan. *ubi ſupra cap.* 41. *nu.* 10. Illuſtriſſ. D. meus de Luca *de regal. diſcurſ.* 18. *numer.* 8. *verſic. & in officiis*, & quamquam Pontifex adhibeat conſenſum in reſignationibus, non ſibi præjudicat quoad pretium, de quo non fit mentio in ſupplicatione Carleval. *de iudic. lib.* 1. *tit.* 3. *diſput.* 23. *num.* 42. ubi quod conſenſus adhibitus ad unum effectum in aliis non præjudicat, & concordat Illuſtriſſ. D. meus de Luca *ubi ſupra tit. de feud. diſc.* 50. *numer.* 10. Venturin. *conſ.* 37. *n.* 126.

Tertò, quia quatenus diceretur Beatum Pium voluiſſe in dicto Motu proprio diſponere ut Secretariis reſtitueretur in dictum caſum ultra pretium Cameræ ſolutum, totum id, quod ſolviſſet reſignantibus, illud plus diceretur donatum dictis Officialibus, hoc autem præſumendum non eſt ad tradita *deciſ.* 58. *n.* 6. coram Royas *dec.* 692. *nu.* 2. coram Merlin. *ubi num.* 4. quod error potius, quàm donatio præſumatur, Becc. *conſ.* 90. *n.* 58. Menoch. *de arbitr. caſ.* 88. *n.* 3. *lib.* 2.

Eo magis quia agitur de notabili Cameræ præjudicio, contra quam non eſt veriſimile quod Pontifex voluerit reſcribere in dicto Motu proprio Jo. Baptiſta Spad. *conſ.* 9. *nu.* 11. *lib.* 1. *& conſ.* 206. *n.* 9. *lib.* 2.

Quartò, quia in erectione facta per Innocentium Octavum de dicto Collegio Secretariorum, fuit expreſsè ſancitum, quod data Officiorum ſuppreſſione, id ſolum reſtitueretur Secretariis, quod jure, & in effectu fuit eidem Cameræ Pontificiæ ſolutum, videlicet ſcuta 62400. hoc idem cenſetur repetitum in Motu proprio dicti Beati Pii Quinti, ſiquidem cùm agatur de lege fundamentali ipſius Collegii, quæ qualificat, & cum certa determinatione loquitur, qualificat, determinat, & ad ſui intellectum trahit omnes alias ſimpliciter, & generaliter ſuper eadem materia loquentes Mantic. *de tacit. tom.* 1. *lib.* 4. *num.* 11. cum ibi allegatis.

Eo fortius quia in dicto Motu proprio confirmat, & approbat Beatus Pius antiqua Secretariorum privilegia, non verò auget, vel ampliat, ut demonſtrant verba *confirmamus, & approbamus, & pro cautela potiori eadem privilegia &c. de novo concedimus &c.* quæ confirmationi conveniunt, non autem extenſioni, ex qua nil de novo cenſetur tributum, vel commutatum Laurentius Matthe. *de regim. Regni Valentiæ cap.* 7. §. 4. *num.* 53. & facit text. *in l. cum dilecta verſ. volentes de confirmatione utili, vel inutili dec.* 682. *num.* 30. *par.* 4. *num.* 3. *rec.* quod clarius convincitur ex ſubſequentibus *iiſdem modo, & forma quibus per DD. Prædeceſſores* omninò excludentibus intentionem augendi, vel extendendi privilegia, ſed repetendi quod prius fuerat conceſſum Cyriac. *contr.* 69. *num.* 38. Rot. coram Dunozet. Jun. *dec.* 715. *n.* 1. *dec.* 354. *num.* 28. *par.* 11. *rec.*

Tertium fundamentum, quod conſiſtit in obſervantia, tam B. Pontificis, quàm ſucceſſorum, & etiam aliorum Principum, reſtituendi in ſimilibus ſuppreſſionibus ſolum pretium receptum; fuit latè deductum, & exornatum in informatione Illuſtriſſ. D. Commiſſarii Cameræ, data in præterita poſitione §. *obſervantia quoque, cum pluribus ſeqq.* itaut aliquid, ultra ibi relata, addere ſuperfluum exiſtimaverim.

Et licet in deciſione reſpondeatur in caſu noſtro non poſſe ſumi obſervantiam declarativam, nedum quia ut prætenditur obſtant clara, & præciſa verba Bullæ, ſed etiam quia in aliis ceſſat diſpoſitio, quod in ſuppreſſione Officiorum, debeat reſtitui integraliter, & abſque diminutione pecuniæ, pro qua empta fuerunt, propterea de uno ad alterum non valeat inferri, attamen talis reſponſio, quo ad primam removetur, negando ſuppoſitum, nam revera, ut vidimus, verba Bullæ potius ſunt clara pro Camera, quàm contra ipſam, & tamen ſufficeret quod eſſent dubia, adhoc, ut ab obſervantia reciperent interpretationem, Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 842. *num.* 37. *deciſ.* 8. *num.* 4. *par.* 18. *rec.* & præcipuè in bullis, & privilegiis Pontificiis, in quibus obſervantia totum facit *deciſ.* 175. *num.* 10. coram Eminentiſſ. Otthobon. etiamſi contrarius intellectus eſſet de jure verior *deciſ.* 216. *num.* 6. *par.* 13. *recent.* Quo ad ſecundam partem, nulla poteſt caſuum diverſitas conſiderari inter hujuſmodi Secretariatus, & alia Officia Romanæ Curiæ: nam B. Pontifex habuit hæc in omnibus cum aliis Officiis pro æquiparatis, & ejuſdem naturæ, prout declaravit in dicta Conſtitutione §. *quod ſi contigerit, & in ſimilibus concedi ſolitam tam aliis Officialibus huiuſmodi Officia ementibus* illud enim *huiuſmodi* ſimilitudinem cum aliis Officiis importat, ad text. *in l. huiuſmodi ff. de legat.* 1. plenè Rebuff. *de verb. ſignif. leg.* 1. §. *huiuſmodi perſonis*, & æquiparatio operatur, ut unum idem ſit omnium æquiparatorum Judicium Valenzuel. *conſil.* 172. *num.* 28. *lib.* 2. Anton. Monac. *deciſ. Bonon.* 98. *nu.* 19. Barboſ. *axiom. iur.* 28.

Dato tandem, ſine tamen præjudicio veritatis, quod B. Pontifex voluerit in ſupracitatis verbis, de quibus in dicto Motu proprio, quod reſtitueretur ſingulis Secretariis totum, & integrum pretium, quomodolibet ab eis ſolutum reſignantibus, attamen mihi videtur indubitatum id, quod ſupra quarto loco probandum aſſumpſi, hanc diſpoſitionē fuiſſe reſtrictam ad illos Secretarios, qui adhuc viverent, tempore, quo fieret ſuppreſſio, non verò Officialibus eorum ſucceſſoribus.

Hoc autem ex pluribus fit manifeſtum.

Primò quia verba ſunt directa Secretariis, uti ſingulis conſideratis, non verò eorum Collegio ibi *ſingulis Secretariis*, propterea non eſt locus extenſioni, favore ſucceſſorum, nam diſpoſitio reſtricta ad certas perſonas illas non egreditur
22 *l. quæ conditio ff. de condit. & demonſtr.* Spad. *conſ.* 206. *num.* 2. 3. *lib.* 2. *dec.* 740. *num.* 10. coram Buratt. *deciſ.* 27. *nu.* 21. coram Zarate, privilegia enim dicuntur privatæ leges, ait
23 text. *in cap. privilegium* 3. *diſtinct.* proinde privilegiato ſolum, non aliis proſunt *dec.* 103. *n.* 7. 8. coram Peutinger. &
24 mutata perſona extinguitur privilegium in conceſſum *cap. privilegium de regul. iur. in* 6. Altograd. *conſ.* 84. *n.* 164. *lib.*
25 1. Venturin. *conſ.* 39. *n.* 7. *& conſ.* 40. *n.* 4.

Secundò, tanto magis privilegium illud dicendum eſt perſonale, quia fuit conceſſum per B. Pontificem perſonis Officia Secretariorum de illo tempore occupantibus, intuitu ducatorum 5500. per ipſos Secretarios gratis Cameræ mutuatorum, ad effectum reſtituendi Cardinali Mediceo Creditori Cameræ in tanta ſumma, ex cauſis, de quibus in dicto Motu proprio, verum eſt enim quod ſemper privilegium eſt perſonale, quando perſona, ut hic, fuit cauſa pro-
26 xima, & immediata conceſſionis, *l. quia tale ff. ſolut. Matr.* Venturin. *conſ.* 24. *num.* 134. & eſt in jure notiſſimum pri-
27 vilegia, & quamlibet aliam diſpoſitionem declari à ſua cauſa, *l. cum pater §. dulciſſimus ff. de legat.* 2. plenè Duran. *deciſ.* 155. *num.* 9. 10. *dec.* 315. *num.* 6. *& deciſ.* 336. *nu.* 1. coram Rembold.

Tertiò hoc privilegium dicendum eſt perſonale, quia ſubjecta materia, ex qua interpretari ſolent hujuſmodi diſpoſi-
28 tiones Roland. *conſ.* 96. *num.* 8. *lib.* 1. *deciſ.* 398. *num.* 4. *par.* 1. *rec. deciſ.* 189. *num.* 15. coram Royas, Fontanell. *deciſ.* 263. *num.* 2. *tom.* 1. expoſtulabat, ut tale eſſet, cùm enim ageretur de Officiis, quæ ad vitam tantùm conceduntur, & penitus mortuis poſſeſſoribus, vel translatis de uno in alium per reſignationem extinguuntur, Caſtracan. *de Societa. offic. cap.* 2. *num.* 1. *& cap.* 14. *n.* 3. *& cap.* 41. *num.* 17. quod procedit ſive agatur de vacantibus per mortem, ſive per reſignationem factam Apoſtolica authoritate, utroque enim caſu Officium præcedens dicitur penitus extinctum, & reſolutum, aliudque translatum in ſucceſſorem omninò novum,
29 & dependens à primo Regens Reverter. *deciſ.* 185. *num.* 3. Salgad. *Labyr. creditor. par.* 1. *cap.* 35. *num.* 21. ultra eorum vitam, pro quibus fuit conceſſum non poterat extendi pri-
30 vilegium, quod tamquam acceſſorium, naturam Officii, ſui principalis ſequi tenebatur, *l. etiam C. de iure dot.* cum aliis apud Barboſ. *axiom.* 4. *num.* 1. nec diverſam à natura rei, de qua agitur, ſupponi debet fuiſſe mentem Pontificis concedentis *dec.* 695. *n.* 6. *par.* 1. *diverſ.*

Nec dicatur, motivum, quod verba dicti Motus proprii ſint intelligenda reſtrictivè favore Secretariorum, qui de anno 1571. poſſidebant dicta Officia, faciliter corruere, quia in contrarium ſtat clara mens B. Pontificis, quod ſcilicet voluerit conferre privilegium prædictum nominatim, & expreſsè Secretariis viventibus de tempore ſuppreſſionis, ibi *Secretariis tunc viventibus*, nam dictio *tunc* ſignificat extremitatem temporis, & ad illud diſpoſitionem reſtringit ad
31 Barboſ. *dict.* 409. & alios per Rot. *relatos in deciſ. quæ revindetur §. quod autem verſ. dictio enim tunc.*

Quia his non obſtantibus, adhuc teneo eadem verba *tunc viventibus* non eſſe, ut prætenditur, directa omnibus in dicto Officio ſucceſſoribus, ſed illis Secretariis, quibus de dicto anno 1571. fuit idem privilegium impartitum.

Dum enim ageretur, ut prædixi, de Officiis, quæ morte poſſeſſorum omninò extinguebantur, cogitavit Beatus Pius poſſe contingere ſuppreſſionem rempore, quo non omnes Officiales, quibus privilegium fuit directum, eſſent mortui, ſed aliqui eorum tantùm, quorum viventium Officia, cùm adhuc exiſterent, ipſis Secretariis viventibus direxit verba *ſingulis Secretariis tunc viventibus*, non verò Secretariis jam defunctis, quorum Officia cum eſſent extincta, & reſoluta, de illis non erat opus differere, cum ſublata materia 32
tollatur etiam materiatum, *l. quæſitum §. illud fortaſſe ff. de legat.* 3. Altogr. *conſ.* 17. *num.* 19. *lib.* 1. & deficiente ſubſtantia omnes ejus paſſiones, & acceſſiones corruere neceſſe eſt *deciſ.* 338. *num.* 10. *par.* 15. Jure igitur merito ad vi- 33
ventium favorem dumtaxat voluit Pontifex ut fieret reſtitutio pretii in caſum ſuppreſſionis, modo per eum ordinato, non ad favorem omnium, quia non poterant privilegiati Officia jam extincta morte poſſeſſorum reſpectivè, patet ad ſenſum, & tenet Altograd. *d. conſ.* 17. *num.* 20.

Et quod B. Pontifex voluerit habere relationem in illis verbis *Secretariis tunc viventibus* ad ſucceſſores in dd. Officiis, perſpicuum eſt etiam ex eo, quod uſus fuit particula *tunc*, quæ habet vim reſtringendi diſpoſitionem ad dictum caſum ex- 34
preſſum Robleſ. *de repræſent. lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 3. nec non dictione *viventium*, quæ denotat perſonalitatem, non dignitatem, & Officium, ut *in deciſ.* 355. *nu.* 7. coram Celſo, ex quo videntur comprehenſi in dicta diſpoſitione illi Secretarii dumtaxat, quibus fuit idem privilegium conceſſum, dum tamen eſſent viventes, tempore ſuppreſſionis, & non aliter, aliàs enim ſi contrarium voluiſſet, uſus fuiſſet verbis indefinitis, & aptis comprehendere omnes, & ſingulos Secretarios, & omiſſiſſet tamquam ſuperfluam, non verò addidiſſet reſtrictivam, *tunc viventibus*, denotantem, quod aliqui poterant eſſe viventes, & alii non, & quod ad favorem viventium tantùm diſponere volebat, dum igitur hæc verba appoſuit, & non omiſit, id feciſſe cenſendum eſt, ut aliquid ſignificarent, & ita tenendum eſt, ne remaneant ſuperflua, & inutilia, non enim in ſimilibus diſpoſitionibus debent ſtare otioſa plura verba, ſed nec etiam mini- 35
ma ſyllaba ad tex. *in l.* 1. *in pr. ff. de met. cauſ.* Scacc. *de commer. & camb. §.* 7. *gloſſ.* 2. *num.* 22. *deciſ.* 77. *num.* 22. *part.* 10. *rec. dec.* 64. *n.* 5. *coram Ninot.*

Ex quibus mihi videtur poſſe concludi, quod ſicuti Innocentius Octavus in actu erectionis dicti Collegii, loquendo de Officiorum revocatione aut alteratione, conſideravit ſtatum præſentem ejuſdem Collegii, Officiorumque valorem, in ea ſumma, pro qua verè de illo tempore fuerunt acquiſita, ita B. Pontifex Pius, confirmando eorum privilegia idem Collegium, ut tunc erectum, conſideravit, voluitque, quod in caſu ſuppreſſionis officiorum, quæ contigiſſet ipſis, vel aliquo ex eis viventibus, (& ſic non extinctis, vel reſolutis per mortem poſſeſſorum) reſtituerentur officialibus ſummæ, pro quibus de illo tempore ſinguli Secretarii eorum officia reſpectivè acquiſiverant, ex quibus ſuperfluum eſt diſputare an ampliaverit mediantibus verbis *integrè, & abſque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*, ejus diſpoſitionem nedum ad pretium Cameræ ſolutum, ſed ad aliud quodcumque inter reſignantem, & reſignatarium conventum, ſiquidem ſufficit pro revocatione deciſionis oſtendiſſe, quod in omnem caſum attenta reſtrictiva ad illud tempus, quo emanavit Motus proprius, privilegium, qualecumque ſit, non percutit præſentem ſuppreſſionem, & evitatur dubium inter partes agitatum, an B. Pontifex voluerit futuris, & ſucceſſivis temporibus legem tam aſperam; & duram contra Cameram Apoſtolicam indicere, ut cogeretur cum tam gravi jactura redimere officia impoſterum vendenda pro pretio ad libitum Officialium taxato, & non pro eo, quod Camera receperat, quod re vera ſuſcitari non potuerit, abſque notabili præjudicio prudentiæ, ſanctitatis, religionis, aliarumque virtutum, quibus præditus fuit B. Pontifex Pius Quintus, prout ita in ſenſu veritatis, ſalvo tamen meliori Judicio, teneo &c.

Ego Io. Torre Patritius Lucenſis.

III. Reſponſum D. Aloyſii Manſii J. C. Patritii Lucenſis.

ARGUMENTUM.

Hic pariter expenditur ſignificatio, & differentia verborum *reſtituere*, & *reddere*. Quantum operetur obſervantia interpretativa in diſpoſitionibus dubiis; Verba quomodo ſint interpretanda; Deſumendus eſt eorum intellectus à procœmio, & cauſa inibi appoſita. De aliquibus dictionibus cauſativis; Donatio non eſt præſumenda, quando dicatur ob cauſam; quando remuneratoria, & quomodo probanda ſint merita.

SUMMARIUM.

1 *VOluntatis quæſtio non admittitur, ubi in verbis nulla eſt ambiguitas.*

2 *Generalitas ſermonis ambiguam diſpoſitionem reddit, num.* 8.

3 *Am-*

3 *Ambigua quando dicatur, vel dubia diſpoſitio.*
4 *Verbum* reſtituere *ſignificat retrodare ei, qui dedit.*
5 *Verbum* reſtituere *aliquando pro* dare *accipitur.*
6 *Verbum* reddere *latiorem habet ſignificationem, quàm verbum* reſtituere, *Declara, num. 7.*
9 *Actus non ab exequente, ſed ab ordinante factus dicitur.*
10 *Modus, & conſuetudo loquendi diſponentis in una parte diſpoſitionis, in aliis partibus eamdem diſpoſitionem declarat.*
11 *Obſervantia diſponentis, circa diſpoſitionis ſuæ interpretationem, ſervanda eſt.*
12 *In duobus intellectibus eiuſdem diſpoſitionis, ille prævalere debet, qui habet pro ſe obſervantiam, etiamſi alter ſit de Iure verior.*
13 *Obſervantia in caſibus individualibus cæteris præfertur.*
14 *Verbum* hujuſmodi *ſimilitudinem importat.*
15 *Quod in uno ex æquiparatis ſervatum eſt, in aliis quoque ſervandum.*
16 *Non ex uno tantùm verbo, ſed ex toto ſimul diſpoſitionis contextu mens diſponentis argui debet.*
17 *Pro interpretatione verborum diſpoſitionis, requirendus eſt finis, & occaſio, qua fuere prolata.*
18 *Verba reſtringi debent ad eam cauſam, pro qua prolata ſunt.*
19 *Verba pro eo ſignificatu ſunt interpretanda, qui ſit conſentaneus materiæ diſpoſitionis.*
20 *Ex proœmio diſponentis deprehenditur intentio.*
21 *Diſpoſitio à cauſa in proœmio expreſſa regulatur.*
22 *A cauſa in principio Privilegij adiecta, Pivilegium reſtringitur, ſeu extenditur.*
23 *Dictio* ut *cauſam finalem denotat diſponentis.*
24 *Dictio* Idcircò *dicitur cauſativa.*
25 *Clauſula* de novo concedimus &c. *an importet novam conceſſionem, vel antiquæ confirmationem.*
26 *Confirmatio Privilegiorum à novo Principe multum prodeſt.*
27 *Donatio non præſumitur, niſi probetur.*
28 *Omnis eſt ſumenda interpretatio, quæ donationem excludat.*
29 *Maximè ſi agatur de donatione in quantitate notabili.*
30 *Donatio ob cauſam propriè non dicitur donatio, ſed datio cauſam.*
31 *Donatio non dicitur ob cauſam, quando donator pro illa cauſa non tenebatur.*
32 *Donatio, ut dicatur remuneratoria, qualia debeant eſſe merita* 33. 34. 35. 36. 37.
38 *Eccleſia eatenus renunciare poteſt beneficia, quatenus illorum reſpectu adhuc remaneat in lucro, & utilitate evidenti.*
39 *Creditum morale ex collato beneficio reſultans cohæret perſonæ, nec tranſit ad ſucceſſores.*

CUm Sanctiſſimus Dominus Noſter Pontifex Innocentius Decimus Apoſtolicæ Cameræ commodis, & neceſſitatibus totus intentus, præ cæteris maximi ponderis, & momenti ab eo Statutis, ſupprimere quoque decreverit Secretariorum Apoſtolicorum Collegium ab Innocentio Octavo Anno 1487. erectum, ſive adauctum. Quamvis in dicta Innocentii Octavi Erectionis Bulla, clarè admodum decretum fuiſſet, Quod in caſu revocationis, aut ſuppreſſionis eorumdem Secretariorum Collegii, Camera teneretur iiſdem, vel eorum Succeſſoribus reſtituere ſummam ab eis in dicta Erectione, & venditione hujuſmodi Officiorum percepta, quæ fuit ſcutorum bismille ſexcentorum pro quolibet ex viginti quatuor Secretariis, In quo numero fuit dictum Collegium conſtitutum; Quia tamen poſteà Beatus Pius Quintus in Pontificatu ſucceſſor in ſuo Motu proprio, Anno 1571. edito, denuò confirmare volens eademmet Indulta, & Privilegia tam ab Innocentio Octavo, quàm ab aliis ſuis Prædeceſſoribus commemorato Secretariorum Collegio conceſſa, & præſertim reſtitutionis faciendæ pretii in caſu ſuppreſſionis, promiſſionem ab Innocentio ſactam renovando, non dixit, faciendam eſſe reſtitutionem pretii ex unoquoque Secretariatus Officio ab Apoſtolica Camera recepti, prout in motu, ſeu Bulla Innocentii clarè fuerat expreſſum, ſed omiſſa nominatione Cameræ, dictum ſit &c. *Collegium ipſum ſupprimi &c. vel extingui non poſſe, niſi reſtitutis prius &c. integrè pecuniis, pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit.* Hinc apertus eſt aditus dicta Secretarius Officia modo poſſidentibus petendi à Camera Apoſtolica reſtitutionem, non tantùm pretii, quod ex ſingulis eorum Cameram recepiſſe conſtat (quod jam unà cum ipſo ſuppreſſionis actu reſtitutum fuit,) ſed amplius etiam id totum, quod per eoſdem Secretarios Officium reſignantibus ſolutum fuit. Sanctiſſimus autem benignitſimo ſuo Reſcripto, quid ſit Juris in hoc Articulo, decidendum commiſit Sacræ Rotæ Judicio, quæ ſub die 16. menſis Junii Anni proximè elapſi definivit reſtituendum fore à Camera totum id, quod unuſquiſque ex Secretariis in emptionem, ſeu reſignationem erogavit Officii; Qua Rotæ Deciſione mihi tranſmiſſa, & immerito honore requiſitus, ut quid in hac exorta controverſia pro Veritate ſentirem, ſincerè referrem, poſtquam ſæpius, tam dicti Innocentii Octavi, quàm Beati Pii Motum, attentè perlegi, in ea Intellectum meum ſenſi vi rationis coactum deveniſſe ſententiam, quod Camera Apoſtolica nil ultra ex juſtitiæ debito reſtituere teneatur, quàm Pretium facta venditione ab eadem Camera receptum.

Fateor tamen primo aſpectu me non modicum deterruiſſe adeò conſtanter in exordio deciſionis jactam, firmatamque propoſitionem, quod nempè ex dicta Conſtitutione B. 1
Pii, & ex ejus verborum tenore adeò expreſſa reſultet ejuſdem Pontificis voluntas, quod in caſu ſuppreſſionis, & extinctionis hujus Collegii, reſtitui debeat ſingulis Secretariis pretium ab ipſis pro Officio obtinendo, vel Cameræ, vel quoque reſignantibus ſolutum, ut propterea dicendum ſit, pro eis ſtare ſpecialem, & expreſſam Conſtitutionem Papalem, unde recurri non valeat ad Interpretationes, & ſubauditum Intellectum juxta *l. ille aut ille §. cum in verbis ff. de leg.* 3. uti ſunt ferè præciſa Deciſionis verba; His enim lectis valde timui, ne oculi mei mihi fuiſſent fideles in percurrendis, & integrè percipiendis dictæ Conſtitutionis, & Motus proprii verbis; Quis enim hac propoſitione ita certè, & abſolutè prolata, non expectaſſet, ut ſucceſſivè diceretur, quod præter ſupra relata Conſtitutionis verba, alia quoque in ea continerentur, ex quibus appareret nominatim promiſſam fore reſtitutionem omnium pecuniarum, pro quibus tam à Camera titulo venditionis, quàm ab aliis ceſſionis, aut reſignationis titulo dicta Officia conſequutos fuiſſe conſtiterit; Ita enim, & non aliter congrua foret adaptatio allegati Textus, ubi Paul. Juriſconſultus ait, tunc quæſtionem voluntatis non admitti, ubi in verbis nulla eſt ambiguitas, prout enim adjunctis illis mox commemoratis verbis, nulla eſſet in Conſtitutione ambiguitas, & certa B. Pontificis emergeret voluntas, quod in caſu ſuppreſſionis dicti Collegii facienda eſſet reſtitutio, tam pretii Cameræ, mediante emptione Officii ab ea facta ſoluti, quàm etiam aliis mediante ceſſione, ſive reſignatione ejuſdem Officii erogati, prout è contra ſi expreſsè dictum foret, *reſtitutis &c. pecuniis, pro quibus à Camera eos Officia emiſſe &c.* nulli dubium foret, quod ſolùm à Camera receptum reſtitui deberet, quia ſic in utroque caſu addita verba claram, apertam, manifeſtamque præſeferrent voluntatem Pontificis, cùm verò dictum ſolummodò legatur in ea *pecuniis, pro quibus eos Officia emiſſe &c.* fateri neceſſe eſt, ſolo dictorum verborum cortice, & iis à toto contextu Conſtitutionis abſtractis, & à natura rei, de qua hic agitur, ſeparatis ad ſummum ambiguum remanere dictorum verborum ſenſum, an de pecuniis à Secretariis Cameræ, vel an Tertiis quoque perſonis erogatis intelligenda ſint, unde voluntatis B. Pontificis quæſtionem neceſſariò admittendam eſſe patet, & ex cæteris ejuſdem Conſtitutionis partibus certiorem ejus mentis exquirendam fore rationem; Illa enim promiſſio reſtitutionis pecuniarum, pro quibus Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit, cùm ſit generalis, & æquivoca loquutio, quæ ſuapte natura comprehendere poſſit tam pecunias ſoluras per emptionem à Camera, quàm per ceſſionem, & reſignationem ab ipſis Secre- 2
tariis factam, hæc ipſa generalitas, & æquivoci ſermonis qualitas proculdubio reddit ambiguam, & perplexam diſponentis, & loquentis voluntatem, juxta Gloſ. *in l. quoties in ſtipulationibus* 80. *in verbo ambigua*, ibi *Generalitatem ff. de verbor. obligat.* & Bald. *in l. veteribus ff. de pactis* ait, dici aliquid ambiguum, vel obſcurum ratione generalitatis, quia 3
etiam generalitas obſcurum parit, & ratione non coarctatæ loquutionis, Soccin. Sen. *in l. In ambiguo ff. de reb. dubiis in principio*, declarat quatuor modis aliquid ambiguum eſſe poſſe, & primò ponit, quod provenit ex verbo generali, & quarto loco in propoſito ambiguũ nuncupari dicit ex aliquo verbo, quod

quod pluribus casibus propriè potest intelligi, licèt is, qui loquitur de uno tantùm senserit, & latius prosequitur Camill. Gallin. *de verbor. signific. lib.* 3. *cap.* 13. *& cap.* 17. Mantic *de Tacit. & ambig. lib. primo tit.* 15. *num.* 4. 5. 10. Simon. de Præt. *de Interpret. ult. vol. lib. primo Interpret. prima, dubit.* 2. *solut.* 5. *numer.* 7. Si igitur Constitutionis conditor in ipsa promissione restitutionis pecuniarum non expresserit, an Cameræ, vel aliis solutæ fuerint, & sic non magis de Officiis habitis per Cessionem ab aliis, vel per emptionem à Camera, intelligi possit, non modo inopportunè videtur adducta conclusio ex d. Textu *præsertim, Ille aut Ille* 25. *ff. de leg.* 3. *deducta*; Sed potius cum us Auctoritas mirabiliter, & summo Jure contra Decisionem retorqueri posse videtur, quia si Paulus ibi dixit, *cùm in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntati quæstio*, cùm hic in generali, & obscura Constitutionis loquutione ambiguitas insit, à contrario sensu arguendo, perneceſſe debuit ex aliis potius, quàm ex ipsis relatis in Decisione ejusdem Constitutionis verbis, sua natura ambiguis, & dubiis, B. Pontificis intentio probari.

Cùm igitur in dicta Piana Constitutione solùm inducta, & supra relata verba legantur, *restitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis tunc viventibus integrè, & sine ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos Officia emisse, aut habuisse constiterit*; Non modò deficit decisionis suppositum, quod verba sint clara favore Secretariorum, sed imò 4 ex eis resultare videtur oppositum, cùm verbi illius *restitutis*, quo Sanctus Pontifex usus est, proprietas, naturalisque significatio satis suadeat Cameram obligari solùm ad pretium prius acceptum restituendum, ex Text. *in l. restituere* 75. *ff. de verborum signific. l.* 1. §. *eleganter ff. depositi. & in l. mancipia in verbo avocandam*, ibi, *Alias frustrà diceret restituat. C. de servis fugit*. Alciat. *dicta l.* 75. *num.* 3. ibi, *propriè autem restituere dicimus, quod accepimus*, Cagnol. *l.* 2. *num.* 17. 18. *C. de Pact. inter emptor. & vendit.* Ludov. Carbon. *de omn. rer. Restit. quæst.* 3. §. *restitutio*, Surd. *cons.* 94. *num.* 23. 24. *& cons.* 248. *num.* 4. Altograd. *cons.* 84. *num.* 106. *lib.* 1. Rota coram Dunozett. Jun. *decis.* 7. *num.* 12. & coram Gregor. *decis.* 271. *num.* 3. & coram Cavaler. *decis.* 591. *nu.* 5. *& decis.* 314. *num.* 23. *par.* 14. *& decis.* 59. *num.* 1. *par.* 16. *recent.*

Neque refragatur responsio decisionis in §. *Nec verbum illud restitutio &c.* ubi habetur, visum non fuisse Dominis, verbum illud referri tantùm posse ad restitutionem illius quantitatis, quàm Camera in venditione officii per ipsam facta recipit, non autem ad illud plus, quod fuit solutum resignantibus, quia ut ibi dicitur, licèt verbum illud *restituere* de sui natura significet reddere, & retrodare, tamen 5 aliquando etiam pro *dare*, & *solvere* accipi soleat, juxta tex. *in l. verbo reddendi ff. de verbor. signific. l. cum quidam ff. de leg.* 2. *& in decis.* Arguell. 77. *num.* 12. *& aliis in ea allegatis*; Nam verè tam allegati Textus, quàm adducta decisio coram Arguelles non agunt, neque loquuntur de verbo *restituere*, 6 sed de verbo *reddere*, cujus significatio latior est, ut ex allegata in decisione lege *verbo reddendi*, percipitur, & licèt etiam istud verbum *reddere* aliquando sumatur pro ver- 7 bo *dare*, Nihilominus tamen in sua vera, & propria significatione importat *retrodare*, quod antea acceptum est, uti probat Gloss. *individualis in dicta l. verbum reddendi littera N.* ibi verbum *reddendi*, *& retrodandi*, & hæc est propria ejus significatio, & in verbo *significationem littera O.* Ibidem Alciat. *num.* 3. *vers. Quod tamen*, Arnod. Corvin. pariter in explicatione dictæ legis in verbo *reddendi* littera A. ubi ait, *reddere* propriè significare *retrodare*; Et Rota *in dicta decis.* 77. coram Arguell. ipsamet etiam considerat verbum *reddere* idem significare, ac verbum *solvere*, verùm supposita semper præcedenti receptione rei, ex qua resultet legitima obligatio, sive reddendi, sive solvendi, sed non est in hoc longius elaborandum, cùm ipsamet decisio sub §. *Nec verbum illud*, ibi *licèt verbum restituere de sui natura significet reddere, & retrodare*, fateatur, & credat eam verbi *restituere* propriam esse naturam, quàm mox asserui, & probavi. Ex quo concidere manifestum est principale ejusdem decisionis fundamentum, si enim ex concessione ejusdem decisionis verba Pianæ Constitutionis adsistant intentioni Reverendæ Cameræ, dici nunquam poterit esse adversus eam adeò clara, & patentia, ut omnis interpretatio excludenda sit; Imò si verba in sua naturali significatione sumpta, ex concessione decisionis Jus Cameræ comprobant, necesse potius fuerit dicere, ex conjecturis contra eam agendum esse, ut propria verbi significatio, & virtus excludatur, ex quo patet, ipsam decisionem postea concessisse, verba non esse clara, ut paulò ante firmave- 8 rat, sed æquivoca, dupliciſque significationis, quæ propterea dispositionem non reddunt claram, sed ambiguam potius, ut ita inquit Bald. *in l. veteribus ff. de Pact.* ibi: *Primo ratione æquivocationis*, quia oratio, *vel vocabulum potest accipi pluribus modis*, & sic manifestum non est, utrum velit dicere disponens eorum, quæ significantur ab eo verbo, quod multipliciter accipi solet, ut explicat aliorum auctoritate Gallin. *de verbor. signific. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 6. 7. & clarius Soccin. Sen. *in dict. l. in ambiguo ff. de rebus dubiis in princip.* ibi, *Tertiò, quando incertitudo oritur ex aliquo verbo, quod pluribus modis etiam potest intelligi, licèt is, qui loquitur, de uno tantùm senserit*, cum pluribus aliis apud Mantic. *de Tacit. & Ambig. lib.* 1. *dict. tit.* 15. *& num.* 4. *usque ad num.* 10. Si igitur verbum illud *restitutis*, juxta interpretationem decisionis, in duplici sensu potest intelligi, cùm in verbis dictæ Constitutionis reperiatur aliqua ambiguitas, sequitur extraneam fuisse themati quæstionis præsentis applicationem dictæ *l. Ille, aut ille*, quæ expresè loquitur *cum in verbis ambiguitas est*; Si verò clara, & unica est natura illius verbi *restitutis*, quod significet tantùm restitutionem, & retrodationem factam ab eo, qui accepit, ut allegata jura restantur, perneceſſe quoque sequitur dicendum, promissam tantùm fuisse restitutionem pecuniarum, quas Camera accepit, & in ea solùm verificari potest retrodatio, non autem in resignatariis, qui Secretariis resignantibus non restituunt, nec retrodant, quod aliàs ab eis, vel eorum Auctoribus acceperunt, sed de suo primodant, quod ab aliis non acceperant.

Quod idipsum quoque verius esse DD. Rotæ Auditores cognoverunt; Et ideò refugium habuerunt ad conjecturatam mentem Pontificis, quem in eadem decisione in §. *sequenti quod autem* dicitur illo eodem verbo non in sua propria, & naturali significatione uti voluisse, sed in eodem potius significatu, quo verbum *solvere*, *seu dare* accipi consuevit, quod probare satagunt ex pluribus in ipsamet Constitutione observatis, Et primo, ut inquit, quia Beatissimus Pontifex loquens de scutis 5500. restituendis Cardinali Mediceo utitur verbo *restituere*, ut ibi: *Quoniam Secretarii prædicti dictam summam eidem Cardinali, nostro nomine, restituere se obtulerunt*; Et tamen, ut additur, Secretarii nihil à Cardinali receperant, quod ei restituere tenerentur; Verùm satis evidenter inanitatem animadversionis facti narrata series ostendit, dum restitutio pecuniarum fieri non debebat proprio nomine à Secretariis, qui nihil à Cardinali receperant, sed ab eis uti Ministris, & nomine Summi Pontificis, & Cameræ, cui ad effectum prædictum dictam summam mutuò dederant, & ordinem successivè ab ipso Pontifice receperant mutuatam summam *pro Nobis, & Nomine nostro &c.* (uti sunt ejus præcisa verba) dicto Cardinali solvendi, unde non ipsos Secretarios restitutionem, sed Cameram potius debitricem fecisse verius dicendum est, cùm 9 actus non ab exequente, sed ab ordinante factus dicatur, *l. si Hæres Testamento ff. de Act. Empt.* Cravett. *cons.* 144. *nu.* 3. Surd. *cons.* 301. *num.* 38. Cyriac. *contr.* 107. *num.* 39. Unde hanc Constitutionis præfatæ periodum, uti decisionis intentionis evidenter adversam, miratur Reverendiss. Dominus de Luca in dicta sua impressa Consultatione in §. *Et licèt in decisione*, uti firmatæ in decisione propositionis destructivam fuisse pro ea coadjuvanda in medium prolatam; & quod jure quidem summo retorqueri potest, cum ex eo insinuetur potius, quoties actum fuerit de restituenda pecunia à Camera recepta, semper cum propriæ significationis verbo B. Pontificem loquutum fuisse; Quod etiam habens in mente firmum B. Pontifex; Et ideò fortè metuens, ne diversimodè intelligi possent, narratæ cum verbo *restituendi* solutioni, à Secretariis Cardinali faciendæ, ex industria addidit semper ea verba *pro Nobis*, seu *Nomine nostro*, ut ita etiam magis indicaret, ideò eo verbo *restituendi* usum fuisse, quia quod ipse, & Camera acceperat, & restituere tenebatur, mediante Ministerio Secretariorum 10 restituebat, Consuetudo enim loquendi, & usus Conditoris Constitutionis, præsertim in aliis partibus ejusdem Constitutionis, plurimum attendi solet pro eorumdem interpretatione verborum, juxta doctrinam Bartoli *in l. Centurio nu.* 27. *ff. de vulgar.* benè Paris. *cons.* 73. *nu.* 48. *& cons.* 46. *num.* 55. *lib.* 2. & latè exornat Mantic. *de tacit. lib.* 7. *tit.* 9. ferè per totum, *& de Conjectur. ult. vol. lib.* 6. *tit.* 12. *n.* 15.

Prout

Prout etiam nil urgere posse credidi, quod additur in eadem decisione, scilicet non ignorasse B. Pontificem dictorum Officiorum retium, temporis cursu, variari posse, & proinde dum posteà statuit in casu suppressionis Collegii singulis Secretariis tunc viventibus, restitui debere integrè, & absque diminutione pecunias, hinc non inferatur ad Cameram, à qua restitutio facienda erat, verùm ad Secretarios, qui pecuniam solverant pro emendo officio; Imò potius retorqueri posse videtur, quia licèt ex dicta Constitutione desumatur, Pontificem non ignorasse pretium Officiorum in dies variari posse; Nihilominus in casu, quo unio, & annexio facta impugnaretur, voluit Cameram non teneri, nisi ad restitutionem scutorum 5500. quæ receperat, ut in ea legitur, ibi: *nisi prius restitutis eisdem Secretariis, & Collegio per Cameram realiter, & cum effectu pecuniis præfatis*, ex quo fortissimum elicitur argumentum, quod etiam in casu suppressionis totius Collegii, voluerit idem Pontifex Cameram ad aliud non teneri, quàm ad restitutionem accepti; Quæ argumentatio fortius etiam stringit, si animadvertatur, quod idem B. Pius credens tunc unum ex dictis Secretariis per obitum Marcelli vacasse, & ideò ejusdem venditionem ad Cameram spectasse, de mense Aprilis anni 1570. illud vendiderat Cardinali de Medicis pro pretio scutorum 5500. cùm verò posteà elapsis duobus circiter annis, sexto nempè, & postremò sui Pontificatus anno certior factus fuerit, hujusmodi Secretariatus vacantis venditionem, & concessionem, ad Cameram, sed ad ipsum Collegium Secretariorum, vigore Bullæ Innocentii Octavi, spectasse, dum venditionem revocavit, Dominoque Cardinali pretium dicti Secretariatus restituere volens nulla ab eo facta fuit indagatio, aut æstimatio valoris, quo tunc temporis communiter hujusmodi Secretariatus Officia per cessionem, sive resignationem transferrentur, nullaque hujus communis pretii tunc currentis nec ab ipso, nec à Cardinali, cui restitutio facienda erat, habita ratione ad pretium solummodo à Camera in venditione receptum, integrè restitui mandavit, & Cardinalis huic restitutioni acquievit, quamvis scirent intra biennium à die venditionis elapsum variari, & augeri potuisse, & forsan tunc, tempore factæ Cardinali restitutionis præfatæ jam auctum fuerat ejus pretium, quia semper, & quando etiam ex justitiæ debito facienda foret restitutio pretii, non aliud, nec in majori quantitate existimatum fuit à Camera faciendum esse ea, quam ipsa verè receperit.

Et proinde etiam nullam vim habent ad effectum, de quo agitur, relativæ eæ dictiones *eos*, & *tunc* in eadem decisione ponderatæ, quia benè se compatitur relatio ad Secretarios viventes tempore suppressionis, cùm eo, quod dicimus, faciendam nempè eis, & tunc restitutionem solummodo pecuniarum, quas in emptione Officiorum à Camera eos, aut eorum Auctores impendisse constiterit.

Et sic etiam evanescit argumentum, cum quo in fine decisionis arguitur; Quod si in casum suppressionis non restitueretur singulis Secretariis pecunia soluta pro obtinendo à resignantibus Officio, sed dumtaxat illud, quod pervenit ad Cameram, hoc esset contra tenorem dictæ Bullæ, quia eis non restitueretur *integra, & absque ulla diminutione pecunia*, prout in dicta Bulla decernitur; Hoc enim est supponere, quod negatur; An sit enim integra, & sine diminutione facta restitutio solùm ejus, quod Camera exegit, uti firmiter, & in rei veritate credimus, jam facta est restitutio integra, & absque ulla diminutione, & Bullæ intentioni abundanter etiam satisfactum; Et ad hoc etiam advertatur, quod etiam in Constitutione Innocentii Octavi in casu suppressionis, seu revocationis Officii integram summam restitui mandatur, sed hanc integram summam declarat, esse receptam à Camera, unde nil concludit argumentum ex dicto verbo *integrè* deductum.

Cæterum quatenus ex prædictis verba Pianæ Constitutionis, juxta Cameræ intentum, clara reddita non fuerint, & aliqua adhuc ambiguitas in eis remaneret, quod non opinor, omnem dubitationis umbram dilueret in facti narratione probatum, quod nempè, tam per ipsum B. Pium, quàm per Sanctissimos suos successores Alexandrum Septimum, Clementem Nonum, & Clementem Decimum, ita semper servatum fuit, in quo præcipuè ponderanda est observantia ipsiusmet B. Pii, & in iisdem, de quibus nunc agitur, Secretariatus Officiis, cùm enim pro scutis 5500. vendidisset illud, quod vacaverat, Officium, & quod Cameræ utilitati vacasse opinatus erat, ut supra narratum est, & sic tenuit poterat ad quanti Officialium, seu Collegii intererat, cùm illo tempore jam eorum pretium crevisset, & ipsemet Beatus Pontifex animadvertit plus vendi posse dicta summa scutorum 5500. obligare nihilominus Cameram noluit ad restitutionem majoris summæ, quàm scutorum 5500. receptorum; Quæ profectò observantia præcipuè ipsiusmet Pontificis, de cujus mente in eadem re investiganda nunc agitur, certam, tutamque interpretationem ipsi Constitutioni, & voluntati ejus conditoris tribuere debet, prout in jure verissimum testantur, Menoch. *cons.* 107. *num.* 92. Gratian. *cap.* 544. *num.* 31. Cyriac. *controv.* 141. *numer.* 38. 39. adeò ut si duplex se offerat dispositionis intellectus, ille prævalere debeat, qui pro se observantiam habeat, etiamsi alter esset de Jure verior, Rota *decis.* 520. *num.* 10. *par.* 13. *recent.* Et præsertim quando observantia, ut in casu præsenti, in casibus individualibus ostenditur, Honded. *cons.* 92. *num.* 30. *lib.* 1. Rota coram Greg. *decis.* 184. *num.* 8. & coram Buratt. *decis.* 944. *num.* 6. *& similibus terminis Officiorum* trad. Lanar. *cons.* 34. *num.* 2. *cum seq.* Rovit. *decis.* 72. *nu.* 26. Capyc. Galeott. *respons.* 12. *num.* 110. Reverendiss. D. de Luca *tit. de Regal. disc.* 5. *nu.* 20.

Hujus autem rationis efficaciam infringere decisio præsumpsit in §. *final. Nec visum est DD.* ei objiciendo, applicari non posse exempla aliarum suppressionum officiorum, quoniam inde, ut dicitur, desumi non possit observantia declarativa pro casu præsenti, cùm in aliis, prout in hoc Secretariatus officio, cautum non reperiatur, quod in illorum extinctione restitui deberet pecunia, ab Officialibus pro emendo officio soluta, quare, uti concludit ipsa decisio, de uno ad alterum nequeat inferri *vulg. l. Papin. &c.* verùm, quamvis in facto ignarus sim, an in aliis similium Officiorum erectionibus hujusmodi conditio restitutionis recepti pretii, in casu suppressionis, adjecta fuerit, prout adjectam fuisse admodum verisimile redditur; Nihilominus advertendum est, quod B. Pontifex habuit hæc Secretariatus Officia in omnibus, cum aliis officiis pro æquiparatis, & ejusdem naturæ, prout in dicta Constitutione declaravit in §. *Quod si contigerit &c.* ibi: *Et in similibus concedi solitam aliis Officialibus huiusmodi Officia ementibus*, illud enim verbum *huiusmodi* similitudinem cum aliis officiis importat, uti trad. Tusch. *littera D. conclus.* 287. *num.* 4. & ex eo Barbos. *dict. prædicta*; Unde quod in uno ex æquiparari servatum est, in quoque similibus servandum pariter esse probat idem Barbos. *Axiom. Iur.* 24.

Hæc autem longè, latèque sufficiunt pro tollendis iis, quæ in decisione fuere deducta pro sola inspectione verborum, seu litteræ, in quorum investigatione tota decisio se occupavit, posthabita prorsus mentis disponentis, ex tota Constitutionis contemplata serie, investigandæ cura, quamvis juxta legalis scientiæ nostræ regulas non ex unico tantùm verbo, & ejus rigorosa significatione contrahentium, vel disponentium voluntas tamquam certa, & concludens firmanda sit, prout nec minus in una tantummodo dispositionis clausula tota mentis disponentis intelligentia reponenda sit, sed insimul potius clausulas omnes, & integrum legis, aut dispositionis contextum inspicere, revolvereque oportet, ubi de interpretanda voluntate disponentis agitur, ex contextu namque omnium scripturæ verborum melius, & aptius, qualis fuerit intentio, percipitur, quàm ex unico tantùm, frequenter præter intentionem, & incidenter prolato, variisque intellectibus expositio verbo, ut benè pluribus allegatis, plenèque docet Castil. *Quotid. Contr. lib.* 4. *cap.* 6. *nu.* 41. 42. & clarius *num.* 47. In interpretatione enim verborum, quibus cum aliqua dispositio concepta fuit, requirendus semper est in primis ex toto ipsius dispositionis tenore finis, & occasio, qua fuerunt ipsa verba prolata *l. debitor* §. *fin. ff. ad Trebell. l. profectitia* §. *fin. ff. de Iur. Dot. l. Nesennius* §. *fundi ff. de re Iudic.* cum aliis apud Osasch. *decis.* 124. *num.* 17. Sim. de Pret. *de Interpret. ult. vol. lib.* 3. *Interpret.* 4. *dubit.* 1. *fol.* 3. *num.* 6. Surd. *decis.* 43. *num.* 17. Casanatt. *cons.* 10. *num.* 38. Et est vulgata regula, quod verba semper restringi, trahique debent ad eam causam, ob quam prolata sunt ex doctrina Bald. *in l.* 3. §. *Ex hoc Edicto ff. Naut. Caup. & Stabul.* Cephal. *cons.* 347. *num.* 7. 8. Surd. *dict. decis.* 43. *nu.* 17. Casanatt. *dict. cons.* 10. *num.* 38. Et in eum significatum explicanda, qui sit consentaneus materiæ, & naturæ rei, super qua ad disponendum se disponens principaliter præparavit, ut ait Natt. *cons.* 94. *num.* 3. Surd. *cons.* 3. *num.* 24. Bursatt. *cons.* 105. *num.* 32. *lib.* 2. Cephal. *cons.* 329. *nu.* 5. Casanatt. *cons.* 45. *num.* 104.

Et propterea, antequam ad interpretandam, aut ad arguendam ex uno, vel altero Pianæ Constitutionis verbo ipsius Beati Pontificis mentem deveniatur, necesse quoque prius erat, singulas ipsiusmet Constitutionis partes expendere, ex quibus singulis ejusdem Constitutionis partibus, & capitulis separatim perlectis, ex eis infrascriptas narrationes, & respectivè dispositiones resultare comperio.

Etenim sub initio primum usque ad §. *Et deinde recolendæ Memoriæ Alexander* fit in ea præcipua, & per extensum commemoratio Constitutionis Innocentii Octavi Anno 1487. editæ, in qua numerum Secretariorum usque ad viginti quatuor adauxit, receptis ab eis in Cameræ Apostolicæ subventionem scutis 62400. plurimaque ob id eis emolumenta, & privilegia concessit; A quo postea §. usque ad alium sequentem *Officium Secretariatus*, *quod quondam*. Confirmationem ejusdem Collegii, & Privilegiorum ab Alexandro Sexto, Julio Secundo, Leone Decimo Pontificibus Innocentii Octavi successoribus factam exponit; In illo verò §. *Officium &c.* narrat, quod vacato uno ex dictis Secretariis Beatus Pontifex opinatus fuerat ad Sanctam Sedem ejus dispositionem, & venditionem spectare, & propterea illud idem Officium Cardinali Mediceo pro pretio scutorum 5500. vendiderat, sed comperto postea, quod verè potius dictum officium, juxta præfati Innocentii Constitutionem supprimendum fuerat, dictam dispositionem, & venditionem à se factam nullam declaravit, & successivè pro restituendis eidem Cardinali pecuniis, pro quibus dictum officium à Camera emerat, eamdem summam scutorum 5500. mutuò sibi datam fuisse profitetur ab eodem Secretariorum Collegio, cui pro restitutione primum eorumdem Secretariorum officium per decessum, aut quamlibet aliam ammissionem, vel dimissionem, præterquam per ejusdem officii resignationem, seu cessionem vacaturum, in solutum assignavit, concedendo subsequenter eidem Collegio facultatem vacaturum officium prædictum vendendi, prout ipsi Cameræ liceret, & pretium ex dicta venditione percipiendum ad commodum, & utilitatem ejusdem Collegii retineri integrum, quod etiamsi in magna summa mutuum scutorum 5500. excederet, eorum lucro nihilominus cedere debere voluit, & mandavit, quàm concessionem omni majori cautela, clausulis, & obligationibus per tres paginas subsequenter expressis, ad beneficium ejusdem Collegii munivit, cui Collegio pariter etiam postea auctoritatem concessit ampliſſimam fructus, & emolumenta, & proventus totius corporis, seu massæ Collegii obligandi, & hypothecandi pro redditibus annui exolvendis, sive censibus super dicta massa ad effectum prædictum constituendis, ut hæc omnia latius in Constitutione præfata à dicto §. *Officium Secretarius* usque ad §. *Ad hæc dictos Secretarios* expressa leguntur.

In quo tamen §. verùm est etiam declarasse Beatum Pontificem suæ mentis esse, *dictos Secretarios, & eorum Collegium ampliorisfavore gratiæ prosequi velle*, intra quos tamen limites suæ gratiæ, & favoris amplitudinem contineri voluerit, non est interpretatione opus, cùm ipsemet statim id explicuerit in immediatè sequentibus verbis, *Vtque ea, quæ per eumdem Innocentium Octavum, ac Alexandrum Sextum &c. ac alios forsan Romanos Pontifices &c. eiusdem Secretarijs concessa fuerunt, firmius persistant, quo sæpius fuerint Apostolica auctoritate munita, &c.* Gratiam igitur, & favorem suum erga Collegium prædictum impartiri in eo tantùm, voluit, ut antiqua eorum Indulta, & privilegia ab antecessoribus Pontificibus concessa denuò confirmaret, & magis, magisque nova Sedis Apostolicæ accedente auctoritate corroboraret, quod arbitratus est, hoc esse novæ liberalitatis augmentum, sicuti per hujusmodi confirmationem, ut expressit, majus subsistentiæ, validitatisque robur acquirebant, quæ sæpius fuerant auctoritate Apostolica munita; Ex quo clarè percipitur totum id, quod postea progrediendo dixit, non ad aliud referri debere, quàm ad firmius, solidiusque fulcienda privilegia hactenus à Summorum Pontificum antecessorum largitate huic Collegio tributa; Et ideò
20 hanc, uti omnium, quæ infrà dicturus erat, causam præcipuam, & finalem in proœmio, & præfatione sequentis dispositionis præmisit, ut ex ea pariter, juxta communes juris regulas, certa animi sui probatio, & clara sequentis dispositionis deduceretur expositio, ut per Gabr. *conſ.* 113. *nu.* 49. *lib.* 1. Paris. *conſ.* 33. *num.* 17. *lib.* 3. Hond. *conſ.* 64. *n.* 4. *lib.* 1. Thesaur. *Quæst. For. lib.* 1. *quæst. prima in princ.* Cau-
21 sa enim in proœmio dispositionis adjecta tantæ est efficaciæ, & adeò potens, quod, ut ajunt, velut ab anima, ita dispositio sequens ab ipsa proœmiali ratione reguletur, declaretur, & restringatur, Cravett. *conſ.* 192. *num.* 21. Cephal. *conſ.* 548. *numer.* 2. Barz. *deciſ.* 97. *numer.* 37. Gratian. *cap.* 558. *num.* 25. Et ideò initium privilegii considerandum esse dicunt, cùm juxta illud omnia sequentia soleant adjungi, & propterea ad ea quoque restringi, ut ex *l. fin. ff. de Hared. Inſtit.* & notant Bart. *in l. ambitioſa C. de Decret. ab Ordin. faciend.* Abb. *cap. adverſus de Immunit. Eccleſ. num.* 2. Suarez *de legibus lib.* 8. *cap.* 28. *num.* 19. 22

Et hanc finalem causam, qua Motus fuit B. Pontifex ad infra disponendum, nempè ut antiquorum privilegiorum subsistentiam recenti Pontificis confirmatione ab omni defectu periculo liberaret, ipsa quoque verborum natura, quibus se expressit, ostendunt, Et præcipuè ubi dixit, *Vtque ea, quæ &c. eo firmius ſubſiſtant*, quæ dictio *ut* causam fi- 23
nalem sua natura probat disponentis, Barbos. *dict.* 439. Imò amplius non omninò confidens B. Pontifex, quod prædicta sufficienter testarentur, non aliud ipsum agere infra voluisse, quàm jam antiquitus elargita Collegio privilegia tantùm confirmare, & suæ auctoritatis velut fortiori quodam corroborare munimine; Ideò antequam sequentem dispositionem inchoaret, addidit: *Idcircò ſingulas eorum, &c.* quæ dictio *idcircò* etiam ipsa tamquam causativa sua naturali vi clarè denotat, ob confirmanda tantùm, non autem ob amplianda in aliquo Privilegia præfata in sequentem dispositionem descendisse, ut per ab eodem Barbosa allegatos dictione 142. Cùm igitur tot, tantisque expressionibus, & cautelis B. Pontifex suam mentem declaraverit, esse confirmandi tantùm, & ultra auctoritatem præcedentium Summorum Pontificum, sua quoque adjuncta firmius convalidandi privilegia jam concessa, ut sic imposterum firmius inviolata conservarentur, & subsisterent; Extraneum nimis non videri non potest, quod nihilominus ex levissima, & æquivoca unius, vel alterius verbi interpretatione, diversus omninò ab ejus mente extorqueri præsumatur Summi Pontificis sensus, & animus innovandi, ut inde novæ, & insolitæ etiam, & in gravissimum Cameræ detrimentum liberalitates, imò Apostolici Ærarii profusiones deducantur.

Et eò magis etiam quia, si ad examen vel rigorosum revocentur omnia, quæ sequuntur, dispositionis verba, non adversa, sed consentanea potius præmissæ protestationi, & suprà expressæ causæ reperientur omninò. Sic enim sequens dispositio loquitur. *Idcirco ſingulas eorumdem Præ-* 24
deceſſorum litteras, omniaque, & ſingula privilegia, facultates, &c. nec non ſalaria, emolumenta &c. & alia quæcumque iiſdem Secretariis per dictos prædeceſſores conceſſa, pari motu, eiſdem auctoritate &c. confirmamus, & approbamus &c. Necnon illis omnibus, quæ hic expreſſis &c. perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac defectus etiam ſi qui fuerint &c. pariter ſupplentes &c. Usque adhuc nil aliud actum fuisse, quàm jam concessa approbare, & confirmare, solo naturali intellectus lumine, cuique vel juris imperito clarè nimis constare poterit; Prout etiam intra hos pariter confirmationis limites, quæ sequuntur, contineri manifestum est, dum inquit. *Et pro cautela potiori eadem privilegia, facultates &c. iiſdem modo, & forma, quibus per dictos prædeceſſores conceſſa fuerunt iiſdem Secretariis de novo concedimus, & aſſignamus.* Nec ea verba *de novo concedimus*, à natura confirmationis aberrant, quia potius exprimunt illud idem, quod ex confirmationis actu naturaliter resultat, ut enim inquit Rota *deciſ.* 703. *par.* 1. *diverſor. num.* 6. confirmationes quædam potius sunt innovationes privilegiorum, quæ nullum Jus de novo tribuunt, & ut ait Marta *de clauſul. par.* 2. *clauſul.* 18. hujusmodi clausula *de novo concedimus* rem in antiquo suo statu præservat, & relinquit, & solùm dubium facit, an privilegia antiqua, sed aliàs revocata, vel per usum amissa intelligerentur de novo concessa, juxta distinctionem Suarez *de legibus lib.* 8. *cap.* 20. *num.* 2. (quod à re nostra est alienum) quod etiam clarius ex ipsiusmet Constitutionis verbis percipitur, quia licèt dictum fuerit *de novo concedimus, & aſſignamus*, non tamen aliquid novi concessum postea fuit, sed eadem prorsus antiqua privilegia conceduntur, ut ibi legitur *eadem privilegia, facultates &c. iiſdem modo, & forma, quibus per dictos prædeceſſores conceſſa fuerunt*, & uti præmittitur, ista eadem antiqua privilegia de novo concessa fuerunt tantummodo, ut inquit, pro cautela potiori, quatenus sola confirmatio non haberet illud efficaciæ, ut eadem 25

anti-

antiqua privilegia, tamquam ab ipso Pontifice confirmante concessa, nova, & recentiori auctoritate magis firma redderet; Non enim inutilis omninò evadit confirmatio succes-
26 soris privilegiorum ab antecessore Principe concessorum, nam, ut ajunt Doctores, videtur addere hujusmodi confirmatio certitudinem quandam voluntatis ipsius concedentis, & securiorem quoque privilegiatum reddit, quod non sint à successore revocanda, sed potius conservanda, & defendendam tamquam sua propria, & ab ipsomet concessa, nam, ut inquit Bald. *cons.* 232. *lib.* 1. Privilegia Pontificum mortuorum non solent esse tantæ observantiæ, quantæ Pontificis viventis, & magis obligatur concedens privilegium ad illius observantiam, quàm successor, ut ait Poss. *de regul. num.* 31. & admonet ideò Tusch. & ab eo relati *tom.* 6. *littera P. concl.* 761. ut privilegia Principum defunctorum debeant procurari, ut confirmentur à successoribus, Suarez *de legibus lib.* 8. *cap.* 18. *num.* 10.

Et hinc est, ut dicebam, quod hæc sequentia ejusdem Motus proprii verba *Collegium ipsum supprimi, vel extingui non posse, nisi restitutis prius realiter &c. singulis Secretariis &c. pecuniis, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit*, non sint in abstracto, & absolutè examinanda, tamquam si nova periodus, & cum nova voluntate præterita innovandi, & aliud omninò diversum à præcedentibus disponendi, expressa sint, & separata ab antecedenti oratione prolata fuissent, sed potius considerandæ, & exponenda sunt tamquam pars, & connexionem habentia cum principali supra incepta, & cum his postremis verbis dispositione completa; Ex quo sequitur, quod dum post factam ampliſſimam omnium antiquorum privilegiorum huic Secretariorum Collegio à præcedentibus Pontificibus concessorum confirmationem, & postquam etiam pro majori eorum robore, & cautela illa eadem de novo concessit; Quod additur in §. sequenti *volentes*, & *statuentes &c.* nil novi principaliter Beatum Pontificem disposuisse, sed vestigiis potius Innocentii Octavi prædecessoris inhærens, sicut ipse Innocentius post concessas Secretariis immunitates, emolumenta, & privilegia in prima parte suæ Constitutionis contenta, pro corroboratione majori prædictæ concessionis in casum diminutionis, alterationis, aut revocationis privilegiorum, obligationem Cameræ ad restitutionem adjecit; Ita pariter B. Pius pro majori robore confirmationis, seu novæ concessionis privilegiorum prædictæ, prout adjecit clausulam *Volentes*, & *statuentes illa &c.* (referendo ita se semper ad antiqua privilegia, & eamdem formam, & modum, quo fuerant antiquitus concessa) *nullo unquam tempore revocari*, & *reduci posse*, & cætera, quæ sequuntur, sunt eadem omnia adamussim repetita, quæ in eadem prima erectione Secretariorum numero vigintiquatuor fuerant ab Innocentio Octavo post concessionem privilegiorum adjecta, ut ipsos Secretarios, qui tunc pro emptione talium officiorum pecunias Cameræ persolverant, cautos redderet à periculo reductionis, aut alterationis emolumentorum, sibi intuitu erogati pretii concessorum, aut in casu suppressionis totius erogatæ pecuniæ amissionis, ut ex comparatione Textus utriusque Bullæ clarius habetur.

Postquam enim Innocentius Octavus in Constitutione præfata dictum Secretariorum numerum adauxit, & ab eis summam scutorum 62400. ut Sanctæ Sedis necessitatibus provideret, exegit, (ut in §. secundo dictæ Constitutionis expressit) & emolumenta, redditus, & annuos proventus eisdem Secretariis assignavit; In §. 23. eorumdem Secretariorum indemnitati consulere, & ab omni periculo immunes eos reddere volens, decrevit, quod in eventum, in quem ex emolumentis assignatis aliquid *subtraheretur*, *vel minueretur*, *aut Officium ipsum revocaretur*, *seu mutato modo*, *& ordine dato alteraretur*, Cameram Apostolicam teneri, si erat facta emolumentorum diminutio, ad solvendum &c. si verò erit facta Officii revocatio, ad restituendum eis integram summam 62400. Ita pariter Beatus Pius pro majori ipsorum Secretariorum satisfactione, & cautela eosdem casus, & eventus, in quibus Camera Apostolica jam primæva concessione remanserat obligata, hic iterum, licèt diffusiori sermone, & multiplicatis synonymis verbis, tamquam ad verbum transcriptis expressit, cum in hac Beati Pii, prout in ea Innocentii Octavi, legatur iterata promissio restitutionis pretii in casu *reductionis*, *alterationis*, *moderationis emolumentorum*, *vel revocationis*, *aut suppressionis ipsorum Officiorum per Cameram recepti*; *Card. de Luca de Offic. Venal. &c.*

Quod pretium per Cameram receptum, quia tunc temporis, in prima nempè facta Officiorum venditiones, certum erat, neque cogitatum tunc fuit, posse futuro tempore ob emolumentorum augmentum majori pretio eadem Officia vendi, ideò quoque pretium in dictis casibus restituendum incerta, & determinata summa in dicta Innocentii Constitutione fuit expressum, sed quoniam è contra experientia certum reddiderat B. Pontificem Pium, quod post dictam primam Officiorum venditionem, eadem Secretariatus Officia pro longè majori summa scutorum 2600. qua fuerant in prima erectione à singulis Secretariis empta, succedente vacatione, à Camera vendita reperiebantur; Hinc est, quod Cardinali Mediceo scuta 5500. quæ pro emptione unius ex prædictis Officiis Cameræ solverat, restitui mandavit, & quia etiam in dies pretium præfatum, ultra dicta scuta 5500. augeri, & fortè etiam diminui, & variari posse noverat, è contra in eadem Bulla in casu revocationis, aut suppressionis Collegii præfati, non antiquum pretium scutorum 2600. nec minus illud scutorum 5500. usque ad quam summam eorum pretium in venditione facta à Camera, tunc crevisse patebat, restitui mandaverit, sed illud solum (majus, aut minus fuerit) pro quo empta fuisse Officia constiterit.

Fateri tandem cogimur, ex justitiæ debito, nil amplius recepto pretio à Camera restituendum esse, sic enim Sanctissimus Pontifex Innocentius declaravit in casu suppressionis Collegii pecunias Cameræ à Secretariis tantùm erogatas restituendas esse, & clarius etiam id velle explicuit ibi B. Pontifex Pius in restitutione facienda Cardinali Mediceo, dum sic inquit, *Nos, qui in Terris eius locum tenemus, qui iustus est Dominus, ac propterea Ius unicuique illæ sum servari volentes*; Unde Justitiæ partes omnes complevisset credidit, dum Cardinali id solum, quod acceperat Camera, restituendum esse statuit, nulla habita ratione, an tunc, & post venditionem eidem annis præteritis factam, eorumdem Officiorum pretium auctum foret, & prout justitiæ satisfacere velle protestatus est, ita pariter non modo pretium scutorum 5500. receptum, sed amplius etiam, quod tunc temporis hujusmodi Officia per cessionem, aut resignationem æstimarentur, exolui proculdubio mandasset, si id justi legem requirere cogitasset. Si igitur in casu suppressionis, aut revocationis hujusmodi Officiorum ex justitiæ debito, nil amplius à Camera exigi poterat, quàm ab eadem recepta pecunia, & sic præcipuè Beatus idem Pius decrevit, & facto comprobavit.

Quis non videt, quod si ejus Constitutionem violenta interpretatione trahere contendimus ad obligationem solutionis majoris summæ, quàm Camera receperit, manifestè nitimur, ut contra omnes Juris regulas inducatur ex eadem Constitutione donatio, nulla rationabili causa; Imò in detrimentum gravissimum Ærarii Apostolici facta, de cujus Ærarii conservatione, & augmento, omni spreto carnis, & sanguinis stimulo, fuit semper Beatus ille Pontifex mirum in modum solicitus; Indemnitati enim Secretariorum, cum futuri Secretariatus dimissione, satis providerat, uti novit ipse, & insinuat in iis Constitutionis suæ verbis, *ac eorumdem Secretariorum, & eorum Collegii indemnitati consulere volentes &c. pretium Officii &c.* cum expressa etiam Cameræ obligatione in omni casu, quo in venditione, aut exactione pretii dicti Officii vacantis, aliquo modo impedirentur, ut infra legitur, & quod magis est hujusmodi excogitatu donatio non modo utilitatem, & commodum concerneret eorum Secretariorum, qui tunc pecuniam mutuati sunt, & assertum meritum eos consequutos esse dicitur, sed aliorum etiam omnium, qui usque ad hæc tempora in dictis successere Secretariatus Officiis, & qui ex dicto mutuo, nec voluntatis, nec alicujus incommodi meritum habere potuerant.

Vulgata est autem regula, quod donatio non præsumi- 27
tur, nisi probetur, *l. cum de indebito ff. de probat. l. campan. ff. de oper. libertor.* & propterea omnis alia fumenda est interpretatio, quæ donationem excludat, Dec. *cons.* 177. *n.* 1. 28
Becc. *cons.* 52. *num.* 70. & fortius cùm agitur de quantitate notabili, ut hic, Ruin. *cons.* 23. *num.* 38. *lib.* 5. Decian. *cons.* 15. *numer.* 5. *lib.* 3. Cyriac. *contr.* 334. *num.* 2. Quod 29
si verissimum est ex ea præcipuè ratione, quia nemo censetur, quod proprium est alteri dare, aut jactare velle, quantò magis hæc urgere debet ratio, quando donatio induceretur non pecuniæ propriæ donantis, sed cujus administrationem tantùm habet, & de re agitur Ecclesiæ, & Apostolici

Ærarii, unde fortior excluſiva donationis militare præſumptio debet.

Nec fortè dicatur hæc homnia concludere pro pura, & mera donatione, quæ non ab alia cauſa, quàm à mera liberalitate concedentis exoritur, ceſſare autem, cùm donatio, ſe conceſſio alteri juſtæ cauſæ adhæret, quia tunc
30 non propriè donatio, ſed datio potius ob cauſam exiſtimanda ſit, juxta Text. *in l.* 1. *ff. de donat.* & clarius Ulpian. *in l. hoc iure* 19. §. *his verbis ff. eod.* cum aliis apud Gratian. *cap.* 924. *ex num.* 4. Nam licèt facilè reſponderi poſſet, quod illa
31 ſemper dicitur pura, & derivans ex mera liberalitate donatio, quæ fit ex illa cauſa, ad quàm donatur nulla lege cogi poterat, ut eſt doctrina Decii *in Auth. ex teſtamento nu.* 8. *C. de collat.* & aliis relatis ſequitur, Cravett. *conſ.* 85. *ſub num.* 6. & cum aliis pluribus, Andreol. *contr.* 1155. *numer.* 13. & 14. & propterea cùm Summi Pontifices ex Juſtitiæ præſcripto ad reſtitutionem tantummodo recepti pretii compelli potuiſſent, quod ultra illud prætenditur promiſſum, meræ donationis habere naturam, negari nequit.

Neque ſubſiſtit, ſi fortè ſubjungeretur, hanc fuiſſe do-
32 nationem remuneratoria, quæ ut in ſtatu conſtituatur validitatis, non ſit neceſſe, quod impenſa Officia, aut adepta merita cum donante ſint hujuſmodi, ut habeant Juris efficacem obligationem, unde ad ea ſolvenda donans juſtitiæ vi compelli potuerit, verùm ſufficiat, quod ſit debitum morale, ad quod gratitudinis ſaltem lege, & naturali ratione obligetur ex Covaruv. *cap. cum in Officijs numer.* 10. *de teſtam.* & latè Tiraquell. *in l. ſi unquam in verbo donatione largitus &c. num.* 10. *Cod. de revoc. donat.* Garzia *in tract. de donat. remunerat. numer.* 1. & *pluribus ſeqq.* & aliis apud Sanchez. *de matrim. lib.* 6. *diſput.* 6. *num.* 2. contrarium
33 tamen, quando verè ſervitia præſtita, & reportata ex eis merita non pariunt Jus aliquod agendi, defendit Pinell. *par.* 3. *l.* 1. *Cod. de bon. matern. num.* 60. & *ſeq.* Cujus opinio licèt communiori ſententia rejecta videantur, eam tamen
34 ſaltem veriorem, & ſequendam eſſe, cùm agitur de conceſſione, aut donatione de rebus Eccleſiæ facta, Rota *Romana ſenſit* coram doctiſſimo Merlino *in deciſ.* 242. *num.* 8. 9. *par.* 7. *recent.* Verùm aut una, aut altera verior ſententia ſit, conveniunt tamen omnes, quod merita æquipollere ſaltem debeant æſtimationi rei donatæ, itaut in exceſſu me-
35 ritorum mera, & ſimplex, & ſucceſſivè nulla dici debeat donatio ex *cap. relatum il ſecondo extr. de teſtam.* ibi: *iuxta ſervitii meritum &c.* cum aliis apud Tiraquell. *in dicto verbo donatione largitus num.* 79. 80. Sanchez *dicta diſput.* 6. *num.* 7. *verſ. ſed quia &c.* Garzia *de donat. remunerator. num.* 24. Fontanell. *de pact. nupt. clauſ.* 4. *gloſſ.* 7. *part.* 2.
36 *num.* 27. Imò inſignia eſſe debere benemerita, non enim quæcumque ſatis ſunt, ut donatio remuneratoria dicatur, ait Sanchez *dicta diſput.* 6. *num.* 5. ubi exemplum ponit in donatione remunerationis Eccleſiæ, & clarius in Eccleſia loquens Rota Romana *dict. deciſ.* 252. *part.* 7. *recent. num.* 7. inquit, *non ſufficere, quod Beneficia ſint colorata, & in occaſionem ſumpta, ſed debent eſſe urgentia, & inſignia.*

Et quatenus, juxta communem Doctorum traditionem,
37 qualitas meritorum Judicis arbitrio remittenda ſit, ut ait Menoch. *conſ.* 2. *caſu* 132. *num.* 7. 8. qui facti, & perſonarum conditione librata, quæ nam ſit congrua, vel exceſſiva beneficiorum, ſeu meritorum, aut ſervitiorum acceptorum remuneratio judicare debet, uti trad. etiam Tira-
38 quell. *dicto verbo donatione largitus nu.* 84. 86. Garz. *d. tract. num.* 53. Sanchez *dicta diſput.* 6. *num.* 10. Nemo vel mediocris Judicii vir non judicabit, quod pro mutuo facto à Secretariis Sanctæ Sedi, longè excedentem compenſationem receperint, dum præter dimiſſionem vacaturi Secretariatus pro debita reſtitutione mutuatæ pecuniæ, & confirmationem omnium ſuorum antiquorum Privilegiorum ex gratia elargitam, cum ſumma quoque liberalitate relatum, donatumque eis fuerit totum id, quod ultra dicta ſcuta 5500. ex venditione vacaturi Secretariatus reportari contingeret, quod non fuiſſe modicum eventus comprobavit, abſque eo, quod alia donatio inducatur in caſu ſuppreſſionis totius, & ingentis illius pretii, quod ex ceſſione, & reſignatione quilibet Secretarius exolviſſet, quæ prima donatio totius pretii vacaturi Secretariatus, ſicuti aliquod ſpeciem haberet remunerationis æquipollentis ſervitio præſtito tunc Sanctæ Sedi mutuatæ pecuniæ, & ſic ex dimiſſione fortè dici potuiſſet aliquam Sanctæ Sedi, tunc in pecuniarum anguſtia exiſtenti, utilitatem, ſeu commodum reſultaſſe, ne novo ære alieno Cameram gravare cogeretur; Nulla tamen poterant eſſe, taliſque generis, & gravitatis merita, quæ compenſari debuiſſent cum adeò prodiga, & profuſa donatione, quæ certè in maximum, evidenſque ejuſdem Cameræ Apoſtolicæ detrimentum redundaret; Unde benè ait in propoſito Rota *dicta dec.* 242. *par.* 7. *recent. num.* 6. 7. *Quod merita gratis impenſa, & beneficia in Eccleſiam collata, eatenus ſunt cauſa ſufficiens pro conceſſione Bonorum Eccleſiæ, quatenus illorum reſpectu adhuc Eccleſia, non obſtante tali conceſſione, ſeu alienatione, remaneat cum lucro, & utilitate evidenti*; Unde ſi ſubſiſteret excogitata donatio, non modò ex ea nullum Eccleſia lucrum, aut commodum, ſed læſionem potius quàm maximam ſenſiſſet, & propterea nullo pacto talis donationis ſubſiſtentia, quatenus etiam clarè conſtaret, comprobari poſſet.

Et eo magis, quia ſi aliqua merita extitiſſent, fuiſſent perſonalia eorum Secretariorum, qui eo tempore ſuperſtites pecuniam ſub annuo conſenſu ab aliis acceperunt, ut eam Sedi Apoſtolicæ mutuarent, & qui pro eo tempore, quo dilata eſt vacatio ultimi ex ſex Secretariis, & ſic mutuatæ pecuniæ recuperatio, paſſi ſunt incommodum annui cenſus, quorum damnum etiam recompenſare voluit Sanctus Pontifex cum dimiſſione totius pretii, quod ultra ſcuta 5500. ex ex venditione ejuſdem vacaturi Secretariatus conſequi contingeret, etiamſi in magna quantitate excederet; Qui verò ſupervenere in ſucceſſione dictorum officiorum, poſtquam extinctum fuerat onus annui cenſus, & ſic integra emolumenta ab omni contributione immunia conſequuti ſunt, uti ſunt præſentes ſucceſſores, nullum pro Sede Apoſtolica incommodum ſenſere, aut damnum, & ſucceſſivè nec meritum acquiſiverunt, unde à Sede Apoſtolica remunerationem aliquam, nedum adeò gravem, & exceſſivam, uti prætendunt, conſequantur, & eſt juri conſonum, quod creditum morale ex collato beneficio præſtitum perſonæ cohæreat, nec ad ſucceſſores tranſeat activè ex parte ejus, qui ſervitia meritoria præſtitit, juxta Reg. *l. unicæ* §. *Ne autem C. de Caduc. toll. l. quia tale ff. ſolut. Matrim.* & ibi: Petr. Barboſ. *in dict. l. quia tale num.* 8. *verſ. Aut intelligis ff. ſol. Matrim.*

Quamobrem, ut inſcitiam meam fatear, numquam captivarè valui intellectum meum, ut ab adeò patenti, & ſæpius tam verborum natura, quàm facto ipſo, & ſpeciali quoq; expreſſione declarata Beati Pontificis mente anteacta ſolùm privilegia ſub iiſdem modis, & forma, & conditionibus, quibus fuerunt conceſſa, confirmandi, vel ſaltem eadem iterum pro cautiori Secretariorum ſecuritate concedendi diſcederet, ut ex unico pluribus ſubjectis adaptabili verbo ſuaderetur, inductam fuiſſe innovationem, & adeò exorbitans, & in ipſius concedentis, & Ærarii ſui ingentem læſionem prodigaliſſimum privilegium, dum præſertim idem verbum non modo non eſt alienum, ſed potius mirum in modum convenit, & proprium eſt explicationi rei, de qua agebatur, nempè quod in revocatione Officii teneretur Camera ad reſtitutionem recepti, prout ſtatutum fuit in prima erectione Officii, & privilegiorum largitione, quæ ipſa cum omnibus ſuis cautelis, & jam contractis à Camera obligationibus confirmare, & de novo concedere, & non ultra Sanctiſſimo, Beatoque Pontifici placuit.

Ex quibus &c. Salvo tamen ſemper &c.

Ego Aloyſius Manſi I. V. D. Advoc. Patritiuſque Lucenſis.

IV. Reſponſum Jo. Baptiſtæ Saminiati J. C. Lucenſis.

ARGUMENTUM.

Verba diſpoſitionis quomodo veniant intelligenda, & quando licitum ſit ab eorum ſenſu recedere. De ſignificatione verborum *reſtituere*, *reddere*, *modo*, & *forma*, & de dictionibus *Vt*, & *niſi*. Quid operetur confirmatio. Donatio non eſt præſumenda; quando, & ex quibus convincatur perſonalis; ſtrictè interpretanda. Princeps ad quid teneatur ſi præjudicat alieno juri; diſpoſitio quando dici poſſit perſonalis.

SVMMARIVM.

1 L *Ex fundamentalis, ubi qualificatè, & cum aliqua determinatione loquitur, qualificat, & determinat, necnon ad ſui intellectum trahit omnes alias leges ſimpliciter, & generaliter, ſuper eadem materia loquentes. Confirmans debet intelligi ad limites legis confirmatæ num. 7. Poſterior debet in dubio intelligi iuxta limites præcedentis nu. 58.*

2 *Verbum* reſtituere *denotat retrodationem rei, aut pecuniæ præcedenter receptæ, & nu. 28. differt à verbo* reddere *nu. 29. & num 30.*

3 *Verba iuxta ſubiectam materiam ſunt intelligenda. Sunt teſtimonium noſtræ mentis num. 9.* Modo, *&* forma *quid important, num. 12. Subſequentia clara demonſtrant quid fuerit intellectum cum præcedentibus dubiis nu. 15. Senſus verborum eſt capiendus, qui cum ratione, & veriſimilitudine congruentior ſit numer. 18. A naturali eorum ſignificatione recedi non poteſt, niſi manifeſtum ſit aliter ſenſiſſe diſponentem nu. 26. 31. Clara, & litteralia quando dici poſſint, nu. 27. Intelligenda ſunt iuxta conſuetudinem loquentis, numer. 32. Singula ſingulis congruè referendo debent intelligi numer. 41.*

4 *Reſignatarius repræſentat reſignantem, & in eius iura ſubrogatus intelligitur.*

5 *Inſolutum habuiſſe, & emiſſe differunt, & nu. 6.*

6 *Confirmationis ea eſt natura, quod non tranſcendat limites rei confirmatæ, & habeat omnes illas qualitates, quæ inhærebant actui confirmatio, licet in confirmatione non fuerint expreſſæ, nec præcisè declaratæ. Ex quibus confirmatio tantum facta dicatur numer. 9. & ſeq. Non ampliat confirmatum, ſed ſtrictius ligat, numer. 11.*

10 *Actus talis præſumitur, qualem partes denominaverunt.*

13 *Dictio* Ut *demonſtrativa primariæ intentionis diſponentis.* Niſi *poſt præcedentem negativam includit affirmativam in caſu contrario nu. 33.*

14 *Cauſa finalis omninò influit in cauſatum. Ab ea colligitur an diſpoſitio ſit* perſonalis, *vel realis, numer. 42. Verba generalia reſtringuntur ad ipſam cauſam numer. 45.*

16 *Camera, niſi expreſsè, & præcisè fuerit ad aliquid gravata, non comprehenditur in aliqua generali diſpoſitione. Pro ea in dubio eſt pronunciandum numer. 56.*

17 *Diſponens, ſi quod voluit, expreſſit, in non expreſſis, noluiſſe intelligitur.*

19 *Donatio remuneratoria non datur ſine præexiſtentia meritorum æquipollentium. Donatio non præſumitur, quando alia congrua interpretatio, dari poteſt num. 20. Ex cauſa finali arguitur, an donatio ſit perſonalis, vel realis nu. 43. 44. Dicitur donatio quælibet promiſſio à liberalitate procedens nu. 48. ſupponi non poteſt in ſenſato viro numer. 49. Eſt ſtrictiſſimi iuris, numer. 50. 51.*

21 *Papæ aſſertioni ſtandum eſt, quod motus fuerit ex cauſis concernentibus neceſſitatem, & publicam utilitatem ad aliquid ſtatuendum.*

22 *Princeps non tenetur ad recompenſationem, quando per viam legis generalis, ordinatæ ad publicam utilitatem, præiudicavit iuri alterius. Principum beneficia in dubio non ſunt intelligenda, quod plures ſpecialitates contineant, nu. 57.*

23 *Fiſcus tenetur tantùm ad ſimplum non ad aliud.*

24 *Obſervantia vera interpres omnium diſpoſitionum.*

25 *Diſpoſitio clara, & litteralis non indiget interpretatione. Quando talis dicenda ſit, num. 27.*

34 *Gratia perſonalis cum perſonis extinguitur. Perſonalis, ex quibus arguatur, nu. 35. 36. & ſeq. 42. & ſeq. Et quid in gratiis Motu proprio factis? num. 46. Quando deviat à iuris tramite, præſumitur perſonalis, numer. 52. Latè intelligenda, numer. 53. Declara numer. 54. 55.*

38 *Participium reſolvitur in ſuum verbum, & relativum.*

39 *Diſcretiva locutio manifeſtat contrariam voluntatem in parte diſcretiva.*

DUm ſuppreſſo Collegio Secretariorum Apoſtolicorum ſingulis Officiorum poſſeſſoribus fuerunt integrè, & abſque diminutione reſtitutæ pecuniæ, quæ per eos, vel eorum auctores fuerunt Cameræ perſolutæ, pro emptione, aut conſecutione dictorum Officiorum, cenſeo pro veritate ad nil ultra ipſam Cameram teneri, ideòque recedendum eſſe à deciſis per Rot. *ſub die 16. Iunii* proximè elapſi.

Moveor ex illis fundamentis, quæ fuerunt propoſita per clariſſimos, & doctiſſimos viros, qui in Urbe Romana pro Camera ſcripſerunt, à quibus ad inſtar diligentiſſimorum meſſorum, nullæ poſt terga relictæ ſunt ſpicę, quę per alios recolligi valeant; Quemadmodum enim fuit conſideratum, ex triplici fonte derivari poteſt reſolutio propoſiti articuli. Primò ex legibus particularibus; Secundò ex Juris communis diſpoſitione, tertiò ex obſervantia, conſuetudine, vel ſtyo ſervari ſolito in ſimilibus ſuppreſſionibus.

Quoad primum; Duæ ſunt Conſtitutiones Summorum Pontificum ad cauſam facientes; Altera Innocentii Octavi anni 1487. (12. in ordine) quam aſſiſtere intentioni Cameræ nemo poteſt in dubium revocare, ex quo facta per eum erectione in ampliorem formam hujuſmodi Collegii, eique aſſignatis diverſis emolumentis, necnon conceſſis pluribus privilegiis, & ſignanter facta declaratione in §. 11. quod omnes poſſent de eorum officiis liberè diſponere, nec reſignationis receptio poſſet per Summos Pontifices aliqua ratione denegari, vel differri; Conſiderans deinde caſum revocationis, aut alterationis eorumdem Officiorum, declaravit, quid eſſet perſolvendum à Camera, ut in §. 23. nempè ſumma ducatorum 62400. quæ præcisè fuerant ipſi Cameræ ſoluta, pro venditione Officiorum: Subdens, *ſic enim cum ipſis Secretariis nos in tractatu omnium præmiſſorum convenisse, & ſic pacto expreſſo eis pro ſe ipſis, & eorum ſucceſſoribus, cum ſimili Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu fuiſſe ſolemniter pollicitos in fide Pontificis recognoſcimus, & atteſtamur.* Ex quorum verborum tenore colligitur, quod & ſi per dictos Secretarios ex una, & Summum Pontificem Collegii prædicti reformatorem, vel erectorem ex altera, fuerit conſiderata venalitas Officiorum, & quod tractu temporis potuiſſent augeri pretia, & inter reſignantem, & reſignatarium induci ſpecies mercimonii, nihilominus poſthabita hujuſmodi conſideratione, fuerit expreſsè, & præcisè conventum, quod data Officiorum ſuppreſſione reſtituendum foret per Cameram id, quod verè, & in effectu fuerat eidem ſolutum, nempè dicta ducata 62400. in quo intervenit conſilium, & aſſenſus Eminentiſſimorum Cardinalium, & è contra talis conventio fuit formata tam pro Officialibus tunc exiſtentibus, quàm pro ſucceſſoribus in dicto Collegio Secretariorum, ibi, *pro ſe ipſis, & eorum ſucceſſoribus*, idque videtur in hoc propoſito matura ponderatione dignum, quia agitur de lege fundamentali conſtitura, & ordinata in erectione dicti Collegii, (& ad cujus terminos propterea videtur trahendus ſenſus cujuſque poſterioris Conſtitutionis agentis de hac principali ſubſtantia, nempè de reſtituendis pecuniis ſingulis Officialibus in caſum, & eventum ſuppreſſionis, & extinctionis dicti Collegii.) Quemadmodum enim hæc prima Conſtitutio quæ nuncupari poteſt quædam ſcaturigo, à qua emanarunt privilegia, indulta, & facultates totius Collegii, & Secretariorum, apertiſſimè demonſtrat, quid prætendi potuiſſet ſub illo verbo, *ad reſtituendum eis*, quo utitur eadem Bul-

la,

la dum etiam in vim pacti firmati inter Cameram, & Officiales ſtipulantes pro ſe ipſis, eorumque ſucceſſoribus in eodem Collegio, reſtitutio facienda in caſum ſuppreſſionis, vel revocationis Officiorum fuit præcisè reſtricta, & limitata intra ejus propriam ſphæram, nempè relativè ad illas pecunias tantummodo, quæ Cameræ fuerant ſolutæ, in ejuſque commodum, & beneficium ceſſerant, non facta, neque admiſſa alia, vel minima extenſione, aut ampliatione ad id, quod Ærarium Apoſtolicum non recepiſſet, atque adeò dicta primordialis Conſtitutio edita in ipſo limine fundationis Collegii meminit de dicta reſtitutione, ſubordinata ad pecunias per ipſam Cameram receptas, & non ultra; Ita in hoc ſenſu, & retento eodem themate debet omninò accipi, & intelligi quæcumque ſubſequens, & poſterior diſpoſitio, vel ordinatio, & conſequenter *Motus proprius* B. Pii (de quo mox ſum acturus, non tamen admittens tanquam in ſe clarum hujuſmodi ponderatione indigere;) In illo enim, dum fit mentio de tali reſtitutione, intelligi deberet cum eodem tenore, retentiſque iiſdem termin s, cum quibus loquitur hæc *Innocentiana* Conſtitutio, ſcilicet in ordine ad receptam pecuniam per Cameram, & non aliter; Aſſiſtit enim ea receptiſſima concluſio, quod ubi lex fundamentalis, qualificatè, & cum aliqua determinatione loquitur, qualificet, determinet, & ad ſui intellectum trahat omnes alias ſimpliciter, & generaliter ſuper eadem materia loquentes, Alberic. de Roſat. *in l. ſi quis in princip. tit. num.* 2. *in* 2. *oppoſ. ff. de leg.* 3. Soccin. Jun. *in l. cum filio familias, in verbo Venio ad apparatum gloſſæ n.* 46. *ff. de leg.* 1. Mantic. *de tacit. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 23. *num.* 11. Salgad. *de reg. protect. par.* 1. *cap.* 1. *prælud.* 5. *nu.* 228. & ante eum Surd. *conſ.* 177. *nu.* 33. Redenaſc. *conſ.* 63. *num.* 3. *& ſeqq.* Parlador. *rer. quotid. lib.* 2. *cap.* 5. *ſub nu.* 2. *verſ. præter has.*

Secunda Conſtitutio habetur per eumdem Motum proprium B. Pii Quinti anni 1571. qui cognito quod officium vacans per obitum Marcelli Auguſtini à ſe conceſſum Cardinali Mediceo, pro ſumma ſcut. 5500. eſſet unum ex illis ſex, quæ vendi non poterant, cum dicta ſua particulari Conſtitutione, loco dicti Officii, cujus pretium dicto Cardinali reſtituere ſe obtulerat Secretariorum Collegium, eidem Collegio aſſignavit pretium Officii alterius Secretariatus ex 24. ad Datariam ſpectantibus primo loco vacaturi, & ulterius privilegia dicti Collegii confirmavit, & pro majori cautela, eadem de novo conceſſit, ſubdens in §. *Ad hæc, Volentes, & ſtatuentes illa nullo unquam tempore per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, revocari, reduci, alterari, aut moderari, nec Collegium ipſum ſupprimi, vel extingui non poſſe, niſi reſtitutis prius realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis tunc viventibus; integrè, & abſque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit.* Hanc quoque Conſtitutionem in hac parte Cameræ non ſolùm non officere, ſed potiùs ejus intentionem plenè comprobare plura efficaciſſimè demonſtrant.

Primò, quod licet B. Pius amplioris favoris gratia fuerit proſequutus idem Collegium, in eo, quod dum vigore Bullæ Innocentii Octavi Camera de tempore ſuppreſſionis, non erat obligata, niſi ad ei perſolvendum dicta ſcuta 62400. ipſe viceverſa mandaverit reſtitutionem pecuniarum, pro quibus poſſeſſores Secretariatuum, vel eorum auctores officia emiſſent, vel habuiſſent, atque adeò in hoc derogatum dici poſſit præcedenti Conſtitutioni Innocentii, hæc tamen derogatio facta fuerit reſpectu dictæ quantitatis tantùm, firmo in reliquis remanente tenore dictæ Conſtitutionis, & propterea, ſicuti in dicta Bulla Innocentii, dato caſu ſuppreſſionis, fieri debebat ſolutio illarum pecuniarum, quas idem Pontifex receperat; Ita in dicto Motu proprio B. Pii fuerit promiſſa exburſatio illius ſummæ, quæ ceſſiſſet in commodum, & beneficium ejuſdem Cameræ, ut verè, & propriè comprobant illa verba *niſi reſtitutis, &c.* denotantia retrodationem rei, aut pecuniæ præcedenter receptæ, atque adeò de per ſe declarativa intentionis legislatoris, quod ipſa Camera non teneretur, niſi ad id, quod accepiſſet, & non ultra, ad Text. *in l.* 1. §. *eleganter ff. depoſ.* Surd. *conſ.* 238. *n.* 4. Grat. *cap.* 824. *nu.* 7. *& ſeq.* Neguſ. *quæſt.* 443. *nu.* 3. 4. Bero. *conſ.* 207. *nu.* 63. *vol.* 3. plenè Thomat. *dec.* 50. *n.* 501. ubi quod juxta propriam ſignificationem verbum *reſtituere* non verificatur niſi in accepto, & confirmat Altograd. Sen. *conſ.* 84. *n.* 106. *lib.* 1. Rot. *dec.* 314. *n.* 2. 3. *part.* 14. *& deciſ.* 59. *n.* 1. *part.* 16. *& coram Cavaler. dec.* 591. *nu.* 5. *& coram Greg. dec.* 271. *nu.* 3.

Non refragantibus illis verbis *integrè, & abſque ulla diminutione*; Quia ea quidem ſuadeant, quod ſolutio fieri debuerint in totum non pro parte, hæc tamen totalitas remanere debeat reſtricta, & limitata intra cancellos ſuos, nempè reſpectu illarum pecuniarum, quę per Cameram fuerint acceptæ, intelligendo verba juxta ſubjectam materiam reſtitutionis, de qua loquitur dictus Motus proprius, prout ſemper fieri debet *l. ſtipulatio iſta ff. de verb. oblig. l. cum Pater* §. *donatum ff. de leg.* 2. Surd. *dec.* 2. *num.* 13. *& deciſ.* 43. *num.* 16. Seraphin. *dec.* 121. *nu.* 11. Add. ad Rot. *dec.* 217. *n.* 198. *part.* 9. *rec.*

Nec etiam illis, *Pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*; Quia congruam patiter recipiant expoſitionem ſubjectæ materiæ conſentaneam, videlicet, quod fieri debuerit reſtitutio pecuniarum, pro quibus poſſeſſores officiorum, vel ipſorum Auctores eoſdem Secretariatus emiſſent à Camera, cum uterque caſus rectè conveniat illi dictioni *eos*, hoc eſt ſive per Officiales viventes facta fuerit immediata acquiſitio à Camera, ſive mediante perſona Auctorum, in vim reſignationis per eos factæ, juxta regulam, quod reſignatarius repræſentet omninò reſignantem, & in ejus jura ſubrogatus intelligatur, Bich. *deciſ.* 182. *nu.* 6. 7. Pariſ. *de reſignat. lib.* 1. *quæſt.* 16. *nu.* 1. *& ſeqq.* Verbum verò *habuiſſe* congruè fuit appoſitum pro majori declarativa comprehenſione illius caſus, in quo de tempore ſuppreſſionis compertum fuiſſet, quod Collegium, vel aliquis ex Officialibus habuiſſet aliquem Secretariatum, non per viam emptionis ſtrictè, & rigoroſè acceptæ, ſed mediante datione inſolutum facta per Cameram; Ad id enim dici potuiſſet non benè congruere illud *emiſſe*, ſed *habuiſſe*, hoc eſt inſolutum. *Leg. eleganter in princip.* ibi *quemadmodum ſi pro ſoluto ei res data fuerit ff. de pignorat. act. l. ſi prædium*, ibi *Tibi pro ſoluto datum eſt C. de evict.* licet enim is, qui rem accepit inſolutum, ſit ſimilis emptori, *l. fin. ff. quibus ex cauſ. in poſſ. eat.* non tamen eſt emptor verè, & propriè, cum ſimile non ſit idem *l.* 4. ibi, *nam huiuſmodi contractus vicem venditionis obtinet C. de evict.*

Quam diſtinctionem inter *emiſſe*, & *habuiſſe* eò magis potuit B. Pius conſiderare, ex quo ipſemet tunc temporis contulerat, & aſſignaverat Collegio primum beneficium vacaturum ex vigintiquatuor Secretariatibus ad Datariam ſpectantibus in ſolutionem ſcut. 5500. quæ uti reſtituenda per Cameram Cardinali Mediceo in ſe accollaverat idem Collegium, eaque pro Papa, ejus nomine, reſtituere ſe obligaverat; Ideòque uti voluit, etiam dicto verbo *habuiſſe*, ne ſi ſuppreſſio fuiſſet facta per ſucceſſores, poſt vacationem dicti primi Officii, ulla cadere potuiſſet difficultas pro reimburſatione ejuſdem Collegii, ex quo illi aſſignatum fuiſſet Officium inſolutum non venditum, idemque obſervandum foret, ſi alta datio, vel aſſignatio inſolutum tractu temporis facta fuiſſet per Cameram, tam dicto Collegio, quàm alteri univerſitati, vel cuicumque particulari perſonæ.

Secundò, comprobatur aſſumptum ex eo, quod B. Pius in dicto §. *ad hæc*, nil aliud intellexiſſe dici poſſit, quàm confirmare, vel renovare privilegia, gratias, & indulta, quæ per Innocentium Octavum, alioſque prædeceſſores fuerant conceſſa dicto Collegio Secretariorum; Quo fit, ut eo fortiùs verba ſuperiùs ponderata, & cum quibus expreſſit ſuam voluntatem circa reſtitutionem dictarum pecuniarum, in caſum, & eventum ſuppreſſionis Collegii, intelligenda, & exponenda ſint in ſenſu prædicto, nempè uti loquentia de pecuniis per Cameram acceptis, illiſque propriè cadentibus ſub reſtitutionis vocabulo, ſicut enim per legem fundamentalem ab Innocentio Octavo ſancitam in caſu extinctionis Collegiis, non erant reſtituenda per Cameram, niſi illa ducata 62400. quæ ipſa Camera acceperat; Ita dum B. Pii intentio non alia fuit, quàm confirmandi, vel renovandi privilegia, & indulta, tam per dictum Innocentium, quàm per alios prędeceſſores conceſſa, talis confirmatio, vel renovatio debet intelligi ad limites præcedentium Conſtitutionum, atque adeò quod reſtitutio pecuniarum per B. Pium præſcripta, etiam quod contineret in ſe majorem verborum prægnantiam, quàm habebat, comprehendat accepta per ipſam Cameram tantummodo, nec ultra egrediatur; *l. ſciendum*, & ibi *gloſſ. & DD. ff. qui ſatisd. coz. l.* 3. *C. de ſilentiariis lib.* 12. *& hæc conſulti ſſima in princ. C. qui teſtamen. fac. poſ.* Bald. *in l. ſed etſi poſteriores ff. de legib. & in l.* 1. *num.* 33. *ff. de conſtit. Princip.* Vaſq. *de ſucceſſ. creat.* §. 3. *nu.* 1. Gutier. *pract. quæſt. civil. lib.* 4. *quæſt.* 1. *nu.* 3. latè Rot. *coram Burat. dec.* 167. *nu.* 3. 4. benè eadem Rota

dec.

dec. 555. *n.* 2. *& ſeqq. par.* 2. *rec. & dec.* 269. *num.* 44. *tom.* 2.
8 *par.* 4. Hæc enim eſt natura confirmationis, quod non tranſcendat terminos rei confirmatę, ſed habeat omnes illas qualitates, quæ inhęrebant actui confirmato, licèt in confirmatione non fuerint expreſsæ, neque præcisè declaratæ, Alex. *conſ.* 122. *num.* 20. *lib.* 4. Grat. *cap.* 909. *num.* 17. Rot. *deciſ.* 257. *num.* 21. *par.* 9. *& dec.* 85. *num.* 2. 3. *& ſeq. par.* 17. cum aliis pluribus apud Reverendiſs. & doctiſſimum D. meum de Luc. *de præeminent. diſc.* 40. *nu.* 5. *tom.* 3.

Quod verò facta fuerit prædicta confirmatio tantùm, ſeu
9 renovatio, demonſtrant apertè illa verba *confirmamus, & approbamus &c. & pro cautela potiori eadem privilegia &c. de novo concedimus &c.* noſtræ autem mentis teſtimonium, & ſigna declarativa ſunt verba, *l. labeo*, §. *idem Tubero ff. de ſupellect. leg. l. ſcire ff. de tut. & curat.*

Confirmant idem, quę per Officiales fuerunt facta, cum pro contentis in dicto §. *ad hæc* curaverint ad partes Breve expediri cum rubrica exprimente confirmationem privilegiorum, actus verò præſumitur talis, qualem partes deno-
10 minaverunt, Grat. *cap.* 96. *nu.* 30. & ante eum Alex. *conſ.* 3. *ſub n.* 1. *verſ. & dicit lib.* 1. Sal. *de pact. conſ.* 24. *n.* 11. Mantic. *de tacit. lib.* 2. *tit.* 2. *nu.* 1. *& ſeq.*

Coadjuvant illa verba, *& firmiùs ſubſiſtant, quo ſæpiùs fuerint Apoſtolica auctoritate munita*, cum hoc ſit proprium
11 confirmationis, quod non ampliet confirmatum, ſed tantùm ſtrictius liget, *cap. cum dilecta, verſ. nolentes tamen*, ibi *ſed antiquum (ſi quod habet) per innovationem privilegii conſervetur*, Extr. *de confirm. utili, vel inutili*, Rot. *deciſ.* 682. *nu.* 30. *tom.* 3. *par.* 4.

Idemque evincit declaratio illa facta B. Pium in dicto §. *Ad hæc*, cum qua expreſſit ſe erga dictum Collegium confirmare, vel renovare privilegia *iiſdem modo, & forma, quibus per dictos prædeceſſores conceſſa fuerunt iiſdem Secretariis*, quæ verba excludunt quamcumque intentionem augendi privilegia, eaque extendendi; Quinimò demonſtrant voluntatem eadem concedendi, cum omninoda moderatione qualitatis determinatæ, & limitatæ, prout erat ſtatus prę-
cedens, non ſecus, ac ſi dictum fuiſſet, ita demum, &
12 non aliter Gratian. *c.* 832. *n.* 4. & quod dicta clauſula *iiſdem modo, & forma* deſignat identitatem in omnibus, Rot. apud Dunoz. Jun. *dec.* 715. *nu.* 1. *& in rec. & dec.* 555. *n.* 6. *par.* 2. Altograd. Sen. *conſ.* 58. *nu.* 44. *& ſeqq. vol.* 1. Cyriac. *contr.* 69. *nu.* 34 Rot. *dec.* 354. *nu.* 28. *par.* 11.

Nec obſtant illa verba initiativa; *Ad hæc dictos Secretarios, & Collegium ampliorisfavoris gratia proſequi volentes &c.* quaſi denotent B. Pium intellexiſſe ampliare, & extendere privilegia ad favorem Collegii prædicti, non verò ſe continere intra limites ſolius confirmationis, aut renovationis.

Quia ſtatim expreſſit Summus Pontifex, in quo conſiſtere deberet amplioris favoris gratia, adjectis immediatè illis verbis. *Vtque ea, quæ per eumdem Innocentium Octavum, ac Alexandrum Sextum, Leonem Decimum, Clementem Septimum, ac alios fortaſſe Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, eiſdem Secretariis, & Collegio conceſſa fuerunt, eò firmiùs ſubſiſtant, quo ſæpiùs fuerint Apoſtolica auctoritate munita, idcirco &c.* reflectendo maximè ad illam dictionem
13 *Vt* propriè demonſtrativam primariæ intentionis, & illius cauſæ finalis, quæ mentem Pontificiam moderabatur ad *l. ſi Creditor. de diſtract. pignor.* & *l. emptori ff. de Evict.* cum concordantibus apud Barboſ. *dict.* 439. *nu.* 1. quibus propterea benè perpenſis numquam admitti poteſt ſuppoſita intentio eadem privilegia extendendi; Tum quia cauſa finalis erat ordinata ad actum ſimplicis confirmationis, vel renovatio-
14 nis, ideòque ejuſdem naturæ ſupponi debet diſpoſitio facta, cùm hæc cauſa omninò influat in cauſatum. Dec. *conſil.* 7. *nu.* 20. 21. *lib.* 1. Mantic. *de tacit. lib.* 3. *tit.* 12. *nu.* 27. Thomat. *dec.* 50. *nu.* 406. latè Redenaſch. *conſ.* 36. *nu.* 10. *& ſeq.* Altograd. Sen. *conſ.* 51. *nu.* 48. *& ſeq. lib.* 2. Tum etiam quia prædicta verba ſubſequentia clara apertè demonſtrant quid
15 Summus Pontifex intellexerit ſub illis præcedentibus verbis *amplioris favoris gratia proſequi volentes*, Rot. *dec.* 125. *nu.* 38. *par.* 2. *diverſ.* Surd. *dec.* 288. *nu.* 35. Grat. *cap.* 58. *n.* 26. *& ſeqq.* cum aliis apud Altograd. Sen. *conſ.* 12. *nu.* 24. *lib.* 2.

Tertiò, ſtringit pro Camera, quod in dicto §. *Ad hæc* nullibi legitur expreſsè declaratum, quod in caſu ſuppreſſionis
16 ſolvendum foret Officialibus pretium, cum quo emiſſent à reſiguantibus, qua præciſa, & litterali expreſſione non facta, nunquam ſupponi poteſt, eam fuiſſe mentem B. Pii, quod Camera in tam grave proprium præjudicium teneretur ad ſolvendum, quod non acceperat, & quod ceſſerat in aliorum commodum, & utilitatem, ut in terminis ſatis proximis aliàs reſpondit Rota *deciſ.* 555. *ſub nu.* 8. *verſ. ex mente etiam Pontificis, iuncto nu.* 9. *part.* 2. *rec.*

Quartò, quia quando B. Pius voluit Cameram teneri ad aliquid ſolvendum, ultra id, quod in ſorte per eam deberetur, non prętermiſit litteris claris, & apertis exprimere, ut in caſu moleſtiarum, vel turbationum, quæ fuiſſent dicto Collegio Secretariorum illatę, occaſione Officii in ſolutum eidem aſſignati, ut ibi, *tunc, & eo caſu Cameram præfatam ad ſolvendum cum effectu dictam ſummam ſcutor.* 5500. *una cum damnis, & intereſſe paſſis teneri*; Atqui ſi intellexiſſet, 17
quod in caſum ſuppreſſionis teneretur Camera ad ſolvendum, ultra acceptum, utique præcisè dixiſſet, nec ſub ſilentio prætériſſet, quod cum non fecerit, nec voluiſſe, nec ita ſenſiſſe omninò tenendum eſt, *l. unic.* §. *ſin autem ad deficientis C. de caduc. toll.* Aretin. *conſ.* 29. *n.* 5. 6. *& ſeq.* Aym. *conſ.* 111. *n.* 4. Altograd. *conſ.* 68. *nu.* 61. *lib.* 1.

Quintò, quia cum ſemper adhęrendum ſit ſenſui, & ſignificationi verborum, qui cum ratione, & veriſimilitudine congruentior ſit, *l. cum Pater ff. de pact. dot. non ad ea verſ.* 18
quod ſi purè ff. de condit. & demonſtrat. Rot. *dec.* 711. *num.* 2. *par.* 3. *dec.* 387. *nu.* 9. *& dec.* 429. *ſub nu.* 24. *par.* 5. *& deciſ.* 387. *n.* 45. *par.* 9. *& dec.* 169. *nu.* 13. *par.* 15. *rec.* Ratio, & veriſimilitudo ſuadere videtur rectiſſimum, & juſtiſſimum Pontificem, nunquam intellexiſſe gravare Apoſtolicum Ærarium ad ſolvendum quod non acceperat, & ad ſe exonerandum à debito, quod non contraxerat.

Fortiùs quia, non obſtante quòd Summus Pontifex Innocentius Octavus in erectione Collegii dictorum Secretariorum recepiſſet notabile ſubſidium, nempè ducata 62400. cum quibus redemit ipſam Mitram Pontificalem, quam cum aliis iocalibus Eccleſiæ pretioſis oppignoraverat, occaſione oppreſſionum, quas paſſus fuerat, & pro quibus ſimul cum Ærario fuerant exhauſti Eccleſiæ proventus, ut ipſemet expoſuit in dicta ſua Conſtitutione 12. §. 2. ideòque cum cauſa ſatis rationabili potuiſſet ſuam voluntatem gratam oſtendere erga dictum Collegium, nihilominùs conſiderato caſu ſuppreſſionis promiſit reſtitutionem pecuniarum receptarum tantummodo, nempè dictorum ſcutorum 62400. Nimiùm igitur improbabile, & inveriſimile prorſus eſt, quod pro ſolis ſcutis 5500. debitis per Cameram Cardinali Mediceo, & accollatis per Collegium prædictum (cui ulterius data fuit debita recompenſatio, mediante aſſignatione Officii primo loco vacaturi) voluerit B. Pius eam nimium generoſam liberalitatem exercere, gravando Cameram in caſum ſuppreſſionis ad ſolvendum tam accepta, quàm non accepta, & illud, quod tertiæ perſonæ fuiſſet pro arbitrio perſolutum.

Sextò, quia ſi aliter diceretur, admittendum eſſet, quod de toto eo ultra acceptum, pro quo teneretur Camera erga Officiales intellexiſſet Papa, in caſum dictæ ſuppreſſionis, munificentiam exercere ad eorumdem favorem, in damnum, & præjudicium ipſius Cameræ, & quidem non cum donatione remuneratoria, ſed pura, & ſimplici, ex quo 19
nunquam proponi poſſint merita æquipollentia, & coæqualia, ſine quibus donatio remuneratoria non datur, Mant. *de tacit. lib.* 13. *tit.* 15. *nu.* 18. Seraphin. *dec.* 416. *nu.* 13. eadem Rot. *dec.* 358. *n.* 11. 12. *par.* 6. Giurb. *ad conſuet. Meſſan. cap.* 1. *gloſſ.* 10. *num.* 34. Altograd. Jun. *controv.* 29. *nu.* 57. *par.* 1. & latiùs *controv.* 96. *nu.* 245. *par.* 2. Nemo au- 20
tem non admittit donationem præſumi non poſſe, quando alia congrua interpretatio fieri poteſt, ut in facto præſenti, ad *l. cum de indebito ff. de probat.* Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 12. *n.* 10. Hond. *conſ.* 50. *nu.* 24. *lib.* 2. Altograd. *conſ.* 5. *nu.* 25. *lib.* 1. Dominus meus de Luca *de donat. diſc.* 16. *ſub n.* 2. Rota *dec.* 21. *nu.* 3. *par.* 4. *rec. & dec.* 45. *nu.* 3. *par.* 9. *& dec.* 17. *nu.* 5. *par.* 17.

Prædicta eò magis urgere videntur pro Camera, ex quo ſi neceſſe foret prout non eſt, attenta perſpicuitate Conſtitutionum prædictarum) recurrere ad jus commune, vel conſuetudinem, quæ ſunt cętera duo principia, de quibus memini ab initio, utrumque coadjuvaret bonum jus Cameræ.

Siquidem cùm Sanctiſſimus Noſter decreverit ſuppreſſionem dicti Collegii, ex cauſis urgentiſſimis, ac neceſſitatem, & publicam utilitatem concernentibus, circa quas 21
ipſius ſoli aſſertioni ſtandum eſſe, licet in tertii præjudicium,

plenè

plenè exornat Add. ad Rot. *dec.* 254. *num.* 290. *& ſeqq. par.* 9. Larrea *alleg. fiſc.* 3. *ſub nu.* 8. Idque fecerit, non tollendo ſpecialiter particulari perſonæ jus ſuum, alterique dando, ſed per legem generalem, directam ex bono publico ad ex-
22 tinctionem ordinis univerſalis Secretariorum, videtur in hoc aſſiſtere receptior DD. ſententia, quod per hujuſmodi diſpoſitionem non teneatur Princeps ad aliquam recompenſationem, ut ultra plena manu cumulatos per inſignem Juris conſultum, & Dominum meum Bottini Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ Advocatum in *ſecunda Iuris §. accedit*, dixerunt Alex. *conſ.* 190. *n.* 14. *lib.* 2. Dec. *conſ.* 520. *col. penul.* propè finem, *verſ. & prædictæ concluſ.* Dec. *conſ.* 41. *nu.* 58. *lib.* 2. Menoch. *conſ.* 103. *n.* 28. *& conſ.* 702. *n.* 88. Surd. *conſ.* 313. *nu.* 100. *& conſ.* 210. *n.* 65. Add. ad Rot. *dec.* 217. *n.* 119. 120. *par.* 9. Altograd. Jun. *in ſua dec. unic. n.* 60. poſt ejus *Controv. to.* 1. Quo fit, ut ſi de jure Camera non teneretur ad aliquam pretii refuſionem, multò minùs poſſit ea dari interpretatio ad Pianam Conſtitutionem, quod Camera ſit obligata ultra pecuniam acceptam pro pretio officiorum, ſolvere etiam id, quod non accepit; Accedente inſuper illa ſatis efficaci ponderatione facta per Dominos Camerales, quod iſtud non acceptum numquam conſiderari poſſit, uti pars pretii reſpectu Cameræ, dum iſtud plus non fuerit ei ſolutum, & propterea id adverſus eam prætendi non valeat, niſi ſub colore damnorum, & intereſſe, in quo tamen fiſcus eo gau-
23 deat privilegio, quod teneatur tantummodo ad ſimplum, & ad id, quod accepit, & non ultra, juxtà Text. litteralem, in *l. ſi Procurator*, & ibi communiter *Scribentes ff. de Iur. fiſc.*

Quo verò ad conſuetudinem eam ferè ubique invaluiſſe colligitur ex Summario, reſtituendi ſcilicet in ſimilibus extinctionibus, & ſuppreſſionibus factis per Principem tantùm id, quod acceperit, & ita fuiſſe ſervatum per Beatum Pium, quando declaravit irritam conceſſionem officii factam Cardinali Mediceo, conſtat ex dicto Motu proprio, idemque comprobant, quæ per Summos Pontifices fuerunt executioni demandata occaſione locorum Montium, & aliorum, de quibus in dicto Summario, & conſequenter in hoc ſenſu, & juxta hunc tenorem intelligenda eſſet dicta
24 Piana Conſtitutio (quando de per ſe non eſſet clara pro Camera, prout talis videtur eſſe) cùm obſervantia ſit vera interpres omnium diſpoſitionum, itaut verba ad ejus formam debeant interpretari, etiamſi de jure haberent veriorem intellectum, Rota *dec.* 608. *nu.* 5. 6. *par.* 2. *rec. & dec.* 14. *nu.* 4. *par.* 7. *& dec.* 303. *nu.* 14. *par.* 15. *& coram Dunozet. Iun. dec.* 966. *num.* 17. *& coram Burat. dec.* 863. *nu.* 12 cum aliis apud Add. ad Greg. *dec.* 184. *ſub num.* 8.

Prædictis verò ita ſe habentibus, non obſtat unicum fundamentum, cui innititur Rotalis deciſio emanata ſuper præſenti articulo, videlicet, quod attentis illis verbis, *niſi reſtitutis priùs realiter, & cum effectu &c.* concurrat ad favorem Officialium ſpecialis expreſſa Papalis Conſtitutio, pro-
25 pter quàm recurri non poſſit ad interpretationem, & ſubauditum intellectum, ad Text. *in l. ille, aut ille, §. cum in verbis ff. de leg.* 3.

Etenim reſponderi poſſe crederem, quod pro meo tenui judicio ſubſiſteret ſuppoſitum, ſi litteraliter in dicta Conſtitutione diceretur, quod reſtituendum eſſet etiam pretium reſignantibus ſolutum; Tunc enim effectu vigeret contra Cameram ſpecialis, & expreſſa Papalis diſpoſitio, nec materia diceretur capax interpretationis, ſed ſolummodo tunc intraret inſpectio, an talis diſpoſitio, uti continens in ſe donationem pro illo pluri, quo in beneficium Cameræ non ceſſiſſet, caderet ſub regula Cancellariæ 64. revocatoria ſimilium conceſſionum, & ſub Conſtitutione Pauli Quinti, vel altera Urbani Octavi; Non idem è contra videtur admittendum, dum nullo facto verbo de reſignantibus, aut reſignatariis, ſimpliciter mandatur reſtitutio pecuniarum,
26 pro quibus Officia empta, vel habita fuerint, in hoc quippè caſu, ſequendo propriam, & naturalem verborum ſignificationem (à qua recedi non debet, niſi manifeſtum ſit aliter ſenſiſſe diſponentem, juxtà Marcelli Juris Conſulti monitum in *l. non aliter* 67. *ff. de leg.* 3. Pariſ. *conſ.* 22. *num.* 6. *lib.* 4. Surd. *conſ.* 140. *nu.* 63. *& ſeq.* Rot. *dec.* 299. *num.* 6. *par.* 12.) ipſa Conſtitutio non Officialibus, ſed Cameræ liberaliter aſſiſtit, ex quo injungit reſtitutionem, quæ de ſua natura, & etiam ex admiſſis in ipſa deciſione, verificatur in accepto.

Confirmatur ex eo, quod Text. *in dict. l. ille, aut ille* tunc applicatur, *cùm in verbis nulla eſt ambiguitas*, ut præciſè loquitur Paulus Juriſconſultus, in dicta lege, quod reaſſu- 27
mens Bald. *in Auth. hoc inter in princip. C. de teſtam.* addit, quod voluntas ita debeat eſſe declarata, ut intellectus non laboret in intelligendo, & quod ex ipſis verbis pateat ita ſpecificatè, ut nulla ſit dubitatio, & Bald. ſequuntur communiter DD. & ſignanter Mantic. *de conject. lib.* 3. *tit.* 4. *nu.* 7. Gratian. *cap. cap.* 902. *nu.* 25. An verò illa verba, *niſi reſtitutis* ſint adeo præciſa pro Officialibus, ut intret Text. prædictus, & allata Theorica Bald. ſentirem pro negativa, ducto argumento ab ipſo tenore Rotalis deciſionis, in qua, pro firmando dictorum verborum ſenſu, recurritur ad interpretationem DD. exponendo verbum *reſtituere* pro *dare*, & *ſolvere*; ergo caſus non eſt litteralis, dum neceſſe eſt aliundè mendicare ſignificationem.

Addo vim argumento, ex quo motivo fundatum ſuper dicta interpretatione DD. facillimè eliditur; licèt enim dicatur, quòd verbum *reſtituere* aliquando etiam accipiatur pro 28
dare, & *ſolvere*, *l. verbum reddendi ff. de verb. ſignific. l. cum quidam ff. de leg.* 2. *l. hæres meus ff. de leg.* 3. Rot. *coram Arguell. dec.* 77. *num.* 12. *& ſeqq.*

Attamen reflectendum, quod Jura prædicta loquantur, non in terminis verbis *reſtituere*, ſed verbi *reddere*, quod 29
eſt latioris ſignificationis, ut teſtatur *gloſ. l. ſed mihi* 3. in verbo, *non videbitur*, ibi, *& quia verbum reddi latam habet ſignificationem*, *ff. commod.* & quod latè pateat, teſtatur Spiegel. in verbo *reddere*.

Ulterius quandocumque ſine veritatis præjudicio verbum *reſtituere* ejuſdem eſſet efficaciæ, & *ſolvere*, certum eſt, quod tunc verbum *reſtituere*, vel *reddere* accipiuntur pro *da-* 30
re, & *ſolvere*, quando ex natura, & qualitate diſpoſitionis, hujuſmodi verba accipi non poſſunt in ſua naturali ſignificatione ſupponente rem acceptam, in hoc quippe caſu, ne diſpoſitio corruat, & vitiata remaneat, datur intellectus prædicto, quod intelligatur pro *dare*, vel *ſolvere*, & in his terminis procedunt omnia jura adducta, & quotquot alia proponi poſſent; ſed quando, prout in facto noſtro, tale verbum *reſtituo*, eſt operativum, retinendo propriam, & naturalem ſignificationem, & non ſolùm neceſſitas non cogit ad amplectendum extraneum ſenſum, quinimò (ut hìc) plura, & quidem efficaciſſima fundamenta ſuadent illud intelligi non poſſe, niſi in ſuo proprio, & naturali ſignificatu, tunc planum eſt omninò, jura in contrarium allegata non officere, aliàs deſtruerentur receptiſſima illa principia, de quibus ſupra, habentia verborum proprietatem attendendam, illorumque naturalem ſignificationem, & ab ea non eſſe recedendum, niſi in contrarium 31
manifeſta appareat diſponentis voluntas, Giurb. *ad conſuet. Meſſan. c.* 5. *gloſ.* 6. *numer.* 4. Barboſ. *axiom.* 222. *numer.* 4. Cyriac. *contr.* 96. *numer.* 48. Bec. *conſil.* 35. *numer.* 9. Altograd. *conſil.* 61. *numer.* 33. *lib.* 2. cum ſimilibus.

Nec diverſimodè fuit acceptum hoc verbum à Pio loquente de Secretariis, qui fecerant oblationem ſolvendi pro eo ſcuta 5500. Cardinali Mediceo, per illa verba, *noſtro nomine reſtituturos ſe obtulerunt*; Inde inferendo, quod ibi dictum verbum *reſtituturos*, denotet ſolutionem, ex quo præcedenter Secretarii eamdem ſummam non acceperant.

Quia etiam ibi dictum verbum fuit expreſſum in ſua naturali ſignificatione, attentis illis adjunctis *noſtro nomine, & pro Nobis*, & infrà, dum conceſſit facultatem Collegio conſtituendi cenſum ibi *pro Nobis, & nomine noſtro reſtituendas, ſeu erogandas*. Fuerunt enim Secretarii in hac parte conſiderati uti Procuratores, & Miniſtri ſolutionem facturi, non pro ſe ipſis, ſed pro Pontifice, per quem pecuniæ præcedenter fuerant acceptæ, ideòque propriè uſus fuit B. Pius dictis verbis reſtitutionem exprimentibus, attento quod ejus nomine dictæ pecuniæ erant reſtituendæ, licèt per manus, & ex miniſterio ipſorum Secretariorum.

Quinimò conſiderata dicta locutione motivum retorquetur, cum pateat Summum Pontificem conſuevìſſe inhærere verborum proprietati, iiſque uti, naturali eorum 32
ſignificatione attenta, & propterea ſtante hujuſmodi conſuetudine tantò magis illa verba *niſi reſtitutis*, &c. in hoc eodem ſenſu ſunt accipienda, ad Text. *in l. Si ſervus plurium §. fin. ff. de leg.* 1. Mantic. *de Conject. lib.* 2. *tit.* 9. *nu.* 1. Rot. poſt Bonden. *dec.* 11. *nu.* 8.

Nec

Nec obſtat ponderatio opportunè facta, quod Papa loquens de reſtitutione pecuniarum, non reſpexerit ad Cameram, ſed ad Secretarios, qui pecuniam ſolverant pro emendo officio, quibus de tempore ſuppreſſionis erat facienda reſtitutio, ibi-*Secretariis tunc viventibus*, & propterea verba *reſtitutis* exponi debeant pro *ſolutis*; maximè attenta illa dictione perſonali, *eos*, nec non illis *integrè*, *& abſque diminutione &c.* denotantibus totum pretium fore ſolvendum, cum quo Officiales tunc viventes emiſſent à reſignantibus ipſa officia.

Id enim removeri videtur, expenſa tota periodo ad hoc propoſitum facientes; *Volentes per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes Collegium ipſum ſupprimi non poſſe, niſi reſtitutis priùs &c.* reflectendo ad illam dictionem,
33 *niſi*, appoſitam verbo *reſtitutis* poſt præcedentem negativam *non poſſe*, cujus dictionis hoc modo adjectæ proprium eſt denotare, aut includere affirmativam in caſu contrario, ut in puncto Motus proprii Pauli Tertii Rot. *dec.* 197. *ſub numer.* 2. *par.* 1. *recentior. &c.* Caval. *deciſ.* 77. *numer.* 1. cum concordantibus apud Buratt. *dec.* 84. *numer.* 3. ibique per Add. littera B, itaut ſenſus affirmativus dictorum verborum ille ſit; quòd reſtitutis priùs per ſe ipſum, aut Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes (quod eſt idem, ac per Cameram Apoſtolicam) pecuniis, pro quibus ipſos Secretarios officia emiſſe, conſtitiſſet, poſſet idem Collegium ſupprimi. Stante verò hujuſmodi incontrovertibili expoſitione infertur, quod Papa duo extrema conſideraverit, nempè ſe ipſum, & ſucceſſores, vel Cameram, uti reſtituere debentem, & Secretarios tunc viventes, uti reſtitutarios; Ideòque non videtur ambigendum, quin habitus fuerit reſpectus ad ipſam Cameram, pro cujus indemnitate Papa circumſpectè loquens, non uſus fuit verbo *dare*, & *ſolvere*, ſed *reſtituere*, intendens ſcilicet, quod integrè, & abſque diminutione Secretariis tunc viventibus, retrodaretur, & reſtitueretur illa ſumma, pro qua ipſi de per ſe, ſive uti repreſentantes eos, à quibus facta fuerat reſignatio officia emiſſent, vel habuiſſent à Camera, juxla ea, quæ pro majori objecti reſolutione ſuperius dicta ſunt.

Firmiter igitur crederem, Motum prædictum intelligendum eſſe in ſenſu ſuperius inſinuato, nec expoſitionem in deciſione datam admittendam eſſe.

Sed quando (ſine veritatis præjudicio, & per modum ſuppoſiti ſemper impugnati) recedendo à vera, & naturali ſignificatione verborum, neglectiſque tot, & tantis argumentis idem comprobantibus quiſpiam aſſerere vellet, quod reſtitutio pecuniarum, de qua in dicto Motu, extendi poſſet etiam ad ſummam, vel pretium per Cameram non acceptum, ut in deciſione emanata; Sanè in his terminis nemo poſſet inficiari, quin cum clauſula, de qua agitur, B. Pontifex, & religioſiſſimus ſubſtantiæ, reique Eccleſiaſticæ Conſervator, & Defenſor, non aliud intellexiſſet, quàm peculiari gratia, & favore proſequi præciſas perſonas illorum Secretariorum, qui tunc vivebant, & quorum opera, & miniſterio, ipſiſque mediantibus, exempta remanſit Camera à reſtitutione pecuniarum erga Cardinalem Mediceum; Itaut quando verba clauſulæ prædictæ, *niſi reſtitutis priùs realiter, & cum effectu &c.* poſſent referri ad ſolutionem etiam pecuniæ non receptæ (quod re vera numquam poteſt admitti ea continerent gratiam, & beneficium à Papa reſtrictum, & limitatum ad ſolas perſonas ipſorum Officialium de tempore Motus prædicti exiſtentium,
34 & qui ſuperſtites extitiſſent de tempore ſuppreſſionis, & extinctionis Collegii, & propterea tamquam merè perſonalis conceſſio, cum eorumdem perſonis reſoluta remanſiſſet, nec poſſet extendi ad eos, qui modò prætendunt hujuſmodi ſolutionem *c. ſanè extr. de priv. l. quod conſtitutum ff. de milit. teſtam.* Rot. *coram Zarat. dec.* 27. *n.* 21. *& coram Vbald. dec.* 483. *num.* 4. *par.* 2. *& coram Peutinger. deciſ.* 103. *numer.* 7. 8. *& in recentior. deciſ.* 50. *numer.* 5. *par.* 15. Grilenzon. *conſ.* 147. *numer.* 7. 8. Carol. Maran. *reſp.* 79. *num.* 49. *par.* 3.

Perſonalitatem prædictam ſuaderent verba, & mens Papæ, quorum alterum ſufficere ſolet, ut conceſſio, vel pro-
35 miſſio perſonalis dici poſſit, *l. iuris gentium* §. *pactorum ff. de pact.* ibi *utrùm autem in rem, aut in perſonam pactum factum ſit, non minus ex verbis, quàm ex mente contrahentium, æſtimandum eſt*, Ippolyt. Mara *in ſua deciſ. unic. poſt conſult. civil. par.* 1. *nu.* 28. Sim. de Præt. *conſ.* 161. *ſub nu.* 57. *Cent.* 2. Altograd. Jun. *contr.* 29. *num.* 10.

Verba; quia illa eſſent directa ad perſonas dictorum Secretariorum, ibi, *niſi reſtitutis &c. ſingulis Secretariis, tunc* 36
viventibus, quod pro perſonalitate conſiderari ſolet, *l. ſi communis ſervus de ſtipulat. ſerv.* Alex. *conſ.* 140. *nu.* 6. *lib.* 6. Roland. *conſ.* 7. *num.* 18. *lib.* 4. Pappon. *conſ.* 7. *nu.* 21. Altograd. Jun. *dict. contr.* 19. *n.* 11. maximè attenta illa adjectione *ſingulis* denotante, quod per Papam perſona cujuslibet ex eis ſeparatim fuerit in conſideratione habita, ex traditis 37
per Barboſ. *dict.* 372. *nu.* 2. Inſpectis etiam illis ſubſequentibus verbis, *tunc viventibus*, hoc eſt, qui de tempore ſuppreſſionis viverent; Ita enim dictum participium reſolvitur in ſuum verbum, & relativum, juxta tradita per DD. *in l. Centurio ff. de vulg. & pupillar.* Alex. *conſ.* 119. *n*3. *lib.* 1. *& conſ.* 124. *nu.* 6. *lib.* 2. Pariſ. *conſ.* 21. *n.* 33. *lib.* 2. Surd. *conſ.* 374. *num.* 1. Actolin. *reſol.* 116. *nu.* 2. perindè ac ſi dixiſſet, quod reſtitutio pecuniarum fieri deberet unicuique eorum, qui de tempore ſuppreſſionis ſuperviveret, & ſic conſiderata dictorum Officialium ſuperviventia, erga quos, non verò reſpectu ſucceſſorum, intellexiſſet propriæ munificentię favorem impertiri.

Accedente inſuper, quod B. Pius in §. *ad hæc*, ubi de materia realitatem continente, fuit loquutus, meminit ferè ſemper de Secretariis, & Collegio copulativè, ut in con- 38
firmatione privilegiorum, facultatum, & indultorum per prædeceſſores conceſſorum, ibi, *Secretariis, & Collegio*, & deindè pro potiori cautela eadem renovando, *iiſdem modo, & forma, quibus aliàs conceſſa fuerant*, iterum addidit *Secretariis, & Collegio*.

E contra verò de reſtitutione pecuniarum verba faciens, penitus omiſſa ejuſdem Collegii nominatione, concepit verba reſtricta ad ſingulos Secretarios tunc viventes, ſignum evidens, quod in hac poſtrema parte ſuæ locutionis non intellexiſſet realem diſpoſitionem ſtatuere, ſed ad perſonas eorumdem Officialium tunc extantium, illam præciſè reſtringere, & limitare, juxta naturam diſcretivi modi 39
loquendi, qui contrariam voluntatem in parte diſcreta manifeſtat, Menoch. *de præſumpt. lib.* 4. *præſumpt.* 76. *num.* 43. 44. Soccin. Sen. *conſ.* 116. *numer.* 2. *lib.* 3. Gabr. *conſ.* 97. *numer.* 28. *lib.* 1. Rota *coram Celſ. dec.* 145. *numer.* 27. *& coram Bich. dec.* 516. *numer.* 5. *& coram Coccin. dec.* 2121. *numer.* 143. *& in recentior. deciſ.* 72. *numer.* 12. *par.* 10. *& deciſ.* 229. *numer.* 36. *par.* 17. & quod ex tali diſcretiva arguatur hujuſmodi perſonalitas, Altograd. Jun. *dict. contr.* 29. 40
ſub numer. 14. *verſ. quibus additur. & num. ſeq.*

Et licèt initiativa verba *d.* §. *ad hæc*, immediativè copulent Secretarios, & Collegium, ibi, *ad hæc dictos Secretarios, & Collegium amplioris favoris gratia proſequi volentes*; Ea tamen deberent intelligi diſcretivè, ut demonſtrant ſubſequens contextus ejuſdem Motus, quod ſcilicet proſequi voluerit favoris gratia Collegium in iis, quæ in verbis ſubſequentibus continentur ad ejus favorem expreſſa, ut in confirmatione, & renovatione privilegiorum, & indultorum; Secretarios verò, tunc extantes, & demonſtratos cum illa dictione *dictos*, in ea parte, in qua fit mentio de reſtituendis pecuniis, pro quibus fuiſſent per eos empta, vel habita Officia, ſi & quatenus de tempore ſuppreſſionis ſupervixiſſent, 41
ita enim intelligenda ſunt verba, ſcilicet, *ſingula ſingulis congruè referendo*, & ubi congrua militat ratio, ut hìc *gloſſ. in l. ſi negotium C. de negot. geſt.* Surd. *conſ.* 336. *numer.* 20. Gratian. *cap.* 730. *numet.* 1. Coccin. *dec.* 1731. *num.* 1. *dec.* 2074. *nu.* 7. *dec.* 2013. *nu.* 5. 2140. *nu.* 8. latè Rot. *dec.* 48. *n.* 7. *par.* 17. *rec.*

Quo verò ad mentem, & intentionem Papæ, res eſſet pariter omninò perſpicua, ex tribus; Primò attenta cauſa finali, quæ præcipuè conſiderari ſolet, pro judicanda qua- 42
litate conceſſionis, vel promiſſionis, an illa ſit realis, vel perſonalis, juxta Alberic. *in l. qui in poteſtate* 15. §. *ſi extraneo nu.* 3. *ff. de leg. præſt.* Mant. *de tacit. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 5. Bellon. Jun. *conſ.* 27. *nu.* 45. Caſanatt. *conſ.* 45. *numer.* 133. Papp. *conſ.* 7. *nu.* 20. Altograd. Jun. *dict. contr.* 29. *n.* 17. 19. ubi quod donatio ex cauſa finali perſonalis efficiatur, licèt 43
aliàs eſſet potiùs realis, & *num.* 26. ubi quod quælibet promiſſio, ſeu obligatio à ſua cauſa reguletur, & cauſa promittendi, magis, quàm ipſa promiſſio inſpici debeat, benè Durand. *dec.* 48. *ſub num.* 12. ubi in terminis Pontificiæ diſpoſitionis, quod ea à ſua cauſa finali reguletur, limitetur, aut extendatur, & *nu.* 15. ubi quod in ſimilibus privilegiis, & gratiis, non tam verba ſint attendenda, quàm mens

con-

consideranda, latè Rot. *dec.* 354. *nu.* 94. *par.* 11. *recentior.* Redenasc. *cons.* 36. *nu.* 35. *& seq.*

Causa verò, à qua moveri potuisset Papa ad elargiendum pecunias ultra acceptas per Cameram, haberetur expressa in ipso Motu §. *nos è contra*, quia nempè gratam habuisset promptam voluntatem Secretariorum in sublevandis necessitatibus Ærarii Apostolici, mediante accollatione, quam fecerunt scutorum 5500. restituendorum Cardinali Mediceo, & pro quibus jam dederat debitam recompensationem, assignando eis insolutum primum Officium vacaturum, juxta superiùs dicta; Et hìc notandum, quod quando exprimitur, certa causa, verba generalia ultra dictam causam nihil operantur, sed debent restringi ad eam, quando, salva ratione recti sermonis, restrictio fieri potest in puncto Duran. *dict. dec.* 48. *numer.* 14. quod hoc procedat etiam in gratiis Motu proprio factis per Papam, benè testatur Rota *coram Dunoz. Jun. dec.* 966. *sub num.* 7.

45

Hujusmodi autem causa potuisset applicari ad personas Secretariorum de tempore dicti Motus extantium, non verò ad eos, qui ultra sæculum successerunt in Officio, qui non solùm non sublevarunt Cameram in necessitatibus, sed mediante ipso Officio fuerunt consequuti in præjudicium Cameræ ingentia lucra, & emolumenta; Cùm ergo hæc ratio conveniat in persona dictorum Officialium tunc viventium, non verò in illis, qui deinde successerunt, utique dicendum est, Papam dictam gratiam ad tunc viventes restringere intellexisse, non autem voluisse comprehendere successores, *l. penult. ff. de milit. testam.* Fontanell. *dec.* 586. *sub numer.* 6. Capy. Latr. *dec.* 102. *n.* 8. Rot. coram Durand. *dict. dec.* 48. *sub n.* 14. *vers. hic autem*, Bich. *decis.* 394. *nu.* 13. Rota *dec.* 339. *nu.* 13. *par.* 10. Monald. *cons.* 77. *numer.* 22. Altograd. Jun. *dict. controv.* 29. *sub n.* 17. *& seqq.*

46

47

Secundò, inspecta natura, & qualitate subjectæ materiæ, intelligendo enim dictum Motum de restitutione ultra accepta per Cameram contineret respectu pecuniæ non acceptæ meram donationem, cum quælibet promissio à liberalitate procedens donatio dicatur, *l. donari videtur ff. de donat. & in tit. de reg. jur. & l. penult. & l. sancimus C. de donat.* Altograd. pater *cons.* 7. *num.* 1. *lib.* 1. & Altograd. filius *dict. contr.* 29. *sub num.* 48. *iuncto num.* 49. Et hæc donatio; si extenderetur ad successores, fuit excessiva, exorbitans, & nimium dissipativa Ærarii Apostolici, quæ si nunquam supponi, nec præsumi potest in quolibet sensato viro, *l. cum de indebito ff. de probat. l. cum aurum. ff. de solut. l. Campanus ff. de oper. libert.* longè minus id potest admitti de Patrimonio Ecclesiæ in Vicario Christi, & in Pontifice re, & nomine religiosissimè Pio; Cùm ergo ageretur de donatione, quæ est strictissimi juris, *l. cum, qui ff. de donat.* Galvan. *cons.* 1. *num.* 90. Ger. Spin. *cons.* 16. *nu.* 47. dum ea congruè posset limitari ad personas Secretariorum tunc extantium, & ex aliqua ratione benemeritorum, nunquam extendi valeret ad successores penitus incognitos, & ex personali realis effici, maximè dum nulla ratio meritorum in ipsis successoribus considerari valeret. Benè Rota *decis.* 23. *nu.* 16. *par.* 15. *rec.*

48

49

50

51

Tertiò quia, gravando Cameram ad solvendum non accepta, est contra omnia juris principia, & contra Bullam fundamentalem Innocentii, ut superius dictum fuit, ubi gratia, vel concessio deviat à juris tramite, semper etiam in dubio personalis præsumitur, Angel. Innoc. & Alex. *in l. quia tale ff. solut. Matrim.* Marcell. de Maur. *Alleg.* 55. *sub numer.* 19. Pappon. *cons.* 7. *numer.* 22. *& seqq.*

52

Non refragante, quòd gratia, vel privilegium sit latè intelligendum contra concedentem *l. beneficium ff. de Constit. l. imperialis, C. de nupt. c. olim, de verb. signif. c. quia circa de privileg.*

53

Quia hoc procedit, quando ipsum privilegium est rationabile, non odiosum, & contrarium juri communi, *c. sane, & c. porro de privileg. c. privilegia, 3. distinct.* Ideòque in hoc casu strictissimam recipit interpretationam, latè Bec. *cons.* 32. *n.* 10. Galeot. *resp. fisc.* 12. *nu.* 193. Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 17. *nu.* 5. Barbos. *claus.* 79. *num.* 39.

54

Nec quando resistit mens ipsius disponentis, idem Barbos. *dict. claus.* 79. *num.* 39. In facto præsenti apertissimè resisterent cuicumque extensioni verba, & intentio Summi Pontificis, juxtà superius dicta.

55

Hæc in persona itate dispositionis fundata attingere volui, sed perfunctoriè, non quia non sint in se validissima, & subsistentia, sed quia non necessaria ad rem nostram, ex quo versamur in claris, quod verba Motus prædicti debeant intelligi de restitutione intra propriam sphæram, hoc est pecuniæ, quæ verè, & in effectu pervenisset ad Cameram & non aliter.

Itaque recedendum crederem, à decisis, attenta perspicuitate articuli; Idemque faciendum esset, si res esset dubia (prout non est) cùm in dubio sententia sit ferenda pro Camera. Redoan. *de Spol. Eccles. privil.* 110.

56

In dubio, Principum beneficia numquam sunt intelligenda, ut plures specialitates includant, Bec. *cons.* 28. *nu.* 20. latè Gutier. *pract. qq. lib.* 4. *quæst.* 11. *num.* 56. Salgad. *de reg. protect. par.* 3. *cap.* 9. *nu.* 105.

57

In dubio, dictus Motus posterior B. Pii debet intelligi de illa restitutione pecuniarum, de qua præcisè loquitur præcedens Constitutio Innocentii, & sic de restituendis pecuniis per Cameram acceptis, & non aliter, ex adductis in similibus terminis per Rot. *dec.* 175. *num.* 5. 6. *& seqq. par.* 9 *rec. &c.*

58

Ex quibus &c. Salvo semper &c.

Io. Baptista Saminiati I. C. Patritius, & Adv. Lucensis.

NUM. XIV.

Responsum, seu Vota quamplurium Jurisconsultorum Taurinensium.

Discursus D. Gazellii in Pedemontano Senatu Consiliarii.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Verba generalia intellectum desumunt à subjecta materia; eorum proprius sensus attenditur in materia differenti, De duplici Principis patrimonio, & de diversa ejus administratione, Beneficia Principis quomodo interpretanda, & in quo differant à Privilegiis. Publica utilitas, quem intellectum Privilegiis tribuat, & quando ea penitus dissolvat. Plura adducuntur exempla ad ostendendum, quod in restitutione pretii attendatur tempus contractus. De fraudibus, quæ in pretii augmento possunt intercedere. Gratia Principis, quando strictè intelligenda veniat.

SUMMARIUM.

1 *IN claris non intrant interpretationes.*
2 *Verba generalia restringuntur secundum subiectam materiam.*
3 *Etiam in concessione Principis.*
4 *In concessione Principis sit stricta interpretatio, quando etiam exquirit subiecta materia.*
5 *In concursu sensus proprii, & improprii, prævalet proprius, quando sumus in materia differenti.*
6 *Concessio, & alienatio Regalium, atque demanialium est materia differens.*
7 *Princeps habet duplex patrimonium proprium, & Reipublicæ.*
8 *Officia sunt specialissima regalia.*
9 *Principem sine rationabili causa non decet alienare ea, quæ sunt Reipublicæ, & Coronæ.*

10 *Alie-*

10 *Alienationes gratuitæ huiusmodi rerum possunt liberè revocari.*
11 *Concessio, per quam Camera obligatur ad restituendum plus, quàm accepit, est mera donatio.*
12 *Beneficium Principis non est latè interpretandum, quando sumus in materia differenti.*
13 *Beneficia Papæ non sunt ita latè interpretanda in Curia Ecclesiastica, sicuti in sæcularibus.*
14 *In quo differat beneficium à privilegio.*
15 *Privilegium strictissimè est interpretandum, quando ledit ius successorum.*
16 *Etiamsi non esset privilegium, sed beneficium.*
17 *Publica utilitas in quocumque actu dicitur excepta.*
18 *Privilegium, & gratia Principis est strictè interpretanda, ita suadente motivo publicæ utilitatis.*
19 *Quo casu privilegium est in totum revocabile.*
20 *Maximè si sit gratiosum.*
21 *Papa extinguens officium ex pura facultate, reputatur tamquam privatus.*
21 *Princeps dicitur maritus, & caput Reipublicæ.*
23 *Ei non licet aliquid in Reipublicæ detrimentum elargiri.*
24 *Vbi motivum publicæ utilitatis supervenit, parciùs servare debet gratiam prædecessoris.*
25 *Princeps revocans ex causa publicæ utilitatis concessionem partim onerosam, partimque gratuitam, non restituit pretium pro ea parte, quæ vergit ad gratiam.*
26 *Ratio publici boni dissolvit concessiones onerosas ex natura rei, si cœperunt esse damnosæ, absque obligatione restitutionis pretii.*
27 *Vel ad summum cum obligatione refundendi acceptum.*
28 *Publica utilitas primò declarat, & restringit privilegium, deindè si opus est illud in totum revocat.*
29 *Verbum* restituere *refertur propriè ad pretium receptum.*
30 *Quælibet demonstratio regulariter refertur ad tempus actus gesti.*
31 *In renovationibus attenditur tempus contractus pro regulanda mercede investiturarum.*
32 *In obligationibus verba referuntur ad ea, quæ apparent, non ad futura, quæ apparere poterunt.*
33 *In actibus lucrativis semper mitiùs agitur contra concedentem.*
34 *In exercitio pacti redimendi attenditur pretium de tempore retrovenditionis, non autem contractus.*
35 *Limitatur, si respectu rei redimendæ aliqua causa lucrativa concurrat, quia tunc attenditur pretium contractus.*
36 *Potestas Principis est debilior in re aperienda, quàm in aperta.*
37 *Verba famulari debent verisimili menti concedentis.*
38 *Maximè in proposito absurdi vitandi.*
39 *Redditus taxare solent pretia rerum.*
40 *Pretium affectionis non est reficiendum.*
41 *A sensu claro non potest per interpretationem discedi.*
42 *Verba eatenus sunt impropriandа, ut iuris dispositioni conformentur.*
43 *Vbi eadem est ratio idem ius statui debet.*
44 *Simulatio maioris pretii facta inter contrahentes ad impediendum exercitium prælationis in feudo Domino directo, non impedit, quin ea detecta possit ipse redire ad retractum pro iusto pretio, & nu. 50.*
45 *Ad obtinendas resignationes, seu impediendas vacationes Officiorum multæ simulationes, fraudesque per sæpè intercedere solent.*
46 *Instrumenta faciunt rem notoriam, probatam, & manifestam.*
47 *Fraus numquam præsumitur, præcipuè in personis honestis.*
48 *Mens concedentis aliena præsumitur ab effuso verborum sensu, quoties ex eo fraudandi occasio derivet.*
49 *Fraus non solum ex maximo, sed etiam ex modico pretio colligitur.*
51 *Fraudes, & simulationes, quæ committuntur in pretio difficulter reperiuntur.*
51 *Qualitas adiuncta verbo operatur secundum tempus verbi.*
52 *Verbum* habere *denotat causam mediatam.*
54 *Verbum futuri coniunctivi* constiterit *indicat præteritum, & futurum.*
55 *Nemo debet locupletari cum aliena iactura.*
56 *Emptores Officiorum repræsentant personam suorum auctorum, & etiam sine iurium cessione, ad effectum excipiendi, in eorum locum subintrant, & subrogantur.*
57 *Quis non potest petere id, cuius contrarium non erat postulaturus.*
58 *Sub generalitate verborum non censetur concessum id, quod concedens in specie concessurus non fuisset.*
59 *In necessitatibus nemo liberalis existit.*
60 *Dispositio in eum sensum trahenda, quod à sapientibus reprehendi non mereatur.*
61 *Potiùs toleratur verborum superfluitas, quàm mentis inverisimilitudo.*
62 *Ex inobservantia eorum, quæ sunt de stylo, arguitur defectus voluntatis in Principe concedente.*
63 *Indefinita non trahitur ad futurum, quoties agitur de præiudicio disponentis.*
64 *Maximè si indefinita vergeret tantùm ad præiudicium, & non æqualiter ad commodum.*
65 *Gratia Principis concessa in favorem non debet retorqueri in odium.*
66 *Dummodo tamen intentio disponentis sit clara, secus si dubia, & defectuosa.*
67 *Defectus intentionis admittitur etiam in Motu proprio.*
68 *Gratia Principis potest etiam interpretari per inferiorem.*
69 *Verba, quando sunt dubia, semper accipienda veniunt in sensu minus domnoso concedenti, maximè si concedens agat de damno vitando.*
70 *In alternativis electio est debitoris.*
71 *Verba dubia sunt interpretanda contra stipulantem, si urgeat ratio absurdi vitandi.*
72 *Itidem si stipulans se fundat in verbis.*

VIdi Illustriss. & Reverendiss. Domine, quæ in Romana pretii Officiorum ad intellectum cujusdam Motus proprii felicis. recordationis B. Pii Quinti respondit Sacra Rota coram Reverendiss. Patre Domino Albergato Decano, & vidi insuper quæ pro juribus Apostolicæ Cameræ defensandis adversus Rotæ responsum Illustriss. & Reverendiss. Dominus meus, Dominus Joannes Baptista de Luca Sanctiss. Domini Nostri Papæ Generalis Auditor, pro more suo, doctissimè exaravit: Mihi verò, ut ingenuè fatear reflectenti ad utrinque allegata, visa quidem est plausibilis Rotæ decisio, sed nervosa admodum, fortiorque prædicti Domini mei replicatio, adeòut, si res hæc ad ipsum veritatis, justitiæque theatrum proferatur, non aliud expectari queat, quàm quod summa hinc Rotæ auctoritas urgeat, illinc verò maxima, tum legalis, tum prudentialis ratio convincat.

Sanè mirum videri poterit, quod post plenissima ejusdem præstantissimi Domini Consultoris scripta, nonnulla adhuc subjicere hauserim pro illius sententia comprobanda, quasi velim addere, ubi plenitudo nullum recipit incrementum, sed, cum altissimè obsequentis, non suggerentis animi officium præstem id tam benignè accipiendum spero, quàm ego humiliter, & sub censura propono.

Adverto itaque præcipuum Rotæ motivum desumi ex ea clausula prædicti Motus proprii, quæ vetat officiorum suppressionem, nisi restitutis Officialibus tunc viventibus integrè, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus officia ipsa emisse, aut habuisse constiterit, præsupponendo ea verba tam clara esse, ut, ne minimam quidem difficultatem admittant, ex regula *Textus in l. ille, aut ille §. cum in verbis de leg.* 3. 1

Verùm parcant mihi pro nunc Reverendiss. Domini de Rota, quorum alioqui scripta summè venerari soleo, & pro oraculis reputare, habemus etenim, quod verba omnia, quamtumvis generalia, & ampla, apta secundùm proprietatem vocabuli aliquid importare, vel includere, restringuntur sæpissimè, & coarctantur secundùm subjectam materiam ad unum tantùm, non plures significatus *l. si uno ff. locati, l. insulam de præsc. verb.* Capyc. Latr. *decis.* 171. *nu.* 2. Rot. Jan. *dec.* 36. *nu.* 7. Idque etiam in concessione Principis, ut relatis exemplis fundant Ruin. *cons.* 208. *lib.* 1. *numer.* 7. & 18. *ad med.* Fulv. Pacian. *cons.* 49. *numer.* 2. & 95. ubi de exclusione fœminarum à concessione quorum castrorum jurisdictionis, & officii non obstante clausula *pro se*, posterisque suis, & ab eo, eorumque hæredibus descendentibus, quæ verè secundum propriam naturam verborum, fœmi- 2 3

nas

nas etiam includit, & ibi loquuntur ambo de concessione Principis, & Papæ, sed melius in propriis terminis concessionis officiorum Pont. *consil.* 137. *in princip. lib.* 2. *& decis.* 28. *numer.* 5. *&* 22. ubi quod in eisdem sit strictior interpretatio, quàm in feudis, & attenditur rigor, & interesse voluntatis, Tass. *allegat.* 12. *in tractatu suo ad pragmat. de antefat.* & add. ibi- per integras columnas, ubi de concessione officii per Regem, cum clausula pro hæredibus in perpetuum, quod non admittat extraneos, nec fideicommissum, aut substitutionem super officio, & rogo videndum. 4 Nec mirum, quia si exigat subjecta materia, ut innuimus, etiam in ipso Principis beneficio sit stricta interpretatio, ut in puncto Pacian. ibi- *num.* 95. & ubi verba de sui natura duplicem habere possunt significatum unum scilicet naturalem, & proprium minus amplum, alium verò translatum, 5 ac interpretativum, seu ut alii vocant civilem magis extensum (ut in terminis nostræ quæstionis de verbo restituere plenissimè docuit prædictus Reverendiss. Dominus de Luca) semper prævalet potior, & naturalis significatio, maximè in materia differenti, in odium ejus qui se fundat in verbis, ex regula *l. quidquid adstringendæ de verb. oblig.* Surd. *cons.* 313. *num.* 11. 12. 13. Cyriac. *contr.* 521. *numer.* 52. *&* 522. *nu.* 54. Porrò, ubicumque agimus de genere prohibitorum, tunc semper materia differens, non indifferens reputatur: Hujusmodi autem est alienatio, & concessio Re- 6 galium, & demanialium Text. *in c. intellecto de iur. iur.* Bart. *in l. prohibere* §. *planè numer.* 5. *ff. quod vi, aut clam* Isern. *in cap.* 1. *de his, qui feud. dar. poss. num.* 10. Copin. *de deman.* Franch. *tit. de prohib. deman. alien.* Fernand. de Otter. *par.* 2. *quæst.* 15. *numer.* 12. maximè si concedantur ex causa lucrativa, & merè gratiosa, quæ non contineat merum præjudicium concedentis, sed successorum, quo casu, licet ex magis communi non indistinctè negetur Principem aliquid posse alienare, & transferre, dummodò non valdè lædat jus Principatus, fatentur tamen omnes non dari huic admodum liberas habenas, est enim Principi duplex patri- 7 monium unum proprium, & privatum, in quo fructus, & alia excadentialia sui temporis annumerantur, aliud verò fisci, seu Reipublicæ, & Coronæ, cui spectant omnia, quæ de regalibus sunt, & inter ipsa Officia, quæ specialissimè regalia nuncupat Tasson. *dict. alleg.* 12. *nu.* 73. magis infixa ossibus Principis, quàm feuda, subdens alia omnia vi- 8 denda, & pulcherrima in proposito, jusque eadem vendendi, & alia insuper, quæ ejusdem Reipublicæ subsidiis addicta sunt, ut benè præ cæteris distinguit noster Amadeus à Ponte *tit. qui feud. dar. poss. numer.* 32. *&* 33. ubi quod hæc ultima bonorum species, tamquam in sola Principis administratiooe reposita, non est in libero ejusdem commercio, 9 nec sine congrua, & rationabili causa decet illum alienare, ut per Otter. ubi supra, & *cit.* A Pont. *num.* 63. ubi ampliat ad alienationem sub retractu, & patet non solùm antecedenter ex relata juris prohibentis dispositione, sed etiam 10 consequenter ex libera hujusmodi, tum maximè gratiosarum alienationum revocabilitate, de qua per Sixtin. *de regalib. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 7.

Cæterum concessionem, de qua agimus in ea parte, quæ 11 respicit prætensam obligationem majus restituendi pretium, quàm acceperit Camera, puram, & meram donationem esse ambigendum non est, ex doctrina Baldi communiter recepta in *l. qui se Patris numer.* 34. *C. unde lib.* & ibi Add. *lit. M.* concludentis tunc dici concessionem gratiosam, vel in toto, vel in parte, quando non habet congruam, & debitam recompensationem in pecunia, vel alia causa obligatoria: sequuntur plenè hoc probantes, Caren. *resol.* 59. *art.* 1. *à n.* 7. *per plures*, plenè Tappia *decis. suprem. Concil. Ital.* 23. *numer.* 108. Rota *ipsa decis.* 58. *numer.* 8. *&* 88. *numer.* 4. *par.* 1. *recentior.* Unde non mirum si nullo modo modo 12 hìc conveniat latissima interpretatio verborum, de qua censuit Rota, cùm versemur, ut supra diximus, in materia differenti, & stricti juris, donatione scilicet officiorum, quæ sequeretur per indirectum, aut saltem eorum pluris valentis, nec benè congruat regula, quæ fortè aliquam æquivo- 13 cationem præstitit de beneficio Principis latissimè interpretando ex *l. fin. de constit. Princip.* ubi DD. Jason. *in l. de quibus col.* 6. *ff. de leg.* Nam & si in Ecclesiastica Curia, vel ipsa Principis, seu Papæ beneficia, secundùm Baldum relatum per Pacian. *dict. cons.* 49. *numer.* 95. non adeò latè, ut in sæcularibus Curiis interpretanda sint, & hoc nostro casu de privilegio potiùs, quàm de beneficio sermo est, cum illud 14 propriè sit beneficium, quod secundùm, vel præter jus, & in nullius, nisi concedentis præjudicium conceditur; Illud verò privilegium, quod juris ordinariam dispositionem, vel tertii commodum lædit, Jason. *in dict. l. fin. de const. Princ.* Spad. *cons.* 9. *in princip.* Parlador. *quotid. differ. differ.* 13. *& ibid.* §. 1. *n.* 1. Hujusmodi autem est donatio, de qua differimus lædens jus successorum, ut ipsa comprobat experientia, unde alia succedit regula prædictę contraria, ut scilicet privilegium strictissimè interpretandum veniat *cap.* 15 *ex litterarum de auctorit. & usu palii cap. porrò ubi glos. extrà de privileg. l. ius singulare ff. de legib.* latè Vesembec. *consil.* 1. *numer.* 56. *&* 65. Gayl. *Pract. obs. par.* 2. *obser.* 2. *num.* 14. Kloch. *de contrib. cap.* 16. *num.* 66. Cancer. *var. res. par.* 3. *cap.* 3. *numer.* 163. Pacian. *dict. cons.* 49. *num.* .... 16 ubi ampliat etiamsi ageremus de beneficio, quia idem confunditur cum privilegio, si subjecta materia sit stricti juris, benè Camerar. *in cap. imperialem fol. mihi* 44. *littera N*, Ponte *cons.* 140. *num.* 6. *lib.* 2. ubi quod sive privilegium, sive gratia non extenduntur ultra verisimilem mentis præsumptionem, & ad incognita Pacian. *consil.* 6. *num.* 148. ubi de Motu proprio Papæ, idem Camerar. ubi quod beneficium latè interpretatur super expresso, secus verò super præsumpto, & implicito, ut esset prætensa donatio in casu nostro, sed & magis indubitanter hoc firmandum videtur, si attendamus hujusmodi concessionem adversari cœpisse publicæ utilitati, quæ in quocumque actu semper 17 excepta intelligitur *l. inhemus nullam Cod. de Sacr. Eccles.* Tappia *dict. decis.* 23. *nnmer.* 80. Cyriac. *controv.* 310. *num.* 76. quæque fuit causa decretæ suppressionis Officiorum, enim verò, si quoquomodo tolerari posset tam litteralis prædictorum verborum sensus, cui Rota firmissimè inhæsit, eo fortè casu admitti potuisset, quo Papa ex mera voluntate, & pro libito suo decrevisset Officia supprimere media refusione pretii, quasi per viam puræ facultatis redimendi, aut extinguendi, quam noscimus implicitè quidem, sed liberè reservatam in illis verbis, *Nisi restitutis prius &c.* non verò 18 ubi ex urgentissimis publicæ utilitatis causis, quas in hac facti specie Rota ipsa fatetur non defuisse, eorumdem Officiorum suppressio prodire debuit, hoc etenim casu nulla est gratia Principis, nullum est privilegium, qualecumque sit, quod strictè interpretandum non veniat, Felin. *in cap. causam, quæ de rescript. præcipuè sub numer.* 17. ubi de Motu proprio Papæ, Tusc. *littera P. concl.* 960. *num.* 12. Roman. *cons.* 498. *numer.* 8. ubi commendat *text. & glossam in cap. cum instantia* super verbo *Quod non credimus de cons. cens.* latissimè Cyriac. *dict. controvers.* 310. *num.* 76. cùm imò in 19 totum revocabile sit, Pacian. *cons.* 6. *à numer.* 120. *per plur.* 20 maximè si gratiosum Tappia *dict. dec.* 23. *num.* 88. & ratio 21 propositę distinctionis patet ad sensum, nam ubi Papa procederet ex pura facultate extinguendi, tamquam privatus reputaretur, & strictius teneretur lege concessionis, vel pacti ad text. *in l. digna vox de legib.* Ponte *cons.* 53. *nu.* 7. Spada in propria materia venditionis Officii *cons.* 88. *numer.* 4. *lib.* 1. sed ubi urgente publica utilitate, vel necessitate operatur, tunc quia non voluntariò, sed necessariò agit, ideò 22 non ut privatus, sed ut Princeps, Reipublicæ maritus, & caput reputandus est, ut eum vocant, Peregrin. *de iur. fisci lib.* 1. *tit.* 1. *nu.* 8. Dominus de Luca *de Regal. disc.* 144. *nu.* 23 2. *&* 35. *num.* 8. ac proindè, quemadmodum non liceret eidem aliquid in Reipublicæ detrimentum largiri, Larrea *alleg. fisci* 9. *numer.* 26. ita prædecessoris gratiam, & liberali- 24 tatem parciùs servare debet, ubi novum publicæ utilitatis motivum intervenit, hoc enim casu ad eum statum res perveniisse dicitur, à quo non incœpisset, Bald. *in* §. *si quis de manso num.* 12. *de controvers. investit.* Cyriac. *dict. controv.* 310. *à num.* 73. & ex præsumpta, ac implicita mente concedentis ita regulanda venit concessio de tempore resolutionis, ut sentiret concedens ipse, si viveret, scilicet ne concessionarius in damno versetur, non autem in lucro, 25 odio concedentis; Et proindè quod Princeps revocans ex causa publicę utilitatis concessionem partim onerosam, partim gratuitam non restituat pretium, vel compensationem faciat pro ea parte, quæ vergit ad gratiam, voluerunt Belug. *in spec. Princip. rubr.* 26. §. *Princeps*, ubi de revocatione Officii media pecunia concessi, quòd Princeps illud recuperet medio pretio recepto, Amad. à Pont. *in cit. tit. quæst. feud. dar. poss. num.* 65. & noviss. nè, ac expressè Rocc. *de Offic. tit. de milit. stipen. rubr.* 10. *numer.* 126. Faciunt ea, quæ habentur passim in materia revocationis gratiæ, aut privilegiorum, & pluries apud ipsum Dominum de Lucam 26 *sub tit. de regal. & præcipuè disc.* 148. ubi semper expenditur mo-

motivum publicæ utilitatis; quæ implicitè, & conditionaliter videtur considerata in omnibus concessionibus, nempè si res in eodem statu maneat, nec incipiat esse damnosa, quo casu tanta est ratio, quæ pro bono publico facit, ut ex prædicta implicita conditione non modo gratiosæ concessiones strictè intelligantur, & declarentur, sed imò onerosæ, quasi ex natura rei penitus dissolvantur, nec manente quidem obligatione ad restitutionem pretii, 27 ut in fortioribus terminis tenuit Cyriac. *controv.* 75. *nu.* 22. *& præcit.* 310. *à num.* 65. & saltem media refusione accepti res omni careat difficultate, Capyc. Latr. *decis.* 17. *num.* 57.

Et hinc fit, quod si fortè objiciatur nos hic non quærere, an gratia sit revocabilis, quæ videtur alia quæstio, pendens à declaratione Pontificis, sed quid verè contineat, & quomodo interpretanda veniat, statim occurrit re- 28 sponsio, nam ex prædictis satis, superque apparet de duplici effectu publicæ utilitatis, vel necessitatis, primò scilicet appositè ad casum nostrum, ut ex implicita conditione taliter gratiam, & privilegium moderetur, ne fortè nimium effusus verborum sensus lædat publicum bonum; Secundò verò, ut si opus sit, concessionem integrè solvat, ita benè explicat Minado. *cons.* 236. 8. *num.* 53. ubi privilegium vergens in publicum damnum primò declaratur, restringitur, & limitatur, deindè si opus sit, revocatur in totum, Pacian. *dict. consil.* 6. *à numer.* 125. *per plur.* Surd. *consil.* 236. *in fin.* Kloch. *de contrib. cap.* 16. *sect.* 1. *numer.* 93. *& sequentib.* optimè omnium Carena *cit. resol.* 59. *numer.* 27. unde concludere possumus in casu nostro, citrà ullam gratiæ revocationem, ipsam taliter intelligendam esse, ut posthabito litterali, & effrænato verborum sensu intra æquos, & rationabiles significationis limites recludatur, ut scilicet juxtà plenissimè scripta per prædictum Dominum de Lucam ex natura, & proprietate verbi *restituere* refundendum sit pretium habitum, & rece- 29 ptum per Cameram, non verò quod inter venditores, & resignatarios ultimo loco intervenit, pro quo ultra allegata per eundem Dominum de Lucam faciunt plures juris conclusiones; Et primò regula *l. Rutilia Pola ff. de contr. empt.* 30 ubi Baldus in antiqua lectura volens per dictum textum, quod quælibet demonstratio regulariter referatur ad tempus actus gesti, non solùm ubi agitur de solemnitate, sed ubi agitur de interpretatione, idem Baldus in non dissimilibus 31 terminis *cons.* 475. *in fin. lib.* 1. ubi quærens quodam tempus attendatur pro mercede in singulis renovationibus investiturarum, an tempus contractus, vel cujusque renovationis, sentit attendendum esse tempus contractus. Secundò 32 quod in obligationibus verba referuntur ad ea, quæ apparent, non ad futura, quæ poterunt apparere, *l. in fundi ff. de contr. empt.* ubi glos. Alex. *consil.* 100. *num.* 4. *&* 5. *lib.* 3. ubi quod mens ad incogitata non extenditur, & in proposito Motus proprii notabiliter Pacian. *cit. cons.* 6. *num.* 148. 33 Tertiò quod in lucrativis semper mitiùs agitur contra concedentem, ut appositissimo exemplo firmari posse videtur, ducto argumento de similibus ad similia, *l. illud ff. ad leg.* 34 *Aquil.* nam quamvis in terminis pacti de redimendo, cui omninò similis est concessio, de qua agimus, regulariter restituendum sit pretium de tempore retrovenditionis, non autem contractus, ut præcisa contraria consuetudine voluerunt Cagnol. *in l.* 2. *Cod. de pact. inter empt. & vendit. num.* 93. Surd. *cons.* 52. *nu.* 48. Ludovic. *decis. Peruf.* 79. *n.* 17. 35 Hoc tamen egregiè limitandum videtur, si respectu rei redimendæ, causa aliqua lucrativa concurrat, ut tunc scilicet satis sit primum ex solvi pretium, ne multiplex lucrum eveniat, ut innuit idem Cagnol. *ubi supra num.* 94. respondendo ad textum in *l. hujusmodi* §. *servum de leg.* 1. juxta quod, me patrocinante pro Regio patrimonio, dum essem adhuc Advocatus Patrimonialis, in quadam causa DD. de Berzettis, fuit decisum per Regiam Cameram computorum, quod in concessione olim facta per Principem medio certo pretio, cum donatione pluris valentiæ, ac reservatione pacti de redimendo non teneretur Princeps exercens gratiam redemptivam ad recompensandam talem pluris valentiam, quia videbatur, satis esse concessionarium potitum fuisse, durante tempore, quo Princeps non redemerat. Unde quemadmodum ex intervento dictæ causæ lucrativæ recedimus à rigorosa juris dispositione, quæ ultimum rei pretium mandat exsolvi, ita possumus dicere in casu nostro, quod quia in restitutione majoris pretii, quàm receperit Camera, intrat omnino causa lucrativa, ideò verba taliter accipienda sint, ne extendantur ad prætensam donationem

pluris valentiæ officiorum, & sic multiplicetur inconsiderata liberalitas Papæ, in odium ipsius, & successorum, 36 & ut DD. dicunt in re nondum aperta, sed aperienda, circà quam debilior est potestas, Tusch. *litt. P. conclus.* 691. *num.* 23.

Sed & multò fortiùs procedent supradicta pro stricta interpretatione Motus proprii, in specie nostri casus, si reflectatur ad plura inconvenientia, quæ admissa contraria, & latiori interpretatione sequi possent in damnum Apostolicæ 37 Cameræ, contra verisimilem concedentis mentem, cui verba inservire debent, & non è contra Cyriac. *contr.* 478. *n.* 24. 38 maximè in proposito absurdi vitandi, plenè Everard. *loco ab absurdo vitando per tot.*

Primò, enim posset facillimè dari casus, quo moderni Secretarii ex particulari affectione ad officium, ut in dies evenire solet, majus inter ipsos pretium impendissent, quàm re vera, facta comparatione ad redditus, qui juris 39 præsumptione solent taxare pretia rerum, *l. si quos Cod. de resc. vend.* & ibi Bart. *glos. in dict. leg. si quos in verb. eximetur*, Text. *in Authent. de alien. & emphyt.* §. *quod autem collat.* 9. *& de commun.* Decian. *consil.* 2. *numer.* 274. *lib.* 1. præstari debuisset, quo casu unum de duobus necessario sequeretur, Nam, vel Papa ex vi, & efficacia verborum prædicti Motus proprii teneretur illis solvere prædictum etiam affectionis pretium, & hoc profectò magnum esset inconveniens, non parum enim gravaretur Camera, cùm 40 sit in confesso apud omnes hujusmodi affectionis pretium nullateuus reficiendum, *l. pretia rerum ff. ad l. falcid.* Gratian. *controvers. forens. cap.* 461. *num.* 13. *&* 926. *num.* 14. Aut verò Papa eximeretur à tali pretio refundendo, & tunc certè derogaretur litteræ, & sensui vulgari prædi- 41 ctorum verborum, à quo Rota sensit non posse discedi ex præcit. regula *l. ille, aut ille de leg.* 3. & sic everteretur ejusdem Rotæ solidius fundamentum, nec prodesset meo judicio respondere, eatenus prædicta verba hanc interpretatio- 42 nem admittere, ne quid incongruum contra juris dispositionem inducerent, ut in proposito est text. *in cap. volentes* §. *ad ipsum de privileg. in* 6. Capyc. *decis.* 122. *num.* 3. Retorqueretur enim mirabiliter argumentum, quippè admissa semel interpretatione aliqua rationabili ad dicta verba, nulla est ratio, cur & alia consimilis juri, æquitati, mentique concedentis consona recipienda non veniat, cùm non sit major ratio unius, quàm de alia, & ubi eadem ratio, 43 idem jus etiam statuendum *l. illud ff. ad leg. Aquil.*

Secundò aliud item majus inconveniens ex eadem Rotæ sententia oriri posset, nam meo judicio ampla nimis, & patens relicta fuisset via fraudibus, ex prætenso dictorum verborum sensum in perniciem Cameræ, ut simulato nempè inter contrahentes majori officiorum pretio, gravior fieret restitutio, proindeque difficilior eorumdem suppressio redderetur, prout in simili de simulatione majoris pre- 44 tii ad impediendum exercitium prælationis in feudo, vel emphyteusi favore domini directi monet Tiraquel. *de retrac. lignag.* §. 4. *glos.* 2. *num.* 1. *&* 2. Et mehercle si cuncta rimari possemus, quæ (loquendo tamen in genere Officiorum vacabilium in Curiis Principum) quæ, inquam in hac 45 materia sæpissimè suggerit proprium interesse, ad impediendas illorum vacationes, constituendasque resignationes in tempore habili, seu per viam antidatæ, seu aliis modis eludentibus dispositionem Bullæ Pii Quarti de infirmis, & mala valetudine affectis, aliarumque Constitutionum, ut in proposito considerat Spada *cons.* 167. *per tot.* utique noscemus quoties, & quot simulationes, fraudesque intercesserint, quæ propterea in nostra quoque facti specie non minus facilè contingere potuissent, sumpta occasione tam apti, & peculiaris motivi derivantis ex prætensa obligatione Pontificis de reddendo Officialibus tunc viventibus integro pretio, quod tempore suppressionis inter ipsos constiterit persolutum, quodque etsi fraudulentum, & simulatum, contentum tamen in publicis instrumentis, quæ 46 faciunt rem notoriam, probatam, & manifestam, *l. cum precibus*, ubi Doctores *Cod. de probat.* Castrens. *consil.* 257. *vol.* 2. *circa med.* Dec. *cons.* 36. *n.* 2. Cravet. *cons.* 317. *n.* 1. & in frequenter periculosa materia impositionis censuum, Rot. post Cenc. *decis.* 123. quæ est Ludovisii 157. *num.* 6. abundè liquidatum diceretur ad effectum arctandi Cameram ad ejusdem refusionem. Atque hic rogo advertatur, quod, & si non crediderim, imò nec suspicatus quidem fuerim hoc veniisse in mentem alicujus ex Dominis Secretariis, cum probè sciam fraudem, & simulationem haudqua-

quam præsumendam esse, tum præcipuè in personis honorabilibus, quales sunt, & fuerant Domini Secretarii, *leg. meritò ff. pro Soc.* Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 27. num. 1. & lib. 6. præsumpt. 20. num. 2.* Attamen pro meo argumento sufficit possibilitas ex adæquato motivo interesse,
morum corruptore pessimo, magnam huic rei ansam præbente, talemque, ut vel hinc fas sit credere consultissimi
48 Pontificis mentem alienam prorsus fuisse à tam effuso, & periculoso verborum sensu, ex quo fraudandi occasio derivaret, Capyc. Galeot. *controvers. iuris illustr. controv. 64. num. 23. lib. 2.*

Quod si forte replicaretur ideò fraudem, & simulationem non fore verisimilem, quia facilè detegi potuisset, sal-
49 tem ex maximo excessu pretii, prout è converso ex valdè modico etiam colligitur, Farinac. *in suo tract. de falsit. & simulat. q. 163. per tot.*

Respondeo, & fateor in summo quidem excessu pretii, facilè dolum, ac fraudem retegi posse, sed non in magno, ex quo tamen non desineret valde gravari Camera, ut in
50 proposito simulati majoris pretii, Tiraquel. *de retrac. Lignan. cit. §. 4. gloss. 2. nu. 2.* Et quamvis ex aliis etiam conjecturis, & præsumptionibus reperibiles sint dolus, & simu-
51 latio, fas tamen sit dicere hæc tam secretò committi consuevisse, ut penè irreperibilia judicentur, ut per eumdem Farinac. *q. 162. de falsit. & simul.*

Tertio denique aliud saltem nec evitabile absurdum proflueret, magna scilicet inæqualitas inter concedentem, & concessionarios, qui, si ponamus casum evenientis suppressionis de tempore, quo forsan Officia decrevissent, certè non minus prætenderent, seu prætendissent primum pretium ab eorum auctoribus Cameræ adnumeratum, ex eâdem, imò & veriori vi, ac efficacia verborum, quibus
nunc ultimum petunt; Nec tamen potuisset, vel posset eo casu replicare Camera verba prædicta referri omninò ad ul-
52 timum pretium ex ordinaria regula, quod qualitas adjuncta verborum operatur secundùm tempus verbi, *l. in delictis §. si damnum extraneus de noxal.* Paris. *cons. 62. nu. 37. lib. 4.* latè Tusch. *litt. Q. conclus. 9.* Quia imò semper esset verum dicere, quod primum tempus, & pretium complecterentur, cum ly *emisse*, juncta alternativa *aut habuisse constiterit* denotet potius causam mediatam, ut frequentissimè in-
53 dicat verbum habere, *l. Aristo Quæres pign. dar. poss. l. his enim, ubi glos. de furt. glos. in §. 1. in authent. ut de cætero commut. rer. Eccles. collat. 5. ad med.* Rebuf. qui plenè de multiplici hujus verbi significatione *in l. liberationis verbum 77. fol. mihi 250. & in l. Is apud quem 143. fol. mihi 522. de verb. sign.* consuerato præsertim eo futuro conjunctivo *constiterit*, quod etiam non simplex futurum, sed quodammodo
54 præteritum indicat Bart. *in l. solemus ff. de cond. & dem.* Tusch. *lit. F. concl. 566. num. 6.* foretque tali casu sufficiens replicatio adversus Cameram non debere ipsam locupleta-
55 ri cum alterius jactura, *cap. locupletari de reg. iur. in 6. l. & si me putem*, ubi Gloss. Bart. & alii *de condit. indeb.* cum & Officialium præsentium interesse illud dici verissimè pos-
56 set, quod ex persona suorum Auctorum per viam exceptionis prætenderent, per quam semper fit subrogatio unius in locum alterius, etiam sine jurium cessione dictus Dominus de Luca *de Cred. & deb. discurs. 2. numer. 3.* post Franch. *decis. 260.* Burat. & add. *decis. 420.* Otthob. *decis. 129. numer. 15. & decis. 142. numer. 9. & 10.* Fab. *in Cod. lib. 8. tit. 9. def. 7.* Unde si in casu converso aucti eorumdem officiorum pretii, possent etiam tale augmentum consequi versarentur in lucro, sine ulla periclitatione damni, eaque propter ad imparia judicarentur, contra
apertissimas juris, & æquitatis regulas, eamque præci-
57 puè de non petendo id, cujus contrarium quis non esset postulaturus, *l. si & rem, & pretium 25. ff. de petit. hæred. l. pen. Cod. de solut.* Surd. *decis. 155. numer. 13.* Cyriac. *controvers. 151. numer. 15.* & ex hoc ipso dici posset inesse læsionem, & damnum, odio Cameræ usque à principio, sublata scilicet utriusque partis justa proportione ad damnum, & lucrum, in qua tota æquitatis ratio consistit, optima voluntatis interpres, ex qua firmiter credere possumus, quòd Beatis. Pontifex noluerit sibi, & Cameræ legem du-
riorem imponere, & id concedere sub generalitate verbo- 58
rum, quod non fuisset in specie concessurus, maximè dum
necessitatibus premeretur, in quibus nemo liberalis exi- 59
stit, Spad. *cons. 21. num. 54. lib. 1.* ne dispositio meretur à sapientibus reprehendi, *l. Salvius Aristo*, ubi DD. *de leg. præst.* 60
idem Spada *cons. 138. num. 11. lib. 1.* quo casu restringitur si- 61
gnificatio verborum, imò illorum potius superfluitas tole-
ratur, quàm mentis inverisimilitudo, *l. scire oportet §. aliud de excus. tut.* Alb. *consil. 119. numer. 43.* Spad. *cit. consil. 21. numer. 39. & 70. & consil. 22. num. 10. & consil. 70. num. 29. & consil. 138. numer. 11.* maximè ubi non fuit servatus sty- 62
lus Cancellariæ circa solitas derogationes, ex cujus defectu
arguitur deficientia voluntatis in Principe concedente,
Capyc. *decis. 32. numer. 17.* Spad. *dict. consil. 21. numer. 29.* 63
& per consequens etiam negare possumus prædicta verba dicti Motus proprii, quamvis indefinita, futurum tempus minimè includere, quia ubicumq; agitur de præjudicio disponentis indefinita non trahitur ad futurum per doctrinam Bart. *in l. si ita legatum num. 5. ff. de aur. & argent. leg.* quæ tametsi declaretur per Herculan. *in sua disput. 1. col. 24.* 64
vers. & fallit, id tamen explicat, & dicit procedere, ubi indefinita potest æqualiter se habere ad commodum, & damnum, secus si in alteram tantùm vergeret partem, prout contingeret in casu nostro.

Quod si replicaretur, id non posse procedere in gratia Principis, ne concessa in favorem retorqueantur in dam- 65
num, *l. quamvis*, ubi Bald. *de pignor. act.* Mant. *de tacit. lib. 2. tit. 3. num. 29.*

Respondeo hoc utique admittendum ubi sumus adeò cer- 66
ti de intentione disponentis, ut de ea nullo modo dubitari
possit, secus verò ubi allegatur defectus intentionis, qui ad- 67
mitteretur etiam in Motu proprio Papæ, ut post Gabriel. *de clauf.* notat Spada *cons. 117. numer. 4. lib. 2.* subsistente causa verisimili, & probabili intelligendi uno potius modo, 68
quàm alio, quo casu, & si regulariter gratia non interpretetur nisi per concedentem, fit tamen etiam interpretabilis
per inferiorem, ut benè notat Pacian. *consil. 6. numer. 152.*
& 153.

Sed dato millies, & non concesso, verba juxta proprium illorum significatum trahi posse ad inclusionem futuri pretii, negandum saltem non erit, quin juxta etiam eorumdem naturalem, & proprium comprehendant quoque primum receptum per Cameram, ex supranotatis, & iismet, quæ in casu contrario allegarent Domini Secretarii, quo posito
quis inficiabitur, quod ubi verba duplicem significationem 69
admittunt, & sumus in probabili dubio de concedentis intentione, semper accipienda sint in sensu minus damnoso eidem concedenti, si materia sit stricti juris, si concessionarius certet de lucro, concedens verò de damno evitando, ad tradita per Manticam *de taç. lib. 2. tit. 4. numer. 81. & 83.*
Gratian. *cap. 755. num. 12. & 13.* vel si concurrat alterna- 70
tiva aliqua, quæ debitori electionem tribuit regula in alternativis *de reg. iur. in 6. l. per hunc §. fin. de iur. dot.* Everard. *in top. argum. loco à nat. altern. num. 1.* ut subest in nostro casu in illa particula *vel habuisse constiterit*, quam diximus demonstrare causam mediatam per jura supracitata, item si
urgeat ratio absurdi vitandi, Everard. *loc. supracit.* Et de- 71
mum ubi concessionarius se fundat in verbis *dict. l. quidquid adstringendæ ff. de verb. obl.* plenissimè Mant. *de taç. lib. 2.* 72
tit. 4. ex num. 99. Galeot. *contr. 64. num. 20. lib. 2.*

Profectò cum hic confluant tot juris regulæ, supra perpensæ pro strictiori, & saniori dictorum verborum intellectu, cumque ita suggerant tot motiva subjectæ materiæ, præsumptæ voluntatis utilitatis publicæ, ratio insuper absurdi vitandi, æqualitatis servandæ: Non video quomodo non sit cum præfato Reverendiss. Domino de Luca respondendum favore Cameræ, prout ego pro tenuissima facultate mea respondere non dubito, sub censura tamen Sacræ Rotæ, & cujuslibet melius sentientis,

D. N. Gazellius in Pedemontano Senatu Consiliarius, & Senator.

Illu-

Illustriss. e Reverendiss. Sig. mio Padrone Osservandissimo.

Sono così tardi questi Signori nel concludere le materie, che hanno per le mani, che non ho potuto fino ad hora havere da verun'altro il Parere sottoscritto, sopra la materia à V. S. Illustriss. ben nota, fuoriche dal Sig. Presidente Leona. Glielo trasmetto percio annesso, assicurandola, che questo è il Voto del più accreditato in virtù, che sia nel Senato. Quando haurò havuto i Voti ancora sottoscritti dagli altri, non mancarò d'inviarglieli prontamente; mentre rassegnandole la mia particolare osservanza, bacio à V. S. Illustriss. riverentemente le mani. Torino 31. Genaro 1680.

Di V. S. Illustriss. e Reverendiss.

Devotiss. humiliss. Servitore vero
Gios. Arciv. di Nazianzo.

Monsig. de Luca.

Discursus D. Leonis Præsidis Senatus Pedemontani.

ARGUMENTUM.

Princeps, cùm extinguit Officia, tenetur restituere pretium receptum, ad instar venditoris cum pacto redimendi. Mens Beati Pii Quinti in Motu proprio edito pro Secretariis, luculenter expenditur.

SVMMARIVM.

1 *PRinceps extinguendo Officia, tenetur restituere pretium sine diminutione.*
2 *Emptor, & venditor non sunt ad imparia iudicandi.*
3 *Inæqualitas in singulis dispositionibus vitanda.*
4 *Officialis non debet reportare lucrum ex incremento Officii, dum in casu converso non erat reportaturus damnum.*
5 *Nemo ex facto alieno debet præiudicari.*
6 *Facultas reservata supprimendi Officium minuit eius pretium, vel in tertia, vel in sexta parte, iuxta temporalitatem, vel perpetuitatem ipsius reservationis.*
7 *Ius extinguendi Officium est idem, ac ius redimendi.*
8 *Pactum retrovendendi censetur appositum pro eodem pretio.*
9 *Quamvis valor rei creviſset, vel è contra.*
10 *Mens Papæ est potiùs attendenda, quàm verba.*
11 *Clausulæ positæ in parte exequutiva non valent evertere dispositivam.*
12 *Relatio est explicanda iuxta tenorem relati.*
13 *Novatio non inducitur, nisi verbis expressis.*
14 *Donatio exorbitans, & inopinata excludenda venit, etiam per impropriationem, & subauditum verborum intellectum.*
15 *B. Pius non est præsumendus voluisse gravare plusquam par erat publicum ærarium.*
16 *Quod disposuit in Officio vacaturo dato in solutum Collegio Secretariorum, censendus est disposuisse in cæteris aliis.*
17 *Ambigua conventio ita debet interpretari, ut minus quo fieri potest, promittenti noceat.*
18 *Dispositiones dubiæ declarantur ex antecedentibus, & subsequentibus.*
19 *Donationes non solent emanare, nisi ob affectionem, vel aliud iuridicum motivum.*

DIsertissimi ingenii felicitas, ac sapientissimi Domini Consultoris exactissima facultas, in colligendis juribus, quæ ad eversionem Rotalis decisionis emanatæ sub 16. Junii proximè elapsi odio Reverendissimæ Cameræ Apostolicæ faciunt, adeò nil intactum reliquit in suo responso, ut prærepto ulteriori scribendi loco, sola subscriptione fuissem contentus, ni à necessitate obtemperandi, cui debeo viderer me subtrahere, si jejunus, vel exili reflexione subscriptioni adstipularer.

Pace igitur sit dictum prudentissimi Auditorii, nimis absonus à juris dispositione Motui B. Pii applicatur intellectus, quo fuit resolutum singulis Secretariis, ultra pecuniam, quæ Cameræ obvenit, esset restituendum quod ulteriùs in officiorum resignationem erogarunt ad nudum resignantium commodum, ac evidenter abhorret à forma conventionis Innocentii Octavi, qua jus supprimendi Secretariorum Collegium Sedi Apostolicæ reservavit, prævia restitutione scutorum 62000. aureorum dictæ Cameræ solutorum.

Observandum enim venit, quod quemadmodum S. P. vel aliis supremis Principibus, quibus ex forma conventionis, vel ex sequela jurisdictionis competit auctoritas extinguendi officia non liceret in extinctione pretium denegare, aut cum diminutione restituere, ne cum aliena jactura locupletarentur, ad text. *in l. fin. §. emptor. Cod. com. de leg.* Am. à Pont. §. *qui feudum dar. pos. num. 65.* licet in simplici successore Principatus, ni pro mensura pecuniæ versæ in publicam utilitatem, non transeat sine scrupulo; Sic è converso, nulla æquitas suggeret, ut officiali liceat exigere plus pretii à Principe in suppressione officii, quàm in emptionem Principi erogatum. Principem recensendo deterioris conditionis, quàm officialem, & correlativos emptorem scilicet, & venditorem ad imparia judicando, contra vulg. *l. fin. C. de indic. vid. tol. l. fin. ff. de acceptil. l. Iul. §. si Procurat. ff. de action. empt.* 1 2

Hinc alter emergeret inæqualitatis effectus, quæ summopere in singulis est evitanda dispositionibus ad text. *in l. si id quod §. ult. ff. de rescind. vend. Auth. æqualitas C. de pac. conven.* etenim si temporum injuria officiorum valor decrevisset, & S. P. destinasset refuso dumtaxat pretio currenti, & diminuto, indubitanter Secretarii, & meritò insurgerent, sibique restitui postularent, pretium integrè persolutum Cameræ; Ergo cum nemo sit admittendus ad allegandum id, cujus contrarium non fuisset petiturus, sequitur in casu converso, quod si creverit valor officii sint ob audiendi Secretarii, si in suppressione pluris valentiam petant, qui minoris valentiam ex opposito non fuissent accepturi, sic arguit Joan. Ant. Bel. *cons. 36. num. 35.* 3 4

Maximumque sequeretur absurdum, si Camera foret obstricta pretium rependere, quod à Secretariis resignatariis ambientibus ad officia indiscretè fuisset profusum, quod alieni ambitus lueret pœnas, & gravaretur ex alterius facto excessiva refundere pretia, & fortè jam cum conniventia pacta contra vulg. *l. non debet de reg. iur. cap. non debet eodem in sexto, l. debitorum Cod. de pac.* imò illusoria penitus potuisset evadere supprimendi reservata facultas, summoperè excrescente ambitu, & officiorum pretio, ut non expediret Cameræ ea uti, ne Ærarium publicum potiùs fuisset in damno, quàm in commodo, eoque posito intellectu certè, quod facultas non reservandi prodesset, prout fas est, sed quidem tetendisset ad locupletandos Secretarios in jacturam Cameræ, cui minùs justo pretio est solutum, dum facultatis reservatæ ratio, modò in tertia, modò in sexta æstimata, pretii deficientiam integrat pro temporalitate, vel perpetuitate reservationis, Font. *decis. 83. & 84.* Fab. *in suo Cod. de rescinden. vendit. diff. 17.* 5 6

Enim verò jus extinguendi officia, quid aliud sonat, quàm jus redimendi, quoties redemptio, ut in his terminis, non est nova emptio, sed contractus resolutio Cenc. *de censibus, part. 3. cap. 1. quæst. 3. art. 1. num. 5.* quare si in pacto retrovendendi versemur ejus naturæ est, ut censeatur appositum pro eodem pretio ad text. *l. 2. Cod. de pac. int. empt. & vendit.* quamvis valor rei creviſset, vel decrevisset, ut testatur Font. *decis. 78. à 3. usque ad 7.* referens Bel. *dicto cons. 76.* qui per totum potissimi rationibus hanc opinionem tuetur, & defendit à contrariis, de quibus per Cagn. *in dicta l. 2. & nu. 32. & 33.* idem Bell. sine dubio existimat pretium, & singula esse referenda ad tempus contractus, ita etiam erit statuendum in casu, de quo agimus per modum simplicis extinctionis, & resolutionis, ad instar redhibitoriæ, per *l. redhibere, & l. non debet ff. de edilitio edic.* 7 8

Card. de Luca de Offic. Venal. &c.

10 Quod autem talis fuerit mens Pontificis, quæ potiùs venit attendenda, quàm verborum significatio, *l. non aliter, de leg.* 3. facilè quisque colligere potest maturè perpenso dicti motus §. *ad hæc autem*, quo nititur decisio; ex illo enim, prout animadvertit Doctissimus Consultor, constat apertè Papam nil aliud sensisse, quàm ad favorem dicti Collegii prædecessorum litteras, & privilegia, hactenus concessa, confirmare iisdem modis, & formis, quibus fuere concessa, ut verba sonant, additque in exequutionem, & observantiam eorumdem privilegiorum illa non posse ullo tempore alterari, aut moderari, seu Collegium supprimi, nisi restitutis singulis Secretariis, tunc viventibus integrè pecuniis, pro quibus eo officia emisse, aut habuisse constiterit, quibus sic stantibus, si in præcedenti clausula declarat Pontifex, velle imposterum Apostolicas litteras prædecessorum vigere sub eisdem formis, & sine
11 nulla alteratione, ex subsequenti clausula, non erit præsumendum, quod statim se corrigendo voluerit contraria disponere, prædictas litteras alterando, novamque formam imponendo, maximè cum clausularum, in exequutione positarum, non sit habenda ratio in eversionem principalis dispositionis, Ozasc. *decis.* 164. *num.* 2. *& per totum*, *l. si quando*, *C. de inof. test. l. præcipimus*, *Cod. de ap.* Barb. *tract. de axiom. ax.* 60. maximè dum Pontifex conformat suam vo-
12 luntatem, confirmando per viam relationis ad præcedentes litteras, ut ideò ejus sit explicanda voluntas, juxta tenorem relati Doct. *ad Auth. si quis in aliquo*, *Cod. de eden.* Peregrin. *de fideicom. artic.* 51. *num.* 59. & ad hunc sensum faciunt ea, quæ excludunt novationis præsumptionem, quæ
13 induci non potest, nisi expressim de novando, seu recedendo à primis dispositionibus fuerit actum, vel incompatibilitatis à posteriori dispositione ad præcedentes insit motivum DD. *ad l. fin. C. de novat.* Grat. *discept. for.* 290. *n.* 23. Altog. *cons.* 4. *num.* 33. *lib.* 1. Salgad. *Labyrint. cred. part.* 3. *cap.* 11. *num.* 97.

Ad majorem præmissorum comprobationem, satis etiam urget argumentum deductum per acutissimum Consultorem ab excludenda tam ingenti, & inopinata donatione
14 scut. 150. mil. citrà necessitatem, quæ deberet inferri ad intellectum Rotæ, & tamen in jure est cautum, omnem esse adhibendam interpretationem, impropriando, & subaudiendo verba, ut excludatur donatio, & potiùs error præsumatur, quamvis actus penitus redderetur inutilis, & superfluus, Mantic. *de tac. & ambig. conven. lib.* 13. *tit.* 9. *n.* 3. Menoch. *de arbitr. cas.* 88. *de præsumpt. l. b.* 3. *præsumpt.* 71. Surd. *cons.* 290. *num.* 54. Tiraq. *in l. si unquam in verbo donat. num.* 208. *Cod. de revocand. don.* neque enim censendum est
15 Sanctissimum Pontificem voluisse, quæ ad publici ærarii rectam, ac utilem administrationem non conveniebant, & quæ forsitan in præjudicium successorum, ob modicum beneficium facere non potuisset.

16 At præ cæteris stringit ratio, quam exactissimus Consultor ponderat, & derivat ab officio vacaturo dato in solutum, à quo processit concessio, nempè si S. P. in casum annihilationis, & inobservantiæ ejusdem officii vacaturi voluit restituenda tantummodò scuta 5500. quæ receperat, ut constat apertè in dicto Motu Sanctissimi, decernentes, ita in illis verbis, (nec ullo unquam tempore Notari, impugnari, invalidari, vel in jus, aut controversiam vocari, aut ad viam juris reduci, nisi priùs restitutis eisdem Secretariis, & Collegio per Cameram præfatam realiter, & cum effectu præfatis pecuniis) cur non item erit sentiendum ipsum decrevisse in casum redemptionis aliorum officiorum, quorum intuitu, nullum commodum tunc receperat, fuisset enim magis congruum privilegiare emptores, & futuros successores dicti officii, quàm cæterorum, & quidem vix poterit huic rationi dari apta responsio.

Quod si quis nondum huic veritati assentiri valeat, & adhuc velle dispositionis intellectum extendere etiam ad pretium, quo supra solutum Cameræ, officia sibi acquisiverunt, saltem non negabit verificandam dispositionem esse in pretio, quo Secretarii, qui tempore concessionis vivebant, emerant officia, & in eisdem, ut personaliter fruerentur ea donatione, in recognitionem recepti officii per
17 Summum Pontificem, sanè placet ambiguam conventionem ita interpretari, ut minus promittenti noceat, *l. veteribus, ff. de pactis*, *l. quidquid astringendæ*, *ff. de verb. oblig.* cogitans namque S. P. suppressionem potuisse contingere viventibus eisdem Secretariis, à quibus beneficium acceperat, ideò declaravit restituenda pretia tunc viventibus ex illis de tempore suppressionis, ut excluderentur hæredes, & successores non viventium, quemadmodum eisdem Secretariis jam cesserat majorem quantitatem pretii reperibilis, ex venditione officii vacaturi supra scuta 5500. soluta in re-
18 stitutionem Cardinali Medicco; dispositiones enim dubiæ declarantur ex antecedentibus, & subsequentibus, & quatenus benignius intelligendo Pontificiam concessionem illam admitteremus realem, ut etiam in ea comprehenderentur Secretarii futuri, & viventes tempore suppressionis, pretium tamen restituendum esset, non reperibile tempore suppressionis, sed quod jam solverant in resignationem suorum officiorum Secretarii existentes tempore factę concessionis, nec ulla ratio suadet Sapientissimum Pontificem
19 voluisse donationes conferre Secretariis futuris post sæculum, quæ non solent emanare, nisi ob affectionem, vel aliud juridicum motivum, *l. nec adiecit*, *ff. pro socio*, *& affectio non potest cadere in ignotis*, *l. non est ferendus*, *ff. de transact.* Menoch. *cons.* 33. *num.* 5. prout ipse Pontifex profitetur expressè inductum fuisse ad concessionem gratiæ ex motivo gratitudinis erga Secretarios, qui tunc Apostolicæ Sedis necessitatibus subvenerant.

Quare in hac, tanquam tutiori sententia, animus meus quievit, in qua æquitas, & æqualitas reperiuntur, resecatis novationibus, & correctionibus, profusiones irrationabiles evitantur, congruæq; largitates tuentur, & cui omne jus naturale, & civile maximè convenit, ut pretium in redemptione à Camera restituatur, quod in emptione eidem Cameræ fuit numeratum, aut ad plus veniat restituendum pretium, quo Secretarii existentes tempore concessionis emerant sua officia singulis eorum successoribus, effrenata ad tantum gravamen Ecclesiæ contraria interpretatione, quā cohibere potest, & debet sanè summa sapientissimi Pastoris regnantis æquitas, & justitia, salvo saniori judicio, ac ea reverentia, qua Sacræ Rotæ auctoritatem obsequentissimè veneror.

Guillielmus Leo in Supremo, & Regio Pedemontis Senatu sedens Præses.

Subscriptiones aliorum sex Iurisconsultorum.

Vidi elucubratissimas Juris consultationes Reverendissimorum DD. Albergati, & de Luca, quæ licet æqualibus juris fundamentis innitantur, illi tamen dicti D. Albergati Decani libentiùs adhæreo. Taurini 2. Februarii 1680.

Ioseph Bonaventura Dentis Senator.

Visa Piana, cum decisione Rotæ sub 16. Junii proximè fluxi, necnon allegationibus contrariis subtilissimi Domini de Luca super facto suppressionis Secretariorum per Sanctissimum noviter imperatæ, sum pro decisione, quod nimirum Divus Pius senserit, juxta decisa, missa quæstione an potuerit.

Torrini, &c.

Verissimam puto Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Consulentis sententiam, qua docet Cameram Apostolicam teneri reddere Secretariis suppressis summam pecuniarum ab eadem tantum exactam, non autem pretii integralis, quo empta fuerunt eorum Officia; Nec verò fundamentis, quæ per doctissimum Consulentem, Jurisperitorum hujus sæculi antesignanum, adducta sunt, quidpiam addi potest, quo firmior conclusio reddatur, quæ adductis ab eo argumentis, & rationibus firmissimè est stabilita; quam ego liberenter amplector, nedum ob tanti viri auctoritatem, sed etiam quia Innocentius Octavus decrevit in casum suppressionis, ut à Camera Apostolica fieret restitutio scutorum sexaginta duorum millium; Huic decreto cùm non fuerit derogatum à B. Pio Quinto, adhuc decretum vigere certi juris est, & juxta illius dispositionem intelligenda, ac interpretanda est Piana Constitutio, una enim lex declarat aliam; & si quid ambiguitatis adesset, recurrendum erit ad regulam juris, qua habetur in obscuris, quod minimum est, sequimur; quod procedere magis debet in casu, de quo agitur, ob præsumptum defectum voluntatis in Summo Pontifice onerandi Cameram Apostolicam ad restituendum Officialibus, conscijs periculi sup-

ſuppreſſionis, majorem quantitatem nummariam, quàm Camera recepit.

Io. Baptiſta Canis Vic. Gener. Taurin.

Vidi Pianam Conſtitutionem, deciſionem Rotæ ſub 16. Junii proximè fluxi, & Diſcurſum Reverendiſs. Domini de Luca, & cùm mihi magis placeat opinio dicti Domini de Luca, illi libentiùs adhæreo.

Manaſſerus.

Viſo Motu proprio B. Pii Quinti, ſubtiliſſimo Domini de Luca Diſcurſu, necnon Sacræ Rotæ deciſione, ejuſdem Rotæ ſententiæ inhæreo, quod ſcilicet Pius Quintus ſenſerit, totum id eſſe refundendum Secretariis ſuppreſſis, quod in emptionem Officiorum erogarunt; Et ita cenſeo ſub cenſura, &c.

Balegnus.

Viſa Piana cum deciſione Rotæ ſub 16. Junii, & diſcurſu Reverendiſsimi Domini de Luca ſuper ſuppreſſione Officiorum Secretariorum, adhæreo opinioni Domini de Luca.

Ricchelmus.

NUM. XV.

Reſponſa Boſcoli, & Concioli.

Reſponſum D. Boſcoli Ad-vocati Parmenſis.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Agitur de eadem intelligentia Motus proprii Beati Pii Quinti, de ſenſu, & ſignificatione verbi *reſtituere*; De poteſtate Principis recuperandi regalia, reſque à proprio patrimonio diſtractas; Et latè an, & quando Privilegium anteceſſoris ligat ſucceſſores, atque ſucceſſor poſsit illud revocare, vel limitare, concurrente motivo publici boni, & utilitatis.

SUMMARIUM.

1 Occaſio ſcribendi.
2 Notabile factum Chryſantii, & Mauſonii in Synodo Nicena.
3 B. Pius Quintus fuit ſtudioſiſſimus in tuendis, & cuſtodiendis iuribus Cameræ.
4 Prohibuit infeudationes rerum Eccleſiæ, aliaſque alienationes refrænavit.
5 Motus fuit ad confirmanda privilegia Secretariorum, ne ærarium Pontificium redderetur exhauſtum.
6 Non eſt veriſimile, quod voluerit gravare ſucceſſores ad reſtituendum, quod Camera non exegit, & num. 14.
7 Verbum reſtituere in nullo ſignificatu aliud importat, quàm retrodare, quod quis accepit.
8 Propria eius ſignificatio eſt reſtituere ſolutum.
9 Bullæ Pontificiæ ſunt intelligendæ in ſenſu proprio.
10 Quando adeſt ſenſus proprius non eſt convolandum ad improprium.
11 Papa noluiſſe præſumitur præiudicium ſucceſſorum, ſed in conceſſionibus cenſetur ſe conformaſſe diſpoſitioni iuris.
12 Princeps redimere poteſt res à ſuo patrimonio alienatas, pro illomet pretio, quo diſtractæ fuerunt.
13 Poteſt reſtitutio pretio luere officium alicui venditum, alterique pro libito tradere.
14 Beatus Pius non præſumitur exceſſivè prægravaſſe Cameram, ut inde lucrifacerent Secretarii ſibi nec benemeriti, nec cogniti.
15 Privilegium ita debet interpretari, ut non trahatur ad concedendum aliquid contra rectam rationem.
16 Eius verba, licet ampla, ſunt reſtringenda ad veriſimilem mentem concedentis.
17 Papa non poteſt ligare ſucceſſores.
18 Succeſſor poteſt mutilare privilegia ab anteceſſoribus elargita.
19 Princeps poteſt revocare privilegium ſubdito conceſsum.
20 Maximè ſi ſit electivus, qui iura Principatus non metitur ab anteceſſore.
21 Privelegium merè lucrativum poteſt ſine cauſa à Principe revocari.
22 Privilegium oneroſum poteſt revocari ex cauſa publicæ utilitatis.
23 Cauſa ſuppreſſionis Secretariorum reſpexit ad publicam utilitatem.
24 Cauſa fiſci dicitur publica.
25 Alfonſi Ateſtini dictum, quod Principis contemptibile ſit nomen, niſi pecuniis affluere credatur.
26 Motus proprius B. Pii in prima parte continet contractum, ſed in ſecunda eſt merè gratuitus.
27 Privilegia in remunerationem beneficii conceſsa, tunc dicuntur oneroſa, cum vel adæquant, vel parum ſuperant beneficium, ſed ſi longè præponderant, tunc non deſinunt eſse lucrativa, & gratuita, & num. 28.
29 Vt beneficium dicatur æquivalens debet ab eo exoriri actio, vel antidoralis obligatio ad tantundem remunerationis.
30 Aliàs donatio, in ea parte, in qua excedit merita, dicitur pura.
31 Princeps rata habere debet privilegia gratuita ab anteceſſoribus conceſſa.
32 Et dicitur ea revocando bonis moribus inimicus, ſibique iniurioſus.
33 Limitatur tamen ubi revocatio ſuadetur à publico bono.
34 Salus Reipublicæ eſt inter cateras leges ſuprema.
35 Privilegium ab initio æquiſſimum, ſi tractu temporis fiat laſivum, & cauſa conceſſionis ceſſet, expirat ipſo iure.
36 Si autem cauſa conceſſionis durat, poteſt à concedente, vel in parte, vel in totum revocari.
37 Annui redditus, qui temporis progreſſu evaſerunt laſivi, poſſunt à Principe reduci.
38 Conceſſiones, & privilegia, quæ tendunt in grave præiudicium Principatus, etiamſi fuerint oneroſa, & tranſiverint in contractum, poſſunt reſcindi, tam à Principe contrahente, quàm à ſucceſſore.
39 Sunt ipſo iure nulla, non obſtante iuramento.
40 Non validantur præſcriptione.
41 Officia ſunt de regalibus.
42 Non poſſunt ſeparari à dominio Principis.
43 Conceſſio facta de regalibus non nocet ſucceſſori, quin valeant ab eo revocari.
44 Poſſunt redimi, non obſtante præſcriptione immemorabili.
45 Princeps, qui non poteſt alienare regalia in præiudicium ſucceſſorum, neque poteſt concedere privilegium, per quod difficilior ſucceſſori reddatur ipſorum redemptio.
46 Contra tale privilegium competit fiſco reſtitutio in integrum.
47 Creditores poſteriores ex cauſa oneroſa præferuntur creditoribus anterioribus ex cauſa lucrativa.
48 Princeps non tenetur recompenſare ius privati, quando illud tollit ex cauſa publici boni, & per legem generalem.
49 Neque quando revocat privilegium gratuitum ex legitima cauſa, & ratione communis utilitatis.
50 Ad ſucceſſorem ſpectat declarare voluntatem anteceſſoris.

Card. de Luca de Offic. Venal. &c.

REspondere jussa imbecillitas mea de germano sensu B. Pii in suo Motu proprio, continente confirma-
1 tionem Privilegiorum amplissimam, favore Collegii Secretariorum, nuper ex pervigili providentia Sanctissimi Pontificis Innocentii XI. legitima ex causa, suppressi, in ea parte, in qua sancitum legitur, *Collegium ipsum supprimi, vel extingui non posse, nisi restitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis, tunc viventibus, integrè, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit*, an scilicet intellexerit Sanctissimus Conditor de pecuniis in emptionem Officiorum Cameræ Apostolicæ erogatis, an verò de iis etiam, quas Secretarii, suppressionis tempore adsciti, Officia, resignationis jure, adepti, juxta Innocentii Papæ Octavi indultum, resignantibus persolvissent, hæret primo responsi in limine, venerans doctissimum discursum superindè editum à validissimo, ac omniscio Cameræ defensore, præsentis sæculi in Orbe litterario prodigio. Quamobrem libentiùs abstinerem, eos ponere in Cœlum, & potiùs imitato consilio, &
2 exemplo Patrum Nicenæ Synodi, qui, Nicephoro teste *lib.* 8. *cap.* 23. cum celebres Episcopos Chrysantium, & Musonium, ante absolutum Concilium, acerbissimo fato mors rapuisset, ad eorum monumenta accedentes, tanquam viventibus, & audientibus dixerunt: *Bonum certamen, Sancti Patres nobiscum certastis, cursum peregistis, fidem servastis; si igitur ratũ esse debet, quod à nobis actum est, quoniam nunc nullo interposito obstaculo Trinitatis splendore illustrati clarius perspicitis, opus est vos nobiscum libello subscribere:* Conciliaribus actis apud tumulum postea depositis: Postridie verò redeuntes, Sanctorum Antistitum responsa, & subscriptiones habuerunt recentes adhuc, & in hæc verba conceptas: *Chrysantus, & Musonius, qui cum Patribus omnibus in sancta prima Oecumenica Synodo Nicena consensimus, quamvis corpore translati, manu tamen propria nos quoque libello subscripsimus.* Tanto, inquam, exemplo imitato, mallem in genua provolutus Beatissimi Pontificis ad tumulum, sacratos cineres interrogare, quid illis verbis Collegio concedere decreverit; An dum per eam Constitutionem accuratè incubuit, ne Cardinalis Mediceus emptor quinti ex sex locis, vigore dictæ Innocentianæ supprimendi, pretio Cameræ persoluto fraudatus remaneret, & ut Secretarii, qui cum pecuniam mutuam dare offerebant, cauti essent pro satisfactione conventa, mediante concessione primi ex officiis vacaturi liberè ab eis vendendi, etiam mente revolverit, Cameram Apostolicam, nullo, vel justitiæ, vel æquitatis jure suadente, sed inconsideratæ prodigalitatis impulsu; obligare in eventum suppressionis Collegii ad id, quod supponitur de jure non debuisse. Quid autem adorati cineres Sanctissimi Conditoris interrogati responderent, jam videtur sepulchrali è saxo prodire in oraculum, quod scilicet consulantur, pro vero intellectu hujusmodi concessionis, facti illius series, Motus ipsius verba, aliæque Constitutiones ab eo promulgatæ, ad dignoscendum, an hinc colligi valeat, quod dum privato damno obviare fategerit, pro summa scutorum quinque millium quinquecentum ad Cameræ levamentum solutorum, post eamdem summam à Camera restitutam, ipsam etiam voluerit damnificaram in aliis scutis centum quinquaginta millibus, sicuti supponitur, quod in facto resultaret.

Et quidem si aliæ consulantur Sancti Pontificis Constitu-
3 tiones, fateri oportet, quod vix alius fuerit illo exactior, & magis studiosus in tuendis Juribus Cameræ, aliarumque
4 Ecclesiarum: Ejus enim in hoc vigilantiæ debet Ecclesia vetitam Castrorum, & locorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ alienationem, & infeudationem: Is fuit, qui nimiam in alienandis, vel obligandis bonis Ecclesiasticis facilitatem coercuit, revocata facultate Camerario, aliisque Officialibus Cameræ Apostolicæ concedendi commissiones super iisdem alienationibus, ut Ecclesiarum indemnitati consuleret.

Si verò factum inspiciamus; id, quod tali privilegiorum
5 confirmationi occasionem præbuit, patet fuisse, ne Ærarium Pontificium magis exhaustum redderetur restitutione facienda Cardinali, unde verè repugnat, quod Sanctus Pontifex voluerit idem Ærarium aggravare, & exhaurire in summa supra viginti vices majori ea, quam Camera debebat, præsertim, postquam, mediante destinatione pretii Officii vacaturi, satisfactum erat Collegio pecuniam suppeditanti. Propterea dum Motus proprius in omni sui parte justitiam redolet, primò erga Collegium, cujus favore assensit revocationi concessionis factæ Cardinali, secundò erga ipsum Cardinalem, cui parat soluti restitutionem; Tertiò erga Cameram, quam præservat à numeranda pecunia Cardinali; Quartò iterum erga Secretarios solventes, quibus assignat pretium primi Officii, nullatenus convenit in- 6
terpretatio; quòd contra Pontifices successores justitiam non servaverit, eos obligando ad restituendum, quod nunquam Camera habuisset, longè ultra id, quod illos debuisse supponitur, suo hoc Motu secluso, quando maximè in ejus proœmio protestatus fuerat nolle alicui jus lædere iis verbis: *Nos, qui in terris eius locum tenemus, qui iustus est Dominus, ac propterea ius suum unicuique illæsum servari volentes.*

Si autem dicta verba pensemus, non videntur pati traditum à Rota intellectum, quoniam, ut à sapientissimo Propugnante jurium Cameræ observatum fuit, nec gramma- 7
ticalis, nec vulgaris, nec legalis sensus verbi *restituere* importat præstandum fore ultra id, quod quis accepit, Alciatus *in l. restituere 75. de verb. signific.* Altograd. sen. *conf.* 84. *num.* 106. *lib.* 1. Menoch. *conf.* 229. *numer.* 8. quare pomissio dotis restituendæ arguit dotem traditam, Surd. *conf.* 94. *num.* 23. & 24. & solùm de receptis facienda est restitutio, sive demandata in ultima voluntate, Gratian. *discept.* 823. *num.* 1. & *num.* 10. sive facienda sit per contractum, vel ex contractu resoluto, ut per Textum *in leg. si à te Cod. de pactis inter empt. & vendit.* Seraphin. *decis.* 547. *numer.* 8. unde etiam Poeta Terent. in Andr. inquit *Restitue, in quem me accepisti locum*, quod semper ponderavit Rota, ut in *decis.* 314. *num.* 2. confirmando decisionem 227. eadem parte, ubi quod nemo restituit id, quod non accepit, & coram Dunozet. juniore *decis.* 7. *num.* 12. ad probandum quod apocha continens mutuum, esset simulata, quodque pecunia non fuisset soluta, tulit in argumentum, quod in illa promissio esset solvendi, benè advertendo, quod si soluta fuisset, is, qui se mutuatarium fecerat, non promisisset *solver*, sed *restituere*.

Et licèt aliquando verbum *restituere* applicetur ei, quod 8
n inquam fuit receptum, hoc tamen est improprie, cùm sec ndum verum sensum significet solutionem factam ab eo, cui facienda est restitutio, Gratian. *discept.* 130. *num.* 12. In 9
proprio autem significatu, & non in improprio verba sum nda fore hac in hypothesi, postulat natura rescripti gratiosi, ac privilegii, quæ, tanquam stricti juris, sunt strictè, & propriè recipienda, Dec. & alii *in c. causam, quæ de rescript.* Otton. Tabor. *in thesauro locorum communium lib.* 16. *cap.* 41. *num.* 4. & in puncto intellectus verborum Bullæ Pontificiæ, quod sumenda sint in proprio, & stricto sensu, Menoch. *conf.* 859. *num.* 1.

Cùm autem habeamus mentem, & verba Beati Pontifi- 10
cis, non videntur, citrà violentiam factam, & verbis, & menti, illa trahi posse ad impropriam significationem, & hæc detorqueri in præjudicium Cameræ, & successorum, quod patet nec voluisse, nec potuisse.

Non inquam voluisse, quia non est præsumendum Papa 11
velle facere aliquid in præjudicium successorum, argum. text. *in cap.* 1. & ibi DD. qui successores teneantur, Spada *conf.* 143. *num.* 8. *lib.* 1. sed in concessionibus, & gratiis præsumitur se confirmare cum dispositione juris communis, idem Spada *consil.* 155. *numer.* 5. *lib.* 20. ejusque intentio esse censetur conformis legis, & rationi, Glos. *in cap. paratus* 23. *quæst.* 1. & talis qualis de jure esse debet, Decius *consil.* 33. *num.* 5. & *consil.* 407. *num.* 23. Spada *consil.* 164. *numer.* 27. & 168. *numer.* 17. *lib.* 1. & *consil.* 98. *numer.* 14. *lib.* 3. Rot. *diversi. part.* 1. *decis.* 695. *numer.* 5. & in terminis privilegii emanati super erectione Officii, idem Spada *consil.* 142. *num.* 5. ideoque illius rescripta ita sunt interpretanda, ut quanto magis fieri possit, conveniant juri, & æquitati, ad text. *in l. & facto in principio ff. de vulgar.* Dec. *dict. cap.* 33. *numer.* 5. & *consil.* 64. *sub numer.* 6. *versic. ultimo suadetur.*

Cùm ergo Princeps in vim præeminentiæ, ac prærogati- 12
væ legalis possit redimere eodem pretio res omnes, quæ ex ejus patrimonio exierunt, ut arg. *cap. Imperialem circa principium sub vers. nos autem.* De prohibita feudi alienatione per Federicum, Bald. *in cap.* 1. §. *porrò numer.* 5. *qualiter feud. alien. pos.* & alii apud Fajardum *allegat. fiscal. part.* 1. *alleg.* 1. *numer.* 11. *cum seqq. & per totam*, Bellug. *in speculo Principum rub.* 26. *num.* 3. *in fine, & num.* 4.

Et in puncto officii venditi per Principem, quod restitu- 13
to pretio possit illud luere, & alteri pro libito concede-
re,

re, ſuſtinent Joannes Hieronymus de Philippo *diſertat. fiſcal.* 11. *num.* 17. Maſtril. *de Magiſtrat. dict. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 38.

14 Cùm, inquam, jure ſuo poſſit hoc Princeps, eodem pretio reſtituto, & non de pluri, peto quo fundamento, qua ratione, quo ſpiritu velimus, quod dum Sanctiſſimus Pontifex totus eſſet in reparando damno, tunc imminenti patrimonio Apoſtolico, pro reſtitutione facienda Cardinali Mediceo ſcutorum quinque millium quinquecentum, voluerit eo actu, eamdem Cameram vulnerare obligatione reſtituendi, in caſu ſuppreſſionis Collegii, ultra id, quod fuiſſet de jure debitum, ſummam in tanto exceſſu ſupra debitum, concedendo tale lucrum futuris Secretariis, ſibi nullatenus benemeritis, & prorſus ignotis, cum tanta jactura Cameræ, quòd ſanè numquam facere velle præſumitur, Spada *conſ.* 207. *n.* 9. *in* 3. & ratiocinabatur etiam *conſ.* 142. *ſub n.* 5. *verſ. imò abſolutè lib.* 1.

Tantò magis dum verba, ut dictum eſt, hoc non important; Quando, etiamſi id ſignificarent, adhuc foret à pro-
15 prio eorum ſenſu recedendum, cum privilegium quantumvis ampliſſimum debeat prudenter ita interpretari, ne trahatur in conceſſione alicujus rei contra rectam rationem, Suarez *de leg. lib.* 8 *cap.* 27. *ſub num.* 4. *verſ. numquam enim*, cumque non rarò contingat, non eſſe Principis voluntatem,
16 totum id concedendi, quod verba præſeferunt, unde quando de hoc probabilior habetur præſumptio, juxta mentem concedentis, reſtringendum eſt privilegium, quod ab illa principaliter pendet, ita Suarez *de legibus lib.* 8. *cap.* 28. *num.* 9. ubi primam inter alias voluntatis conjecturam recenſet, ſi nimirum neceſſaria ſit reſtrictio ad vitandum aliquod abſurdum, aut nimiam Principis facilitatem in effrænata conceſſione.

Si verò adhuc eſſemus in caſu tam claro, ut non obſtantibus omnibus juris principiis reſtrictionem ſuadentibus, non pateret aditus propriæ, & ſtrictæ interpretationi, ac ſano intellectui, adeout deſperata eſſet quæſtio voluntatis,
17 ſuccederet illa poteſtatis, & foret ſtatuendum per tale privilegium non potuiſſe afferre detrimentum Pontificibus ſucceſſoribus, cùm Papa vivens ligare nequeat, vel obligare ſucceſſorem, ex quo par in parem non habet imperium *l. nam*, & *Magiſtratus ff. de arbitr. l. ille à quo* §. *tempeſtivum ff. ad trebell. Gloſ. ultima in cap. ult. de reſcript. in* 6. & *in can. non liceat verb. Papæ* 12. *quæſt.* 2. de quo plenè Arniſæus de jure Majeſtatis *cap.* 7. *ſub num.* 3. & innuit etiam Paulus Papa Quartus in ejus Conſtitutione decima ſeptima inter ſuas §. 8. his verbis, *Nos conſiderantes præfatum Engenium prædeceſſorem per eius litteras ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, cùm par in parem non habeat imperium, & per conſequens Collegio Cardinalium, & Officialium Romanæ Curiæ cauſam ab ipſis Romanis Pontificibus habentibus præindicare non potuiſſe, & propterea ius noſtrum, & Collegii, ac Officialium prædictorum illæſum remanſiſſe*, minuſque eumdem ſucceſſorem valeat ſupplantare, Altogr. Jun. *controv.* 99. *num.* 37. Spada *conſ.* 143. *num.* 8. *lib.* 1. aliique allegati in reſponſo D. Severoli in Bononien. penſionis edito in fine tractatus D Joannis Torre *de pact. futur. ſucceſſ. loco*
18 *cap.* 14. *lib.* 3. *num.* 21. & 28.

Porrò nec novum, nec indecorum eſt Pontifici privilegia à præceſſoribus conceſſa mutilare, id enim ſe facturum minatus fuit etiam Alexander Tertius *in cap. dilecti* 4. *de privileg.* claris illis verbis, *pro certo ſciatis, quod Nos conceſſa vobis privilegia decurtabimus.*

19 Propterea ſi cuilibet Principi licet privilegium ſubdito conceſſum revocare, arg. Text. *in cap. ſuggeſtum*, & ibi Doctores de decimis, gloſſ. & DD. *in cap. decet de reg. iur. in* 6. Bald. *in l. qui ſe patris ſub num.* 33. *C. unde liberi*, Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 37. *num.* 4. & *numer.* 10. multò magis
20 hoc poterunt Principes illi, qui non jure emanato ab anteceſſore, ſed jure electionis evehuntur ad Thronum, qui proinde non tenentur anteceſſoris factum adimplere, ut fore in confeſſo apud omnes teſtantur loquentes de Pontifice, Torre *de pactis fut. ſucceſſ. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 45. & plenius Arniſæus *de iure Maieſtatis cap.* 7. *n.* 11. *per tot.*

21 Quæ procedunt non ſolùm in privilegio merè gratuito, quod conceſſum præter, vel contra jus, poteſt liberè, & ſine cauſa revocari etiam ab ipſo concedente, quamvis ſit alteri jus quæſitum, Cardinal. Mantica *de tacit. lib.* 13. *tit.* 40. *num.* 8. Salgad. *de ſupplicat. ad Sanctiſſimum part.* 1. *cap.* 5. *num.* 58. Arniſæus *dict. cap.* 7. *ſub num.* 7. *verb. quod attinet fol. mihi* 101.

Sed etiam ſi conceſſum fuerit ex cauſa oneroſa, & tranſierit in contractum, adhuc enim ex cauſa publicæ utilitatis 22
valet revocari, ex allatis per eumdem Salgad. *eodem tract. de retentione Bullar. dict. cap.* 5. *numer.* 59. Fajard. *allegationum fiſcalium part.* 1. *allegat.* 1. *num.* 13. & 79. Arniſæus *ſupra verſ. item quæ vergunt*, ea ratione, quia, ut hic ait) licet fama, & auctoritas conceſſoris eſſe debeat chara ſucceſſori, ſibi tamen charior debet eſſe ſalus Reipublicæ: Quod etiam animadvertit Spada *conſ.* 202. *num.* 10. *lib.* 3. ubi quod quando agitur de publica utilitate, poſſunt Princeps privilegiis ſubditorum derogare.

Quod autem hujuſmodi Collegii ſuppreſſio facta fuerit à Sanctiſſimo Domino Noſtro urgentiſſimis de cauſis bo- 23
num publicum reſpicientibus, teſtis eſt Rota in deciſione ſuper hoc articulo edita, & conſtat etiam ex eo, quod 24
cauſa Fiſci dicitur publica, Gloſſ. *ſuper. rubr. C. de iure fiſci lib.* 10. Valenzuel. *conſ.* 100. *numer.* 102. Ganaver. *deciſ.* 20. *num.* 6. de Philip. *diſcept. fiſcal.* 40. *num.* 42. quando præſertim ageretur de ſubveniendo Principis Ærario, quod publicè intereſt ita pecuniis affluere, ut ſubire poſſit impendia, & quidem maxima, neceſſaria communi ſubditorum tutelæ, ac defenſioni, Fajard. *alleg.* 1. *num.* 28. unde in propoſi- 25
to benè ajebat Alfonſus Princeps Ateſtinum, apud Jovium, quod Principis inane eſt nomen, & contemptui, atque injuriæ expoſitum, niſi Ærario Regio multam pecuniæ vim ante pericula congeſtam contineri, ſervarique reputetur.

Tantò fortiùs in caſu noſtro, cùm Motus proprius habeat duas partes omninò diverſas, quarum prima continet 26
quidem contractum, ſecunda verò puram gratiam, & privilegium, & uti tale habuerunt ipſimet Secretarii, dum curarunt expediri ſuper hac ſecunda litteras in forma Brevis, inſcripto titulo, *Confirmatio privilegiorum.*

Et quatenus etiam prætenderetur tale privilegium conceſſum intuitu pecuniæ tunc Cameræ per Collegium mutuò datæ, adhuc dici non deberet tranſiviſſe in contractum, quia ante emanatum privilegium ſatisfactum erat debitum, & conventa mutui reſtitutio, mediante aſſignatione primi officii vacaturi, unde vix remanebat umbra, & veſtigium beneficii: Tunc autem privilegia, in remunerationem bene- 27
ficii conceſſa, tranſire cenſentur in contractum, quando ſunt commenſurativa, vel propè ad beneficium acceptum, alias ſi longè præponderarent, non deſinerent eſſe gratia, & privilegium gratioſum, Caſtil. *quotidian. controv. lib.* 6. *de tertiis cap.* 18. *ſub num.* 147. §. *procedit autem verſ. vellem* 28
conceduntur, Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 37. *numer.* 6. *in fine*, ſicut dicimus in donatione, quæ ut cenſeatur remuneratoria exigit beneficia non inferiora rebus donatis, Valenzuel. *conſ.* 48. *num.* 60. Michalor. *de fratribus part.* 1. 11. *num.* 20. & talia, ut exigant de condigno parem remunerationem, 29
itaut vel actio competeret, vel ſaltem ex illis oriatur talis obligatio antidoralis, ut ſit potius actus juſtitiæ commutativæ, & ſolutio debiti, quàm liberalitas, Illuſtriſſimus, & ſapientiſſimus Dominus meus de Luca *de donat. diſc.* 16. *ſub num.* 11. *verſ. atque ſunt*, aliàs enim in parte, in qua 30
donatio exuberat merita, dicitur pura, & ſimplex, Rota coram Seraphin. *deciſ.* 416. *num.* 20. & *in recent. part.* 6. *deciſ.* 358. *num.* 10. *cum ſeq.* Giurb. *ad conſuet. Meſſ. cap.* 1. *gloſſ.* 10. *ſub num.* 11.

Et licet conveniat Principem ſucceſſorem rata habere etiam privilegia gratuita ab anteceſſoribus facta, ex regula 31
decet de reg. iur. in 6. unde Divus Gregorius *in lib. Reg.* 6. *cap.* 16. meritò inquit, quod reſcindere benè ordinata eſt 32
docere cæteros exemplo ſui, ipſius quandoque inſtituta poſt ſe revocare, & diſſolvere, quod nimis aſperum eſt, & bonis moribus inimicum, Petra *de poteſt. Principis quæſt.* 32. *num.* 187. *fol.* 55. *in editione Francoforti*, Caſtil. *de Tertiis dict. cap.* 18. *ſub num.* 163. itaut Rex, qui benè ordinata per ſuum prædeceſſorem infringat, dicatur ſibi injuriam facere, Lucas de Penna *in l. fin. num.* 72. *C. de locat. præd. civil. lib.* 11. & *in can. ſi ea* 25. *quæſt.* 2. Apoſtolicus Conditor profiteatur, *ſi ea diſtruerem, quæ anteceſſores mei ſtatuerunt non conſtructor, ſed everſor eſſe iuſtè comprobarer.*

Attamen, ubi ſuadet bonum commune oportuna eſt hu- 33
juſmodi revocatio, Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 37. *num.* 9. unde ajebat Tacitus lib. 3. Hiſtoriarum, quod apud ſapientes caſſa habebantur, quæ nec dari, nec accipi ſalva Republica poterant, Gonzalez. Tellez. *in dict. cap. ſuggeſtum*, de 34
decimis, & meritò hanc Plato voluit præcipuam legem eſſe *ſalus Reipublicæ ſuprema lex eſto.*

Etiamſi privilegium ab initio æquiſſimum fuiſſet, 35

nam si in progressu fieri incipiat iniquum, & læsivum boni publici, & causa concessionis cesset, expirat ipso jure, Klochius *de contribut. cap. 16. num. 94.* si verò causa non cesset,
36 & adhuc privilegium redundet in diminutionem publicæ utilitatis, potest concedens illud, vel limitare, in totum revocare, Klochius ibidem num. 95. plenè Barzius *decis. 118. à num. 3.* ubi quod si ex post facto concedens privilegium, præter ejus intentionem, lædatur tametsi illud transierit in contractum, revocari potest, & num. 7. & per totam decisionem, ab eo enim quod diu æquum visum fuit propter tale motivum publicæ utilitatis receditur, gloss. apud eumdem Barzium ibid. nu. 8. & conferunt text. *in l. ex facto* 43. *ff. de vulgar.* ibi *iniquum fieri incipit privilegium Principis in l. Trebatius ff. de aqua quotid. & in cap. 4. de censibus*, Tellez. *in dict. cap. suggestum*, Carena *resolut.*
37 229. *num. 4. & per totum*, ubi ostendit licere Principi annuos redditus ob bonum publicum reducere, tollendo non solùm obligationem civilem, sed etiam naturalem, & obligare subditos in conscientia ad servandam talem reductionem justissimè factam talium reddituum, qui ab initio justi erant, sed posteà cum temporis facti sunt iniqui cum læsione Reipublicæ.

38 Et quidem multo fortius in concessionibus, gratiis, & privilegiis, quæ tenderent in grave damnum, & præjudicium Principatus, tunc enim non solùm privilegia gratiosa, sed etiam conventiones, & contractus Principum rescindi possunt, tum ab ipso contrahente, tum ab eis successore, Petra *de potest. Principis quæst. 32. num. 196. fol. 554. & num. seqq.* Peregrin. *de iure fisc. lib. 1. tit. 3. num. 74.* Castil. *dicto cap. 18. n. 166. & num. 170.* ubi plurimos allegat. Mastrill. de *Magistrat. edictis lib. 1. cap. 18.* Suarez *dicto cap. 37. sub num. 3. vers. at vero*, Salgad. *de retentione Bullarum par. 1. cap. 5. num. 59.* Thomas del Bene apud Fajard. *allegat. 1. num. 88.* ubi quod licet Princeps sit adstrictus ad observantiam contractuum, potest tamen ex causa publica contractus non servare, & conventiones læsivas ad limites justitiæ reducere.

39 Quinimò etiamsi Principum contractus, seu concessiones, vel privilegia jurata sint, si tamen enormem contineant læsionem, sunt ipso jure nulla, Castill. *plures referens dicto cap. 18. sub num. 171. vers. alii verò*, Klochius *de contribut. cap. 16. num. 94.*

40 Adeout neque præsidio præscriptionis immemorabilis validari possint, Castil. *ibidem num. 178.*

Cæterum in casu nostro opus non fuit procedere per viam revocationis privilegii, sed Camera usa fuit jure proprio, & sua facultate redimendi, ut dictum est, pretio soluto rem à se venditam, quod tanto æquiùs obtinere debuit in re-
41 demptionem officiorum; quia agebatur de recuperatione rei propriæ, tùm quia officia sunt ex regalibus Principum ex innumeris apud de Philippo *disertatione 1. num. 5. disertat. 11. num. 52. disert. 14. num. 20. & disert. 33. num. 6.*
42 Suntque altioris ordinis, & ita Principem ossibus adnexa, ut ab eorum dominio nequeant separari, idem de Philippo
43 *dict. disert. 1. num. 24.* tum etiam, quia concessio facta super reservatis, & super regalibus non nocet successori, quin valeant ab eo revocari, Ruin. *cons. 92. num. 11. lib. 1.* Natta *cons. 636. num. 200. & cons. 638. num. 46.* aliique apud Castil. *cit. cap. 18. sub num. 163. circa medium, & sub num. 166. cum num. seq.*

44 Quare possunt illa redimi quamcumque immemorabili præscriptione non obstante, Fajard. *d. alleg. 1. num. 85.*

45 Si autem Princeps nequit alienare regalia in præjudicium successorum, neque debet posse acquirendi concedere privilegium, per quod difficilior reddatur successori redemptio, sicut dubio procul contigeret, si Pianæ Constitutioni sensus esset, quod præter pretium Cameræ solutum, cujus restitutione supponitur de jure licita redemptio, deberet etiam alia summa notabilis persolvi, quam Camera numquam habuisset.

Et tunc saltem, quando remedia ordinaria cessarent, non 46
deessent extraordinarium restitutionis in integrum adversus tale privilegium, quæ utique Cameræ competeret Odd. *de restit. in integrum quæst. 3. art. 13. num. 14.* Amaya *in l. unica C. de sent. adverf. fiscum lib. 10. num. 38.* Peregrin. *de iure fisci lib. 6. tit. num. 10.* Boer. *decis. 163.* Guid. Pap. *dec. 302.* Ganaver. *cons. 2. num. 30. & seqq.* Bellon. iun. *cons. 66. num. 8.* Capyc. Galleot. *respons. Fiscal. 20. num. 19.* Illustrissimus D. meus Præses Nicellus *in docta sua allegatione fiscali nuper hic edita in* Placentina *prætensæ evictionis fol. 30. vers. demum*, Fajard. *allegat. fiscal. 1. num. 88. & 49. num. 201.* ubi de restitutione adversus litteras Regias, & factum Principis, de restitutione adversus factum Papæ Aldobrandinus *cons. 1. num. 176.*

Prætera obiter innuo, quod dato, citra noxam veri, privilegium importare obligationem Cameræ restituendi id, quod non habuit, dato quod fileret causa publica, quod foret irrevocabile, quod spes non esset obtinendæ restitutionis in integrum, quodque modo secuta jam suppressione, hic & nunc, secretarii creditores essent ipsius Cameræ prætensi pretii per eos resignantibus numerati, meminisse oporteret, quod ex justitia illis præferri deberent alii omnes creditores Cameræ ex causa onerosa, cum creditores 47
etiam posteriores ex causa onerosa præferantur creditoribus ex causa lucrativa, Rovit. *decis. 48. num. 24.* Ganaver. *decis. 42. à num. 11.* Carleval. *de ind. disp. 30. num. 9.* quando maximè creditores ex causa lucrativa habent tantum personalem, ut communiter omnes longa serie recensiti *per* Altimar. *ad eamdem dec. 48.* Roviti *vers. quam conclusionem.*

Verum absit à rectissima mente Beatissimi, & prudentissimi Patris, & Pontificis nota præjudicialis adeo intellectus, cui, ut vidimus, & ab initio dictum est, repugnant mens, & verba suæ Constitutionis, quæ in germano sensu recepta, si velimus etiam, quod præter privilegiorum confirmationem aliquid aliud importet per allegata verba, adeout superflua non sit Collegio, credi potest, per illa assecurare voluisse Secretarios extantes suppressionis tempore, quod semper fuisset eis restitutum pretium erogatum Cameræ, quod, secluso tali privilegio, esse non poterat citra controversiam, num in omni casu fuisset restituendum, 48
licèt enim quando Princeps ob publicum bonum auferre cogitur jus privati, teneatur illum recompensare, id tamen militat, quando tali privato jus suum specialiter tollit, non verò militat si id eveniat per legem generalem (sicut evenire poterat suppressio hujus Collegii, & aliorum) siquidem tunc recompensatio non requiritur, Altograd. in *decis. unica primi libri suarum controversiarum num. 60.* Fajard. *allegat. fiscal. 1. num. 82.* Sicuti neque requiritur quando Princeps revocet privilegium gratuitum ex legitima causa, & ob commune bonum, Suarez *de legibus lib. 8. d. cap. 37. num. 9.* 49

Quare sperandum videtur Fisco Apostolico; quod non attentis motivis Rotæ, quibus longè præponderat elaboratum, doctum, & accuratum votum Illustrissimi D. Auditoris, & digni Cameræ Advocati, sperandum inquam, quod 50
Sanctiss. D. Noster, ad quem solum spectat tamquam ad legem animatam, declarare voluntatem Prædecessoris, Spada *cons. 285. num. 4. lib. 3.* Altograd. jun. *contr. 92. sub num. 35.* Menoch. *cons. 859. num. 4.* declarabit, istam fuisse mentem, ac intentionem Beati Pii in præfata sua Constitutione.

Discursus D. Concioli Advocati Eugubini.

ARGUMENTUM.

Hic pariter agitur de vera significatione verbi *restituere*, & quomodo illud usurpatum fuerit apud antiquos Scriptores. Verba sunt accipienda in suo proprio sensu, præcipuè in Bullis. Quando aliqua concessio est dubia, quomodo sit interpretanda, præcipuè si adest in causa Fiscus.

SUMMARIUM.

1 *Actor debet concludenter probare suam intentionem.*
2 *In dubio pronunciandum est ad favorem Rei.*
3 *Verbum* restituere *ex dispositione iuris verificatur in eo, quod habitum fuit.*
4 *Eeodem modo usurpatur apud antiquos Scriptores.*
5 *Verbum* restituere *prædicatur de verbo* reddere.
6 *Verbum* reddere *significat propriè restituere rem acceptam.*
7 *Verbum* restituere *impropriè significat dare, vel solvere; propriè autem importat restituere acceptum.*
8 *Verba sunt propriè intelligenda.*

9 *Verba*

9 *Verba quando habent propriam ſignificationem, non eſt deveniendum ad aliam interpretationem.*
10 *Verba appoſita in Bullis tantum valent, quantum ſonant.*
11 *In claris intrat diſpoſitio textus in l. ille, aut ille §. cum in verbis ff. de legat. 3.*
12 *Clarum dicitur id, quod nullam recipit interpretationem.*
13 *Quodque nullo ratiocinio, vel interpretatione adhibita, cum ſolo ſenſu corporeo percipitur.*
14 *Verba in dubio ſunt interpretanda contra ſe fundantem in eis.*
15 *Obligatio dicitur odioſa, & ſtricti iuris, proinde eſt reiicienda.*
16 *Interpretatio ſemper facienda eſt, quæ excludat obligationem.*
17 *Solus Princeps poteſt cum effectu officia vendere, & alienare.*
18 *Interpretatio facienda eſt, quæ congruat ſubiectæ materiæ.*
19 *Quis cenſeri debet obligatus minus, quam fieri poteſt.*
20 *Vna pars diſpoſitionis aliam declarat.*
21 *Relatio non eſt facienda contra mentem diſponentis.*
22 *Voluntas Papæ declaratur ex coniecturis.*
23 *Papa non præſumitur voluiſſe præiudicare tertio.*
24 *Multoque minus cenſendus eſt voluiſſe præiudicare Cameræ.*
25 *Interpretatio, quæ inducit donationem, & iactum omnino vitanda eſt.*
26 *Sicuti, quæ eſt nimis præiudicialis.*
27 *Vna pars diſpoſitionis aliam declarat.*
28 *Obſervantia eſt optima interpres quaruncumque diſpoſitionum.*
29 *A veriſimili mente concedentis validum deſumitur argumentum.*
30 *Coniecturæ ſunt unitim conſiderandæ.*
31 *In dubio pronunciandum eſt contra fiſcum.*
32 *Eſt tamen opinio multum controverſa.*
33 *Camera diſtinguitur à Fiſco.*
34 *A diverſis non fit illatio.*
35 *Eſt pronunciandum ad favorem Camerę, quando eſt rea, & debitrix.*

VEnit recedendum à deciſis in cauſa Romana pretii Officiorum, in qua fuit dictum Rev. Cameram Apoſtolicam teneri ad reſtituendum DD. Secretariis ſuppreſſis per Sanctiſſimum D. N. non ſolum ſoluta per eos d. Rev. Cameræ pro pretio dd. Secretariorum; ſed etiam per eos ſoluta ultra dictum pretium pro illorum conſequutione, ex illa concluſione, quod Actor ut valeat in Judicio obtinere debet probare intentionem ſuam plenè, & concludenter, ut docet Rota apud Burat. *deciſ.* 794. *num.* 2. & *deciſ.* 446. *in fine part.* 5. *recent. lib.* 2. & *deciſ.* 304. *numer.* 3. *part.* 14. *recent.* Itaut ſi probatio ſit dubia pronunciandum ſit ad favorem rei, Rota *d. deciſ.* 446. *in fine d. part.* 5. *lib.* 2. & *deciſ.* 149. *num.* 4. *part.* 16. *recent.*

Fundamentum verò, & probatio, in qua ſe fundant DD. Secretarii ſuper Bulla Beati Pii Quinti, non ſolum non eſt certa, imò eſt valdè dubia, quidquid dicatur in deciſione, ut ex verbis ponderatis ipſius Bullæ clarè eſt videre; Verba autem Bullæ ſunt hæc Volentes dicta privilegia nullo unquam tempore alterari, vel moderari, vel Collegium ipſum ſupprimi, vel extingui non poſſe, niſi reſtitutis prius realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis tunc viventibus integrè, & abſque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eorum officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit; Satis tamen manifeſtum eſt dictum verbum *reſtitutis*, tam ex diſpoſitione Juris communis, quàm ex Grammaticorum auctoritatibus verificari non poſſe, niſi in eo, quod alteri ablatum eſt, non autem in eo, quod ablatum, & habitum non fuit.

Ex diſpoſitione Juris, inquam, per Text. *in l. reſtituere* 35. & *in l. reſtituere* 75. & ibi clarè notat Alciat. *in verbo proprie autem*, ubi dicit, quod propriè reſtituere dicimus, quod accepimus, & *in l. apud Labeonem*, & ibi idem Alciat. *numer.* 11. *ff. de verbor. ſignif.* & *in l. qui reſtituere ff. de rei vendic.* & tradunt ultra Alciat. *ubi ſupra*, Nebriſ. *in vocabulo Iuris in verbo reſtituere*, Menoch. *conſil.* 1155. *numer.* 51. & *ſequen.* Bertaz. *in l. ſi quis maior. num.* 606. *C. de tranſact.* & Rota *deciſ.* 5. *num.* 22. coram R.P.D. Dunoz. Juniore.

Et eodem modo uſurpatur dictum verbum *reſtituere*, apud antiquos Scriptores, ut videre eſt apud Cæſar. *lib.* 3. *de Bello Civili*, ibi, qui maximas habuerunt pecunias mutuati perindè, ac ſuis ſatisfacere, & fraudata reſtituere vellet Cicero pro Roſcio *Ameri.* 67. ibi reſtituam, & reddam, idem Cæſar. 2. *de Bello gallic.* ipſius Oppida, vicuſque, quas circumdederat, reſtitui juſſit, &c.

Et eo magis hic eſt timendum, an dictum verbum *reſtituere*, prædicetur de verbo *reddere*, Teren. *in eun.* ibi: ut ſuis reſtituam, & reddam, idem Terent. *in Andr.* 4. & ex noſtris Alciat. *in d. l. reſtituere* 75. *ff. de verbo ſignif.* Calvin. *in Lexic. in verbo reſtituere*, verbum autem reddere uſurpatur propriè pro reſtituendo rem acceptam, Teren. *in Adelph.* 2416. Theſaur. linguæ latinæ *tom.* 3. *in verb. reddo.*

Quibus non nocet, quod dictum verbum *reſtituere* aliquando intelligi poteſt de verbo dare, vel ſolvere, quia quidquid ſit de hoc, certum tamen eſt, quod id ſit impropriando dictum verbum *reſtituere*, quod prædicatur propriè de reſtituendo, id quod fuit acceptum per promittentem reſtituere, ut in puncto tradunt Alciat. *in d. l. reſtituere* 75. *ff. de verb. ſignif.* Nebriſ. *in vocab. in dicto verb. reſtituere*, & Roland. *de luc. dol. q.* 11. *num.* 27. ubi dicit, quod dicta expoſitio eſt impropria ex Bald. quem allegat.

Verba autem ſunt propriè intelligenda, *l. non aliter ff. de legat.* 3. cum aliis apud Barboſ. *axioma* 122. *num.* 1. Rota *deciſ.* 365. *num.* 7. *part.* 16. *recent.* & quando verba habent propriam ſignificationem, ut in caſu, de quo agitur, non eſſe deveniendum ad aliam interpretationem, vel intelligentiam, ſcripſit Cyriac. *contr.* 522. *num.* 54. ubi dat concordantes, maximè in Bullis, quorum verba tantum valent, quantum ſonant, ut dicit Odd. *conſ.* 53. *num.* 25. *in fine.*

Itaut manifeſtum ſit, quod Jura ad favorem DD. Secretariorum non ſolum non poſſunt dici clara, ut aſſeritur in deciſione, itaut intret ad favorem ipſorum diſpoſitio Text. *in l. Ille, aut ille §. cum in verbis ff. de legat.* 3. cum aliis allegatis in deciſione, cum illa verba dicantur clara, & manifeſta, quæ nulla recipiunt interpretationem, ut poſt Dec. Ruin. & Cæſar. per eum adductos probat Maſcard. *de probat. concl.* 1016. *num.* 15. *vol.* 2. & clarum dicitur, quod ſolo ſenſu corporeo percipitur, abſque aliqua impropriatione, ratiocinio, & alia operatione intellectus, aliàs ſecus, ut benè declarat Rota apud Bich. *deciſ.* 612. *num.* 16. *part.* 2. ubi dat concordantes.

Sed imò intentio DD. Adverſariorum dicatur valde dubia, itaut ſuper illa nullum ad favorem ipſorum de Jure conſtitui poſſit fundamentum, non ſolum quia in dubio verba ſemper interpretanda ſint contra ſe fundantem in eis ad Text. *in l. veteribus ff. de pact.* & tradit Cyriac. *controv.* 521. *num.* 64. ubi concordantes, & cum obligatio dicatur odioſa, ſtricti Juris, & rejicenda ad Text. *in l. eius, qui in Provincia in verſ. neque enim*, & ibi Gloſ. *ff. ſi act. petat*, & *in l. Atrianus ff. de action. & obligat.* & poſt Signorol. Calder. Calca. Cravet. & Rimin. Junior. per eum relatos, benè comprobat Paitel. *expedit.* 19. *num.* 1. & *ſeqq.* & Rota apud Cencium *de Cenſ. deciſ.* 212. *num.* 9.

Itaut interpretatio ſemper facienda ſit, quæ excludit obligationem, & quod quis ſit obligatus minus quàm ſit poſſibile, ut probant idem Paitel. *d. exped.* 19. *nu.* 2. & poſt eum Cyriac. *contr.* 378. *à nu.* 16. *uſque ad* 21. & *controv.* 461. *n.* 20. qui alios dat concordantes, quamplures.

Neque ullum poteſt fieri ex adverſo juridicũ fundamentum ſuper illis verbis Bullæ, videlicet, *pecuniis, pro quibus eorum officia emiſſe, vel habuiſſe conſtiterit*, quia illa non debent, nec poſſunt referri, niſi ad pecunias ſolutas Rev. Cameræ, à qua, & non ab aliis dicta officia Secretariæ, emi poſſent, cum ſolus Pontifex cum effectu dicta Officia vendere, & alienare valeat, ut doctiſſimè quidem, ut ſemper ſolet, comprobat Illuſtriſs. Dominus meus de Luca *in ſuo eruditiſſimo diſcurſu in hac cauſa edito in verſ. demum ad iſtam, cum verſ. ſeq.* Cum interptetatio ſemper ſit facienda, quæ magis congruit ſubjectæ materiæ, ut docent Rimin. jun. *conſ.* 563. *nu.* 39. & Cyriac. *controv.* 555. *n.* 13. & quod quis cenſeatur obligatus minus quàm fieri poteſt, ut poſt Angel. Pariſ. Natta, & Rimin. Jun. per eum relatos, ſcribit Cyriac. *controv.* 566. *num.* 38. & 39. itaut ceſſare dicatur omnis amaritudo, quæ in contrarium excogitari valeat.

Et eò magis dicta verba ſunt referenda ad pecunias ſolutas Rev. Cameræ tantùm, pro conſequutione dd. Officiorum,

rum, cum Summus Pontifex in dicto Motu proprio per plures, & plures vices, usus fuerit dicto verbo *restituere*, ut ex eo est videre, quod quidem verbum *restituere*, ut fuit supra probatum, prædicetur de pecunia, quæ ad Papam
20 pervenit, ex una enim parte dispositionis declaratur alia, ut notat Mascard. *de gener. stat. interpret. conclus. 2. nu. 112.* & Rota apud Merlin. *decis. 363. nu. 8.* dixi ego met *ad stat.*
21 *regular. lib. 2. rub. 45. in princ.* & relatio non est facienda, quæ sit contra mentem disponentis, ut dixit Rot. *decis. 68. num. 13. part. 12. recent.*

Quæ quidem licet sint satis clara, & manifesta ad favorem Reverendæ Cameræ Apostolicæ, certiora tamen apparent, si attendimus conjecturas quamplures manifestè suadentes mentem Sanctissimi fuisse restituendi DD. Secretariis pecunias tantùm ad Cameram perventas ratione dictæ emptionis, non autem pecunias solutas aliis, pro qui-
22 bus Camera non tenebatur, uti ad eam non perventas, cum Papæ voluntas qualis fuerit ex conjecturis benè declaretur, ut tradunt Menoch. *de arbitr. casu 211. num. 24.* & Rota *decis. 419. num. 4. part. 14. recent.*

23 Quarum prima desumitur ex illa generali præsumptione, quod Papa sicuti præsumitur nolle præjudicare tertio, ut dicit *decis. 8. num. 2. part. 8. recent.* & apud Card. Celsum
24 *decis. 310. num. 15.* ita multò minus præsumitur voluisse præjudicare suæ Cameræ Apostolicæ, ut tradit Rota *decis. 55. num. 32. part. 11. recent. & decis. 496. num. 6. part. 5. rec. lib. 2. & decis. 536. num. 15. part. 14. recent.*

Secunda est conjectura satis gravis, quod si intentio Papæ fuisset, quod DD. Secretariis restituerentur, non solùm pecuniæ per eos solutæ Reverendæ Cameræ Apostolicæ, sed etiam aliæ per eos persolutæ iis, à quibus dicta Officia fuerunt eis renunciata, & quæ ad Reverendam Cameram non pervenerint, induceretur donatio, & jactus,
25 quos omnia Jura abhorrent, itaut interpretatio, quæ inducit donationem, & actum omninò sit fugienda, maximè quando alia sumi potest, ut in casu nostro, ut dixit Rota *decis. 517. num. 3. part. 1. recent. lib. 2.* & apud Merlin. *decis. 493. num. 3.* latè eadem Rota *in Pisauren. Iocalium 22. Iunii*
26 1648. *coram R. P. D. meo Arguelles*, ubi aliæ recensentur, & cum interpretatio illa sit semper fugienda, quæ est nimis præjudicialis, ut esset in casu, de quo agitur, ut dicit Rota apud Gregorium Decimumquintum *decis. 311. nu. 8.* ubi concordantes.

Tertia desumitur conjectura ex verbis ipsius Motus proprii, in quo, ut etiam dixi supra, pluries, & pluries Papa usus fuit dicto verbo *restituere* in ordine ad accepta per Reverendam Cameram, ergo eodem modo intelligendus est dictus Motus proprius, quando agatur de restitutione facienda DD. Secretariis, nempè de pecuniis per ipsam Cameram receptis, non autem de persolutis resignantibus di-
27 cta Officia, cùm ex una parte dicti Motus proprii declaretur altera, ut notat Mascard. *de gener. stat. interpret. concl. 2. num. 112.* & dixi etiam ego *ad Stat. Eugub. lib. 2. rub. 45. num. 1.*

Quarta verò desumitur conjectusa, satis considerabilis, quòd dum Summus Pontifex agit de Secretariatu per eum concesso bonæ mem. Cardinali de Mediceis in casu non observantiæ, vel ineffectuationis noluit obligare Reverendam Cameram, ad totum id, quod dictum Officium vendi potuisset, sed solùm ad ei restituendum scuta 5500. auri per eum accepta; ideò multò minus dicendum sit, quòd Summus Pontifex voluerit obligare ad restituendum DD. Secretariis pecunias, quas Reverenda Camera non acceperat; Observantia enim est optima interpres quarumcumque dispositionum, ut dicit Rota apud Zacch. *de Societ. decis. 61. num. 5. & decis. 78. num. 5. & in Bonon. fideicomm. de Malvetiis 7. Maii 1640. coram R. P. D. Peutingerio.* 28

Quintam addo conjecturam, quòd si Summus Pontifex occasione dicti Motus proprii fuisset interrogatus, an illius mens fuerit, quòd Reverenda Camera deberet DD. Secretariis, non solùm pecunias ad illam perventas, sed etiam pecunias, quæ ad illam non pervenerint, in damnum dictæ Reverendæ Cameræ, sine dubio verisimiliter negativè respondisset, & ideò illud debet haberi pro dispositio, ut no- 29
tat Barbos. *in loc. comm. loco 121. num. 1.* & Rota apud Merlin. *de pignor. decis. 100. num. 2.*

Quæ quidem conjecturæ non veniunt considerandæ, uti 30
singulæ, & separatæ, sed insimul, & unitæ, itaut una aliam foveat, & tueatur, & sic ut intret regula, quòd una conjectura non operatur, plures simul junctæ benè operantur, de qua habetur *in l. exempl. in l. Instrumenta, in l. rationes Cod. de Rubr.* & tradunt Surd. *cons. 245. num. 32. lib. 2.* Rota *decis. 21. num. 26. & decis. 194. num. 105. & decis. 409. num. 20. part. 5. recent. & alibi passim.*

Quæ verò circumferuntur, ut audio, extra Rotam, 31
quòd in dubio sit pronunciandum contra Fiscum *ad l. non puto, ff. de Iur. Fisc.* sunt somnia vigilantium, quia omis- 32
so, quòd dicta conclusio est maximè controversa inter Doctores, ut videre est ex Peregr. *de Iur. Fisc. lib. 6. tit. 6. num. 22. & seq.*

Quia inquam dicta conclusio continet manifestam falla- 33
ciam, cùm Camera, & Fiscus, sint inter se omninò diversi, & distincti, & ideò diversis reguntur Officialibus, ut optimè comprobat Illustrissimus Dominus meus de Luca *in Theatr. verit. & iust. tom. 15. in tit. de Relat. Rom. Cur. disc. 46. num. 84. & seq.* ubi subjungit, quòd causæ ad Cameram spectantes sunt favorabiles, spectantes verò ad Fiscum sunt odiosæ, ut ibi per eum, ex diversis autem non 34
licèt sumere argumentum, ut latè comprobat Barb. *in loco comm. argumen. loc. 37. num. 1.* ubi quamplures dat concordantes.

Imò dictum argumentum retorquetur, quia cùm in hoc 35
Judicio Camera Apostolica interveniat uti rea, & uti debitrix, in dubio ad illius favorem venit pronunciandum ad text. *in l. favorabiliores*, & ibi notat Dec. Cagnol. & alii *ff. de reg. iur.* & cùm causæ Cameræ sint favorabiles, ut dixi supra, meritò, &c.

Cætera autem in contrarium allata, doctissimè tolluntur per Illustrissimum Dominum meum de Luca (Advocatum olim in Vrbe celeberrimum, & primarium, quem talem appellat Rota *decis. 358. num. 2. part. 16. recent.*) in suo discursu in hac causa edito, cui nihil addi posse est dicendum, & ideò cum dicto erudentissimo discursu omninò pertranseo, & illum in omnibus suis partibus amplector, & approbo.

Quare, &c. salvo, &c.

Ego Antonius Conciolus I. C.

NUM. XVI.

Informationes pro Camera in secunda propositione Rotali super revisione primæ decisionis.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Agitur de erectione Collegii Secretariorum; de suis privilegiis, & Pontificiis eorum confirmationibus, & latè de Motu proprio B. Pii V. quidve in eo contineatur, tam circa reintegrationem Collegii respectu Officii ab eodem Pontifice per errorem venditi, quàm circa indulta, & privilegia eidem Collegio in casu suppressionis elargita.

SVMMARIVM.

1 *INnocentius Octavus erexit, & auxit Collegium Secretariorum Apostolicorum.*

2 *Concessit Secretariis facultatem resignandi Officia, etiam in infirmitate.*

3 *Voluit, quòd in casu suppressionis restituerentur scuta 62400. auri per Secretarios soluta, absque eo, quod in illis computari possent emolumenta interim percepta.*

4 *Ale-*

4 *Alexander Sextus, Iulius Secundus, Leo Decimus, Clemens Septimus, Paulus Tertius, & Iulius Tertius ſimpliciter confirmarunt privilegia Secretariorum.*

5 *B. Pius Quintus conceſſit alterum ex Officiis, tunc vacans, Cardinali Mediceo pro ſcutis 5500. auri.*

6 *Sed poſtea conceſſionem revocavit, ex quo illud legitimè non valebat conferre.*

7 *Secretarii tunc temporis obtulerunt reſtituere Cardinali Mediceo pretium ſolutum.*

8 *B. Pius dedit in ſolutum Secretarii Officium primò vacaturum, in ſatisfactionem pretii per eos reſtituendi Cardinali de Medices.*

9 *Promiſit in dicta aſſignatione, & datione in ſolutum nunquam Secretarios turbare, & moleſtare.*

10 *Obligavit Cameram ad reſtituenda ſcuta 5500. auri, unà cum damnis, & intereſſe, caſu quo impugnaretur prædicta aſſignatio.*

11 *Conceſſit facultatem Collegio imponendi cenſum ſuper redditibus ſuæ Maſſæ pro reſtituenda ſumma prædicta ſcutorum 5500. auri.*

12 *Confirmavit exindè omnia privilegia Collegii elargita per Pontifices anteceſſores, & num. 13.*

14 *Iuſſit, quòd Collegium extingui non poſſet, niſi reſtitutis prius realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis tunc viventibus integrè, & abſque ulla diminutione pecuniis pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit.*

15 *Super huiuſmodi Motu proprio Secretarii duo expedierunt Brevia; alterum ſuper facultate ſumendi pecunias ad cenſum; alterumque ſuper confirmatione privilegiorum, cui poſtremo titulum impoſuerunt;* Confirmatio Privilegiorum.

16 *Nonnullæ reſignationes dictorum Officiorum deſumptæ ex libro Statutorum Collegii, & num 17. 18. 19. & 20.*

21 *Suppreſſio Collegii facta per Sanctiſſimum cum obligatione reſtituendi pretium ſolutum Datariæ.*

22 *Circa augmentum pretii ſolutum reſignantibus fuit commiſſa cauſa Theſaurario de Voto Rotæ.*

23 *Rota in prima propoſitione reſpondit eſſe reſtituendum pretium per quemlibet ex Secretariis erogatum in emptionem ſui Officii.*

23 *Impugnatur reſolutio ex quatuor articulis diſtinctim examinatis.*

25 *Ex verbis ſcilicet Motus proprii.*

26 *Ex mente Beati Pii.*

27 *Ex læſione Cameræ.*

28 *Et ex perſonali privilegii qualitate.*

INnocentius Octavus Anno 1487. pro redimenda mitra, Regnum nuncupata, & aliis jocalibus pignoratis propter maximas expenſas factas pro defendenda, & conſer-
1 vanda Urbe, erexit, & auxit Collegium Secretariorum Apoſtolicorum ad numerum triginta ſucceſſivè reducendum ad viginti quatuor, receptis florenis aureis 62400. à decem, & octo illorum, ut in Conſtitutione 12. §. *primo, & ſecundo Bullar. novo tomo primo.*

Cui Collegio, & Secretariis ultra emolumenta aſſignata
2 conceſſit plura privilegia, de quibus à §. 3. uſque ad 23. inter quæ adeſt illud officia reſignandi etiam in infirmitate, ibi: *Pari modo volentes, ut omnes 30. & quilibet ipſorum Secretarii, &c. liberè poſſint de dictis eorum officiis diſponere, nec poſſit, aut debeat eorumdem officiorum reſignationis receptio, etiam ſi reſignantes ipſi in infirmitate, & veriſimiliter infra 20. dierum ſpatium deceſſuri forent, & decederent, per Romanum Pontificem quavis ratione denegari, vel differri* §. 11.

3 Poſtmodum conſiderans caſum diminutionis emolumentorum aſſignatorum, & reſpectivè ſuppreſſionis officiorum, diſpoſuit per hæc verba: *Si erit facta ſimplex emolumentorum diminutio ad ſolvendum, & ſatisfaciendum ipſis de omni ſumma, quam propterea ipſos ex huiuſmodi cauſis, vel alias quovis modo amiſiſſe, ſeu imposterum amiſſuros eſſe; medio ipſorum iuramento conſtabit; Si verò erit facta officii revocatio, aut alteratio, ut præmittitur, ad reſtituendum eis ſupradictam integram ſummam 62400. ducatorum auri de Camera per ipſos, ut præmiſſum eſt, ſolutorum, & numeratorum, in quibus nullo modo, &c. computari poſſint emolumenta ipſius officii, quæ fortè interim ipſos percepiſſe appareret,* & latiùs *in dicto* §. 23.

Alexander Sextus Anno 1500. ſimpliciter confirmavit 4
privilegia ejuſdem Collegii Secretariorum, mediante Bulla impreſſa in libro Statutorum dicti Collegii pagina 30. Prout etiam fecit Julius Secundus anno 1508. ut in Conſtitutione ibidem impreſſa pagina 377. Leo verò Decimus de anno 1517. ultra ſimilem confirmationem nova etiam privilegia eidem conceſſit, ſicuti legitur in Bulla in eodem libro Statutorum impreſſa pagina 49. Clemens Septimus mediante Motu proprio præfata privilegia confirmavit, de quo ibidem folio 57. Sicuti etiam fecit Paulus Tertius anno 1534. ut in Bulla ibidem impreſſa pagina 65. & Julius Tertius anno 1553. talia privilegia confirmavit, etiamſi in uſu non eſſent, illaque ſummopere ampliavit, ut latè conſtat ex ejus Bulla ibidem impreſſa pagina 87.

Et tandem Beatus Pius de anno 1571. in Motu proprio tunc edito, qui ſupra eſt impreſſus, narrata erectione, & ampliatione dicti Collegii facta per Innocentium Octavum, & confirmatione privilegiorum ſupradictorum Sum- 5
morum Pontificum ſubdit, quòd vacante anno præcedenti altero ex ſex officiis per Innocentium ſuppreſſis, cum clauſula nunc prout ex tunc *credentes* (ſunt verba præciſa) *illius venditionem, ac diſpoſitionem ad nos ſpectare, & pertinere dilecto filio, &c. Cardinali de Medices, &c. ſoluta nobis in Sedis Apoſtolicæ ſubventionem, &c. pro ſumma quinque millium, & quingentorum ſcutorum auri in auro contulimus, conceſſimus, & aſſignavimus*; Sed agnita poſtmodum 6
veritate illud ſuppreſſum, & extinctum declaravit, & reſpectivè illius conceſſionem, & venditionem irritavit, & annullavit, ut in dicto Motu proprio *lit. A.*

Inſuper autem narravit, quòd Secretarii præfati cogno- 7
ſcentes eis perquam incommodum fore eo tempore, quo graviſſimis urgebatur neceſſitatibus, & undique pecunias ad bellum contra Turcas ineundum, & Claſſem Triremium inſtruendam quærere, & aggregare ſolicitè curabat, dicta quinque millia, & quingenta ſcuta à præfato Ferdinando Cardinali recepta reſtituere; *Volenteſque* (ſunt verba præciſa) *rem gratam facere, noſtriſque, & Apoſtolicæ Sedis præfatæ neceſſitatibus ſubvenire, dictam ſummam 5500. ſcutorum auri in auro eidem Ferdinando Cardinali noſtro nomine, & pro nobis reſtituturos ſe obtulerunt litt. B.*

Et è contra Beatus Pontifex agnoſcens promptam eorumdem Secretariorum, ac præfati Collegii in ejus neceſſitatibus ſublevandis voluntatem, eamque gratam, ut par 8
eſt, habens, meritoque in Domino commendans, ac eorumdem Secretariorum, & eorum Collegii indemnitati conſulere volens, eiſdem Secretariis, & eorum Collegio pretium officii alterius Secretariatus ex 24. primo loco per deceſſum, aut quamlibet aliam amiſſionem, &c. illud obtinentis, præterquam per ejuſdem officii reſignationem vacaturi, in ſolutum pro dictis ſcutis 5500. aſſignavit, data facultate, ut pro pretio tunc temporis reperibili, & congruo, etiamſi dictam ſummam 5500. ſcutorum pretium ex dicta venditione percipiendum in parva, vel etiam magna ſumma excederet, vendere, vel alienare, &c. liberè, & licitè poſſent, & valerent *litt. C.*

Subſequenter idem Pontifex decrevit eoſdem Secretarios ſuper dicti Officii venditione, & pretio moleſtari, & 9
perturbari non poſſe *littera D.* & pro majori illorum cautela ſubdidit. *Promittentes, & expreſsè declarantes in fide Romani Pontificis, &c. numquam conceſſioni, & aſſignationi per Secretarios, & Collegium præfatum faciendæ nos oppoſituros, aut illi contraventuros, fatemur enim, & ita teſtamur ſummam 5500. ſcutorum auri recepiſſe mutuo, & gratioſè à dictis Secretariis, quas modo præfato reſtituere promittimus litt. E.*

Et ſi dictum Collegium ſuper præmiſſis, aut eorum ali- 10
quo turbaretur, &c. tunc, & eo caſu voluit Cameram præfatam ad ſolvendum cum effectu dictam ſummam 5500. ſcutorum unà cum damnis, & intereſſe paſſis teneri, &c. & ad id eamdem Cameram, & omnia illius bona efficaciter obligata, & hypothecata eſſe, decrevitque ita inter eum, & dictum Collegium conventum eſſe, ac eaſdem litteras habere vim initi, & ſtipulati contractus inter eum, & Sedem præfatam ex una, ac dictum Collegium partibus ex altera *litt. F.* & ulterius voluit, quòd nullo tempore, & ſub quovis prætextu impugnari, invalidari, vel in jus, aut in controverſiam vocari, aut ad viam juris reduci poſſent, *niſi prius reſtitutis eiſdem Secretariis, & Collegio per Cameram præfatam realiter, & cum effectu præfatis pecuniis litt. G.*

Præ-

Præterea iisdem Secretariis, ut commodius pecunias dicto Ferdinando Cardinali pro ipso Pontifice, & ejus nomine restituendas, seu erogandas reperire valerent, summam
11 præfatam 5500. scutorum auri in auro ad censum, seu aliam, licitam tamen rationem, accipiendi, fructusque, ac proventus totius massæ Collegii Secretariorum pro redditibus annuis, seu interesse dictorum 5500. scutorum obligandi, ac censum super totius Collegii massa, seu grossa nuncupata constituendi, ad rationem pretii reperibilis licentiam, & facultatem concessit *litt. H.*

Hucusque in Motu proprio actum fuit de reintegratione Collegii respectu officii à B. Pio per errorem venditi.

Successivè verò per orationem distinctam, & separatam,
12 cum periodo omninò nova, & novæ orationis inceptiva in §. *Ad hæc*, tractatur de confirmatione dictæ Constitutionis Innocentii Octavi super erectione, & ampliatione Collegii, & aliorum privilegiorum eidem Collegio per Pontifices successores concessorum, prout demonstrant sequentia verba, ibi: *Ad hæc Secretarios, & Collegium amplioris favoris gratia prosequi volentes, utque ea, quæ per eumdem Innocentium Octavum, ac Alexandrum Sextum, Leonem Decimum, Clementem Septimum, ac alios forsan Romanos Pontifices eisdem Secretariis, & Collegio concessa fuerunt eo firmius subsistant, quò sapius fuerint Apostolica auctoritate munita, idcirco singulas eorumdem prædecessorum litteras, omniaque, & singula privilegia, facultates, indulta, gratias, libertates, immunitates, exemptiones, antelationes, honores, quatenus Tridentini Concilii decretis non adversentur, etiamsi illa in usu non sint, ac forsan per nos, aut Romanos Pontifices prædecessores nostros revocata fuerint, necnon salaria, emolumenta, & alia quæcumque eisdem Secretariis per dictos prædecessores concessa, & assignata pari Motu, eisdem auctoritate, potestate, & tenore perpetuo confirmamus litt. I.*

Et ad demonstrandum, quòd hæc erat mera confirmatio,
13 & innovatio privilegiorum, addidit sequentia verba in similibus apponi solita. *Necnon illis omnibus, quæ hic pro expressis, & insertis habeantur, perpetuæ, & inviolabilis firmatis robur adiicimus, ac defectus, etiamsi qui fuerint, aut intervenerint in eisdem, sive ex Iure, sive ex facto processerint, in eisdem pariter supplentes, & pro cautela potiori eadem Privilegia, facultates, indulta, gratias, libertates, Immunitates, exemptiones, antelationes, honores, salaria, & emolumenta iisdem modo, & forma, quibus per dictos prædecessores concessa fuerunt iisdem Secretariis, & Collegio eorum de novo concedimus, & assignamus litt. K.*

Occasione autem istius confirmationis, contentæ in secunda parte Motus proprii, superaddita leguntur sequentia verba, quæ causam dederunt liti; *Volentes, & statuentes illa nullo unquam tempore per nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes revocari, reduci, alterari, aut moderari, seu Collegium ipsum supprimi, vel extingui non posse,*
14 *nisi restitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis tunc viventibus integrè, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit litt. L.*

Tandem in parte executiva præfati Motus proprii legitur facultas expediendi litteras Apostolicas etiam per Bre-
15 ve simul, vel separatè, Cujus vigore Secretarii duo expedierunt Brevia separata, unum super prima parte ad sumendas pecunias in dicta summa scutorum 5500. ad censum, & alterum super dicta secunda parte concernente confirmationem privilegiorum, atque huic secundo Brevi dederunt titulum, seu rubricam Confirmatio privilegiorum, quæ pariter superiùs registrantur.

Quid autem servatum fuerit ab erectione, sive creatione Collegii, ut diximus scuta anno 1487. usque ad annum 1528. ignoratur ob deperditionem librorum, ut notatur in
16 serie Secretariorum Apostolicorum impressa in libro Statut. Collegii pagina 147. ubi tamen leguntur nonnullæ resignationes desumptæ ex supplicationibus, absque data temporis, sicuti etiam concessio Officii Secretariatus facta ab Alexandro Sexto favore Hospitalis Sanctiss. Salvatoris.

Ab anno verò 1528. ad 1553. quo tempore Julius Tertius
17 confirmavit Privilegia Collegii, illaque ut supradictum fuit, summoperè ampliavit, resignata fuerunt officia n. 58. Quo tempore Hospitali Sancti Spiritus, nempè anno 1539. unitum fuit alterum.

18 Et ab anno 1553. usque ad annum 1571. quo supervenit Motus proprius Beati Pii resignata fuerunt officia num. 36. & Bartholomæus Camerarius anno 1558. à Dataria officium obtinuit cum clausula, quòd per ejus mortem subintraret Joannes Baptista ejus filius, & anno 1561. aliud officium applicatum fuit Capitulo Sancti Eustachii.

Rursus de anno 1564. per obitum fuit provisus Annibal Minalis cum decreto, quòd post ejus mortem succederet 19
Ascanius, & deficiente Ascanio, Donatus Matthæus Minalis, Bartholomæo deindè Concino anno 1565. à Dataria fuit datum in pignus perpetuum aliud officium pro se, & hæredibus, & successoribus etiam singularibus, donec ei restitueretur summa scutorum 7700. & facta expignoratione anno 1533. officium fuit liberè concessum Julio Francischino.

Successivè ab anno 1571. tempore Motus proprii B. Pii 20
usque ad annum 1587. quo progreditur series Secretariorum in dicto libro Statutorum Collegii, leguntur quindecim resignationes.

Cùm autem Sanctissimus, ob causas etiam bonum publicum secum ferentes, suppresserit antedictum Collegium Secretariorum Apostolicorum in Motu proprio desuper edito, æquitatem magis sectando, quàm rigorem, manda- 21
vit promptè restitui pretium solutum Datariæ per Dominos Secretarios tunc officia possidentes, unà cum expensis factis occasione illorum acquisitionis, vel per eorum Auctores, prout cum effectu soluta fuerunt scuta 228557. & 22
respectivè ob ejus incompatibilem humanitatem commisit Illustrissimo Domino Thesaurario de Voto Rotæ omnibus Dominis suffragium dantibus decisionem Articuli; An, & quid ultra quantitatem jam solutam restituendum, seu persolvendum esset.

Hinc in disputatione præinserti dubii habita 16. Junii 23
1679. coram Reverendissimo Albergato Rotæ Decano, responsum fuit esse restituendum pretium illud, quòd quilibet ex Secretariis erogavit in emptionem sui officii, sive à Dataria, sive à resignantibus, propter recensita verba Motus proprii Beati Pii *litt. L.* quæ Dominus visa fuerunt adeò clara, ut favore Dominorum Secretariorum intret dispositio Text. *in leg. ille, aut ille §. cùm in verbis ff. de leg. 3.* & latiùs in eadem decisione exadverso danda.

In nova autem repropositione credimus omninò rece- 24
dendum esse à decisis, quia Reverenda Camera non tenetur ullo modo restituere ultra pretium receptum à Dataria, prout cum effectu illud jam restituit. Quod quidem assumptum plenè justificatur pluribus modis in quatuor distinctis articulis, super quibus dantur scripturæ, cùm quilibet eorum per se sufficiat ad victoriam.

In primo igitur firmabimus, intentioni Reverendæ Ca- 25
meræ adsistere legalem, grammaticalem, & naturalem sensum verborum dicti Motus proprii Beati Pii, comprobatum etiam ex solito ejusdem Pontificis, desumpto ab aliis partibus ejusdem Motus proprii, cum responsione ad adducta in decisione, quæ revidetur: Adeout cùm ex adverso non ostendatur clara voluntas Papæ in oppositum, scilicet pro restitutione totius pretii, etiam non recepti, non sit ulteriùs hæsitandum circa restitutionem solius accepti.

In secundo, quamvis non esset onus Rever. Cameræ, 26
ostendimus, non minus, quàm verba, esse claram, & apertam mentem Beati Pii pro restitutione solius accepti, tam ex toto contextu Motus proprii, quàm ex ipsius Pontificis solito, dum in præcedenti reductione, & respectivè extinctione Montis Julii vacabilis ab eodem facta anno 1569. restitui mandaverat id solùm, quòd à primæva erectione fuerat receptum, ibi: *Quodque si qui eorumdem Montistarum nollent sic reductis huiusmodi fructibus in ipso Monte remanere, scuta centum pro quolibet loco dicti Montis eis restituerentur.*

In tertio deducemus, quòd si adhuc, ad sensum decisionis, Camera teneretur restituere, quod non habuit, quod nullo modo admittendum videtur, id totum, quod esset ultra acceptum, censeretur contra juris regulas à Beato Pio 27
donatum sine causa, in grave Cameræ præjudicium: Istaque donatio nulla prorsus fuisset ex pluribus: Et in omnem casum revocata remansisset per regulam Cancellariæ, & per notas Constitutiones Apostolicas: Ac rursus inevitabili revocationi subjaceret ex maxima, & enormissima læsione, quæ supervenisset.

In quarto tandem, omninò ex abundanti, quatenus, 28
etiam præsumi posset donatio ultra pretium acceptum, hæc in omnem casum censenda esset restricta ad illos tantùm Secretarios, qui viventes tempore Motus proprii superextare potuissent de tempore suppressionis, ex quo nimirùm erga illos tantùm propter mutuum scut. 5500. auri Beato

to Pontifici gratiosè factum, potuisset considerari aliqua colorata donandi causa, non autem erga successores penitùs ignotos, erga quos nulla prorsus concurrere poterat causa gratificationis. Idque probatur, tam ex verisimili mente, & ex contradistincto modo loquendi ipsius B. Pontificis, quàm ex verbis Motus proprii, & ex aliis argumentis.

Sanctes de Pilastris Rev. C. Apost. Commissarius Gener.

Restrictus Juris super primo Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Perpenduntur in sua propria significatione verba, totusque contextus Motus proprii Beati Pii V. & probatur, quod ex verborum proprietate Camera non tenetur restituere Secretariis, nisi pretium acceptum.

SVMMARIVM.

1 *VErbum* restituere *propriè non verificatur, nisi in eo, quod acceptum fuit, & num.* 16.
2 *Argumentum desumptum ex usu loquendi est fortissimum.*
3 *Præsertim in eadem Constitutione.*
4 *Actus non tribuitur Procuratori, sed principali.*
5 *Constitutio confirmatoria declaratur à præcedenti confirmata.*
6 *Verbum* reddere *magis latè patet, quàm verbum* restituere.
7 *Impropriè significat dare, & solvere.*
8 *In rigorosa significatione importat retrodare acceptum.*
9 *Decis. Arguell. 77. declaratur.*
10 *Solutio facta dicitur per mutuatarium non per mutuantem, licet fiat ex ipsius pecuniis.*
11 *Restitutio non convenit nisi ei, qui recepit.*
12 *Una pars constitutionis aliam declarat.*
13 *Verba* absque diminutione *important restitutionem totius.*
14 *Satis verificantur, si restituatur totum acceptum à Papa, & num.* 15.
17 *Ex notitia, quòd pretium Officiorum augeri posset in resignationibus non benè arguitur ad obligationem restituendi ultra acceptum.*
18 *Cùm in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio.*

R.P. INcipiendo *à primo Articulo*, quòd ex proprietate verborum Camera non teneatur restituere ultra
1 acceptum, negari non potest naturam verbi *restituere*, quod habetur in secunda parte Motus proprii *litt. L.* respiciente casum suppressionis, restringere obligationem ad solam restitutionem ejus, quod acceptum à Dataria fuerat, cùm ultra id, quod habitum est nunquam propriè restitutio verificetur, sed potiùs solutio, vel assignatio, quemadmodum suadet non solùm naturalis, & grammaticalis, sed legalis intellectus, ut est Textus expressus *in l. prima* §. *Eleganter, ff. depositi.* & optimè explicat glos. *in l. qui uxori verb. reddi, ff. de aur. & argent. legat. & in l. mancipia verb. advocandum C. de serv. fugitiv.* & probant Alciat. *in l. restituere 75. num. 2. vers. hoc verbum significat, ff. de verb. significat.* Cephal. *consil. 78. num. 4. lib. 1.* Decian. *cons. 12. n. 8. lib. 2.* Bardellon. *cons. 181. num. 52. vers. quod verbum*, Altograd. *cons. 84. num. 106. lib. 1.* Thomat. *decis. 70. num. 501. lib. 1.* Rota coram Gregor. *decis. 271. num. 5. & decis. 314. num. 2. & 327. num. 5. part. 14. recent. & decis. 59. n. 1. part. 16.* & admittit decisio, quæ revidetur §. *Nec Verbum*.

Comprobatur hic intellectus ex loquendi usu ipsius Beati Pii in eodem Motu proprio, dum pluries legitur hoc verbum *restituere*, & semper apparet adhibitum in suo proprio,
2 & rigoroso significatu, antequam deventum fuerit ad assertam promissionem, de qua est quæstio: Fortissimum enim est argumentum desumptum ab usu loquendi, Rot.
3 *decis. 475. num. 8. post Cenc. de Cens.* Præsertim in eadem Constitutione Ciarlin. *controver. lib. 2. cap. 31. num. 9.* Bonden. *coll. 167. legal. 17. num. 42.* & admittit contraria decisio §. *Quod autem huiusmodi verbum*, ubi simili argumento utitur.

Ex narrativa etenim *vers. Insuper autem litt. B.* manifestissimè constat, verbum *restituere* sumptum fuisse in suo proprio significatu, verificabili solùm in restitutione accepti, cùm dictum fuerit *recepta restituere*, quando agebatur de facto Summi Pontificis, qui à Cardinali Mediceo receperat pecunias. Quia verò Secretarii nihil ab eo receperant, & proindè ipsis non conveniebat propriè restitutionis terminus, fuit studiosè, & cum mysterio additum, quòd ii se obtulerant restitutionem facere pro ipso Papa, ac ejus nomine, ut demonstrant præfata verba, *nostro nomine, & pro nobis restituturos se obtulerunt*, quæ indicant ipsummet Pontificem mediante persona Secretariorum restituisse, ipsoque gessisse munus meri Procuratoris, cui non tribuitur actus, sed principali, Bertrand. *cons. 182. num. 2. lib. 2.* Magon. *decis. Florent. 43. num. 14.* Rota coram Seraph. *decis. 1378. num. 1.* & coram Buratto *decis. 206. num. 13.* & clariùs in proximis terminis fuit dictum in *decis. 361. num. 79. part. 11. recent.* 4

Deindè in parte dispositiva fatetur Pontifex se mutuò, & gratiosè recepisse à Collegio dicta scuta quinque millia quingenta, illaque restituere promittit, ut *litt. F.* ibique pariter restitutio clarè refertur ad acceptum: Cumque in casum inobservantiæ, vel contraventionis ex parte Cameræ voluerit ulteriùs Pontifex illam obligare ad refectionem damnorum, & interesse, usus non fuit ampliùs verbo *restituere*, sed *solvere*, cùm jam ultra acceptum in eo casu esset erogandum, ut *eadem litt. F.* qui sanè contradistinctus loquendi modus clariùs ostendit, quàm studiosè proprius verborum significatus servatus fuerit.

Quarta vice adhibitum fuit verbum *restituere* paulò post in promissione irrevocabilitatis *litt. G.* ubi Pontifex obligavit successores ad inviolabilem contractus observantiam, disponendo illum impugnari non posse, *nisi prius restitutis iisdem Secretariis, & Collegio per Cameram præfatam realiter, & cum effectu præfatis pecuniis*, quæ verba sunt eadem præcisè ac illa, cum quibus est concepta promissio, de cujus intelligentia disceptatur, & tamen in hac periodo promissionem restringi ad pecunias acceptas controverti non potest.

Ac quinta vice idem verbum appositum legitur *litt. H.* in facultate concessa Collegio sumendi pecunias ad Censum seu ad aliud interesse licitum, & ibi pariter verbum *restituere* fuit appositum ad denotandam veram, & propriam restitutionem, quam ex pecuniis, vigore dictæ licentiæ accipiendis ad interesse, facere debebat Collegium pro Papa, & ejus nomine, ut fuit supra ponderatum §. *Ex narrativa etenim*.

Confirmatur ulteriùs Beatum Pium in dicta parte Motus proprii, in qua restitutionem promisit in casu suppressionis accepisse verbum *restitutis* in suo proprio significatu, ex eo quia protestatus fuit se nihil aliud agere velle, quàm confirmare Constitutionem Innocentii Octavi, & subsequentes confirmatorias privilegiorum Collegii, ut legitur ibidem *litt. J. & K.* adeoque cùm in Innocentiana, dum promittitur restitutio pariter in casu suppressionis, verbum *restituere*, fuerit propriè adhibitum pro retrodatione accepti, ut apparet ex verbis relatis in facti specie §. *Postmodum*, dicendum quoque est cum eadem proprietate illud acceptum fuisse a Beato Pio confirmante, ex regula, quòd una Constitutio, præsertim quando simpliciter confirmat, 5
& innovat, declaratur ab alia præcedenti, Bich. *decis. 198. num. 10.*

Nec contrarium probant auctoritates in decisione allegatæ §. *nec verbum illud*, scilicet Text. *in l. verbum reddendi ff. de verb. signific. & in l. cùm quidam, ff. de leg. secundò, & in l. hæres meus, ff. de legat. 3. & decis. 77. à n. 12. ad 15.* coram Arguell. Ultra quod enim præfata Jura simpliciter

loquun-

loquuntur de verbo *reddere*, cujus significatio magis latè patet, ut respondet Alciat. *in d. l. restituere* 75. *n.* 1. ibique etiam Rebuff. *vers. 6. generalius*: Id etiam contingit per interpretationem impropriativam, ut observat Glos. super dicto Text. *in l. verbum reddendi verb. significationem*, & admittit Rota in secunda decisione edita in eadem causa, su-
8 per qua emanavit allegata *decis.* 77. coram Arguell. quæ est la 90. penes eumdem num. 26. ubi habetur, quod *verbum reddere, si rigorosam significationem sequaris, est retrodare, & quod acceperis restituere*.

9 Præterea casus dictæ Decisionis Arguelles erat valdè diversus, dum ibi non erat quæstio de obligatione reddendi ultra acceptum, sive de obligatione præcisa reddendi scuta 1500. pro lucro dotali debita ex hæreditate uxoris Marcello Marito, etiam ex dispositione Testamentaria, ut ex verbis relatis *in d. decis. 77. in princ.* sed solùm an reddi debuisset in fundo, vel in pecunia, & inter alia argumenta, quòd solutio fieri posset in pecunia, consideratum fuit in prima decisione verbum *reddere*, quod accipitur pro *solvere*, & nihilominùs *in decis. 90. num. 16.* supra ponderata, fuit dictum, quòd etiam istud verbum *reddere*, si rigorosam significationem sequamur, idem importat, ac retrodare, & quod acceptum est restituere; Unde non solùm non obstat hujusmodi decisio, sed mirificè retorquetur, & Reverendæ Cameræ assistit.

Neque obstat argumentum Decisionis, quod B. Pius in narrativa Motus proprii referens oblationem Secretariorum restituendi Cardinali Medicco scuta 5500. quæ ipsi non habuerant, acceperit, hoc verbum in lato, ac improprio significatu; Quoniam hoc argumentum non solùm non urget, sed manifestissimè retorquetur, ut inter alia pro fundanda intentione Reverendæ Camerę superiùs fuit ponderatum *in §. Ex narrativa etenim vers. quia verò Secretarii*: & addimus, quòd cùm Beatus Pontifex in dispositiva fassus fuerit se à Secretariis recepisse mutuo summam scutorum 5500. quam ipsi pro eo, ejus nomine restituere promiserant Cardinali Medicco, idem est, ac si restitutio facta
10 fuisset Cardinali per eumdem Papam, ut in præcisis terminis, quòd solutio facta dicatur per mutuatarium non per mutuantem, licèt fiat ex ipsius pecuniis dixit Rot. *cit. decis.* 361. *num. 79. part. 11. recent.*

Minus urget alterum Decisionis argumentum pro impropriatione verbi *restitutis*, quod scilicet verba directa fuerint ad officiales, quibus cùm sit facienda restitutio, ad illam metiendam attendendum sit, quòd ab ipsis fuit erogatum, non quòd à Camera receptum.

Contrarium siquidem potiùs apparet ex ipsis verbis, quæ primariò continent prohibitionem revocandi, vel alterandi privilegia confirmata, aut Collegium supprimendi, eaque procul dubio directa fuit ad ipsum Pontificem, ac etiam ad successores. Postmodum autem per modum conditionis addita leguntur sequentia verba, *nisi restitutis priùs realiter, & cum effectu*: cum qua, sicuti restringitur, & corrigitur præcedens prohibitio, ita secundùm rectæ orationis regulas ad eumdem Pontificem, & ad successores eadem conditio directa dici debet, & sub illa concessa facultas Colle-
11 gium supprimendi, & regulare est, quòd restitutio non convenit nisi illi, qui recepit, ut dixit Rota coram Arguell. *supra cit. at. decis. 90. num. 26.*

Idemque comprobatur evidentissimè, ex quo superiùs Pontifex considerato casu, quo Collegium turbaretur in eo, quod per contractum illi promiserat, expressè convenit, quòd promissiones impugnari non possunt, *nisi priùs restitutis eisdem Secretariis, & Collegio per Cameram præfatam realiter, & cum effectu pecuniis acceptis, ut litt. G.* unde sicuti in dicta parte fuit expressè conventum de restitutione facienda à Camera, ita eodem modo intelligenda sunt ipsamet verba, *nisi restitutis priùs*, adjecta in parte subse-
12 quenti, id suadente regula, quòd una pars Constitutionis aliam declarat, ut tradunt Cephal. *cons.* 178. *num.* 16. Gabr. *cons.* 13. *num. 9. lib.* 2. Surd. *cons.* 431. *num.* 47. *& seq.*

Nihil proindè refert, quòd restitutio facienda sit singulis Secretariis viventibus de tempore suppressionis integrè,
13 & absque ulla diminutione, quæ verba importare totalem restitutionem pretii erogati prætendit Decisio: Maximè cùm adhibita fuerint verba, *pecuniis, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit*.

14 Semper enim verificatur restitutionem fieri debere solius pretii accepti à Papa, cui facultas supprimendi, cum hac tamen conditione, reservata fuit, adeoque fieri debebit interpretatio suppletiva, idest *pecuniis, pro quibus eos, vel eorum Auctores à Papa emisse, vel habuisse officia constiterit*, quæ interpretatio est omninò conformis proprietati verborum, dum etiam in acquisitione à Papa, & à Dataria optimè verificantur præfati termini emptionis, & habitionis, ex quo non semper officia vendebantur recepto pretio, sed dabantur in solutum, & quandoque data fuerunt in pignus, persæpè etiam obtinebantur per nominationem, & per resignationes ad favorem fratrum, ac Nepotum, & ipsemet B. Pius alterum ex iisdem officiis contulerat, concesserat, & assignaverat Cardinali Mediceo, ut per hæc verba narratur in Motu proprio *litt. A.* & aliud pariter assignaverat Secretariis, *litt. C.*

Et eatenùs Secretariis viventibus de tempore suppressionis, etiamsi non habuerint officium immediatè à Dataria, sed per resignationem, faciendaest restitutio, quatenùs repræsentat eorum Auctores, qui acquisiverant à Dataria, sicuti dispositum fuerat ab Innocentio Octavo, qui pariter in casu suppressionis jussit restitui Secretariis summam scutorum 62400. ab ipsis solutam, & tamen poterat cogitare tam de antiquis, qui pecunias persolverant, quàm de successoribus illos repræsentantibus, de quibus antea mentionem fecerat §. 15. ibi, *& eorum successores Secretariatus officium prædictum pro tempore obtinentes*, & quos verisimiliter credere potuit reperiri posse de tempore suppressionis, ob ampliſſimam resignandi facultatem Collegio à se concessam. Quam etiam restitutionem successoribus faciendam suadet æquitatis ratio, ne Camera locupleteretur cum aliena jactura, retinendo pretium ab illorum Auctoribus Datariæ solutum.

Verba verò *integrè, & absque diminutione* suum plenum 15
effectum optimè operantur in restitutione integri pretii Datariæ soluti, vel ab immediato emptore, vel ab Auctore mediato: Quod etiam dispositum fuerat ab Innocentio Octavo, dum in casum suppressionis promisit restitutionem integræ summæ à Secretariis receptæ, & nihilominùs eam restrinxit ad ducatos 62400. quæ per ipsos fuerant soluta, ut fuit dictum in specie facti §. *Postmodum*, & ex hac Constitutione reciperet declarationem Motus proprius B. Pii, quatenùs esset dubius, ut fuit superiùs firmatum *in §. Confirmatur ulteriùs*.

Et quatenùs Decisio, quæ revidetur, considerat, quòd B. Pius benè sciebat officia esse venalia, & resignabilia, & sic pretium mutationi, & augmento expositum.

Respondetur non ex hoc extendi ullo modo posse promissionem, & obligationem restituendi ultra pretium à Dataria receptum, etiamsi resignantibus aliquid plus fuerit so- 16
lutum: Ultra quod enim esset contra proprietatem restitutionis, quæ supponit acceptum, ex supra latè deductis: Difficultas facillimè evitatur inspecta Constitutione Innocentii Octavi, in qua fuit data ampliſſima facultas officia resignandi, etiam in mortis articulo, ut fuit deductum in specie facti, in principio. Et nihilominùs quamvis Pontifex eodem modo cogitare potuerit de augmento pretii, noluit in casu suppressionis restitui aliud ultra summam 62400. ducatorum, quæ fuerant soluta.

Quinimò tempore intermedio inter Innocentium 17
Octavum, & B. Pium longa successit resignationum series, ut in facti specie *medio autem tempore*, cum mutatione, & alteratione pretii valdè notabili, etiam per illius duplicationem, & tamen resignatarii sciebant, quòd in casu suppressionis Pontifex non promiserat restituere, nisi summam in ampliatione Collegii acceptam, & adhuc subibant periculum amissionis majoris pretii, quod erogabant, unde manifestè colligitur, quòd ex possibilitate resignationum, & illarum scientia, ac cogitatione non arguitur B. Pium obligare voluisse Cameram ad restituendum ultra acceptū.

Ostenso ex prædictis adeò clarè, & solidè, quòd verborum proprietas, juxta sensum, nedum naturalem, & grammaticalem, sed legalem, & solitum ipsius B. Pontificis assistit Rev. Cam. sequitur non solùm non applicari contra eum Textum *in l. ille, aut ille §. cum in verbis ff. de leg. 3.* 18
allegatum in decisione contraria, sed manifestè favere, ac retorqueri, adeout superflua esset indagatio mentis, & voluntatis, dicente ibi Paulo J. C. *cùm in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio*.

Et in omnem casum esset onus DD. Adversariorum ostendere adeò claram voluntatem Papæ in contrarium, de

qua

qua nullo modo posset hæsitari, dum Cameræ asisstit regula certa, etiam in Decisione implicitè præsuppositа, & in præterita positione comprobata, quòd de jure restituendum non est à Principe, nisi acceptum.

Sanctes de Pilastris R.C. A. Commiss. Generalis,
Prosper Archiepiscopus Miren. Fisci, & Cam. Apost. Advocatus.
Io. Baptista Bottinius Coadiutor.

Nicolaus Severolus Sac. Concist. Advocatus.
Lamphrancus Zacchias.)
Carolus de Comitibus.) *Advocati.*
Petrus Pationus.)

Restrictus super secundo Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Ex pluribus argumentis desumptis ex mente, & intentione Beati Pii Quinti comprobatur, quod ipse nunquam cogitavit obligare Cameram, nisi ad restituendum pretium acceptum.

SUMMARIUM.

1 *Voluntas disponentis ex integro dispositionis contextu colligenda venit.*
2 *Privilegium confirmans continere non dicitur ultra id, quod continetur in privilegio confirmato.*
3 *Non est præsumendum B. Pium, qui minus beneficium à Secretariis fuit assequutus, voluisse obligare Cameram ad exorbitantem restitutionem, ultra illam demandatam ab Innocentio Octavo, qui longè maius beneficium ab eisdem reportavit, & num. 4.*
5 *Motus proprius B. Pii fuit simpliciter confirmativus privilegiorum Collegii, ex declaratione ipsorum Secretariorum.*
6 *Dispositum in una parte declarat disponentis intentionem in alia.*
7 *Ille, qui dixit, quòd voluit, præsumitur noluisse quod tacuit.*
8 *Damna, & interesse præstanda ex Motu proprio B. Pii in quibus casibus essent reficienda.*
9 *Officia data censentur revocabiliter, & sub periculo redemptionis.*
10 *Princeps in suppressione facta per viam legis generalis non obligatur ad accepti pretii restitutionem.*
11 *Discretivus loquendi modus ostendit diversam dispositionis intentionem.*
12 *Verba sæpe præsumuntur prolata in suo proprio significatu.*
13 *B. Pius, qui præiudicia Cameræ solicite coercuit, non est præsumendus voluisse illam obligare ad restituendum quod non tenebatur restituere.*
14 *Declaratio dubiæ dispositionis optimè desumitur ex facto & observantia ipsius disponentis.*
15 *Constitutio dubia explicanda est secundum iuris dispositionem.*
16 *Præcipuè si contineat pacta.*
17 *Etiam cum verborum impropriatione.*
18 *Proœmium ostendit voluntatem disponentis, & verba dubia declarat.*
19 *Pars accessoria restringitur, & regulatur iuxta terminos dispositionis principalis.*
20 *In dubio est sumenda interpretatio æquitati conformis.*
21 *Inæqualitas in quocumque contractu vitanda.*
22 *In concursu semper debet prævalere æquitas, quæ agit de publico damno vitando.*
23 *Bonum commune est inter causas pias præcipua.*
24 *Constitutio correctoria quantum fieri potest, est restringenda.*
25 *Constitutio antecessoris declarat intentionem successoris, & è contra num. 35.*
26 *Maximè si illa successoris sit relativa ad Constitutionem antecessoris.*
27 *Confirmans non debet esse difforme à confirmato.*
28 *In dispositione obligatoria debet sumi significatus promissori magis favorabilis.*
29 *Ex stylo in concessionibus, vel servato, vel prætermisso benè arguitur concedentis voluntas, & num. 44.*
30 *Pro mera donatione excludenda qualibet interpretatio, etiam verborum impropriativa, sumi debet.*
31 *Potiùs est præsumendus error.*
32 *Beatus Pius Quintus nullam donandi causam habuit.*
33 *Non est probabile, quòd pro pecuniis mutuò, & gratiosè à Secretariis receptis voluerit devenire ad promissionem, quæ poterat usuras redolere.*
34 *Sixtus Quintus cum revocavit alienationem officiorum vacabilium factas à prædecessoribus, declaravit non esse verisimile, ipsas factas fuisse in remunerationem exiguæ pecuniarum summæ per Officiales Sedi Apostolicæ mutuatæ.*
35 *Constitutio successoris declarat mentem, & intentionem prædecessoris.*
36 *Interpretatio dubiæ volontatis Papæ solùm spectat ad successores.*
37 *B. Pius non est præsumendus indebitam obligationem induxisse in maximum Cameræ præiudicium.*
38 *Ex præiudicialitate excluditur voluntas, & consensus.*
39 *Motus proprius B. Pii satis dicitur operativus in confirmatione, & innovatione privilegiorum, quatenus vel essent revocata, vel inobservata.*
40 *Natura confirmationis, & innovationis est robur addere confirmato, vel reintegrare privilegium, quod esset revocatum.*
41 *Verba* iisdem modo, & forma, *restrictionem important.*
42 *Quoties in dispositione confirmante, & innovante aliquid amplius continetur, quam in confirmata, & innovata, id præsumitur gestum per errorem.*
43 *Interpretatio inductiva correctionis est effugienda.*
44 *Ex omissione eorum, quæ sunt de stylo clarè dignoscitur, quid actum fuerit.*
45 *Fructus longè excedentes, & exuberantes imputantur in sortem.*
46 *Notabile factum Sanctorum Chrysanthii, & Musonii in subscribendis actis Concilii Niceni.*

R. P. Licèt ex deductis in primo Articulo proprietas sermonis Cameræ assistat, nec contrariam fuisse B. Pii mentem ex adverso probetur, ut opus esset, adhuc ex abundanti ostendimus, non minus, quam verba, esse claram, & perspicuam mentem, voluntatem, ac intentionem B. Pii, quòd in casum suppressionis non sit restituendum, nisi pretium acceptum, idque ex pluribus, iisque efficacissimis argumentis.

Primùm resultat ex toto Motus proprii contextu attentè ponderando, prout esse optimum modum ad indagandam disponentis voluntatem, integram dispositionem diligenter perpendere, dicunt DD. & præ aliis benè Castill. *quotid. lib. 4. cap. 6. num. 11. 41. & 47.* 1

Ut enim in facti specie fuit latè demonstratum, in prima dicti Motus proprii parte usque ad §. *Ad hæc litt. I.* continetur tota substantia conventionis, & contractus inter B. Pium, & Secretarios; In secunda verò *à dicto §. usque ad finem* nil aliud habetur nisi gratiosa confirmatio, & innovatio privilegiorum, iisdem tamen modo, & forma sicuti fuerunt per antecessores concessa; Propterea dum Beatus Pontifex adeò clarè professus fuit in hac secunda parte Motus proprii nil aliud facere velle, nisi confirmare, ac innovare privilegia Collegii, non sunt ullo modo trahenda dicta verba, *nisi restitutis, &c.* ad restitutionem in casum suppressionis, ultra pretium acceptum, cùm in privilegiis confirmatis, & innovatis, nec per umbram hujusmodi restitutio fuerit promissa, ut infra latè probabitur. 2

Fortius stringit hoc argumentum, ex quo, ut diximus, Innocentius Octavus, in cujus sola Constitutione mentio habetur de restitutione pretii in casum suppressionis, jussit restitui Secretariis integram summam per eos solutâ, sed 3

cum

cum limitatione ad ducatos 62400. auri de Camera, hoc solùm addito, quòd in eis nullo modo, & causa computari possent emolumenta ipsius officii ab eisdem percepta; quomodo igitur erit præsumendum, quòd B. Pius, qui non minus, ac dictus prædecessor fuit solicitus in conservandis juribus suæ Cameræ, tempore, quo tot angustiis, & necessitatibus premebatur, obligare voluerit eamdem Cameram ad restituendum pretium, quod non accepisset, cum tam magna extensione dictorum privilegiorum?

Considerando insuper, quòd Innocentius longè majus acceperat beneficium à Secretariis, scilicet summam scutorum 62400. quam erogavit in redemptionem Mitræ Pontificalis, & aliorum localium pretiosorum, & ideò poterat satis rationabiliter iisdem se gratum, & liberalem ostendere, & nihilominus in casu suppressionis solùm promisit solvere dictam summam scutorum 62400. Nimium igitur improbabile, & à vero alienum censeri debet, quòd B. Pius pro solo mutuo scutorum 5500. tam exactè, & rigorosè recompensato, imò etiam ultra justitiæ debitum, ob donatum augmentum pretii Officii in solutum dati, voluerit adeò profusam liberalitatem exercere, gravando Cameram in casum suppressionis ad solvendas pecunias non acceptas, sed resignantibus solutas.

Quòd etiam optimè comprobatur ponderando, quòd idem B. Pius apposuit verba, super quibus se fundant Domini Secretarii, in secunda parte ejus Motus proprii, in qua professus fuit, se velle simpliciter in Innocentianam Constitutionem, & privilegia ab antecessoribus Collegio concessa, eisdem modo, & forma confirmare, & innovare, Atque iidemmet Secretarii agnoverunt, hanc esse meram confirmationem, seu innovationem, dum post expeditionem ejusdem Motus proprii vigore facultatis expediendi litteras Apostolicas etiam separatim, expediverunt duo Brevia, alterum super suppressione Officii Marcelli Augustini, (ut supra diximus) per errorem venditi à B. Pio, & illam concernentibus, & aliud super confirmatione privilegiorum.

Secundò mens B. Pii elicitur ex præcedenti provisione, atque declaratione per ipsum facta: Quamvis enim verisimiliter potuerit considerare augmentum pretii officii in solutum dati, dum ab erectione usque tunc similiter auctum fuerat, etiam per illius duplicationem, nihilominùs in casu, quo facto Cameræ, & Summorum Pontificum turbaretur super dicta assignatione, itaut consequi non posset augmentum ex venditione illius retrahendum, ut puta quia Dataria illud ad sui commodum vendere voluisset, noluit Cameram in tali casu ad aliud esse obligatam, quàm ad restituendam summam scutorum 5500. auri, per Collegium ipsi mutuatam; Igitur si Beatus Pontifex noluit restitui ultra acceptum, quando Officiales conqueri non poterant de violata fide ob inobservantiam promissorum per contractum correspectivum, & ob ablatum pretium Officii, in solutum assignati, quanto magis ab ejusdem mente alienum censeri debebit, quòd ad restituendum ultra acceptum voluerit Cameram obligare in casum suppressionis omninò licitæ, tam ex natura officiorum, quàm ex lege fundationis, & regulare est, quod dispositum in una parte declarat disponentis intentionem in alia, ut supra fuit firmatum.

Licèt autem in dicto casu fuerit ulterius promissa refectio damnorum, & interesse, non potest tamen exindè argui Cameram teneri ad reddendum aliquid ultra acceptum in casum suppressionis totius Collegii, per hoc, quòd augmentum pretii, licèt ad illam non pervenerit, sit quoddam interesse respectu Officialium.

Quoniam (ultra responsionem, quòd si Pontifex voluisset talem obligationem inducere in casum suppressionis, id expresè promisisset, sicuti fecit in alio casu, ex vulgari assumpto, quòd ubi voluit dixit, ergo noluit ubi non dixit) manifesta inter utrumque viget ratio diversitatis: In primo siquidem facta fuit talis promissio in recompensationem mutui à Collegio facti, sumendo pecunias ad censum, itaut nedum conveniens, sed necessaria esset damnorum, & interesse restauratio, eaque utpotè ad mutuum correspectiva censeri debebat ex titulo oneroso; Ac ulterius casus inobservantiæ promissorum per contractum impediendo venditionem officii insolutum dati, involvit violationem fidei, & est privatio rei propriæ ipsius Collegii per dispositionem particularem, quo pariter casu damnorum, & interesse promissio erat Justitiæ, & æquitatis dictamini conformis, in quibus terminis procedunt auctoritates exadverso allegari solitæ. At in casum suppressionis Collegii nullus respectu Officialium concurrit titulus oneroſus, nullaque damni contemplatione Cameræ passi restauratio, quinimò ex supradictis promissio restitutionis facta fuit in parte merum privilegium continente, & est maximè favorabilis, nec ulla ex parte Cameræ contraventio, vel fidei violario, vel ablatio rei propriæ considerari potest, sed actus suppressionis est omninò licitus, tam inspecta officiorum natura, quæ sunt in absoluto dominio Principis, & illi manualia, itaut nemo de illorum suppressione conqueri possit, cùm data censeantur revocabiliter, & sub periculo redemptionis, ut observant Cancer. *var. resol. cap.* 13. *num.* 184. *part.* 3. Fontanell. *de pact. nupt. claus.* 4. *glos.* 5. *num.* 25. Ripol. *var. resol. cap.* 11. *num.* 273. Fajard. *alleg. Fiscal. part.* 1. *alleg.* 1. *num.* 11. Larrea *decis.* 76. *num.* 19. *part.* 2. quàm attentis Constitutionibus Innocentii Octavi, & ipsius Beati Pii, in quibus supprimendi facultas reservatur, ac demùm ex quo suppressio facta fuerit per viam legis generalis, quæ censetur magis favorabilis, & secundùm communiorem sententiam, nec etiam obligat ad accepti pretii restitutionem, ut præter allegatos in secunda informatione juris præteritæ positionis §. *Accedit quòd Sanctissimus*, tradunt Dec. *in cap. quæ in Ecclesiarum num.* 93. *de Constit. & conf.* 520. *num.* 10. *vers. & prædictæ conclusioni*, Gozzad. *conf.* 5. *n.* 21. Ann. *alleg.* 69. *num.* 51. Cæsar. de Affict. *controv.* 22. *num.* 43. de Pont. *de potest. Proreg. tit. de promiss. fieri solit. n.* 26. Capyc. Latr. *consul.* 41. *num.* 4. multoque minus obligare potest ad refectionem damnorum, & interesse per redditionem non accepti.

Tertiò, quia dum Beatus Pius voluit Cameram obligare ad restituendum ultra acceptum, id litteraliter expressit, adhibendo etiam verba solutionem, non restitutionem importantia, ut fecit quando disposuit, quòd in casum inobservantiæ promissionis vendendi primum officium vacaturum, in solutum assignatum, pro pretio reperibili, Camera esset obligata ad refectionem damnorum, & interesse: Ex quo discretivo disponendi modo manifestè colligitur in casum suppressionis noluisse reddi ultra acceptum, tum quia verba repugnant, tum quia id expressum non fuit, ut in alio casu, id enim operatur discretivus loquendi modus, ut diversam Disponentis intentionem ostendant, ut monet Spad. *conf.* 41. *num.* 12. *& conf.* 52. *num.* 4. *& conf.* 138. *num.* 1. *lib.* 1. Mastrill. *decis.* 257. *num.* 16. Rota coram Bichio *decis.* 154. *num.* 3.

Quartò, ex quò verbum *restituere* pluries in dicto motu proprio adhibitum fuit in suo proprio, & rigoroso significatu, ad denotandum scilicet restitutionem accepti, & non ultra, ideoque ita pariter sumptum dici debet in hac parte, ubi de suppressione agitur, ut superius fuit firmatum §. *comprobatur hic intellectus*, & assistit certissima Juris regula, quòd verba semper intelligi, & præsumi debeant prolata in suo proprio significatu.

Quintò, hujusmodi intentio B. Pii manifestè declaratur ex maxima illius solicitudine, & constantissimo Zelo coercendi præjudicia Cameræ Apostolicæ, & Ærarii Pontificii utilitatem promovendi, quem Sanctissimis, atque saluberrimis Constitutionibus immortalitati commendavit, revocando quascumque exemptiones à solutione subsidii Triennalis, prohibendo alienationes, & infeudationes, applicando Cameræ fructus Beneficiorum vacantium à die obitus usque ad provisionem, & possessionem, reducendo fructus Montium Novenalis, & Julii, & obligando ad onera Cameralia, & ad quindennia monasteria, quorum fructus reperiuntur taxari in libris Cameræ. Neque enim credibile est Pontificem adeò accuratum in custodiendis Cameræ juribus, illiusque præjudiciis reparandis, voluisse illam obligare casum suppressionis Collegii ad restituendum id, quod non acceperat, dum antea in vim Innocentianæ, tenebatur solùm ad dictam summam scutorum 62400.

Sextò idem manifestius comprobatur ex observantia ipsius B. Pii, qui in suppresione Montis Julii vacabilis restitui jussit solum pretium à Camera receptum, ut in suo Motu proprio de anno 1569. Unde idem pariter in suppresione hujus Collegii servare voluisse censendum est, dum voluit Cameram teneri ad restitutionem: Non enim est præsumendum, quòd majus gravamen successoribus imponere voluerit, quàm ipse subierit, & nulla melior declaratio dubiæ voluntatis desumi potest, quàm ex ipsius Legisla-

gislatoris facto, & obſervantia, ut ſunt Textus *in l. hæredes palam §. ſi quid poſt ff. de Teſtam. & in l. ſervus plurium ff. de legat.* 1. Rot. *dec.* 12. *n.* 23. *par.* 5. *rec.* & in terminis Conſtitutionis Pontificiæ *dec.* 1680. *num.* 155. *coram Coccino.*

Septimò, præfatus intellectus eo fortius eſt recipiendus cùm ſit conformis diſpoſitioni Juris, ſecundùm quam eſt indubitatum Cameram in ſuppreſſione Officiorum non teneri ad reſtituendum ultra acceptum, ut latè fuit oſtenſum in ſecunda Juris præteritæ poſitionis, & admittere videtur ipſa Deciſio, dum pro inducenda obligatione reddendi pecunias ſolutas reſignantibus, ſe fundat in peculiari diſpoſi-15 tione Motus proprii, quæ tamen, quatenus eſſet dubia, deberet explicari ſecundùm juris diſpoſitionem, ut regulare eſt in omnibus Conſtitutionibus, ut tradunt Dec. *conſ.* 23. *num.* 5. Cephal. *conſ.* 342. *num.* 10. Menoch. *conſ.* 1. *num.* 291. 16 Aldrobrand. *conſ.* 1. *num.* 289. *lib.* 1. Spad. *conſ.* 168. *num.* 17. *lib.* 1. Surd. *deciſ.* 2. *num.* 24. *& ſeq.* Præcipuè in pactis, quæ ſunt intelligenda prout de Jure, Surd. *conſ.* 34. *num.* 34. *&* 17 *ſeq.* ubi etiamſi verba ſint improprianda, Rota *deciſ.* 392. *num.* 3. *par.* 1. *rec.* & in puncto promiſſæ reſtitutionis, Roland. *de Lucro dot. quæſt.* 37. *num.* 9. *& ſeq.* Afflict. *deciſ.* 399. *num.* 14. Borgnin. *dec.* 37. *num.* 44. *par.* 1.

Præſertim attenta declaratione in proœmio emiſſa, quod 18 ſervare volebat Jus, ibi: *Nos ius ſuum unicuique ſervare volentes*, quæ diſponentis intentionem oſtendunt, & declarant dubia verba diſpoſitionis, ut dixit Rota *deciſ.* 2305. *n.* 57. & 58. *coram Coccino*, & multò magis cum verba, de quibus 19 agitur ſint in parte acceſſoria, quæ reſtringitur, & regulatur juxta terminos diſpoſitionis principalis, non tamen illam alterat, Rota *dec.* 346. *n.* 4. *& ſeq. par.* 11. *rec.*

Octavò, hæc interpretatio eſt magis conſona æquitati, cui, ſi ſe conformare voluiſſe B. Pium (recedendo ab Innocentiana Conſtitutione, in qua ſolum promiſſa fuerat reſtitutio pretii ab univerſo Collegio accepti) ex adverſo prætenditur, dicendum neceſſario eſt ei omninò adhæſiſſe, promittendo reſtitutionem ejus tantùm, quod Camera verè recepit, cum nimis iniquum foret illam abſque ulla culpa, & 20 contraventione ultra id obligare; In dubio autem ſemper ſumi debet interpretatio æquitati conformis, Cravett. *conſ.* 70. *num.* 13. Burſatt. *conſ.* 176. *num.* 23. Decian. *conſ.* 1. *num.* 30. *lib.* 1. maximè in Conſtitutione Summi Pontificis.

Tantumque abeſt, ut æquitas DD. olim Secretariis adſiſtat, ut ea manifeſtè expoſcat Cameræ ſuccurrendum eſſe agenti de damno vitando, ne ſcilicet gravetur ultra acceptũ reſtituere; Præſertim cùm ſi officia decreviſſent in pretio, adhuc reſtitutio regulanda eſſet ab accepto per Datariam, nec Camera prætendere poſſet reſtituere minus pretium, unde nimis iniqua, & exorbitans cenſeri debet inæqualitas, quod aucto illorum valore reddere teneatur id, quod non 21 accepit, ſed per particularium conventionem fuit reſignantibus ſolutum. Inæqualitas autem in quocumque contractu vitanda eſt *l. ſi id quod §. ult. ff. de reſcinden. vendit. Auth. æqualitas C. de pact. convent.*

Et in concurſu ſemper prævalere debet æquitas Cameræ 22 aſſiſtens, quæ agit de vitando publico damno, & ne cogatur Princeps liberalitatem exercendo erga privatas perſonas, gravare ſubditos novis tributis, ut in puncto reſpondet del Ben. *de Parlament. cap.* 2. *dub.* 4. *ſect.* 1. *n.* 19. *verſ. hæc autem, & ſect.* 2. *n.* 14. *& n.* 26. *verſ. Præſertim* 2. *& dub.* 5. *ſect.* 1. *n.* 15. 21. *&* 22. ubi quod bonum commune eſt cauſa piarum 23 cauſarum maximè pia, cùm præcipuè tendat in levamen pauperum, & miſerabilium.

Nonò, cum ex ſupradictis negari non poſſit, quod Motus proprius B. Pii in parte, ex qua deducitur promiſſio reſtitutionis pretii recepti à ſingulis ſit correctorius Conſtitu-24 tionis Innocentii, correctio hæc ſi non poteſt omninò vitari, ſaltem quantum fieri poteſt, reſtringi debet, Gratian. *diſcept. cap.* 283. *n.* 18. Spad. *conſ.* 207. *n.* 9. *& ſeqq. lib.* 3. Rot. *deciſ.* 843. *n.* 8. *par.* 4. *diverſ. & dec.* 42. *n.* 5. *par.* 12. *rec.* Præſertim quando diſponens non habuit intentionem corrigendi, & alterandi, unde ſicut in dicta Conſtitutione ſolùm promittitur reſtitutio accepti à Camera, ita id diſpoſitum cenſeri debet in Motu proprio confirmante, & innovante, cum hac tantum differentia, quod ibi eſt facienda reſtitutio 25 ſolius ſummæ acceptæ in ampliatione Collegii, hic autem 26 de pecunia recepta à ſingulis, quod etiam ſuadet alia regula, quod Conſtitutio Anteceſſoris declarat intentionem ſucceſſoris, ut monet Thomat. *dec.* 234. *n.* 26. maximè dũ Conſtitutio poſterior eſt ad illã relativa, optimè Spad. *conſ.* 71. *n.* 9. *lib.* 1.

Nec tantum reſultaret correctio Conſtitutionis Innocen-

tii, ſed etiam diformitas cum mente tot aliorum Pontificum prædeceſſorum, qui illa confirmarunt, & licèt ampliaverint 27 privilegia Collegii, tamen circa reſtitutionem pretii in caſum ſuppreſſionis illam non alterarunt, ideoque multò minus admittenda videtur hujuſmodi interpretatio mentis B. Pii in parte confirmatoria adeò contraria naturæ cõfirmationis.

Decimò, agitur de diſpoſitione inductiva obligationis, 28 in qua ſtrictiſſima fieri debet interpretatio, ſumendo ſignificatum promiſſori magis favorabilem, ut per Text. *in l. quidquid adſtringendæ ff. de verb. obligat.* tradunt Dec. *conſ.* 452. *num.* 21. Surd. *dec.* 119. *num.* 24. Rotæ *deciſ.* 159. *num.* 9. *par.* 4. *diverſ. & deciſ.* 72. *num.* 29. *par.* 11. *rec.* & coram Bichio *deciſ.* 5. *num.* 27.

Undecimò, Cùm per Conſtitutionẽ Innocentii fuiſſet jus quęſitũ Camerę reſtituendi ſolũ quod acceperat, utique ſi B. Pius voluiſſe illã obligare ad reddendũ etiam nõ acceptũ, derogaſſet regulæ Cancellariæ de Jure quæſito non tollendo, & Conſtitutioni Pii IV. de regiſtrandis gratiis præjudicialibus, ut ſupra fuit põderatũ, & ex omiſſione derogationũ adeo eſſentialiũ arguitur noluiſſe inducere novam obligationẽ Camerę præjudicialem: Ex ſtylo enim in cõceſſione ſervato be- 29 nè arguitur concedentis voluntas, *cap ſuper litteris n.* 8. *de reſcr.* Spad. *conſ.* 21. *n.* 9. *lib.* 1. Revetendiſs. de Luca *de benef. diſc.* 23. *n.* 6. Rota penes Caſſad. *deciſ.* 12. *num.* 14. *de Præb.* Add. ad Greg. *deciſ.* 150. *num.* 15. & ad Buratt. *deciſ.* 510. *num.* 11.

Duodecimò, Et quidem fortius elicitur argumentum ex 30 eo, quod promiſſio reddendi, quod Camera non acceperat, eſſet mera, & gratuita donatio ſine ulla cauſa, pro cujus excluſione quæcumque interpretatio, etiam impropriativa verborum, ſumi debet, Gratian. *diſcept. cap.* 327. *num.* 5. ubi quod potius præſumitur error, Rota coram Coccin. *deciſ.* 31 1517. *num.* 13. Maximè de tempore, quo Pontificium Ærarium graviſſimis anguſtiis premebatur, ut fatetur idem Beatus Pius in ſua Conſtitutione.

Nullam autem adfuiſſe donandi cauſam apertè apparet ex 32 recenſita Motus proprii ſerie, nam ſi dicta donatio facta dicatur in compenſationem pecuniarum à Secretariis erogatarum pro reſtituendo pretio Officii venditi Cardinali Mediceo, cùm jam fuiſſet ipſis abundè cautum per aſſignationem pretii alterius Officii primò vacaturi, quamvis in magna quantitate excederet, quæ nedum æqualem, ſed uberiorem ſatisfactionem importat, juncta etiam promiſſione ſolvendi damna, & intereſſe in caſu turbationis, non erat opus ad donationem, adeò Cameræ pernicioſam, devenire.

Decimotertiò. Cùm Beatus Pontifex fateatur ſe dictas pecunias mutuò, & gratioſè à Secretariis recepiſſe, non eſt veriſimile quod pro mutui recompenſatione voluerit ad 33 hanc promiſſionem prorſus extraneam devenire, cum forſan timeri potuiſſet illam uſuras redolere, à qua pernicioſiſſima peſte Rempublicam expurgare ſaluberrimis Conſtitutionibus curaverat.

Decimoquartò. Quodque prædictum mutuum non fuerit cauſa ſufficiens, ob quam moveri potuerit B. Pius ad alienationem, & donationem adeò præjudicialem, mani- 34 feſtè colligitur ex Conſtitutione fel. record. Sixti Quinti inter impreſſas in Append. Bullar. Cherubin. *tom.* 3. *Conſtit.* 1. ſuper revocatione alienationum Officiorum vacabilium, ubi in §. 3. declarat intentionem ſuam, & prædeceſſorum nunquam fuiſſe ſimiles alienationes facere, etiam ob mutuum pecuniarum pro ſervitiis, & indigentiis Sedis Apoſtolicæ, eaſque, ex defectu intentionis, nullas proindè, ac irritas declarat, ibi - *tanquam in fraudem decretorum, & canonicarum ſanctionum per ſubreptionem, vel obreptionem, ſeu ut dicitur per præoccupationem, extortas verius, quàm obtentas, ac pariter nullas, & irritas eſſe, & cenſeri; Cùm nequaquam credendum ſit quempiam ex iiſdem prædeceſſoribus noſtris voluiſſe confirmare quod non licet, nec veriſimile ſit (prout aliàs, à quibuſdam in ſimilium gratiarum confirmationibus expreſſum, ac narratum fuiſſe accepimus) pro reſtituenda, vel ſolvenda dictis Officialibus alienantibus exigua pecuniarum ſumma, pro ſervitiis Sedi Apoſtolicæ præſtitis, aut ſumptibus, eiuſdem cauſa ſuſceptis, erogata, ipſius Cameræ, Sediſque Apoſtolicæ Ærarium, adeò unquam exhauſtum fuiſſe, aut iis anguſtiis laboraſſe, ut neceſſe fuerit ad huiuſmodi alienationes, earumque confirmationes tam perniciosas devenire.* Conſtitutio autem ſucceſſoris optimè declarat mentem, & inten- 35 tionem prædeceſſoris, ut dixit Rota *dec.* 175. *n.* 9. *par.* 9. *rec.* Interpretatio enim dubiæ voluntatis Papæ ſolùm ſpectat ad 36 ſucceſſores, Spad. *conſ.* 285. *num.* 4. *lib.* 3. Menoch. *conſ.* 859. *num.* 4. Altograd. Jun. *contrav.* 92. *num.* 35.

Decimoquinto. Prorsùs reiicienda venit dicta interpretatio inductiva indebitæ obligationis, & donationis ob maximum præjudicium, quod ex illa Cameræ, & ſucceſſoribus reſultaſſet, cum nunquam ſit præſumendum Beatum Pontificem rem adeò præjudicialem facere voluiſſe *cap. 1. qui ſucceſſ. teneant.* Spad. *conſ.* 143. *num.* 8. *lib.* 1. & ex præjudicialitate excludatur voluntas, atque conſenſus, ejuſque defectus præſumatur, idem Spad. *conſ.* 142. *num.* 5. *eod. lib.* 1.

Ex hujuſmodi autem interpretatione mentis Beati Pii, quod ſcilicet voluerit ſolùm promittere reſtitutionem ejus, quod verè fuerat à Dataria receptum, non reſultat inutilitas privilegii, & conceſſionis, ut pro parte Dominorum olim Secretariorum, in præterita cauſæ propoſitione, fuit adeò inculcatum.

Nam non modicus effectus amplioris gratiæ, quam Beatus Pius profeſſus fuit impartiri Secretariis, eſt eorumdem privilegiorum confirmatio, & innovatio, quatenus non eſſent in uſu, ac etiamſi eſſent revocata, ut patet ex verbis relatis in facti ſpecie §. *ſucceſſive vero*.

Alter etiam longè utilior effectus eſt, quia, ut ſupra dictum fuit, juxta Conſtitutionem Innocentii Octavi reſtituenda non erat in caſu ſuppreſſionis Collegii niſi ſumma ducatorum 62400. Cumque Beatus Pius profeſſus fuerit eam confirmare, ac innovare iiſdem modo, & forma, de natura verò confirmationis, ac etiam innovationis ſit robur tantùm addere confirmato, ſeu reſtituere, ac reintegrare privilegia, quæ revocata fuiſſent, nihil autem de novo ſtatuere, vel præter, vel contra formam illorum, ut obſervat Rot. coram Coccino *deciſ.* 1951. *num.* 30. *&* 31. & coram Bichio *deciſ.* 521. *num.* 13. *& deciſ.* 629. *num.* 35. *& deciſ.* 58. *num.* 29. *&* 30. *par.* 6. *recent. & deciſ.* 377. *num.* 18. *&* 25. *par.* 17. multòque magis quando id expreſsè declaratum fuit, prout hic, ex illis verbis *iiſdem modo, & forma* reſtrictionem omnimodam importantibus: Maximum proinde poterat oriri dubium, promiſſionem reſtituendi totum id, quod Dataria à ſingulis, ultra dictam ſummam ducatorum 62400. acceperat in caſum ſuppreſſionis Collegii, per errorem, & contra mentem Beati Pontificis irrepſiſſe, prout ſemper judicatur, quoties in diſpoſitione confirmante, vel innovante aliquid amplius, quàm in confirmata, & innovata continetur, ut tradunt Natt. *conſ.* 322. *num.* 4. *&* 5. Roland. *conſ.* 1. *num.* 65. *lib.* 4. Giovagn. *conſ.* 44. *num.* 23. *verſ. Præſertim lib.* 2. Cyriac. *controv.* 128. *num.* 28. *&* 85. *verſ. præſumitur id per errorem*, latè Urceol. *conſult.* 47. *num.* 2. Rot. *deciſ.* 354. *num.* 8. *par.* 17. *recent.*

Alias enim induceretur ſubita, & immediata correctio, quod ſcilicet Pontifex voluerit confirmare, ac innovare iiſdem modo, & forma Conſtitutionem Innocentii, illamque in re adeò relevanti alteraverit, & extenderit, quæ interpretatio inductiva correctionis eſt omninò evitanda, ut monet Rota coram Coccino *deciſ.* 2338. *num.* 5. *&* 6. & coram Dunozetto Jun. *deciſ.* 578. *num.* 3.

Et ulterius dici potuiſſet, quod Beatus Pius ſolùm voluerit privilegia à prædeceſſoribus conceſſa confirmare, & innovare, non autem illa extendere, ac alterare cum adeò magno Cameræ præjudicio, ut manifeſtè dignoſcitur ex adhibitis clauſulis in puris confirmationibus, apponi ſolitis, ſcilicèt ex præſervatione decretorum Sacri Concilii, & ex omiſſa derogatione regulæ Cancellariæ de jure quæſito non tollendo, & Conſtitutionis Pii Quarti de regiſtrandis, quæ ſemper apponi ſolet in privilegiis, & gratiis Cameræ etiam in minimo præjudicialibus, ex hoc enim ſtylo clarè dignoſcitur, quid actum fuerit, ut tradunt Spad. *conſ.* 21. *num.* 9. *lib.* 1. Maſtrill. *deciſ.* 257. *num.* 17. Reverendiſs. de Luca *de Regal. diſc.* 49. *num.* 11. *& diſc.* 56. *num.* 4.

Ex quibus (licet de ſtricto rigore ſuſtineri potuiſſet Conſtitutionem Innocentii circa reſtitutionem pretii non fuiſſe immutatam, & alteratam per Motum proprium Beati Pii, & nihilominus dum Sanctiſſimus Dominus Noſter in ſuo Motu proprio ſuppreſſionis, potius ex clementiæ, ac largitatis impulſu, quàm ex rigoroſa juſtitiæ obligatione interpretationem magis benignam ſectari voluit, jubendo fieri effectivam reſtitutionem ejus, quod Dataria à ſingulis receperat) Camera non prætendat niſi ſe eximere à prætenſa obligatione reſtituendi ultra acceptum, utique uberrima utilitas ex hoc provenit Dominis olim Officialibus, abſque eo, quod ſuperaddi queat aliud gravamen, extenſio ſcilicet promiſſionis ad obligationem reſtituendi non acceptum.

Ac tandem alia ex conceſſione Beati Pii reſultat iiſdem ampliſſima utilitas, quia ſublata fuit Camera facultas imputandi in ſortem fructus excedentes, ſaltem pro officiis emptis viliori pretio, cum longa fructuum exuberantium perceptione, quam imputationem nedum licitam, ſed omninò juſtam, & neceſſariam cenſeri debere probavimus in ſecunda Juris præteritæ poſitionis §. *Cum igitur cum ſeqq.* & licet Innocentius Octavus illam prohibuerit, non eſt quo ad hoc allegabilis, dum circa pretii reſtitutionem prætenditur correcta.

Cæterum licet ex prædictis non videatur dubitandum de Beati Pontificis mente, adhuc pro illius ulteriori declaratione, utinam liceret ad ipſius adoratos cineres Motum proprium deferre, ejuſque Oraculum expoſcere, ut à Patribus Nicenæ Synodus peractum fuiſſet teſtatur Nicephorus *lib.* 8. *cap.* 23. cum delatis ad tumulum Sanctorum Chryſanthi, & Muſonii Epiſcoporum, qui ante abſolutum Concilium deceſſerant, illius actis eorumdem miraculoſam ſubſcriptionem obtinere meruerunt; Reſponderet enim Beatus Pontifex, numquam ſuam intentionem fuiſſe largitatem adeò prodigam in Cameræ præjudicium exercere, ſed ſolùm reparare damnum, quod Collegio Secretariorum ex venditione officii ſupprimendi provenerat, & debitam recompenſationem pretii mutuati præſtare; Quod profectò reſponſum ſi ex adoratis cineribus percipere digni non ſumus, ſatis apertè prodit ex ipſa facti ſerie, ex Motus proprii verbis, & ex geſtis ab eodemmet Beato Pio, ut ſupra fuit demonſtratum.

Sanctes de Pilaſtris R. C. A. Commiſſ. Generalis.
Proſper Archiepiſcopus Myren. Fiſci, & Cam. Apoſt. Advocatus.
Io. Baptiſta Bottinus Coadiutor.
Nicolaus Severolus Sac. Conciſt. Advoc.
Lamphrancus Zacchias
Carolus de Comitibus } *Advoc.*
Petrus Pacionus

Reſtrictus Juris ſuper tertio Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Plures deducuntur rationes ad demonſtrandum, quod ſi Beatus Pius obligaſſet Cameram ad reſtituendum ultrà acceptum, hujuſmodi obligatio fuiſſet, vel nulla, ex defectu regiſtrationis, & derogationis regulæ *de Iur. quæſit. non tollen.* vel revocata ex Conſtitutionibus Sixti Quinti, & Urbani Octavi, aliorumque Pontificum, vel ſaltem revocanda ex capite enormiſſimè læſionis.

SUMMARIUM.

1 *Donationes gratuitæ ex defectu regiſtrationis ſunt nullæ, quamvis non eſſent Cameræ præiudiciales, & Motu proprio emanaſſent.*
2 *Quando ſunt Cameræ præiudiciales opus habent derogatione* regul. de Jur. quæſit. non tollen.
3 *Sunt annullatæ ex Conſtitutione Sixti Quinti.*
4 *Revocatur per regulam Cancellariæ* 64. *& per Conſtitutionem Vrbani la* 30. *& Conſtitutionem Innocentii Decimi la* 13.
5 *Promiſſio reſtituendi, quod non fuit acceptum cadit ſub dictis Conſtitutionibus revocatoriis.*
6 *Quindennia in materia emphyteutica fuerunt introducta ad inſtar quindenniorum, quæ ſolvuntur Cameræ, pro-*

propter beneficia perpetuò unita alicui manui mortuæ.

7 *Officia vacabilia resignari non possunt absque consensu Principis, qui senibus, & infirmis denegatur.*

8 *Læsio in materia contractuum vitalitiorum regulatur à facilitate, vel difficultate vacationis, & lucri.*

9 *Camera si teneretur restituere pretium currens, non solùm amisisset lucrum vacationum, sed etiam gravaretur intolerabili damno emergenti.*

10 *Minor læsio requiritur ad succurrendum Cameræ, quàm privato, eique sufficit in sexta parte.*

11 *Quando læsio est ultra bessem est locus revocationi, absque eo, quod opus sit remedio restitutionis.*

12 *Ad effectum dignoscendi læsionem attenditur tempus contractus.*

13 *Limitatur in contractu, qui habet tractum successivum, in quo etiam læsio superoperatur revocationem.*

14 *Contractus, qui tractu temporis nimis damnosus esse Principi incipiat, potest ab eo rescindi, etiamsi fuisset contrahens.*

15 *Quamvis adesset iuramentum, & tantum temporis effluxisset, ut posset prætendi præscriptio.*

16 *Ingratiis, & privilegiis læsio superveniens inducit revocationem.*

R. P. DEducta in duobus præcedentibus Articulis sufficerent abundè ad victoriam, & nihilominus ad hoc, ut Rev. Cameræ jura clarius eluceſcant, addimus, quod cum ex jam dictis promissio restituendi ultrà pretium
1 acceptum, juxta sensum à decisione admissum, esset mera, & gratuita donatio, sine ulla causa, ut latè fuit firmatum, nulla, & irrita esset ex defectu regiſtrationis, quam sub pœna nullitatis requirit Constitutio Pii Quarti in gratiis, etiam in minimo Cameræ præjudicialibus, etiamsi gratia facta fuerit Motu proprio, ut explicat Cherubin. *ibidem in Compend.* necnon ex regula Cancellarię de Jure quęsito non
2 tollendo, cum neutri sit derogatum, ut fieri solet in gratiis Cameræ præjudicialibus concedentis. Prout etiam similes alienationes Cameræ præjudiciales nullæ, & irritæ declarantur per alias Constitutiones Apostolicas, & signanter per illam Sixti Quinti allegatam circa finem secundi Articuli §. 14. ibi - *ac pariter nullas, & irritas esse, & censeri*, & ea expressè loquitur etiam de concessionibus factis in recompensationem pecuniarum erogatarum pro servitio Sedis Apostolicæ, & laborum pro ea susceptorum.

Etsi ab initio robur aliquod validitatis habuisset, revocata fuisset per regulam Cancellariæ 64. & per notas Constitutiones revocatorias, præcipuè Urbani Octavi la 28. in Bullario novo la 30. confirmatam ab Innocentio Decimo Constitutione 13. §. 32. Negari siquidem non potest hujusmodi promissionem restituendi quod Camera non accepit esse merum privilegium, ut suadent ipsa verba Motus proprii, ibi *Amplioris favoris gratia prosequi volentes*, quod proindè sub dictis revocatoriis inevitabiliter cadit.

Ex alio etiam capite evitari non posset revocatio, scilicet ex maxima, atque enormissima læsione Cameræ propter exuberantem emolumentorum excrescentiam, quæ prerium Officiorum adeò notabiliter auxit, quod augmentum præcipuè causatum fuit ex effrenata facultate resignandi officia, etiam in mortis articulo, Collegio tributa ab Innocentio Octavo; unde maximum detrimentum Cameræ resultavit, quia rarissimæ contingebant Officiorum vacationes, illaque reddita fuerant ferè perpetua, ut experientia docuit, nam licèt à Pontificatu Innocentii Octavi ad tempus, quo conditus fuit à B. Pio Motus proprius fluxissent 84. anni, tamen ex 30. officiis, tantum quinque vacaverant, & ex ampliſſima serie resignationum, desumpta ex libro Statutorum Collegii *pag.* 147. quæ narratur in facti specie §. *medio autem tempore* colligitur rarissimas contigisse vacationes per obitum, & hæc maxima facilitas resignandi privavit Cameram commodo venditionum, ad quod percipiendum inventa fuerunt officia vacabilia, quæ vacare calculantur quo
6 libet quindennio, ut constat ex Bulla septima Pauli Secundi, & ex Bulla 17. Pauli Quarti super solutione Quindenniorum Rev. Cameræ, quorum calculatio, utpotè æqua, recepta est in regulanda solutione laudemiorum, ubi Emphyteutica bona devenirent ad manus mortuas, ut tradit Niger. *de laudem. quæst.* 12. *art.* 3. *num.* 144. & *sequen.* Rota *decis.* 490. *num.* 10. & *seq. par.* 9. *recent.*

Exindeque resultat inevitabilis læsio, cum propter dictam facultatem impeditæ fuerint vacationes officiorum contra illorum naturam, cùm regulare sit officia vacabilia non posse resignari absque consensu Principis, qui senibus, & 7
infirmis denegatur, ut monent Rocc. *de offic. rubr.* 18. *de alien. & hypot. num.* 55. Capyc. Galeott. *resp. fiscal.* 12. *num.* 19. testantes de consuetudine Regni Neapolitani, & de stylo inconcusso Romanæ Curiæ, Castracan. *de Societ. Offic. cap.* 40. *num.* 43. & 44. Reverendiss. de Luca *de Regal. disc.* 2. *num.* 9. & *disc.* 6. *num.* 2. & 4. Rota coram Seraphin. *decis.* 1294. *num.* 5. & *decis.* 615. *num.* 11. *par.* 5. *recentior.* Læsio 8
enim in hac materia contractuum vitalitiorum regulatur à facilitate, vel difficultate vacationis, & lucri, ut observant Fabian. de Mont. *de empt. & vendition. quæst. ult. num.* 11. Scaccia *de Iudic. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 476. *versic. primus casus.*

Cum itaque ob adeo singularem, & proficuam facultatem resignandi, per quam officia reddita fuerunt ferè perpetua, & exempta à communi lege, atque periculo aliorum vacabilium, eorumdem pretium fuerit maximè auctum, 9
itaut ab initio solum tradita fuerint scuta 62400. & deindè juxta valorem de tempore suppressionis calcularentur in scutis 600. mil. nimis profectò iniquum foret, si postquam Camera defraudata fuit in commodo illa vendendi, ob impeditas per istam facultatem resignandi vacationes, teneretur ulterius erogare pretium solutum resignantibus in tanto augmento, id enim esset ultra amissionem debiti lucri, quod ex venditionibus reportasset, illam gravare damno emergenti, & quidem gravissimo, contra omnes juris, & æquitatis regulas.

Concurrente verò læsione, nedum in sexta parte, quæ 10
Cameræ sufficeret, cum minor læsio requiratur ad illi succurrendum, quàm privato, ut tradunt Capyc. Galeott. *respons. Fisc.* 25. *nu.* 47. Capyc. Latr. *cons.* 5. *nu.* 19. de Marin. *quotid. res. lib.* 1. *resol.* 147. *num.* 1. Fajard. *allegat. Fiscal. allegat.* 1. *num.* 123. latissimè de Pont. *de Potest. Proreg. tit.* 4. §. 5. *à princ. ad num.* 47. sed plusquàm enormissima, & 11
ultra bessem, revocatio est inevitabilis, nec opus est remedio extraordinario restitutionis, ut in fortioribus terminis contractus firmant de Pont. *ibidem num.* 41. Muscarell. *in praxi civil. lib.* 2. *par.* 2. *glos. venduntur num.* 54. Vincent. de Franch. *decis.* 120. *num.* 7. & *decis.* 224. *num.* 2. Mastrill. *decis.* 84. *num.* 8. Reverendiss. de Luca *discurs.* 65. *num.* 17. *de Regal. & in lib.* 2. *eodem titul. disc.* 201. *num.* 2. Nam hoc casu rescissio, & nullitas contractus provenit ex defectu, & cessatione voluntatis, cum is intelligatur initus sub conditione, quod res in eodem statu permaneat, nec contingat adeo notabilis variatio, ut firmant supra citati DD.

Neque poterit evitari revocatio ex eo, quia læsio non verificetur de tempore motus proprii, adeoque intret vulgata regula, quod ad effectum dignoscendi læsionem, attendendum sit tempus contractus, vel concessionis; duplex siquidem se se offert solidissima responsio. 12

Prima, quod etiam in contractibus læsio superveniens operatur illorum revocationem, vel quando habent tractum successivum, ut probant Rolan. *cons.* 1. *num.* 173. *lib.* 2. Natt. *cons.* 548. *num.* 21. & 36. Mandell. de Alb. *cons.* 34. *num.* 15. Thesaur. *decis.* 226. *num.* 1. & *per tot.* Gypt. *dec. Bonon. decis.* 43. *num.* .... Larrea *decis. Granaten. decis.* 71. *per tot. & allegat. Fiscal.* 23. *num.* 33. & *allegat.* 32. *à num.* 5. *ad fin. ubi num.* 11. testatur de communiori Doctorum 14
sententia: vel quando tendunt in magnam perniciem Principatus, cui nimium damnosi esse incipiunt, tunc enim nedum à Successore, sed ab ipso Principe contrahente rescindi possunt, ut docent Petra *de potest. Princip. quæst.* 32. *num.* 196. & *seqq.* Mastrill. de Magistr. *lib.* 1. *cap.* 18. Castill. *de Tertiis cap.* 18. *num.* 166. & 170. Salgad. *de retent. Bullar. par.* 1. *cap.* 5. *num.* 59. latissimè Larrea *alleg. fiscal.* 23. *per tot.* & signanter *num.* 35. & *seqq.* ubi agitur de revocatione Censuum vitalitiorum super Juribus regalibus ob nimis auctum illorum fructuum, del Bene *de Parlament. cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 30. & 31. Fajard. *allegat. Fiscal.* 1. *num.* 88. 15
etiamsi contractus sint juramento vallati, vel temporis lapsus talis concurrat, ex quo prætendatur eos esse præscriptionis præsidio munitos, Castill. *dicto cap.* 18. *num.* 171. *vers. alii verò*, & *num.* 178. Klochius *de contribut. cap.* 16. *num.* 94. Promissio autem restituendi pecunias in casu suppressionis respicit tempus futurum, & tractum successivum, adeoque non solum de præterito, sed etiam in futurum læsio considerari debet.

Secunda responsio est, quod in gratiis, & privilegiis,

16 indubitatum eſt, ex læſione etiam ſuperventi, revocationem induci, quaſi tunc ceſſet voluntas concedentis *iuxt. text. in cap. ſuggeſtum de decim.* & probant Kloch. *de contrib. dicto cap.* 16. *num.* 94. *&* 95. Barz. *deciſ.* 118. *num.* 3. *cum pluribus ſequen.* Caren. *reſol.* 229. *num.* 4. *& per tot.* ubi de reductione annuorum reddituum, & dixit Rota coram Peuting. *deciſ.* 49. *num.* 6. *& ſeqq. & in Bonon. Cenſuum* 11. *Martii* 1637. *&* 16. *Decembris* 1639. *coram Panzirolo*,

Sanctes de Pilaſtris R. C. A. Commiſſ. Generalis.
Proſper Archiepiſcopus Myren. Fiſci, & Cam. Apoſt. Advocatus.
Io. Baptiſta Bottinus Coadiutor.
Nicolaus Severolus Sac. Conciſt. Advoc.
Lamphrancus Zacchias
Carolus de Comitibus } *Advoc.*
Petrus Pacionus

Reſtrictus Juris ſuper quarto Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Motus proprius Beati Pii Quinti, quatenus etiam contineret obligationem Cameræ reſtituendi pretium non receptum, adhuc tamen non poſſet verificari, niſi reſpectu Secretariorum exiſtentium de tempore Motus proprii, non autem ſucceſſorum.

SUMMARIUM.

1 *Cauſa privilegii eſt principaliter attendenda.*
2 *Privilegium conceſſum in remunerationem beneficii dicitur perſonale, & reſtrictum ad eos, qui beneficium contulerunt.*
3 *Quamvis conceſſio eſſet de ſui natura realis.*
4 *Etiamſi privilegium conceſſum eſſet non perſonis, ſed dignitati.*
5 *Privilegium perſonale cum perſona extinguitur.*
6 *Præcipuè quando meritum perſonæ eſt cauſa immediata privilegii.*
7 *Non tranſit ad ſucceſſores.*
8 *In declaranda conceſſione privilegii conſiderari debet mens veriſimilis contrahentis.*
9 *Gratitudo, & remuneratio non cadit in ignotos.*
10 *Interpretatio ea ſumi debet, quæ ſuperfluitatem excludat, & num.* 11.
12 *Diſcretivus modus loquendi diverſam arguit in diſponente voluntatem.*

R. P. QUamvis ex latè deductis in primo, & ſecundo Articulo, & exabundanti cumulatis in tertio, nedum penitus ſublata remaneant deciſionis contrariæ fundamenta, ſed ſolidiſſimè confirmata Cameræ Apoſtolicæ Jura: Nihilominus, ut abundantius appareat ſubſtineri non poſſe obligationem reſtituendi pretium à ſingulis Secretariis erogatum in acquiſitione Officii, ſive Datariæ, ſive reſignantibus, juxta ſenſum deciſionis, breviter oſtendere opportunum duximus, quod quatenus hujuſmodi interpretatio adaptari poſſet verbis Motus proprii Beati Pii, (quod tamen conſtantiſſimè negamus, ex rationibus hactenus deductis) adhuc talis promiſſio, quæ in donationem reſolveretur, ex ſuperius deductis, verificari non poſſet, niſi reſpectu Secretariorum exiſtentium de tempore Motus proprii, qui de tempore ſuppreſſionis ſupervixiſſent, nullatenus autem extendi ad ſucceſſores.

Primò igitur hujuſmodi reſtrictiva interpretatio manifeſtè deſumitur ex cauſa ipſius privilegii, quam ſemper eſſe 1 attendendam monet Text. *in l. in omnibus ff. de regul. Iur.* & pluribus relatis, Rota *deciſ.* 35. *num.* 3. poſt Bonden. *collect. legal.* Et ſiquidem non alia fuit, ut ex facti ſpecie, & hactenus dictis apparet, & clarè inſinuant verba Motus proprii in ſecunda parte, ibi, *Nos è contra promptam Secretariorum voluntatem agnoſcentes, eamque gratam, ut par eſt habentes, &c.* quàm gratuito erga Secretarios viventes qui rem gratam Beato Pontifici fecerant, illi mutuando ſummam ſcutorum 5500. eamque ſumendo ad cenſum, vel ad cambium ſub interuſuriis: Adeoque cum cauſa gra- 2 titudinis ſiſtat tantum in perſonis, qui beneficium contulerunt, operatur pariter, ut privilegium in illius recompenſationem conceſſum, dicatur perſonale, ut pluribus relatis, probant Aryas de Meſa *variarum reſol. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 3. *&* 4. aſſerens id procedere, etiamſi conceſſio eſſet de 3 ſui natura realis, Venturin. *conſ.* 34. *num.* 104. Capyc. Galeott. *controverſ. forenſ. controv.* 51. *num.* 9. *lib.* 2. Quod procedit etiamſi non ſit facta mentio perſonarum, ſed dignitatis, Abbas *in cap. mandata* 6. *num.* 1. *verſ. ego dico de præſcript.* Ancharan. *conſ.* 227. *ante fin. verſ.* 2. *non obſtat*, Menoch. *conſ.* 340. *num.* 14. Rota coram Mantica *deciſ.* 19. *num.* 4. *verſ.* 2. *fuit reſponſum*. 4

Ea verò eſt natura privilegii perſonalis, ut mutata, vel extincta perſona, varietur, & extinguatur, ut plurimis relatis tradit Salgad. *de Reg. poteſt. par.* 3. *cap.* 10. *num.* 293. Præcipuè, quando qualitas, vel meritum perſonæ eſt cauſa immediata privilegii, Menoch. *conſ.* 444. *num.* 36. *& conſ.* 704. *num.* 18. Rota *deciſ.* 76. *num.* 14. *par.* 15. *recentior.* nec tranſit ad ſucceſſores *cap. Privilegium de reg. Iur. in* 6. 5 6 7

Secundò ex veriſimili mente ipſius B. Pii, quæ profectò potiſſimè conſiderari debet pro illius conceſſione declaranda, ut quamplurimis allegatis firmat Caren. *reſol.* 59. *num.* 60. Pro qua dignoſcenda (præter omnia argumenta in ſecundo Articulo adducta, quæ multò fortius ſuadent præſens aſſumptum, cùm, ut ibi probatum fuit, prorſus excludant interpretationem à deciſione datam verbis Motus proprii) potiſſimè conſiderari meretur, quod reſpectu ſucceſſorum nulla concurrebat cauſa illis faciendi largitatem adeò præjudicialem Cameræ, cum ipſi nullum haberent meritum, quod remunerationem expoſceret, imò eſſent Pontifici prorſus ignoti, itaut erga ipſos cenſeri nullo modo debeat liberalitatem exercere voluiſſe, præſertim titulo remunerationis, & gratitudinis. 8 9

Tertiò ex ejuſdemmet Motus proprii verbis hujuſmodi reſtrictio manifeſtè reſultat: Siquidem reſtitutio pecuniarum erogatarum in acquiſitione Officii promiſſa fuit *ſingulis Secretariis tunc viventibus*, quæ ſanè verba alium congruum intellectum habere non poſſunt, quàm quod ea fieri deberet Secretariis viventibus de tempore ſuppreſſionis, Ii namque, non verò ſucceſſores de B. Pio aliquo modo dici poterant benemeriti propter dictum mutuum, nec ideò poſſunt adaptari omnibus Secretariis etiam ſucceſſoribus, abſque nota vitioſæ ſuperfluitatis, & improprietatis loquendi: Tùm quia nonniſi viventibus competere poterat reſtitutio: Tùm quia mortui non poterant dici amplius Secretarii, cùm officium ſit vitalitium, & cùm perſona extinguatur, 10 Semper autem interpretatio ſumi debet pro ſuperfluitate vitanda, Altograd. *conſ.* 100. *num.* 39. *lib.* 2. Gratian. *diſcept. cap.* 383. *num.* 8. Surd. *deciſ.* 64. *num.* 19. & multò magis ſi ultra ſuperfluitatem concurrat impropria loquutio.

Ac etiam conſultò cenſeri debet adhibitum verbum *ſingulis* denotans Pontificem non intelleXiſſe de omnibus, 11 aliàs ſuperflua fuiſſet illius adjectio, quod cùm non ſit admittendum, ex ſupradictis, cenſeri debet reſtitutionem fuiſſe diverſimodè promiſſam, ſcilicet Secretariis viventibus de utroque tempore, Motus proprii, & ſuppreſſionis, de omnibus pecuniis per ipſos erogatis in acquiſitione Officii; Succeſſoribus verò ſolum de receptis à Dataria.

Accedit quod B. Pius in §. *Ad hæc* in iis partibus, quæ concernere poterant totum Collegium, & ſic etiam ſucceſſores, ſcilicet in confirmatione Privilegiorum, pluries verba direxit in ipſum Collegium, quemadmodum apparet ex ipſo initio §. *Ad hæc*, ibi; *Ad hæc Secretarios, & Collegium amplioris &c.* & infra; *Eiſdem Secretariis, & Collegio conceſſa fuerunt &c.* & in diſpoſitiva ibi, *eiſdem Secretariis per dictos Prædeceſſores conceſſa &c.* quæ dictio, *eiſdem*, eſt reſpectiva Collegii, & inferius ibi, *eiſdem Secretariis, & Collegio de novo concedimus, & aſſignamus:* At ubi egit de reſtitutione pecuniarum in caſum ſuppreſſionis, diverſo modo loquutus fuit, non enim repetiit verbum collectivum

aptum

aptum omnes, etiam ſucceſſores comprehendere, ſed adhibuit verba reſtricta ad ſingulos, ibi: *Singulis Secretariis tunc viventibus*, qui diſcretivus loquendi modus manifeſtè demonſtrat contrariam B. Pontificis voluntatem, quod nimirum in hac parte non intellexerit, niſi de Secretariis, qui vivebant tempore Motus proprii, & ſuperextitiſſent tempore ſuppreſſionis, ex traditis à Gabr. *conſ.* 97. *num.* 28. *lib.* 1. & dixit Rota coram Coccin. *deciſ.* 2121. *num.* 143. & coram Bich. *deciſ.* 516. *num.* 5.

12

Et ex his à deciſis recedendum credimus, & ſperamus.

Sanctes de Pilaſtris R. C. A. Commiſſ. Generalis.
Proſper Archiepiſcopus Myren. Fiſci, & Cam. Apoſt. Advocatus.
Io. Baptiſta Bottinus Coadiutor.
Nicolaus Severolus Sac. Conciſt. Advoc.
Lamphrancus Zacchias
Carolus de Comitibus } *Advoc.*
Petrus Pacionus

Calculus ſuper læſione.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

R. P. CAmera Apoſtolica paſſa fuit maximã, & enormiſſimam læſionem in Collegio Secretariorum Apoſtolicorũ, & quia hodie ſolummodo agitur de reſtitutione pretii quatuordecim eorumdem Officiorum, proinde in ordine ad illa in Calculo, cum præſenti Memoriali ad partes dato, undequaque juſtificato, de hujuſmodi læſione docetur reſpectu plurium etiam ultra beſſem, cùm tamen favore Cameræ ſufficiat læſio in ſexta parte, Capyc. Latr. *conſult.* 5. *num.* 19. cum aliis allegatis in reſtrictu juris ſuper tertio Articulo §. *Concurrente verò*: ex qua quidem læſione infertur, quod Cameræ aſſiſtat æquitas, cum agat de damno evitando, non autem DD. Secretariis agentibus de lucro captando, ut in ſecundo reſtrictu juris §. *Octavo*.

Reſpectu primi officii, ut dicitur in Calculo, per Datariam venditi de Anno 1565. pro ſcutis aureis 6200. ſucceſſivè pluries reſignati, conſtat, quod fructus uſque ad ſuppreſſionem Collegii omnibus annis inſimul junctis fuerunt exacti ad rationem treſdecim, & obulorum 80. pro quolibet centenario, & Camera ratione augmenti ſcutorum auri à julijs undecim ad julios quindecim, ultra reſtitutionem pretii accepti, ſolvit alia ſcuta 2480. Unde ſi ad formam contrariæ deciſionis deberet etiam exburſare aliam ſummam correſpectivè ad ultimam reſignationem, eſſet in damno in aliis ſcutis 5500. & ſic læſio etiam ultrà beſſem palpatur manibus.

Quoad ſecundum Officium per Datariam venditum anno 1582. pro ſcutis 7600. auri, & deinde ſemper reſignatum, fructus exacti fuerunt ad rationem ſcutorum 11. & b. 77. pro centenario, & inſuper Camera ratione augmenti ſcuti auri, ultra pretium receptum, perſolvit alia ſcuta 4040. & ſi cogeretur ſupplere uſque ad ſummam ultimæ reſignationis, remaneret in damno in aliis ſcutis 3300. & ideò de conſimili maxima læſione dubitari non poteſt.

Circa tertium Officium per Datariam venditum de anno 1623. pro ſcutis 14500. & deinde pluribus vicibus reſignatum, exacti fuerunt fructus ad rationem ſcutorum 9. & b. 74. pro centenario, adeout Camera ſi deberet etiam ſolvere reſiduum in ordine ad ultimam reſignationem, eſſet in damno pro aliis ſcutis 8300.

Prætereà ſciendum venit, quod Sixtus Quintus annis 1586. & 1589. admiſit Collegium ad Montem non vacabilem pro ſcutis 50000. monetæ circiter, cum onere ſolvendi fructus, & extinguendi loca Montium infrà duodecim annos inceptos dicto anno 1586. ut ex Brevi die 17. Februarii 1586. & quia Collegium non devenit ad extinctionem Montis, tria damna evenerunt Cameræ in Calculo ponderata.

Primum, quia data extinctione redditus Maſſæ Collegii fuiſſent in majori quantitate, & ideò Camera vendidiſſet iſtud Officium majori pretio, nempè pro aliis ſcutis 900. ut in dicto Calculo quorum fructus aſcendunt ad ſcuta 2187.

Secundum damnum conſiſtit in capitale dictorum ſcutorum 900. reſpectu omnium officiorum, quæ vacaverunt Datariæ ab anno 1598.

Tertium verò conſiſtit in fructibus, quos Camera exegiſſet ex iſto capitali, ſpatio tot annorum.

Hinc fatendum venit enormiſſimam læſionem concurrere, etiam quoad iſtud officium.

In ordine ad quartum officium per Datariam venditum anno 1627. pro ſcutis 14. mil. monetæ, ſucceſſivè pluries reſignatum, fructus exacti fuerunt ad rationem ſcutorum 10. & b. 77. pro centenario. Ulterius Camera paſſa fuit damnuum ob non extinctionem Montis in aliis ſcutis 2065. Damnum verò occaſione capitalis, & fructuum ab eodem fonte procedens in Calculo dato ſimpliciter reſervatur, ſed non ponitur in certa ſumma.

Quatenus verò ad formam deciſionis Camera teneretur etiam ſolvere reſiduum, habita ratione ad ultimam reſignationem, eſſet in damno pro aliis ſcutis 9000. & conſequenter læſio maxima redditur indubitata.

Quintum officium fuit venditum per Datariam eodem anno 1627. pro ſcutis 14. mil. fructus verò exacti fuerunt ad rationem ſcutorum 10. & b. 67. pro centenario.

Damnum paſſum ob non extinctionem Montis eſt in ſcutis 2045. non computato capitali, & illius fructibus reſpectu omnium vacationum, ut diximus, ſecutarum ab anno 1598.

Quare ſi Camera deberet quoque reſtituere reſiduum pretii ultimæ reſignationis, eſſet in damno pro aliis ſcutis 8000. & proinde læſio enormiſſima redditur certa.

Sextum verò officium à Data ria venditum fuit anno 1643. in ſcutis 14. mil. fructus verò exacti fuerunt ad rationem ſcutorum 11. & b. 43. pro centenario.

Damnum verò proveniens ob non extinctionem Montis eſt in ſcutis 1377. & quatenus Camera deberet reſtituere pretium ultimæ venditionis, eſſet quoque in damno pro aliis ſcutis 8000. quapropter in hoc etiam officio concurrit enormiſſima læſio.

Quod attinet ad ſeptimum officium anno 1662. à Dacaria venditum pro ſcutis 18000. monetæ, fructus exacti ſunt ad rationem novem, & b. 82. pro centenario.

Damnum proveniens à non extinctione Mõtis calculatur in ſcutis 601. 60. & ſi Camera cogeretur ſupplere, pretium ultimà reſignationis, eſſet in damno pro aliis ſcutis 1200. non calculato damno capitalis, & fructuum, de quo ſupra, & ſic læſio reſpectu iſtius officii probatur.

Octavum officium venditum fuit per Datariam anno 1650. pro ſcutis 15. m. cujus reſpectu quoties Camera ultra pretium acceptum deberet ſolvere reſiduum, habita ratione ad ultimam reſignationem, eſſet in damno in ſcutis 6500.

Et inſuper in aliis ſcutis 720. pro rata fructuum ob non factam extinctionem Montis, ultra capitale reſpectu omnium vacationum ab anno 1596. & conſequenter, in hoc etiam Camera ſubiret maximam læſionem, juxta terminos contrariæ deciſionis.

In ordine ad novum officium per Datariam venditum anno 1679. pro ſcutis 22000. ſi Camera teneretur ſupplere reſpectu ultimæ reſignationis, eſſet in damno in ſcutis 500. damnum verò proveniens à non facta extinctione eſſet quoque calculandum, quoties prorogatio termini ad extinguendum Montem ad alios duodecim annos per Collegium, ut diximus, obtenta de anno 1669. à ſanctæ memoriæ Clemente Nono, ut ex ejus Brevi ſub dat. 4. Jan. 1669. judicaretur ſubreptitia, & obreptitia, prout ipſi exiſtimamus, dum Pontifici narratum non fuit damnum Cameræ proveniens; quinimò ipſe ſuppoſuit gratiam non eſſe alicui præjudicialem.

Hucuſque egimus de officiis per Datariam ab initio venditis, & pro quibus ſolutæ fuerunt ſummæ conventæ, ſucceſſivè pluries reſignatis, cum augmento pretii, & reſpectivè demonſtravimus quod Camera eſſet in maxima, & enormiſſima læſione, ſi deberet reſtituere tale augmentum, maximè inſimul calculatis aliis damnis paſſis in ſpecie reſpectu Collegii, habita ratione ad omnes vacationes Datariæ ſpectantes ab anno 1599.

Deveniendo autem ad cætera quinque officia, nempe decimum, undecimum, decimumſecundum, decimumtertium, & decimumquartum ab initio non vendita, ſed donata, curſu verò temporis à donatariis vendita. Primum pro ſcutis 14. mil. ſecundum pro ſcutis 16. mil. tertium pro ſcutis 16. & quingentis, quartum pro ſcutis 18. mil. & quintum pro ſcutis 20. mil. decimus, quod ſi Camera cogeretur reſtituere dictas ſummas, læſio non ſolùm eſſet ultra beſſem, ſed in tota quantitate, cùm nihil receperit, quorum reſpectu proindè non applicarentur verba Bullæ B. Pii, niſi reſtitutis, nec potuit hunc caſum excogitare, cum ſuo tempore hujuſmodi donationes non eſſent; conſiderando, quod tam reſpicientes dicta quinque officia, quàm etiam tria alia, de quibus hodiè non agitur, ſunt valdè recentes.

Neque urget, quod Domini Secretarii dicta officia poſſident titulo emptionis, & ſic titulo oneroſo, quia in ordine ad Principem dicuntur illa habere titulo lucrativo, nempe donationis, cùm nemo poſſit plus juris in alios transferre, quàm ipſe habeat, & rurſus ementes officia, etiam per viam reſignationis ſubrogantur per Papam in locum reſignantis, ut ex forma ſupplicationum. Unde debebunt dirigere ſuas actiones, contra quos de Jure, ut in replicatione D. Advocati Severoli.

Quare &c.

Sanctes de Pilaſtris R. C. Apoſt. Commiſſ. Generalis.

Replicatio Facti.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

SVMMARIVM.

1 *Confirmatio addit robur confirmato, non autem illum extendit.*
2 *Camera in vim Conſtitutionis Innocentii Octavi non tenebatur reſtituere Secretariis, niſi ſcuta 62400. auri, in caſu extinctionis Collegii.*
3 *Expreſſio ſummæ quando dicatur appoſita demonſtrativè, vel taxativè.*
4 *De natura ſtipulationis eſt, quod quis ad aliud non teneatur.*
5 *Camera in extinctione locorum Montium reſtituit ſcutà centum, non autem augmentum, & de ratione.*
6 *Aſſertioni Papæ fides præſtanda venit.*
7 *Motus proprius B. Pii fuit tantummodo confirmatorius, ex confeſſione ipſorum Secretariorum.*
8 *Interpretatio Papæ ſucceſſoris ſummoperè attenditur in privilegiis conceſſis ab anteceſſores.*
9 *Dictio* Ad hæc *importat reſtrictionem ad præcedentia.*
10 *Ea interpretatio ſumenda eſt, quæ excludat contradictionem, & correctionem.*
11 *Verba famulatoria non inducunt novam diſpoſitionem.*
12 *Verba debent inſervire intentioni, & ab ea regulari.*
13 *In confirmatione ſi apponantur verba, quæ primam conceſſionem extendant, non attenduntur, ſed præſumuntur erronea.*
14 *Motus proprius B. Pii ampliat Conſtitutionem Innocentii in eo, quod mandat reſtitui totum id, quod fuit ſolutum Datariæ, unà cum expenſis.*
15 *Verbum* reſtituere *ſignificat reddere, & retrodare.*
16 *Verba* emiſſe, & habuiſſe, *in quibus verificentur.*
17 *Verbum* reſtituere *non poteſt verificari in refectione damnorum, & intereſſe.*
18 *Verba* reſtituendas, *ſeu* erogandas, *de quibus in Motu proprio, quomodo ſint intelligenda.*
19 *Onus reſtitutionis, iniunctum per B. Pium in ſuo Motu proprio, eſt directum ad Cameram, aliàs Secretarii contra eam in vim dicti Motus proprii agere non poſſent,* & num. 20.
20 *Dictio* eos *ſtat demonſtrativè, quando coniecturæ concurrunt, & iuxta facti circumſtantias aliquando referuntur, aliquando non ad immediata.*
21 *In Conſtitutione Piana, ad quos referatur,* & numer. 22.
23 *Interventus conſanguinei ad auctorizandum actum minoris, vel mulieris ſibi in aliquo non præiudicat.*
24 *Reſignatarius recognoſcit officium à Papa, quoad titulum.*
25 *Pius Quintus non eſt præſumendus voluiſſe obligare Cameram ad reſtituendum pretium non acceptum, ad quod eam non obligavit Innocentius Octavus, & de ratione.*
26 *Quod ſtatuit in officio vacaturo aſſignato Collegio circa reſtitutionem pretii recepti, cenſetur facilius ſtatuiſſe in cæteris Officiis.*
27 *In reductione fructuum Montis Iulii mandavit reſtitui pretium Cameræ ſolutum, neglecto reſignationum augmento.*
28 *In reſciſſione contractus quis de iure non tenetur reſtituere, niſi quod recepit.*
29 Fagnan. in cap. ex epiſtolæ de probat. *explicatur.*
30 *Conceſſio merè gratuita reſtringi debet, ad hoc ut quantò minus fieri poteſt, corrigat ius commune, ſeu Conſtitutiones particulares.*
31 *Regiſtratio præſumitur, quoties inſimul concurrunt curſus longiſſimi temporis cum obſervantia.*
32 *Obſervantia tamen probanda eſt in puncto, de quo agitur.*
33 *Ex diligentiis factis in libris, ubi aliquid erat regiſtrandum, probatur negativa regiſtrationis.*
34 *Derogatoriæ appoſitæ in una parte Conſtitutionis, non ſuffragantur pro altera parte omnino ſeparata,* & num. 35.
36 *Confirmatio non ſuffragatur, quoties confirmans neſciebat nullitatem actus confirmati.*
37 *Clauſulæ ſupplentes non operantur circa defectus ignotos.*
38 *Cauſa oneroſa qualis eſſe debeat ad hoc, ut conceſſiones præſerventur à Conſtitutionibus revocatoriis.*
39 *De enormiſſima læſione Cameræ, quæ interceſſit in huiuſmodi Officiis,* & num. 40.
41 *Verba Motus proprii B. Pii Quinti ſunt perſonalia, & reſtringuntur ad Secretarios de eo tempore viventes,* & num. 42. & 43.
44 *B. Pius tam reſpexit ad tempus remotum ſuppreſſionis, quàm ad tempus proximum.*
45 *Ad dignoſcendum an gratia ſit perſonalis debet inſpici voluntas concedentis.*

R. P. IN deciſione 16. Junii, quæ revidetur, firmatum 1
fuit ex verbis Motus proprii B. Pii V. Rev. Cameram teneri reſtituere Dominis Secretariis pretium ab ipſis ſolutum pro officio obtinendo à Dataria, & reſignantibus reſpectivè, ſed venit recedendum, quia B. Pius, (ut infra probabitur,) ſimpliciter confirmavit Conſtitutionem Innocentii Octavii ſuper erectione Collegii, mandantem reſtitui ſummam ducatorum 62400. auri tunc ſibi perſolutam, de 2
natura enim confirmationis eſt addere robur confirmato, non autem illud extendere, Rota *deciſ.* 175. *num.* 8. *par.* 5. *deciſ.* 377. *num.* 18. & 25. *par.* 17. *rec.*

Verba autem Innocentianæ ſunt hæc, *ſi verò erit facta Officii revocatio, aut alteratio ut præmittitur, ad reſtituendum eis,* videlicet Secretariis, *ſupradictam integram ſummã* 62400. *ducatorum auri de Camera per ipſos ſoluta, &c. ſic enim cum ipſis Secretariis nos in tractatu omnium præmiſſorum conveniſſe, & ſic pacto expreſſo eis pro ſe ipſis, & eorum ſucceſſoribus fuiſſe ſolemniter pollicitos in fide Pontificis recognoſcimus, & atteſtamur.* Igitur niſi ſuperveniſſet Piana Conſtitutio, ex vi dictorum verborum Innocentianæ Cameræ reſtituere debuiſſet dictam ſummam in erectione Collegii acceptam, ut etiam latè probavimus *in reſtrictu Iuris ſuper ſecundo Articulo* §. *fortius, & ſeq. iuncto* §. *non cum duob. ſeqq.*

Neque ſubſiſtit, quod expreſſio dictæ quantitatis ducatorum 62400. non ſit taxativè appoſita, & per modum negativum majoris ſummæ, ſed demonſtrativè ad id, quod Secretarii perſolverunt, ex Gabr. *conſ.* 64. *num.* 5. *lib.* 2. inferendo exinde, quod Bulla non loquatur in caſu, in quo verſamur, augmenti ſcilicet Officiorum, *ut in reſponſione facti* §. *expreſſo igitur.* 3

Etenim cum in contractu inter Sedem Apoſtolicam, & Secretarios, ſtipulantes etiam pro eorum ſucceſſoribus, conventum fuerit, quod in caſu ſuppreſſionis Officiorum

debeat

debeat reſtitui integra ſumma 62400. ducatorum auri de Camera per ipſos ſoluta, ut ex recenſitis verbis apparet, negari non poteſt, quin expreſſio dictæ ſummæ reſtituendæ ſtet taxativè, ad excludendam majorem ſummam in ordine ad
4 Cameram, quæad talem reſtitutionem tenetur, cùm ſit de natura ſtipulationis, ut quis ad aliud non teneatur *l. prima* §. *ſi ſtipulant ff. de verbor. oblig.* Gabriel verò *alleg. conſ.* 64. loquitur in terminis diverſis, & ideò non applicatur, ut ex lectura.

Hinc corruit non ſolùm objectum, ſed etiam illatio exinde deſumpta, dum enim vigore dicti pacti, reſpicientis etiam Secretarios Succeſſores, Camera tenetur, data ſuppreſſione Collegii, reſtituere integram ſummam ducatorum 62400. caſu, quo pretium Officiorum decreviſſet, ita pari ratione cogi
5 non poteſt ad majorem ſummam, aucto eorum pretio, & hac ratione in extinctione locorum Montium non vacabilium Camera, ad formam ſuæ obligationis, reſtituit ſcuta centum pro quolibet loco in prima erectione habita, etiamſi ſucceſſivis temporibus ipſa loca medio tempore acquiſita ratione ſpolii, vel inter bona vacantia vendiderit pro pretio currenti, quod cùm ſit notorium, non indiget juſtificatione.

Nec tranſit abſque admiratione repetita aſſertio, quod aſſecuratio à ſimplici diminutione pretii futura eſſet penè inutilis, cùm in caſu decrementi Camera non potuiſſet cogi ad ſuppreſſionem, nec certè ſuppreſſiſſet, ceſſante propria utilitate, *& rurſus ideò enim* Camera nuper ſupprimere voluit hæc officia reddentia in fructu annua ſcuta 40. mil. circiter, quia maximam retrahebat utilitatem, imburſando adeò ingentem annuum reddituum, aliàs certè non ſuppreſſiſſet, quando altera ſuppreſſio, de qua agitur (prout cæteræ, apparet facta ex urgentiſſimis cauſis, publicum bonum reſpicientibus, ut habetur in principio contrariæ
6 deciſionis, & legitur in Motu proprio Sanctiſſimi ſuperius impreſſo, cujus aſſertioni omnimoda fides præſtanda venit, *Clem. prima de probation.* Rota *deciſ.* 1784. *num.* 59. *coram Coccino*.

Quod autem Beatus Pius in ſecunda parte Motus proprii, ubi extant verba, ſuper quibus ſe fundat deciſio, quæ revi-
7 detur, confirmaverit Innocentianam Conſtitutionem, ut diximus, diſponentem de reſtitutione pretii in caſum extinctionis Collegii, & concedentem diverſa privilegia, probatum fuit in facti ſpecie §. *Succeſſivè verò cum ſeqq.* tam ex verbis, & clauſulis ibidem extenſis in ſimilibus confirmationibus apponi ſolitis, quàm etiam ex eo, quod expedito Motu proprio, qui ſupra regiſtratur vigore facultatis expediendi Brevia ad partes, Collegium duo expediri curavit, unum in executionem contractus contenti in prima parte, & alterum ſuper ſecunda parte continente confirmationem privilegiorum Collegii, quæ pariter ſupra inſeruntur, unde infertur, quod pars adverſa falſa fuerit ſecundam partem Motus proprii continere ſimplicem confirmationem Conſtitutionis Innocentii Octavi, & privilegiorum Collegii, dum deſuper ſeparatim reportavit Breve, quod etiam imprimere fecit in libro Statutorum fol. 113. ſub rubrica Breve alterum ejuſdem Pii, ſumptum ex eodem ſupra impreſſo Motu proprio ſuper confirmatione privilegiorum, & illorum concernentibus.

Præterea ceſſat omnis difficultas ponderando, quod in Brevi Gregorii Decimiquinti ex adverſo exhibito, quodque ſuperius reperitur impreſſum, narravit, quod Beatus Pius fecit antedictam confirmationem Collegii per ſuas litteras, volens autem illas regiſtrare in eodem Brevi ibidem non inſervit Motum proprium, nec minus Breve expeditum ſuper illius prima parte reſpiciente reintegrationem Collegii de Officio à Beato Pontifice per errorem vendito, ſed ſolummodo de verbo ad verbum deſcripſit Breve ſuper ſecunda parte Motus proprii incipien. Romani Pontificis, in quo divina diſpoſitione, &c. quia iſtud continebat confirmationem ab ipſo narratam. Et quia pars adverſa nimis ſtrictè, & mutilatè dedit *in ſecundo Summario impreſſo ſub num.* 3. præfatum Breve Gregorii, ideò per extenſum po-
8 nitur *in Summario huius replicationis num.* 1. In materia autem privilegiorum interpretatio Papæ ſucceſſoris, & ipſius partis eſt ſummoperè attendenda, Alciat. *in l. nominis, vel rei verbo rei num.* 4. *poſt medium ff. de verbor. ſignifi.* Barbat. *conſ.* 26. *num.* 11. *poſt medium lib.* 2.

Neque dicatur, quod idem B. Pontifex non ſe reſtrinxerit ad ſimplicem, & nudam confirmationem, inſpectis illis verbis *Ad hæc dictos Secretarios, & Collegium amplioris favoris gratia proſequi volentes*, ſed ulterius progrediendo diſpoſuerit etiam reſpectu reſtitutionis pretii data ſuppreſſione Collegii, mediantibus verbis, ſuper quibus ſe fundat contraria deciſio §. *fundamentum enim*.

Siquidem Beatus Pius per verba proœmialia *ad hæc*, non reſpexit ad privilegia Collegio, & Secretariis conceſſa per anteceſſores, ſed ad primam partem ſui Motus proprii, in quo ultra plenariam reintegrationem Collegii reſpectu officii venditi, multos favores, & gratias illi fecerat, & ſignanter concedendo Secretariis facultatem erogandi in proprium commodum totum id, quod ultra ſcuta 5500. vendidiſſent officium eis aſſignatum. Ac etiam poteſtatem obligandi maſſam Collegii pro fructibus cenſus imponendi, quod etiam 9
reſultat ex dictione *ad hæc*, importante reſtrictionem ad præcedentia, Barboſ. *dict.* 8. *num.* 1. aliàs ſibi contradixiſſet, dum ſubindè confirmando conceſſa per Innocentium Octactum, & alios Summos Pontifices, addidit non ſolùm clauſulam, *quatenus Tridentini Concilii decretis non adverſentur*, ſed & alteram, *iiſdem modo, & forma, quibus per dictos prædeceſſores conceſſa fuerunt*, interpretatio autem ſumenda 10
eſt, quæ excludat contradictionem, & correctionem, Rota coram Durano *deciſ.* 82. *num.* 21. & coram Coccin. *deciſ.* 2338. *num.* 5. *& 6. cum aliis allegatis in Reſtrict. Iuris ſuper ſecundo articulo* §. *Alterum cum ſeq.*

Quam quidem voluntatem Beati Pontificis non alterandi privilegia Collegii, probant etiam alia verba, ibi, *Volentes illa per nos, aut Romanum Pontificem revocari, reduci, alterari, aut moderari, &c.* Unde fatendum venit, quod cætera 11
verba, quæ immediatè ſequuntur, ponderata in contraria deciſione, ibi, *Seu Collegium ipſum ſupprimi, vel extingui non poſſe, niſi reſtitutis*, famulari debeant præcedenti confirmationi, Giovagn. *conſ.* 36. *num.* 16. *lib.* 1. Coccin. *deciſ.* 294. *nu.* 7. Merlin. *deciſ.* 890. *num.* 10.

Maximè quia, dum ex ſupradictis habemus claram mentem Pontificis, quod volebat privilegia per Innocentium, & cæteros ſuos anteceſſores conceſſa firmare, iiſdem modo, & 12
forma, quibus per ipſos conceſſa fuerunt Collegio, & Secretariis, verba inſervire debent intentioni, & ab ea regulari *l. Inſulani ff. de præſcrip.* Roland. *conſ.* 96. *num.* 39. *lib.* 1. Seraphin. *deciſ.* 794. *num.* 6. & in terminis confirmationis, quod verba ultra conceſſionem primam importantia non at- 13
tendantur, cùm cenſeantur appoſita per errorem, Surd. *conſ.* 105. *num.* 26. Cyriac. *controv.* 128. *num.* 82. & 85. Rota *deciſ.* 354. *num.* 8. *par.* 17. cum aliis allegatis in reſtrictu Juris ſuper ſecundo articulo §. *Alter etiam*.

Sed dato, non tamen conceſſo, quod Beatus Pontifex occaſione confirmandi privilegia Collegii voluerit etiam novam gratiam facere Secretariis, in ordine ad reſtitutionem pretii officiorum in caſu illius ſuppreſſionis, mediantibus verbis relatis in contraria deciſione, ibi, *Collegium ipſum ſupprimi, vel extingui non poſſe, niſi reſtitutis prius realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis tunc viventibus integrè, & abſque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*, dicimus germanum ſenſum dictorum 14
verborum eſſe, quod Rev. Camera loco reſtituendi ſummam 62400. ducatorum auri, ad formam Innocentianæ Conſtitutionis, DD. Adverſariis reſtituat totum id, quod ipſi, vel eorum Auctores ſolverunt Datariæ, unà cum expenſis ad formam Motus proprii Sanctiſſimi ſuperius regiſtrati, abſque eo, quod exindè inferri poſſit, ut debeat quoque ſolvere pecunias per DD. Secretarios exburſatas reſignantibus, ut præſupponit contraria deciſio §. *fundamentum enim cum ſeqq.*

Verbum enim reſtituere, de quo, ibi *Niſi reſtitutis pecuniis*, de ſui natura, & ex propria ſignificatione importat red- 15
dere, & retrodare, ſicut admittit deciſio, quæ reviderur §. *nec verbum illud*, ibi, *licet verbum reſtituere de ſui natura ſignificet reddere, & retrodare, iuxta text. in l.* 1. §. *eleganter ff. depoſit.* cum aliis ibi allegatis, & plenè hoc idem probatur in reſtrictu ſuper primo articulo §. *primo cum ſeqq.* ubi quod Beatus Pius eodem verbo uſus fuit pluries ante dicta verba; 16
Cætera verò, ibi, *pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*, pariter verificantur in Secretariis, qui per ſe ipſos, vel per eorum Auctores officia emerunt à Dataria, & reſpectivè in Archiboſpitale Sancti Spiritus in Saxia, & Capitulo Sancti Euſtachii, dum eorum officia acquiſiverant, mediante permutatione, ut in prima poſitione Cameræ juſtificatum fuit.

Primò non ſubſiſtit, quod Beatus Pontifex aliquando etiam uſus fuerit verbo ſolvere pro reſtituere, ibi, *& ſi dictum Collegium ſuper præmiſſis turbaretur ad ſolvendum cum effectu dictam ſummam* 5500. *ducatorum unà cum damnis*, 17

Card. de Luca de Offic. Venal. &c.

& interesse passis, nam respectu damnorum, & interesse non verificabatur verbum restituere, & ideo summa ratione Papa eo usus non fuit, prout fecit, quando propriè agebatur de restitutione, ut in dicto restrictu, locis allegatis.

Qua ratione corruit etiam objectum fundatum in aliis verbis, ibi, *Præterea ijsdem Secretarijs, ut commodius pecu-*
18 *nias dicto Ferdinando Cardinali pro nobis, & nomine nostro restituendas, seu erogandas reperire valeant*. Etenim B. Pontifex propriè fuit locutus, congrua congruis adaptando, dum dixit *pro nobis, & nomine nostro restituendas, seu erogandas* in ordine ad Secretarios, qui cùm nihil receperint, ad aliquam restitutionem non tenebantur, ut dicit decisio, quæ revidetur §. *Quod autem*.

Secundo non obstat, quod supradicta verba, ibi, *nisi re-*
19 *stitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis tunc viventibus integrè, & absque ulla diminutione pecunijs*, non sint directa ad Cameram, sed ad Secretarios, quorum respectu verificatur verbum restituere, etiam respectu pecuniarum solutarum resignantibus. Quia objectum tollitur ex dilemmate.

Vel enim Papa mandando, quod Camera non deveniat
20 ad suppressionem Collegii, *nisi restitutis prius singulis Secretariis pecunijs, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit*, direxit onus restituendi ad Cameram, prout germanus sensus importare videtur, & tunc firmum remanet motivum, fundatum super proprietate verbi *restituere*; vel tale onus restitutionis Papa Cameræ non injunxit, ut ex adverso dicitur, & hoc casu DD. Secretarii, vigore Motus proprii Beati Pii contra eam agere non possunt, sed debebunt recurrere ad Innocentianam Constitutionem, sive ad dispositionem Juris communis, vel actionem intentare contra alios, quos de Jure; Interim autem recedendum venit à decisis, attento quod decisio tantummodò se fundat in verbis Pianæ Constitutionis relatis in §. *fundamentum autem cum seqq.* & quia dilemma videtur indissolubile, supplicamus pro benigna ponderatione.

Tertiò non subsistit, quod Camera ex vi dictorum verborum Motus proprii Beati Pii, ibi, *nisi restitutis singulis Secretariis pecunijs, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit* non teneretur restituere pretium officiorum, nisi Secretariis, qui immediatè pretium solverunt Datariæ, prætextu, quod dictio *eos* sit relativa ad Secretarios antecedenter nominatos, non autem ad illorum Auctores. Quia similes dictiones relativæ, habita ratione ad qualitatem actus, cui apponuntur, & ad facti circumstantias, intelligi debent, & ideo aliquando stant taxativè, aliquando declarativè, & sæpè referuntur ad immediata, & aliquando non, Menoch. *cons.* 349. *num.* 19. Barbos. *diction.* 177. *nu.* 2. & confert Rota *dec.* 296. *nu.* 3. *par.* 4. *rec.*

In præsenti B. Pius confirmavit Constitutionem Innocentii, ubi dicitur ad restituendum *eis*, videlicet Secretariis,
21 vel Auctoribus, & in supplicationibus venditionum, & resignationum Papa subrogat in locum mortui, vel dimittentis, & ulterius concurrit necessitas referendi dictionem supradictam *eos*, tam ad Secretarios immediatos, quàm mediatos; non solùm si Camera teneretur restituere tantummodò pretium Datariæ solutum, sed etiam (si juxtà sensum partis) deberet solvere pecunias solutas resignantibus, ne aliàs sequatur absurdum, quod nihil veniat restituendum possidentibus per resignationes merè gratuitas, cum sola translatione tituli, regulariter fieri solitas de patre in filium, & de patruo in neporem.

Insuper plures emunt officia sub periculo vitæ alterius non habentis, nisi nudum nomen, reservata sibi facultate disponendi, & percipiendi fructus, qui quidem reservatarii de-
22 cedentes in proprios hæredes transferunt hujusmodi facultatem, & in casum suppressionis restitutio pretii non fit titulari, sed reservatariis, & ipsis prædefunctis, illorum hæredibus, sicuti videre est in Bullis suppressionum, ac etiam altera Sanctissimi aliàs per extensum data §. *& insuper*; unde juxta prætensionem partis interpretata dictione *eos* pro personali, nec minus dictis hæredibus esset facienda restitutio, quod similiter esset notabile absurdum, & ideo ne dicamus, quod possidentibus officia per similes resignationes nihil veniat restituendum, recurrendum venit ad pretium solutum per auctores; & sic ad illos referendo dictionem *eos*, ut ex allegatis.

Quartò vis fieri non potest in eo, quod Summi Pontifices admiserint resignationes officiorum, de quibus agimus. Quia hujusmodi admissiones operantur, quod titulus officiorum, qui non est in commercio, sine auctoritate Papæ, transferatur de persona in personam, sed non exindè inferri potest ad aliquod præjudicium Cameræ in ordine ad approbationem pretii, prout à simili interventus consanguinei ad au- 23
ctorizandum actum minoris, vel mulieris sibi in aliquo non præjudicat, Gratian. *discept.* 831. *num.* 3. *ad* 10. Buratt. *dec.* 252. *num.* 2. maximè quia in supplicationibus desuper fieri solitis non exprimitur quantitas pretii, cujus contrarium practicatur in supplicationibus venditionum Datariæ, & sic impossibile est, quod pretium approbetur à Papa, dum ab eo ignoratur.

Reverendiss. Dominus de Luca, ex adverso allegatus, in discursu facto cum ratione motivandi ad eruendam veritatem, firmat solùm, quod resignatarius recognoscit officium à Papa, optima quidem ratione, quia quoad titulum, 24
non est in commercio, in duobus verò successivè publicatis, vivis rationibus, de more, concludit hujusmodi resignationes in nihilo præjudicare Cameræ, unde illis, nón primo in omnem casum deferendum videtur.

Non solùm autem ex proprietate verborum Motus proprii Beati Pii, & toto contextu Camera non tenetur restituere DD. Secretariis, nisi quod solutum fuit Datariæ, ex prædictis, & aliis latius deductis in restrictu juris super primo articulo, sed etiam inspecta mente, & intentione ejusdem Pontificis, desumpta ex pluribus cumulatisin restrictu juris super secundo articulo, modò non repetendis, nisi ad tollendas responsiones partis.

Primò igitur repetimus. Innocentius Octavus in redemptionem Mitræ Pontificalis, & Jocalium recepit à Secreta- 25
riis summam 62400. ducatorum auri, & eamdem summam receptam restitui mandavit, data suppressione Collegii, qua igitur ratione dici potest, quod B. Pius, qui solùm mutuò recepit scuta 5500. auri, pro quibus dedit pingue assignamentum, voluerit quod Camera restitueret Secretarii quod non recepit?

Responsio autem data, quod Innocentius non disposuerit restitui debere, suppresso Collegio, taxativè præfatos ducatos 62400. in erectione per Secretarios exbursatos, superius rejecta fuit §. *neque subsistit cum seq.*

Secundò Beatus Pius, casu, quo Collegium molestaretur 26
per Cameram super officio vacaturo, assignato pro dictis scutis 5500. sibi mutuatis, voluit Cameram teneri illi restituere eamdem summam receptam cum damnis, & interesse passis, ergo facilius dicendum venit voluisse restitui pretium receptum in casum suppressionis Collegii permissæ, & conventæ in illius erectione.

Nec urget responsio, quod in primo casu deberentur damna, & interesse, non solùm quia hoc de jure inest ob contraventionem, & fidem ruptam, sed etiam quia dicta summa mutuata à Secretariis recepta fuerat ad interesse, & sic congrua erat dicta refectio, neutrum autem concurrit respectu suppressionis Collegii.

Tertiò, Quartò, Quintò } non datur exadverso particularis responsio.

Sextò pariter repetimus observantiam B. Pii reductioni 27
fructuum Montis Julii vacabili non acquiescentibus mandavit restitui scuta centum, quæ soluta fuerant Cameræ in prima erectione, non obstante quod pretium posteà fuerit auctum.

In responsione negatur talis observantia, ex quo in Bulla Beati Pii, edita die 7. Martii 1569. de tali augmento pretii non sit facta litteralis mentio, ipsi autem replicamus, quod tale augmento clarius resultat ex Bulla Alexandri Septimi super suppressione ejusdem Montis Julii, & aliorum vacabilium, ut ex ejus Motu proprio de anno 1655.

Septimò, quod intentioni Cameræ assistit dispositio juris communis, quoties enim contractus rescinditur, seu reno- 28
vatur, nil aliud restitui debet, quàm quod fuit receptum, *l. si diversa, C. de transact. l. Prædiorum* 10. *Cod. de præd. minor.* Menoch. *cons.* 644. *num.* 2.

Neque contrarium firmat Fagnan. *exadverso allegatus in* 29
cap. epistolæ de prob. Quinimò facit pro hac parte nam sub *num.* 9. positis Bullis Officiorum, & locorum Montium permittentibus illorum suppressionem, ac etiam supposito, quod eadem officia, & loca Montium successivè vacantia Camera majori pretio, quàm in primæva concessione vendide-

diderit, quærit an possit Camera illa redimere pro pretio, quo in prima erectione vendita fuerunt, vel potius pro pretio ultimarum venditionum, & *num.* 11. ait, *videtur dicendum* (sunt verba propria) *redemptione fieri deberi pro pretio, quo fuerunt ultimo loco vendita per Cameram, non autem pro pretio, de quo in erectione, &c.* & deindè subdit *aliàs emptor esset in damno, quia non consequeretur pretium à se solutum Cameræ Apostolicæ, & Camera locupletaretur cum alterius iactura.*

Octavo loco fuit deductum, quod æquitas stat pro Camera, quæ agit de damno evitando, sed quia exadverso prætenditur assistere DD. Secretariis, de ea agemus in Memoriali ad partem dato, cum calculo super læsione.

Nonò, quod Motus proprius B. Pii in secunda parte, ubi extant verba controversa, continet, ut probavimus, meram gratiam, & proinde restringi debet ad hoc, ut quanto minus fieri potest, corrigat jus commune, & Innocentianam Constitutionem in præjudicium Cameræ.

Pro responsione exadverso negatur, quod Cameræ assistat jus commune, & suffragetur Constitutio Innocentii, sed jam fuit satisfactum superius §. *verba autem cum seqq. & §. septimo cum seq.*

Decimò
Undecimò
Duodecimò
Decimotertiò
Decimoquartò
} non datur exadverso responsio particularis.

Decimoquintò ostendimus agi de maximo præjudicio Cameræ, sed quia illud exadverso negatur ideo in memoriali ad partes cum calculo dato justificabitur enormissima læsio.

Modò deveniendo ad tertium articulum in restrictu juris desuper facto, diximus, quod si Beatus Pontifex injunxisset Cameræ onus solvendi DD. Secretariis etiam pretium exbursatum resignantibus, talis gratia, uti præjudicialis Cameræ, fuisset nulla ob defectum registrationis, & derogationis regulæ de jure quæsito non tollendo, & ulterius remansisset comprehensa sub Bullis, & Regulis Cancellariæ revocatoriis, & tandem, uti enormissimè læsiva, non esset attendenda, ex plenè ibi allegatis §. 1. *cum seqq. usque ad fin.* Dicitur exadverso, quod registratio præsumitur ad instar Beneplaciti Apostolici, quando insimul concurrunt, ut hic, cursus longissimi temporis cum observantia, desumendo observantiam ab exequutione Motus proprii B. Pii in aliquibus partibus, ut in responsione facti, sed talis responsio nullius est momenti.

Tum quia observantia probanda venit in puncto, de quo agitur, nempè in parte gratiæ requirentis beneplacitum, sicuti pluribus allegatis in specie, firmavit Rota *dec.* 39. *nu.* 29. *& seqq par.* 8. *& dec.* 350. *nu.* 18. *part.* 16. *rec.* in præsenti autem gratia, quæ erat registranda respicit casum suppressionis Collegii, ut supra ostensum fuit, & sic impossibile est desuper justificare observantiam.

Tum etiam quia Motus proprius B. Pii, ac Brevia illius vigore ad partes expedita, usque de anno 1587. fuerunt cum statutis Collegii impressa, nempè Motus proprius fol. 106. & in margine sic dicitur *registratus in regestro ordinationum lib.* 5. *fol.* 16. *Primum Breve fol.* 111. & in margine leguntur hæc verba, *Breve signatum est in saccula iterum in Archivio.* Aliud verò fol. 113. ubi adest similis marginatura, ex quibus infertur, quod si in Camera fuissent registrata, de tali registratura etiam ibidem ageretur, hoc addito, quod in Archivio Collegii hodie nec libri registrationum, nec sæcula, ut supra enunciata reperiuntur.

Tum demùm, quia factis diligentiis in libro Cameræ non reperitur registratio, nec Motus proprii, nec minus Brevium, ut ex attestatione data, & sic probata remanet negativa non registrationis, per quam tollitur simplex præsumptio in contrarium adducta, Greg. *dec.* 287. *nu.* 4.

Derogatio verò regulæ de jure quæsito non tollendo, desumitur ex derogatoriis Motus proprii Beati Pii, ibi, *non obstantibus fel. record. Pauli Tertii de rebus Ecclesiæ non alienan. ac nostræ de non obligandis, & pignorandis fructibus Romanæ Curiæ &c. & aliis respectivè regulis editis, vel edendis, & respectivè Brevi expedito super confirmatione privilegiorum*, ibi, *non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam Motu simili in contrarium quomodolibet facien.* illas injungendo insimul ad effectum ostendendi, quod Papa voluerit facere concessionem, & gratiam Cameræ præjudicialem, in tantum, ut non requireretur expressa derogatio præfatæ regulæ, ex allegatis in responsione facti §. *derogatio autem.*

Hujusmodi autem prætensio tollitur ex facto, animadvertendo, quod hodie agitur de secunda parte Motus proprii, continente confirmationem privilegiorum, unà cum verbis, quæ causam dederunt liti, super qua Collegium expedivit Breve ad partes, in quo cum non legantur derogatoriæ, ex quibus non apparet Papam voluisse facere gratiam Cameræ præjudicialem, ut in responsione partis *dicto §. derogatio*, & videri potest in ipso Brevi, non applicatur supradicta conclusio, quidquid sit si ageretur de prima parte Motus proprii respicientis reintegrationem Collegii, ubi extant derogatoriæ speciales, de quibus supra.

Confirmationes verò Sixti Quinti, & Gregorii Decimiquinti datæ in Summario partis *numero* 2. & 3. suffragari non possunt, dum eisdem Pontificibus non fuit narrata nullitas gratiæ Beati Pii resultans ex defectu registraturæ, & derogationis regulæ de jure quæsito non tollendo, Rota *dec.* 175. *num.* 7. *par.* 5. *& dec.* 56. *num.* 15. *& 16. par.* 8. *recent.* sicuti etiam clausulæ supplentes non operantur in ordine ad defectus non notos, Barbos. *de clauf. clauf.* 177. *numer.* 10. non obstante, quod tam per Sixtum, quam etiam per Gregorium fuerit derogatum Bulla Pii Quarti de registrandis, quia hoc legitur secutum in ordine ad registraturam propriarum Constitutionum, Summario partis *locis allegatis.*

Altero motivo, quod data validitate gratiæ Beati Pii, adhuc illa uti evidenter præjudicialis Cameræ caderet sub Bullis, & regulis revocatoriis, responsum fuit illud non intrare, stante quod Gregorius Decimusquintus in citato Brevi, confirmando, & innovando omnia privilegia, gratias, emolumenta, & jura Collegio concessa, tam à Beato Pio, quàm ab aliis prædecessoribus, declaravit supradicta omnia intelligi debere concessa ex titulo, & causa verè onerosa, ut in responsione facti §. *ac ulterius cum sequenti*, quæ responsio tollitur considerando, quod Summi Pontifices in supradictis Bullis revocatoriis præservarunt solùm ea, quæ concessa sunt ex causa verè onerosa, scilicet congruæ solutionis pecuniarum Cameræ factæ, postea quam causa verè onerosa in plena Camera probata fuerit, citato Commissario Cameræ, ut videre est *in Constitutione* 38. *Vrbani Octavi* §. 29. *& Innocentij Decimi* 13. §. 32. *Bullar. novo tom.* 4. *& 5. respectivè.*

Maxima, atque enormissima læsio Cameræ in restrictu juris super tertio articulo §. *genericè*, desumpta fuit ab exuberanti emolumento, & excrescentia, propter quam officia sæpissimè resignabantur vigore facultatis Secretariis concessæ, etiam in infirmitate, adeout rarissimè vacarent, & redacta fuerint ferè adinstar non vacabilium, in maximum damnum, & detrimentum ejusdem Cameræ, ut latius in §. *ex alio etiam capite, iunctis sequentibus.*

Et quia in responsione facti exadverso data §. *postremò*, negatum fuit assumptum respectu utriusque partis, & respectivè in Summario ejusdem responsionis *num.* 6. datus fuit calculus ad probandum quid Camera receperit ab ipsa erectione Collegii à Secretariis, propterea ad verificandum dictum calculum, & assumptum Cameræ, recursum habuimus ad libros Archivii Collegii, sed frustra, & absque effectu, propter illorum deficientiam, cùm solummodò repertæ fuerint divisiones fructuum, & sic patet, quod calculus partis non est justificatus, & justificari non potest, & ideo non attendendus.

Cæterum restringendo enormissimam læsionem ad 14. officia, de quorum pretii restitutione hodiè agimus, credimus illam plenè probari ex novo calculo, undequaque justificato, ex dictis divisionibus, & aliis in Archivio repertis, ad partes unà cum memoriali super læsione dato.

Tandem in restrictu juris super quarto articulo deduximus, quod quatenus verba Motus proprii Beati Pii interpretari possent, quod Camera ultra receptum deberet etiam restituere pretium per Secretarios solutum resignantibus, quod absolutè negamus, versaremur in vera donatione solùm verificabili respectu Secretariorum, existentium de tempore Motus proprii, & suppressionis Collegii respectivè, non autem in eorum successoribus, attentis verbis merè personalibus, & causa, à qua Motus fuit Beatus Pontifex, mutui nempè scutorum 5500. auri, ex allegatis *in §. primo igitur cum sequentibus.*

Ne-

Neque urget responsio exadverso data, quod nempè Papa antecedenter mentionem fecerit Collegii, comprehen-
42 dentis etiam futuros Secretarios, & signanter ibi, *Volentes, statuentes illa nullo unquam tempore per nos, aut per Romanos Pontifices pro tempore existentes revocari, &c. seu Collegium ipsum supprimi, vel extingui non posse, nisi restitutis &c. singulis Secretariis tunc viventibus &c. pecunijs, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit.*

Quia objectum potius retorquetur ex modo discretivo loquendi, Papa enim dum voluit comprehendere Secreta-
43 rios tam viventes, quàm eorum successores, mentionem fecit Collegii, dum verò gratitudinis causa voluit Secretariis, à quibus receperat mutuum, facere gratiam, de qua agimus *dixit Collegium supprimi non posse, nisi restitutis singulis Secretarijs tunc viventibus pecunijs &c.* & insuper considerandum venit, quod verba illa *tunc viventibus* fuissent superflua, quoties restitutio debuisset fieri Secretariis simpliciter, prout observatum fuit in dicto restrictu §. *hoc etiam.*

Minus subsistit, quod Beatus Pontifex respexerit ad tempus remotissimum suppressionis, quæ post sæcula evenire
44 poterat, adeout impossibile sit cogitasse, quod aliqui ex Secretariis tunc viventibus adessent tempore suppressionis, nam contrarium desumitur ex recensitis verbis Motus proprii, ibi, *volentes illa nullo unquam tempore per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, &c. Collegium ipsum supprimi.* Considerando enim casum suppressionis tam ab ipso faciendæ, quàm per successores respexit utrumque tempus, proximum nempè, & remotum, & sic gratia poterat habere suum effectum, viventibus adhuc aliquibus Secretariis, erga quos munificentiam exercere voluit.

Ultimo loco dicitur, quod verba Motus proprii Beati Pontificis, ibi, *Nos promptam Secretariorum voluntatem gratam habentes*, dici non possunt personalia, cùm exbursatio pecuniarum esset facienda mediante censu per Collegium imponendo. Quia ad dignoscendum, an gratia sit personalis, nec ne inspici debet mens, & voluntas concedentis, quæ 45
à verbis declaratur, ultra quod advertendum est, quod fructus ejusdem census solvi debebant ex redditibus massæ, & sic à Secretariis tunc viventibus, donec idem census redimeretur ex pretio officii Collegio assignati, & ab ipso vendendi.

Quare &c.

Sanctes de Pilastris R. C. Apost. Commiss. Generalis.

Replicatio Juris super primo Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

SVMMARIVM.

1 *ARgumentum desumptum ex proprietate verborum transfundit in Adversarium onus probandi contrariam disponentis voluntatem.*
2 *Nemo de iure tenetur restituere ultra acceptum.*
3 *Verbum* reddere *magis late patet, quam verbum* restituere.
4 *Restituere est propriè retrodare.*
5 *Propriè significat retribuere acceptum, &* numer. 9. *& 24.*
6 *Impropriè verificatur in solutione non accepti, & in quibus casibus id practicari possit, & nu.* 23.
7 *Aliquando importat solutionem, ut sustineatur actus, qui aliàs sustineri non posset.*
8 *Verba libelli sunt benignè interpretanda.*
10 *In materia favorabili* restituere *verificatur in eo, quod non fuit habitum.*
11 *Item in odium contravenientis, sed impropriè.*
12 *Sicuti in odium venditoris occultantis vitium latens, qui in actione redhibitoria tenetur restituere gabellam, licet ad eum non pervenerit.*
13 *Idem significat in odium emptoris, fructus percipientis non soluto pretio, in terminis leg. curabit. Cod. de action. empt.*
14 *Reint. gratio damni per filium passi in legitima propter evictionem, in iure vocatur restitutio.*
15 *Impropriè tamen, & extensivè.*
16 *In odium temerè litigantis refectio damnorum dicitur restitutio.*
17 *Restitutio verificari potest de re, quæ fingitur accepta, quamvis verè habita non fuerit.*
18 *Vt in dote promissa, & confessata.*
19 *Et in dote exacta à filio, quæ fingitur pervenisse ad patrem.*
20 *Procedit etiam in retractu prælativo, & quomodo.*
21 Restituere *significat idem, ac solvere.*
22 *Qui restituit, solvit, sed non è contra, &* numero 41.
24 *Propriè tamen restitutio verificatur tantum in accepto.*
25 *Maximè si restitutio fieri debeat à fisco.*
26 *Vbi deficit obligatio deficit actio.*
27 *Verba* emisse, *& habuisse denotant quemcumque modum acquisitionis.*
28 *Dictio* singulis, *& eos personalitatem significant.*
29 *Totum dicitur restituere, qui restituit integrum pretium à se receptum.*
30 *Suppletio admittitur, quando menti disponentis est consentanea.*
31 *Personalitas excludit repræsentationem.*
32 *Limita, quando ex hoc aliquod resultaret absurdum.*
33 *Resignatarius dicitur habere officium à Principe, non à resignante.*
34 *Declara quoad titulum officij, qui non est in commercio, non quoad approbationem pretii, de quo Princeps non curat.*
35 *In materia Datariæ standum est eius Officialibus, & expeditoribus.*
36 *Bald. cons. 424. lib. 2. declaratur.*
37 *Restitutio non verificatur, nisi in accepto.*
38 *B. Pius in suo Motu proprio pluries adhibuit verbum restituere in stricta significatione.*
39 *Datio in solutum verificari potest in eo, quod quis non accepit.*
40 *In discretiva dispositione, id, quod fuit dispositum in una parte, non potest trahi ad alteram.*
41 *Quare in Motu proprio B. Pius promiscuè usus fuerit verbis* solvere, restituere, *& erogare, &* num. 42.
43 *Actio ex empto non competit contra illum, cui non fuit solutum pretium, quod est præcipuum emptionis requisitum.*

R. P. AGnoscunt DD. exadverso scribentes, quanti roboris sit argumentum desumptum ex proprietate, atque naturali significatione verborum Cameræ 1
adsistens, ut latissimè ostensum fuit in primo restrictu, ex eo quia transfundit in ipsos necessitatem probandi contrariam fuisse mentem Beati Pii, & penitus destruit suppositum decisionis, quod dispositio Motus proprii sit adeo clara, & litteralis, ut interpretatione non indigeat *per Text. in l. ille aut ille, §. cum in verbis, ff. de legat.* 3. Ideoque totis viribus in responsione ostendere conantur significatum verbi *restituere*, in parte promissoria adhibiti, esse indifferentem, & verificabilem, etiam in solutione ejus, quod acceptum non fuit, si debitum supponatur, sed in vanum laboraverunt.

Præmisso siquidem, suppositionem debiti respectu summæ resignantibus solutæ esse meram principii petitionem, cùm neque attenta dispositione Juris, neque Con- 2
stitutione Innocentii Octavi, Camera in casu suppressionis præstare teneretur ultra acceptum, & imbursatum, ut latè probatum fuit in Informationibus præteritæ positionis, *& in secundo restrictu, §. fortius stringit*, & latius dicetur *in replicatione super eodem secundo articulo*; Itaut tali supposito corruente prorsus inapplicabiles deregantur auctoritates exadverso cumulatæ ad probandam talem extensionem significationis verbi restituere, fundatæ in præexistentia debiti.

Descendendo ad peculiarem illarum discussionem, advertendum est, quod ferè omnes DD. cumulati *in §. & sanè* loquuntur de significatu verbi *reddere*, quem magis 3
am-

amplum esse, probatum fuit *in nostro primo restrictu*, §. *nec contrarium*, & licet Eugenius *conf.*75. *numer.*22. firmare videatur pleniorem significationem habere verbum restituere, quàm reddere, idem tamen *num.*26. expresè profitetur, quod restituere propriè est retrodare, & melius *num.* 4 29. *vers. stante igitur*. Et hanc etiam differentiam inter verbum *reddere*, & *restituere* secundum propriam significationem admittit Tusch. *littera R. exadverso cit. conclus.*302. *numer.*7.

Aliqui verò, qui loquuntur de verbo *restituere*, ultra 5 quod ferè omnes admittunt ejus propriam significationem esse solum retribuendi acceptum, & solùm impropriè, & 6 extensivè in solutione etiam non accepti verificari, omnes, ut fuit prænotatum, supponunt clarum debitum respectu restituentis, vel procedunt cum suppositio, quod materia sit favorabilis, aut quia odiosa sit, atque pœnalis ob contraventionem, vel moram debitoris, ac tandem ubi lex fingit, aliquid acceptum fuisse, etiam si verè non fuerit acceptum.

In primo itaque casu loquuntur omnes auctoritates, quæ firmant talem interpretationem admitti pro sustinendo 7 actu, quia scilicet in libello petita fuit restitutio, quæ verè, & propriè non conveniebat, ut præ alii latè Rolan. *conf.*75. *à num.*7. *ad* 13. *lib.*2. reddens rationem *num.*11. *&* 12. quod libellus debet sustineri grosso modo loquendi, & omni 8 meliori modo quo potest, & illius verba sunt benignè interpretanda, & non ad subversionem, cum sustineri debeat omni modo, etiam improprio, unde supponit hunc esse significatum improprium, & in iisdem terminis loquitur Eugen. *dicto conf.*75. concludens *num.*23. *non erit ergo ab re, ut hic quoque restitui pro dari, sive tradi accipiatur, ut actus substineatur*, & numeris seqq. admittit germanam significa- 9 tionem verbi restituere esse accepti restitutionem, & pariter in materia favorabili loquitur Capyc. Latr. *conf.*2. sci- 10 licet de restitutione à Principe facta, tam quoad personam, quàm quoad bona, *ut num.*42. *&* 46. nec ibi agebatur de præjudicio Fisci, sed de facultate recuperandi feudum alienatum, cum pacto de retrovendendo, quod utique vigore pacti recuperari poterat à restituto in gratiam Principis.

In secundo verò casu procedunt *Tex. in l. si quis maior. C. de transact.* ubi in odium contravenientis transactioni, ju- 11 bet Imperator restitui pœnam, licet accepta non fuerit, id tamen fit impropriativè in odium contravenientis, ut explicat Gratian. *cap.*770. *num.*11. & verificari etiam posset restitutio, cum stante stipulationæ pœnæ fuerit acquisitum 12 Jus ad illius consecutionem. Prout etiam in odium venditoris occultantis vitium latens, contrà quem agitur actione redibitoria, procedit *Text. in l. debet ff. de Ædilit. edict.* mandans emptori restitui id, quod gabellæ nomine solutum fuit, licet ad venditorem non pervenerit, id enim fit ad resarciendum damnum emptoris, culpa venditoris passum, Eamdemque interpretationem recipit alter *Text. in l. Cura-* 13 *bit C. de act. empt. & vendit.* quæ pariter emanavit in odium emptoris fructus percipientis non soluto pretio, jubendo illud cum usuris restitui, quod tamen impropriè fieri advertit Rolan. *cit. conf.*75. *num.*10. *lib.*2. & adhuc in tali casu proprietas salvari potest, cùm usuræ subrogentur loco fructuum perceptorum, & pro illis restituendis. Similiter re- 14 integratio damni per filium passi in legitima, propter evictionem, restitutio vocatur *in l. scimus* 36. §. *Sancimus C. de inoffic. Testam.* non quidem propriè, sed extensivè in odium 15 defuncti, vel hæredis, qui debebat rem liberam tradere, & non evictioni obnoxiam, & in odium quoque temerè li- 16 tigantis præcipitur *in l. Sancimus C. de Iudic.* restitutio damnorum, quamvis enim ab illo recepta non fuerint, quia tamen ejus culpa causata fuerunt, meritò Imperator eum ad restitutionem damnat. Et in his pariter terminis procedunt DD. allegati *in* §. *eademque ratione* loquentes de restitutione damnorum, ac etiam Soccin. Sen. *conf.*90. *nu.*21. *lib.* 4. loquens in expressa conventione restitutionis, & refectionis damnorum & interesse.

In tertio casu, quando scilicet res fingitur accepta, quam- 17 vis verè habita non fuerit loquitur Eugen. *dicto conf.*75. *num.* 23. *vers.*3. *respondeti potest*, ubi pro salvanda proprietate, & competentia petitæ restitutionis recurrit ad fictionem Ju- 18 ris: Ac etiam DD. omnes loquentes de dote promissa, & confessata, videlicet Ruin. *conf.*197. *lib.*1. Altograd. *consil.* 30. *nu.*5. *lib.*2. *aliique adducti in* §. *Hinc in durioribus*, ea ratione, quia cùm dos habeatur pro exacta, benè super illa cadere potest restitutio; Eaque similiter optimè verificatur respectu Patris, qui consensit dotem exigi à filio, tunc enim lex fingit eam ad ipsum perveniss̃e. 19

Et in hoc pariter casu loquuntur DD. tractantes de retractu prælativo, & firmantes pretium restitui primo emptori, licet retrahens ab illo nihil acceperit; Ac etiam 20 juxta Constitutionem Gregorii Decimitertii *super Iure congrui* §. 9. benè procedere potest restitutio, quia vicinus retrahens subintrant in locum venditoris, qui pretium receperat.

Cæteri verò DD. extra aliquem ex his tribus casibus loquentes, nihil firmant contra Cameram, licet enim aliqui supponant verbum *restituere* significare idem ac solvere, & 21 præ aliis Gratian. *cap.*130. *num.*11. *& seqq. & dec. Marchiæ* 147. *num.*6. non tamen firmant hujusmodi verba esse inter se convertibilia, in quo consistit æquivocatio, nam de cætero non controvertitur, quod qui restituit solvit, ut probat 22 præfatus Auctor locis citatis; Quinimò ejus auctoritas retorquetur, nam *in cit. cap.*130. *nu.*12. *&* 13. obiicien. quod verbum restituere aliquando applicetur ei, quod nunquam 23 fuit receptum, respondit illud esse impropriè, *& in dicta decis. num.*2. absolvitur ab obligatione restituendi is, qui nihil receperat, & solum in utroque loco firmatur, quod restitutio requirit veram solutionem, itaut non sufficiat æquipollens.

Sublatis igitur omnibus in contrarium adductis, circa naturalem significationem verbi restituere, firma remanet conclusio, in nostro primo restrictu adducta, quod restitu- 24 tio propriè, tantùm verificatur in accepto, ut præter jura ibi adducta optimè respondit Rota *in Romana Hæreditatis* 9. *Februarii* 1680. §. *Idem enim rectè militaret coram R. P. D. Vrsino*. Idque indubitatum esse quoties restitutio fieri debet à fisco, qui regulariter restituere non tenetur, nisi quod ac- 25 cepit, ipsique incorporatum non fuit, sed ad aliorum manus pervenit, disertè probat Bald. *conf.*145. *nu.*3. *circa med. lib.*2. *ex gratia viden.*

Ad hanc insolubilem difficultatem evitandam conantur DD. exadverso scribentes ostendere, quod verba *nisi restitutis &c.* sint ad ipsos Officiales directa, non autem ad Cameram debitricem, sed hujusmodi pariter suppositum penitus corruit, quia cùm Cameræ sit concessa facultas supprimendi sub conditione restitutionis, utique obligatio censeri debet ad eam relata; Prout etiam ad illam fuit expresè directa in alio casu, quo fuit promissa restitutio, ut ostensum fuit *in restrictu huius primi articuli* §. *contrarium siquidem cum seq.* 26 Quod si obligatio non respiceret Cameram, nulla DD. Adversariis contra illam actio competeret vigore dicti Motus proprii B. Pii.

Neque hujusmodi germanam, & naturalem interpretationem impedire potest absurdum, exadverso semper inculcatum, & modò repetitum, quod si fieri deberet restitutio solius pretii accepti à Camera, ea nec conveniret omnibus, cum quamplurimi nihil illi persolverint, ut sunt omnes resignatarii, nec fieret integrè, & absque diminutione, ut promisit, atque præcepit B. Pius, adhibens consultò verba 27 *emisse*, vel *habuisse*, ad exprimendum quemcumque modum acquisitionis, aliaque personalitatem denotantia, sci- 28 licet *singulis*, & *eos*, ut ostenderet omnibus restitutionem fuisse promissam.

Huic enim adeò exagerato absurdo fuit præventivè in restrictu responsum à §. *nihil proindè usque ad fin.* & modò breviter repetimus, quod in executionem promissionis B. Pii restitutio fuit facta etiam resignatarii, qui successerunt in locum ipsorum Auctorum, à quibus Camera pretium recepit, & quibus integrè, & absque diminutione 29 fit restitutio, dum nihil de pretio recepto Camera apud se retinet, unde plenè dicitur restituere, quamvis non reddat pecunias solutas resignantibus, cùm eæ ad ipsam non pervenerint, ut in puncto restitutionis à fisco faciendæ, magistraliter probat Bald. *in dict. conf.*145. *num.*2. *vers. nam de eo lib.*2.

Suppletio verò, per quam Camera intendit solùm esse obligatam restituere pretium, quod ab Auctoribus resigna- 30 gnatariorum recepit, ne dum non est superflua, & correctoria, sed summoperè necessaria, & menti B. Pii consentanea; Cùm enim obligatio restituendi sit ad Cameram directa, eaque solùm verificetur in accepto, utique sine tali suppletione promissio verificari non posset de omnibus; Quinimò etiam juxta interpretationem partis adversæ, talis necessitas verificatur, cum dari possint casus, & de facto

facto dentur, quod aliqui per reſignationem acquiſiverint titulo lucrativo à parentibus, vel conſanguinei, quibus, niſi admittatur repreſentatio Auctorum, nihil eſſet reſtituendum.

Minuſque huic ſuppletivo intellectui repugnat perſonali-
31 tas deſumpta ex verbo *eos*, quæ videtur excludere repreſentationem Auctorum, ut enim reſponſum fuit in reſtrictu, §. *ſemper enim cum ſeq.* in Conſtitutione pariter Innocentii Octavi promittitur, in caſu ſuppreſſionis, reſtitutio ſummæ ſcutorum 62400. ab ipſis ſolutæ, quamvis Pontifex cogitare potuerit in tali caſu plures contingere potuiſſe reſignationes, itaut non viverent amplius iidem Secretarii, qui dictam ſummam ſolverunt, Et ſi
32 adhuc pars diverſa ſuſtinere vellet perſonalitatem, vigeret idem abſurdum, quod reſignatarii, qui gratuitò acquiſiverunt, nihil conſequi poſſent, ad quod evitandum ſemper recurrendum eſt ad repræſentationem Auctorum.

Verba pariter *emiſſe*, vel *habuiſſe* adhibita non fuerunt ad effectum approbandi pretium reſignantibus ſolutum, ſed ad effectum comprehendi alios modos acquiſitionis, quibus officia haberi potuiſſent à Camera, ut in reſtrictu §. *ſemper enim*, cùm non ſemper venderentur, ſed quandoque darentur in ſolutum, vel in pignus.

Non etiam relevat, quod reſignatarii cenſeantur habe-
33 re officium à Principe, per hoc, quod reſignans officium dimittendo in ejus manibus dicatur de medio ſublatus per extinctionem Juris, & officium de novo conferatur per ipſum Principem, ut auctoritate Illuſtriſſ. D. de Luca *in primo diſc. edito ſuper ſuppreſſione Collegij* pro Congregatione particulari, probant DD. exadverſo ſcribentes in §. *ſine difficultate*; Id enim verum, & incontrovertibile eſt, quoad titulum officii, quod cùm ſit de Regali-
34 bus haberi non poteſt niſi à Principe; At ex illo inferri nequit ad pretium, quod cum ſit in commercio, de eo Princeps non curat; Unde approbatio reſignationis non operatur, quod etiam pretium ſit approbatum, neque hoc firmavit dictus Illuſtriſſ. de Luca, & quatenus aliquid per modum motivandi, & excitandi difficultates ſuper hoc dixiſſet, utique præ valere debet ipſius auctoritas in ultimo diſcurſu magiſtraliter edito, & impreſſo, funditus examinata materia.

Omniſque difficultas ceſſat attento diſcretivo modo ſignandi ſupplicationes, quoties enim officia tanquam vacantia, immediatè emuntur à Dataria, Pontifex profitetur concedere officium, & creare Officialem, facta ſpeciali, & individua mentione de pretio; Quoties autem illa acquiruntur per reſignationem nihil dicitur de pretio, & reſignatarius ſupplicat ſolùm ſe ſubrogari, prout de facto unicè ſubrogatur in locum reſignantis; Unde manifeſtè conſtat, nedum repræſentationem Auctoris non eſſe fictitiam, ſed illam eſſe poſitivè ab ipſo Pontifice approbatam, ad quod ſupplicamus potiſſimè adverti, itaque diſtinctio probatur ab Officialibus, & expeditoribus
35 Datariæ, quibus in hac materia ſtandum eſt, Rota coram Celſo *deciſ.* 172. *à num.* 15. *deciſ.* 191. *num.* 11. *& dec.* 395. *num.* 10.

Obligatio pariter reſtituendi integrum pretium ſolutum
36 reſignantibus non deſumitur ſufficienter ex, doctrina Bald. *conſ.* 424. *libr.* 2. ea quippè nullatenus probat hoc aſſumptum, ut oſtenſum fuit in ſecunda Juris præteritæ poſitionis §. *neque etiam applicatur cum ſeqq.* Et cum in caſu noſtro promiſſa fuerit per Cameram reſtitutio, quæ non verificatur niſi in accepto, & incorporato, ut probat idem
37 Bald. *cit. conſ.* 145. *nu.* 2. *lib.* 2. non eſt de alia conventione quærendum.

Retortio argumenti deſumpti ex uſu loquendi Beati Pii, qui ſemper in hoc Motu proprio adhibuit verbum reſtituere in ſua propria, & ſtricta ſignificatione, commen- 38
ſurativè ad acceptum, de quo fit mentio, potuiſſet omitti; Ultra quod enim non ſemper habita fuit dicta expreſſa relatio, ea mirificè confirmat proprietatem ſignificationis, & animum illi inhærendi, à qua proindè B. Pontificem receſſiſſe non eſt dicendum in parte promiſſoria, & obligatoria, quamvis continente gratiam, & privilegium, quia ſi (ubi obligatio oriebatur ex contractu correſpectivo inter ipſummet Pontificem, & Secretarios inito, ut contingit reſpectu ſcutorum 5500. receptorum pro reſtituendo pretio officii venditi Cardinali Mediceo) promiſit ſolùm reſtitutionem accepti, multò magis ita intelexiſſe cenſendum eſt in caſu ſuppreſſionis Collegii, quatenus promiſſio intelligi poſſet ultra ſummam conventam in Conſtitutione Innocentii Octavi §. 23. quod de rigore non admittitur, reſpectu enim talis exceſſus, nulla dabatur obligatio, ſed promiſſio fuiſſet merè gratuita.

Nullius pariter robotis ſunt argumenta deſuptam ex datione in ſolutum officii primo vacaturi pro pretio aucto, ultra ſummam ſcutorum 5500. & ex promiſſione ſolutionis damnorum, & intereſſe in caſu turbationis circa illius venditionem. Quoad primum enim, quia aſſignatio officii, ejuſque pretii excedere poterat ſummam per Papam receptam, ideo adhibitum non fuit verbum *reſtituere*, ſed aſſi- 39
gnatio facta fuit per viam dationis in ſolutum, quæ benè verificari poteſt in exceſſu, non autem reſtitutio, & ita argumentum retorquetur.

Prout, & fortius retorquetur ſecundum, nam in promiſſione damnorum, & intereſſe Papa non adhibuit verbum *reſtituere*, ſed ſolùm verbum *ſolvere*, ut apparet ex verbis relatis per DD. ex adverſo ſcribentes §. *ſecundo Motu proprio*, & cùm ſolùm in dicto caſu talis promiſſio facta fuerit, & quidem cum cauſa valdè rationabili, quæ non militat in caſu ſuppreſſionis, utique ex eodem argumento diſcretivæ diſpoſitionis, non poteſt ad hunc ſecundum trahi, 40
ut probatum fuit in ſecundo reſtrictu §. *Quoniam ultra reſponſionem*.

Nihil relevat, quod contradiſtinctè promitti debuiſſet reſtitutio pretii, & ſolutio damnorum, & intereſſe, & non ſub unico verbo ſolvere, utraque promiſſio comprehendi, unde ex promiſcuo utriuſque verbi uſu parem ſignificationem inferunt DD. exadverſo ſcribentes. Quoniam æquivocatio eſt patens, cùm enim ex Juribus per ipſos allegatis reſtitutio expoſcat ſolutionem, utique verbum ſolvere reſtitutioni adaptatur, ſed quia hæc non invicem convertuntur, nam ſolutio etiam in non accepto verificatur, meritò, quando Pontifex voluit ali- 41
quid ultra acceptum promittere, uſus fuit verbo *ſolvere*, non autem *reſtituere*: Nec curandum eſt de apoſtilla adjecta in margine Motus proprii, cùm ejus littera ſit clara.

Eadem facilitate tollitur alia illatio, deſumpta ex promiſcuo uſu verbis *reſtituere*, & *erogare*, quod poſtremum importat idem, ac ſolvere, nam ultra reſponſionem modo tradi- 42
tam, obſervandum eſt, quod Secretarii duplicem perſonam repræſentabant in reſtitutione facienda Cardinali Mediceo, alteram procuratoriam, alteram propriam, & tanquam primam gerentes, optimè dicebantur *reſtituere*, tanquam ſecundam, potius ipſis adaptabatur *erogare*.

Tandem nullatenus ſubſiſtit, quod omnibus Secretariis competat actio exempto, quæ, tanquam bonæ fidei, latam tribuere poteſt ſignificationem verbo *reſtituere*: Reſignatarii quippè cùm emerint officium à Dataria, nec illi pretium ſolverint, conſequenter talem actionem contra illam exercere non poſſunt, nam ſine pretio contractus emptionis, & venditionis non datur.

Quare &c.

Proſper Archiepiſcopus Myren.
Fiſci, & Cam. Apoſt. Advoc.
Io. Baptiſta Bottinius Coadiutor.
N. Severolus S. C. Advoc.

L. Zacchias.
C. de Comitibus. } *Advocati.*
P. Pacionus.

Replicatio Juris ſuper ſecundo Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

SVMMARIVM.

1 P*Romiſſio certæ ſummæ reſtituendæ in caſu ſuppreſſionis, non excludit ſummam maiorem, ſi maior ſoluta fuerit per Officiales ſupprimendos.*

2 *Promiſſio reſtitutionis certæ ſummæ intelligitur taxativè, ſi apponatur in contractu, qui omnem extenſionem excludit.*

3 *Si maior ſumma ſit ſtipulata, & minor promiſſa, vel è contra, ſemper obligatio reſtringitur ad minorem.*

4 *Diverſus modus loquendi denotat diverſitatem intentionis.*

5 Fagnan. in capit. Epiſtolæ de probat. *declaratur*, & num. 11.

6 *Fiſcus non tenetur reſtituere, niſi pretium receptum.*

7 *Venditor in retrovenditione non tenetur, niſi ad reſtitutionem pretij recepti.*

8 *Pretium maius, conventum inter reſignantem, & reſignatarium, non valet immutare naturam Officiorum.*

9 *Debitor ceſſus tenetur reſtituere pretium acceptum, quamvis ceſſio facta fuiſſet vel pro maiori, vel pro minori pretio.*

10 *Augmentum proveniens ex conventionibus factis inter reſignantes, & reſignatarios, propriè non dicitur pretium*, & num. 18.

12 *Obſervantia interpretiva, quæ eſt vicinior actui, qui interpretatur, attendenda venit.*

13 *Maximè ſi deſumatur ex actibus ipſius diſponentis.*

14 *Mens diſponentis deſumitur ex eo, quod ipſe facere conſuevit.*

15 *Verba* Ad hæc *important reſtrictionem ad præcedenter expreſſa.*

16 *Verba* iiſdem modo, & forma *excluduntur omnem extenſionem.*

17 *Promiſſio B. Pij, ſi intelligeretur de reſtituendo id, quod Camera non accepit, eſſet mera donatio cadens ſub revocatorijs.*

CUm ad eliciendam voluntatem B. Pii, potiſſimè in ſecundo reſtrictu dixerimus, quod Innocentius Octavus (qui ſolus ante B. Pium loquutus fuerat de ſuppreſſione Collegii) mandaverit, & promiſerit in talem caſum reſtitui ſummam ducatorum 62400. idcircò DD. exadverſo ſcribentes toto, ſed inani conatu ſtudent hoc impugnare, ſub prætextu, quod Innocentius nil aliud in §. 23. fecerit, quàm aſſecurare, ne Secretarii damnum aliquod pati poſſent, ponderando, quod in margine dicti §. leguntur hæc verba *Aſſecuratio dictorum emolumentorum*; Adeoque ex 1 affirmativa promiſſione certæ ſummæ, in dictum caſum ſuppreſſionis, non excludatur ſumma major, ſed promiſſio intelligatur, quatenus poſtea major ſoluta non fuerit, ut ſupponitur, ita firmare in terminis pretii Officiorum Romanæ Curiæ, Mandoſ. *conſ.* 95. *nu.* 4. & Fagnan. *in c. ex epiſtolæ n.* 14. *& 15. de probat.* Additurque quod ita etiam in dubio Innocentiana ſit intelligenda, veluti continens gratiam, quæ proinde non potuit derogare juri, juxta cujus diſpoſitionem prætenditur reſtituendum eſſe totum id, quod ab Officialibus fuit erogatum, ſive Datariæ, ſive reſignantibus.

At hæ reſponſione nullius prorſus ſunt ponderis.

Negatur enim, quod Innocentius proceſſerit per viam gratiæ, dum fuit conventio, & pactum cum Secretariis pro ſe ipſis, & eorum ſucceſſoribus ſolemniter initum, ut oſtendunt verba dicti §. 23. in fin. ibi, *Sic enim cum ipſis Secretarijs nos in tractatu omnium præmiſſorum conveniſſe, & ſic pacto expreſſo eis pro ſe ipſis, & eorum ſucceſſoribus fuiſſe ſolemniter pollicitos, in fide Pontificis, recognoſcimus, &* 2 *atteſtamur.* Conventio autem, & contractus excludit omnem extenſionem, & operatur, ut promiſſio reſtitutionis certæ ſummæ intelligatur taxativè facta, vulgata *l. quid quid adſtringendæ, ff. de verb. obligat.* Dec. *conſ.* 423. *num.* 8. Manſ. *conſult.* 13. *ſub num.* 35. *verſ. imputare enim*, Rota *deciſ.* 759. *num.* 9. *part.* 4. *diverſ. & deciſ.* 172. *num.* 89. *& ſequent. part.* 6. *recent.* Adeout, etiamſi major ſumma ſit ſtipulata, & minor promiſſa, vel è contra, ſemper obligatio reſtringatur ad minorem, nec ultra prætendi poſſit juxta *Text. expreſſum in l.* 1. §. *ſi ſtipulante, ff. de verb. obligat.* Maximè dum Innocentius cogitavit etiam de tempore futuro, & remoto, & promiſſionem direxit, nedum erga Secretarios præſentes, ſed etiam erga ſucceſſores, quos veriſimiliter credere potuit emere poſſe officia à reſignantibus majori pretio. 3

Nihilque facit, quod in margine in principio dicti §. 23. fuerit adnotatum *Aſſecuratio emolumentorum*, quia hoc refertur ad primam partem, in qua Pontifex proſpicere voluit indemnitati Officialium circa emolumenta, dum bona fide crediderunt ſimplici verbo ſuo, atque ita, ut haberent ad minus ſingulis annis ſummam 8000. ducatorum auri, nec prædicta verba marginalia reſpiciunt ſecundam partem omninò diverſam, in qua conſideratur caſus revocationis, & ſuppreſſionis Officiorum, & promittitur reſtitutio pretii, prout diverſitatem denotat, nedum ſubſtantia, ſed modus loquendi, ut indicant verba illa, *Si verò erit facta Officij revocatio, &c.* 4

Nec contrarium dicunt DD. exadverſo allegati cum ſuppoſito, quod punctualiter loquantur in terminis pretii Officiorum Romanæ Curiæ.

Mandoſ. *etenim conſ.* 95. *num.* 4. loquitur de materia omninò diverſa.

Fagnan. *verò in cap. ex Epiſtolæ de probat.* tractat de Officiis, & Montibus vacabilibus, in quorum erectione aderat ſolum pactum de redimendo, non expreſſo certo pretio, ut dicit *num.* 9. & clarius *num.* 16. ac ideò non poteſt applicari Bullæ Innocentianæ, in qua fuit expreſsè conventa promiſſio reſtitutionis certi pretii in caſum extinctionis. Præterea Fagnan. nil aliud probare voluit, niſi quod, ubi non adeſt certa lex in erectione officiorum ſtatuta, redemptio fieri nequeat pro ſolo primo pretio in erectione recepto, quando poſtea in ultimis venditionibus factis à Camera majus pretium ad ejus manus pervenit, & hoc potius ex motivo æquitatis, ne Camera locupletetur cum alterius jactura, ut dicit *num.* 10. *verſ. deveniendo*, ibi, *Videtur dicendum redemptionem fieri debere pro pretio, quo huiuſmodi officia, & loca Montium fuerunt ultimo loco vendita per Cameram, non autem pro pretio, de quo in prima erectione, quia cum huiuſmodi officia, & loca Montium per obitum illa obtinentium, aut alio modo reverſa fuerint ad Cameram, & deindè revendita maiori pretio, ſi primum tantum pretium reſtitueretur, emptor eſſet in damno, quia non conſequeretur pretium à ſe ſolutum Cameræ Apoſtolicæ, & Camera locupletaretur cum alterius iactura.* Undè doctrina hæc mirificè retorquetur contra DD. Adverſarios, & clariſſimè fundat intentionem Rev. Cameræ. 5

Quod verò juxta diſpoſitionem juris, (ſecundùm quod prætenditur eſſe intelligendam Innocentianam) reſtitui debeat totum pretium ab Officialibus, ſive Datariæ, ſive reſignantibus ſolutum, nullo modo ſubſiſtit, nec in contrarium quidquam de novo deducitur, ſed DD. exadverſo ſcribentes ſe remittunt ad deducta in præterita poſitione, in qua fuit latiſſimè pro Camera oſtenſum, & probatum totum oppoſitum, ut in prima juris §. *præſertim*, ſignanter in terminis Fiſci per textum *litteralem in l. ſi Procurator, ff. de iur. Fiſc.* & tunc addimus, Bald. *conſ.* 145. *numer.* 3. *lib.* 2. in replicatione ſuper primo articulo citato §. *huic enim.* 6

Et confert concluſio communiter recepta, quod in retrovenditione non tenetur venditor niſi ad reſtitutionem pretii recepti, ut præ aliis tenent Gozzadin. *in repetit. in l.* 2. *num.* 178. *& 181. C. de pact. inter emptor. & vendit. inter repetentes ſuper prima part. Cod. fol.* 525. Zoanet. *de empt. & vendit. in cap. de pact. de retrovenden. num.* 16. 111. 113. *& 117. uſque ad* 123. ubi ad contraria reſpondet Tiraquell. *de retract. convent.* §. 4. *gloſſ.* 3. *in fin.* Maurit. *de empt. & vendit. titul.* 7. *num.* 7. *num.* 94. *cum ſeqq.* Berlich. *concluſ. legal. part.* 2. *concluſ.* 2. *num.* 4. 7

Quod-

Quodque majus pretium conventum inter reſignantem,
8 officiorum naturam attendatur, nec officiorum naturam immutare valeat, dicunt de Pont. *conſ.* 39. *num.* 10. *lib.* 2. de Philipp. *diſceptat. fiſcal.* 11. *verſ. reſoluto ex his ſub num.* 44.

Et in proximis terminis extinctionis locorum Montium,
9 exemplo debitoris ceſſi, optimè advertit Illuſtriſſimus de Luca *tit. de regal. diſc.* 33. *à nu.* 3. *ad* 8. Quinimò magis præcisè, quod augmentum proveniens ex conventionibus factis
10 inter reſignantes, & reſignatarios non poſſit dici propriè pretium, nec reſtitui debeat, probat Ferdinand. Branc. *inter allegation. diverſ.* apud de Marin. *allegation.* 66. *à nu.* 7. *ad* 17.

Ad exempla verò ſel. record. Clementis Octavi in ſuppreſſione Officii Præfecturæ carcerum, & Alexandri Septimi in ſuppreſſione Montium vacabilium, latè fuit reſponſum in prima juris præteritæ poſitionis §. *nam Clemens Octavus*, & §. *Alexander pariter cum ſeqq.* quam reaſſumi ſupplicamus, dum ibi clarè oſtendimus Clementem, ultra pretium donare voluiſſe ſcuta 2000. ibi, *Et alia ſcuta* 2000. *quæ ei, &c. donavimus, &c.* Alexandrum etiam fuiſſe motum ex pietate, ac munificentia, & quod in diſcuſſione articuli de ipſius ordine præcedenter facta, quæſtio fuit ſolum utrum eſſet reſtituendum pretium primæ erectionis, ut aliqui ſuadebant, & veluti fuerat à Beato Pio in ſimili ſuppreſſione obſervatum, vel majus pretium, Cameræ tamen ſolutum, juxta vacationum contingentiam, pro qua initiori opinione reſponderat Fagnan. ut in voto regiſtrato in
11 *citat. cap. ex Epiſtolæ de probat.* & ſic hujuſmodi exempla non ſolum non obſtant, ſed potius mirificè retorquentur, & probant obligationem in ſimilibus ſuppreſſionibus eſſe reſtituen. tantummodo pretium acceptum à Camera.

Et quatenus ſtandum ſit exemplis, pro interpretanda mente B. Pii, non poſſumus habere magis proprium, quàm ejus obſervantiam, in reductione Montis Julii præcedenter facta, ut ponderamus in reſtrictu ſuper hoc articulo §. 6. In materia enim obſervantiæ interpretativæ ſemper at-
12 tenditur illa, quæ eſt proximior actui, qui interpretatur, & ita quod attendenda ſit antiqua, utpotè vicinior diſpoſitioni, in terminis ejuſdem Conſtitutionis Pianæ advertit Illuſtriſſimus de Luca *de Regal. diſc.* 72. *verſ. replicabam tamen*; Idque eo magis procedit, quoties obſervantia deſumitur ex actibus ejuſdemmet diſponentis, ut per Caſtill. *de*
14 *interpret. ult. volunt. lib.* 5. *cap.* 101. *num.* 4. & 5. *ad fin.* Et quod mens diſponentis optimè deſumatur ex eo, quod ipſe facere conſuevit, dicit Rot. penes Caſſador. *deciſ.* 12. *numer.* 14. *de Præben.* coram Coccin. *deciſ.* 328. *num.* 2. & *deciſ.* 50. *num.* 26. *part.* 5. *recent.* & *deciſ.* 300. *num.* 29. *part.* 12.

Non ſubſiſtente reſponſione, quod ſolùm fuerint reducti fructus, quia ſi benè perpendatur Motus proprius dictæ reductionis, apparebit in illo contineri declarationem, quod ſi qui eorumdem Montiſtarum nollent acquieſcere, ipſis reſtituerentur ſcuta 100. pro quolibet loco, & ſic pretium primæ erectionis, iſtudque exemplum pro reſtitutione ſolius primi pretii in erectione conventi, deductum fuit ab Alexandro Septimo in ſuppreſſione Montium vacabilium, ex quo ejus applicatio magis confirmatur.

Controvertunt etiam DD. exadverſo ſcribentes, quod Beatus Pius voluerit ſolùm confirmare, & innovare conceſſiones Collegio factas ab anteceſſoribus, & ſignanter ab Innocentio, ſupponendo id repugnare verbis Motus proprii, ibi, *Ad hæc dictos Secretarios, & Collegium amplioris favoris gratia proſequi volentes*, ſed ex lectura manifeſtiſſimè dignoſcitur ea nullo modo referri poſſe ad favores Secretariis factos ab anteceſſoribus, ſed ad factos à ſe ipſo in præcedenti parte Motus proprii, ſicut denotant verba ipſa *Ad hæc, &c.* quæ reſtrictionem ad præcedenter expreſſa, evidenter important Alciat. *conſ.* 5. *num.* 2. *lib.* 9. Barboſ. *dict.* 8. *num.* 1. Et quod verè B. Pius noluerit ullo modo alterare conceſſa per anteceſſores, ſed ſolùm confirmare, & innovare, quatenus non eſſent in uſu, nimis clarè apparet ex ipſo contextu Motus proprii in eadem ſecunda parte §. *Ad hæc &c.* ubi Pontifex expreſsè proteſtatur confirmationem, & innovationem feciſſe iiſdem modo, & for- 16
ma, quibus per prædeceſſores conceſſiones factæ fuerunt, quæ verba excludunt omnem penitus extenſionem, Cacheran. *conſ.* 19. *num.* 51. & 52. Cyriac. *controv.* 69. *nu.* 38. Altograd. *conſ.* 58. *num.* 43. *in fin. lib.* 1. optimè Rota *deciſ.* 555. *num.* 6. *par.* 2. *recent.* & coram Dunoz. Jun. *deciſ.* 715. *num.* 1. ubi præcisè ponderatis his verbis *iiſdem modo, & forma* dicitur, quod omnimodam identitatem deſignant.

Quatenus autem redarguitur, quod nos ipſi fateamur Beatum Pium mandaſſe reſtitui totum id, quod ultra ſummam ducatorum 62400. promiſſam ab Innocentio, fuiſſet per Cameram receptum: Reſpondetur, quod non benè DD. exadverſo ſcribentes perceperunt noſtrum intentum, nunquam enim hoc admiſimus, ſed clarè diximus in reſtrictu ſuper ſecundo articulo §. *ex quibus*, quod de ſtricto rigore ſubſtineri potuiſſet Innocentianam non fuiſſe immutatam, & alteratam, & nihilominus Cameram non prætendere, niſi eximere ſe à prætenſa obligatione reſtituendi ultra acceptum, ex quo Sanctiſſimus ſectando magis æquitatem, quàm rigoroſam juſtitiam in ſuo Motu proprio juſſit reſtitui totum id, quod Dataria recepit à ſingulis. Nec contrarium diximus in reſtrictu ſuper *tertio* §. *ſi ab initio*, ſed 17
ſolùm quod, quatenus promiſſio B. Pii poſſet, quod ſemper negamus, intelligi de reſtituendo id, quod Camera non accepit, eſſet mera donatio cadens ſub revocatoriis.

Optimè ſubſiſtit in facto, nec evitari poteſt, fundamentum, quod profectò eſt ſolidiſſimum, deductum in noſtro ſecundo reſtrictu §. *quoniam* ex diſcretivo modo loquendi, dum Pontifex voluit in caſu diverſo, ubi fuit conſiderata contraventio ex parte Cameræ, reſtitui, nedum pretium, ſed etiam damna, & intereſſe; Nec effugium relevans præbet, quod dum B. Pius declaravit reſtituendum eſſe omne 18
pretium, neceſſarium non fuerit ſuperaddere augmentum, quia illud nullatenus venit ſub nomine pretii, ut ſupra fuit probatum §. *Et in proximis terminis*.

Nec minus ſubſiſtit argumentum, in noſtro ſecundo reſtrictu deductum, ex eo, quod aliàs reſultaret maxima læſio Cameræ, quæ nullatenus excluditur ex reſponſionibus ex adverſo datis, ut oſtenditur in Memoriali ſuper læſione ad partes, cum calculo, & dicetur etiam in replicatione ſuper tertio articulo.

Quare &c.

Proſper Archiepiſcopus Myren.
Fiſci, & Cam. Apoſt. Advoc.
Io. Baptiſta Bottinius Coadiutor.
N. Severolus S. C. Advoc.
L. Zacchias.
C. de Comitibus. } *Advocati.*
P. Pacionus.

Replicatio Juris ſuper tertio Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

SVMMARIVM.

1 *OBſervantia non ſufficit probata in uno de contentis in gratia, ſed eſt probanda in puncto individuali, de quo agitur.*
2 *Quamvis effluxerit tempus centum annorum, & ultra.*
3 *Negativa probatur ex diligentiis factis in libris, ubi aliquid erat regiſtrandum.*
4 *Bulla* 98. *Pij Quarti regiſtrationem requirit in omnibus gratijs, etiam in minimo Cameræ præiudicialibus.*
5 *Confirmationes in forma communi non convalidant actum nullum, qualis dicitur gratia non regiſtrata.*
6 *Præſtant ſolùm maius robur actui valido.*
7 *Etiamſi eſſent in forma ſpecifica, non ſupplent defectum nullitatis.*
8 *Sufficit quod Papa certioratus non fuerit de nullitate, ad hoc, ut confirmatio non ſuffragetur.*
9 *Derogatio* Conſtitutionis Pianæ de regiſtran. *ſatis non eſt,*

est, quod sit in confirmatione, sed requiritur, quod sit in actu confirmato.

10 *Licet Actus confirmatus validari non possit à confirmatione, tamen ista habet vim novæ concessionis, quando emanavit ex certa scientia nullitatis actus confirmati.*

11 *Regula* de Jure quæsit. non tollen. *non solùm loquitur de iuribus privatorum, sed etiam de iuribus Cameræ.*

12 *Derogatio dictæ regulæ debet esse specifica, & individualis.*

13 *Stante clausula* sublata *an possit opponi de regula prædicta.*

14 Illustriss. D. de Luca disc. 5. nu. 21. de regal. *in quibus terminis loquatur.*

15 *Donationes gratuitæ revocantur ex* regul. 64. *Cancellariæ, & alijs Constitutionibus Apostolicis.*

R. P. NUllitas ex defectu registrationis non evitatur ex lapsu temporis, quia præsumptio indè resultans non intrat, dum non adest observantia in specie hujus partis concessionis, quod in casum suppressionis officio-
1 rum restitui debeat pretium prætensum Rota coram Gregor. *dec.* 459. *num.* 7. *& dec.* 39. *num.* 22. *& seqq. part.* 8. *rec.* Nunquam enim evenit iste casus, & hoc sufficit, etiam quod fluxerit tempus plusquam centum annorum, Rota *dec.* 350. *nu.*
2 16. *& seqq. par.* 16. *rec.*

Ulterius hæc est simplex præsumptio, quæ cedere debet veritati, & veritas est id, quod diximus, nam perquisitis libris, in quibus similes gratiæ sunt registrandæ, ista non fuit reperta, ut probatur in replicatione facti. Ex diligentiis
3 enim hujusmodi concludentissimè probata remanet negativa, Rota coram Gregor. *dec.* 139. *num.* 15. *&* 287. *num.* 4. & coram Ubaldo *dec.* 300. *num.* 31. *& decis.* 216. *num.* 9. *part.* 6. *recent.*

Non potest autem controverti, quod Motus proprius Beati Pii Quinti si esset intelligendus juxta sensum partis adversæ, non contineret maximum Cameræ præjudicium, ac ideo intraret necessitas registrationis, ut fuit deductum in tertio articulo, & latè comprobatur ex particulari scriptura, unà cum fideli calculo, data per Illustrissimum D. Com-
4 missarium super læsione: Et tamen Bulla 98. Pii Quarti registrationem requirit in omnibus gratiis, etiam in minimo Cameræ præjudicialibus.

Defectus hic nullo modo prætendi potest sublatus ex confirmationibus Sixti Quinti, & aliorum, cum suppletione omnium defectuum, & cum speciali derogatione Constitutionis Pianæ de registrañ.

Quod enim attinet ad suppletionem defectuum, ea minimè operatur convalidationem actus nulli, qualis est gratia
5 præjudicialis non registrata, ac si non emanasset, ut decernitur in dicta Bulla Piana, non solùm si confirmationes sint
6 in forma communi, prout istæ, Molin. *de primog. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 2. ubi quod solùm præstant majus robur actui valido,
7 Rota *dec.* 639. *num.* 12. apud Posth. *de manut. & dec.* 84. *num.* 10. *part.* 7. *recent.* Verùm nec si essent in forma specifica, ut
8 in *dec.* 31. *num.* 6. *part.* 2. *divers.* Et in terminis, quod sufficiat nullitatem ex defectu registrationis non fuisse Papæ narratam, Spad. *cons.* 176. *num.* 2. *lib.* 2. Rota *dec.* 56. *num.* 15. *part.* 8. *recent.*

Quo verò ad derogationem *Constitutionis Pianæ de regi-*
9 *stran.* in dictis confirmationibus adjectam, facilis est replicatio, quia concernit solùm validitatem earumdem confirmationum, non autem actus confirmati, quando, prout hic erat, nullus, & litteraliter, tam Bulla Sixti Quinti, quàm Chirographus, & Breve Sixti Quinti datum exadverso, eximunt solùm à registratione, cum derogatione Bullæ Pianæ, confirmationes ab eis factas, ut in Bulla Sixti, ibi, *aut ad registrationem, vel adnotationem præsentium in Camera, iuxtà Constitutionem Pij Quarti, &c. Constitutione prædicta non obstante, &c.* & in dicto Brevi Gregorii, ibi, *seu ad præsentationem, ad registrationem præsentium in Camera, iuxta Constitutionem Pij Papæ Quarti de gratijs, qualecumque Camera prædictæ interesse concernen. in eadem Camera registrandis, immune teneri, &c.* Unde etiam comprobatur defectus intentionis, quia, dum hi Pontifices, & præsertim Gregorius agnoverunt necessitatem registrañ. gratias, qualecumque interesse Cameræ concernentes, non ita de facili approbassent Motum proprium B. Pii, in hac parte, si scivissent continere posse adeo grave præjudicium Rev. Cameræ.

Doctrinæ autem in contrarium allegatæ Illustriss. de Luca *disc.* 3. *nu.* 9. *de regal. & dec.* 175. *nu.* 9. *par.* 6. *rec. &* 145. *par.* 10
5. *&* 7. dicunt solùm, quod ubi actus confirmatus est nullus, validari non potest à confirmationibus, sed eæ vim habent novæ concessionis, quando emanarunt ex certa scientia nullitatis actuum confirmatorum, quæ profecto deficit in casu præsenti.

Alia nullitas ex non adjecta derogatione regulæ *de Iure quæsit. non tollen.* pariter optimè subsistit, non obstantibus responsionibus exadverso datis.

Prima enim, quod regula loquatur solum de Juribus pri- 11
vatorum, nullum habet fundamentum, quia loquitur indistinctè, quod per quamcumque concessionem, aut gratiam *nulli Ius sibi quæsitum quomodolibet tollatur*: nimis autem durum esset, quod si Papa voluit præservare indistinctè Jus omnium, præservare noluerit Jus suæ Cameræ Apostolicæ, dum Summi Pontifices, & signanter ipsemet B. Pius, summo studio semper curarunt ejus indemnitati providere.

Secunda, quod actus de se ostendat concedentis voluntatem remittendi Jus suum, non applicatur, quia Motus proprius B. Pii hoc nullatenus ostendit.

Tertia, quod nullum in eo contineatur præjudicium, cessat ex facto, si Motus proprius debeat intelligi juxta prætensionem partis adversæ.

Quarta, quod de dicta regula non possit opponi, stante clausula sublata, & decreto irritanti adjectis in Motu proprio B. Pii, cessat ex communi, & receptissima opinione, quod derogatio regulæ debet esse specifica, & individualis, 12
Sarnen. *proœm. eiusdem regulæ qu.* 6. *in fin. & super dict. quæst.* 15. *num.* 6. *pariter in fin. & qu.* 19. Rota penes Verall. *dec.* 30. *part.* 3. & coram Buratt. *decis.* 576. *num.* 6. & ibi addens litt. A.

Decisiones autem exadverso allegatæ 117. *nu.* 3. *par.* 2. *rec.* & apud Giovagnon. *cons.* 28. *sub nu.* 43. *vers. & ulterius lib.* 2. 13
loquuntur expressè in gratiis de sui natura præjudicialibus, & quatenus exabundanti addunt etiam hanc responsionem, quod non possit dari de regula, stante clausula sublata, se fundant in *dec.* Millin. 15. *nu.* 3. in qua hoc expressè non dicitur, sed solùm habetur placuisse responsionem Paris. *cons.* 1. *nu.* 32. *cum seq. lib.* 4.

Nullitas etiam ex Constitutione Sixti Quinti non evitatur, quia non potest esse magis punctualis, nec magis adaptabilis casui nostro, ut ex verbis relatis in restrictu super secundo articulo vers. 4.

Discursus verò Illustriss. D. de Luca 5. *nu.* 21. *de regal.* nullo modo firmat, ut exadverso supponitur, quod Constitutio Sixtina loquatur de hisce officiis, quia solùm dicit, quod non 14
procedunt in iis, quæ alterata, & corrupta eorum natura, concessa sunt in purum allodium.

Prout nec posset evitari revocatio, *ex regul.* 64. Cancellariæ, & ex notis Constitutionibus: Nam regula optimè procedit in hoc casu, ut ex lectura, & Constitutiones pariter, 15
signanter illa Innocentii Decimi 13. *à.* §. 13. *ad* 31. loquitur de omnibus præjudicialibus.

Tandem quoad læsionem optimè satisfacit Illustriss. D. Commissarius in particulari scriptura cum calculo fideliter facto, illam ad oculum demonstrante.

Quare &c.

Prosper Archiepiscopus Myren.
Fisci, & Cam. Apost. Advoc.
Io. Baptista Bottinius Coadiutor.
N. Severolus S. C. Advoc.
L. Zacchias.
C. de Comitibus. } *Advocati.*
P. Pacionus.

Re- BIBLIOTECA COMUNALE PRATO LASCITO MARIANO

Replicatio Juris ſuper quarto Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

SVMMARIVM.

1 EX diſcretivo modo loquendi arguitur diſponentis voluntas.
2 *Aliud eſt univerſitas, aliud ſinguli de univerſitate.*
3 *Privilegium, quod debet ſuum effectum ſortiri, extincto Collegio, non dicitur conceſſum ipſi Collegio, ſed particularibus perſonis.*
4 *Collegium nunquam moritur.*
5 *Quodlibet minimum verbum in lege poſitum debet aliquid operari.*
6 *In Conſtitutione Papali neque una ſyllaba vacare debet.*
7 *Privilegium conceſſum ex cauſa remunerationis reſtrictum cenſetur ad illos, qui contulerunt beneficium.*
8 *Etiam ſi facta fuiſſet mentio dignitatis, non autem perſonæ.*
9 *Privilegium conceſſum pro reſarciendo damno, dicitur conceſſum ijs, qui tale damnum patiebantur.*
10 *In privilegijs interpretandis non eſt attendendum maius lucrum privilegiati, ſed quid voluerit Princeps concedere.*
11 *Pacta ſervare in contractibus maxima eſt iuſtitia.*
12 *Privilegium in dubio eſt iudicandum perſonale.*
13 *Privilegium perſonale non extenditur ad ſucceſſores.*

R. P. ADeo relevans eſt motivum in quarto articulo adductum, quod conceſſio Motus proprii B. Pii fuerit perſonalis, & reſtricta ad illos, qui eo tempore officia poſſidebant, & conſequenter cum eorum perſonis extincta remanſerit, ut ipſi DD. exadverſo ſcribentes negare non audeant, & ad illud evitandum confugiant ad facti negativam, ſed fruſtra, cum facti veritas clarè reſultet ex verbis ipſius Motus proprii promittentis reſtitutionem pretii officiorum ſingulis Secretariis, conſideratis uti ſingulis, non autem uti univerſis, nam quando Beatus Pontifex voluit illos conſiderare uti univerſos, & conſtituentes Collegium, addidit verbum Collegium, ex quo diſcretivo modo loquen-
1 di manifeſtè deſumitur, quod non ipſum Collegium, ſed perſonæ Secretariorum fuerint conſideratæ, ipſiſque privilegium conceſſum, ut diximus *in reſtrictu ſuper quarto articulo §. final.* & comprobant Alex. *conſ.* 170. *nu.* 7. *lib.* 7. Ruin. *conſ.* 41. *ſub nu.* 9. *verſ. tertio illud lib.* 2. Rota *dec.* 388. *nu.* 12. *par.* 1. *rec.* & coram Merl. *dec.* 825. *num.* 19. *ad fin.* Aliud autem eſt
2 univerſitas, aliud ſinguli de univerſitate, Surd. *conſ.* 28. *nu.* 104. *& dec.* 226. *nu.* 10. Rota penes Mantic. *dec.* 259. *nu.* 6. *ad fin.* & coram Buratt. *dec.* 285. *nu.* 4.

Iſtaque veritas magis eluceſcit, animadvertendo, quod reſtitutio eſſet facienda in caſu ſuppreſſionis Collegii, unde non poterant Secretarii conſiderari uti conſtituentes unum corpus, ſicque perneceſsè dicendum venit privilegium, quod debebat effectum ſuum parere extincto Collegio, conceſſum fuiſſe particularibus perſonis, non autem ipſi Collegio, Bald. *in cap. Imperialis num.* 10. *de pactis conſt.* Brun. *in tract. de mutat. & transformat. memb.* 2. *concl.* 10. *nu.* 68. Petr. de Peruſ. *in tract. de mutat. Stat. Eccleſ. in princ. n.* 3. *&* 4. &
4 perſonæ ſunt, quæ vivunt, & moriuntur, non autem Collegium, Rota *dec.* 157. *nu.* 14. *par.* 17. *rec.*

Nec contrariantur, imò mirificè comprobant noſtrum intellectum verba illa *tunc viventibus*, nam ex iis apertè deſumitur Beatum Pontificem voluiſſe reſtitui pretium ſolutum illis Officialibus, qui reperiebantur tempore motus proprii, ſi vixiſſent tempore ſuppreſſionis, aliàs ſuperfluè, & ineptè fuiſset appoſitum verbum illud *viventibus*, cum ſatis fuiſset dicere *reſtitutis ſingulis Secretarijs pecunijs per ipſos ſo-*
5 *lutis*, quod non eſt dicendum, nam quantumlibet minimum verbum in lege poſitum debet aliquid operari, & ſuum debitum effectum producere, *cap. ſi Papa in fine de privil. in* 6. Put. *dec.* 191. *nu.* 7. *lib.* 1. *in correct.* Rot. *dec.* 121. *n.* 45. *diverſ. & dec.* 112. *n.* 11. *par.* 7. *rec.* & præcipuè in Conſtitutione Papali, ubi neque una ſyllaba vacare debet, *gloſ. in cap. ſolita* 6
verſ. tanquam de maiorit. & obedien. Staphil. *de litter. grat. tit. de vi, & poteſt. clauſular.* 157. *proœm. nu.* 128.

Verùm, nedum verba, ſed potiſſimè cauſa conceſſionis Privilegii convincit illud eſſe perſonale, quia, ut deduximus *in noſtro reſtrictu §. primo igitur*, cum fuerit conceſſum ex cauſa mutui ſcut. 5500. facti per Secretarios, qui tunc temporis exiſtebant, ipſis, & non aliis Prixilegium conceſſum fuiſ- 7
ſe dicendum venit, ut ultra ibi allegatos confert *Text. in l.* 1. *in fin. ff. de conſtit. Princ.* & dicunt Natt. *conſ.* 164. *nu.* 20. *& ſeq.* Sylvan. *conſ.* 4. *ſub num.* 16. Buccafer. *conſ.* 97. *nu.* 5. Cravett. *conſ.* 929. *in fin.* Capyc. Galeott. *controver. lib.* 2. *cont.* 51. *nu.* 9. & hoc locum habet, etiam ſi fuerit facta mentio di- 8
gnitatis, Cravett. *conſ.* 239. *nu.* 4. Roman. *conſ.* 503. *nu.* 7.

Non obſtante, quod Secretarii tunc exiſtentes non obtulerint pecunias de proprio, ſed capiendas ad cenſum nomine Collegii, nam cum cenſus eſſet extinguendus, damnum ſolutionis fructuum ipſius cenſus patiebantur ipſi Secretarii tunc exiſtentes, qui emolumenta officiorum ad ipſos ſpectantia erogare debebant in ſolutionem fructuum cenſus, nec illud ſentire poterant alii, qui poſteà in officio ſucceſſiſſent, & ſic privilegium dicitur conceſſum iis, qui tunc tem- 9
poris tale damnum patiebantur, & non aliis Barb. *in l. quia tale nu.* 14. *ff. ſolut. matrim.* Alciat. *conſ.* 7. *ſub num.* 16. *verſ. confirmatur etiam lib.* 4. *tom.* 1. Cravett. *conſ.* 929. *in fin.* Jal. *conſ.* 89. *in verſ. ſecundo facit lib.* 3.

Nec ad extendendum privilegium ultra perſonas Secretariorum, tunc exiſtentium, facit ratio exadverſo adducta, ſcilicet quod ipſi ſic in venditione officiorum potuiſſent majus pretium reperire, quia in interpretandis privilegiis non 10
eſt attendendum majus lucrum, vel commodum Privilegiati, ſed quid voluerit Princeps concedere, Surd. *conſ.* 281. *nu.* 7. *& ſeqq. lib.* 2. Valenzuel. *conſ.* 114. *num.* 12. *& per tot.* Capyc. Latr. *deciſ.* 154. *nu.* 52. *par.* 2. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 55. *num.* 23.

Minus ſubſiſtit, quod diſpoſitio Motus proprii contineat in effectu id, quod de jure ineſt, ac juſtitia exigit, quia potius continet meram gratiam, nam cum ex pacto contento in Bulla ſanctæ mem. Innocentii Octavi, in extinctione 11
Collegii, eſſent reſtituenda ſola ducata de Camera 62400. nihil magis juſtitiæ conveniebat, quàm pacti obſervantia, *l.* 1. *ff. de pact.* Bald. *conſil.* 234. *numer.* 1. *vol.* 1. Cyriac. *controv.* 239. *num.* 13. *& ſeqq. & contr.* 453. *num.* 25. *& ſeqq.*

Cùm itaque ex prædictis appareat privilegium eſse perſo- 12
nale, & in dubio tale judicandum ſit, Cephal. *conſ.* 165. *nu.* 91. *lib.* 1. Turret. *conſ.* 58. *nu.* 3. *vol.* 2. Anſald. *conſ.* 14. *nu.* 38. Urſill. ad Afflict. *dec.* 128. *nu.* 1. & 2. Mar. Antonin. *variar. lib.* 1. *reſo.* 109. *nu.* 6. Decian. *conſ.* 6. *nu.* 51. *&* 52. *lib.* 2. Rot. penès Mantic. *dec.* 150. *nu.* 6. concludendum eſt illud non poſse ſuffragari, niſi illis Secretariis, qui aderant tempore 13
privilegii, nec ad alios eorum ſucceſſores poſse extendi, *c. privilegium de regul. iur. in* 6. Natt. *conſ.* 218. *nu.* 7. *& ſeq. & conſ.* 311. *nu.* 5. Spada *conſ.* 206. *num.* 3. *vol.* 3. Surd. *conſ.* 103. *num.* 14. *& conſ.* 127. *num.* 67. Salgad. *in labyrint. cred. par.* 2. *cap.* 10. *num.* 102.

Quare &c.

Proſper Archiepiſcopus Myren.
Fiſci, & Cam. Apoſt. Advoc.
Io. Baptiſta Bottinius Coadiutor.
N. Severolus S. C. Advoc.
L. Zacchias.
C. de Comitibus. } *Advocati.*
P. Pacionus.

NUM. XVII.

Informationes pro Officialibus in eadem secunda propositione.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

SVMMARIVM.

1 *EXpressio summæ restituendæ in casu suppressionis Secretariorum, apposita in Bulla Innocentii Octavi, non stat taxativè, sed demonstrativè, & numer. 2. & 19.*

3 *Intelligitur rebus sic stantibus, & nisi Secretarii in acquisitione officiorum maiorem summam erogassent.*

4 *De iure communi in suppressione officiorum est refundendum pretium currens de tempore suppressionis.*

5 *Princeps auferens officia, seu alias res à subditis tenetur restituere integrum pretium.*

6 *Absurdum est, quòd Officialis amittere debeat illud augumentum, quod Principe approbante exbursavit in acquisitione officii.*

7 *Officiales dicuntur habere in Auctorem Principem concedentem.*

8 *Non debent sub fide publica, & absque ulla eorum culpa proprii patrimonii iacturam pati, & num. 23.*

9 *Nonnulla exempla, ex quibus apparet, quod Pontifices in suppressione officiorum restituerunt pretium solutum, & aliquando pretium currens Officialibus.*

10 *In claris non recurritur ad interpretationes, & subauditos intellectus.*

11 *Verbum* restituere, *quando habeat vim dandi, & solvendi.*

12 *Significat dare, & solvere, quando id suadet subiecta materia.*

13 *Beatus Pius usus promiscuè fuit verbo* restituere, *& verbo* solvere.

14 *Damna, & interesse dicuntur restitui, & non solvi.*

15 *In Bulla Gregorii Decimitertii super iure congrui retrahens obligatur ad restituendum pretium primo emptori, quamvis illud ipse non receperit.*

16 *Verbum* restituere, *quando est directum ei, cui facienda est restitutio, accipitur pro dare, & solvere.*

17 *In Bulla Piana verba restitutionis sunt directa ad Secretarios.*

18 *Beatus Pius indefinitè mandavit restitui singulis Secretariis id, quod in emptione officiorum eos impendisse constiterit.*

20 *Maiora privilegia Secretariis indulsit, quàm eis concessisset Innocentius Octavus, & num. 24.*

21 *Loca Montis Iulii vacabilis non suppressit, sed eorum fructus reduxit.*

22 *Maius esset damnum Secretariorum, si non consequerentur integrum pretium per eos exbursatum, quàm damnum Cameræ, si solveret augmentum pretii, quod non recepit, & de ratione, & num. 25.*

26 *Negativa est probanda ab eo, qui in illa suam fundat intentionem.*

27 *Ex observantia 30. annorum præsumitur Apostolicum beneplacitum.*

28 *Pro sufficienti derogatione regulæ de iure quæsit. non tollen. satis est, quod constet de intentione Papæ.*

29 *Derogatio non requiritur ubi ius non est plenè quæsitum.*

30 *Sufficit, quòd derogatio interveniat in confirmatione, quæ omnes defectus privilegii confirmati supplet.*

31 *Gregorius Decimusquintus declaravit omnia privilegia concessa Secretariis, tam à B. Pio, quàm ab aliis Pontificibus, elargita fuisse ex titulo oneroso.*

32 *Ideò non cadunt sub Constitutionibus revocatoriis.*

33 *De utilitate consequuta per Cameram ex concessione privilegiorum facta per Beatum Pium Secretariis.*

34 *De pluribus dictorum officiorum vacationibus favore Cameræ, & num. 35.*

36 *In suppressione officiorum restituendum est pretium indistincte omnibus Officialibus, etiam senibus, & infirmis, aliàs inhabilibus ad resignandum,*
Card. de Luca de Offic. Venal. &c.

37 *Collegium semper dicitur idem, etiamsi aliqui, vel omnes de eodem Collegio immutentur.*

38 *Verba* singulis Secretariis tunc viventibus *intelliguntur de Secretariis viventibus de tempore suppressionis.*

39 *Causa impulsiva privilegii in Bulla Piana qualis fuerit.*

40 *Privilegium concessum Collegio dicitur reale, & perpetuum.*

R. P. VT tollantur æquivoca, & facillior reddatur causæ resolutio; supplicamus adverti non subsistere suppositum, passim in informationibus Cameræ adductum, quod scilicet vigore Bullæ Innocentii Octavi, in casu suppressionis, non essent Secretariis restituenda, nisi scuta 62400. auri, in erectione Collegii exbursata, quodque ex dicta Bulla fuisset acquisitum Jus Cameræ non nisi dictam summam persolvendi, siquidem tale figuratum pactum negativum, aut restrictivum ad prædictam summam nullibi 1
legitur in dicta Bulla; Imò è contra in parte continente dictam restitutionem Papa declarat se velle favorabiliter Secretariorum indemnitati providere, ut scilicet integram summam per eos solutam consequantur, ne damnum diminutionis patiantur, ibi: *Cæterum quoniam iidem Secretarii, &c. bona fide crediderunt simplici verbo nostro, & propterea dictæ pecuniæ summam ad relevandum subscriptas necessitates* 2
nostras contribuere non recusarunt; Nos dignum reputantes, ut ipsorum indemnitati consulamus, de simili Fratrum nostrorum consilio, &c. declaramus, &c. Si erit facta emolumentorum diminutio, Nos, & Cameram nostram, &c. ad solvendum, &c. ipsis de omni summa teneri, &c. si verò erit facta officii revocatio, &c. ad restituendum eis supradictam summam 62400. ducatorum auri per ipsos solutorum, &c. decernimus, &c.

Expressio igitur dictæ quantitatis non stat taxativè, & per modum negativum majoris summæ, sed favorabiliter, & demonstrativè ad id, quod Secretarii persolverunt, ut non minus eis restituatur Gabr. *conf. 64. num. 5. lib. 2.* Unde intelligitur rebus sic stantibus, at si pretium Officiorum auctum fuerit, & Secretarii majorem summam in acquisitione Officiorum impenderint, Bulla non disponit de hoc casu 3
sed relinquitur dispositioni Juris communis, secundum 4
quam debet refundi pretium currens de tempore suppressionis, ut in terminis latè probat Fagnan. *in cap. ex epistolæ num. 11. & seqq. de probat.*

Idque summa cum ratione, quia ipsa Dataria, & Camera augmentum pretii approbarunt, vendendo officia per obitum, aut promotionem vacata, dicto majori pretio, unde nil mirum si in casu suppressionis debeant idem pretium restituere Officialibus, ut ponderat Fagnanus ubi supra, aliique innumeri relati in præterita positione, firmantes, 5
quòd Princeps tollens subditis talia officia, tenetur restituere integrum illorum pretium. Et si admitteretur interpretatio, quòd dicta Bulla contineret prætensum pactum negativum, jam Pontifex Innocentius maximum damnum Secretariis intulisset, illosque sub gratiæ, & favoris nomine decepisset, quod nefas est opinari. Etenim assecuratio à simplici periculo diminutionis pretii futura erat penè inutilis, cùm in casu decrementi Camera non potuisset cogi ad suppressionem, nec certè suppressisset, cessante propria utilitate, etsi Camera nunquam habuisset præjudicium promissæ assecurationis. E contra verò privatio au- 6
gmenti temporis, & commercii beneficio contingentis, certum, & magnum causasset Secretariis detrimentum, nam hæc ipsa privatio invitasset Cameram ad supprimendum, ut tale augmentum lucraretur in præjudicium Officialium, qui de proprio pretium sic augmentatum, Principe, & Dataria approbante, in acquisitione officii exbursassent, quod sanè quàm sit absurdum, & bonæ fidei contrarium omnibus patet.

Addito, quòd aliàs publicum commercium, & bona

fides totaliter violata remanerent; Cùm omnes Officiales juxta notorium ſtylum obtinuerint officia ab ipſomet Papa, qui permiſit majus pretium ſolvi reſignantibus, prorſus ignotis, ementibus officia, proinde iſti dicuntur habere in
7 Auctorem ipſum Principem concedentem, qui ſi poſtea hujuſmodi officia voluntariè ſupprimit, omnis ratio dictat, quod debeat Officialibus pretium perſolvere, ne iſti
8 abſque ulla culpa, & ſub credulitate, & fide publica damnum adeò notabile proprii patrimonii patiantur, ut probavimus in alia poſitione reaſſumenda.

Atque hinc in tot officiorum ſuppreſſionibus anteactis
9 temporibus per Romanos Pontifices factis, vel demandata fuit reſtitutio pretii ab Officialibus perſoluti, ut tempore Pauli Secundi reſpectu Collegii Abbreviatorum, tempore Alexandri Septimi reſpectu Collegii Subdiaconorum, & Acolythorum, & tempore Clementis Decimi reſpectu Collegii Notariorum Cameræ, & Secretariorum Montium, vel reſtitutum apparet majus pretium currens de tempore ſuppreſſionis, ut tempore Clementis Octavi quoad officium Cuſtodis Generalis carcerum, cujus poſſeſſor, ultra pretium ſolutum, habuit ſcuta 2000. ut facilius ſuppreſſioni conſentiret, tempore Clementis Noni, quoad officium Notariatus civilis, & criminalis Burgi, in cujus ſuppreſſione Officialis recepit ſcuta 100. ultra pretium ſolutum, tempore Urbani Octavi, qui facta extractione Montium Archivii, & Cancellariarum mandavit reſtitui ſcuta 125. pro quolibet loco, & demum tempore Alexandri Septimi, reſpectu omnium Montium Cameralium vacabilium, in quorum ſuppreſſione fuit reſtitutum pretium currens ſcilicet ſcutorum 156. pro ſingulis locis, ut latè probatum fuit in præterita poſitione in diſcurſu ad partes ſuper obſervantia, nec ullum à Dominis Cameralibus affertur contrarium exemplum, unde eorum prætenſio, in præſenti caſu excitata, privandi plures Officiales in totum, & in parte reſpectivè pretio officiorum per eos exburſato, uti à tot ſæculis inaudita, nunquam practicata, ac juri, & æquitati repugnans, eſt omninò ab hoc Sacro Tribunali rejicienda.

Si ergo in puris terminis Bullæ Innocentianæ, & Juris communis, ac inconcuſſæ praxis non poſſet noſtris principalibus controverti reſtitutio pretii currentis, vel ſaltem pretii per eos erogati in acquiſitione officii, quantò minus attenta Bulla Beati Pii Quinti, qui æquitatem, non minus quàm juſtitiam reſpiciens, ſtatuit Collegium, & Officia prædicta per Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes revocari, vel extingui non poſſe, niſi reſtitutis priùs realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis tunc viventibus integrè, & abſque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit, ſanè hujus Bullæ diſpoſitio eſt adeò clara, & litteralis, quod ſcilicet Camera in caſu ſuppreſſionis reſtituere debeat omnibus Secretariis integrum pretium, ſive Datariæ, ſive reſignantibus quoquo modo ab eis exburſatum in acquiſitione officii, ut jure me-
10 ritò noſtra deciſio affirmet, non poſſe recurri ad interpretationes, & ſubauditos intellectus, juxta text. *in l. ille*, *aut ille* §. *cum in verbis ff. de legat.* 3.

Nec turbant mendicatæ interpretationes datæ per DD. Camerales verbo *reſtitutis* in reſtrictu primi articuli, prætendendo, quod accipi debeat in ſignificatu, ut ſolum reſtitui debeat, quod accepit Dataria, non autem quod ſolu-
11 tum fuit reſignantibus, ſiquidem huic prætenſioni de diametro opponitur verus, & germanus ſenſus dictæ Conſtitutionis, quæ non juſſit reſtitui pretium à Dataria receptum (hic enim fuiſſet favor, & gratia negatoria, dum lumine naturali patet ad talem reſtitutionem Cameram fuiſſe obligatam) ſed ut tolleret omne dubium, & omnes Secretariis eſſent ſecuri recuperandi in caſu ſuppreſſionis totum pretium officiorum, cuicumque exburſatum, mandavit eis reſtitui integrè, & abſque ulla diminutione pecunias, quas ipſi in emptione, & acquiſitione officiorum erogaſſent, & ſic diſpoſitio cadit litteraliter ſuper pecuniis per Secretarios indiſtinctè exburſatis in acquirendis officiis, ſive à Camera, ſive à reſignantibus, ac propterea illis propriiſſimè dicitur reſtitui rorum id, quod ipſi jam ſolverant, cum in hoc caſu verbum *reſtituere* habeat vim verbi *dare*, & *ſolvere*, ut ex Textibus, & doctrinis punctualibus in deciſione, quæ revidetur §. *Nec verbum illud*.

Præſertim ſtante ſubjecta materia officiorum ad nutum reſignabilium, quorum pretium poterat in dies augeri, pro-
12 ut uſque ad annum 1571. emanatæ Bullæ, jam creverat, & ipſemet Beatus Pius id agnoſcens in conceſſione alterius ex dictis officis primo vacaturi facta favore Collegii pro ſcutis 5500. auri, expreſſit augmentū pretii cedere debere commodo ipſius Collegii, ſi ergo poſtea mandavit in caſu ſuppreſſionis reſtitui ſingulis Secretariis, tunc viventibus, integras pecunias ab eis erogatas, quis non videt, quod includebantur integræ pecuniæ tam Datariæ, quam reſignantibus perſolutæ, dum utroque modo officia poterant à Secretariis acquiri? Alias deſtrueretur contextus Bullæ, nam nec integræ pecuniæ, nec ſingulis Secretariis, de tempore ſuppreſſionis viventibus, fieret reſtitutio, cum indubitatum eſſet plurimos ex eis mediante reſignatione officia fuiſſe habituros, ſicuti benè ponderatur in noſtra deciſione §. *Quod autem*.

Minus ſubſiſtit, quod B. Pius in dicta Bulla pluries acceperit verbum *reſtituere* in ſtricto ſignificatu retrodandi acceptum, ut in caſu reſtitutionis ſcutorum 5500. Cardinali Mediceo facienda, undeque eodem modo accipienda ſit in parte, de qua agitur, ubi juſſit reſtitui Secretariis pecunias in acquiſitione officii ſolutas, quia imò apparet Beatum Pontificem promiſcuè uſum fuiſſe verbis reſtituere, & ſol- 13
vere, nam loquendo de Camera, quæ receperat dictam ſummam, non utitur verbo reſtituere, ſed ſolvere, ibi: *Et ſi dictum Collegium, &c. turbabitur, &c. eo caſu Cameram prædictam ad ſolvendum cum effectu dictam ſummam ſcutorum 5500. una cum damnis, &c. teneri, &c.* ut in Motu proprio, & inferius loquens de Secretariis, qui pecunias habuerant, utitur verbo reſtituere, vel erogare, ibi, *præterea iiſdem Secretariis, ut commodius pecunias dicto Cardinali pro nobis, & noſtro nomine reſtituendas, ſeu erogandas reperire valeant, &c.* Unde apparet quod Beatus Pontifex non cum myſterio, ut exadverſo dicitur, appoſuit dicta verba, nomine noſtro reſtituendas, quaſi voluerit differentiam facere inter verbum ſolvere, & reſtituere, ſed quod promiſcuè adhibuit modo unam, modo alteram ſpeciem dictionis, proprium mentis conceptum explicantis.

Nec dicatur, quod expreſſit verbum ſolvere reſpectu Cameræ, licet recepiſſet ſcuta 5500. quia ibi ultra acceptum, illam obligavit ad damna, & intereſſe, nam adhuc urgeret improprietas ſermonis, dum reſpectu ſummæ principalis debeat eſſe reſtitutio, & non directa ſolutio, & hujuſmo- 14
di damna, uti acceſſoria, verè dicuntur reſtitui, & non ſolvi, juxta Text. *in l. curabit* 5. ibi, *Curabit Præſes compellere emptorem, qui nactus poſſeſſionem fructus percepit, partem pretii, quam penes ſe habet, una cum uſuris reſtituere, &c. C. de act. Empt.*

Præterea paſſim in aliis Bullis, quando tractatur de pecunia danda ei, qui illam jam exburſavit, uſurpatur verbum reſtituere, quamvis perſona reſtituens talem pecuniam non habuerit, & præſertim clarè hoc habetur in Bulla Juris 15
congrui Gregorii Decimitertii la 22. inter ejus impreſſas §. 9. ubi loquens de vicino non intimato, & petente prælationem contra illum, qui emit fundum, & pretium perſolvit, inquit Pontifex, quod vicino intra dictum annum petente, ſeque ad ædificandum obligante, & pretium emptori (ſi is illud accipere voluerit) reſtituente, &c. venditio ei 16
facta cenſeatur, &c. concluditur ergo, quod verbum reſtituere verè, & propriè accipitur pro dare, & ſolvere, quando eſt directum, ut hic favore perſonæ, quæ jam pretium, ſeu pecunias exburſavit, nec eſt curandum, an promittens talem reſtitutionem, habuerit, vel ne pecunias reſtituendas, ut de ſe patet.

Fruſtra verò exadverſo inſiſtitur verba prædicta eſſe directa ipſi Papæ, & ſucceſſoribus, qui Collegium ſupprimere poterant, non autem officialibus, quia reſpectu ſuppreſſionis certum eſt, quod verba verificantur in Pontifice, ibi: *Volentes, &c. ullo unquam tempore per nos, aut Romanos Pontifices Collegium ipſum ſupprimi non poſſe, &c.* Sed 17
alia verba ſequentia, *Niſi reſtitutis priùs realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis tunc viventibus integrè, & abſque diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit*, ſunt litteraliter directa favore Secretariorum, ut nempè illis prius à Pontifice ſupprimendo reſtituantur pecuniæ ab eis erogatæ in emptione officiorum.

Abſurdum, quòd pecuniæ non reſtituerentur integrè, nec ſingulis Secretariis, eſt inevitabile, & adeò torquet DD. Camerales, ut pro illo evitando in reſtrictu primi articuli §. *Nihil proinde cum ſeq.* quaſi compoſuerint ad proprium ſenſum novam Bullam B. Pii, ſub ſpecioſo vocabulo interpretationis ſuppletivæ, ut nempè dicat; *Niſi reſtitutis pecu-*

niis,

eiusdem, pro quibus eos, vel eorum Auctores à Papa emisse, vel habuisse officia constiterit, & tamen certum est, quod B. Pius tales restrictivas, & declarationes nunquam apposuit, sed
18 indefinitè mandavit restitui singulis Secretariis totum id, quod in emptione officiorum eos impendisse constiterit, caveant ergo RR. Patres, ne hoc modo Bullæ, & privilegia destruantur, Jam enim nihil unquam firmum de illis remaneret, si hoc permitteretur.

Insubsistens pariter est alia responsio ad declinandum absurdum augmenti pretii, quod scilicet adesset idem periculum ante Bullam B. Pii, ex quo Innocentius Octavus in casu suppressionis noluerit restitui nisi scuta 62400. auri soluta, Jam enim supra in principio probavi, hoc assumptum
19 nullum habere fundamentum, & quatenus aliquod dubium ex dicta Bulla Innocentii oriri potuisset, fuisset totaliter sublatum ex nostra Bullâ B. Pii, qui voluit Secretarios assecurare, ut eis semper restitueretur pretium in emptione officiorum erogatum.

Quoad secundum Articulum exadverso exaratum, quod mens, & intentio B. Pii fuerit solùm ordinare restitutionem pretii accepti per Datariam, pauca attingam in facto, cùm ferè omnia sublata sint ex supradictis, & corruant ex ipsa lectura nostræ Bullæ.

Primò ergo supplicamus caveri à toties in hoc articulo replicato supposito, quod in Bulla Innocentii Octavi non sit ordinata restitutio pretii, nisi scutorum 62400. auri solutorum Cameræ, arguendo ex illo, quod B. Pius præsumatur se cum dicta Bulla conformare voluisse, dum illam confirmavit, ac etiam cum dispositione Juris, secundum quam dicitur, quod Camera non tenetur restituere, nisi quod accepit, nam hæc omnia sunt argumenta de subjecto non supponente, ut supra, & latius in præterita positione fuit comprobatum, & in omnem casum dum B. Pius proficendo ma-
20 jora indulgere Secretariis privilegia, præcisè ordinavit, illis restitui integras pecunias, quas expendisse in emptionibus officiorum docuerint, planum est, quod aliquid plus addere voluit favore Secretariorum, nempè totalem pecuniarum impensatum restitutionem.

Secundò negatur in facto prætensa observantia B. Pii, quia scilicet in suppressione Montis Julii vacabilis restitui
21 jusserit solum pretium à Camera receptum, nam in Summario partis numer. 5. solum legitur, quod B. Pius reduxit fructus dicti Montis à scutis 12. ad decem cum dimidio pro centenario, & si quis noluisset reductioni acquiescere, ordinavit illi restitui scuta 100. pro quolibet loco, hinc autem non resultat observantia exadverso supposita, tum quia per Cameram non justificatur, quod tunc temporis talia loca essent majoris valoris, quàm scutorum 100. pro loco, nec quod pluris fuissent empta per Montistas; Tum etiam quia non fuit illa suppressio Montis, sed sola reductio fructuum, & receptio scut. 100. pro loco erat merè voluntaria, quoad Montistas, itaut contenti de reductione loca dimittere non cogebantur.

Tertiò exagerata æquitas erga Cameram, ex eo quod si officia decrevissent in pretio, adhuc restitutio regulanda fuisset ab accepto, corruit ex supra deductis in §. Idque summa cum ratione, & melius ex ipso facto subsecuto; Ideo enim Camera nuper supprimere voluit hæc officia reddentia in fructu annua scuta 40. mil. circiter, quia maximam retrahebat utilitatem, imbursando adeo ingentem annuum redditum, aliàs certè illa non suppressisset; Unde etiamsi fieret restitutio integra capitalis expensi per Secretarios, ascendentis ad summam scut. 368. mil. uti per hoc Sacrum Tribunal fuit resolutum, detractis fructibus istius capitalis ad rationem scutorum 4. pro centenario, adhuc remanerent ad lucrum Cameræ annua scuta 25. mil. de qua evidentissima utilitate testatur R. P. D. de Luca in suo tertio discursu,
22 edito in hac materia in fine, ubi concludens, quod Secretariis erat restituen. pretium etiam solutum resignantibus, ne essent in damno, inquit: *Quod licet Camera certet de damno vitando, & ne cogatur restituere quod non accepit, attamen in isto concursu potior videtur conditio Officialium, quorum damnum est maius, & irreparabile, dum è converso damnum Cameræ reparatur à magna utilitate, quæ ex ista suppressione resultat.*

Et tamen non obstante tam maxima utilitate redditum, quàm Camera retraxit ex suppressione, cum damno tam evidenti Officialium, qui ex fructibus dictorum Officiorum proprium statum honorabiliter substentabant, adhuc DD. Camerales non contenti prætendunt augere præjudicium iisdem Officialibus, ferè de medietate pretii per eos erogati in emptione Officiorum, dum sola scuta 228557. usque in præsens restituerunt, & sic eos propriis patrimoniis totaliter privare, præsertim respectu illorum Officialium, quibus nihil solutum fuit; Unde omnis æquitas, & justitia clamat, ut succurratur nostris Principalibus, ne sub bo- 23
na fide publici commercii, propriæ substantiæ jacturam adeo infeliciter patiantur.

Quartò conatur pars adversa persuadere plurimas provenisse Secretariis utilitates ex dicta Bulla B. Pii, supposita etiam sola restitutione pretii soluti Datariæ, sed quia omnia contenta in §. ex hujusmodi autem usque ad finem secundi articuli, verbis quidem speciosa, re tamen inania sunt ideò transmittuntur, supplicando adverti, quòd re vera Bulla fuisset frustatoria, si non assecurasset Secretarios de pretio soluto resignantibus, nam pretium solutum Datariæ, etiam secluſa hac Bulla, erat incontrovertibile, ut superius diximus, nec tam improprium videri debet, quod B. Pontifex, dum professus fuit confirmare, ac innovare 24
privilegia expressa in Bulla Innocentii Octavi, illa voluerit ampliare, aliaque de novo addere, ac si eodem tempore, duo inter se contraria agere voluisset, quod tanquam absurdum reputatur, siquidem ex facto tollitur prætensio improprietatis, dum re vera in sua Bulla, nedum antiqua privilegia confirmavit, sed etiam verbis expressis nova favore Collegii addidit, & concessit, supervacaneum igitur est quærere quid facere voluerit, si expresse patet, quod facere voluit.

Nec obstat id verisimiliter concedere voluisse cùm de- 25
cantato Cameræ præjudicio, nam experientia docuit nullum præjudicium, imò ingentem utilitatem in casu suppressionis Cameram reportasse, prout dixmus supra, ac etiam infra probabimus.

Respectu tertii articuli, in quo DD. Camerales prætendunt dictam promissionem Beati Pii restituendi pretium etiam resignantibus solutum, esse irritam, ex defectu registrationis à Pio Quarto in gratiis, etiam in minimo Cameræ præjudicialibus, ordinatæ, ac ex regula de Jure quæsito, cui non fuit derogatum, & quod in omnem casum, uti mera donatio maximè læsiva Cameræ, fuisset à Constitutionibus revocatoriis sublata, facillimè respondetur, nempè assertum defectum registrationis exadverso non proba- 26
ri, & tamen uti fundamentum intentionis Cameræ deberet justificari talis negativa, ad tradita per Rot. *dec. s.* 268. *n.* 1. coram Gregor. *& decis.* 305. *num.* 1. *part.* 8. *recent.* Imò cum contenta in dicta Bulla Beati Pii fuerint executioni demandata, scilicet restitutio scut. 5500. auri facta Cardinali Mediceo, census ad talem effectum impositi, & deinde extincti, nec non actualis consecutio officii postea vacati. Inde insurgit invalidissima præsumptio, quod omnia ritè, & rectè servata, juncto spatio centum, & ultra annorum, 27
cùm tamen satis essent 30. anni, ut in fortioribus terminis præsumpti beneplaciti Apostolici, Gregor. *dec.* 343. *num.* 1. cum aliis vulgatis.

Derogatio autem prætenso Juri quæsito, quatenus necessaria foret, satis apparet ex clausulis derogatoriis, tam in Motu proprio, ibi: *Præsentes autem litteras, & in eis contenta quæcumque, nullo tempore de subreptionis, aut obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, aut impugnari posse, &c. non obstan. fel. rec. Pauli Secundi de reb. Eccl. non alien. ac nostra de non obligan. & pignoran. fructibus Rom. Curiæ in Cancellaria Apostolica, & aliis respectivè regulis editis, vel edendis, &c. quam in Brevi desuper expedito*, ibi, *non obstantibus Constitutionibus, & ordinationis Apostolicis, etiam Motu proprio simili, in contrarium quomodolibet facien. &c.* Ex quibus apparet Papam voluisse facere concessio- 28
nem, non obstante, quod Juribus Cameræ esset detraheñ. Rocc. *conf.* 1. *num.* 19. *tom.* 1. Alex. *conf.* 92. *n.* 32. *lib.* 6. Spad. *conf.* 47. *n.* 5. *lib.* 2. Rot. *decis.* 407. *n.* 10. *in fin. part.* 3. *recent.* ubi quod in hac derogatione Juris quæsiti non est data certa formula verborum, sed sufficit, quod Papa utatur verbis quomodocumque derogatoriis.

Ultra quod negatur hoc prætensum Jus quæsitum Cameræ, cùm jam supra ostensum fuerit, non solum nullum ei fuisse Jus quæsitum non restituendi plus quam scut. 62400. auri, in quo DD. Camerales videntur insistere, sed etiam Cameram in suppressione Officiorum teneri, ex dispositione Juris, restituere Officialibus integrum pretium etiam resignantibus persolutum, ne isti sub bona fide publici commercii damnum patiantur. Indeque non erat

29 opus aliqua derogatione, nisi Jus sit plenè quæsitum, & clarum, Rot. *decis.* 208, *num.* 7. *par.* 3. *recent.*

Verum omnes isti prætensi defectus cessant penitus ex
30 Bulla Sixti Quinti edita prima Aprilis 1586. in qua confirmavit omnia disposita in prædicta Bulla Beati Pii Quinti favore Secretariorum, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjecit, omnesque, & singulos tam Juris, quàm facti defectu supplevit, additis amplissimis derogationibus Bullæ Pii Quarti de registran. regulæ de jure quæsito non tollendo, & clausula sublata, & decreto irritanti, prout in dicta Bulla *Bullar. veter. tom.* 2. *const.* 29. §. 17. & 18.

Ac ulterius dissipatur omnis umbra difficultatis ex Chi-
31 rographo Sanctæ Mem. Gregorii Decimiquinti, roborato litteris in forma Brevis emanati de anno 1623. super transactione inita inter Cameram, & nostros Secretarios, in qua Secretarii remiserunt, & renunciarunt Cameræ omnia jura, & prætensiones, quas habebant ob varia emolumenta ipsis non soluta. In illis enim Papa amplissimè confirmavit omnia privilegia, gratias, emolumenta, & jura Collegio concessa, tam à Beato Pio Quinto, quàm ab aliis prædecessoribus Pontificibus, declarans supradicta omnia fuisse, ac intelligi debere concessa ex titulo, & causa verè onerosa, & uti talia perpetuò ab eisdem Secretariis observari debere, ac si mediante contractu jurato in forma Cameræ essent stipulata. Cùm ergo ultra deducta in præterita positione, & ad comprobationem nostræ decisionis de novo justificatum fuerit, quod promissio facta in dicta Bulla
32 B. Pii toties fuit confirmata, & quidem ex titulo oneroso, eliminatæ prorsùs remanent prætensiones Cameræ, & eo facilius pro restitutione integri pretii resignantibus soluti venit pronunciandum.

Hinc corruit objectum, quod promissio restituendi Secretariis totum pretium ab eis erogatum, sit mera donatio cadens sub Constitutionibus revocatoriis, imò intulerit Cameræ enormissimam læsionem, nam præter quod talis promissio fuit actus justitiæ, ne scilicet Secretarii bonæ fide contrahentes essent in damno motivum est prorsus aereum, tum quia ex Pontificum Constitutionibus, supra recensitis, omnia in Bulla B. Pii, aliorumque Pontificum litteris contenta favore Secretariorum, canonizantur concessa ex titulo, & causa onerosa, indeque prætensio donationis, & tituli gratuiti funditus remanet elisa, tum quia B. Pius nedum concessit dictam majorem assecurationem, ut rem utile faceret Collegio, eique solutionem pro ipso factam Cardinali Mediceo rependeret; Verum etiam ut prædicta officia, quorum pretia jam valdè erant diminuta, iterùm in creditum redigeret, unde postea Rev. Cameræ utilitas majoris pretii resultaret, prout effectus demonstravit. De anno enim 1565. sexennio ante Constitutionem B. Pii à Dataria fuit venditum unum ex istis officiis, vacatum per promotionem Cardinalis Ugonis Boncompagni, Cypriano Pallavicino pro scutis 6200. auri, ut habetur in notula nuper à Dataria in suppressione edita pro officio, quod possidebatur à Domino Marchione Sigismundo Raggio, cujus principium usque ad illud tempus fuit retrotractum, ac de eodem anno aliud officium vacatum per obitum Bartholomæi Camerarii fuit per Datariam in pignus perpetuum datum Bartholomæo Conciono pro scut. 7700. ut ex novo Summario Rev. Cameræ num. 4. litt. D. de anno verò 1571. quo prodiit Bulla B. Pii, duo officia vendita fuerunt pro scutis tantùm 5500. auri, unum scilicet Cardinali Mediceo, de quo supra dictum est, nec controvertitur, alterum Alexandro Ruspolo Auctori Domini Marchionis Bartholomæi Ruspuli, prout apparet ex eisdem notulis à Dataria exhibitis, ex his absque controversia patet pretii decrescentia, ex sequentibus patebit augmentum, siquidem ex iisdem notulis à Dataria publicatis habetur, quòd Dominicus Attorius officium vacatum per mortem Petri Ruiz emit à Dataria anno 1582. pro scutis 7600. auri, quod officium pervenit postea ad Dominum Ducem Salviatum, cui ob dictam causam fuerunt tantùm restituta prædicta scuta 7600. auri: Ecce igitur, quòd ante assecurationem vendebantur officia scutis 6200. auri, tempore verò assecurationis valebant tantùm scuta 5500. Deinde post assecurationem creverant usque ad scuta 7300. auri, quod pretium semper deinde magis excrevit, ex novis confirmationibus editis favore Collegii à Summis Pontificibus B. Pii
33 successoribus; Propterea negari non potest, quin maximum lucrum supervenerit Cameræ, dum vendidit officia longè pluris, quàm vendidisset sine assecuratione, & privilegio, de quibus agitur. Tollitur igitur ex facto, quod gratia prædicta haberi debeat, tamquam donatio, imò apparet B. Pontificem hanc legem promulgasse, non minus pro maiori securitate Officialium, quàm ad commodum, & utilitatem Rev. Cameræ, ut scilicet ad primævum creditum officia redirent; Cumque hujus privilegii intuitu Secretarii deinde ementes officia majus pretium erogaverint, negari non potest, quin respectu nostrorum principalium dicta Bulla B. Pii, promittens integri pretii restitutionem, fuerit pars, seu causa majoris pretii impensi in officiorum acquisitione, & sic eo magis vera causa onerosa, & si talis Bulla non adfuisset, multi officia non emissent, atque ideò in Constitutionibus revocatoriis comprehendi non possunt, ut habetur in Constitutione Innocentii Decimi exadverso *allegat.* §. 13. præsertim etiam quia prætensæ revocationes cadunt specialiter super exemptione à solutione vectigalium, aliarumque impositionum, seu onerum, quæ solvi solent, vel Rev. Cameræ, vel Communitatibus, aliàs esset pervertere Mundum, nec Pontifices certi essent de gratificando subditos, nec subditi recipiendi gratias à Principe, quod quantum abhorreat à publico civili commercio, satis ex se patet.

Postremò asserta læsio Cameræ, deducta ex augmento pretii istorum officiorum, quod causatum dicitur ab effrenata facultate resignandi, etiam in mortis articulo in Bulla Innocentiana concessa, & exinde rarissimè contigerint officiorum vacationes per obitum, ut dicitur in informatione juris super tertio articulo §. *ex alio etiam capite* prorsus negatur, nedum ex supradictis, sed quia in facto litteraliter convincitur contrarium ex ipso Summario Cameræ 34
num. 4. quamvis enim exadverso supponatur, quod à tempore erectionis ad tempus Bullæ Beati Pii, & sic spatio 84. annorum quinque tantùm officia vacaverint, veritas tamen est, quod vacarunt per obitum, & respectivè per promotionem officia quadraginta, & deinde usque ad annum 1587. vacarunt alia decem officia, & sic spatio primi sæculi Camera lucrata fuit officia 50. ut perspicuè legitur in dicto Summario Cameræ num. 4.

Itidem ab anno 1587. usque ad suppressionem alia 33. va- 35
carunt officia, prout in nostro novo Summario numer. 5. quæ Camera secundum pretium currens, augmentarum tam ob supervenientiam privilegii contenti in Bulla B. Pii, quàm forsasse ex pecuniarum affluentia, vendidit, & pretium imbursavit, adeout tam ex valore omnium supradictorum officiorum vacatorum, & respectivè venditorum à Rev. Camera, quàm ex emolumentis Componendarum retraxerit in totum vigente Collegio, scuta decies centena centum viginti unum millia sexcenta quinquaginta septem. Quomodo ergo hodie Camera potest contra dictam Bullam obiicere læsionem, etiamsi restitueret scuta 368. m. ad rationem pretii ab unoquoque Officiali soluti, prout emanavit resolutio hujus Sacri Tribunalis, si tam magnam pecuniarum summam recepit, unde utilitas, & lucrum Rev. Cameræ remanet in scutis septies centenis quinquaginta quatuor millibus octingentis quinquaginta septem, ultra scuta annua 25. mil. prout ostensum fuit supra in §. *exagerata æquitas*, supplicando insuper reflectere, quòd (quidquid exadverso dicatur circa facultatem admissarum resignationum DD. Secretariis senibus, & infirmis) de hoc nihil subsistit. Primò, quia revera vacarunt duo officia singulis ternis annis, non modica quidem vacatio in solo numero viginti quatuor Officiorum. Secundò, quia Dataria eumdem rigorem tenere voluit cum istis officiis, quem tenet circa alia vacabilia, & notorium est, quòd uni ex DD. Secretariis nunquam voluit resignationem admittere, imò apertis litteris hoc declaravit in Bulla suppressionis circa finem, ibi: *per præsentes verò non intendimus sub præmissa pretii restitutione officiorum huiusmodi comprehendi illum, seu illos, qui ratione gravis ætatis, iuxta nostræ Datariæ stylum, & observantiam ad officii resignationem admittendi non essent*, &c. licet assumptum in casu hodierno non militet, quia non sumus 36
in resignatione, sed in suppressione, qua stante omnibus indistinctè pretium venit restituendum, ut probavimus in alia positione, ideò augmentum pretii ex facilitate resignandi, nec ex augmento redditum (ut tunc, & aliàs pro parte Cameræ suppositum fuit) sed ex qualitate temporum, & ex majori securitate recuperandi integrum pretium solutum vigore Constitutionis B. Pii, aliorumque Pontificum ejus successorum, evenisse fatendum est,

Tan-

Tandem quoad quartum articulum, in quo Camera aſſerit promiſſionem prædictam B. Pii non poſſe verificari, niſi in Secretariis exiſtentibus de tempore emanatæ Bullæ, parum eſt immorandum, cùm illius inſubſiſtentia ſit apertiſſima, ſiquidem B. Pius non ſolùm verba direxit in Secretarios tunc exiſtentes, ſed nominavit quoque Collegium, ibi: *Indulta, gratias, & modo, & forma, quibus per prædeceſſores conceſſa fuerunt iiſdem Secretariis, & Collegio eorum de novo concedimus &c.* & ibi, *volentes &c. illa ullo umquam tempore revocari &c. aut Collegium ipſum ſupprimi, aut extingui non poſſe, niſi reſtitutis &c. integrè, &c. ſingulis Secretariis tunc viuentibus &c. pecuniis &c. pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit &c.* Si ergo conceſſio facta eſt Collegio, dubio procul comprehendit omnes, qui uſque ad ſuppreſſionem futuri erant de dicto Collegio; Nihil enim
37 refert, an aliqui, vel omnès mutentur, ſemper namque idem Collegium reputatur, *l. ſicut §. fin. ff. quod cuiuſque univerſ. nom. l. proponebatur 76. verſ. nam & legionem eamdem ff. de Iudic.*

Perperam autem dicitur illa verba, *ſingulis Secretariis tunc viuentibus*, non habere alium congruum intellectum, quam quod reſtitutio fiat Secretariis exiſtentibus de tem-
38 pore emanatæ Bullæ, qui viverent de tempore ſuppreſſionis. Dum B. Pius reſpexit ad tempus remotiſſimum ſuppreſſionis, quæ poſt ſæcula evenire poterat, prout evenit poſt 106. annos, de quo tempore nemo ex dictis Secretariis poteſt vivere, maximè quia dicta officia erant ad nutum reſignabilia, & Secretarii tunc in Collegio exiſtentes poterant paulò poſt officia reſignare, ſanè hoc modo Bulla redderetur eluſoria, & mens B. Pontificis totaliter deſtrueretur, dum ipſe apertiſſimè voluit omnibus, qui futuri eſſent de Collegio, uſque ad tempus ſuppreſſionis, providere.

Nec dicatur, quod cauſa dictæ conceſſionis fuerit gratitudo erga Secretarios tunc exiſtentes, qui mutuarunt ſcuta 5500. auri, ut exprimitur in Bulla, ibi: *Nos promptam Secretariorum voluntatem grat am habentes, &c.* & inde conceſſio fuerit perſonalis, nam reſpondetur, quod dicta 39
verba oſtendunt, quidem cauſam impulſivam, ac inductivam, ut ait Rot. *deciſ. 400. num. 28. & 29. part. 9. recent.* ſed exburſatio pecuniarum, quæ erat cauſa finalis, cum tangeret intereſſe ipſius Collegii, ſuper cujus redditibus, pro dd. 40
pecuniis comparandis, cenſus erat imponendus, & ad cujus Collegii onus remanebat, propterea jure merito conceſſio ex dicta cauſa finali emanata, realis, & favore omnium de Collegio cenſeri debet, ex tradit. per Rot. *d. deciſ. 400. n. 14. 15. & ſeqq. part. 9. recent. tom. 2.*

Cæterùm omnibus, quæ per Cameram in quatuor articulis objiciuntur, latè ſatisfaciunt DD. mei in Jure ſcribentes.

At quia noſtris principalibus non ſolùm debetur integrum pretium reſignantibus ſolutum, & in noſtra deciſione firmatum, ſed etiam majus, quod currebat tempore ſuppreſſionis, venit refundendum, ſicut probavimus in præterita poſitione. Ideò ſupplicantur RR. Patres pro dati quoque pretii currentis reſtitutione favorabiliter reſpondere.

L. Quare, &c.

Gaſpar Turchus.

Reſtrictus Juris ſuper primo Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Latè defenditur in præſenti diſcurſu, quod ex proprietate verborum, & toto contextu Motus proprii B. Pii, Camera tenetur ad reſtitutionem pretii per ſingulos Officiales ſoluti. Qua occaſione plenè agitur de vero, & proprio ſignificatu verbi *reſtituere*, plurimique adducuntur caſus, in quibus leges, & Doctores uſurparunt verbum *reſtituere* pro dare, & ſolvere.

SVMMARIVM.

1 *VErbum* reſtituere *verificatur etiam in eo, quod acceptum non fuit.*
2 *Significat propriè dare.*
3 *Gloſſa, quæ contrariatur textus diſpoſitioni attendi non debet.*
4 *Verbum* reſtituere *magis latè patet, quàm verbum reddere.*
5 *In iure verbum* reſtituere *ſignificat idem ac ſolvere, et num. 37.*
6 *Maximè ſi ſolutio fiat ei, qui pecunias exburſauit, quia tunc reſpectu recipientis dicitur reſtitutio.*
7 *In retractu prælativo retrahens dicitur reſtituere primo emptori pretium, quod ipſi retrahenti ſolutum non fuit.*
8 *Verificatur etiam in exercitio iuris congrui.*
9 *Maritus dicitur reſtituere uxori dotem promiſſam, ſed non receptam.*
10 *Pater dicitur reſtituere dotem exactam à filio, non obſtante, quod ille nihil habuerit.*
11 *Verbum* reddere, *non ſolùm ſignificat retrodare, ſed etiam per ſe dare.*
12 *Quis dicitur reſtituere damna, quæ alius paſſus fuit, licet reſtituens nihil receperit.*
13 *Reſtitutio ſignificat emendationem, et ſatisfactionem damni, et num. 36.*
14 *Reſtitutio vocatur refectio damni, debita per emptorem, qui partem pretii non ſolvit, iuxta terminos* l. curabit C. de action. empt.
15 *Reintegratio damni erga filium patientem evictionem in legitima appellatur in iure reſtitutio.*
Card. de Luca de Offic. Venal. &c.
16 *Solutio facienda collitiganti pro expenſis dicitur reſtitutio.*
17 *Dictio* ſingulis *omnes pariformiter determinat, et tribuit cuilibet actum in ſolidum.*
18 *Non verificatur in uno dumtaxat.*
19 *Dictio* eos *eſt perſonaliſſima, et repetit qualitates præcedentes.*
20 *Verbum* habere *magis latè patet, quàm verbum* emere, *cùm comprehendat omnes modos acquiſitionis.*
21 *In reſignationibus propriè non verificatur* emere, *ſed* habere.
22 *Verba* integrè, & abſque diminutione *important obligationem reſtituendi pretium omninò integrum, et totale.*
23 *Suppletio alicuius verbi quando in iure admittatur.*
24 *In oratione perfecta ſuppletio, et ſubauditio de iure non permittitur, ſed eſt attenda ſcriptura.*
25 *Reſignatarius non dicitur recognoſcere, et acquirere officium à reſignante, ſed à Principe reſignationem admittente.*
26 *De iure in ſuppreſſione Officiorum reſtituendum eſt pretium, quod fuit erogatum in emptione officii, ſive illud ſolutum ſit Cameræ, ſive reſignantibus.*
27 *Verba clara nulla indigent interpretatione.*
28 *Ex diſcretivo modo loquendi arguitur diverſa voluntas.*
29 *Privilegia latiſſimam recipiunt interpretationem contra concedentem.*
30 *Non debent eſſe inutilia, et fruſtratoria.*
31 *Ex proœmio deprehenditur ratio finalis.*
32 *Reſtitutio facienda integrè, et ſine diminutione importat ſecuritatem damnique evitationem.*
33 *Quis non dicitur conſervari indemnis, niſi integrum pretium ſibi reſtituatur.*
34 *Loco damnorum, et intereſſe non venit pretium auctum.*
35 *Venit intereſſe accidentale.*
37 *Verbat* reſtituere, *et* ſolvere *fuerunt accepta pro ſynonymis in Conſtitutione Piana.*
38 *Sicuti* reſtituere, *et* erogare.
39 *Actio ex empto dicitur bonæ fidei.*
40 *In actione ex empto verbum* reſtituere *accipitur pro* dare, *et* ſolvere.
41 *Reſtitutio pretii eſt facienda emptori, et ſecundum id, quod ſua intereſt, non ſecundum, id quod intereſt venditoris.*

R. P. STandum est in decisis, non obstantibus exadverso deductis, & incipiendo à primo articulo juxta ordinem propositum per DD. meos pro Camera scribentes: Dicimus, quod ex proprietate verborum, & ex toto contextu Motus proprii Beati Pii Quinti restituendum est omnibus Secretariis pretium per ipsos solutum.

Et sanè hoc suadet proprietas verbi *restituere*, licet enim 1 aliquando hoc verbum respiciat terminum à quo, & terminum ad quem, hoc est dantem, & recipientem, & isto casu procedant auctoritates exadverso cumulatæ in principio primi Restrictus; Attamen etiam de sui natura respicit solum recipientem, adeò ut benè dicitur, & in grammaticali, & legali sensu restitui id, quod à restituente acceptum non fuit. Hic textus *in l. verbum reddendi ff. de verborum signific.* ait, *quod, & si verbum reddendi significationem habeat retrodandi, recipit tamen, & per se dandi significationem, & in l. hæres meus ff. de legat. 3. dicitur, qui reddere iubet, simul & dare iubet*, Jason. *in rubr. ff. solut. matrimonio*, Alberic. *in Dictionario litt. R. vers. Restituere quandoque*, Cardinalis Tuschus *litt. R. concluſ. 302. n. 5.* Roland. *cons. 75. n. 8. & seqq. lib. 2.* Capyc. Latr. *consult. 2. n. 46.* Altograd. *consult. 3. num. 5. lib. 2.* Bois. *de dot. cap. 2. num. 63.* Alciat. *cons. 10. num. 15. cum seqq. lib. 9.* Soccin. sen. *cons. 90. n. 21. lib. 4. ibi - Promisit reficere, & restituere, verbum autem restituere importat idem, quod dare*, Rum. *cons. 197. num. 1. in fine lib. 1.* Eugen. *cons. 75. num. 21. & seqq. lib. 2.* Rebuff. *in l. restituere 75. ff. de verb. signific. & in l. verbum reddendi ff. de verb. signific. vers. & infert gloss. ubi dicit, quod verbum reddere*, habet propriè dandi significationem, *& respondet ad gloss. in l. verbum reddendi exadverso allegatam*, 2 3 quæ tanquam contraria claræ textus dispositioni attendi non debet, Vesembec. *cons. 6. num. 92. tit. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Barbos. *dict. 350. num. 2.* Rot. coram Arguel. *decis. 77. num. 14.*

Nec est facienda differentia inter *verbum reddere, & verbum restituere, quia imo hoc verbum restituere latius est*, 4 & pleniorem habet significationem, quàm illud verbum *reddere*, Eugen. *dicto consil. 75. num. 22.* Rebuff. *in d. l. restituere 75. verbo sexto generalius ff. de verbor. signific.* quare si admittitur exadverso, *quod verbum reddere*, etiam in nostro casu verificetur, tantò magis idem dicendum erit *de verbo restituere*.

Cùm, & in jure *verbum restituere*, reputetur idem, ac 5 *solvere*, Cagnol. *in l. curabit num. 70. C. de act. empt.* Gratian. *cap. 130. num. 11. & seq. & decis. Marchiæ 147. num. 6.* Capyc. Latr. *consult. 2. num. 46. lib. 1.* Cardinalis Tuschus *verb. restituere concluſ. 302. num. 5.* & ad hoc sunt textus litterales *in l. si quis maior. Cod. de transact.* ibi: *restituta pœna*, quod à DD. interpetatur, *hoc est data pœna*, ut explicat Gratian. *ex adverso allegatus cap. 770. num. 11. in leg. si non transactionis Cod. de Iur. & facti ignorantia*, ibi: *Reddito quod debetis, & in l. ad fraudem Cod. ne fiscus, vel Respublica*, ibi: *Redde itaque, quod fisco nostro debes*, quibus etiam congruit illud Euangelii: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo*.

Quæ sine difficultate procedunt, quoties, prout in casu præsenti, solutio fieri debet illi, qui pecunias exbursavit, 6 nam tunc respectu recipientis, vel recipere debentis, sine dubio dicitur vera restitutio, & id quod præstatur verè restitui dicitur, ut probat clarè textus in *l. debet 27. in fine*, ibi. *Quid ergo si forte Vectigalis nomine datum est, quod emptorem forte sequeretur, dicemus hoc quoque restituendum ff. de ædilit. edicto*, ubi disponitur, quod si res vendita redhibeatur, restituit debet emptori, id quod gabellæ nomine solutum est, 7 licet ab ipso redhibente non fuerit solutum, & sic etiam in retractu prælativo dicitur restitui per retrahentem pretium primo emptori, licet ab ipso retrahente non fuisset solutum, ex Tiraquel. *de retract. lignag. §. 1. glos. 18. num. 1. & 5. in fine vers. & facit item textus, & numer. 8. & 11. cum seqq. & num. 78. & ad finem tituli sub numer. 10.* Ermosil. ad Lopez. *tit. 5. l. 53. num. 45.* & Constitutio sanct. mem. Gregorii Decimitertii super jure congrui *la 22. §. 9.* 8 mandatur pretium per primum emptorem solutum illi restitui per retrahentem, & ita utitur verbo restitutionis respectu pretii, quod dictus retrahens non solverat, sed tantùm primus emptor.

9 Hinc in durioribus maritus dicitur restituere uxori dotem, etiam simpliciter promissam, quamvis illam non habuerit, Altograd. *cons. 30. num. 5. lib. 2.* R. P. D. de Luca *de dote discurs. 70. num. 6. & discurs. 71. num. 12. vers. firmato*. Pater dicitur restituere dotem exactam à filio, non obstante, quod ipse nihil receperit, *l. si cum dotem §. transgrediamur ff. soluto matrimonio*, & ibi Barbos. *num. 13.* Capyc. Latr. *decis. 36. num. 2.* Eodem modo si maritus restituat dotem, & ulterius aliquid leget reddendæ dotis nomine, 11 dicitur etiam propriè loqui, licet restituat id, quod non accepit, ea ratione, quia verbum *reddendi quamquam habeat significationem retrodandi recipit tamen, & per se dandi significationem*, sunt verba præcisa alterius text. *in l. cum quidam 21. ff. de legat. 2.* 10

Eademque ratione dicitur quis restituere damna, quæ 12 alius passus fuit, & tamen is, qui restituit non recepit, Molin. *de Iust. & iur. tom. 2. disput. 47. versic. quando autem*, Less. *eodem tract. lib. 2. cap. 7. dubit. 4. numer. 15. vers. apud Theolog.* ibi: *Hoc modo, qui damnum intulit illud compensat, & æquivalens rependit*: Navar. *in manual. tom. 2. cap. 2. num. 1. vers. accepta vero*, Bonacin. *de contract. tom. 2. disput. 1. quæst. 1. fol. mihi 429.* Federic. de Sen. *consil. 18.* ubi 13 quod restitutio debet intelligi pro emendatione, & satisfactione damni, & Federicum sequitur Card. Tuschus *dicta concluſ. 301. num. 2.*

Sic Imperator in *l. curabit 5 C. de act. empt.* restitutionem vocat id, quod emptor, qui partem pretii non solverat 14 tenetur erga venditorem simplex damnum recuperantem, *& in leg. qui ex lege C. de pact.* inter emptorem, & venditorem, *& in l. scimus 36. §. Sancimus C. de inoffic. testam.* ubi 15 restitutionem vocat similem reintegrationem damni erga filium patientem evictionem in legitima, ac iterum *in leg. Sancimus 3. vers. nisi prius C. de iudic.* ubi restitutionem ap- 16 pellat solutionem expensarum faciendarum collitiganti à contumace ex solo motivo, quod collitigans prius dicta expensas solverat.

Hæc, & alia, quæ ita in abstracto deduci possent ad comprobandum, quod verbum *restituere* benè verificatur in casu nostro ex interpretatione, ut exadverso dicitur, sed ex sui proprietate clariora evadunt ex toto contextu Motus proprii Beati Pii Quinti, etenim verbum *restituere* non respicit Cameram solventem, sed Secretarios recipientes, ideò patet, quod fuit acceptum in eo sensu, quo præcisè verificetur in emendatione damni, & in solutione ejus, quòd à Secretariis fuit exbursatum. Nam ibi dicitur *restitutis pecuniis singulis Secretariis tunc viventibus integrè, & absque ulla diminutione, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit*. Ideò si esset solùm restituendum pretium receptum à Camera, restitutio non fieret singulis Secretariis, quia non omnes officia acquisiverunt à Camera, sed plures illa per resignationem, etiam de tempore editæ Constitutionis, habuerant. Tunc enim duæ ex tribus partibus Secretariorum Officia possidebant per resignationem, & reliqua tantùm tertia pars per vacationem. Cumque hoc neque exadverso prærendatur, in necessariam consequentiam dici debet, quod verbum *restituere* non respicit Cameram recipientem, sed Secretarios solventes, quoniam illa dictio 17 *singulis* omnes pariformiter determinat, & actum tribuens cuilibet in solidum, omnes indistinctè eodem modo comprehendit, *l. non distinguemus §. cum in plures ff. de receptis arbitris, l. vel singulis ff. de vulgari, & pupillari*, Gallial. *in l. 2. §. ex his num. 23. ff. de verbor. obligat.* Soccin. Sen. *consil. 50. num. 1. lib. 1.* Barbos. *dict. 312. num. 1.* Mart. *de clauſ. part. 1. clauſ. 360. num. 2.* Surd. *decis. 268. num. 5.* Manent. 18 *decis. 43. num. 22.* nec in uno potest verificari Laur. de Pinù *cons. 106. n. 6.* Tusc. *litt. C. concluſ. 296. num. 19.*

Certius quia mandat restitui Secretariis tunc, ideſt tempore suppressionis viventibus, pecunias, quibus eos emisse, aut habuisse constiterit, quæ dictio *eos* est personalissima, & 19 repetitiva dictæ qualitatis *viventium tunc*, ideò refertur ad eos, qui essent Secretarii tempore suppressionis, *l. inter eos ff. de acquiren. rer. domin.* Cephal. *consil. 269. numer. 28.* Marcian. *cons. 8. num. 19. & 20. lib. 2.* ubi individualiter de dictione *eos* juncta verbis, qui vivunt, Seraphin. *decis. 189. num. 1.* Ubald. *decis. 156. num. 4.* Coccin. *decis. 1125. nu. 4. & 5.* & clarè ostendit B. Pontificem noluisse, quod Camera restitueret pecunias receptas, quod ei facilè fuisset decernere, sed quod restitueret pecunias, quibus constiterit Secretarios emisse, vel habuisse, ita complectendo non solùm casum emptionis, immediatè à Camera faciendæ, sed alium quemcumque modum, etiam per resignationem ac- 20 quirendi, cùm verbum *habere* magis latè pateat, quàm *emere*, & comprehendat alios modos acquisitionis, *l. stipulatio ista 38. §. Hæc quoque verba habere*, & ibi glos. *ff. de verbor.*

verbor. obligat. l. id apud ſe ff. de verbor. ſignificat. gloſſ. in l. habere verbo emerit eod. tit. Honded. *conſ. 69. num. 32. lib. 1.* Purpurat. *conſ. 599. num. 8. lib. 2.* Gratian. *cap. 838. numer. 9.*
21 *& ſequentib.* In reſignantibus enim verificari non poteſt propria emptio, dum officium verè habebatur à Papa, in cujus manibus fiebat libera reſignatio, ut per R. P. D. de Luca *de regal. diſc. 2. num. 9. & 10. & diſc. 12. num. 8. §. caterum §. ſequenti*, Papa autem verè non vendebat, cùm pretium non reciperet, & ideò opus fuit addere verbum habuiſſe.

22 Prout etiam idem indicant alia verba *integrè, & abſque ulla diminutione*, non enim reſtituerentur pecuniæ, quibus Secretarii officia habuerunt, ſi ſolveretur pretium primo loco à Camera receptum, & non illud Secretariis perſolutum, & Reſignantibus exburſatum, cùm dicta verba denotent omnem integritatem, & plenitudinem, abſque aliqua, licèt minima diminutione, Riminald. Jun. *conſ. 369. n. 36. & conſ. 622. num. 27.* Peregr. *conſ. 76. num. 66. lib. 4.* Camill. Medic. *conſ. 6. num. 46. cum ſeqq.* Barboſ. *diction. 177. per totam, & dict. 178.*

Quorum omnium verborum intellectus videtur clarus, & litteralis, & non verificaretur niſi ſingulis Secretariis integrum pretium per ipſos ſolutum in acquiſitione officii reſtitueretur. Idque agnoſcentes DD. pro Rev. Camera ſcribentes recurrunt ad ſuppletionem verborum, & ad repreſentationem Auctorum, qua neceſſe habent, ut verba prædicta ad improprium intellectum favore Cameræ reducantur, quaſi B. ille Pontifex dixerit reſtitutis pecuniis integrè, & ſine diminutione, pro quibus eos, vel eorum auctores, à Papa emiſſe, vel habuiſſe officia conſtiterit. At li-
23 cet aliquando in Jure admittatur interpretatio ſuppletiva alicujus verbi, id tamen fit ex neceſſitate, & quando aliàs cætera verba non haberent ſuum ſenſum, & oriretur contradictio cum reliquis partibus diſpoſitionis, adeout clarè appareret, quod fuit plus dictum, & minùs ſcriptum *l. non aliter 67. in principio ff. de legat. 3.* Cravet. *conſil. 47. num. 1. & 2.* Mantic. *de conject. ultim. volunt. lib. 3. tit. 19. numer. 5. & ſeqq. & de Tacit. lib. 2. tit. 5. numer. 10.* Rot. coram Coccin. *deciſ. 2305. num. 61. & 64.* Ceſſante tamen neceſſitate
24 addendi, prout hic, dum habemus orationem perfectam omnibus numeris abſolutam cum ſuo perfecto ſenſu, abſq; ulla contradictione ſuppletio, & ſubauditio de jure non eſt permiſſa, ſed ipſa ſcriptura eſt attendenda, *l. fin. ff. de manumiſſis teſtamento*, Bald. *conſ. 232. in fine verſ. & ad præſumendum lib. 5.* Menoch. *conſ. 327. numer. 38.* ubi poſt Imol. *dicit diſpoſitionem potiùs vitiari, quàm verba ſuppleri*, Peregr. *de fideic. art. 11. num. 27. & ſeqq.*

Sine difficultate in hoc caſu, quo in iſtis officiis vacabili-
25 bus non datur repreſentatio Auctorum, cum Officialis, licèt per reſignationem acquiſiverit, non dicatur recognoſcere, & acquirere officium à Reſignante, ſed ab ipſo Principe, qui reſignationem admiſit, quam veritatem agnovit, & pro ſua ingenuitate candidè, ut par erat, profeſſus fuit Illuſtriſſimus Dominus de Luca in ſuo primo diſcurſu ſuper ſuppreſſione Collegii incipien. Quamvis abſque dubio, ubi concludit, quod reſignatio *facta eſt cum conſenſu* (ſunt verba præciſa,) *& auctoritate Papæ, fingitur quod Reſignans dimiſerit officium in manu Principis, per viam extinctionis ſui iuris, quodque Princeps directè, & immediatè per viam novæ acquiſitionis illud tribuat Reſignatario, qui non à Reſignante, ſed à Principe obtinere, ſuumque ius metiri dicitur, ergò habetur, ac ſi directè emiſſet à Dataria.*

Cui rationi aliam æquitatis, & publicæ fidei, & com-
26 mercii addidit idem R. P. D. de Luca in ſecundo diſcurſu incipien. Pro methodica, quod antea dixerat etiam Baldus loquens de reformatione edita per Commune Florentiæ de reſtituendo creditoribus montis pecunias, quas verè conſtiterit ſibi deberi *conſ. 424. num. 1. lib. 2.* ibi, *Sed ponamus, quod Auctori meo conſtiterunt 300. mihi verò poſito in loco Auctoris mei conſtiterunt 500. vel è converſo, quid inſpicimus? Reſpondeo contractus meus pretium formale conſtituit.* Igitur de jure eſt, ut reſtituatur ſingulis Secretariis præſentibus id, quod ſolverunt ſuis Auctoribus independenter ab eo, quod Auctores ſolverunt Cameræ.

Nec ſubſiſtit objectum, quod omnia verba Motus proprii directa ſint ad Cameram, non ad Officiales, eo quia continent prohibitionem alterandi, & revocandi privilegia conceſſa, & ſupprimendi Collegium, niſi reſtitutis per Cameram pecuniis, ex quibus neutrum poterat expleri à Secretariis. Etenim ſingula ſingulis congruè referendo clara fit intelligentia Motus proprii, quod ſcilicet actus revocationis, & ſuppreſſionis reſpiciat Cameram, quæ etiam reſtituere debet pretium. Quanta autem pecuniarum ſumma reſtituenda ſit, hoc reſpicit Secretarios, dum dicitur reſtitutis pecuniis, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit, nam aliàs ſi voluiſſet Cameram reſpicere, dixiſſet reſtitutis pecuniis per Cameram receptis. Ideò non implicat, quod reſtitutio ſit facienda Cameræ, quoniam certè ipſa reſtituere tenetur. An verò reſtituat pecuniam ſolutam à Secretariis, hoc eſt quid diverſum, & recurri debet ad verba, quæ cùm ſint clara pro reſtitutione 27
ſummæ ſolutæ, nulla egent interpretatione, ut per text. *in l. ille, aut ille §. cum in verbis ff. de legat. 3. firmat noſtra deciſio §. 1.*

Quod autem verbum reſtituere fuerit ſemper adhibitum in ſuo ſtricto, & rigoroſo ſignificatu, non ſolùm non importat eumdem intellectum in caſu noſtro, verùm egregiè retorquetur, ſupplicamus enim obſervari, quod ubi dicitur ſumptum fuiſſe in ſignificatu verificabili ſolùm in reſtitutione accepti, non legitur dumtaxat verbum *reſtituere*, ſed ulteriùs additur verbum *accepta*, ibi: *ducat. 5500. &c. à præfato Cardinali recepta reſtituere* pariter in litt. H. verbo reſtituere, legitur junctum verbum recipere, ibi: *fatemur, &c. ſummam 5500. &c. recepiſſe mutuo &c. quos eidem Collegio reſtituere promittimus, &c.* rurſus dicitur reſtituendas eſſe præfatas pecunias, & ſic relativè ad pecunias receptas, quæ ſupra fuerant expreſſæ, ibi: *niſi reſtitutis realiter, & cum effectu præfatis pecuniis.* Patet igitur, quod ubi Summus Pontifex voluit verbum *reſtitutis* referre ad Cameram, & illud adhibere in ſuo ſtricto, & rigoroſo ſignificatu, non adhibuit ſimpliciter, ſed cum ſuo relativo *accipere*: At in caſu noſtro non ſolùm omiſit relativum, nulla facta mentione acceptionis, ſed è converſo uſus fuit verbis relativis ad ſolutionem factam à Secretariis, cumque hoc verbum *reſtituere* de per ſe ſit indifferens ad plura ſignificandum, non implicat, quod in diverſis partibus Motus proprii, diverſos caſus concernentibus, potuerit diverſimodè adhiberi, quamobrem determinatio ſignificationis ſumenda eſt ex aliis verbis, quibus adnectitur, quæ cùm in caſu noſtro unicè verificentur in eo ſenſu, quod reſtitutio fiat ſolventi, quamvis reſtituens ſimilem ſummam prius non habuerit, non eſt quid ulteris quærendum, & ſtante hoc diſcretivo modo loquendi diverſa arguitur voluntas, *l. unica* 28
§. ubi autem C. de caduc. tollen. Grat. *diſcept. 350. numer. 15. & 16.* Rot. *deciſ. 336. num. 5. part. 2. recent.* & coram Celſo *deciſ. 145. num. 27.*

Accedit quod verbum *reſtituere*, junctum verbo *accipere*, legitur in prima parte Motus proprii, in qua nihil dicitur circa privilegia concedenda Collegio. At declaratio, quod Collegium ſupprimi non poſſit, niſi reſtitutis pecuniis ſolutis, eſt in tertia parte, in qua B. Pontifex declaravit, ſe velle Secretarios, & Collegium amplioris favoris 29
gratia proſequi, & ſic illorum privilegia augere, quare debet huic diſpoſitioni dari latiſſima interpretatio contra concedentem *l. Beneficium ff. de Conſtit. Principum*, Abb. *in cap. cum ex iniuncta de hæret.* Rot. coram Coccin. *dec. 1856. num. 8. in recentior. deciſ. 212. numer. 6. part. 7. & deciſ. 199. num. 22. part. 17.* Imò neceſſariò dici debet, quod in hac parte Conſtitutio reſpiciat pretium ſolutum à Secretariis, nam de pretio recepto per Cameram dubitari non poterat, etiam attenta Conſtitutione Innocentii Octavi, ut
30 in alio reſtrictu oſtendemus, ne privilegium dicatur inutile, & fruſtratorium, *cap. in his de privilegiis cap. 1. & cap. cauſa de reſcriptis*, Suarez *de legib. cap. 23. num. 2.* ubi ampliat etiam in caſu, quo privilegium eſſet grave, & odioſum.

Potiſſimum, quia in proœmio conſtitutionis, ex quo 31
deprehenditur ratio finalis informans totam diſpoſitionem, ex notiſſimis regulis allegatis à DD. ſcribentibus pro Camera, declaravit, ſe velle unicuique Jus ſervare Sum. Camerę num. 1. lit. A. in fine, & deindè pecunias ſingulis Secretariis integras, & ſine diminutione reſtitui jubet pro cautela potiori, quod importat ſecuritatem, & evitationem damni, 32
l. ſi Debitori meo ff. de iudic. Bertaz. *clauſ. 4. gloſ. 25. num. 1.* & niſi reſtitueretur pretium integrum, quod pro illo emen- 33
do impenderunt, non conſervarentur indemnes, quæ fuit enixa mens Beati Pii, ut præclarè Peregr. *videndus de fideicommiſ. art. 40. num. 39. verſ. dubium eſt ad quod pretium, & verſ. rurſus deciſive.*

Conſonat prædictis duplex animadverſio ex aliis par-

tibus motus proprii desumpta, & primò quòd Beatus Pontifex concessit licentiam Collegio vendendi officium primò vacaturum pretio reperibili, etiamsi dictam summam 5500. scutorum, ex dicta venditione percipiendam, in parva, vel etiam in magna summa excederet, & deindè decrevit, quòd in casu suppressionis deberent restitui singulis Secretariis pecuniæ, quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit. Hinc clarè patet, quòd restitutio est facienda ultra limites quantitatis receptæ, cùm disponatur restituendum esse illud plus, quo fuit facta.

Secundò in motu proprio demandatur, quòd si in dicta venditione officii primò vacaturi Collegium turbaretur, tunc, & eo casu (sunt verba præcisa) *voluit Cameram prædictam ad solvendum cum effectu dicta scuta* 5500. *una cum damnis, & interesse teneri, & ad id obligatam esse*. Quamobrem constat B. Pontificem voluisse, quòd Camera teneretur ad restitutionem etiam damnorum, & interesse, & 34 sic ad illud plus, quod valere posset officium, loco enim damnorum, & interesse venit pretium auctum *l. nominis* 35 *ff. de evictione*, ubi quòd venit etiam interesse accidentale. Bald. *cons.* 182. *lib.* 1. Mangil. *de evict. quæst.* 179. *num.* 22. & 23. & tamen hæc damna Camera non recepit, adeout præcisè verificatur id, quod supra dicebamus, ut *restituere*, 36 idem sit, *damnum emendare*, ut ex Molin. Less. & aliis probatum fuit.

Responsio autem, quòd in hoc loco Summus Pontifex utatur verbo *solvere*, non *restituere*, ibi ad *solvendum*, non 37 tollit difficultatem, quia negari non potest, quin respectu pretii recepti ly *solvere* stet pro *restituere*, prout supra immediatè idem Beatus Pontifex usus est verbo restituere ibi: *idem Collegio restituere promittimus*, & cùm pretium principale, damna verò, & interesse venirent, & expressa fuerint accessoriè ibi: *una cum damnis, & interesse passis teneri*, Ideò à dicta summa principali concipi, & regulari debet oratio, & non à damnis, & interesse in ablativo, & accessoriè expressis. Summa autem principalis verè restituebatur etiam secundum sensum DD. exadverso scribentium, & propriè restitui dicebatur una cum damnis, & interesse, ut in margine ejusdem Bullæ datæ in Sum. Cameræ n. 1. dicitur ibi: *Promittit, quod in casu molestiarum Camera præfatam summ. scut.* 5500. *ab eisdem mutuò acceptam restituet, una cum damnis, & interesse*. Et sic à primo ad ultimum clarè patet, quòd verbum *solvere* fuit pro synonymo usurpatum loco verbi *restituere*, & verificatur altera conclusio per nos superiùs adducta, quòd idem est *restituere*, ac *solvere*.

Idque etiam comprobatur, ex quo ubi in alia parte adhibuit verbum *restituere* subdidit etiam aliud verbum *erogare*, ibi -- *nomine nostro restituendas, vel erogandas, ut Sum. Cameræ num.* 1. & consequenter patet, quòd idem B. Pontifex pro eodem accepit verbum *restituere*, *solvere*, *& erogare*, 38 & similia, quæ importabant satisfactionem, ut facit etiam J. C. *in l. fin. ff. uti possidetis*, ubi interdictum, quod in principio dicit restituendum, in fine dicit dandum, & advertit Rebuff. *in d. lege verbum reddendi vers. item utile interdictum ff. de verb. signific. fol. mihi* 406. & ita patet, quòd dictus Beatus Pontifex non ita grammaticaliter processit, quemadmodum exadverso prætenditur, sed unicè integram satisfactionem Secretariorum respectu omnium pecuniarum, quas in acquisitione officii solvissent sive Datariæ, sive cuicumque alteri resignanti.

Tandem supplicamus adverti, quòd DD. olim Secretarii pretium ab ipsis solutum pro habendo officio nunc sup- 39 presso petunt à Camera, actione exempto, quæ est bonæ fidei §. *actionum instit. de action.* & in hac actione verbum *re-* 40 *stituere* accipitur largè pro *dare*, *& solvere*, inquit glos. *in* §. *bonæ fidei instit. de action.* egreditur que dicta actio ex empto pretium si pluris interfit emptori, quàm res valet, vel empta est (sunt verba Vulpiani) *in l.* 1. *ff. de action. empt.* per quæ monemur restitutionem pretii esse faciendam em- 41 ptori, non secundum quod interest venditoris restituere debentis, sed secundum quod interest emptoris, cui restituendum est, quod & comprobatur ex *l. restituere* 75. *ff. de verb. signific.* ubi Paulus inquit: *Restituere videtur is, qui id restituit, quod habiturus esset alter si controversia ei facta non esset*. Certè si officia non fuissent Secretariis ablata, singuli eorum haberent officium tanti valoris, quanti fuerat per eos emptum, unde cùm eorum interfit non recipere minorem summam solutam, illa venit eis restituenda.

Stringit fortius argumentum, si observetur, quòd juxta sensum partis remansissent privati toto pretio illi, qui immediatè a Camera non emissent, nam omnibus istis obstaret, quòd Camera nihil ab eis recepit, & sic nihil deberet eis restituere, quòd esset justitiæ, & æquitati directè contrarium, & sic ab adorati Pontificis mente alienissimum, nec vis argumenti evaditur, ex quo de facto Sanctissimus Dominus noster mandaverit solvi etiam id, quod Camera recepit ab Auctoribus; nam in hac dispositione ponderanda sunt verba Beati Pii loquentis in suo esse, ut nobis illius mentem aperiant.

Quare &c.

Io. Baptista Arrigus.
F. Fanttinellus.
Cyriacus Lancetta. } *Advoc.*
Dominicus Taurusius.

Restrictus Juris super secundo Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Examinatur in hoc discursu mens, & intentio Beati Pii circa restitutionem pretii faciendam à Camera Secretariis in casu suppressionis Collegii, atque concluditur voluntatem B. Pontificis fuisse obligare Cameram ad restituendum, absque ulla diminutione, pretium per quemlibet ex Secretariis exbursatum.

SUMMARIUM.

1 *VEra mens, & intentio disponentis desumitur ex verbis.*
2 *Affirmativa promissio restitutionis certæ summæ, sine ulla taxativa concepta, non excludit summam maiorem.*
3 *Intelligitur facta, quatenus postea maior summa soluta non fuisset.*
4 *Gratia Principis taliter interpretari debet, ut augeat, non autem minuat iura eius, cui gratia confertur.*
5 *Casus omissus remanet sub Iuris communis dispositione.*
6 *De iure communi in casu suppressionis debet restitui Officialibus integrum pretium, tam si illud solutum fuerit Datariæ, quam resignantibus.*
7 *Determinatio Principis post maturam articuli discussionem de iure vim legis habet.*
8 *Placita Principum sunt veræ leges, quamvis utantur verbis pietatem, & munificentiam indicantibus.*
9 *Est irrationabile, quod sub nomine favoris, & gratiæ voluerit Princeps inferre alicui præiudicium.*
10 *B. Pius non solum confirmavit, verum etiam ampliavit privilegia Secretariorum.*
11 *Quando constat de voluntate concedendi privilegium, superfluum est inquirere an præiudicet, nec ne concedenti.*
12 *Observantia ad hoc ut relevet, est probanda in casu præciso, cum omnibus suis qualitatibus.*

R. P. EX deductis in responsione ad primum articulum patet, quòd verba motus proprii, etiam cum proprietate sermonis important restitutionem totius pretii 1 à Secretariis erogati. Ideò non est quid ulterius de voluntate, & intentione Beati Pii quæramus, cùm vera mens, & intentio disponentis sit illa, quam verba demonstrant, quæ sunt ordinata ad explicandum mentis conceptum *l. labeo ait* 7. §. *id tubero, ff. de suppellectili legata l. non aliam ff. de legatis tertio*, Raudens. *cons.* 15. *num.* 86. *lib.* 2. latè Dec. *cons.* 305. *num.* 1. *vers. Et nullum*, Mantic. *de tacit. lib.* 2.

lib. 2. tit. 5. num. 9. & num. 10. Castill. *de coniectur. ultim. volunt. lib. 4. cap. 6. num. 2. & seqq.*

Cæterùm exabundanti dicimus nullius esse relevantiæ cuncta argumenta, pro contraria Beati Pii mente exadverso cumulata, fundantur enim omnia in præsuppositio, quod Innocentius Octavus speciali conventione stabiliverit, ut in casu suppressionis Collegii Camera nihil teneretur restituere ultra scuta 62. mil. eisdem Cameræ tunc soluta, etiamsi de tempore suppressionis reperiretur, quòd Officiorum possessores de facto majus pretium Cameræ ipsi persolvissent. Hoc tamen suppositum non subsistit, nec talis negativa conventio legitur in Bulla Innocentii.

De tempore Bullæ nil aliud erogaverant Secretariis pro habendis officiis, quàm dictos ducatos 62. m. Unde Innocentius gratitudinis motivo voluit speciali gratia ipsos assecurare, ne damnum aliquod pati possent, promittendo, quòd in casu suppressionis integrè summa restitui deberet, ita eos liberando a periculo diminutionis pretii, quòd poterat contingere, & vigentibus calamitatibus ejus temporis verisimiliter timebatur, ut in §. 23. dictæ Bullæ exadverso relato, in cujus margine adnotatur *assecuratio emolumentorum*.

Ex hac autem assecuratione, & affirmativa promissione restituendi dictos ducatos 62. mil. inferri non potest conventio negativa, exadverso prætensa, quòd etiam si tractu temporis Officiales longè plus pro habendis officiis, solverint sive Resignanti de consensu, & scientia Papæ, sive Cameræ, id plus non esset restituendum, talis namque illatio
2 repugnat Juris regulis, per quas affirmativa promissio certæ summæ, sine ulla taxativa concepta, non excludit summam majorem per text. *in l. siquidem 24. §. sin verò C. de transact.* ubi Jason. *num. 2. vers. ubi plus*, Bart. *in l. si cum dos 8. num. 3. de act. rer. amot.* Cancer. *var. resolut. part. 2.*
3 *cap. 6. num. 137.* & intelligitur facta, quatenus postea major summa soluta non fuerit, ut in terminis pretii Officiorum Romanæ Curiæ, Mandos. *cons. 95. num. 4.* Fagnan. *in cap. ex epistol. num. 14. & 15. de probat.*

4 Atque directè adversatur solemni Sanctioni Imperatoris in *l. hac saluberrima C. de præpositis agentium in rebus lib. 12.* ubi, quòd omnis Principis gratia taliter explicanda venit, ut augeat quidem, non autem quidquam minuat reliqua jura ejus, cui gratia confertur, concordat textus *in l. quod favore 6. C. de legibus*, Bart. *in d. l. hac saluberrima §. 2.* ubi etiam de Platea *vers. 2. notat.* Anton. Perez. *in d. tit. de præposit. agent. rubr. 6. vers. ubi amplius, & num. 7.* Bald. *in auth. habita num. 6. C. ne fil. pro Patre*, Alex. *cons. 32. n. 2. & seqq. lib. 5.* Cephal. *cons. 369. num. 108. & seqq. lib. 3.* Parif. *cons. 61. num. 49. lib. 2.* Honded. *cons. 71. num. 5. & seqq. lib. 2.* Surd. *de alim. tit. 1. quæst. 8. num. 9. & seqq.* Cyriac. *controv. 297. num. 33. & plene controver. 291. a num. 31. ad 49.* Rot. *decis. 715. n. 7. part. 4. tom. 3. recent.*

Quòd enim Innocentius in dicto §. 23. cogitaverit solùm gratias, & favores elargiri Secretariis, non autem quidquam in eorum Jurium diminutionem statuere, apertè demonstrat illius lectura, & tamen sufficeret dicere, quòd in
5 Bulla nulla fit mentio de majori pretio postea fortè solvendo per Secretarios, ut hic casus tanquam omissus remaneat sub Juris Communis dispositione, juxta vulgarem regulam
6 *l. commodissime, & l. cum Prætor, ff. de iudic.*

Dispositio verò Juris Communis, excluſa conventione negativa, exadverso prætensa, utique militat pro Secretariis, non solùm quoad omne pretium ab eis erogatum, sive erga Resignantem, sive erga Cameram, ne scilicet sint in enormi damno, sed etiam quoad augmentum pretii currentis, ut integrum rei suæ pretium recuperent, prout latissimè probatum fuit in præteritis, quatenus opus sit reassumendis, quæ ad prolixitatem evitandam non repetuntur, & satis admitti videtur exadverso, dum tota vis sit in conventione negativa Bullæ Innocentianæ.

Atque pro Secretariis validissimè urget solemnis decisio sanctæ memoriæ Alexandri Septimi, qui in suppressione Montis vacabilis, examinato per Congregationem deputatam articulo super restitutione pretii, currentis tunc, ultra dimidium aucti, & reperta opinionum varietate decre-
7 vit, & mandavit solvi totum pretium currens, ut supra auctum, quæ Principis determinatio post articuli discussionem de jure vim legis habet pro futuris casibus per text. expressum *in l. fin. & l. humanum 8. C. de leg. & constitut. cap. in causis 19. de sentent. & re iudic.* Barbos. *in d. l. fin. a num. 1. ad 3.* latè Antunez. *de donat. Reg. part. 2. lib. 1. cap. 10. num. 40.* etiam quòd Alexander usus fuerit verbis ejus pietatem, & munificentiam indicantibus, quia iisdem verbis passim utuntur legislatores, quando ad Privatorum favorem pronunciant, & nihilominùs eorum placita sunt veræ leges, ex pluribus exemplis relatis in præteritis, & signanter *mauthen. de exhiben. reis collat. 5. sub §. optimum quoque*, ibi: *Hoc habeant non tanquam paternam hæreditatem, sed tanquam Imperialem munificentiam.*

Et quidem longe plus præjudicii, quàm favoris, & gratiæ contulisset Innocentius *in d. §. 32.* si decrevisset, quòd 8
nihil restitueretur de eo, quod ultra supradictos ducatos 62. mil. Secretarii successivis temporibus solverent etiam ipsi Cameræ, quàm enim grave indè resultasset damnum Secretariis manifestat præsens facti series, è converso autem, simplex assecuratio à periculo diminutionis dicti pretii, prima vice soluti, concessa Secretariis, futura erat inutilis, & nullius momenti, nam si pretium decrevisset Camera non potuisset cogi ad supprimendum, nec verisimiliter suppresisset, alienissimum autem ab omni ratione videtur, quòd dictus Pontifex sub expressa declaratione con- 9
ferendi favores, & gratias, voluerit adeò deteriorem efficere Secretariorum conditionem, quam sola Juris Communis dispositio multò meliorem efficiebat, ut optimè Jason. *cons. 59. num. 9. & seqq. lib. 3.* Dec. *cons. 457. num. 10. fol. mihi 116. a tergo.*

Sublato præsuppositio negativæ conventionis Bullæ Innocentianæ corruunt in consequentiam omnia illa argumenta, quæ ex dicta præsuppositia contraria B. Pii mente trahuntur exadverso, nec alia indigent responsione.

Quòd B. Pius voluerit solùm confirmare præcedentia 10
Collegii jura, & privilegia, nec quidquam ultra concedere, repugnat expresis verbis Motus proprii, ibi: *Ad hæc dictos Secretarios, & Collegium amplioris favoris gratia prosequi volentes*, ac ibi: *Volentes, & statuentes*, imò novi privilegii concessionem fatentur ipsi DD. exadverso scribentes, asserendo quòd B. Pius mandaverit restitui omne id, quod ultra primam summam ducatorum 62. mil. fuerit per Cameram receptum, quod prætendunt ab Innocentio fuisse prius negatum, ac denuò fatentur in tertio restrictu §. *& si ab initio in fine*, unde superfluum est alias quærere responsiones.

Discretivus modus loquendi B. Pii in casu restitutionis scutorum 5. mil. cum damnis, & interesse, & in alio casu, de quo agitur, non subsistit in facto, nam etiam in nostro casu satis expresè declaravit restituendum esse omne pretium à Secretariis erogatum, ut fuit probatum, nec pro effectu hujus claræ dispositionis necesse erat superaddere damna, & interesse, ut patet ad sensum.

Quatenus B. Pius mandat restitui in casu suppressionis omne pretium à Secretariis quomodocumque pro habendis officiis erogatum, nil disponit ultra id, quod de jure communi eisdem Secretariis competeret, nam excluſa contraria conventione negativa Bullæ Innocentianæ, habebant jam à solo Iure hoc beneficium, ut superius fuit probatum, quatenùs verò addit ad eorumdem Secretariorum favorem assecurationem à periculo possibilis diminutionis pretii officiorum, insensibile ferè continet præjudicium Cameræ, quæ in tali casu cogi non poterat ad supprimendum, nec sine utilitate suppressisset, & sic concessio nostri Motus proprii non adversatur solito zelo, & solicitudini ejusdem Pontificis, nec ullam continet iniquitatem, imò dignoscitur illius voluntas summæ justitiæ, ac æquitati consona, & ta-
men quando constat de voluntate concedendi privilegium, 11
ut hic, superfluum est inquirere, an præjudicet necne concedenti *cap. olim 16.* ubi benè Joan. Andr. *num. 10. vers. dixi de verb. significat.* Fontanell. *decis. 476. num. 13.* nisi velimus supremam Pontificis potestatem in dubium revocare, contra Text. *in l. 1. ff. de constit. Princip.*

Præterea in responsione ad tertium articulum ostenditur, quòd nec quidem in facto subsistit exageratum damnum, & læsio Reverendæ Cameræ, quodve potiùs Camera ipsa ex nostro Motu proprio, assecurando Emptores de omni pretio pro his officiis erogando, utilitatem consequuta fuit ob augmentum pretii inde sequutum, & ideò vendendo postea officia pretio longè majori.

Inæqualitas quidem adfuisset magna, si intuitu dicti inutilis privilegii assecurationis in solo casu diminutionis pretii Pontifex privare voluisset Secretarios jure, quod habebant recuperandi in casu suppressionis, nedum omne pretium erogatum, sed etiam augmentum pretii currentis

sum-

ſummoperè æſtimabile; non autem è converſo; alia enim beneficia, quæ exadverſo cõputari prætenduntur pro Secretariis, ſunt nullius momenti, nam imputatio fructuum in ſortem, ultra quod de jure intrare non poſſet, in his circumſtantiis expreſsè ſublata reperitur in Bulla Innocentii, quæ à Pio revocata non fuit, ſed ſolùm ampliata; confirmatio verò, & innovatio priorum privilegiorum verè fuit aerea, nec quidquam de novo attulit, unde non merebatur compenſari adeò gravi, & certo Secretariorum damno, quale fuiſſet amiſſio prerii, vel in totum, vel in partem.

Remuneratio gratioſa Pontificis erga merum mutuantem nimis diſtat ab uſurariæ pravitatis principio, eoque magis fuit rationabilis, & congrua erga noſtrum Collegium, quod ad effectum mutuandi ſuſcepit pecunias ad Cenſum.

Prætenſa autem obſervantia ejuſdam B. Pii in ſuppreſſione Montis Julii vacabilis non ſubſiſtit, nam ſolùm reduxit fructus dicti Montis de duodecim pro centenario, & anno, ad decem cum dimidio, conceſſa etiam facultate nolentibus acquieſcere, rehabendi ſcuta 100. pro quolibet loco, & non juſtificatur, quòd tunc temporis talia loca dicti Montis eſſent majoris valoris, quàm ſcutorum centum, & quod pluris fuiſſent empta per Montiſtas, nullum proindè fieri
12 valet fundamentum in hac obſervantia, quæ debet eſſe in caſu præciſo, & venit probanda cum omnibus ſuis qualitatibus, aliàs non relevat, Buratt. *deciſ.* 129. *num.* 6. Celſ. *deciſ.* 229. *num.* 5. Gregor. *deciſ.* 451. *num.* 7.

Prout è converſo multiplex, & præciſa adeſt obſervantia pro Secretariis, non ſolùm ex dicta ſuppreſſione Alexandri Septimi, ſed etiam ex aliis pluribus, recenſitis in prætérita poſitione reaſſumen. & datis tunc per extenſum in particulari folio, in quibus omnibus, vel reſtitutum fuit pretium currens, ſi erat auctum, ſin minus pretium omne verè erogatum, quibus omnibus conſideratis, ſi liceret à Sacris Cineribus Beati Pontificis ejus Motus proprii interpretationem expoſcere, conſtanter credimus reſponſuros id, quod jam iidem Domini Miniſtri Camerales quodammodò cognoverunt, quod reſpondit hoc Sacrum Tribunal, & prius per duas vices Congregatio inſignium Prælatorum, ſuper hoc negotio ſpecialiter à Sanctiſſimo Domino Noſtro deputata, ut in præteritis fuit juſtificatum, & prout egerunt tot alii glorioſiſſimi, & integerrimi Pontifices.

Quare, &c.

Ioan. Baptiſta Arrigus.
F. Fattinellus.
Dominicus Tauruſius.
Cyriacus Lancetta.
} *Advoc.*

Reſtrictus Juris ſuper tertio Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Conſtitutio Piana vindicatur in hoc diſcurſu à nullitate, derivante ab omiſſa in ea regiſtratione, & derogatione regulæ *de Iure quæſit. non tollen.* A comprehenſione in regula Cancellariæ 64. in Conſtitutione Sixti Quinti de Officiis non alienandis, & in Conſtitutionibus revocatoriis aliorumque Pontificum. Atque demum à læſione prætenſa per Cameram, tam reſpectu vacationum, quàm fructuum hujuſmodi Officiorum.

SVMMARIVM.

1 *SVb Conſtitutionibus revocatoriis non continentur gratiæ, quæ Cameræ non ſunt præiudiciales.*
2 *Conſtitutiones revocatoriæ expreſsè præſervant conceſſiones factas ad formam iuris.*
3 *Regiſtratio per lapſum longiſſimi temporis, iuncta obſervantia, præſumitur.*
4 *Expreſſa confirmatio actus invalidi ſapit ſpeciem novæ conceſſionis, & præcedentes defectus omnino ſupplet.*
5 *Derogatio regulæ de Iure quæſito non tollendo nullatenus requiritur in gratia de ſui natura præiudiciali.*
6 *De dicta regula opponi non poteſt, ſtante clauſula ſublata, & decreto irritanti.*
7 *Regula 64. Cancellariæ, & Conſtitutio Sixti Quinti de Officiis non alienandis non habent locum in Officiis de eorum natura reſignabilibus.*
8 *Conſtitutiones revocatoriæ, in quibus caſibus intrent, & num. 9.*
10 *Non comprehendunt conceſſiones emanatas ad formam iuris.*
11 *Donatio eſt actus de ſui natura læſivus, unde adverſus eam non poteſt opponi de læſione.*
12 *Privilegium evadens tractu temporis nimis damnoſum poteſt revocari, dummodò damnum inferat alteri, quàm concedenti.*
13 *Damnum ex privilegio ſuperveniens, in præiudicium concedentis, non tollit ipſo iure ipſum privilegium, ſed operatur, quòd illud poſſit revocari, aut moderari.*
14 *Læſio probanda eſt de tempore præciſo conceſſionis.*
15 *In conceſſionibus oneroſis ea, quæ ſuperveniunt non computantur ad firmandam læſionem.*
16 *Aſſertio Papæ non admittit probationem in contrarium.*
17 *Titulus oneroſus poteſt verificari in conceſſione, licèt in ea Princeps dixerit indulgere, & gratiam facere.*
18 *Ad iuſtificandam læſionem calculari prius debet tota utilitas, quæ ex actu pervenit in eum, qui dicit ſe læſum.*
19 *Officia venalia Romanæ Curiæ de iure reſignari poſſunt in articulo mortis.*
20 *Comprehenduntur ſub regula Cancellariæ de infirmis, ex diſpoſitione Iulii Secundi, & Adriani Sexti.*
21 *Dataria nunquam admiſit ad reſignanda huiuſmodi officia infirmos, & ſenes.*
22 *Officia, de quibus agitur, pluries vacarunt ad favorem Cameræ, quæ ex eis notabile lucrum percepit, & n.* 23. *& 24.*
25 *Augmentum fructuum, quod derivavit ex cauſis incertis, & eventualibus, quodve ceſſare poteſt ad libitum Principis, reddit inallegabilem læſionis exceptionem.*
26 *In Officiorum ſuppreſsione de iure eſt à Principe reſtituendum pretium currens.*
27 *Publica fides violanda non eſt.*
28 *Revocatio privilegiorum, etiamſi de iure fieri debeat, operatur quoad futura, non autem quoad præſentia.*

R. P. OPponitur tertiò contra noſtram deciſionem, quòd diſpoſitio Motus proprii B. Pii ſit nulla, vel revocata, atque etiam enormiſſimè læſiva Reverendæ Cameræ; verùm nullum ex prædictis exadverſo probatur, quamvis ſingula requirant concludentiſſimam probationem.

Diſpoſitio dicti Motus proprii verè nullam continet gratiam Cameræ præjudicialem, ſed ſolùm id, quod de jure competebat Secretariis, ut latè patet ex deductis ſuper primo, & ſecundo articulis; Unde incongruum videtur diſputare de ſolemnitatibus requiſitis in gratiis Cameræ præjudicialibus, aut de legibus revocatoriis, & læſione, utpotè deficiente ſuppoſito *l. nemo damnum, ff. de reg. iur.* Surd. *dec.* 21. *nu.* 16. Coccin. *deciſ.* 1721. *nu.* 40. imò Conſtitutiones ipſæ revocatoriæ expreſsè præſervant conceſſiones ad formam juris factas. 1 2

Cæterùm etiam aliundè omnia prædicta excluduntur. Regiſtratio enim quatenus fuiſſet neceſſaria (quòd negatur) præſumi deberet ſubſequuta per ſolum lapſum longiſſimi temporis, juncta obſervantia ejuſdem Motus proprii, cujus vigore plures actus ſucceſſivè geſti fuerunt, Spada *conſ.* 10. *num.* 4. *& ſeqq. lib.* 1. *& conſ.* 273. *num.* 119. *& ſeqq. lib.* 3. Rota *deciſ.* 694. *num.* 2. *part.* 4. *tom.* 3. *recent.* 3

Præterea Sixtus Quintus, & Gregorius Decimuſquintus confirmarunt ſpecialiter, & expreſsè dictum Motum proprium, & quatenus opus eſſet in eo contenta denuò innovarunt, ſupplendo omnes defectus facti, & juris, ac nominatim derogando Conſtitutioni Pianæ de regiſtrandis cum clauſula, quorum tenores, un de defectus regiſtrationis, 4

nis, & aliarum quarumcumque ſolemnitatum eſt prorſus inallegabilis, Felin. *in cap. inter dilectos num. 6. de fid. Inſtrum.* Dec. *conſ.* 341. *num.* 7. *verſ. Secundus effectus*, Rota coram Seraph. *deciſ.* 762. *num.* 4. *et in recent. deciſ.* 157. *num.* 9. *par.* 6. *et deciſ.* 145. *nu.* 4. *&* 5. *par.* 7. Reverendiſſimus de Luca *de regal. diſc.* 3. *num.* 9. *et* 10. Antunez. *de donat. reg. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 30. *et ſeqq. fol.* 88.

5 Derogatio regulæ de jure quæſito non tollendo, nullatenus requiritur quoad jus, & præjudicium Principis concedentis, etiam quando verè adeſt; Tum quia regula ipſa expreſsè loquitur ſolùm de juribus privatorum; tum etiam quia actus de ſe oſtendit concedentis voluntatem remittendi jus ſuum, quatenus illi adverſetur, quod æquivalet derogationi dictæ regulæ, Seraphin. *deciſ.* 762. *n.* 3. *&* *deciſ.* 1445. *n.* 5. Buratt. *deciſ.* 193. *n.* 24. Merlin. *deciſ.* 838. *n.* 9. & tamen hìc nullum adeſt concedentis præjudicium, ut dictum fuit, & ex reſponſionibus ad præcedentes articulos conſtat, quòd Camera non habebat prætenſum jus, & pactum negativum non ſolvendi

6 quidquam ultra ducatos 62. mil. de cujus derogatione agi debeat, licèt etiam de dicta regula nullatenus opponi poſſit, ſtante clauſula ſublata, & decreto irritanti, appoſitis in dicto Motu proprio B. Pii Rota *deciſ.* 177. *num.* 3. *part.* 2. *recent.* & apud Giovagn. *conſ.* 28. *ſub num.* 43. *verſ. ulterius lib.* 2. & ceſſat etiam hæc difficultas ex ſupradictis litteris Sixti Quinti, & Gregorii Decimiquinti, in quibus expreſsè hujuſmodi regulæ derogatur.

7 Regula 64. Cancellariæ concernit materiam omninò diverſam, prout ſimiliter extranea eſt à præſenti caſu Conſtitutio Sixti Quinti loquens ſolùm de conceſſionibus officiorum factis contra eorum naturam, & dicta regula 74. & Conſtitutio Sixti non habent locum in iſtis officiis, juxta ipſorum propriam naturam reſignabilibus, Gratian. *diſcept.* 730. *num.* 51. *cum ſeq. & diſcept.* 891. *num.* 25. *& ſeqq.* apud de Luc. *diſc.* 5. *num.* 21. *de regal.*

8 Conſtitutiones verò revocatoriæ revocant dumtaxat conceſſiones officiorum ad plures vitas, facultates extrahendi biadas, nec non omnes exemptiones ab oneribus, & gabellis, aliaque his ſimilia, ſecus autem alias Pontificias conceſſiones ſimiles noſtro Motui proprio, ut patet ex illarum lectura, & ſignanter illius Sanctæ mem. Innocentii Decimi la 13. exadverſo allegata *à* §. 13. *uſque ad* 31.

9 Nec in ſequenti §. 32. exadverſo deſignato, dicit poſſunt comprehenſæ hujuſmodi conceſſiones, quia ibi Pontifex loquitur ſolùm de indultis conceſſis in præjudicium ſupremæ Juriſdictionis Pontificiæ, cujus exercitium ſibi liberè, & indiſtinctè reſervat, nec ullum verbum facit de aliis rebus Juriſdictionem non concernentibus, imò Pontifex in §. 9. declarat, quod reſpectu officiorum vacabilium venalium nil intendit innovare.

10 Eoque minus Conſtitutiones revocatoriæ extendi valent ad noſtrum Motum proprium, qui in ſubſtantia concedit id, quod de jure competit, & emanavit, atque confirmatus, & innovatus fuit ex cauſa oneroſa.

Læſio tandem eſt penitùs inapplicabilis. Primò, quia Papa exercuit verè actum juſtitiæ, per quem Secretariis officiis privatis reſtituatur integrum pretium erogatum, ut ſic jus ſuum eis tribuatur.

Secundò, quia ſi diſpoſitio Beati Pii contineret meram donationem, & gratiam, ut exadverſo prætenditur (quòd conſtantiſſimè negatur) adhuc tamen inadaptabilis eſſet læſionis exceptio; ſemper enim militaret pro Secretariis

11 nota juris regula, quòd adverſus donationem opponi non poſſit læſio, cùm donatio ſit actus de ſui natura læſivus ad tex. *in l. majoribus C. com. utriuſque judic.* Dec. *conſ.* 181. *num.* 4. Soccin. Jun. *conſ.* 167. *num.* 23. *lib.* 3. Cravett. *conſ.* 114. *num.* 12. *& ſeqq. &* *conſ.* 160. *num.* 1. Alex. *conſ.* 53. *num.* 21. *lib.* 3. Theſ. *deciſ.* 96. *per tot.* Dunoz. Sen. *deciſ.* 191. *num.* 17.

12 Concluſio autem exadverſo adducta, quòd gratia, & privilegium evadens tractu temporis nimis damnoſum poſſit revocari *ex Cap. Sugeſt. de decimis*, procedit quando infert dammum alteri, quàm concedenti, ut loquitur dictus textus, & nihilominus adaptari nullatenus poteſt præſenti diſputationi; Tum quia facto integro calculo utilium per Rever. Cameram perceptorum, verè nulla adeſt læſio, ut infra.

13 Tum etiam quia damnum ſuperveniens in præjudicium concedentis non tollit ipſo jure gratiam, & privilegium, ſed ſolùm operatur, ut ipſe concedens, non autem alius inferior poſſit ex dicta cauſa privilegium moderari, aut revocare, qui poteſt etiam à revocatione abſtinere, Barboſ. *in dicto cap. Sugeſt. num.* 4. ubi etiam latè Abb. *eodem num.* 4. Natt. *conſ.* 63. *num.* 19. Kloc. *exadverſo allegat. de contribut. cap.* 16. *num.* 95. hactenus verò Sanctiſſimus Dominus Noſter non revocavit Morum proprium B. Pii, ſed quidem mandavit, ut articulus ſuper quantitate pretii reſtituendi decideretur, prout de jure; Unde munus eſt hujus Sacri Tribunalis reſpondere, quid reſtituendum ſit in præſenti rerum ſtatu, ſcilicet firmo manente, ac nullatenus revocato dicto Motu proprio.

Tertiò, quia ex facto integrè, & rectè ponderato conſtat 14 nullum adeſſe læſionis fundamentum, vulgaris namque eſt regula, quòd læſio probanda eſt de tempore præciſo conceſſionis, non autem ex iis, quæ accidentaliter ſupervenerunt ex *l. ſi voluntate, & l. ad reſcind. C. de reſcind. vendit. l. verum* §. *ſciendum ff. de minoribus.*

Et quamvis diſputent Doctores, an hæc regula procedat etiam in actibus ſucceſſivis, tempus futurum reſpicientibus, tamen certum eſt, illam procedere in conceſſionibus 15 ab initio oneroſis, in quibus ea, quæ ſupervenerunt nullatenus ad læſionem computari permittuntur de Marin. *allegat. Jur.* 52. *num.* 9. *tom.* 3. ac plenè deciſum fuit *in Romana emphyt. coram Eminentiſſimo Carpineo impreſs. deciſ.* 468. *à num.* 14. *ad* 17. *part.* 14. *recent.*

Quòd verò conceſſio noſtri Motus proprii proceſſerit ex cauſa oneroſa, non videtur in dubium revocari; Id enim reſultat non ſolùm ex ipſo Motu proprio, verùm etiam ex confirmatione, ac innovatione Sixti, & Gregorii, quibus ad talem effectum ingentes ſummæ fuerunt re- 16 laxatæ, quivè expreſsè declararunt, quòd omnia concedebant Collegio ex cauſa oneroſa, & per viam reciproci, ac oneroſi contractus, & tranſactionis, ut in facto; Unde de jure nec quidem dari poteſt probatio in contrarium, juxta theoricam Textus *in Clem.* 1. *de probat.* ubi omnes Canoniſtæ Jaſon. *conſ.* 227. *num.* 27. *verſ.* 2. *& ſeqq. lib.* 2. Capyc. Latr. *conſult.* 38. *num.* 6. *& ſeqq. junctis num.* 1. *& ſeq. lib.* 1. Kloc. *de contribut. cap.* 16. *à num.* 185. *ad* 189. Spad. *conſ.* 88. *num.* 1. *lib.* 2. Petr. *de poteſt. Princip. cap.* 32. *n.* 25. *& ſeq. fol.* 616. *& ſeq.* Tob Non. *conſ.* 1. *num.* 37. Alex. *conſ.* 216. *num.* 17. *lib.* 2. Peregr. *conſ.* 4. *num.* 20. *lib.* 1. Peuting. *deciſ.* 378. *num.* 3. & 4. Amat. Dunoz. *deciſ.* 748. *num.* 58. *& deciſ.* 760. *ſub num.* 4. §. *ex quibus, & eſt monitio textus in l. final. C. de leg.* ubi neminem eſſe debere adeò 17 timidum, ut regalem ſenſum contemnat, ac in talibus conceſſionibus firmus remanet titulus oneroſus, etiamſi Princeps dixerit indulgere, & gratiam facere, Gratian. *diſcept.* 177. *num.* 31.

Quartò, quia ad læſionem convincendam calculari prius 18 debet tota utilitas, quæ ex actu pervenit in eum, qui dicit ſe læſum, Cravett. *conſ.* 294. *num.* 8. *verſ.* 18. Cyriac. *controv.* 170. *num.* 2. *& ſeqq.* Rota apud Zacch. *de obligat. Camer. deciſ.* 126. *num.* 12.

Facto autem integrè hujuſmodi Calculo, tollitur etiam omne materiale damnum; Quòd enim ex adverſo dicitur læſivum fuiſſe facultatem conceſſam ab Innocentio Octavo reſignandi hæc officia; etiam in mortis articulo, atque ex hac cauſa paucìſſimas eveniſſe officiorum vacationes, ceſſat tam in jure, quàm in facto.

In jure, quia officia venalia, & vacabilia Romanæ 19 Curiæ de jure reſignari poſſunt in articulo mortis, ut probant Gomez *in regula Cancellariæ de infirmit. quæſt.* 12. Pariſ. *de reſignat. lib.* 12. *quæſt.* 3. *num.* 62. *et ſeq.* Gonzal. *ad reg.* 8. *gloſ.* 5. §. 11. *num.* 24. R. P. D. de Luca *diſc.* 6. *num.* 2. *verſ. primo caſu de regal.* & hæc de jure competens facultas vigebat de tempore Innocentii VIII. cùm ſolũ ſublata fuerit per ſupervenientes regulas Cancellariæ editas à Julio Se- 20 cundo, & Adriano Sexto, qui expreſsè voluerunt talia officia comprehendi in regula de infirmis, ut obſervat Gomez *dict. quæſt.* 12. *in principio.* Ideò dum Innocentius Octavus proſequendo juris diſpoſitionem, & conſuetudinem Sedis Apoſtolicæ, præſervavit potiùs quàm conceſſit Secretariis hanc facultatem reſignandi, etiam in mortis articulo, non poteſt de exorbitantia notari.

In facto, quia licèt adeſſet talis facultas tamen Dataria, nunquam admiſit reſignationes hujuſmodi Officiorum ab infirmis, nec à ſenibus, prout eſt notorium, & plura extant exempla, & de tali ſtylo Datariæ teſtatur Reverendiſſimus de Luca *de Regal. diſc.* 2. *num.* 9. *et ſub num.* 21. *verſ. quamvis ab eis, et diſc.* 6. *per tot.* atque iterum indubitabilem

lem fidem facit præsens suppressionis Bulla, ibi: *Per præsentes verò non intendimus sub præmissa pretii restitutione Officiorum huiusmodi comprehendi illum, seu illos, qui ratione gravis ætatis, iuxta nostræ Datariæ stylum, et observantiam ad officii resignationem admittendi non essent.*

Rursùs in facto constat, quòd longè major numerus vacationum secutus fuit, quàm exadverso asseritur. Justificantur ex Summario ipsius Rev. Cameræ num. 4. à die erectionis Collegii usque ad illum Motus proprii B. Pii, quadraginta vacationes, non autem quinque tantùm, ut exadverso supponitur, à die verò dicti Motus proprii usque ad suppressionem probantur aliæ quadraginta tres, licèt nec quidem omnes vacationes reperiri potuerint, cùm desideretur Chronologia ab anno 1486. usque ad annum 1518. & rursus ab anno 1589. usque ad annum 1605. & sic per annos quinquaginta, quo temporis curriculo credendum est plura vacasse officia. 22

Ex quibus solis vacationibus hactenus notis Camera recepit undecies centena scutorum millia, & ultra, juxta calculum per Nos datum, prætermissis aliis vacationibus ignoratis, necnon pluribus vacationibus, quæ contingere potuissent in tribus officiis S. Joannis in Laterano, Archihospitalis Sancti Spiritus, & Capituli S. Eustachii, si facto Pontificum, qui officia his Ecclesiis perpetuò applicarunt, impedita non fuisset illorum vacatio; his enim omnibus calculatis ex parte Cameræ, utique affirmari non poterit ipsam pati læsionem ullam, restituendo Secretariis non solùm integrum pretium ab eis erogatam, sed etiam majus de tempore suppressionis currens. 23

Fortiùs ponderando, quòd Officiorum pretia principaliter excreverunt post motum proprium B. Pii assecurantem emptores de toto pretio ab eis erogando, sine qua assecuratione verisimiliter adeò non fuissent aucta; Unde incongruum nimis videtur, quòd inde Reverenda Camera, læsam conqueri se velit, cùm etiam ipsa perceperit pretium ex dicto privilegio, & assecuratione augmentatum, ideò dicta concessio B. Pii, non solùm, non fuit damnosa Cameræ, sed potiùs evidenter utilis, quia tam grande pretii augmentum, in tot vacationibus post B. Pii motum proprium subsecutis, fuit consecuta. Et quidem facilè comprehendi poterit, quantum pretii augmentum resultaverit ex dicto motu proprio, si figuremus casum, quòd Pontifex non suppresso Collegio revocasset solùm dictum motum proprium, certè enim unicuique consideranti patebit quàm graviter illicò diminutum fuisset Officiorum pretium. Ac insuper maxima utilitas resultat Reverendæ Cameræ ex dicta Bulla, si quidem ex illa præcipuè dubitari contingit an officialibus debeatur pretium currens, nec ne, aliàs secluſa negativa Innocentii Octavi, ut probatum fuit, non videretur cadere difficultas circa integri currentis pretii restitutionem. 24

Quintò. Excluditur etiam læsio, ex quo augmentum fructuum derivavit ex causis omninò incertis, & eventualibus, & præcipuè ex arbitrio, & voluntate Summorum Pontificum, qui voluerunt plures expeditiones demandare per Secretariam Brevium, quàm per Datariam, quam viam poterant, & possunt ad libitum immutare, absque ulla Secretariorum conquestione; ut in præterita positione narratum Domini Scribentes pro Reverenda Camera; hęc enim sola circumstantia inadaptabilem reddit læsionis exceptionem *l. si iactum retis, ff. de act. empt.* Odd. *de restitut. in integrum part. 2. quæst. 57. art. 3. num. 18.* Rot. *decis. 408. num. 7. & seqq. part. 16. recent. & in Avenion. restitutionis in integrum 2. Martii 1676. §. ex hæreditate coram Reverendiss. Domino Decano, & in Carpen. bonorum 12. Junii 1677. §. Annæ coram R. P. D. meo Vicecomite.* 25

Quæ omnia faciliùs procedunt in præsenti, ubi non agitur de simplici reductione fructuum, de qua loquuntur exadverso allegati, sed de pretio restituendo ob Officiorum suppressionem, quo casu certum est de jure restituendum esse à Principe ne dum omne pretium verè erogatum, sed etiam majus pretium currens justum, & æquivalens, ut latè probavimus in antecedenti positione, & latè firmat Antunez *de donat. reg. part. 2. lib. 1. cap. 2. num. 20. in fine* Mastrill. *de Magistr. lib. 3. cap. 4. num. 352.* Peregr. *de iure Fisci lib. 1. tit. 3. num. 67.* Rot. coram Ubald. *decis. 468. n. 9.* & in his terminis plenè discusso articulo, Fagnan. *in cap. ex Epistol. num. 11. de probat.* 26

Ultimò demùm, nec justitia, nec æquitas pati ullo modo possunt, ut sub læsionis prætextu retractetur concessio nostri Motus proprii in præsenti rerum statu, scilicet post jam secutam Collegii suppressionem, & in damnum non quidem illorum, qui beneficium augmenti pretii receperunt, sed modernorum Officialium, qui ex ipsius Reverendæ Cameræ exemplo, ac sub fide dicti Motus proprii hactenùs, non revocati, nec non sciente, & approbante Pontifice (ut in præteritis fuit latè probatum) summum pretium solverunt Resignantibus, quod certè non solvissent si dictus Motus proprius non fuisset in suo robore, & si Camera, & Pontifices tam grande pretii augmentum non approbassent, utique enim resultaret inde deceptio, ac bonæ, publicæque fidei violatio, cujus Sanctissimus Dominus Noster est incomparabilis, ac vigilantissimus Custos, & Vindex, ut patet ad sensum, & notat Cravett. *consil. 294. sub num. 8. versic. vigesimo admitti fol. mihi 107. à tergo.* 27

Hinc communis est conclusio, quòd revocatio privilegiorum, etiam ubi de jure fieri potest, operatur solùm, quoad futura, secus quoad præsentia, & quoad illos, qui ante illius revocationem jus bona fide, mediante rigorosissimo pretio, acquisiverunt, Bartol. *in l. omnes Popul. num. 30. ff. de iust. et iur.* Abb. *in cap. novit. num. 25. versic. sed respectu, et num. 26. de iudic.* Natt. *cons. 512. num. 24.* Rovit. *ad prag. reg. in rubr. de revocat. et suspens. gratiarum num. 21. et 22. fol. mihi 664.* Kloc. *de contribut. cap. 16. num. 144. signanter circa finem*, Sessæ *decis. Aragon. 79. num. 35. et seqq.* 28

Quare, &c.

Io. Baptista Arrigus.
F. Fattinellus.
Cyriacus Lancetta.
Dominicus Tauruſius.
} *Advoc.*

Restrictus Juris super quarto Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Constitutio B. Pii non potest verificari, nisi respectu Secretariorum viventium de tempore suppressionis, non autem existentium de tempore Motus proprii, qui fortè essent superstites de tempore suppressionis. Privilegium Personis de Collegio concessum, an & quando sit reale, vel personale.

SUMMARIUM.

1 *PRivilegium sine ulla limitatione concessum aliquibus personis, non singillatim, & individualiter, sed uti componentibus aliquod Collegium, et Communitatem, dicitur reale, et ad quoscumque transitorium.*

2 *Mentio illorum, qui aliquam Universitatem componunt, censetur facta collectivè respectu ipsius Universitatis, non autem intuitu personarum.*

3 *Universitas, et Collegium nunquam moritur, et semper est idem.*

4 *Restitutio promissa totius pretii est facienda illis Secretariis, qui constituebant Collegium de tempore purificatæ restitutionis.*

5 *Dictio* tunc *indicat temporis extremitatem.*

6 *Dictio* singulis *est universalis, ac omnes præcisè, sine ulla exceptione, comprehendit.*

7 *Actus semper regulari debet, iuxa tempus, in quo sortitur effectum.*

8 *Causa dispositionis Beati Pii suadet perpetuitatem non personalitatem, et quare, num. 9. et 10.*

11 *Iustitia est constans, et perpetua voluntas ius suum unicuique tribuendi.*

Quar-

R. P. QUartò, & ultimo loco contra noſtram deciſionem de novo obiicitur, quòd conceſſio Motus proprii Beati Pii fuerit merè perſonalis, & reſtricta ad illos, qui de eo tempore officia poſſidebant, & conſequenter cum eorum perſonis extincta, cujus obiecti relevantia negari non poteſt in jure, ſed deficit illius applicatio quoad factum.

Lectura enim Motus proprii manifeſtat, quòd tota ejus diſpoſitio reſpicit Collegium Secretariorum, & Secretarios, uti Officiales dicti Collegii, non autem uti merè individuales perſonas, & ſignanter in illa parte, quæ cadit ſub preſenti diſputatione, ibi: *Ad hæc Secretarios, et Collegium amplioris favoris gratia proſequi volentes*, & paulò poſt, ibi: *iiſdem Secretariis, et Collegio*: ac iterum, ibi: *iiſdem Secretariis, et Collegio eorum de novo concedimus*, quo caſu certum eſt, conceſſionem eſſe de ſui natura perpetuàm, ac ad omnes Secretarios tranſitoriam, non autem perſonalem, dum fuit ſine ulla limitatione concepta, Suarez *de leg. lib. 8. cap. 3. ſub num. 4. verſ. ſi ergo*, Fontanell. *de pact. nupt. clauſ. 4. gloſſ. 10. part. 2. ſub num. 63. verſ. aliud vero fol. mihi 166. a tergo tom. 1.* Cancer. *var. reſol. part. 3. cap. 3. de privil. num. 27.* latè Surd. *conſ. 262. numer. 39. & ſeqq.* & optimè Rot. *deciſ. 199. numer. 24. & 25. part. 12. recent.*

Nec perſonalitas reſultare poteſt, ex quo Pontifex dixerit reſtiturionem faciendam ſingulis Secretariis, nam patet id fuiſſe dictum de Secretariis ratione Officiis, non autem intuitu perſonarum, & regulariter mentio illorum, qui aliquam Univerſitatem componunt cenſetur facta collectivè reſpectu ipſius Univerſitatis, ſeu Collegii *l. Lucius 90. l. Civi ff. de leg. ubigloſſ. dicit relictum Civibus videri relictum Civitati, l. Civibus, ubi pariter, gloſſ. ff. de reb. dub.* Felin. *in cap. Capitulum ſub num. 1. de reſcript.* Coccin. *deciſ. 140. num. 11.* Vulgare autem eſt, quòd Univerſitas, & Collegium nunquam moritur, & ſemper eſt idem, *l. ſicut §. in decurionibus, ff. quòd cujuſvis Univerſit. nomine l. proponebatur, ff. de Judic.* Garz. *de benefic. part. 3. cap. 2. num. 429.* Rot. *deciſ. 3. num. 65. part. 7. recent.* & coram Bich. *deciſ. 256. num. 19.* & ideò Secretariis, qui ultimo loco conſtituebant Collegium facienda eſt promiſſa reſtitutio totius pretii tunc purificata, *l. annua §. à Titia, ff. de annuis legat.* Calderin. *conſ. 21. de præb.* Rev. de Luca *de Canon. diſc. 9. n. 8.* Coccin. *deciſ. 1339. num. 9. & ſeqq.*

Maximè dum B. Pius mandat reſtitutionem fieri ſingulis Secretariis viventibus de tempore ſuppreſſionis, ibi: *Collegium ipſum ſupprimi non poſſe niſi reſtitutis ſingulis Secretariis tunc viventibus integrè, &c.* hoc enim tempus erat omninò incertum, & veriſimiliter diſtantiſſimum, & ſic data perſonalitate nullatenus impletum fuiſſet, quòd reſtitutio fieret ſingulis Secretariis viventibus tempore ſuppreſſionis, illa enim dictio *tunc* indicat temporis extremitatem, ut in noſtra *deciſ.* & eſt textus *in l. 4. §. fin. de condit. & demonſtrat.* Socin. Jun. *in l. Gallus in 1. num. 4. ff. de liber. & poſthum.* Surd. *deciſ. 207. num. 16.* Rota coram Ubald. *deciſ. 367. num. 3. & in recent. deciſ. 614. num. 52. part. 4. tom. 3. ac deciſ. 107. n. 5. & 6. par. 15.* plenè *dec. 415. nu. 15. verſ. non dictio part. 12. recent.* & verbum *ſingulis* eſt Univerſale, ac omnes præcisè ſine ulla exceptione comprehendens, Barboſ. *dict. 372. num. 1.* Surd. *deciſ. 268. num. 5.* & in puncto Rota *deciſ. 199. num. 23. part. 22. recent.* ac de Jure actus ſemper regulari debet, juxta tempus, in quo ſortitur effectum, Bald. *in l. Tutoribus, ff. de teſtam. tutel.* & benè ad rem noſtram Rota coram Coccin. *deciſ. 1591. num. 49. & deciſ. 614. num. 52. & ſeq. part. 4. tom. 3. recent.*

Atque in toto contextu Motus proprii pluries Beatus Pontifex utitur ſola mentione Secretariorum, etiam quoad alia Jura perpetua, & ad Succeſſores expreſsè tranſitoria, ut patet ex lectura.

Præterea ipſa cauſa diſpoſitionis perpetuitatem, non autem perſonalitatem ſuader.

Primò, quia Domini Secretarii non obtulerunt pecunias de proprio, atque in ipſorum perſonale damnum, ſed de Collegio ipſo ſumendo ſcilicet ad cenſum nomine Collegii, per obligationem perpetuam fructuum ejuſdem, prout narratur in Motu proprio, & prout poſtea factum fuit Rot. *deciſ. 490. à num. 7. ad 11. part. 9. recent.*

Secundò, quia ipſorum tunc viventium Secretariorum Beneficium expoſcebat, ut diſpoſitio tranſiret ad ſucceſſores, nam aliàs ipſi non reperiiſſent tam facilè emptores, etiam pro majori pretio prout reperiunt, ut ad rem noſtram ponderat Rota *dicta deciſ. 199. num. 31. part. 12.*

Tertiò, quia, ut pluries dictum fuit, diſpoſitio B. Pii continet in effectu id, quod de jure ineſt, & juſtitia exigit, & ſic ſui natura eſt perpetua, cùm juſtitia ſit conſtans, & perpetua voluntas Jus ſuum unicuique tribuendi *l. Juſtitia 10. ff. de Juſt. & Jur.*

Quare, &c.

Ioan. Baptiſta Arrigus.
F. Fattinellus.
Dominicus Tauruſius.
Cyriacus Lancetta.
} *Advoc.*

Reſponſio ad calculum ſuper læſione Cameræ.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

R. P. AD motivum maximæ, & enormiſſimæ læſionis quam prætenditur Reverendam Cameram paſſam fuiſſe in Collegio Secretariorum, veritas nobis faciles ſubminiſtrat reſponſiones.

Cùm enim hodie agatur de ſuppreſſione Collegii, & de agnoſcendo quale damnum ab eodem Collegio Reverendæ Cameræ reſultaverit, itaut rectè appareat, an reſtituendo pretium per unumquemque Officialem ſolutum verè poſſit dici læſa, conſiderandum eſt non ſolùm, quid ſequutum ſit, quoad nonnulla officia tantùm, ut habetur in memoriali R. P. D. mei Commiſſarii, ſed quid evenerit ſuper toto Collegio, eoque vigente.

Oſtenſum jam fuit, quòd durante Collegio ad Reverendam Cameram pervenerint ſcuta undecies centena millia, & ultra, contra quem calculum non relevat aſſertio, quòd juſtificatus non remaneat, ſiquidem quoad numerum vacationum res eſt clariſſima, & probatur, tam ex *Summar. Cameræ n. 4.* quàm ex *Summar. noſtro num. 5.* Unde in hac parte negari non poteſt ejus verificatio, quo verò ad Officiorum pretia, licèt illorum quantitas ſit deſumpta à quadam ratiocinatione, non autem habita ſit admuſſim, ex quo non fuerit in noſtra libertate inſpicere libros Datariæ, prout facilè fieri potuiſſet per DD. Adverſarios, ſi credant fortaſſe non aſcendere ad dictam ſummam quare ſicuti evoluerunt, tam diligenter alios libros Datariæ eruere non curarunt, nam ante noſtri calculi veritas apparuiſſet in majori etiam quantitate illa, quam ad tollendas controverſias contenti fuimus tantùm adnotare in *dicto noſtro Summar. num. 6.*

Prælato igitur, quòd totum id, quod fuit receptum à Camera durante Secretariorum Collegio aſcendat ad prædicta ſcuta undecies centena millia, & facto integro calculo fructuum, qui per Officiales percipiebantur, qui aſcendebant ad ſummam ſcut. 40. mil. ſingulis annis, prout exadverſo non negatur, cùm ſolutio dictorum fructuum reſpectu Cameræ fuerit infra ſcut. quatuor pro ſingulis centenariis, decantata læſio totaliter excluditur.

Inſuper etiamſi conſiderandum ſolùm venirent fructus, qui fuerunt ſoluti reſpectu illorum quatuordecim officiorum tantùm, de quibus agitur in memoriali ultimo Reverendæ Cameræ, adhuc nulla læſio reſultare poſſet.

Primò, quia verè calculus deberet fieri diſtinctè, quoad pretia ſoluta per unumquemquem Officialem, & quidem de tempore, quo quilibet eorum officia emerit, & poſſederit, ſic certè non invenientur fructus excedere ſeptem, ſeu octo pro quolibet centenario.

Secundò, quia ſi fructus fortaſsè quodammodò ultimis annis excreverint, ex quibus magis reſultat alteratio fructuum in præſenti computo ex parte Reverendæ Cameræ dato, aſcendentes ad ſcuta 9. 10. ac 11. pro quolibet centenario, cùm eſſet in poteſtate Principis eos ad ſuum beneplacitum diminuere, expeditiones alibi committendo, quam

in

in Secretaria Brevium, & sic eorum diminutio penderet à mera Principis voluntate, omnis prætensa læsio evanescit.

Tertiò, quia admisso etiam, quòd ex parte Reverendæ Cameræ asseritur, ex facto calculo fructuum solutorum pro dictis quatuordecim Officiis, attamen patet illos non ascendere ad scuta 12. pro quolibet centenario; Imò multò infra, dum pro aliquibus Officiis vix fructus excessissent scuta novem, si ex hujusmodi fructuum solutione (præsertim facta temporibus jam elapsis, quibus redditus non erant adeò diminuti ex Investimentis fieri tunc solitis) possit resultare læsio in Officiis vacabilibus, quorum integrum pretium Camera in dies poterat per eorum vacantiam lucrari, relinquitur considerationi RR. PP. qui optimè sunt informati de similium vitalitiorum contractuum natura.

Quo verò ad aliud damnum proveniens, ut dicitur, ex augmento auri, quod evenit à tempore præterito ad præsens, respondetur, quòd si debitum erat contractum in hac præcisa specie monetæ, si deinde aucta fuerit, non videtur quomodo debeat ad Collegii damnum sub læsionis titulo computari.

Insuper, quoad aliud damnum, quod pariter dicitur resultare, ex non facta extinctione Montis erecti per concessionem sanctæ mem. Clementis Noni, satis nobis est respondere, quòd ideò Mons extinctus non fuit, quia adhuc tempus duodecim annorum ad extinguendum concessum non effluxerat, & si Collegium per alios tres annos in suo esse fata servassent, proculdubio extinctus fuisset; si enim ex privilegio Principis Officiales, adhuc extinguere non tenebantur, damnum suppositum ex ejus non extinctione, si quid sit tempore ad extinguendum concesso, ut diximus non elapso, læsioni referri non valet.

Præterea quoad aliud damnum proveniens ex differentia circa pretium jam solutum per Reverandam Cameram, & pretium solvendum, juxta Sacri hujus Tribunalis decisionem, non credimus egere responsione, siquidem cum differentia hæc sit basis præsentis quæstionis, & objectum, circa quod tota vis controversiæ versatur, non videtur, nec posse considerari, tanquam damnum, nec quòd valeat parere enormissimam læsionem, quam licèt Domini exadverso scribentes maximam exagerent, effingunt tantùm, ut demonstravimus.

Demùm quoad ultimum damnum, quod dicitur obventurum, si cogeretur pretium restituere illis Officialibus, qui aliis infeliciores, nihil usque adhuc receperunt, ex quo eorum officia fuerint à Pontificibus, ipsorum Auctoribus, donata, respondemus certè magnam adfuturam esse læsionem adversus miseros Officiales, si prætensio Cameræ subsisteret; Cæterùm quoad ipsam Cameram nullam sanè considerari posse læsionem, dum Pontifices non donarunt Officia, sed Officiorum pretia, prout clarè legitur in concessionibus, ibi: *Sed eidem N. N. ut officium prædictum, cujus pretium nos illi donatione pura, & irrevocabili, quæ dicitur fieri inter vivos, perpetuo valitura per præsentes gratiosè donamus, remittimus, & condonamus quandocumque sibi placuerit, præterquam in casu infirmitatis dicti N. N. vendere, resignare, de eo disponere, &c.* Unde necesse est dicere, quòd Camera priùs illa receperit, & si non fuerit formaliter numerata pecunia, & deindè retrodonata ad evitandos forsan superfluos circuitus, non ex hoc tollitur, quòd non censeatur facta antecedens pretii solutio; Unde non sine maxima ratione in hoc proposito Reverendissimus de Luca in suo discursu incipien. Pro methodica dixit, ibi: *Sed quando agatur de his officiis venalibus, quæ non ratione industriæ, vel meriti conceduntur, sed sunt in commercio, ad instar bonorum indifferentium, tunc quando Papa aliquod ex eis donat verè, & propriè non dicitur concedere officium, sed potiùs donare pretium, perinde ac si concessarius emisset officium pretio currenti*, quod brevi manu Papa eidem restituerit, ac elargitus fuerit, quasi quòd volens illi personæ bonificare, & subvenire, si non donasset officium, alias pecunias donasset in summa æquivalenti.

Præterea supplicamus advertere, quòd Camera, ideò tunc temporis nihil accepit, ex quo Pontifices Officiorum pretia donare voluerunt, si non donassent, nostri Officiales in nullo damno hodie reperirentur, quomodo possibile est igitur, quòd Princeps supprimens officia non teneatur restituere, &c. istis Officialibus pretium per eos solutum, si sola causa hujusmodi, ac tam ingentis damni fuit ipsum factum Principis donantis?

Replicatio Facti contra Rev. Cameram.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

SUMMARIUM.

1 *Verbum restituere significat solvere, & dare, quando est directum ad eum, qui recipere debet satisfactionem.*
2 *Verbum restituere, & verbum solvere in Bulla Piana accipiuntur synonymè.*
3 *Refectio damnorum, & interesse appellatur restitutio in l. curabit C. de action. empt.*
4 *Restitutio satis est, quòd verificetur respectu eius, qui passivè debet satisfactionem consequi.*
5 *Beatus Pius non solum confirmavit privilegia Secretariorum, sed eos assecuravit, ut in casu suppressionis consequerentur integrum pretium, & num. 7.*
6 *Contra claram dispositionem admittendæ non sunt interpretationes, & argumenta.*
8 *Expressio summæ facta ad favorem alicuius, absque limitationibus, & dictionibus taxativis, dicitur stare demonstrativè.*
9 *A diversis non fit illatio.*
10 *Ex dispositione Bullæ Pianæ restituendum est integrum pretium singulis Secretariis, & num. 11.*
12 *Et quidem singulis Secretariis viventibus de tempore suppressionis, nulla facta differentia, an pretium esset solutum Datariæ, vel resignantibus, & num. 13. usque ad 22.*
15 *Papa potest ad sui libitum disponere de Officiis vacantibus, etiam ea donando personis sibi benè visis.*
18 *Emptores, & resignatarii hujusmodi Officiorum dicuntur contrahere cum Papa, unde non sunt fraudandi de pretio resignantibus exbursato.*
19 *Scientia Ministri dicitur scientia Principis.*
23 *Populus non debet sub fide publica citra propriam culpam decipi.*
24 *Princeps auferendo à subditis officia, titulo oneroso acquisita, debet refundere pretium.*
25 *Pretium Officiorum est in commercio, & æquiparatur rei merè allodiali.*
26 *Rescisso contractu non est restituendum nisi quod fuit receptum.*
27 *Id specialiter procedit in transactione.*
28 *Et in alienatione facta per minorem sine solemnitatibus.*
29 *Camera supprimens officia tenetur restituere pretium per Officiales exbursatum, & ulterius damna, & interesse.*
30 *Bulla confirmata facilius est exequenda.*
31 *Defectus registrationis, atque derogationis regulæ de Jur. quæsit. non tollen. si adessent in Bulla Piana, censerentur sublati per Confirmationes Sixti Quinti, & Gregorii Decimiquinti.*
32 *Bulla Piana non cecidit sub Constitutionibus revocatoriis quia non fuit læsiva, & continet concessionem onerosam, non verò gratuitam, & n. 33. usque ad finem.*

R.P. PErsistendum videtur in Decisis, nam quidquid repetant DD. Camerales ad offuscanda verba, & mentem Beati Pii, circa nostrum Motum proprium, nihilominus semper apertior erumpit planus, & germanus sensus verborum, & voluntatis B. Pontificis, ut nempè Collegium supprimi nequeat, *nisi prius singulis Secretariis, viventibus de tempore suppressionis, integræ restituantur, & sine diminutione pecuniæ, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit*; Et sic sive officia à Dataria, sive à Resignantibus habuerint, indistincte jubet, pecunias ab omnibus Officialibus erogatas restitui, ut latius probavimus in responsionibus ad primum, & secundum Articulum.

Et quidem vera significatio verbi *restitutis* favet manifestè nostræ intentioni, cùm ultra significationem retrodandi impor-

importet etiam *ſolvere, & dare* quando, ut in præſenti, diſpoſitio eſt directa, & reſpicit ſatisfactionem ſummæ exburſatæ ab his, qui recipere debent, ut punctualibus doctrinis fuit per nos jam comprobatum, nec ex contextu Motus proprii, quando B. Pontifex locutus eſt de reſtitutione ſcutorum 5500. Officii Cardinalis Medicei, contrarium argui poteſt in replicatione Cameræ §. *Verbum enim cum ſeqq.* nam, ut præventivè oſtendimus in aliis, Papa accepit ver-
2 bum *reſtituere* ſynonymè pro verbo *ſolvere*, ut legitur, ibi: *Et ſi dictum Collegium turbabitur, &c. ad ſolven. cum effectu dictam ſummam ſcutorum 5500. una cum damnis, & intereſſe paſſis*, in qua damnorum refectione, ultra principalis ſummæ reſtitutionem, verè, & propriè cadebat verbum
3 *reſtituere*, juxta Textum *in l. cnrabit C. de act. empt.* prout id arguitur ex aliis locis dicti Motus proprii, quæ non eſt neceſſe repetere.

Dilemma exadverſo adductum in §. Vel enim facillimè diſſolvitur, advertendo, quòd licèt Camera activè reſti-
4 tuere debeat, tamen reſpectu paſſivæ reſtitutionis, ſeu receptionis verba ſunt clara, quòd reſpiciunt quantitatem per Secretarios indiſtinctè exburſatam in acquiſitione Officiorum, non autem quantitatem receptam per Cameram, & ſic verba ſunt ad eorum favorem directa, aliàs ſi valeret dictum dilemma, quæcumque obligatio concepta cum verbo *reſtituere* eſſet fruſtratoria, niſi ille, ad cujus favorem talis obligatio emanaſſet, prius probaret promiſſorem pecunias promiſſas antecedenter recepiſſe, quod manifeſtè repugnat.

Intentio verò Beati Pii, ut in caſu ſuppreſſionis fiat omnibus Secretariis dicta integra reſtitutio pretii, non poteſt in dubium revocari ex ipſa ſimplici lectura Motus proprii, Poſtquam enim conceſſit Officium primò vacaturum, etiamſi in magna ſumma illius valor excederet ſcuta 5500. à Secretariis reſtituta Cardinali de Medices, per orationem ſeparatam declaravit velle majora conferre Privilegia, ibi: *Ad hæc, dictos Secretarios, & Collegium maioris favoris gratia proſequi volentes, &c.* & inde confirmans omnia Privilegia ab Anteceſſoribus conceſſa addidit: *Volentes, & ſtatuentes Officia, & Collegium ſupprimi non poſſe, niſi prius ſingulis Secretariis tunc viventibus reſtitutis integris pecuniis, pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit.*

5 Clariſſima ergo eſt mens B. Pontificis, quòd non ſolùm voluit confirmare Privilegia ab aliis elargita, ſed ulterius aſſecurare Officiales omnes, ut in caſu ſuppreſſionis haberent integrum pretium ab unoquoque ipſorum in acquiſitione officii erogatum.

Ac proindè omnia argumenta, quòd ſcilicet Beatus Pius voluerit in dicto Motu proprio ſolùm confirmare Bullam Innocentii Octavi, ubi demandatur reſtitutio ſcutorum 62400. in erectione receptorum, & alia de novo exadverſo
6 repetita, nullius ſunt momenti, quia unico verbo DD. Camerales cum iſtis argumentationibus, nil aliud prætendunt, quàm deſtruere veram mentem, & intentionem illius Beati Pontificis, litteris claris ſatis explicatam, quòd ſi admittatur, jam omnibus facillimum erit quamcumque diſpoſitionem evertere, quod eſt abſurdiſſimum.

Ex eo autem, quòd Secretarii expediverint, tam Breve ſuper executione contractus contenti in prima parte Mo-
7 tus proprii, quam aliud ſuper ſecunda parte continente Confirmationem Privilegiorum, non videtur quid Camera pro ſe inferat; Imo motivum mirificè retorquetur, quia in dicto Brevi confirmatorio ſecundæ partis, non ſolùm ſtat regiſtrata Confirmatio Privilegiorum per Prædeceſſores Pontifices Collegio conceſſorum, ſed etiam aſſecuratio reſtituendi in caſu ſuppreſſionis ſingulis Secretariis integrum pretium per eos in acquirendis Officiis erogatum, *ut in Summario Cameræ num.* 3. quòd etiam fuit in forma ſpecifica inſertum, & confirmatum in Breve Gregorii Decimiquinti, unde cùm promiſſio, & aſſecuratio reſtituendi dictum pretium appareat bis à Beato Pio conceſſa, nempè in Motu proprio, & in Brevi deſuper expedito, & ulterius confirmata, & innovata à Sixto Quinto, & Gregorio Decimoquinto, evaneſcit penitus prætenſio Cameræ, quòd B. Pius nil aliud facere voluerit, quàm ſimpliciter confir-
8 mare Privilegia Prædeceſſorum.

Præterea jam demonſtravimus non ſubſiſtere aſſertum pactum negativum Bullæ Innocentii Octavi non reſtituendi niſi ſcut. 62400. ea optima ratione, quia expreſſio dictæ ſummæ non ſtat taxativè, itaut ſi ex poſt ex augmento valoris Camera majorem ſummam recepiſſet, adhuc ſola ſcuta 62400. ab illa forent reſtituenda, ut latè, & benè in puncto Fagnan. *in cap. ex Epiſtolæ n. 12. num ſeqq. de probat.* & ſine tot diſcurſibus ſufficit ſimplex lumen naturale ad perſuadendum, quòd ſemper Camera debuiſſet majus pretium acceptum ab Officialibus reſtituere, non obſtante, quòd Bulla Innocentii mandaſſet reſtitui ſola ſcuta 62400. Exemplum autem locorum Montium non vacabilium, in quorum extinctione Camera reſtituit ſola ſcuta centum pro quolibet loco in prima erectione habita, non facit ad rem, quia augmentum illorum pretii à Camera non approbatur, ut in vacabilibus, quæ per vacationem acquiruntur ipſi Cameræ, & ipſa illa vendit eodem pretio majori in pla- 9
tea currenti, ideò ex adverſis non fit illatio.

Ulterius ſi ſubſiſteret prætenſio Cameræ, Bulla B. Pii remanſiſſet totaliter fruſtratoria in dicta parte, in qua ordinavit reſtitui ſingulis Officialibus integras pecunias per eos 10
exburſatas. Revera enim reſtitutio non fieret ſingulis Officialibus de tempore ſuppreſſionis viventibus, nec integrè, & ſine diminutione, imò contra litteram Bullæ aliquibus Officialibus, Nihil pluribus dimidium, vel aliàs diminutum pretium reſtitueretur. Hæc autem non ſunt argumenta, & ratiocinia, ſed eſt vera, plana, litteralis, & germana explicatio noſtræ Bullæ, cui non poteſt reſponderi, niſi componendo novam Bullam, & expreſsè reſtringendo reſtitutionem pretii ad officia vendita per Datariam, ut iterum exadverſo aſſeritur in §. Datos, ubi explicando dicta verba noſtri Motus proprii, gratis omninò adduntur verba, *quòd ipſi, vel eorum Auctores ſolverunt Datariæ, quod nullatenus eſt permittendum.*

Quinimò non ſolùm ſuperadduntur nova verba, ſed 11
redarguitur dictus Motus proprius de errore in §. maximè, quia quaſi dicta verba injungentia integri pretii reſtitutionem ſingulis Secretariis faciendam, fuerint in Motu proprio per errorem ſcripta. Hinc enim videant RR. Patres, quàm ſint clara verba noſtræ Bullæ, ut Camera ad evertendam illorum planam ſignificationem opus haber novis verbis ſuperadditis, & ſuppoſitione erroris, qui nullibi juſtificatur.

Tantoque minus mens, & intentio B. Pii trahi poteſt ad ſenſum Cameræ, quin potiùs validiſſima militant argu- 12
menta, ut re vera voluerit omnibus Officialibus, viventibus tempore ſuppreſſionis, totum pretium reſtitui, quod ab eis, ſive Datariæ, ſive reſignantibus exburſatum fuiſſe conſtiterit, Et primò quia hanc voluntatem clarè in verbis explicavit; Sciens enim, quòd Officia erant ad libitum reſignabilia, & veriſimiliter tempore ſuppreſſionis plures, imò major pars Officialium erant reperiendi, qui officia à reſignantibus accepiſſent, indiſtinctè mandavit omnibus Officialibus tunc viventibus integram pretii reſtitutionem, ſicque liquidò apparet, quod comprehendere voluit etiam pretium ſolutum reſignantibus, quòd ſi intellexiſſet reſtringere diſpoſitionem ad pretium Datariæ ſolutum, id de facili dixiſſet, nec generaliter omnibus Officialibus integri pretii reſtitutionem demandaſſet.

Secundò, quia profeſſus eſt augere privilegia favore Of- 13
ficialium, & Collegii, ſi autem diſpoſitio Bullæ non provideret reſtitutioni pretii, etiam reſignantibus perſoluti, nullum fuiſſet auctum privilegium, nam ut ſæpiùs diximus pretium exburſatum Datariæ ſemper fuiſſet reſtituendum Officialibus in caſu ſuppreſſionis, etiam ſine iſta Bulla.

Tertiò, quia B. Pontifex cum dicta aſſecuratione fecit 14
actum utile ipſi Cameræ, redigendo dicta Officia in majus creditum, & valorem, ut ita in caſibus vacationis Camera reciperet majus pretium, & emolumenta Componendarum, prout exitus demonſtravit, dum poſt dictam Bullam, continentem prædictam aſſecurationem, valor officii ſemper incrementum accepit.

Quartò, quia erat benè notum B. Pio, quòd Summi Pon- 15
tifices pro tempore poterant de officiis vacaturis diſponere, vel illa donando perſonis benemeritis de ſupradicta Sede, vel aliàs de eis diſponendo, ut ejus prædeceſſores feciſſe in puncto iſtorum officiorum refert Caſtracan. *de ſociet. Officior. cap. 2. ſub num. 19. verſ. ultimo, quod Papa ſit ſolitus*, & R. P. D. de Luca *diſc. 2. de Regal. num. 11. cum pluribus ſeqq.* & quia iſti donatarii forſan aliis bona fide, & auctorizante Papa ementibus reſignaſſent, juſtum fuit iſtis reſignatariis providere, ut in caſu ſuppreſſionis eis pretium per Cameram reſtitueretur.

Quintò, quia benè etiam ſciebat B. Pius pretia officio- 16
rum augeri poſſe, & quòd tempore ſuppreſſionis magna pars

Offi-

Officialium officia erant habituri à resignantibus, quibus majus pretium, tempore resignationis currens, solvendum erat, quàm retroactis temporibus vacationis fuisset habitum à Dataria. Unde dum generaliter, & indistinctè jussit *restitui integrum pretium singulis Secretariis* viventibus tempore suppressionis, manifesta est illius mens, & intentio, ut restituatur totum pretium, quod constiterit unumquemque Officialium exbursasset etiam resignantibus, præsertim quia nulla alia potuit esse causa movens B. Pontificem ad faciendam dictam generalem dispositionem, nisi assecurare de integra pretii restitutione etiam illos Officiales, qui emissent à resignantibus, dum illi, qui acquirebant à Dataria non egebant hac assecuratione, ut sæpiùs dictum est.

Sextò, quia ita exigebat bona fides, & publicum Roma-
17 næ Curiæ commercium, in qua, ut notum est, hæc, & alia officia vacabilia semper contractata fuerunt *sub fide Principis duntaxat*, absque inquisitione, An resignans solverit pretium Datariæ, vel an Dataria quando ab initio talia officia vacaverint, vel erecta fuerunt, tantam summam receperit, & notorium est acquirentem ista officia ignorare resignationē, cum totaliter confidat *in fide Principis talem resignationem propriis litteris approbantis, & consentientis, quod resignans accipiat pretium currens ab huiusmodi emptoribus*,
18 ut latiùs probavimus in prima positione, adeout isti emptores dicantur contrahere cum ipso Papa, qui officia confert, & ipsum in auctorem, & debitorem recognoscere, ideoque nullatenus permitticur, ut sub ista bona fide emptor fraudetur de pretio exbursato, ad tradita per R. P. D. de Luca *de Regal. discurs. 2. num. 10. & 17. & disc. 39. sub numer. 6. vers. ex ea vivaratione cum seqq. & in eodem titul. disc. 163. sub num. 12.* & Rota in Romana locorum Montium 22. Junii 1675. coram Reverendissimo Taya, ut in particula data in prima positione. Nihil prorsus relevante, quod in supplicationibus venditionum Datariæ Papa exprimat quantitatem pretii, non autem in aliis resignationibus, quia
19 satis est, quod id sciat Minister Componendarum ad hunc effectum à Papa præpositus, sine cujus interventu, & fide resignationes fieri non possunt, ut in dicta prima pnsitione latiùs probavimus.

Quantò probabilius ergo est, quod mens, & intentio B. Pii fuerit assecurare tales Officiales sub bona, & publica
20 fide Papæ, & commercii contrahentes, quàm dicere contrarium, ut nempè voluerit, quod isti Officiales innocenter, & absque culpa privati remaneant propriis substantiis, & patrimonio, & ulterius cum propriis litteris Pontificiis, approbantibus hujusmodi resignationes, permittere, quod resignantes, qui ab initio, vel nihil, vel diminutum pretium exbursarunt Datariæ, accipiant à miseris emptoribus totum, vel majus pretium officii, & cum eorum jactura ita locupletentur, si autem hæc omnia justitiæ, & æquitati repugnant, quomodo existimandum quod B. Pius ea voluerit, & intenderit?

Stringit fortiùs motivum, habendo semper præ oculis
21 litteralem Bullæ dispositionem mandantis restitui singulis Secretariis de tempore suppressionis viventibus integrè, & absque ulla diminutione pecunias, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit. Siquidem emptores, ultra bonam fidem, videntes dictam generalem promissionem restitutionis integri pretii omnibus Officialibus viventibus faciendam, securè pecunias in emptione Officiorum hujusmodi implicarunt, nec umquam potuerunt suspicari, quod Domini Camerales tot ratiocinia, & extranea argumenta conferrent ad offuscandum clarum tenorem dictæ Bullæ. Debet autem præsumi, quod mens B. Pontificis, qui professus est indulgere huic Collegio majora privilegia, fuerit prout verba sonant, plana, & clara pro restitutione integri pretii omnibus Secretariis facienda, non autem æquivoca, & præseferentia aliud in verbis, & aliud in intentione.

Septimò, quia observantia semper practicata per successores Summos Pontifices in tot similibus officiorum sup-
22 pressionibus, in quibus restituerunt indistinctè omnibus, sive à Camera, sive à resignantibus causam habentibus, totum pretium in acquisitione officiorum erogatum, perspicuè ostendit eamdem fuisse mentem B. Pii, qui non minus justitiam, & æquitatem sectari voluisse credendum est, & sine difficultate, quia Bullæ dictorum officiorum suppressorum non habebant legem scriptam restituendi omnibus integrum pretium ab eis erogatum in eorum acquisitione, prout habet nostra Bulla, sed restitutio fuit fundata in bona *fide, & publico commercio*, dum ergo in casu nostro B. Pius integram dictam restitutionem favore omnium Officialium demandavit, clarior, & irrefragabilis inde oritur mens, & intentio nobis favorabilis.

Supplicando ponderare, quod si locum haberet prætensio Cameræ, actum esset de possessoribus officiorum vacabilium, major enim illorum pars provenit à resignationibus, quibus possessores sub bona fide publici commercii, absque inquisitione tituli, pecunias persolverunt, & tamen certum est plurima ex illis fuisse à Pontificibus per antea elargita, tam familiaribus, quàm Gentilibus suis, qui deinde recepto pretio *ea, Papa autorizante resignarunt*, ut supra, probatum est §. sexto, quia hoc sanè esset facere stragem immensam resignationum, & depauperare familias, & 23
suscitare infinitas lites, ad quæ mala tollenda legum latores sanxerunt bonam fidem contrahentibus plenè suffragari, ne Populus propter fidem publicam, citra propriam culpam, deceptus remaneat Rota coram Buratto *decis. 735. num. 10.* in Romana Testamenti secunda Decembris 1671. §. defectus verò coram Reverendissimo Emerix, & latiùs in Senogallien. Testamenti 15. Februarii 1677. §. hinc succedit coram Reverendissimo Bourlemont, & latiùs ponderavit Dominus meus Fatinellus in sua informatione juris data in præterita positione §. Accedit ratio bonæ fidei cum §. seq. ex gratia reassumenda.

Observantia ex facto Beati Pii in reductione fructuum Montis Julii vacabilis, iterum negatur. Tum quia illa non fuit suppressio, tum etiam quia Camera non probat, quod Montistæ pluris dicta loca emissent, quàm scut. 100. pro quolibet, quæ Papa non acquiescentibus reductioni restitui mandavit, imò est indubitatum, quod tempore B. Pii pretium non erat majoris summæ, cum passim tunc vacabilia redderent 12. pro centenario, nec benè arguitur augmentum pretii ex Bulla Alexandri Septimi super suppressione, quia hæc emanavit post centum ferè annos, quo temporis spatio, quia dicti Montes vacabiles creverant in pretio, ideò dictus Summus Pontifex non sola scuta centum, sed etiam totale augmentum laudabiliter restitui jussit, unde responsio retorquetur.

Patet igitur ex prædictis mentem, & intentionem Beati Pontificis non potuisse esse diversam à sua Bulla, nec subsistere assertum præjudicium Cameræ in restituendo majus pretium, quod non accepit, tum quia hæc erat natura hujusmodi officiorum resignabilium cum approbatione Papæ, tum etiam quia ipsa Camera, hoc majus pretium recepit pro officiis vacatis, imò longè plus, quàm scuta 368. mil. ad quæ ascendit totum pretium à nostris principalibus solutum, tum tandem quia Princeps supprimendo, 24
& auferendo officia ab ipsis titulo oneroso acquisita, debet eis pretium illorum refundere, Capyc. Latr. *cons. 38. num. 9. & seqq.* Franch. Marc. *decis. 383. per tot.* Rota coram Ubald. *decis. 478. num. 9. & seq.* cum aliis citatis in præterita positione reassumenda, ubi latè probavimus, quòd 25
licèt ista officia sint in dominio Papæ, & non patrimonialia Officialis, attamen semper venit restituendum pretium, quod est in commercio, & vendibile, & æquiparatur rei merè allodiali, Gratian. *discept. 670. num. 12. & seq.* Rot. *decis. 395. num. 8. & seq. part. 2. recent.* qua subditus non est sine causa privandus.

Non obstat, quòd rescisso contractu Camera non teneatur restituere, nisi quod recepit *ex l. si diversa C. de transf. & l. prædiorum 10. C. de prædiis minorum*, quia dicta iura loquuntur in diversis terminis, primum nempè in transactione, in qua speciale est, ut illam impugnans pretium prius refundat quod recepit, alterum loquitur in prædio minoris nulliter sine decreto alienato, quo casu Imperator jussit minorem nil aliud, quàm versum in ejus utilitatem restitui. Nos autem sumus in casu totaliter diverso, nempè in suppressione officiorum voluntariè per Cameram facta, quo casu debet absque dubio restituere totum pretium, quod Officialis ritè, & approbante Principe impendit in acquisitione officii, ac etiam damna, & interesse, Rota coram Seraphin. *decis. 785. num. 5. & 6.* Hermosill. ad Lopez *leg. 33. tit. 5. par. 5. glos. 1. num. 3. in fine fol. mihi 618. & num. 2.*

Non debet igitur videri exorbitans, & Cameræ adeò præjudicialis nostra Bulla, ut resonant Scripturæ Dominorū Cameralium, dum in effectu apparet innixa justitiæ, & æquitati. Præsertim quia postea legitur eadem Bulla specificè cō-

firma-

firmata à ſanctæ mem. Sixto Quinto, & Gregorio Decimoquinto. Unde eo facilius videtur inclinandum pro illius ſubſiſtentia, & executione.

Quatenus verò exadverſo repetitur, quod in omnem caſum hæc Bullæ diſpoſitio fuiſſet nulla, ob non regiſtrationem, tollitur ex adductis in noſtra reſponſione ad tertium articulum; Nec urget fides nuper exadverſo procurata, quia ea non probat negativam, nec conſtat, quod factæ fuerint diligentiæ in omnibus Libris Notariorum, in quibus fiunt actuales regiſtrationes, ſed ſolum in Libris propoſitionum Cameræ, ubi aliquando hujuſmodi adnotationes omittuntur, Ultra quod hæ diligentiæ fieri debent citata parte, ex allegatis in reſponſione. Cæterum ad tollendum hoc inane
31 objectum exuberat lapſus centum annorum, & ultra, nec non confirmatio Sixti Quinti, & Gregorii Decimiquinti, qui hos prætenſos defectus conſiderarunt, & ſupplere voluerunt, Maximè quia non ſunt ſimplices confirmationes, ſed omnium Jurium, & Privilegiorum *innovationes*, & derogant ſpecialiter, tam Bullæ Pii Quarti de regiſtran. quàm regulæ de jure quæſito.

Poſtremò corruit prætenſa præjudicialitas, & læſio Ca-
32 meræ, & quod noſtra Bulla ceciderit ſub Conſtitutionibus revocatoriis.

Primò, quia B. Pius non tam reſpexit favorem Collegii, quàm etiam ipſius Cameræ, quæ ex tali pretii aſſecuratione, futuro tempore, lucrata fuiſſet majus pretium Officiorum vacandorum, prout lucrata fuit ſupra ſcuta *Vndecies centena millia*. Quamobrem nefas eſt, quod hodiè exprobet læſionem ex Bulla, qua ipſa promiſcuè cum aliis Officialibus uſa eſt in vendendis Officiis vacatis.

Secundò, quia Officiales habuerunt dictam aſſecuratio-
33 nem à Beato Pio promiſſam in partem pretii ipſorum Officiorum, & ſi dicta Bulla non adfuiſſet, plures forſan non emiſſent, ut patet hodierna experientia, & benè ſciunt Miniſtri Datariæ, ſicque reſpectu noſtrorum principalium, qui omnes emerunt poſt dictam Bullam, non poteſt dici conceſſio gratuita, ſed potius reſpectu illorum militat titulus oneroſus.

Tertiò, quia magis, magiſque fuerunt dicta promiſ-
ſione B. Pii aſſecurati, mediante ampliſſima confirmatione Sixti Quinti, & Gregorii Decimiquinti, qui ulterius de-
34 clararunt Bullam B. Pii ſuffragari debere Collegio ex titulo verè oneroſo, ac in vim contractus initi inter Cameram, & Secretarios, nil relevante, quod exinde non juſtificetur titulus oneroſus, ſed probari debeat per effectualem pretii ſolutionem Cameræ factam, citato Domino Commiſſario Cameræ, quia cum in caſu noſtro concurrant tam ſolutio pecuniæ, ſcutorum ſcilicet 5500. auri tempore B. Pii, & ſcutorum 25. mil. auri tempore Sixti Quinti, quàm etiam renunciatio ingentis ſummæ per viam tranſactionis Cameræ condonatæ tempore Gregorii Decimiquarti, ſatis ſuperque juſtificatus cenſeri debet dictus titulus oneroſus, dum præſertim bini Romani Pontifices de eo attentati ſunt, ex deductis in reſponſione ad tertium articulum, §. *Quod verò conceſſio*.

Quartò, quia Conſtitutiones revocatoriæ comprehendunt quidem conceſſiones Officiorum factas ad plures vitas, & in præjudicium ſupremæ juriſdictionis Pontificiæ, nec non exemptiones à gabellis, & publicis oneribus in præjudicium Cameræ, & Communitatum elargitas, non autem Privilegia, & conceſſiones factas Collegio Officiorum vacabilium, circa quæ nihil innovarunt, cum talia Pri- 35
vilegia, ut dixi, reſpectu Officialium qui contraxerunt, poſt illorum publicationem ſemper ſint oneroſa, & conſiderentur tanquam pars pretii, ac redundent etiam in beneficium Cameræ ob incrementum valoris Officii, quod in caſu vacationis percipit, prout ex noſtro Collegio, magnam utilitatem percepiſſe, ob tot officia vacata, jam oſtendimus.

Cæterum prætenſa læſio, undique excluditur ex adductis
in noſtra reſponſione, ubi oſtendimus pecunias reſtituen- 36
das per Cameram pro capitali iſtorum Officiorum aſcendere ad ſcuta 368. mil. & vice verſa ex vacationibus, & componendis eorumdem Officiorum Camera percepiſſe, pluſquam undecies centena millia ſcutorum. Gratis autem Calculus per nos datus aſſeritur, non juſtificatus, quia illius verificatio, quoad quantitatem vacationum uſque ad annum 1586. litteraliter legitur *in Summario Cameræ num.* 4. Aliæ verò vacationes uſque ad tempus ſuppreſſionis fuerunt deſumptæ ex libro manuſcripto Collegii, confrontato cum libris Datariæ; quem uſque ſub die prima currentis menſis conſignavimus Reverendiſſimo Domino Commiſſario Cameræ, ad hoc, ut ſi habuiſſet aliquam difficultatem, potuiſſet dictas vacationes ibi adnotatas confrontare cum libris originalibus Datariæ; Dum ergo non apparet, quod aliquem errorem invenerit, ſignum evidens, quod quantitas vacationum eſt vera.

Pretium autem dictis vacationibus additum, eſt pretium currens in temporibus illarum, & ſic optimè remanet comprobata quantitas pecuniarum per Cameram perceptarum.

Quoad novum Calculum exadverſo ad partes porrectum cum Memoriali ſuper læſione, ſatisfacit reſponſio particularis, quæ datur.

Cætera non indigent aliqua replicatione.

Et ita, &c.

Gaſpar Turchus.

Replicatio Juris ſuper primo Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

SVMMARIVM.

1 *Ablativus abſolutus importat conditionem.*

2 *Dictio* prius *adiecta ablativo abſoluto inducit formam.*

3 *Ad hoc, ut reſtitutio verificetur, ſufficit, quod recipiens tantumdem exburſaverit, licet ſolvens tantundem non receperit.*

4 *Princeps, & Iudex dicuntur reſtituere famam, honorem, & ſimilia quæ nunquam à reſtituto receperunt.*

5 Rot. in Romana hæreditatis 8. Februarii 1680. coram R. P. D. Urſino *in quibus terminis procedat.*

6 Bald. conſ. 145. lib. 2. *explicatur.*

7 *Verba ſunt inſimul accipienda ad eruendum verum diſpoſitionis ſignificatum.*

8 Reſtituere *eſt verbum relativum, quod ſupponit relationem activam, & paſſivam, & quomodo.*

9 *Scientia Officialis eſt ſcientia Papæ.*

10 *Dictio* eos *eſt perſonaliſſima.*

11 *Hæres eſt eadem perſona cum defuncto.*

12 *Dictiones taxativæ, & perſonales nunquam cenſentur adiectæ ad excludendos hæredes.*

13 *B. Pius in ſuo Motu proprio uſus fuit promiſcuè verbis denotantibus totalem ſatisfactionem.*

Card. de Luca de Offic. Venal. &c.

14 *In re clara non eſt recurrendum ad coniecturas.*

15 *Mens, & voluntas concedentis eſt illa, quæ reſultat ex verbis.*

16 *B. Pius cenſendus eſt veriſimiliter voluiſſe obligare Cameram, ad reſtituendum integrum pretium, cuicumque per Secretarios ſolutum, & de ratione.*

R. P. IN Motu pro B. Pii in caſu ſuppreſſionis demandatur reſtitutio integra pecuniarum à Secretariis ſolutarum pro acquiſitione Officiorum, per ablativum abſo- 1
lutum, ibi: *niſi reſtitutis prius*, qui ablativus abſolutus importat conditionem, & formam, itaut ad ſuppreſſionem deveniri non poſſit abſque actuali, & præcedenti reſtitutione dictarum pecuniarum, Valenzuel. *conſ.* 175. *nu.* 48. *& conſ.* 177. *num.* 96. Rot. coram Coccin. *dec.* 1238. *num.* 15. ponderando præſertim dictionem illam *prius* eidem ablativo abſo- 2
luto adjectam, quæ pariter importat formam, & clarè ſignificat, quod præcedere debeat totalis, & effectiva reſtitutio pecuniarum, Benintend. *dec.* 77. *num.* 11.

Proprietas verbi reſtituere aſſiſtit Dominis olim Secretariis, nec nos in noſtro reſtrictu, aut aliis Scripturis affirmavimus contrarium, aut recurſum habuimus ad mentem B. Pontificis, ſed latè probavimus proprietatem ejuſdem verbi in caſu noſtro, quæ videtur clara, cùm ſignificet etiam 3
ſatisfactionem illius, quod à reſtituente acceptum non

 fuit,

fuit, & præsertim quando recipiens, vel qui recipere debet pecunias semel exbursavit, nam respectu istius propriissimè restitutio verificatur, nec aliter, aut alio modo potest melius explicari, quàm per verbum restituere, quæ restitutio semper demandatur fieri ipsi recipienti principaliter, licet ab alio fieri debeat, ut evenit in casu nostro, in quo demandatur restitutio facienda ipsis Secretariis, qui recipiunt pecunias jam solutas, ut latè in nostro restrictu super primo
4 articulo fuit ostensum. Unde etiam restitutio in integrum datur, & conceditur à Principe, & Judice, qui tamen nihil habuerunt, sic pariter idem Princeps restituit natalibus famæ, & honoribus, respectu quorum Princeps, nihil habuit, quia restitutus semel illa habuit, & abstulit læsio, aut alia causa.

5 Non obstabt igitur deducta per Rotam in Romana hæreditatis 8. Februarii præsentis anni coram R. P. D. meo Ursino, nam ibi Rota loquitur ad alium effectum, scilicet quia condemnatus ad restituendum, & etiam ad dandum, quasi illud habeat penes se, non potest reddere, aut dare nisi illud habeat ex regula, nemo plus juris, &c. allegata in eadem decisione, & cùm in illo casu bona non possent hæredibus acquiri, utique ab eisdem eadem bona restitui non potuerunt, ut clara sunt verba ejusdem decisionis, ibi: *Si ergo bona hæc non acquiruntur, nec acquiri possunt hæredibus, utique ab hæredibus restitui non possent fideicommissariis*; nec in dicta decisione ad effectum prædictum fit aliqua differentia inter verbum dare, & verbum restituere, sed dicitur, *quod dari etiam non potest, quod non habetur*.

6 Non obstat etiam consilium Bald. 145. exadverso allegatum *sub num. 2. lib. 2.* quia loquitur in restitutione Banniti, qui restitutus ad bona recuperat omnia bona, sed Fiscus non tenetur restituere bona, quæ non habuit, quod nihil videtur pertinere ad casum nostrum.

Ex his ergo, & aliis latius in dicto restrictu deductis clarè patet, quòd proprietas dicti verbi *restituere* optimè assistit dictis Secretariis, quibus facienda est restitutio.

Præterea exadverso solùm ponderatur verbum *restitutis* in abstracto, quasi illud solum Beatus Pontifex protulerit, cùm tamen illud protulerit junctum cum aliis verbis, quæ nullo modo possunt applicari, & verificari favore Cameræ, absque eo, quod vis fiat ipsis litteris, ad quam evitandam DD. scribentes pro Camera recurrunt ad suppletionem verborum, quæ non est de jure permissa, quando oratio est perfecta, habetque suum sensum, & intellectum germanum, & clarum, prout in casu nostro habent verba illa motus proprii, *nisi restitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis, tunc viventibus integre, & absque ulla diminutione pecuniarum, pro quibus eos officia emisse, & habuisse constiterit*, & non possunt verificari, & recipere
7 alium sensum extraneum absque suppletione, ut fatentur iidemmet DD. Scribentes pro Camera, verba autem sunt simul accipienda, & tota periodus orationis consideranda ad eruendum illius verum sensum, & intellectum germanum.

Nec suppletio prætendi potest necessaria, aut repræsentatio Auctorum, eo quia obligatio restituendi residcat in Camera, quia restituere est verbum relativum, quod supponit in utroque termino relationem activam, & passivam
8 nempè in restituere obligato obligationem restituendi, & in recipere debente obligationem passivam ad rehabendum, & habendum id, quod eidem debet restitui, & dum jubetur restitutio, debet alicui demandari facienda tamen alteri, ideoque dum demandata fuit restitutio pecuniarum facienda per Cameram, eidem injungi debebat, sed facienda Secretariis, qui recipiebant, quod olim persolverant, & consequenter eisdem restituebatur.

Repræsentatio verò Auctorum non potest dari in officiis quorum resignatio fit ipsi Papæ, & ab illo conceduntur Resignatario, qui ut plurimum ignorat etiam resignantem, & ordinem de solvendo pretium, facit, & dirigit incertæ personæ, & nihil videtur referre, quòd Papa sciat, vel ignoret pretium, sed satis est, quòd officium non acquiratur, nisi ab ipso Papa, & pretium stabilitum per Resignatarium non cum ipso Resignante, sed cum ipso Proxeneta, incognito penitus resignante, licèt etiam in hoc casu pretium innotescat Officiali Datariæ, cujus scientia est scientia Pa- 9
pæ, Rota coram Carillo *decis.* 103. *num.* 17.

Et omnem repræsentationem Auctorum videtur substulisse ipse Beatus Pontifex, dum mandavit fieri restitutionem ipsis Secretariis viventibus tempore suppressionis integrè, & absque diminutione aliqua pecuniarum, pro quibus ipsi Officia emissent, seu acquisivissent, aut habuissent, & ita mandavit clarè restitutionem omnium pecuniarum, quas solvissent ipsi Secretarii tunc viventes, & non ipsorum Auctores, hoc est Resignantes. Dictio enim *eos* in Motu pro- 10
prio apposita, est personalissima, ut in restrictu, & decisione probatur, & vita non potest considerari in Auctoribus
defunctis; Exemplum autem hæredum non refragatur, 11
quia hæres est eadem persona cum defuncto, ex dispositione Juris §. 1. *Auth. de iuram. à morient. præstit.* Valenz. *cons.* 10. *num.* 50. & nunquam intelligitur exclusus, non obstan. dictionibus, & verbis taxativis, & personalibus, Surd. *cons.* 384. *num.* 45. *in fine cum seqq.* Rot. *decis.* 371. *num.* 24. & *seqq. part.* 11. *recent.*

In eodem nostro Restrictu super primo Articulo ostendimus Beatum Pontificem non adhibuisse aliquam distinctio- 13
nem verborum, sed promiscuè adhibuisse omnia verba denotantia totalem satisfactionem, & indemnitatem Secretariorum, & respectu damnorum, & interesse idem Beatus Pontifex aliquod verbum non adhibuit, quia illa expressit accessoria ad summam scutor. 5500. quæ regunt orationem, & respectu quorum erat vera restitutio, etiam juxta sensum DD. exadverso Scribentium, & cum respectu damnorum, & interesse propriè cadat verbum solvere, respectu autem dictæ summæ scutorum 5500. propriè cadat verbum restituere, ut prætendunt iidemmet exadverso Scribentes, quando hoc esset verum, quod constanter negamus debuisset potiùs dictus Beatus Pontifex adhibere verbum restituere, quàm solvere, cùm dicta summa restitueretur principaliter, & in accusativo negat ipsam orationem, quod agnovit, & passus est ille, qui fecit apostillam ad Summarium Cameræ, ubi apposuit verbum restituere loco verbi solvere, quo usus est Beatus Pontifex.

Cùm itaque verba Motus proprii Beati Pii sint clara, 14
aptaque, & nata ad casum nostrum, & significandam veram restitutionem pecuniarum erogatarum per ipsos Secretarios, sive Datariæ, sive alteri cuicumque Resignanti, non est recurrendum ad conjecturas, & ad conjecturatam mentem ejusdem Beati Pontificis, præsertim detumptam ex con-
jecturis extrinsecis, ut in proposito inquit Dec. *cons.* 51. *n.* 2. & melius Joseph Ramon. *cons.* 11. *num.* 16. & illa dicitur 15
mens, & voluntas concedentis, quæ probatur, & resultat ex verbis, quæ inventa sunt à natura ad significandam intentionem, & voluntatem proferentis, latè Castill. *de conjectur. ultim. volunt. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 2. & *seqq.*

Cæterum verisimilis mens, & voluntas ejusdem Pontificis volentis restitui integrè omnes pecunias à Secretariis cuicumque solutas, pro acquisitione officiorum, militar pro eisdem Secretariis, ut latè ostensum fuit in nostro restrictu Juris super secundo Articulo exadverso formato, & sanè videtur omninò inverisimile, quòd tantus Beatus Pontifex, qui professus est velle ampliare gratias, favores, & privilegia Collegii, & Secretariorum, & restitutionem pecuniarum demandavit favore ejusdem Collegii, voluerit sub tali involucro verborum nihil Secretariis concedere, & potiùs favore Cameræ eisdem præjudicare, mandando, ut tantùm pecuniæ ipsi Datariæ solutæ restituerentur, quòd de Jure negari non poterat, ut in alio restrictu super secundo Articulo, & eo magis, quia si id voluisset poterat exprimere, & clare loqui eo modo, quo explicant DD. exadverso scribentes pro Camera.

Quare, &c.

Ioan. Baptista Arrigus.
F. Fattinellus.
Dominicus Taurusius. } *Advoc.*
Cyriacus Lancetta.

Restri-

Reſtrictus Juris ſuper ſecundo Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

SVMMARIVM.

1 *PRivilegium eſt ita interpretandum, ut aliquid augeat, non autem minuat iura privilegiati.*
2 *In contractibus ſemper ſubintelligitur clauſula rebus ſic ſtantibus.*
3 *Pactum appoſitum in Bulla Innocentij VIII. quod deberet reſtitui certum pretium in caſu ſuppreſſionis Collegij, intelligitur dummodo poſtea non fuiſſet auctum.*
4 *Expreſſio ſummæ per modum affirmativum dicitur ſtare demonſtrativè, non taxative.*
5 *Si tempore ſolutionis faciendæ pecunia ſit mutata, attenditur æſtimatio currens de tempore ſolutionis, non autem illa de tempore contractus.*
6 *Expreſſio facta ad favorem alicuius ſuper re, vel pretio, operatur, quod aucto valore, vel re, etiam augmentum debeatur.*
7 *Camera non debet locupletari cum aliena iactura.*
8 *Dum ſenſit commodum perceptionis maioris ſummæ, debet etiam ſentire incommodum maioris reſtitutionis.*
9 *Evictione ſequuta reſtituendum eſt pretium currens de tempore evictionis, non illud, quo fuit facta venditio.*
10 *In retrovenditione attenditur pretium currens de tempore retrovenditionis, non autem pacti de retrovendendo.*
11 *Princeps de iure tenetur reſtituere iuſtum pretium, quamvis officium ſupprimat ex cauſa publicæ utilitatis, vel neceſſitatis.*
12 *Pretium iuſtum dicitur currens de tempore ſuppreſſionis.*
13 *Obſervantia probanda eſt cum ſuis circumſtantijs, ut relevet.*
14 *Princeps quamvis loquatur per verba munificentiam, & liberalitatem præferentia, non propterea excluditur quin legem faciat.*
15 *Ampliare ſignificat augere, & dilatare.*
16 *Conventio ſpecifica, & determinata eſt omninò ſervanda.*
17 *Bulla Piana ampliavit Conſtitutionem Innocentii VIII.*

R. P. SIve dicatur, quod ſan. me. Innocentius Octavus proceſſerit in ejus Conſtitutione per viam gratiæ, ſive per viam contractus, ſemper erit vera propoſitio per nos adducta, quod Camera juxta illam teneretur reſtituere pretium receptum etiamſi, exceſſiſſet ſummam ducatorum 62400. quæ ibi reſtitui promittuntur.

Si enim proceſſit per viam gratiæ, jam diximus in Reſtrictu reſponſionis ſuper primo articulo, quod gratia Principis taliter explicanda veniat, ut augeat quidem, non autem minuat reliqua Jura ejus, cui gratia confertur *iuxt. Text. in l. hæc ſaluberrima C. de præpoſit agent.* cum aliis in dicto Reſtrictu §. Atque directè adverſatur, quibus exadverſo nihil reſpondetur. 1

Si verò proceſſit per viam contratus, ut probare conantur DD. exadverſo ſcribentes, & idem dicendum venit, in contractibus enim ſemper ſubintelligitur clauſula rebus ſic ſtantibus *l. cum quis in princ. ff. de ſolut. l. inutilia ff. de contrah. empt.* Rot. *deciſ. 79. num. 11. coram Peuting.* ubi concordantes, ideo pactum in Bulla erectionis adjectum, quod debeat reſtitui certum pretium intelligi debet *dummodo poſtea ad manus Cameræ non pervenerit maius pretium, quàm fuerit in prima erectione ſtatutum*, ſunt verba præciſa bon. mem. Fagnan. *in cap. ex Epiſtola num. 14. de probat.* 2 3

Potiſſimum, quia non fuit in promiſſione adjecta ulla taxativa, ut ſcilicet reſtituerentur ſcuta 62400. & non ultra, vel aliud ſimile, ſed fuit ſimpliciter expreſſa ſumma per modum affirmativum, quod proinde cenſeri debet factum, gratia ſolius demonſtrationis, adeout non inde excludatur major ſumma, ut poſt relatos in noſtro ſecundo reſtrictu §. Ex hac autem, probant Ruin. *conſ. 56. num. 9. lib. 1.* Cravett. *conſ. 313. nu. 1.* Rot. *in Vrbevetana* relevationis indemnitatis prima Junii 1674. §. hinc nec præſumptum coram Reverendiſs. D. meo Matthæjo. 4

Hinc videmus in ſimili, quod ſi valor extrinſecus monetæ augeatur in reſtitutione pecuniarum, non attenditur valor currens de tempore contractus, ſed refundi debet pretium currens de tempore ſolutionis, licet fuerit auctum, & ſic non ſolum quantitatem in ſtipulatione conventam, ſed etiam illud plus, quo monera aucta fuit, niſi partes per verba taxativa contrarium conveniſſent, Cancer. *var. reſol. par. 2. cap. 6. num. 140.* Rot. *dec. 135. per tot. part. 3. rec. & in Turritana* Congruæ 5. Junii 1666. §. Juſtitia coram bon. mem. Priolo. 5

Quæ ſine difficultate procedunt in præſenti, eo quia Innocentius Octavus profeſſus eſt velle Secretariis conſulere, ibi: *Nos dignum reputantes, ut ipſorum indemnitati conſulamus*, ſi autem ſubſiſteret interpretatio exadverſo data, non ſolum ceſſaret indemnitas, quam præ oculis habuit Summus ille Pontifex, ſed intraret damnum evidentiſſimum, quia ex reſtitutione ducat. 62. mil. ſolum retento illo pluri, quod Secretarii erogarunt, maximum iſti ſentirent præjuditium, quod eſt omnino alienum à diſpoſitione Juris, ubi enim expreſſio fit in favorem alicujus, operari debet, ut aucto valore, vel re, etiam augmentum debeatur Gabr. *conſ. 64. nu. 6. & 7. lib. 2.* 6

E converſo autem Camera locupletaretur cum aliena jactura, quia licet recepiſſet quantitatem pecuniarum longè excedentem ducat. 62. mil. adhuc illa, juxta interpretationem exadverſo datam poſſet retinere, & non reſtituere, quod non eſſe faciendum monet in punctualibus terminis Fagnan. *in dict. cap. ex Epiſtolæ num. 11. de probat.* & ſicuti Camera ſenſit commodum recipiendo majorem ſummam, ita & illam debet reſtituere Mandoſ. *conſ. 90. nu. 6. verſ.* & ſi Camera cum ſeqq. licet in noſtro Reſtrictu ſit errore impreſſoris allegatum *conſ. 95.* 7 8

Pluribuſque exemplis comprobat hanc veritatem Fagn. *ibidem num. 16.* quæ apud eum videri rogamus, addimus tamen, & alia duo, omiſſis aliis, quæ longa ſerie poſſent adduci. Et primum exemplum erit evictionis, nam evictione ſecuta reſtituendum eſt pretium currens de tempore evictionis, non illud, quod fuit facta venditio *l. evitare la 2. ff. de evict. l. ſi Titius ff. de action. empt.* Rota *dec. 13. nu. 1. part. 4. diverſ.* & coram Bich. *dec. 314. num. 2.* 9

Alterum exemplum erit in retrovenditione, in qua niſi contrarium fuerit conventum, attenditur pretium tempore retrovenditionis, non autem pacti, ſeu promiſſionis de retrovendendo Bald. *in l. 1. num. 30. C. commun. de leg.* Surd. *conſil. 52. num. 47. verſ. Poſtremo*, Menoch. *conſ. 606. num. 28. verſ. & accedit*, Ermoſil. ad Lopez *tit. 5. l. 42. glo. 1. num. 5. verſ. quod ſi venditio*, quibus non adverſantur DD. in contrarium adducti §. *& confert*, Gozzadin. enim præcisè ſtat pro noſtra opinione, & dicit eam indubitanter veram, ut teſtatur Surd. *dict. conſ. 52. num. 51.* Tiraquell. verò in hoc exadverſo allegatus hoc non dicit in meo Codice, & pro hac opinione allegatur in tractatu de retractu *conſanguin. §. 1. gloſſ. 18. num. 2.* Surd. *d. conſ. 52. num. 48.* quem omninò videri rogo, cum pluribus materiam exornet, & omnibus ſatisfaciat. 10

Negari enim non poteſt, quin Summus Pontifex voluerit ſe conformare diſpoſitioni Juris, dum illi non derogavit, & juxta legum ſanctiones indubitatum eſt, quod ubi Princeps ex cauſa etiam publicæ utilitatis, vel neceſſitatis Officium ſupprimit, tenetur proſolvere juſtum, & æquivalens pretium Surd. *conſil. 203. num. 38.* Roland. *conſil. 69. num. 15. lib. 2. cum pluribus ſeqq.* Gratian. *cap. 891. num. 29. verſic.* ita eſt enim Maſtrill. *de Magiſtrat. libr. 1. cap. 27. nu. 38.* Peregr. *de Iur. Fiſci lib. 1. titul. 3. num. 67. verſ. & tunc aut Princeps.* 11

Supplicando adverti, quod nos hic agimus de pretio ſoluto à Secretariis, & per Cameram recepto, in hoc enim articulo nullus allegari valet Doctor, qui contradicat, & ii omnes, qui exadverſo adducuntur, in replicatione ſuper ſecundo Articulo §. quodque majus, loquuntur in diverſo

casu, an scilicet restituendum sit pretium currens, admitten-
12 do tamen restitutionem summæ solutæ, ut præ cæteris R. P. D. de Luca *de regal. disc.* 33. *n.* 3. *vers. ad tantundem* quamvis etiam in his terminis verior opinio sit, quod debeat restitui pretium currens Mastrill. *d. cap.* 27. *nu.* 42. ubi quod hoc procedit tam in foro conscientiæ, quàm in foro contentioso Rolan. *cons.* 71. *nu.* 8. cum aliis plena manu congestis in præterita positione.

Firmato ex prædictis, quod Constitutio Innocentiana non est restricta ad solam restitutionem ducat. 62. mil. sed quod etiam juxta eam pretium in majori quantitate solum veniret restituendum, cessant omnia argumenta, quæ exadverso desumebantur ad eliciendam contrariam voluntatem B. Pii Quinti.

Pro qua non valet allegari observantia ejusdem Beati
13 Pontificis in reductione Montis Julii, nam ut aliàs diximus, & in præsenti reperimus, ibi fuit dictum, quod restituerentur scuta centum pro quolibet loco, sed non constat, quod eo tempore loca montium valerent plus quàm scuta centum, & quod hoc non obstante voluerit Summus Pontifex, quod solum restitueretur pretium primæ erectionis, omisso augmento, dum igitur istæ circumstantiæ non verificantur, utique patet non esse attendendam præfatam observantiam, quæ probanda venit cum eisdem qualitatibus, Rot. coram Buratt. *dec.* 129. *numer.* 6. Cels. *decis.* 229. *num.* 5. Gregor. *decis.* 451. *num.* 7.

Maximè, quia observantia nobis favorabilis deducitur ex aliis pluribus suppressionibus, & signanter ex illa sanctæ memoriæ Alexandri Septimi, qui voluit restitui scuta 150. pro quolibet loco, quamvis Camera non recepisset, nisi scuta centum, & licet id dicatur factum ex
14 munificentia, & pietate ejusdem Summi Pontificis, tamen ipsius Bullæ contextus ostendit, quod de hac re maturum præcesserat examen in Congregatione particulari, ad id deputata, & ideo quamvis exprimatur munificentia, & liberalitas, non propterea excluditur, quin legem faciat, ut in §. optimum Auth. de exhiben. reis ibi: *tanquam imperialem munificentiam, & in l.* in rebus: hac nostra lege humanitatis *Cod. de Jur. dot.*

Cæterum subsistit, quod dicebamus, voluisse B. Pium augere Privilegia Collegii stantibus illis apertis verbis: *Ad hæc dictos Secretarios, & Collegium amplioris favoris gratia prosequi volentes*, quæ certè secum ferunt augmentum, 15
& novam concessionem, & additionem iis, quæ supra fuerunt expressa. Ampliare enim idem est, ac augere, & dilatare, ut ex Calepino verbo *amplio*, & proinde verba ad hæc juncta sequentibus clarè ostendunt, quod Beatus Pontifex voluit, jam dictis, addere alia, & licet etiam professus fuerit velle confirmare Privilegia à Prædecessoribus concessa, tamen non ideo excluditur, quod voluerit etiam, & illa confirmare, & alia addere, maximè, quia ibi, Summus Pontifex usus fuit verbis novi Juris inductivis; *Volentes. & statuentes*, cum tamen sufficeret, quod ex ista lectura Constitutionis constet fuisse consideratum istum casum restitutionis, & in eo specialiter provisum, quod debeant restitui *integrè*, & sine ulla diminutione pecuniæ, quibus constiterit Secretarios officia *emisse*, aut *habuisse*, 16
utcumque enim res se habeat, debet hæc specifica, & determinata conventio omninò attendi, & servari Surd. *consil.* 298. *num.* 22.

Et subsistit, quod DD. pro Camera scribentes hanc ampliationem admiserint, dum conati sunt in eorum secun- 17
do Restrictu ostendere, quod plures utilitates adduxerit hæc Constitutio longè majores, quàm essent in aliis præcedentibus, ut patet ex §. nam non modicus usque ad finem, adeout si nihil amplius secum ferret hæc Constitutio, ultra ea, quę continentur in Constitutione Innocentiana, deberent solùm restitui scuta 62. mil. de quibus solùm loquitur dicta Bulla, & tamen exadverso admittitur, quod longè plus sit solvendum.

Cætera fuerunt abundè sublata in præteritis.

Quare &c.

Ioannes Baptista Arrigus.
F. Fatinellus.) *Advocati.*
Dominicus Tauruſius.
Cyriacus Lancetta.)

Replicatio Juris super tertio Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

SVMMARIVM.

1 *CONfirmatio actus licet invalidi, supplet omnes eiusdem defectus.*
2 *Clausula* supplentes *tollit omnes defectus facti, & iuris etiam non enarratos.*
3 *Maximè si narrati non reddidissent Pontificem difficiliorem ad confirmandum.*
4 *Per confirmationem substinetur actus aliàs invalidus in vim novæ concessionis.*
5 *Derogatio regulæ* de Jure quæsito non tollendo *non requiritur in actu de sui natura præiudiciali.*
6 *Non est necessaria, ubi adest clausula sublata, &* num. 7.
8 *Assertio Papæ non est in dubium revocanda.*
9 *Verba* emisse, & habuisse *important omnem acquirendi modum.*
10 *Resignatarius Officiorum venalium sequitur fidem Papæ, & Officialium Datariæ.*
11 *Princeps consentiens sine ulla præservatione contractui gesto super feudo, non potest amplius ex propriis iuribus præiudicium aliquod inferre contrahenti.*
12 *Procedit etiam in emente à donatario Principis.*

R. P. QUoad repetitam nullitatem ex defectu registrationis, inevitabilis est responsio desumpta ex
1 confirmationibus, & innovationibus Sixti Quinti, & Gregorii Decimiquinti, quę duo continent, scilicet suppletionem omnium, & quorumcumque defectuum Motus proprii confirmati, ac novam ejusdem concessionem cum derogatione Bullæ de registran.

Clausula *supplentes* in nostro themate apta est tollere
2 defectum dictæ reintegrationis, quamvis non narratum, tum quia sumus in confirmationibus Motu proprio, & ex certa scientia emanatis, absque eo, quod ullus particularis defectus fuerit narratus, & sic necesse est fateri, quod Papa per prædictam clausulam voluerit tollere omnes defectus Facti, & Juris, & non narratis Alex. *consil.* 111. *numer.* 3. *&* 5. *libr.* 6. quem sequitur Barbos. *claus.* 177. *numer.* 6. *in fine* Rot. *decis.* 282. *numer.* 19. *ad* 22. *part.* 6. *recent.*

Tum etiam quia iste defectus registrationis est talis, ut si narratus fuisset, utique dicti Pontifices nullam habuissent difficultatem illum supplendi, dum ipsimet expresè derogarunt Bullæ de registrandis, cui etiam alii Pontifices passim derogare consueverunt; Confirmatio autem supplet semper defectus etiam non narratos, quando sunt ta- 3
les, ut narrati non reddidissent difficiliorem ad confirmandum, ut latè explicat Gabr. *consil.* 200. *numer.* 17. *& seqq. libr.* 1. & est communis conclusio in materia subreptionum.

Et tamen superabundans est ipsa derogatio Bullæ de registrandis, posita in dictis confirmationibus, quia non sunt 4
meræ confirmationes, sed sunt etiam quatenus opus esset, novæ concessiones, cumque emanaverint ab habentibus potestatem, etiam de novo concedendi, dubitare non licet, quin istæ solùm sint sufficientes ad nostrum intentum Bald. *in cap. ex parte num.* 19. *de constit.* Barbos. *in cap. dilecta* 4. *numer.* 18. *& pluribus seqq. de confirmat. util. vel inutil.* Paris. *consil.* 19. *num.* 15. *lib.* 1. Grevei *pract. conclus. lib.* 2. *observ.* 1. *num.* 11. *& seqq. &* num. 27. Solorzan. *de Iur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 26. *num.* 58. latè Antunez. *de donat. reg. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 30. *& seqq. tom.* 1. *fol. mihi* 68. Rot. *dec.* 513. *num.* 6. *part.* 2. *& dec.* 292. *n.* 4. *part.* 5. *rec.*

Quoad derogationem regulæ de Jure quæsito non tollendo subsistunt singulæ responsiones datæ.

Si Motus proprius Beati Pii verè fuisset adeo Cameræ præjudicialis, ut exadverso asseritur, quod constantis- 5
simè negatur, utique intraret vulgaris concluſio, quod in

in actu de ſui natura præjudiciali non requiritur derogatio dictæ regulæ cum ſatis reſultet virtualiter ex ipſo actu Rot. *dec.* 177. *num.* 3. *verſ. tum etiam par.* 2. *ac deciſ.* 607. *nu.* 4. *par.* 3. *recent.*

6 Quod non requiratur derogatio dictæ regulæ, quando adeſt clauſula ſublata, benè firmant alleg. in reſtrictu, & ſignanter *dec.* 177. *nu.* 3. *part.* 2. *recent.* ubi quod ita ſæpius fuit per Rotam deciſſum, & ad d. Barboſ. *clauſ.* 175. *num.* 10. & *clauſ.* 198. *num.* 25.

7 Ex allegatis verò in contrarium nullus loquitur de hoc articulo, ſed ſolùm firmant generalem concluſionem, quod regula de Jure quæſito non tollendo requirit derogationem ſpecificam, & individualem, quam regulam limitant noſtri Doctores, quando conceſſio munita eſt clauſula *ſublata*, neque hæc limitatio ab ullo ex contrariis Doctoribus reiicitur.

Quod Bulla Sixti regul. 64. omneſque Conſtitutiones revocatoriæ ſignanter in §. 32. exadverſo deſignata, non comprehendant caſum noſtrum manifeſtabit illarum lectura.

Et tamen Motus proprius non continet exageratam læſionem, nec meram gratiam, ſed verè actum Juſtitiæ, atque emanavit ex titulo oneroſo, ita per Pontifices declarato in dictis innovationibus, adeout non liceat de hac veritate dubitare ex *Clem.* 1. *de probat.* & cæteris allegatis; Undè verè extraneæ ſunt omnes iſtæ quæſtiones.

8 Quoad læſiones ſubſiſtunt omnia deducta in reſtrictu, tam in facto, ut per D. Cauſæ Patronum, quàm in Jure, cui nihil exadverſo replicatur.

Eademque militant æqualiter pro illis, qui bona fide officia emerunt à Donatariis, ut plenè probatum fuit in præterita poſitione reaſſumenda: Verba enim Motus proprii, cum conſulant indemnitati omnium, & ſingulorum Officialium, & mandent reſtitui integrè, & ſine ulla diminutione omnem pecuniam, pro qua eos officia emiſſe, aut
9 habuiſſe conſtiterit, æqualiter congruunt iis, qui per veram pretii ſolutionem emerunt, ſeu habuerunt à Donatariis, verè enim conſtat, quod iſti tanto pretio officia habuerunt.

Ponderando ulterius, quod juxta notiſſimum, & antiquiſſimum ſtylum ementes officia venalia in Urbe nunquam inquirunt illorum genealogiam, quæ ſi inquirenda eſſet, periret illa facilitas commercii adeo laudabilis, & utilis in Urbe, ſed unicè ſequuntur fidem Principis, & Miniſtrorum Datariæ, quibus conſignantur ordines pretii ſolvendi innominatim ei, qui reſignavit tale officium, in cujus ordinis calce miniſter Componendarum teſtatur talem reſignaſſe officium, atque ob hujus atteſtationis fidem ſequitur ſine ullo ſcrupulo ſolutio, prout ſimilis ſtylus ſervatur in locis montium, ut in præteritis fuit latè probatum. 10

Hinc autem ſequitur nimis impropriè opponi per Cameram exceptionem totalis læſionis adverſus eos, qui emerunt à Donatariis, iſti enim qui ſequendo fidem Principis, & ejus Miniſtrorum, emerunt verè ſoluto pretio, utique dici non poteſt, quod læſerint Cameram, cum ſolùm agant de recuperando id, quod ſolverunt, damnum verò, & læſio Cameræ ſolùm conſiderari poteſt in ipſa donatione per Papam prius facta, atque in permiſſione Papæ, quod iſte Donatarius Officium, tanto pretio vendiderit, ſi autem damnum, & læſio Cameræ provenit ab actu Papæ volentis donare, & dictam reſignationem admittere, nulla ratio ſuadere poteſt, quod ad hujus læſionis emendationem teneatur is, qui poſtea officium bona fide emit, ſed quidem Camera agere debet contra illos, qui Cameram læſerunt, & lucrum perceperunt, ut pœna non egrediatur facti auctores, atque hic benè applicatur communis illa concluſio, quod Princeps conſentiens, 11
ſine ulla præſervatione, contractui geſto ſuper feudo (cui officia æquiparantur) cenſetur ipſemet contractum facere, taliter quod ei nullatenus liceat ex propriis Juribus præjudicium aliquod inferre contrahenti, ut latè Cyriac. *contr.* 446. *num.* 1. *& ſeq.* Scrader. *de feud. part.* 8. *cap.* 4. *numer.* 29. *& ſeqq. tom.* 1. *fol. mihi* 212. & pro emente à Donatario Principis reſpondit Rot. coram Puteo *deciſ.* 381. *libr.* 3. 12

Quare &c.

Joannes Baptiſta Arrigus.
F. Fatinellus. } *Advocati.*
Dominicus Tauruſius.
Cyriacus Lancetta.

Replicatio Juris ſuper quarto Articulo.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

SVMMARIVM.

1 *HOmo deſinit eſſe vivens per primum non eſſe.*
2 *Subſtitutio concepta in tempus incertum, & remotum comprehendit omnes in infinitum, licet ex proprietate verborum videatur reſtricta ad certas perſonas.*
3 *Beatus Pius Collegium, & Secretarios habuit pro ſynonimis.*
4 *In ſynonimis ceſſat vis diſcretivæ locutionis.*
5 *Argumentum deſumptum à diſcretiva locutione eſt leviſſimum.*
6 *Beatus Pius cur demandaverit reſtitutionem fieri ſingulis Secretarijs, non autem Collegio.*
7 *Verba* tunc viventibus *in Conſtitutione Piana, quid ſignificent.*
8 *Privilegium eſt perpetuum, & tranſitorium ad ſucceſſores, quando ratio benemerentiæ, ob quam fuit conceſſum, reſpicit tam ipſos, quàm eorum auctores.*
9 *Actio ex empto eſt bonæ fidei.*
10 *In actione bonæ fidei verba ſunt largè interpretanda.*
11 *Venit nedum reſtitutio pretij, ſed etiam intereſſe.*
12 *Expreſſio ſummæ reſtituendæ Secretarijs in caſu ſuppreſſionis, appoſita in Conſtitutione Innocentij ſtat demonſtrativè, non taxativè.*
13 *Intelligitur, rebus ſic ſtantibus, & quatenus valor non fuiſſet mutatus.*

R. P. DIcunt DD. mei ſcribentes pro Camera, Secretarios in Motu proprio B. Pii conſideratos fuiſſe, uti ſingulos, quoad reſtitutionem pretii, ex quo hæc demandata fuit in caſu ſuppreſſionis Collegii, quo tempore Collegium deſinebat eſſe, & exindè deducunt reſtitutionem integræ pecuniæ per unumquemque perſolutæ eſſe, injunctam intuitu Secretariorum Piventium tunc, qui etiam viverent tempore ſuppreſſionis, non autem aliorum, qui poſt editum Motum proprium officia acquiſiviſſent.

Card. de Luca de Offic. Venal. &c.

Reſpondemus primo, quod Secretarii, etiam in ſuppreſſione conſtituebant Collegium, ſicuti homo eſt vivens uſque ad ultimum momentum eſſendi, & deſinit eſſe vivens per primum non eſſe; Undè benè intrat ratio Text. *in l. non ideo* 66. *ff. de rei vindic.* cum adductis ab Anchar. *conſ.* 285. *num.* 3. *verſ. ſed certè*, & ita etiam intellexit Beatus Pius, qui dum dixit: *Volentes Collegium ipſum ſupprimi, vel extingui non poſſe &c.* Ecce quod appellavit Collegium, etiam in actu ſuppreſſionis. 1

Maximè cum reſtitutio pretii facienda eſt ſingulis Secretariis antè ſuppreſſionem Collegii, non poſtea, prout malè ſibi figurant DD. Scribentes pro Camera, ut in Motu proprio, ibi: *Niſi reſtitutis prius &c.* Undè prorſus corruit objectum exadverſo adductum à cogitatione ſuppreſſionis.

Reſpondemus ſecundò, quod cum caſus ſuppreſſionis, & reſpectivè reſtitutionis pretii fuerint à Beato Pio conſideratus, tanquam remotiſſimus, & abſque determinatione certi temporis, impoſſibile eſt, quod dum mandavit reſtitui integrè pecunias ſingulis Secretariis viventibus tempore ſuppreſſionis, ſe reſtrinxerit ad perſonas Secretariorum, viventium tempore ſui Motus proprii, ſicuti dicimus de ſubſtitutione filiorum, vel nepotum, quod licet ex proprietate verborum reſtringatur ad filios primi, vel ſecundi 2

gradus, tamen quando concepta est in tempus incertum, & remotum comprehendit omnes in infinitum, etiamsi verba videantur restricta ad certas personas Imol. *in l. gallus §. Instituens num.48. ff. de liber.* & Post. Alex. *cons.9. num.2. cap. 6. num. 29.* Rot. *decis. 96. num.7. & 8.* post Merlin. *de legit. & in Cesenaten. Fideicom. 20. Martij 1676. coram R.P.D. Rondinino.*

Cogitationem autem suppressionis esse collatam in tempus incertum, & remotissimum, patet ex verbis Motus proprii, ibi: *Volentes, & statuentes illa, id est, officia nullo unquam, tempore per nos, vel Romanos Pontifices pro tempore existentes revocari &c. seu Collegium ipsum extingui non posse, nisi restitutis &c.*

Discretiva loquutio de Secretariis, & Collegio non reperitur in Motu proprio Piano si benè advertatur, nam potius apparet ex ipsis verbis relatis in quarto Restrictu Cameræ §. finali, & repetitis in replicatione in principio B. Pium
3 habuisse Secretarios, & Collegium pro synonymis, prout verè sunt, ut latè probavimus in nostra responsione ad dictum quartum restrictum Cameræ §. nec personalitas; Cessat autem vis discretivæ loquutionis, quando versamur in
4 synonymis *decis. 269. num.28. part. 15. recent.* ultra quod
5 argumentum à discretiva loquutione est levissimum, ut patet ex illo Evangelii S. Marci cap. 16. *Dicite Discipulis eius, & Petro, quæ aliàs concluderet Petrum non fuisse Discipulum*, ut notavit Rota *decis. 686. num.20. part. 4. recentior. tom. 3.*

Verus itaque sensus est, quod ideò B. Pius Quintus dixit restitutionem pretii fieri *singulis Recretarijs*, quia cùm
6 sciret, pretia fuisse à singulis, non à Collegio, & diversimodè, non uniformiter ab unoquoque eorum persoluta, justitiæ ratio, & indemnitas Secretariorum, quam præ oculis B. Pius habuit, exigebant, ut demandaret, pretium restitui integrè, & absque ulla diminutione *singulis*, hoc est in ea quantitate, in qua fuerat ab unoquoque solutum.

Verba *tunc viventibus* non stant super plus, sed cum mysterio, scilicet ad denotandum, quod B. Pontifex volebat regulare restitutionem pretii ab eo, quod solverant pro habendo officio illi Secretarii, qui erant tempore suppressionis, non autem ab eo, quod solverant eorum auctores, qui tunc non erant amplius Secretarii. 7

Beatus Pius habuit aureos 5500. à Collegio, non à singulis Secretariis, & pro hac pecunia comparanda obligata fuerunt bona Collegii, imponendo super illis censum, cujus onus tam respectu solutionis fructuum, quàm extinctionis solutionis fructuum, & transitorium ad successores in officio; Undè tam ratio benemerentiæ erga B. Pium, quàm oneris, & incommodi erga personas Secretariorum communis erat, & fuit Secretariis tunc præsentibus, & successivè futuris, ita esse debuit, & debet Pontificis favor, & grati animi significatio. 8

Repetimus hunc Motum proprium circa restitutionem integri pretii ab unoquoque persoluti continere id, quod de Jure inhærat, quia actio, qua petitur pretium à Secretariis est ex empto, quæ est bonæ fidei §. *actionum Instit. de action.* In hac autem actione verbum restituere accipitur largè, ut inquit *gloss. §. in bonæ fidei Instit. dict. tit. de action.* & venit nedum restitutio pretii, sed etiam interesse *l. 1. ff. de verb. signif.* 9 10 11

Constitutio Innocentii Octavi circa restitutionem aureorum 62400. stat demonstrativè, non taxativè ex Gabriel. *cons.64. num.5. lib.2.* & Fagnan. *in cap. ex Epistolæ num.10. & seqq. de probat.* & intelligitur rebus sic stantibus, nempè quatenus medio tempore inter emptionem, & suppressionem officiorum valor eorum non fuisset mutatus, Cravett. *cons.95. num.4.* cum aliis in nostris informationibus, & restrictionibus latè deductis. 12 13

Quare &c.

Ioannes Baptista Arrigus.
F. Fatinellus.
Dominicus Tauruſius.
Cyriacus Lancetta.
} *Advocati.*

NUM. XVIII.

Secunda Decisio Rotæ revocatoria prioris.

Coram Reverendissimo D. Albergato Decano.

Mercurii 19. Iunii 1680.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Princeps in casu revocationis, quid restituere teneatur; Novatio, & correctio nunquam præsumuntur. Verba *restituere*, & *solvere* quid propriè significent; Constitutionis, & concedentis mens, ex quibus arguatur; Quando pro fisco sit in dubio judicandum.

SUMMARIUM.

1 *IN iis, quæ sunt facti Iudex supplere non potest.*
2 *Verbum* restituere *aliquando accipitur pro dare, & solvere.*
3 *Sed in suo proprio significatu importat restitutionem eius, quod acceptum fuit.*
4 *Est licitum impropriare verba, ne recedatur à mente.*
5 *Res inter alios acta tertium non afficit.*
6 *Princeps non tenetur, nisi ad restitutionem eius, quod recepit.*
7 *Verba obligationis sunt strictè, & propriè intelligenda, ut quo magis fieri potest obligationem restringant.*
8 *Præcipuè in gratia Cameræ præiudiciali.*
9 *Novatio in dubio non præsumitur.*
10 *Correctio legum non præsumitur.*
11 *Verbu eisdem* modo & forma *designant omnimodam identitatem.*
12 *Argumentum desumptum ab usu loquendi est fortissimum.*
13 *Præsertim in eadem Constitutione.*
14 *Una pars Constitutionis aliam declarat.*
15 *Ex contradistincto modo loquendi, & ex stylo arguitur concedentis voluntas.*
16 *Nullitas oriens ex non expresso defectu registrationis gratiæ, inficit gratiam.*
17 *Verbum* solvere *convenit mutuo.*
18 *Actus non tribuitur procuratori, sed mandanti.*
19 *Verba* in mio nome *idem significant, ac loco mei.*
20 *Ex dispositione Iuris, contractu rescisso, nil aliud restitui debet, quàm quod fuit acceptum.*
21 *Donatio nunquam præsumitur.*
22 *Verba* ad hæc *sunt relativa præcedentium, & æquivalent verbis* propter prædicta, *seu ex* causa prædictorum.
23 *Constitutio successoris declarat mentem prædecessoris.*
24 *Omnis interpretatio sumi debet, ut læsio excludatur.*
25 *Confirmatio intelligi debet ad limites actus confirmati.*
26 *Mens disponentis desumitur ex eo, quod facere consuevit.*
27 *Privilegium ne dicatur superfluum satis est, quod aliquid minimum operetur.*
28 *Iura vitalitia resignata remanent libera à quibuscumque vinculis, quibus penes resignantem subiacebant.*
29 *Pecunia data resignantibus non est pretium, sed recognitio.*
30 Fagnan. in cap. ex Epistolæ nu.9. cum seqq. de probat. *explicatur.*

31 *Lo-*

31 *Loca Montium cum extinguuntur, restituitur solùm pretium intrinsecum, non autem extrinsecum.*

32 *Pro Camera, cum agit de damno vitando, est in dubio indicandum.*

33 *Qui iudicat in dubio contra fiscum non delinquit, si fiscus sit pœnalis, & odibilis.*

34 *Secus si fiscus, seu Camera contendat de damno vitando, quo casu pro ea est in dubio pronuntiandum.*

35 *Singuli de universitate, quando teneantur ad debita per eorum antecessores de eadem universitate contracta.*

ANtiqui Secretariorum Apostolicorum Collegii formam, & statum immutavit sanctæ mem. Innocentius Octavus, cum enim ex sex Officialibus constaret, ipse alios 24. de novo istituit, ex quibus in posterum Collegium constitutum esse deberet, firmis remanentibus, ultra dictum numerum, sex antiquis ad vitam, adeout per eorum mortem officia extincta remanerent, quamplura eidem Collegio concedendo privilegia, & faciendo assignationes emolumentorum, quorum intuitu ab hoc novo Collegio pro Sedis Apostolicæ indigentiis recepit ducatos 62400. auri sub varii legibus per viam contractus, & reciprocæ conventionis adjectis, illa præsertim (per verba præcisa) *quod si facta erit offici revocatio, aut alteratio, ut præmittitur, ad restituen. eis supradictam integram summam 62400. ducatorum auri de Camera per ipsos solutorum, sic enim cum ipsis Secretariis nos in tractatu omnium præmissorum convenisse, & pacto expresso eis pro se ipsis, & eorum successoribus fuisse solemniter pollicitos in fide Pontificis recognoscimus, & attestamur.* Dictaque privilegia confirmata fuerunt per successores Pontifices Alexandrum Sextum, Julium Secundum, Leonem Decimum, Clementem Septimum, & Paulum Tertium. Cùmque sub B. Pio Quinto sequuta esset vacatio unius ex præfatis sex antiquis officiis supprimendis, quod Pontifex concesserat Cardinali Mediceo pro pretio scutorum auri 5500. Collegium verò adversus hujusmodi concessionem ejus jura deduxissent, hinc justissimus, & piissimus Pontifex agnoscendo veritatem, ejus Motu proprio præfatam concessionem cessavit, & annullavit, sed quoniam oportebat restituere Cardinali præfato acceptam pecuniam, qua carebat, Secretarii verò se obtulerant illam restituere; Idcircò idem Pontifex, pro reintegratione, eis assignavit officium primò vacaturum, quod pro reperibili pretio, etiam majori, vendere possent, facultate ipsis concessa dictam pecuniam sumendi ad censum, sub conventione, ut in casum ineffectuationis dictæ assignationis, Camera teneretur ad restitutionem præfatorum scutorum 5500. una cum damnis, & interesse passis, & cum specificatione, quod idem Motus proprius, in præmissis, vim iniri, & stipulati contractus habere deberet, Hisque peractis, per novam periodum, novæ orationis inceptivam, à vers. *Ad hæc* in eodem Motu proprio subjungitur, quod volens Pontifex amplioris favoris graria Collegium prosequi, ut ea, quæ per prædecessores concessa fuerunt, firmius subsistant idcircò omnia per prædecessores concessa *eisdem modo, & forma*, quatenus Concilii Tridentini decretis non adversentur, confirmavit, & approbavit, atque pro potiori cautela denuò concessit. Uolens dicta privilegia (sunt verba præcisa) *ullo unquam tempore revocari, reduci, alterari, aut moderari, seu Collegium ipsum supprimi, vel extingui non posse, nisi restitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis tunc viventibus integrè, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit.*

Cùm autem Sanctissimus Dominus Noster ex justis causis publicam utilitatem, ac necessitatem concernentibus, præfatum Collegium suppressisset, mandando Secretariis restitui id, quod ad Cameram obvenisse constiterit, non solùm sub nomine pretii, sed etiam sub nomine Componendæ, prout jam sequutum fuit in summa scutorum 228557. super illo verò majori pretio, quod per eosdem Officiales prætendebatur, commiserit causam Illustrissimo Thesaurario, de voto hujus Tribunalis decidendam; Idcircò dato dubio, an & quale pretium restituendum esset, sub die 16. Junii 1679. responsum fuit, restituendum esse totum illud pretium, quod quilibet erogavit pro acquisitione officii, cujus resolutionis fundamenta, cum fuissent ad examen revocata die 13. Maii proximè præteriti dilata fuit

Card. de Luca de Offic. Venal. &c.

resolutio, & die 7. hujus deveni ad novam propositionem, & petentibus Secretariis dilationem, fuit concessa usque in hodiernam diem, in qua, causa iterum proposita Rota censuit recedendum esse à decisis ex noviter deductis in facto, 1
in quo non valet Judex ex officio supplere, *l. unica C. ut quæ desunt Advocatis suppleat Judex.*

Nam præteritæ decisionis principalis fuit ratio fundata in nonnullis verbis Motus proprii B. Pii, ubi occasione reintegrandi Collegium Secretariorum de uno ex illis sex antiquis officiis Secretariatuum, per errorem vendito, pretio aureorum 5500. Cardinali Mediceo, quod juxtà Innocentianam erectionem accrescere debebat illis 24. noviter fundatis, confirmantur privilegia ab aliis Summis Pontificibus elargita Collegio, & mandatur non posse in controversiam deduci, *nec alterari, aut moderari, nec illud supprimi, nisi prius restitutis Secretariis tunc viventibus pecuniis, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit*, ex quibus verbis, & præcipuè ex illo *restitutis* concluſum fuerat singulis Secretariis integram pecuniam in acquisitione officii erogatam esse per Cameram solvendam. Verùm hodiè non separatim, sed conjunctim toto contextu, & tenore ejusdem Motus proprii perpenso, cum plurimis argumentis nuper allatis, facti sunt DD. certiores, Beatum illum Pontificem nullam aliam intentionem habuisse, nilque aliud agere voluisse, quàm prædicta sua particulari Constitutione consulere indemnitati Secretariorum, qui se obtulerant restituere Cardinali Mediceo scuta 5500. ab ipso pro emendo officio exbursata, & confirmare privilegia Collegii, ut deprehenditur ex mox recensendis, quæ prorsùs excludunt voluntatem illius Cameram obligandi ad restitutionem ejus, quod non receperat.

Et quamvis verbum *restituere* accipiatur aliquando etiam pro dare, & solvere, ut *in decisione præterita §. fundamentum enim circa finem*, ex hoc ipso sequitur, quod regulariter in suo proprio, ac legali significatu importet restitutionem ejus dumtaxat, quod ad Cameram restituere debentem 3
cum effectu pervenit, prout acceptum reperitur *in l. 1. §. eleganter ff. depos. & agnos. in l. qui uxori ff. de aur. & argen. legat. in verbo qui reddi*, Alciac. *in l. restituere num. 2. ff. de verb. signific.* Menoch. *cons. 1155. num. 51. cum seqq.* Bardellon. *cons. 181. num. 52.* Rot. coram Gregor. *dec. 271. nu. 5. & dec. 314. num. 2. & 327. num. 5. par. 14. recen. & in Romana hæreditatis 9. Februarij proximè præteriti §. id enim coram R. P. D. meo Vrsino.* 2

A proprietate autem verborum recedendum non esse, nisi quando, vel subjecta materia, vel mens disponentis ita suadeat, senserunt DD. etiam in prima causæ propositione, 4
& propterea si ad salvandam mentem, nevè recedatur à subjecta materia, licitum est impropriare verba, juxta *Text. in Can. sedulo 38. dist. glos. in Extrav. quorumdam verbo convertens de verb. signif.* multò magis standum est verborum proprietati, quando assistit, & subjecta materia, & verisimilis disponentis voluntas, prout in præsenti casu, ubi Cameræ, non autem Officialibus assistit, tum verborum proprietas, & regularis significatio, tum subjectæ materiæ natura, tum etiam B. Pii mens, & verisimilis voluntas, quamobrem DD. pro illa respondendum esse censuerunt.

Assistit siquidem subjectæ materiæ natura, cum enim Papa in erectione Collegii decreverit illud supprimi posse, atque hujusmodi officia venalia aliud non importent, nisi facultatem percipiendi quædam emolumenta ad eumdem pertinentia, donec restituatur pretium acceptum, tanquam per speciem venditionis rei ad fruendum, sive per quamdam speciem vitalitii, cum pacto redimendi, inde sequitur, quod quando venditor, vel respectivè impositor census vult redimere rem venditam, vel se liberare ab onere census, ad aliud non tenetur, nisi ad restitutionem ejus, quod recepit, non curato, an emptor alteri suum jus pro majori summa cesserit, quoniam non poterat emptor, vel creditor alteri cedendo facere venditoris, vel debitoris conditionem deteriorem, cum ista dicatur res inter alios acta, quæ tertium non afficit ad *Text. in l. Postliminium §. si is, qui* 5
emerat ff. de captiv. & postlimin. reversf. Gozadin. *in repet. l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit. num. 178. & 181.* Zoanett. *de empt. & vendit. in cap. de pact. de retrovenden. num. 15. 111. 113. & 117. cum seqq. ad 123.* Tiraquell. *de retract. convent. §. 4. glos. 3. in fin. & de retract. lignag. §. 12. glos. 1. num. 6.*

Istaque regula generalis, quæ omnibus, quantumvis privatis assistit, magis de plano procedit ad favorem fisci con-

trahentis, quod ad differentiam fiſci pœnalis explicari ſolet ſub nomine Cameræ Principis, inter cujus privilegia illud
6 recenſetur, ut nonniſi ad reſtitutionem ejus, quod recepit, teneatur, non autem ultra, juxta *Text. expreſſum in l. ſi procurator* 5. *ff. de iur. fiſc.* Bald. *conſ.*145. *num.*3. *lib.*2. Pariſ. *conſ.*101. *num.*54. *lib.*1. A Ponte *de poteſt. Proreg. tit.*4. *de regal. impoſ.* §.4. *num.*2. *& ſeqq.* Mangil. *de evict. qu.*181. *num.* 28. *&* 29. Guazin. *de confiſcat. concluſ.*28. *num.*48. Ac etiam quia motus proprius Pianus, ſive dicatur, quod contineat correſpectivam obligationem Cameræ, tanquam per ſpeciem contractus, quo caſu regula eſt, quod verba obligationis ſtrictè in ſua propria ſignificatione attendi debeant,
7 ut quo magis fieri poteſt, obligationem reſtringant vulgato *Textu in l. quidquid adſtringendæ ff. de verb. obligat.* ſive dicatur, quod contineat gratiam, & privilegium, ut verius præferre videtur integer illius tenor, & pariter cum
8 agatur de gratia nimis præjudiciali Cameræ, ut infra demonſtrabitur, idem ſtrictus, & proprius intellectus capiendus eſt, ut minus præjudicet, ad *Text. in l. cum de indebito ff. de probat. cum vulgatis*.

Mens verò B. Pii non recedendi à proprietate verborum, nec obligandi Cameram ad reſtituendum ultra acceptum, deſumitur in primis ex eo, quod ipſe adhæſit fundamentali legi in erectione hujus Collegii præſcriptæ, nempè ſupradictæ Conſtitutioni ſanctæ mem. Innocentii Octavi, in qua per viam contractus inter Cameram, & Secretarios conventum legitur, quod in eventum ſuppreſſionis officiorum reſtitui deberet ſumma per ipſos ſoluta ducatorum auri 62400. ibi, *Si vero erit facta officij revocatio, aut alteratio, ut præmittitur, ad reſtituendum eis ſupradictam integram ſummam* 62400. *ducatorum auri de Camera per ipſos &c. ſolut. ſic enim cum ipſis Secretarijs nos in tractatu omnium præmiſſorum conveniſſe &c.* Cùm enim ex toto contextu Motus proprii Piani nullum verbum deſumi videatur, quod denotet voluntatem innovandi, vel corrigendi dictam priorem legem fundamentalem, ſed potiùs conſtet de contrario, quod illam approbare, & confirmare voluerit, & ad ejus limites confirmationem reſtringere, ut præſertim clarè, & expreſsè patet ex illis verbis *eiſdem modo, & forma*: Hinc ſequitur, quod dictum verbum *reſtitutis*, in ſua propria, & ſtricta ſignificatione omninò capi debet,
9 tum ex regula, quod novatio in dubio non eſt præſumenda, niſi expreſsè dicatur ad *Text. in l. final. C. de novat.*
10 Tum ex altera, quod legum correctio præſumenda non eſt, omniſque capi debet intellectus pro ejus excluſione, Roman. *conſ.*57. *num.*1. *& ſeqq.* Menoch. *conſ.* 1060. *num.*87. *&* 88. Ac etiam quia expreſsè declaravit Beatus Pius nolle innovare, dum profeſſus eſt confirmare, & approbare dictam
11 Conſtitutionem Innocentii Octavi, aliaſque ſucceſſivas Pontificum confirmationes *eiſdem modo, & forma*, quæ verba excludunt omninò intentionem extendendi eadem privilegia, & deſignant omnimodam identitatem, Altog. *conſ.*58. *num.*44. *& ſeqq. libr.* 1. Cyriac. *controver.*69. *num.* 38. Rot. coram Coccin. *dec.* 1591. *num.* 30. *&* 31. & coram Dunozet. Jun. *dec.*715. *num.*1. *& deciſ.* 555. *num.*6. *part.*2. *recent. & deciſ.* 354. *num.*28. *par.* 11. *& dec.*377. *num.*18. *&* 25. *par.*17.

Augetur inveriſimilitudo, quod B. Pius in caſu ſuppreſſionis reſtitui voluerit ultra acceptum à Camera, ex quo modicum receperat à Secretariis, ſola ſcilicet ſcuta 5500. quæ ipſi reſtituere pro eo ſe obtulerant Cardinali Mediceo, & pro quibus ipſis jam ſatis fuerat conſultum, & abundè retributum, mediante aſſignatione officii primo vacaturi, cum facultate illud vendendi pro ſumma reperibili, etiam excedente dictam ſummam, & exceſſum appropriandi Collegio, comparativè præſertim cum beneficio recepto ab Innocentio Octavo, qui habuerat à Collegio ducata 62400. auri pro gravibus indigentiis Sedis Apoſtolicæ, ut ipſemet aſſervit *in ſua Conſtitutione* §. 2. Ideoque cum cauſa ſatis rationabili potuiſſet gratias erga idem Collegium magis extendere, & nihilominus in caſu ſuppreſſionis promiſit tantummodò reſtitutionem dictæ ſummæ receptæ. Nimium igitur diſtat ab omni veriſimilitudine, quod B. Pius pro dictis ſolis ſcutis 5500. pro quibus jam data fuerat debita recompenſatio, voluerit ultra id, quod fecerat Innocentius, nimis profuſam liberalitatem exercere, quæ redoleret ſpeciem prodigalitatis, & diſſipationis, gravando Cameram in caſum ſuppreſſionis Collegii ad reſtituendum ultra acceptum; Quæ conſideratio fortius ſtringit, attenta qualitate ipſius B. Pii, qui fuit diligentiſſimus, ac tenaciſſimus defenſor, & adminiſtrator jurium, ac bonorum Cameræ, & Sedis Apoſtolicæ, nullas faciendo elargitiones etiam erga ſuos, & è converſò ſtrictiſſimè, ac multum rigoroſè prohibendo infeudationes, & alienationes bonorum, & jurium Cameræ.

Propriæ ſignificationi verborum conformem fuiſſe mentem B. Pii, deſumitur etiam ex eo, quod ipſe, poſtquam in eadem ſua Conſtitutione aſſignavit Secretariis officium primò vacaturum, faſſus fuit mutuò, & gratioſè recepiſſe, dicta ſcuta 5500. illaque modo præmiſſo reſtituere promiſit, ibi, *eidem Collegio reſtituere promittimus*, obligavitque ſucceſſores ad inviolabilem obſervantiam, & inferius ſtatuit impugnari, & invalidari non poſſe, *niſi prius reſtitutis eiſdem Secretarijs, & Collegio per Cameram realiter, & cum effectu præfatis pecunijs*, quæ verba *niſi prius reſtitutis præfatis pecunijs*, ſunt eadem præcisè, ac illa, cum quibus concepta eſt promiſſio, de cujus intelligentia diſceptatur, ideoque ſicuti in hac parte Conſtitutionis dubitari nequit ex lectura Papam accepiſſe verba *reſtituere*, & *reſtitutis* in ſuo proprio, & naturali ſignificatu, ſic etiam in ſubſequenti parte, in qua uſus eſt eiſdemmet verbis, eodem modo illa accepiſſe dicendum venit, cum fortiſſimum ſit argumentum deſumptum ab uſu loquendi, Rota *dec.*475. *num.* 8. poſt Cenc. *de Cenſ.* præſertim in eadem Conſtitutione Ciarlin. *controver. lib.*2. *cap.*31. *numer.*9. Bonden. *collect. legal.* 17. *num.*42. & non diſſentit antecedens deciſio hujus cauſæ §. *quod autem*. Idemque ſuadetur ex regula, quod una pars Conſtitutionis alteram declarat, Cephal. *conſil.* 178. *numer.* 16. Gabr. *conſ.*13. *num.*9. *lib.*2. Surd. *conſ.*431. *num.*47.

Clarior redditur mens, & voluntas B. Pii non obligandi Cameram ultra id, quod recepiſſet, ponderando quod idem Pontifex in ea parte ſui Motus proprii, in qua caſſavit venditionem officii factam per errorem Cardinali Mediceo, ex quo recepit conſimilem ſummam à Collegio reſtituendam eidem Cardinali, dedit ipſi Collegio facultatem dictam ſummam accipiendi ad cenſum, ſucceſſivè extinguendum cum pretio officii primò vacaturi, quod illi hac de cauſa aſſignabatur, cum facultate vendendi pro ſumma reperibili, etiam excedente dicta ſcuta 5500. & erogandi augmentum in proprium commodum, & pro inviolabili præmiſſorum firmitate, & obſervantia obligavit bona Cameræ, ſe, ſuoſque ſucceſſores, mandans impugnari non poſſe, etiam ex eo, quod Camerales nec vocati, nec auditi fuerint, & in Brevi ad partes per Collegium vigore ejuſdem Motus proprii expedito ſuper ſuppreſſione officii, quod emerat Cardinalis Mediceus, & reſtitutione pecuniarum illi facienda, & facultate ſumendi pecunias ad cenſum, aliiſque id concernentibus, dicitur, quod dari non poſſit de obreptione, & ſubreptione, aut defectu intentionis, cum decreto irritanti, & clauſula ſublata, derogatione Conſtitutionibus Pauli Secundi, & Quarti *de rebus Eccleſiæ non alienandis, & malè alienatis recuperandis*, ac etiam regulis Cancellariæ editis, & edendis, & tamen in hac parte agebatur de modico præjudicio Cameræ, nam revocatio venditionis officii fuit actus juſtitiæ, dum illud accreſcere debebat vigintiquatuor illis Secretariis ab Innocentio Octavo fundatis, facultas verò accipiendi ad cenſum ſcuta 5500. mutuata à Secretariis non præjudicabat Cameræ, quia Secretarii illum extinguere debebant cum pretio officii primò vacaturi, ejuſque aſſignatio pro dicto pretio pariter non fuit præjudicialis, quia illud tanti fuerat per Cameram venditum præteritis menſibus, prout nec præjudicium conſiderabile reſultabat ex aſſignatione, ſeu condonatione ratæ pretii forſan retrahendi ultra ſcuta 5500. quia id erat eventuale, & compenſari poterat cum anticipata, & præventiva ſolutione dictorum ſcutorum 5500. & cum damno, quod Collegium patiebatur ſolutionis fructuum cenſus.

Igitur ſi in dicta prima parte, in qua non agebatur de Cameræ præjudicio, fuerunt nihilominus adhibitæ tot cautelæ, ac derogationes, cùm majori profecto cautela, & cum amplioribus clauſulis, & derogationibus procedi debuiſſet, atque de illis magis debuiſſent eſſe ſolliciti Secretarii, ut omninò apponerentur in ſecunda parte, ſi fuiſſet intellectum de obligando Cameram ad reſtituendum ultra acceptum, & tamen hic deſunt clauſulæ omnes, quæ aliàs fuiſſent omninò neceſſariæ, ſolumque leguntur adhibitæ eæ, quæ ſolent adhiberi in ſimplicibus confirmationibus, ex quo proinde infertur ad evidentiam, quod per ſupradi-

cta

cta verba *nisi prius restitutis*, Beatus Pius nullo modo intel-
15 lexit gravare Cameram ad restituendum id, quod non accepisset: ex stylo enim in concessione servato, & præsertim ex contradistincto modo adhibito, optimè arguitur concedentis voluntas, Spad. *cons.* 21. *num.* 9. *lib.* 1. Add. ad Buratt. *decis.* 510. *num.* 11. & ad Gregor. *decis.* 150. *num.* 5. Reverendissimus de Luca *de benef. disc.* 23. *num.* 10. Rota penès Cassador. *decis.* 12. *num.* 14. *de præbend.* Præsertim verò si fuisset intellectum inferre præjudicium Cameræ, derogatum fuisset regulæ *de iure quæsit. non tollendo*, & Constitutioni Pii Quarti *de registran.* quæ derogationes in gratiis Cameræ præjudicialibus semper adiici solent, & quarum defectus non potest dici sanatus ex confirmationibus privilegiorum
16 Collegii successivè obtentis ab aliis Summis Pontificibus, cum talis nullitas, oriens ex defectu registrationis, non fuerit Papæ narrata, Spad. *cons.* 176. *num.* 2. *lib.* 2. Rot. *dec.* 56. *num.* 15. *par.* 8. *rec.*

Confert ad hanc interpretationem mentis Beati Pii, quod in ipsomet Motu proprio per plures vices adhibitum fuit verbum *restituere* in sua stricta, & propria significatione, pro eo scilicet, quod acceptum esset; quando autem eodem verbo impropriè Beatus Pius uti potetat, ut evenit, dum obligavit Cameram etiam ad damna, & interesse in casum
17 inobservantiæ, vel contraventionis, apposuit verbum *solvere*, non autem *restituere*, quod benè convenire mutuo, dixit Rot. *decis.* 7. *num.* 12. coram Dunoz. Jun. ex discretivo autem modo loquendi ejusdem Pontificis, & in eadem dispositione benè dignoscitur disponentis voluntas.

Nec relevat, quod in narrativa ejusdem Motus proprii dicatur, quod Secretarii se obtulerant restituere dicta scuta 5500. Cardinali Mediceo, unde inferebatur, quod verbum *restituere* fuerit ab eodem Pontifice sumptum promiscuè, & impropriè, etiam pro dare, & solvere, eo ipso, quod Secretarii nihil à Cardinali prædicto receperant, quia cùm illi se obtulissent restituere pro ipso Papa, & ejus nomine, ibi: *Nostro nomine, & pro nobis restituturos se obtulerunt*,
18 sequitur eos gessisse munus Procuratoris, cui non tribuitur actus, sed principali, Rot. coram Buratt. *decis.* 206. *num.* 13. *& decis.* 361. *num.* 79. *par.* 11. *recent.* & in similibus terminis de verbis *promettere in mio nome di restituirli*, quod
19 dicta verba *in mio nome* idem significent, ac loco mei dixit Rot. *decis.* 543. *num.* 3. coram Dunoz. Jun.

Observandum est ulterius, quod Beatus Pius in prima parte Motus proprii, in qua agebatur de contractu merè correspectivo, & de recognitione veritatis, & bonæ fidei erga Secretarios, foventes causam onerosam, super refectione scilicet scutorum 5500. quamvis expressa detur facultas vendendi officium primò vacaturum eis assignatum pro longè majori pretio, attamen quando desuper aliquod superveniret impedimentum, noluit Cameram obligare nisi ad solam restitutionem summæ acceptæ cum solis damnis, & interesse passis ex causa fructuum census, ad hunc effectum imponendi; ideoque si in hac parte, in qua bona fides, & obligatio Cameræ magis exuberare debebat, Pontifex adeò tenaciter disposuit ad favorem Cameræ, ut nonnisi ad acceptam pecuniam teneri deberet, multò minus dicendum est, quod in posteriori parte, continente simplicem confirmationem privilegiorum per viam gratiæ, & liberalitatis, hanc adeò læsivam, & exorbitantem obligationem inducere voluerit.

20 Comprobatur mens Beati Pii ex verisimilitudine, quod se conformare voluerit cum dispositione juris, qua attenta, ubi contractus rescinditur, nil aliud restitui debet, quàm quod fuit acceptum, *l. si diversa Cod. de transact. leg. prædiorum Cod. de prædiis minor.* Menoch. *consil.* 644. *num.* 2. & conferunt deducta superius §. *Assistit siquidem*, *& §. seq.*

Prædicta fortius urgent ponderando, quod si verbum *restitutis* ita interpretandum esset, ut induceret obligationem Cameræ refundendi Secretariis plus eo, quod accepit, fuisset mera donatio voluntaria absque ulla causa, & necessitate, & in publici Ærarii præjudicium, auferens jus Cameræ quæsitum restituendi solum pretium acceptum in
21 eventum suppressionis, juxta Constitutionem Innocentii Octavi, quæ donatio nunquam præsumi debet *vulg. l. cum de indebito, ff. de probat.* eoque minus attenta qualitate B. Pontificis exactissimi defensoris jurium Cameræ, & Sedis Apostolicæ, ut superius fuit dictum.

Pro causa enim talem largitionem faciendi aliud allegari non potest, quàm mutuum à Secretariis eidem Pontifici factum pro restituendis pecuniis Cardinali Mediceo, idque clarè resultat ex illis verbis *ad hæc*, quæ sunt relativa præce- 22
dentium, & idem important, ac si fuisset dictum *propter prædicta*, seu *ex causa prædictorum*, Rota *in Tirasonen. Prioratus* 26. *Iunii* 1595. *coram Blanchetto*. Hæc autem nullo modo potest reputari sufficiens; Tum quia illud, ut est dictum, fuerat abundè, & exuberanter compensatum per assignationem officii primò vacaturi, & augmento pretii ex illo retrahendi, quamvis in notabili quantitate excrevisset, per promissionem refectionis damnorum, & interesse, quatenus in illius venditione molestias, vel impedimenta Collegium pateretur; Tum quia hujusmodi motivum, modicæ præsertim quantitatis pecuniarum, non fuisset causa sufficiens, ob quam moveri potuerit Pontifex ad alienationem, & donationem adeò præjudicialem faciendam, ut habetur ex Constitutione 106. Sixti Quinti revocatoria alienationum officiorum vacabilium, ubi disertè declaravit Pontifex intentionem suam, & Prædecessorum nunquam fuisse similes alienationes facere, etiam ob mutuam pecuniarum pro servitiis, & indigentiis Sedis Apostolicæ receptarum, easque ex defectu intentionis nullas, & irritas esse declaravit. Constitutio autem Successoris opti- 23
mè declarat mentem, & intentionem Prædecessoris, ut dixit Rot. *decis.* 175. *num.* 9. *par.* 9. *rec.*

Ex dicta etiam donatione sine causa, maximè dum pretium officiorum tractu temporis adeò excrevit, insurgeret maxima, & gravissima læsio Cameræ. Undè nullatenus est præsumendum, quod Beatus Pontifex intellexerit ita illam 24
lædere, quapropter ad excludendam læsionem, quæ aliàs inde resultaret, verba sumenda sunt in suo strictu, & proprio significatu, & omnis interpretatio capi debet, ut læsio excludatur, per ea, quæ tradit Castill. *controv. iur. lib.* 5. *par.* 2. *cap.* 113. *num.* 16. & 17.

Plurimum quoque facit ad cognoscendum, quæ nam fuerit mens Beati Pii, totus, & integer ejus Motus proprii contextus attentè ponderatus, postquam enim fuit absoluta prima pars, continens contractum correspectivum inter ipsum, & Secretarios, deventum fuit ad secundam *in vers. Ad hæc &c.* in qua nil aliud verè, & propriè continetur, quàm confirmatio, & approbatio antiquorum privilegiorum, & proinde, quamvis in hac secunda parte adsint verba illa *nisi prius restitutis &c.* intelligenda necessariò sunt de restitutione pretii à Camera recepti, & sic compatibiliter 25
cum præcedenti dispositione confirmata, intelligendum est totum id, quod ultra additum prætenderetur, juxta naturam confirmationis, ut superius fuit probatum §. *Mens verò in fine*, & firmant Natt. *cons.* 322. *num.* 4. & 5. Roland. *cons.* 1. *num.* 65. *lib.* 4. Giovagn. *resp.* 94. *num.* 23. *lib.* 2. Cyriac. *controvers.* 128. *num.* 82. & 85. latè Urceol. *consult.* 47. *num.* 2. Rot. *dec.* 354. *num.* 8. *par.* 17. *rec.*

Hanc veritatem distinctionis Motus proprii in duas partes separatas, alteram concernentem contractum correspectivum, & alteram super sola confirmatione, & innovatione privilegiorum, agnoverunt ipsimet Secretarii, qui super iis expediverunt Brevia separata, & clarius id etiam dignoscitur ex posteriori Brevi sanctæ mem. Gregorii Decimiquinti dato in Summario responsionis pro Secretariis, in quo volens idem Pontifex confirmare privilegia per suos Prædecessores concessa Collegio, inservit dictum Breve expeditum super sola confirmatione privilegiorum, confirmans omnia, & singula privilegia eisdem Secretariis, & Collegio concessa.

Nec modicum conferre visa fuit ad interpretandam mentem B. Pii ejus observantia, dum in reductione fructuum Montis Julii vacabilis à 12. ad 10. ÷ pro quoliber loco, mandavit nolentibus consentire restitui dumtaxat scuta 100. recepta per Cameram, quamvis ut quotidiana praxis docet, plus valerent, ideoque in casum suppressionis hujusmodi Collegii, idem servare voluisse censendum est, cùm præsumi non debeat voluisse successoribus majus gravamen imponere eo, quod ipse in similibus subiit, & nulla melior declaratio dubiæ intentionis legislatoris potest elici, quàm 26
ex ipsius legislatoris facto, & observantia, cùm mens disponentis desumatur ex eo, quod ipse facere consuevit, Rot. apud Cassador. *decis.* 12. *num.* 14. *de præbend.* & coram Coccin. *decis.* 328. *num.* 2. & *decis.* 50. *num.* 26. *par.* 5. *recent.* & *decis.* 300. *num.* 29. *par.* 12.

Nec subsistit, quod si Motus proprius operaretur solam confirmationem privilegiorum, non autem integram restitutionem pretii exbursati à Secretariis pro habendo officio,

redde-

redderetur ſuperfluus, & nihil operaretur, & tamen B. Pontifex profeſſus fuit facere velle Secretariis ampliores gratias, quia duo, & quidem utiles effectus ex dicto Motu proprio reſultant; Primus eſt confirmatio, & approbatio etiam eorum privilegiorum, quæ in deſuetudinem abjerant, vel forſan revocata fuerant ab ipſo Pontifice confirmante, vel ejus Prædeceſſoribus, ut ex lectura; Alter quia vigore Innocentianę Conſtitutionis in caſum ſuppreſſionis officiorum, Collegium, & Secretarii aliud ſibi reſtitui prætendere non valebant, niſi ſcuta 62400. ſoluta, ideoque niſi ſuperveniſſet Motus proprius B. Pii cum hac expreſſione, quod reſtitutio fieret ſingulis in caſum ſuppreſſionis, Camera probabiliter prætendere potuiſſet, ſe non teneri niſi ad dictam ſummam ducatorum 62400. auri, vel ſaltem fuiſſet valdè dubium, & diſputabile, an reſtituendum eſſet etiam plus, quod per eamdem Cameram fuiſſet receptum; Ideoque nimium proficua, & operativa remanet gratia per B.
27 Pium conceſſa, ex quo Camera reſtituit in duplo, & ultra, ſcilicet ſcuta 228557. & ad effectum, quod privilegium non dicatur ſuperfluum, ſatis eſt, quod aliquid minimum operetur, Rot. *deciſ. 66. num. 16. coram Royas.*

Minuſque relevat, quod Beatus Pius loquutus fuerit per ablativum abſolutum, *niſi reſtitutis pecuniis*, qui cum faciat conditionem, importare videtur, quod ſingulis Secretariis reſtitui debuerit integrum pretium ante ipſam ſuppreſſionem.

Nam motivum eſſe poſſet alicujus relevantiæ, ſi Camera reſtitutionem denegaſſet ante ſuppreſſionem, & quæſtio fuiſſet, an & ad quem ſpectaret onus conditionem adimplendi: Verùm quia ipſa non, renuit adimplere, imò jam adimplevit, mediante effectiva reſtitutione, jam ſecuta ſingulis Secretariis integri pretii per ipſam percepti, quoad ſubſtantiam conditio adimpleta jam fuit, & dubium remanere ſolùm potuit circa quantitatem ultra receptam, ſuper qua cadit præſens diſceptatio, nec ideò ante illius deciſionem Camera tenebatur reſtituere aliquid ultra acceptum, utpotè incertum, & illiquidum, ne aliàs exequutio præcederet judicatum, ut practicatur in purgatione attentatorum, & in clauſulis *parito*, & in altera *refectis expenſis*, quæ licet ſint conceptæ per ablativum abſolutum, ideoque præcedere debeat adimplementum: Attamen hoc intelligitur de certo, & liquido, non autem de illiquido, & incerto, pro quo ſufficit, quod quis ſe offerat paratum, ſeque obliget adimplere, poſtquam certificatio, ſeu liquidatio facta ſit, prout à Sanctiſſimo pro ejus ſumma pietate, ac Juſtitia, jam in ejus Motu proprio ſuppreſſionis Collegii factum fuit.

Neque contrariam interpretationem dictorum verborum *reſtitutis pecuniis* deſumi poſſe viſum fuit, ex aliis immediatè ſequentibus *pro quibus eos officia emiſſe, vel habuiſſe conſtiterit*, quæ prætendebantur directa ad ipſos Officiales, quibus reſtitutio fieri deberet, ideoque capienda eſſe in ſenſu paſſivo pro refuſione ejus, quod ipſi ſolverunt, ſicuti eorum defenſores ſubſtinere conabantur.

Siquidem admiſſo etiam, quod hujuſmodi verba eſſent apta recipere utrumque ſenſum, activum ſcilicet circa ſolam reſtitutionem ejus, quod Camera recepit, ut per informantes pro ipſa ſolidè fundabatur, & etiam paſſivum, ut ſupra, nihilominus ratione ſubjectæ materiæ, ac veriſimilis voluntatis diſponentis, verificabilia non ſunt in caſu iſto, niſi in pecuniis ſolutis eidem Cameræ, à qua tantum, videlicet à Dataria non autem à Reſignantibus, officia per Reſignatarios emi, ac haberi propriè dicuntur; Iſta namque officia aliavè ſimilia Jura, qualia ſunt loca montium, vel ſimiles redditus, quidquid ſit quoad commoditatem, vel pretium conſideratum, tanquam pecunia allodialis, quoad ſubſtantiam ſunt de regalibus, & non ſunt in privatorum commercio; Ideoque ab alio emi, vel haberi non poſſunt, niſi ab ipſo Principe, qui directè, & immediatè illa concedere dicitur, quamvis obtineantur mediante reſignatione alterius poſſeſſoris, quoniam reſignatio operatur ſolùm, ut reſignans tollat ſe de medio, ac ſi eſſet mortuus, ſuumque jus extinguat: unde ſequatur vacatio, ob quam Princeps officium, tanquam vacans concedit reſignatario, qui propterea non à reſignante obtinere dicitur, ſed à Principe, quem in proprium, & directum Auctorem agnoſcit, ad inſtar reſignationum Beneficiorum Eccleſiaſticorum ad
28 favorem certæ perſonæ, quibus terminis beneficialibus paſſim utuntur DD. de hujuſmodi officiis, vel juribus regalibus agentes, exindeque manat jurium reſignatorum libertas à quibuſcumque vinculis, quibus penès reſignantem ſubjacebant, ex deductis per Salgad. *in labyr. par. 2. cap. 17. per totum*, cum aliis per Reverendiſſimum de Luca *in tit. de regal. diſc. 4. num. 3. & 4. & latius diſc. 15. num. 6. & diſc. 16. num. 3. ubi de officiis, & de locis montium diſcurſ. 26. & ſeqq. & diſc. 163. eodem tit. de regal.* & tradit Ferdinan. Brancia *inter allegat. diverſ. collect.* per de Marin. *alleg. 66. num. 9. & 10.* Unde ſequitur, quod in iſto contractu emptionis, & venditionis, Princeps gerit perſonam venditoris, & reſignatarius perſonam emptoris, pretium verò, pro quo officium, vel ſimile jus emitur, conſiſtit in illa pecunia, quę Principi venditori ſolvitur, vel ſoluta fuit per reſignantem, in cujus locum, & jus reſignatarius ſubintrat, reſignans verò conſideratur tanquam mediator, ſive tanquam inſtrumentum, & organum, quo mediante ſequitur iſte contractus, qui aliàs ſine illius conſenſu, tollendo ſe de medio, & faciendo locum vacationi, ſequi non poſſet; Unde talis conſenſus benè in præmiſſis operativus pro validitate actus, non alterat naturam primæ conceſſionis, atque illud plus, quod ſolvitur reſignanti, dici non meretur pretium, pro quo emptio fiat, ſed potius quid datum à reſignatario ex contractu innominato do, ut facias, ſcilicet, ut reſignans cedat juri ſuo, & præſtet conſenſum, per quem fiat 29
locus vacationi ad commodum ipſius reſignatarii, ut ſatis ad propoſitum, quod pecunia data reſignantibus non ſit propriè pretium, ſed recognitio quædam, probat dictus Ferdinand. Branc. *dicta alleg. 66. num. 18. verſ. quid ergo erit iſta pecunia.*

Atque ita reſponſum remanet ad objectum conſenſus præſtiti per Papam hujuſmodi reſignationibus, quoniam talis conſenſus præſtatur in gratiam, tam reſignantis, quàm reſignatarii pro validitate actus, & pro legitima mutatione perſonæ, ignorat verò Papa, non inquirit, an & quid per reſignatarium reſignanti ſolvatur, cùm nulla pretii expreſſio fiat; prout fit in immediatis venditionibus, quæ fiunt per Datariam, ut apparet ex diſcretivo modo ſignandi ſupplicationes, quoties enim officia tanquam vacantia immediatè emuntur à Dataria, Pontifex profitetur concedere Officium, & creare Officialem, facta ſpeciali, & individua mentione de pretio; quoties autem illa acquiruntur per reſignationem, nihil dicitur de pretio, & reſignatarius ſupplicat ſolùm ſe ſubrogari, prout de facto unicè ſubrogatur in locum reſignantis, ut fuit probatum ex diverſa formula conceſſionum hujuſmodi officiorum per obitum, & per reſignationem *in Summar. replicationis Rev. Cameræ n.* 3. Atque multoties ſequitur, quod in reſignationibus nullum intercedit pretium, ſed ſolùm fieri ſolent reſignationes pro mutatione perſonæ, & periculi vitæ de ſeniore in juniorem, puta de patre in filium; aut de patruo in nepotem, ut in his officiis quandoque ſequutum eſt; Quod etiam frequenter contingere ſolet in illis mutationibus periculi vitæ, quæ fiunt in ſocietatibus officiorum de conſenſu debitoris, ad quem non pertinet inquirere, an, & quæ pecunia intercedat inter unam, & alteram perſonam, atque in caſu diſdictæ ſocietatis ad aliud non tenetur, niſi ad pecuniam, quam ipſe habuit.

Fagnanus autem, qui potiſſimè allegabatur per DD. olim 30
Secretariis *in cap. ex Epiſtolæ num. 9. cum ſeqq. de probat.* nullatenus obſtat, quia tractat de officiis, & montibus vacabilibus, in quorum erectione non adeſt, niſi pactum de redimendo, non expreſſo certo pretio, ut dicit *num. 9. & 16.* ideò nequit applicari huic caſui, ubi adeſt Conſtitutio Innocentii Octavi, in qua fuit expreſsè conventa promiſſio reſtitutionis certi pretii in caſum extinctionis. Præterea Fagnanus nil aliud probaſe voluit, niſi quod ubi non adeſt certa lex in erectione officiorum ſtatuta, redemptio fieri nequit pro ſolo primo pretio in erectione recepto, quando poſtea in ultimis venditionibus factis à Camera majus pretium ad ejus manus pervenit, & hoc potius ex motivo æquitatis, ne Camera locupletetur cum alterius jactura, *ut num.* 10. ideò doctrina illius applicatur potius in favorem Cameræ, quæ non controvertit reſtituere illudmet pretium, quo officia ab ipſa fuerunt vendita.

Nullaque conſiderari poteſt violatio publicæ fidei per ſolam reſtitutionem pretii à Camera recepti, ut exagerabant Informantes per DD. olim Secretariis, quoniam cùm ex prædictis pretium extrinſecum, quod currit inter privatos, non ſit verum pretium emptionis officii, ſed recognitio, quæ datur reſignanti; Hinc ſequitur, quod non poſſunt reſigna-

ſignatarii dicere ſe deceptos à Principe, & à publica fide, atque ſi erroneè dictum Motum proprium intellexerunt, ſibi
31 imputent; Aliàs enim, etiam in eo majori pretio extrinſecò, quod inter privatos currere ſolet in reſignationibus locorum montium, eadem ratio intraret, & tamen inconcuſſa, & perpetua praxis contrarium docet, quod in caſu extinctionis reſtituitur ſolùm pretium intrinſecum ſcut. 100. habitum per Cameram, ex deductis per Reverendiſſimum de Luca *dicto tit. de regal. diſc.* 33. *à num.* 3. *ad* 8. Atque iſtamet officia, antequam prodiret dictus Motus proprius Beati Pii, notabiliter excreverant, dum attenta ſumma ducatorum auri 62400. ſoluta Innocentio Octavo pretium cujuslibet officii importabat ſcuta 2000. circiter, & poſtea ſub eodem Beato Pio vendebantur ad rationem ſcutorum 5500. ut patet ex eodem Motu proprio, & tamen ſi ante dictum Motum proprium Collegii ſuppreſſio ſequuta fuiſſet, reſtituendi non erant, niſi ducati 62400. habiti per Cameram.

Sed quatenus etiam dici poſſet Motum proprium Beati Pii circa reſtitutionem à Camera faciendam, remanere aliquo modo dubium, adhuc ſumenda eſſet interpretatio eidem Cameræ magis favorabilis, tam ex præmiſſis regulis, & rationibus, quod ſcilicet tam in gratiis præjudicialibus, quàm in obligationibus correſpectivis, in dubio reſpondendum eſt pro Reo debitore, ut quo minus gratia præjudicet, vel obligatio afficiat, præſertim ſi Reus agat de
32 damno vitando, prout agit Camera, ne cogatur reſtituere, quod non accepit, ut in ſpecie de fiſco, quod concurrentibus ſimilibus circumſtantiis in dubio pro eo judicandum veniat, probat Turamin. *in repet. text. in l. non puto ff. de iur. fiſc. par.* 2. *cap.* 2. *n.* 10. Concluſio autem, quod in dubio contra fiſcum, deſumpta ex dicto textu, intelligitur de
33 fiſco pœnali, & odibili contendente de lucro (quamvis revera textus hoc non dicat, ſed ſolùm non delinquere illum, qui in dubiis quæſtionibus facilè contra fiſcum reſponderit, ut obſervant Carleval. *de Iudiciis lib.* 1. *tit.* 2. *diſput.* 1. *nu.* 35. *tom.* 2. Garz. *de nobilit. gloſ.* 25. *n.* 6. *verſ. Hæc ratio cum ſeq.*)
34 Nullatenus verò poteſt applicari, quando, ut hic, agitur de fiſco, ideſt Camera contendente de evitando damno, & magna læſione, quæ propterea jure pupilli, vel minoris, aut Reipublicæ regulatur, ejuſque privilegiis potitur; Ideoque in dubio pro ea potius eſt judicandum, ex iis, quæ ita diſtinguendo latè tradunt Matthesilan. *ſingul.* 15. Rauden. *de analog. caſ.* 33. *num.* 212. Valenzuel. *conſ.* 100. *num.* 101. Farinac. *fragmen. crim. par.* 1. *verb. fiſcus num.* 109. Ganaver. *deciſ.* 1. *num.* 121. *& per tot.* Peregr. *de iur. fiſc. lib.* 4. *tit* 8. *n.* 12. Alphar. *de offic. fiſcal. gloſ.* 16. *privil.* 26. *nu.* 14. *& ſeqq.* Fajard. *alleg. fiſcal. gloſ.* 9. *num.* 280. *& ſeqq.* & præ aliis latiſſimè Boler. *de decoction. debit. fiſcal. tit.* 5. *quæſt.* 17. *per tot.*

Rurſus ſi aliquod poſſet ſupereſſe dubium, an B. Pius facere voluerit gratiam, Cameræ adeò præjudicialem, promittendo ſcilicet reſtitutionem pretii etiam non accepti, ex alia ratione non obſtaret, quia nimirum promiſio hæc fuiſſet perſonalis, & reſtricta ad illos Secretarios tunc temporis, à quibus fuerat receptum beneficium, & erga quos propterea conſiderari poterat aliquod juſtum motivum gratitudinem exercendi, quod apertè demonſtrant verba illa Motus proprii: *Nos è contra promptam Secretariorum voluntatem agnoſcentes, eamque gratam, ut par eſt, habentes, meritoque comendantes*: Donationes etenim, & largitiones fieri regulariter ſolent erga cognitos, & benemerentes, erga quos concurrere poteſt juſta meritorum cauſa, nam aliàs dicenda potius eſſet irrationabilis, & vitioſa profuſio, ſine ulla cauſa, quæ præſertim in Pontifice adeò pio nullatenus eſt præſumenda de bonis, & juribus Cameræ, & Sedis Apoſtolicæ, quæ ſunt Chriſti patrimonium. Atque perſonalitatem manifeſtè reſultare, ex verbis illis *ſingulis Secretariis tunc viventibus* deducebant ſcribentes pro Rev. Camera ſuper quarto articulo: Iſteque intellectus, quatenus donatio præſumi poſſet, capiendus eſſet ad vitandum abſurdum adeò exorbitans, quod B. Pius facere voluerit donationem de juribus Cameræ abſque cauſa erga ignotos, & nullum habentes meritum, quod remunerationem expoſceret, ut ex cauſa poſſe contradiſtingui ſingulos de Univerſitate, qui 35
olim illam conſtituebant, ab aliis ſucceſſoribus, qui tractu temporis in ea fuerunt adſcripti, ſenſit Rota *in Romana Collectæ* 23. *Ianuarii* 1668. §. *licet enim coram Eminentiſſimo Cerro*.

Et ita utraque parte ſub die 13. Maji proximè præteriti acerrimè informante, hodiè verò Camera tantùm informante, Secretariis autem poſt ſemel obtentam dilationem, illam iterum ad Kalendas petentibus, deciſum fuit.

NUM. XIX.

Tertia Deciſio Rotæ, confirmatoria ſecundæ.

Coram Reverendiſſimo D. Albergato Decano.

Lunæ 17. *Martii* 1681.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Perpenditur, prout in antecedentibus, propria ſignificatio verbi *reſtituere*; Vires confirmationis alicujus actus penſantur; Fiſcus non reſtituit, niſi acceptum, & in dubio eſt pro eo pronunciandum, cùm agit de damno vitando.

SUMMARIUM.

1 *Reſtituere eſt retrodare, quod præcedenter habitum fuit.*
2 *A proprietate verborum non eſt recedendum, niſi id ſuadeat voluntas diſponentis, & materia ſubiecta.*
3 *Confirmatio importat confirmationem, non autem correctionem, ſeu immutationem actus confirmati.*
4 *Correctio, & novatio legum non præſumitur.*
5 *Verba* eiſdem modo, & forma *important omnimodam identitatem.*
6 *Ex diſcretiva locutione infertur difformitas voluntatis.*
7 *Beatus Pius fuit tenaciſſimus defenſor iurium Cameræ.*
8 *Nemo præſumitur negligere, quod in propriam utilitatem redundat.*
9 *Vnuſquiſque ex contrahentibus, reſciſſo contractu, non tenetur reſtituere niſi receptum.*
10 *Vt læſio vitetur debent verba accipi in eo ſignificatu, qui magis ſit iuri conſentaneus.*
11 *Obſervantia, & ſolitum demonſtrat mentem Legislatoris.*
12 *Conſtitutio Succeſſoris declarat mentem Anteceſſoris.*
13 *Confirmatio non extenditur ultra limites confirmati, & num.* 14.
14 *Venditor poteſt redimere cenſum pro eodem pretio, quamvis fuiſſet intermedio tempore, pro maiori pretio alteri ceſſus.*
15 *Fiſcus habet privilegium reſtituendi dumtaxat acceptum, & non ultra.*
16 *Officia venalia, quoad titulum non ſunt in commercio.*
17 *Illa maior quantitas, quæ ſolvitur in reſignatione huiuſmodi Officiorum datur in præmium præſtationis conſenſus, non autem conſtituit verum pretium intrinſecum Officii.*
18 *Cum extinguuntur loca montium reſtituitur pretium intrinſecum ſcutorum* 100. *non extrinſecum currens in platea.*
19 *In dubio iudicandum eſt pro Fiſco, quando non repræſentat Fiſcum pœnalem.*
20 *Maximè quando agit de damno vitando.*
21 *Gratitudo, & dilectio non cadit in incognitos.*

Poſt

POst duas propositiones habitas diebus 13. Maii, & 7. Junii anni proximè præteriti Causa repropositа sub die 19. ejusdem mensis, & iterum per omnes Dominos maturè discussa, Rota recedendo à decisis 16. Junii 1679. firmavit Reverendam Cameram Apostolicam non teneri restituere olim Secretariis, nisi pretium à Dataria receptum, licet in majori quantitate ab illis, seu eorum Auctoribus pro habendo officio resignantibus persolutum, quamobrem discutiendum hodie proposui, in quo loco decisis esset persistendum, & benè perpensis deductis in utraque Decisione, visa sunt solidiora fundamenta ultima tanquam melius, firmiusque comprobata in facto, unde jus oritur, quibus propterea Domini inhærentes, standum esse in secundo loco decisis responderunt.

Quamvis enim B. Pius V. in suo Motu proprio, quem edidit ad effectum reintegrandi Collegium de officio à se per errorē distracto in Cardinalem Mediceum pro aureis 5500. eo quod erat de illis (ex antiquis, quæ juxta erectionem Innocentii VIII. vacantia amplius vendi non poterant, sed accrescere debebant Collegio ex 24. à se noviter constituto, ejusdem privilegia confirmando dixerit -- *Ullo unquam tempore revocari, reduci, alterari, aut moderari, seu Collegium ipsum supprimi, vel extingui non posse, nisi restitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis tunc viventibus integrè, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit* -- Nihilominus, tam ex proprietate verborum, quàm ex subjecta materia, & verisimili mente ipsius B. Pontificis, ac aliis mox recensendis plenè deducitur Cameram propter suppressionem nuper à Sanctissimo justis de causis factam, teneri, & obligatam esse dumtaxat ad restitutionem illius quantitatis realiter à Dataria habitæ, non autem à Secretariis solutæ illis, qui officia ad eorum favorem resignarunt.

Incipiendo autem à proprietate verborum, verbum
1 *restituere*, quo Papa usus fuit regulariter, juxta suam propriam, & legalem significationem importat, quod Camera non teneatur restituere ultra acceptum, cùm restituere sit reddere, seu retrodare illi, qui dedit id, quod præcedenter habitum fuit, & si aliquid ultra acceptum detur, restitutio propriè non verificatur, & in hoc proprio significatu sumitur in *l. prima §. eleganter, ff. depos. glos. in l. qui uxori in verbo, qui reddi, ff. de aur. & arg. leg.* Alciat. *in l. restituere num. 2. ff. de verb. signif.* Rota *in Romana hæreditatis 9. Februarii* 1680. *§. id enim, coram Rev. P. D. meo Vrsino*, à cujus verbi propria, & germana significatione recedi non
2 debet, cùm à proprietate verborum nunquam recedendum sit, nisi subjecta materia, aut voluntas disponentis alter suadeat, ut præter relatos in præterita decisione §. *à proprietate*, dixit Rota *decis. 475. num. 3. vers. tutius est non recedere, & num. 7. in fine coram Remboldo*.

In præsenti specie facti mentem B. Pii fuisse sumendi verbum *restituere* in suo proprio significatu, & ab eo non recedendi, colligitur, ex quo unà cum aliis Constitutionibus in favorem Secretariorum editis, confirmavit Constitutionem Innocentii super erectione Collegii promulgatam, in qua inter Papam, & Secretarios conventum legitur, quod si facta fuisset officii revocatio, aut alteratio, restitui solùm
3 deberet summa ducatorum auri 62400. receptorum à Camera, profectò dum illam confirmavit, censeri debet, quod cum ea se conformare voluerit, non autem illam corrigere, aut immutare, Alex. *cons. 122. num. 20. lib. 3.* Ruin. *cons. 17. num. 1. vers. unde confirmatio lib. 1.* Rot. *decis. 353. num. 99. par. 5. & decis. 289. num. 14. par. 12. rec.* & in specie de confirmatione privilegii à Papa concessi *decis. 429. num. 1. par. 2.*
4 *& decis. 263. num. 7. par. 15. rec.* & de jure nec legum correctio, nec novatio præsumitur, Roman. *cons. 104. num. 1. in fin. vers. primo, quia sicut*, & ibi Adden. Rolan. *cons. 31. num. 4. lib. 4.* Buratt. *decis. 168. num. 3.* potissimum dum addidit verba -- *eisdem modo, & forma* -- quæ excludunt intentionem alterandi Constitutiones confirmatas, cùm omnimodam identitatem significent, Altograd. *cons. 58. num. 44. & seqq.* Cyriac. *controv. 69. num. 38.* Rota *decis. 375. num. 18. & 25. par. 17. rec.* cum aliis in secunda decisione relatis, §. *Mens vero*.

Id ipsum resultat ex toto contextu ejusdem Motus proprii,
5 ubi quando mentio de restitutione fieri contingit, verbum -- *restituere* -- acceptum reperitur in sua propria significatione, nam quando tractatur de restituendis, mediante assignatione officii primò vacaturi scutis 5500. à Secretariis oblatis ad effectum restituendi prædicto Cardinali Mediceo, B. Pius fatendo mutuum dixit -- *eidem Collegio restituere promittimus* -- & rursus obligando successores ad observantiam, statuit id impugnari non posse -- *nisi prius restitutis eisdem Secretariis, & Collegio per Cameram realiter, & cum effectu præfatis pecuniis*, & eadem verba adhibuit, dum consideravit casum suppressionis, unde sicuti in præcedentibus locis usus fuit verbo, *restituere*, in suo proprio significatu, ita quoque in cæteris locis, ubi de restitutione tractari contingit, dicendum est eodem verbo uti voluisse in eodem proprio significatu, quemadmodum consueverat uti, argumentum enim ab usu loquendi fortissimum reputatur ad interpretandum, in quo significatu, solitus uti illo verbo, idem protulerit, maximè quàdo agitur de una, & eadē dispositione, cujus una pars per alteram declaratur, ut notat antecedens decisio §. *propriæ significationi*, & deprehenditur etiam ex eo, quod quādo ibidem fuit actū de damnis à Secretariis forsan patiendis, in casum inobservantiæ assignationis prædicti officii, loquutus est per verbum -- *solvere* - non autē 6
-- *restituere* -- ex qua discretiva locutione difformitas infertur voluntatis, Rota *decis. 176. num. 18. coram Priolo, & decis. 328. num. 12. coram eodem*; parum obstante, quod in narrativa Motus proprii dicatur, quod Secretarii sese obtulerant restituere prædicta scuta 5500. dicto Cardinali, unde videbatur inferri verbum *restituere* fuisse aliquando impropriè sumptum, dum Secretarii nil receperant, quia talis oblatio (ut ibidem legitur) fuit facta nomine ipsius Papæ, cui tanquam ei, qui dictam pecuniam receperat, referenda est restitutio, ut firmat decisio præterita §. *confert*.

Nec verisimile est, quod B. Pius dictum verbum intellexerit in alio sensu, ita ut obligare voluerit Cameram ad restitutionem ejus, quod ad ipsam non pervenit, nam si id non fecit Innocentius Octavus, qui in majoribus angustiis S. Sedis majorem summam recipiens, occasionem habebat 7
se magis liberalem ostendere, multò minus credendum est, quod B. Pius, qui minimum beneficium mutui scutorum 5500. ab illis comparativè susceperat, & sufficienter retribuerat, mediante officii vacaturi assignatione, voluerit hoc facere, imponendo tam grave onus Cameræ, cujus jurium, & bonorum semper fuerat acerrimus vindex, & tenacissimus defensor, ut liquet ex arctissima probatione, quam edidit super infeudatione, & alienatione bonorum ipsius Cameræ, ut ponderat præterita decisio §. *Augetur*.

Rursus talis mens mirificè demonstratur, observando, quod in ea parte Motus proprii, ubi annullatur venditio officii facta Cardinali Mediceo, & assignatur Secretariis officium primò vacaturum, vendendum ab eis pro summa reperibili, etiamsi major fuisset, ad effectum extinguendi censum, quem ipsi constituerant pro mutuandis dictis scutis 5500. B. Pius pro observantia obligavit se, successores, & bona Cameræ, mandans hujusmodi suam dispositionem non posse impugnari ex defectu citationis Cameralium, minusque contra eam dari de subreptione, vel obreptione, aut defectu intentionis cum decreto irritanti, & clausula sublata, derogando Constitutionibus Pauli II. & IV. de rebus Ecclesiæ non alienandis, & malè alienatis recuperandis, ac etiam regulis Cancellariæ editis, & edendis, & tamen cùm ibi ageretur de minimo præjudicio Cameræ, & de actu Justitiæ, qualis erat restitutio scutorum 5500. mutuatorum, nihilominus, tot cautelas, & clausulas adhibuit, unde cum in alia parte, in qua agebatur de maximo præjudicio ejusdem Cameræ, & de obligando illam, contra justitiam, ad restitutionem non recepri, appositæ fuerunt simplices, & nudæ clausulæ, apponi solitæ, in quavis simplici confirmatione, sequitur, quod si B. Pius intellexisset obligare Cameram ad restituendum totum id à Secretariis solutum, & ab ea non habitum, in dispositione adeò læsiva, & præjudiciali eidem, auferente jus quæsitum ex dicta Constitutione Innocentiana, non reddendi nisi acceptum, certè apposuisset etiam in ista parte antedictas clausulas, & derogasset regulæ de Juræ quæsito non tollendo, & Constitutioni Pii Quarti de registrando, & sicuti Secretarii, tunc temporis curarunt ita cautelari in prima parte, si pro eis habuissent intentionem, & mentem Papæ, etiam in secunda, certè in hac, tanquam ampliorem sine comparatione gratiam continente, fortius cautelari, & tutiores reddi curas- 8
sent, cùm nemo præsumatur negligere id, quod in propriam utilitatem redundat, Menoch. *præsumpt. 77. lib. 6.* Rota coram Dunozetto Jun. *decis. 543. num. 43.* & observat antecedens *decisio §. igitur*.

Plu-

Pluribus comprobatur hæc veriſimilis mens, nam præſumitur, quod B. Pius conformare ſe voluerit, cum jure
9 communi, de quo in reſciſſione contractus quiſque ex contrahentibus non tenetur niſi acceptum reſtituere *l. ſi diverſa C. de tranſact.* Ulterius cum pretium de tempore ſuppreſſio-
10 nis Collegii ſummoperè excreviſſet, Camera ſi ad ſolutionem non accepti teneretur, remaneret enormiſſimè læſa, quo caſu ad hujuſmodi læſionem evitandam verba debent ſumi in eo ſignificatu, qui magis ſit juri conſentaneus, Caſtill. *controv. iur. lib. 5. par. 2. cap. 13. n. 16. & 17.* & concurrit obſervantia, & ſolitum in ſimilibus ſervatum ab eodem Pontifice, qui Montiſtis Montis Julii vacabilis, tenuentibus aſſentiri reductioni fructuum, mandavit reſtitui dumtaxat ſcuta 100. pro loco, quod erat pretium à Camera receptum in erectione, quamvis in platea majori pretio ven-
11 derentur; iſta autem obſervantia, & ſolitum à Legislatore aliàs practicatum optimè interpretatur, & demonſtrat, qualis eſſe potuerit mens ejuſdem in caſu ſimilis reſtitutionis, & ſuppreſſionis, ut probant auctoritates relatæ in alia *deciſione* §. *Nec modicum;* Aliàs ſi Papa voluiſſet obligare Cameram ad ſolutionem integræ ſummæ per Secretarios nō Rev. Cameræ, ſed reſignantibus ſolutæ, talis obligatio ſaperet donationem meram, & voluntariam ſine cauſa, dum mutuum, quod allegari poſſet pro cauſa, unde Papa moveri potuerit, jam fuerat abundè ſatisfactum per dictam officii primò vacaturi aſſignationem, donatio enim in dubio non præſumitur, attenta potiſſimum ſucceſſiva Conſtitutione Sixti V. 106. per quam ſimiles alienationes, & donationes irritantur, cum declaratione, quod non fuit intentio, neque ſua, neque prædeceſſorum illas faciendi, ideò quævis dubietas remanet declarata, cùm Conſtitutio ſucceſſoris declaret mentem Prædeceſſoris, Rota *dec.* 175. *num. 9. par. 9. rec.* & firmatur in eadem *deciſ.* §. *Ex dicta*.

Ulterius placuit Dominis iterum obſervare, ad prædictam
12 Pontificis intentionem eruendam, Motum proprium dividi in duas partes, quarum prima continet contractum correſpectivum inter illum, & Secretarios ſuper caſſatione venditionis officii facta Cardinali Mediceo, & mutuo ſcutorum 5500. ejuſque reſtitutione, mediante aſſignatione officii vacaturi; Secunda verò, quæ incipit *à verſ. Ad hæc* — in qua reperiuntur appoſita verba, de quorum intelligentia diſceptatur, continet dumtaxat ſimplicem confirmationem privilegiorum, ut ildemmet Secretarii agnoverunt, expedientes duo Brevia ſeparata, quorum alterum ſuper confirmatione expeditum fuit, etiam inſertum in confirma-
13 tione edita à Gregorio XV. propterea illud, quod ultra confirmationem privilegiorum reperitur in iſto, de quo agitur, appoſitum, attendi non meretur, nec operatur in iis, quæ egrediuntur terminum confirmati, Caſſador. *deciſ. 1. nu. 2. de confirm. util. vel inutil.* quem cum aliis refert Bich. *deciſ.* 521. *num. 12. & ſeqq.* quia de natura confirmationis eſt robur
14 addere confirmato, non autem illud extendere, Rota *dec.* 58. *nu. 29. & 30. par. 6. rec.* & plenè in ſecunda *deciſ.* §. *Plurimum*.

Præterea ſecundum ſubjectam materiam Beatum Pium, dictum verbum *reſtituere*, non in alio ſenſu, quam in ſuo proprio, & legali accepiſſe conſtat; ut enim obſervat præterita *deciſio* §. *Aſſiſtit*, fuit ab initio decretum poſſe Collegium ſupprimi, ideò cum horum officia importent facultatem quamdam ad vitam Officialium percipiendi emolumēta, donec pretium reſtituatur, propterea eorum ſubſtantia,
15 & natura non longè diſtat à Cenſu vitalitio, cum pacto redimendi, ſeu venditione cum eodem pacto, quapropter ſicuti debitor, ſeu venditor volens Cenſum, ſeu rem venditam redimere, non tenetur reſtituere niſi pretium, quod recepit, abſque eo, quod illi præjudicet ceſſio, quæ medio tempore facta fuiſſet ſui juris, alteri perſonæ pro majori pretio à Creditore, vel emptore, ad Textum *in l. poſtlimi-nium*, §. *Si is, qui emerat, ff. de capt. & poſtlimin. reverſ.* Zoannett. *de empt. & vend. in cap. de pact. de retrovend. nu.* 16. 111. 113. *& 117. cum ſeq. uſque ad num.* 123. ita id mul-
16 to magis habere debet locum in Fiſco, ſub nomine Cameræ in contractibus explicato, propter privilegium, quod habet in caſu reſtitutionis reddendi dumtaxat acceptum, & non ultra, de quo *in l. ſi Procurator, ff. de iur. fiſc.* Bald. *conſ.* 145. *num.* 3. *lib.* 2. Guazzin. *de conſiſc. concluſ.* 18. *num.* 48. & alii in alia deciſione cumulari §. *Iſtaque regula*.

His poſitis non relevant objecta aliàs à Secretariis adducta, nam illud, quod niſi Motus proprius operaretur reſtitutionem totius, redderetur inutilis, non ſubſiſtit in facto, quia in primis operatur renovationem etiam illorum privilegiorum, quæ contrario uſu adempta remanſerant, & ulterius dum Camera vigore primævæ erectionis Innocentii VIII. poſſet probabiliter allegare ſe non teneri reſtituere, niſi ſcut. 62400. à principio recepta, nihilominus vigore dicti Motus proprii, nunc effectivè reſtituit ſummam majorem in duplo, & ultra, nempe ſcuta 228557. prout non obſtat, quod ſuppreſſio fieri non poſſet, niſi prius reſtitutis omnibus pecuniis ſolutis per Secretarios, ex quo Papa loquens per ablativum abſolutum, voluerit in primis, & ante omnia adimpleri conditionem reſtitutionis, quia intelligitur de reſtitutione ejus, quod eſt liquidum, & in hoc fuit adimpleta, & quoad illiquidum ſufficit oblatio adimplendi, poſtquam præceſſerit liquidatio, prout in ſuppreſſione Collegii factum fuiſſe, probat antecedens *deciſio* §. *Nam motivum*.

Quod autem verba *--pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit --* directa fuerint in Secretarios, non ſubſiſtit, imò apparet fuiſſe directa in ipſam Cameram reſtituere debentem, cùm in hoc caſu, juxta mentem B. Pii, & ſubjectam materiam, verificari non poſſint, niſi in pecuniis ſolutis Cameræ, à qua tantum, ſeu à Dataria, non autem à reſignantibus propriè officia dicuntur haberi (cum ſimilia officia venalia, quicquid ſit, reſpectu pretii conſiderati tanquam pecunia allodialis) quoad titulum, non ſunt in commercio privatorum, juxta ſpecialem Conſtitutionem ſanctæ mem. Urbani VIII. 154. de qua Rota *dec.* 395. *par.* 12. *&* 126. *&* 338. *par.* 13. *rec.* Ideò nonniſi à Principe directè haberi, & emi poſſunt, licet reſignantis accedat conſenſus, qui ſolùm requiritur, ut per eum ille cedat juri ſuo, & faciat, quoad ſe vacare officium, ad hoc, ut Papa poſſit in locum reſignantis ſubrogare reſignatarium, qui ob id principaliter acquirere dicitur à Papa, illumque in Auctorem ſuum recognoſcit, ad inſtar Reſignatarii Beneficii Eccleſiaſtici, & pretium propriè conſiſtit in quantitate illa, quàm ab initio Camera recepit ab illo, in cujus locum reſignatarius ſubingreditur, & illud plus, quod ſolvitur reſignanti potius cenſetur datum ad hoc, ut præſtet ſuum conſenſum, ad ipſius reſignatarii ab eo nominati, & electi favorem, ut inde ſequatur vacatio, & ex ea officii translatio, & dictus conſenſus tanquam requiſitus ad validitatem actus non alterat naturam primæ conceſſionis, etiamſi præſtetur mediante ſolutione majoris quantitatis ſolutæ Datariæ, quando ab 17
ea emptum fuit officium, cum talis quantitas excedens, potius detur ex contractu innominato, do, ut facias, ſcilicet ut præſtetur conſenſus, ſine quo vacatio induci non poſſet, ideò non dicitur exindè conſtitutum verum pretium intrinſecum officii, ut præcisè notat Ferdinand. Brancia *allegat. 66. num.* 18. *inter allegat. collect.* pet de Marin. quem refert, & ſequitur præterita *deciſio* §. *Siquidem*.

Hinc ſublatum remanet objectum, quod per aſſenſum à Papa datum hujuſmodi reſignationibus pretium dicatur ab ipſo approbatum, quia Papa ſuum beneplacitum præſtat ad effectum, ut officium valdè transferatur de poſſeſſore in emptorem, unde ipſe certus ſit de perſona, per cujus obitum officium vacare debet, in pretio autem inter partes convento non ſe ingerit, imò ignorat quid reſignanti ſolvatur, & patet, quia etiam ſine pretio multoties admittuntur reſignationes officiorum de Patre in filium, de Patruo in nepotem, quod certè eſſet impracticabile, ſi Papa deberet ſcire, & approbare pretium, quod inter hos conjunctos non currit, & mirificè id comprobatur ex diſcretivo modo ſignandi ſupplicationes, quoniam in conceſſionibus officiorum vacantium, quæ immediatè emuntur à Dataria, Papa creat ex integro novum officialem, & exprimitur pretium, quod ab illo ſolvitur, quando verò officia conceduntur per reſignationem, nulla mentio fit de pretio, & Papa ſolùm profitetur ſubrogare reſignatarium in locum reſignantis, ut ex formula utriuſque ſupplicationis data ab Informantibus pro Camera in præterita poſitione.

Violatio publicæ fidei, in quā potiſſimum inſiſtere ſolebant informantes pro Secretariis, non adeſt, quia illud majus pretium extrinſecum currens inter privatos non eſt verum pretium in eo, quod excedit ſolutum Datariæ, ſed eſt quædam recognitio data reſignanti pro habendo ab eo conſenſum, & id non præjudicat Cameræ, ſicuti ſervatur 18
in locis Montium, quæ licet ab initio pro ſcutis 100. pro quolibet vendita fuerint, nihilominus inter privatos eorum pretium augetur, abſque eo quod per tale incrementum præjudicium inferatur Cameræ, quæ volens ea extrahere, & extinguere, non attendit pretium extrinſecum currens

in

in platea, ſed reſtituit pretium intrinſecum ſcutorum 100. quod ipſa recepit, ut docet experientia Reverendiſs. de Luca *diſc.* 33. *à num.* 3. *&* 8. *de Regal.* & firmatur in præterita *deciſione* §. *Nullaque*.

Et in omnem eventum, ſi aliqua ambiguitas in dictis verbis Motus proprii adeſſet, veniret interpretanda in favorem
19 Cameræ, pro qua in dubio, quando non repræſentat fiſcum pœnalem, nec agit ad pœnam, judicandum eſſe dixerunt Matheſilan. *ſingul.* 15. Peregrin. *de iur. fiſci, & alii in deciſione relati* §. *Sed quatenus*, maximè cum agatur de damno
20 evitando, quod certè ſubiret, ſi teneretur ſolvere, quod non habuit, & Secretarii in ordine ad ipſam, quæ illud plus ab eis ſolutum non recepit, tractant de lucro captando, ideoque in dubio potior judicatur cauſa ſatagentis damnum evitare, quàm agentis ad lucrum captandum, Rot. *deciſ.* 190. *n.* 29. *par.* 6. *rec. & deciſ.* 161. *n.* 11. *coram Dunozetto iun.*

Tandem fuit iterum animadverſum, quod ſi per poſſibile dici poſſet Beatum Pium voluiſſe ad totalem ſolutionem Cameram obligare, ut prætendunt Secretarii, id præſumendum eſt, quod facere voluerit ſolùm, ut gratificaretur illis Secretariis, tunc temporis officia obtinentibus, quatenus Collegium ſupprimi contigiſſet ipſis viventibus, ex naturali, & antidorali obligatione benefaciendi eis, qui ſibi benefecerant mutuando dicta ſcuta 5500. reſtituta Cardinali Mediceo, ut liquet ex illis verbis - *Nos è contra promptam Secretariorum voluntatem agnoſcentes, eamque gratam, ut par eſt, habentes, meritoque commendantes* -- 21
Unde cum Secretarii moderni nullum beneficium illi fecerint, conſequenter in eos tanquam incognitos, & non benemeritos, neque gratitudo, neque dilectio dicti B. Pontificis cadere poterat; ad tradita per Fuſar. *de ſubſtit. quæſt.* 318. *num.* 6. *& quæſt.* 359. *num.* 10. & latius omnia deducuntur, & plenius firmatur in præterita deciſione, quàm hodiè Domini confirmarunt, Camera tantum informante, Procuratore Secretariorum pluries monito, & judicialiter intimato, ac informare recuſante.

NUM. XX.

Votum datum per Rotam.

EX rationibus deductis in allegatis Deciſionibus, emanatis coram me ſub diebus 19. Junii 1680. & 17. Martii currentis anni 1681. Sacra Rota eſt in Voto, prout in eiſdem Deciſionibus, ad quas, &c.

Antonius Albergatus Sacræ Rotæ Decanus.

NUM. XXI.

Sententia Theſaurarii Generalis.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

CHriſti nomine invocato, pro Tribunali ſedentes, & ſolùm Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram diffinitivam Sententiam, quàm de Voto Sacræ Rotæ, omnibus RR. Patribus ſuffragia præſtantibus, in his ſcriptis ferimus, in cauſa, & cauſis coram Nobis vertentibus, etiam in vim Motus proprii Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentii Papæ XI. ſub datum apud Sanctum Petrum kalendis Aprilis Pontificatus Anno ſecundo, omni appellatione penitus remot. & ſublat. inter Reverendam Cameram, & Datariam Apoſtolicam reſpectivè, ac Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. Sanctem de Pilaſtris ejuſdem Sanctiſs. Domini Noſtri, & Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarium Generalem ex una, & Venerabile Archihoſpitale Sanctiſſimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum, Venerabile Archihoſpitale Sancti Spiritus in Saxia, Reverendiſſimum Capitulum, & Canonicos Sancti Euſtachii Urbis, Illuſtriſſimum D. Marchionem Bartholomæum Ruſpulum, Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum D. Ducem Franciſcum Mariam Salviatum, Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum D. Principem Joannem Baptiſtam Pamphilium, Illuſtriſſimum D. Marchionem Sigiſmundum Raggio, Illuſtriſſimos, & Reverendiſsimos Dominos Marcellum Duratium, Joannem Baptiſtam Coſtagutum, & Joſephum de Aſte, Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum D. Principem Auguſtinum Chiſium, Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. Franciſcum Mariam de Victoriis, Illuſtriſſimam D. Franciſcam Piccolomineam de Chiſiis matrem, & hæredem claræ memoriæ Cardinalis Sigiſmundi Chiſii, & Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. Franciſcum Nicolinum, Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum D. Cardinalem Nicolaum Acciajolum, Illuſtriſſimum Dominum Equitem Philippum Acciajolum, Illuſtriſſimos, & Excellentiſſimos Dominos Ducem Joannem Baptiſtam Roſpilioſium, & Principem Gaſparem de Altariis, Illuſtriſſimum D. Equitem Lucam Antonium Cicciaporcium, Reverendiſſimum D. Abbatem Aloyſium Bonacurſium, & Illuſtriſſimos Dominos Simonem Joannem, & Proſperum de Bonacurſiis, & Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. Dominicum Mariam Curſium, ac Reverendiſſimum D. Abbatem Laurentium Leccium olim Officiales, & Secretarios Apoſtolicos partibus ex altera, De, & ſuper articulo, ſeu articulis An, & quid ſupradictis Dominis olim Secretariis Apoſtolicis, ſeu Officiorum prædictorum poſſeſſoribus, ſeu in eis intereſſe habentibus debeatur, ſeu per Reverendam Cameram, vel Datariam perſolvendum ſit, ultra pecunias ex cauſa ſingulorum Officiorum prædictorum ad manus ejuſdem Reverendæ Cameræ, ſeu Datariæ, ſive eorum Officialium verè, & effectivè, & realiter deventas, & in vim ſupradicti Motus proprii Sanctiſſimi, mediante Sacro Monte Pietatis Urbis, jam reſtitutas, & ſolutas, rebuſque aliis in cauſa, & cauſis hujuſmodi, in actis cauſæ latius deductis, de Voto prædictæ Sacræ Rotæ in actis Notarii Cauſæ exhibito, atque producto, dicimus, decernimus, declaramus, pronunciamus, & diffinitivè ſententiamus eiſdem Dominis olim Secretariis Apoſtolicis, ſeu Officiorum prædictorum poſſeſſoribus, vel in eis intereſſe habentibus, ultra pecunias ex cauſa ſingulorum Officiorum prædictorum ad manus ejuſdem Reverendæ Cameræ, ſeu Datariæ, ſive eorum Officialium verè effectivè, & realiter deventas, & ut ſupra reſpectivè reſtitutas, nihil aliud deberi, ſeu perſolvendum eſſe, & ad majorem, ſeu ulteriorem ſolutionem dictam Reverendam Cameram, ſeu Datariam non teneri, nec obligatas eſſe, & propterea eamdem Reverendam Cameram, & Datariam Apoſtolicam reſpectivè abſolven. & liberan. fore, & eſſe ab ulteriori, ſeu majori ſolutione pecuniarum, ultra ſummas verè, effectivè, & realiter, ut ſupra diximus, eidem Reverendæ Cameræ, ſeu Datariæ, ſive eorum Officialibus, ratione cujuslibet Officiorum perſolutas, & reſpectivè reſtitutas, prout abſolvimus, & liberamus, & pro abſolutis, & liberatis haberi volumus, & mandamus, moleſtationes, vexationes, & perturbationes eiſdem Reverendæ Cameræ, ſeu Datariæ per ipſos Dominos olim Secretarios Apoſtolicos, ſeu Officiorum prædictorum poſſeſſores, ſeu in eis intereſſe habentes reſpectivè datas, & illatas fuiſſe, & eſſe nullas, irritas, inanes, & de facto datas, & uti tales declaramus, eiſdemque Dominis olim Secretariis Apoſtolicis prædictis, ſeu Officiorum prædictorum poſſeſſoribus, ſeu in eis intereſſe habentibus, ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium imponendum fore, & eſſe prout imponimus, & ita dicimus, decernimus, declaramus, pronuncianus, & diffinitivè ſententiamus, non ſolùm iſto, ſed & omni alio meliori modo, &c.

Ita pronunciavi ego Joannes Franciſcus Ginettus Theſaurarius Generalis, etiam uti Judex De.

NUM.

NUM. XXII.

Motus proprius ejuſdem Innocentii Undecimi ſuper confirmatione dictæ ſententiæ.

INNOCENTIUS PAPA UNDECIMUS.

Non afficitur irrevocabilitate donationis. Cap.17. num.12.
An, & quando poſſit donare. Cap.17. num.16.
Revocare quando valeat gratias, & contractus. Cap.17. ex n.17.
De differentia inter revocationes particulares, & generales, num.19. ibid.
De obligatione dandi officiali privato ex cambium. Cap.17. num.21.
Nemo ſub illius fide eſt decipiendus, fol.119. num.43.
Anteceſſor non poteſt in præjudicium ſucceſſorum regalia diſſipare, etiam per viam contractus, fol.86. num.9.
Ex quacunque juſta cauſa poteſt adimere bona privatis nullo, vel modico pretio ſoluto, fol.87. num.33.
Contr. fol.102. num.33. & fol.109. num.37. ex n.46. fol.125. num.12.
Præſertim in vindicatione Regalium. Dict. fol.87. n.34.
Contrar. fol.109. ex num.46.
Debet primò repetere ab iis, à quibus inopiæ cauſa forſan derivavit, fol.87. num.35.
Quale pretium dicatur juſtum, fol.125. n.13. v. Pretium.
Quando dicatur legibus ſubjectus, fol.88. n.41. & ſeqq.
Clauſula *de plenitudine poteſtatis* importat uſum abſolutæ poteſtatis, num.42. ibid.
Ejus factum connumeratur inter caſus fortuitos, fol.91. num.35.
Abſurdum eſt ſub publica ejus fide emptores falli, fol. 104. ex n.61. fol.111. num.72.
Ex juſta cauſa non poteſt revocare conceſſionem oneroſam, niſi facta integrali acceptorum reſtitutione, fol.107. num.8. fol.108. num.34. fol.118. num.22. fol. 135. ex num. 23. fol. 227. num.11.
Iuſtæ cauſæ in eo præſumuntur, fol.108. num.33.
De poteſtate ordinaria non poteſt donationem à ſe, aut anteceſſore factam revocare, ſeu limitare, fol.113. num.20.
Maximè ſi ſit perpetua, & irrevocabilis, num.21. ibid.
Et revocando donationem tenetur integrum valorem refundere,

dere, fol. 113. n.22. fol.118. n.22. fol.125. n. 10.
Declara ut possint revocari concessiones gratuitæ, quoties publicæ utilitati non potest esse consultum, fol. 114. num. 30.
Consulere debet publicæ utilitati alio modo, quàm lædendo jus alteri quæsitum, fol.117. n.21.
Illius resolutio post maturam discussionem est pro lege servanda, fol.127. n.24. fol.217. n.7.
Tenetur servare leges, & est subjectus contractibus, fol. 131. num. 23.
Amplia, ut neque de plenitudine potestatis contravenire valeat contractui, n.24. ibid.
Habet duplex patrimonium proprium, & Reipublicæ, fol.176. num. 7.
Sine rationabili causa non decet, ut alienet ea, quæ sunt Reipublicæ, & Coronæ, n.9. ibid.
Dicitur maritus, & Caput Reipublicæ, fol.176. n.22.
Ei non licet aliquid in Reipublicæ detrimentum elargiri, num. 23. ibidem.
Vbi motivum publicæ utilitatis supervenit parcius servare debet gratiam prædecessoris, n.24. ibid.
Revocans ex causa publicæ utilitatis concessionem partim onerosam, partimque gratuitam non restituit pretium pro ea parte, quæ vergit ad gratiam, ibidem n.25.
Ejus potestas est debilior in re aperienda, quam in aperta, fol. 177. num.36.
In ejus concessione defectus voluntatis arguitur ex inobservantia eorum, quæ sunt de stylo, fol.178. n.62.
Redimere potest res à suo patrimonio alienatas pro illomet pretio, quo distractæ fuerunt, fol.182. n.12.
Potest restituto pretio luere officium alicui venditum, alterique pro libito tradere, n.13. ibid.
Potest revocare privilegium subdito concessum, fol. 183. n.19.
Maximè si sit electivus, qui Iura principatus non metitur ab antecessore, ibid. n.20.
Potest sine causa revocare privilegium merè lucrativum, prout ex causa publicæ utilitatis potest etiam revocare onerosum, ibid. n.21. & 22.
Debet habere rata privilegia gratuita ab antecessoribus concessa, ibid.n.31.
Ea revocando dicitur bonis moribus inimicus, sibique injuriosus, ibid. n.32.
Limita ubi revocatio suadetur à publico bono, ibidem num. 33.
Potest reducere annuos redditus qui temporis progressu evaserunt læsivi, fol.184. n.37.
Concessiones, & privilegia, quæ tendunt in grave præjudicium Principatus, etsi fuerint onerosa, & transiverint in contractum, potest rescindere, non solum ille, qui contraxit, sed etiam illius successor, ibid. n.38.
Qui non potest alienare regalia in præjudicium successoris, neque potest concedere privilegium, per quod difficilior successori reddatur ipsorum redemptio, ibid. n.45.
Non tenetur recompensare jus privati quando illud tollit ex causa publici boni, & per legem generalem, ibidem num. 48. fol.172. n.22.
Neque quando revocat privilegium gratuitum ex legitima causa, & ratione communis utilitatis, fol. 184. n.49.
Ad successorem spectat declarare voluntatem antecessoris, ibid. num. 50.
Solus potest cum effectu officia vendere, & alienare, fol. 185. num. 17.
In suppressione facta per viam legis generalis non obligatur ad accepti pretii restitutionem, fol.192.n.10.
Auferens officia, seu alias res à subditis tenetur restituere integrum pretium, fol.209. n.5. & fol.224. n.24.
Placita Principum sunt verè leges quamvis utantur verbis pietatem, & munificentiam indicantibus, fol.217. n.8.
Est irrationabile, quod sub nomine favoris, & gratiæ valuerit inferre alicui præjudicium, ibid.n.9.
Et Iudex dicuntur restituere famam, & honorem, & similia, quæ nunquam à restituto receperint, fol. 226. n.4.
Quamvis loquatur per verba munificentiam, & liberalitatem præseferentia, non propterea excluditur quin legem faciat, fol.228. n.14.
Consentiens sine ulla præservatione contractui gesto super feudo, non potest amplius ex propriis Iuribus præjudicium aliquod inferre contrahenti, fol.229. n.11.
Idem procedit in donatario Principis, ibid. n.12.
Non tenetur nisi ad restitutionem ejus quod recepit, fol. 232. num.6.
Quando ex causa publica revocat concessiones an teneatur aliquid refundere, fol.157. n.25.
Sufficit, ut refundat pretium per ipsum acceptum, ibidem num.26.
Assensum præstando resignationi Iurium vitalitiorum nunquam censetur sibi velle præjudicare, fol.158. n.40.
Ejus beneficium in dubio est intelligendum, quod plures specialitates contineat, fol.174. n.57.

PRIVATIO.

Officialis ex quibus causis fieri valeat per Principem. Cap.13. ex n.9. Vide Cap.14. in fine.
De distinctione inter privationem officialis firmo remanente officio, & suppressionem generalem officiorum, n. 11. ibidem.
Ad quid teneatur Princeps erga officialem, quem sine causa privat officio, n.12. ibid.
Quæ sit justa causa privationis officii sine culpa officialis, n.4. ibidem.
De privatione officii ob delictum officialis, num. 17. ibidem.
Vid. Princeps; Suppressio.

PRIVILEGIVM.

Nè dicatur frustatorium sufficit in minimo esse operativum, fol. 78. n.23. fol.234. n.27.
Et sufficit quod aliquid operetur contra dispositionem juris, fol.80. n.41.
Strictè interpretandum esse ne Cameræ præjudicet, fol. 82. num. 15.
Contr. fol.107. ex n.9.
Interpretari debet, ut aliquid concedat, & operetur quamvis sit grave, & odiosum, & tenderet in præjudicium tertii, ibid. ex num.11.
Est latè interpretandum contra concedentem, ibid. num.15. fol. 129. num.1.
Etiam mediante impropriatione, & extentione, ibidem num. 2.
Frustra conceditur quando id competit de Iure, fol. 114. num. 45. & 46.
Debet privilegiato aliquid adjicere nec quidquam de ejus juribus detrahere, fol.126. n.20.
Strictior in eo fit interpretatio, quàm in contractibus, fol.147. num. 13.
In quo differat à beneficio. Vide v.beneficium.
Strictissimè interpretandum quando lædit jus successorum, fol. 176. num. 15.
Etiamsi non esset privilegium sed beneficium, num. 16. ibidem.
Et gratia Principis est strictè interpretanda, ita suadente motivo publicæ utilitatis, n.18. ibid.
Quo casu est in totum revocabile, n.19. ibid.
Maximè si sit gratiosum, n.20.
Ita debet interpretari, ut non trahatur ad concedendum aliquid contra rectam rationem, fol.183. n.15.
Ejus verba licet amplia sunt restringenda ad verisimilem mentem concedentis, n.16. ibid.
Antecessoris an possit mutilari per successorem. Vide v. Papa.
Et an subdito concessum possit per Principem revocari, v. Princeps.
Merè lucrativum an possit sine causa revocari, & an onerosum ex causa publicæ utilitatis, v.Princeps.
In remunerationem beneficii concessum tunc dicitur onerosum cum vel adæquat, vel parum superat beneficium, sed si longè præponderat, tunc non definit esse lucrativum, & gratiosum, fol.183. n.27. & 28.
Gratuitum an debeat haberi ratum à Principe, & quando decet illud revocari, Vide v.Princeps.
Ab initio æquissimum si tractu temporis fiat læsivum, & causa concessionis cesset, expirat ipso jure, ibid.n.35.
Si autem causa concessionis duret potest à concedente, vel in parte, vel in totum revocari, n.36. ibid.
Quod tendit in grave præjudicium Principatus etiamsi fuerit onerosum, & transiverit in contractum potest rescindi tam à Principe contrahente, quam à successore, numer. 38. ibidem.
Est ipso jure nullum non obstante juramento, n. 39.
Non validatur præscriptione, n.40.
Confirmans continere non dicitur ultrà id quod continetur in privilegio confirmato, fol.191. n.2.
Ejus causa principaliter attendenda, fol.196. n.1.
Concessum in remunerationem beneficii dicitur personale, & restrictum ad eos qui beneficium contulerunt, num. 2. ibidem.
Quamvis concessio esset de sui natura realis, num. 3. ibidem.
Etiamsi privilegium concessum esset non personis, sed dignitati, n.4. ibid.
Personale cum persona extinguitur, n.5. ibid.
Maximè quando meritum personæ est causa immediata privilegii, n.6. ibid.
Non transit ad successores, n.7. ibid.
In declaranda ejus concessione considerari debet mens verisimilis contrahentis, ibid. n.8.

Quod debet ſuum effectum ſortiri extincto Collegio non dicitur conceſſum ipſi Collegio, ſed particularibus perſonis, fol. 206. num. 3.
Conceſſum pro reſarciendo damno dicitur conceſſum iis, qui tale damnum patiebantur, ibid. n. 9.
In dubio præſumitur perſonale, ibid. n. 12.
Maximè ſi perſona ſit cauſa proxima conceſſionis, fol. 162. num. 26.
Perſonale non extenditur ad ſucceſſores, n. 13. ibid.
Conceſſum Collegio dicitur reale, & perpetuum, fol. 213. num. 40.
Quando conſtat de voluntate concedentis ſuperfluum eſt inquirere an præjudicet, nec ne concedenti, fol. 217. n. 11.
Evadens tractu temporis nimis damnoſum poteſt revocari dummodo damnum inferat alteri, quam concedenti, fol. 219. num. 12.
Non autem revocatur ipſo jure, n. 13. ibid.
Sine ulla limitatione conceſſum aliquibus perſonis non ſingillatim, & individualiter, ſed uti componentibus aliquod Collegium, & Communitatem dicitur reale, & ad quoſcunque tranſitorium, fol. 221. n. 1.
Eſt ita interpretandum, ut aliquid augeat non autem minuat jura privilegiati, fol. 227. n. 1.
Eſt perpetuum, & tranſitorium ad ſucceſſores, quando ratio benemerentiæ, ob quam fuit conceſſum reſpiciat, tam ipſos, quàm eorum auctores, fol. 230. n. 8.
In eo, in quo evadit injuſtum non eſt obſervandum, fol. 152. num. 19.
Aliàs validum ſi ſit injuſtum poteſt à Principe auferri in totum, vel moderari, ibid. n. 22.
Si continet modum, quo lædatur publica utilitas annullatur, n. 23. ibid.
Non valet quando Camera eſt ingenti ære alieno gravata, ibid. num. 24.
Ceſſat ceſſante cauſa, fol. 152. n. 29.
Intelligendum, ut minus lædat Ius commune, fol. 157. num. 24. fol. 162. n. 8.
Conceſſum ob benemerita in dubio cenſeri debet perſonale, fol. 152. n. 42. & 43.
Quandoque variatur, & alteratur per mutationem perſonæ, maximè quando qualitas, vel meritum perſonæ eſſet cauſa privilegii, ibid. n. 44. 45. & 46. fol. 162. n. 25.
Declaratur à ſua cauſa, ibid. n. 27.
A cauſa in ejus principio adjecta privilegium reſtringitur, ſeu extenditur, fol. 166. n. 22.
Privilegia Secretariorum à quibus conceſſa, fol. 187. n. 4.
Collegii elargita per Pontifices anteceſſores fuerunt confirmata per Beatum Pium V. fol. 188. n. 12.
In illis interpretandis non eſt attendendum majus lucrum privilegiati, ſed quid voluerint Princeps concedere, fol. 206. num. 10.
Conceſſa Secretariis, tam à Beato Pio, quàm ab aliis Pontificibus elargita fuiſſe ex titulo oneroſo declaravit Gregorius XV. fol. 212. n. 31.
Ideò non cadunt ſub Conſtitutionibus revocatoriis, n. 32. ibidem.
Latiſſimam recipiunt interpretationem contra concedentem, fol. 215. n. 29.
Non debent eſſe inutilia, & fruſtatoria, ibid. n. 30.
In conceſſione habent in ſitam clauſulam *rebus ſic ſtantibus, & in eodem ſtatu permanentibus quo erant in tempore conceſſionis*, fol. 151. num. 18.
Non ſunt latè interpretanda quando maximum præjudicium ex eis reſultat Cameræ, & publicæ utilitati, fol. 152. n. 28.
Dicuntur privatæ leges, fol. 162. n. 23.
Ideò privilegiatis ſolum non aliis pro ſunt, n. 24. ibid.

PROCVRATORES.

Pœnitentiariæ aliàs minoris gratiæ in n. 24. Cap. 2. ſub n. 9.
Et tres deſtinati pro eodem foro quorum officia non ſunt venalia, ibid.
Contradictarum in n. 13. ibid.

PROMISSIO.

Reſtituendi quod non fuit acceptum cadit ſub Conſtitutionibus revocatoris, fol. 195. n. 5.
Affirmativa reſtitutionis certæ ſummæ ſine ulla taxativa concepta, non excludit ſummam majorem, fol. 217. n. 2.
Intelligitur facta quatenus poſtea major ſumma ſoluta non fuiſſet, ibid. n. 3.
Certæ ſummæ reſtituendæ in caſu ſuppreſſionis non excludit ſummam majorem, ſi major ſoluta fuerit per officiales ſuprimendos, fol. 205. n. 1.
Reſtitutionis certæ ſummæ intelligitur taxativè ſi apponatur in contractu, qui omnem extenſionem excludit, ibid. n. 2.
Beati Pii ſi intelligeretur de reſtituendo id quod Camera non accepit eſſet mera donatio cadens ſub revocatoriis, fol. 206. num. 17.

PROPOSITVM.

In mente retentum nihil operatur donec tranſeat in diſpoſitionem, fol. 128. n. 55. fol. 127. n. 31. V. Voluntas.

PROROGATIO.

Sive extentio de una perſona in aliam non eſt in uſu in officiis Cancellariæ, vel Cameræ, ſed proceditur per viam reſignationis. Cap. 9. n. 1.
Secus in officiis Capitolinis, n. 5. ibid.
Iſteque ſtylus magis laudatur quam admittendi reſignationes, n. 7. ibid.
Et quomodo ſit in uſu extentio, vel prorogatio. Cap. 9. num. 6.

Q

QVALITAS.

ADjecta verbo operatur ſecundùm tempus verbi, fol. 178. num. 52.

QVINDENNIA.

In materia emphyteutica fuerunt introducta ad inſtar quindenniorum, quæ ſolvuntur Cameræ propter beneficia perpetuò unita alicui manui mortuæ, fol. 195. n. 6.

R

RATIO.

VBI eſt eadem, idem Ius ſtatui debet, fol. 177. n. 43.
Finalis comprehenditur ex prœmio, fol. 215. n. 31.

REDDITVS.

Annui, qui temporis progreſſu evaſerunt læſivi, poſſunt à Principe reduci, fol. 184. n. 37.

REFECTIO.

Damnorum temere litigantis dicitur reſtitutio, fol. 203. n. 16.

REGALIA.

Omnia non enumerantur *in cap. unico, quæ ſint Regalia*. Cap. 1. ſub n. 5. verſ. Quamvis.
Dicuntur officia venalia. Dict. Cap. 1. n. 1.
Eorum conceſſio non nocet ſucceſſori quin valeant ab eo revocari, fol. 184. n. 43.
Poſſunt redimi non obſtante præſcriptione immemorabili, num. 44. ibidem.

REGISTRATIO.

Præſumitur concurrentibus curſu longiſſimi temporis, & obſervantia, fol. 201. n. 31. fol. 218. n. 3.
Ejus negativa probatur ex diligentiis factis in libris ubi aliquid erat regiſtrandum, fol. 201. n. 33.
Ejus defectus in Bulla Piana an cenſeatur ſublatus per Confirmationem Sixti V. & Gregorii XV. fol. 225. n. 31.

REGISTRATORES.

Supplicationum in n. 20. Cap. 2. ſub n. 9.
Bullarum in n. 24. ibidem.

REGVLA

Cancellariæ in ordin. 64. & Conſtitutio Sixti V. de offic. non alien. non habet locum in officii de eorum natura reſignabilibus, fol. 219. n. 7.
De iure quæſito non tollendo, non ſolum loquitur de juribus privatorum, ſed etiam de juribus Cameræ, fol. 205. n. 11.
Ejus derogatio debet eſſe ſpecifica, & individua, num. 12. ibidem.
Stante clauſula *ſublata* an poſſit opponi de regula prædicta n. 13. ibid. fol. 219. n. 6.
Pro illius ſufficienti derogatione ſatis eſt, quod conſtet de intentione Papæ, fol. 211. n. 28.
Illius derogatio non requiritur, ubi jus non eſt plenè quæſitum ibid. n. 29.
Sufficit quod derogatio interveniat in confirmatione, quæ omnes defectus privilegii confirmati ſupplet, n. 30. ibid.
Illius derogatio non requiritur in gratia de ſui natura præjudiciali, fol. 219. n. 5. fol. 229. n. 5.
Illius derogationis defectus in Bulla piana cenſetur ſublatus per confirmationes Sixti V. & Gregorii XV. fol. 225. n. 31.
Illius derogatio non eſt neceſſaria, ubi adeſt clauſula *ſublata*, fol. 229. n. 6. & 7.

REINTEGRATIO.

Damni per filium paſſi in legitima propter evictionem in jure vocatur reſtitutio, fol. 203. n. 14.
Impropriè tamen, & extenſivè, n. 15. ibid.

RENOVATIO.

In illis attenditur tempus contractus pro regulanda mercede inveſtiturarum, fol. 177. n. 31.

REPRAESENTATIO.
Excluditur ex perſonalitate, fol. 204. n.31.
Limita quando ex hoc aliquod reſultaret abſurdum, num. 32. ibidem.

RES.
Inter alios acta tertium non afficit, fol. 161. num. 10. & fol. 231. num.5.
Regulariter redimi debet pro eo pretio pro quo fuit vendita, fol. 160. num.2.

RESCISSIO.
Contractu reſciſſo non eſt reſtituendum, niſi quod fuit receptum fol.224. n.26. fol.233. n.20. fol. 237. n.9.
Id procedit ſpecialiter in tranſactione, n. 27. ibid.
Et in alienatione facta per minorem ſine ſolemnitatibus, ibidem.

RESERVATIO DECRETI.
Qui pecuniam dedit ad officium emendum ſi non habet reſervationem decreti nullum jus acquirit ſuper officio, & poſtponitur habentibus decretum, vel reſignatario. Cap.6. nu.6. cum ſeq. ubi declaratur. Cap 10. n.1.
Quid importet, & operetur. Cap.6. n.8. Cap. 10. n.11.
De duabus diverſis ſpeciebus hujuſmodi reſervationis. Dict. Cap.6. n.10. Cap.10. n.2. & 18.
De reſervatione decreti ad favorem Domini, & acquiſitoris comodo officii. Cap.6. n.12.
De differentia reſervationis decreti in officiis ordinariis, & aliis majoribus, & prælatitiis. Cap.7. n.7.
De alia differentia inter reſervationem, quæ conceditur in actu acquiſitionis officii, & illam ex intervallo. Cap. 10. num. 19.
De concurſu creditorum habentium reſervationem decreti. Dict. Cap.6. n.12. & Cap.10. per tot.
Eſt neceſſaria, ut quæratur jus ſuper officii. Cap.10. n.1.
An, & quando importet dominium in reſervatario. Dict. Cap. 10. n.18. & 20.
Reprobatur *deciſio in Romana Societatis officii coram Vicecomite*, n.18. ibid.
Reſervatarius decreti an poſſit illud remittere in præjudicium ejus creditorum. Cap.10. n.21.
Non afficit officium, quod in caſu vacationis liberum revertitur ad Cameram. Cap.10. n.16.
Vacatio officii non præjudicat Creditoribus habentibus hanc reſervationem, quoad bona officialis, n.17. ibid.
Dat facultatem vendendi officium. Dict. Cap. 10. n.15.
Creditores non habentes hanc reſervationem an poſſint impedire reſignationem officii, n.7. ibid.

RESIGNATARIVS.
Non recognoſcit jus ſuum a reſignante, ſed à Papa, & quid operetur reſignatio. Cap.6. n.9. vid.fol.92. n.40. fol.94.ex num.1. fol.100. n.12. fol.107. n.16. & ſeqq. fol.123. n.2. & 5. fol.143. n.11. fol.200. n.24. fol.204. n.33. fol.215. n.25.
Declara quoad titulum officii, qui non eſt in commercio, non quoad approbationem pretii, de quo Princeps non curat, fol.204. n.34.
Qui ſecutus eſt fidem Principis non autem reſignantis non eſt fraudandus pretio perſoluto, fol.108. n.35. & ſeqq.
Officiorum dicitur contrahere cum Papa, unde non eſt fraudandus de pretio reſignantibus exburſato, fol.224. n.18.
Officiorum venalium dicitur ſequi fidem Papæ, & officialium Dataria, fol.229. n.10.
Repræſentat reſignantem, & in ejus jura ſubrogatus intelligitur, fol.170. n.4.

RESIGNATIO.
Qualiter, & à quo conceſſa vide V.Secretarius.
Papa non tenetur præſtare aſſenſum reſignationibus officiorum. Cap.7. n.4.
Et quando poſſit illum denegare præſertim in caſu infirmæ valetudinis, ibid.
Ad quem effectum requiratur, fol.110. n.62.
In qua ætate ſoleat, & poſſit denegari. Dict. Cap. 7. n.5.
Denegari poteſt admiſſio reſignationum officiorum prælatitiorum, n.6. ibid.
De aliis cauſis hujuſmodi denegationis præſertim in officis donatis, n.8. ibid. vide Cap.9. n.19. & 20.
Facultas reſignandi non importat facultatem vendendi, fol.148. n.15.
Quale jus tribuat reſignatario, vbi ex ſola partium conventione concluſa ſit ante beneplacitum Apoſtolicum. Cap. 8. ex num. 1.
Et an interim ſit locus pœnitentiæ ex n.3. ibid.
Quid importet actum reſignationis officii eſſe perfectum, vel imperfectum, n.8. ibid.
Officiorum an dicenda ſit odioſa, & præjudicialis. Cap.9. n.9.
Et de ratione ſtyli admittendi hujuſmodi reſignationes, n.10. ibid.
In ſupplicationibus reſignationum non fit mentio pretii, fol.92. n.38. fol.148. n.25.
Habetur pro impetrata in odium impedientis, fol. 115. n.54.
Aſſenſus Principis authorizat actum, ſed non approbat pretium fol.136. n.19. & 20. fol.148. n.22.
Illud quod reſignans percipit à reſignatario non dicitur pretium ſed præmium reſignationis, fol.144. n.16. fol. 148. n.24.

RESPONSVM.
Boſcoli, & Concioli in cauſa Secretariorum Apoſtolicorum, fol. 181.
Quatuor I. C. Lucenſium, fol.153.
Quamplurium I.C. Taurinenſium, fol. 174.
V. Votum.

RESPVBLICA.
Ejus ſalus eſt inter cæteras leges ſuprema, fol.183. n.34.

RESTITVERE.
Non extenditur ultra acceptum, fol.81. ex n.1. fol.202. nu.2. & 24.
Maximè ſi reſtitutio fieri debeat à Fiſco, fol.203. n.25.
Vide v. Verbum in ſpecie.

RESTITVTIO.
Onus reſtitutionis injunctum per Beatum Pium cui ſit directum, fol.200. n.19. & 20.
Verificari poteſt de re, quæ fingitur accepta, quamvis verè habita non fuerit, fol.203. n.17.
Patet in dote promiſſa, & confeſſata, & in dote exacta à filio, quæ fingitur perveniſſe ad Patrem, ibid. n. 18. & 19.
Item procedit in retractu prælativo, & quomodo ibid. n.20.
Non verificatur niſi in recepto, fol.204. n.37.
Significat emendationem, & ſatisfactionem damni, fol. 214. n.13. & 36.
Vocatur refectio damni debita per emptorem, qui partem pretii non ſolvit juxta terminatos l.curabit C. de act. empt. fol.214. n.14. fol.223. n.7.
Appellatur in jure reintegratio damni erga filium patientem evictionem in legitima, fol.214. n.15.
Dicitur illa ſolutio, quæ fit collitiganti pro expenſis, num. 16. ibidem.
Facienda integrè, & ſine diminutione importat ſecuritatem, damnique evitationem, fol.215. n.32.
Pretii eſt facienda emptori ſecundum id quod ſua intereſt non ſecundum id, quod intereſt venditoris, fol.213. n.41.
Promiſſa totius pretii eſt facienda illis Secretariis, qui conſtituebant Collegium de tempore purificatæ reſtitutionis, fol. 221. num. 4.
Satis eſt quando verificatur reſpectu ejus, qui paſſus eſt debet ſatisfactionem conſequi, fol. 223. n.4.
Vt verificetur ſufficit, quod recipiens tantundem exburſaverit, licet ſolvens tantundem non receperit, fol.226. n.3.

RETRACTVS.
In retractu prolativo retrahens dicitur reſtituere pretium primo emptori, quod ipſi retrahenti ſolutum non fuit, fol.223.n.7.
Verificatur etiam in exercitio juris congrui, ibid. n.8.

REVOCATIO.
Alienationum officiorum vacabilium qualiter fuerit facta à Sixto V. fol.193. n.34.
Privilegiorum etiam ſi de jure fieri debeat operatur, quoad futura, non autem quoad præſentia, fol.220. n.28.

ROTA ROMANA.
Tribunal Rotæ Romanæ fuit per Sixtum IV. reductum ad numerum duodenarium, cum prius non haberet certum, & præfixum numerum. Cap.14. ſub n.17.
Vide in V.Deciſio.

RVBRICA.
Attenditur ad probationem, vel interpretationem, fol. 144. num. 20.

S

SCIENTIA.
Officialis non habentis oraculum Papæ, non infert ſcientiam Papæ, fol.79. n.27.
Dicitur ſcientia ipſius Principis, fol. 100. n.13. fol.124.n.6. fol.224. n.19. fol.226. n.9.

SCRIPTORES.
Apoſtolici ſunt in numero centum. Cap.2. ſub n.9.
Brevium in numero 81. ibid.
Pœnitentiariæ aliàs *minoris gratia* in num. 25. ibid. & tres pro eodem foro, quorum officia non ſunt venalia ibidem.
Archivii in n.91. Dict. Cap. 2. ſub n.12.

SECRETARII APOSTOLICI.
Eorum ſuppreſſio reſpexit ad præbendum utilitatem, fol.183. num. 23.
V. ſuppreſſio.
Fuit eis à Pontifici conceſſa facultas reſignandi officia etiam in infirmitate, fol.187. n.2.

Eorum privilegia à quibus conceſſa, n.4. ibidem,
Quid ſit illis reſtituendum ex Conſtitutiones Innocentii VIII. fol.152. n.1. V. Supreſſio.
V. Collegium.

SENEX.

Equiparatur infirmo, fol.115. n.63.
Præſumitur vivere quinque annis, vel ad minus per annum, n.64. ibid.
Statutum loquens de infirmo verificatur in ſene, fol. 119. n.46.

SERVITVS.

Quæ incepit eſſe damnoſa, & quæ in conceſſione non erat talis redditur inefficax, fol.151. n.20.

SIMONIA.

An verificetur in venalitate, ac reſpectivè officiorum Romanæ Curiæ. Cap. 4. per tot.
De pecuniis diſpenſationum. Dict. Cap.4. n.4. & 5.
Et de iis, quæ obveniunt ab expeditionibus Datariæ, & Cancellariæ ex n.6. ibidem.
Et quare licitè percipiantur, n. 9. ibid.

SOCIETAS OFFICII.

Expenditur in Cap.20. per tot.

SOLLICITATORES.

Vulgo *iannizzari* in n.100. Cap.2. ſub n.9.

SOLVTIO.

Solvere, & reſtituere id, quod non eſt habitum eſt ſpecies, penæquæ ſuponit culpam. Cap.17. n.3.
De caſibus in quibus ſolvitur ultra acceptum, n. 4. ibidem
Vide verba in ſpecie.
Privato aſſerenti ſe ſolvere ex liberalitate creditur ad effectum excludendi obligationem, fol.84. n.40.
Solvere dicitur, qui liberationem quomodocumque conſequitur, fol.108.n.27.
Facta dicitur per mutuatarium non per mutuantem, licet fiat ex iſtius pecuniis, fol.190. n.10.

STYLVS.

Ex in obſervantia eorum, quæque ſunt de ſtylo, arguitur defectus voluntatis in principe concedente, fol. 178. n.62.

SVBREPTIO.

Ne quid de ea opponi ſtante clauſula, *quorum tenores*, fol.151. num. 16.
Idem operatur clauſula *ſublata*, n. 17. ibid.

SVBSTITVTIO.

Concepta in tempus incertum, & remotum comprehendit omnes in infinitum, licet ex proprietate verborum reſtricta videatur ad certas perſonas, fol.229. n.2.

SVBSTITVTVS.

Quando officialis de iſtius facto teneatur. Vide Cap. 19. per tot.

SVPERFLVITAS.

Evitatur quando verba quid minimum operantur, fol. 158. num.37.
Nunquam eſt tolleranda niſi ubi alias ſequeretur abſurdum, fol.159. n.50.
Non eſt admittenda, nec etiam in minima ſillaba, fol.162. n.35.

SVPPRESSIO.

Collegii Secretariorum Apoſtolicorum unde originem, ſeu impulſum ſumpſerit. Cap.5. n.3. Vide Cap. 14. cum ſeq. & fol. 76. cum ſeq. poſt tract. Collegium Secretariorum.
Officiorum an fieri valeat per Principem. Cap.14. ex n.15.
Per reformationem, Collegii officialium non poſſunt removeri officiales, jam extantes. Dict. Cap. 14. ex n. 17. ubi declaratur.
Quale pretium reſtituendum veniat. Cap. 15. cum ſeq. & pleniſſimè, fol.76. cum ſeq. poſt tract.
Et de obſervantia in hoc propoſito plurium Summorum Pontificum, ac etiam Regis Chriſtianiſſimi, fol. 79. ex n. 32.
De jure communi in ſuppreſſione officiorum eſſet refundendum pretium carrens de tempore ſuppreſſionis, fol.209. n.4. fol.215. n.26. fol.217. n.6. fol.220. n.26. v. Princeps.
Quid de Secretariis donatariis, qui pretium non perſolverunt, fol.100. ſub n.19. verſ. eadem pretii reſtitutio cum ſeq.
Et an pretium ſit reſtituendum ſenibus, fol. 104. verſ. poſtremo cum ſeq. fol.111. n.74.
Officiorum ſtante exceſſiva quantitate lucri fieri poteſt, fol. 86. num.13.
Franchitiarum, & exemptionum à gabellis ſi fiat à Principe, quid ſit reſtituendum, fol.92. n.47.

T

THESAVRARIVS.

Eius officium, valor, & quibus conferri ſoleat. Cap.2. num. 6.

V

VACATIO.

Officiorum ſequitur per promotionem ad Cardinalatum. Cap.4. ſub n.3. verſ.2. Cap.13. n.6.
An autem hoc redoleat aliquam pravam ſuſpicionem. Dict. Cap.4. n.10.
Non tamen per promotionem ad Epiſcopatus aliaſque dignitates. Dict. Cap.4. ſub n.3. ibid. V. Cap.13. n.7.
Neque per ſolemnem profeſſionem in aliqua Religione, ibid. Cap.13. n.8.
De vacatione ob mortem officialis, & quænam perſona attendatur. Cap.13. ex n.1.
Quid ubi mors proveniat per manus Iuſtitiæ. Dict. Cap.13. n.3.
Mors reſignantis poſt reſignationem an præjudicet reſignatario, n.4. ibid. de probatione mortis, & cui incumbat onus id agere, n.5. ibid.

VALOR.

Antiquus officiorum longè minor, & de ratione. Cap. 16. n.6. V. pretium.

VENDITOR.

In retroventione non tenetur niſi ad reſtitutionem pretii recepti, fol.205. n.7. V. pactum.
Poteſt redimere cenſum in eodem pretio quamvis fuiſſet intermedio tempore in majori pretio alteri ceſſus, fol.237. n.14.

VERBA IN GENERE.

Diſcretivus modus loquendi, quando ſit operativus, fol.115.n.47. fol.126. n.22.
Non ſunt improprianda, fol. 143. n.8.
Generalia reſtringuntur à ſubſequentibus, fol.148. n.21.
Reſtringuntur ad ipſam cauſam, fol.174. n.45.
Reſtringuntur juxta ſubjectam materiam, fol.175. n.2.
Etiam in conceſſione Principis, n. 3. ibid.
Sub eorum generalitate non cenſetur conceſſum id quod concedens in ſpecie conceſſurus non fuiſſet, fol.178. n.58.
Non extenduntur ad ea, quæ ſine maxima difficultate concedi non ſolent, fol.151. n.12.
Maximè ſi ſint inſolitæ, & retorqueantur in concedentis præjudicium, ibid. n.13.
Et potius tolleranda eſt ſuperfluitas, quam quod verba generalia retorqueantur in grave præjudicium diſponentis, fol. 157. num.18.
Ita intelligenda ſunt, ut ex eis non reſultet inconveniens, neque notabilis læſio, ibid.n.31.
Et præcipuè, ut jus ipſius concedentis notabiliter non lædatur, n.32. ibid.
Dubia ſemper accipienda veniunt in ſenſu minus damnoſo concedenti, maximè ſi concedens agat de damno vitando, fol. 178. num.69.
Sunt interpretanda contra ſtipulantem, ſi urgeat ratio abſurdi vitandi, ibid. n.71.
Item ſi ſtipulans ſe fundet in eis, n.72. ibid.
Declarantur ex procœmio, fol.193. n.18.
Debent intelligi juxta naturam diſpoſitionis in qua prolata fuerunt, & juxta cauſam in procœmio adductam, fol. 157. nu. 20. & ſeq.
Debent intelligi juxta juris diſpoſitiones, n.23. ibid.
Et ſunt interpretanda juxta ſolitum, & conſuetum, & prout fuit obſervatum in alii caſibus, ibid. n.27.
Dubia bullæ, & Conſtitutionis recipiunt declarationem ab obſervantia, etiam ſi contrarius intellectus eſſet de jure verior, fol.161. n.18. & 19.
In obligationibus referuntur ad ea, quæ apparent non ad ea, quæ poterant apparere, fol.177. n.32.
Famulari debent veriſimili monti concedentis, ibid. n.37.
Maximi impropoſito abſurdi vitandi, ibid. n.38.
Eatenus ſunt improprianda, ut juris diſpoſitioni conformentur, ibid. n.42.
Ab eorum effuſo ſenſu, mens comedentis aliena præſumitur, quoties ex eo fraudandi occaſio derivet, fol.178. n.48.
Potius tolerata eorum ſuperfluitas, quam mentis inveriſimilitudo, ibid.n.61.
Indefinita non trahuntur ad futura quoties agitur præjudicio diſponentis, ibid.n.63.
Maximè ſi vergerent tantum ad præjudicium, & non æqualiter ad commodum, ibid.n.64.
Propriè ſunt intelligenda, fol.185. n.8.
Quando habent propriam ſignificationem non eſt deveniendum ad aliam interpretationem, ibid.n.9.
Appoſita in bullis tantum valent quantum ſonant, ibid.n.10.
In dubio ſunt interprætanda contra ſe fundantem in eis, fol.186. num. 24.
Cum in eis nulla eſt ambiguitas non debet admitti voluntа-

luntatis quæstio, fol. 190. numer. 18.
Semper præsumuntur prolata in suo proprio significatu, fol. 192. num. 12.
Famulatoria non inducunt novam dispositionem, fol. 199. n. 11.
Debent inservire intentioni, & ab ea regulari, ibid. n. 12.
Si apponantur in confirmatione, quæ primam concessionem extendant, non attenduntur, sed præsumuntur erronea, ibid. n. 13.
Motus proprii B. Pii V. sunt personalia, & restringuntur ad Secretarios de eo tempore viventes, fol. 201. n. 41. 42. 43.
Libelli sunt benignè interpretanda, fol. 203. n. 8.
Clara non indigent interpretatione, fol. 215. n. 27.
Sunt insimul accipienda ad eruendum verum dispositionis significatum, fol. 226. n. 7.
Improprianda sunt ne recedatur à mente, fol. 231. n. 4.
Obligationis sunt strictæ, & propriè intelligenda, ut quo magis fieri potest obligationem restringant, ibid. n. 7.
Præcipuè in gratia Cameræ præjudiciali, ibid. n. 8.
Ab eorum proprietate non est recedendum nisi id suadeat voluntas disponentis, & materia subjecta, fol. 236. n. 2.
Quoties possunt referri ad privilegia concessa, non trahuntur ad nova tribuenda, fol. 150. n. 8.
Individualibus verbis opus est, ut censeatur inductum novum privilegium in præjudicium Cameræ, fol. 151. n. 9.
Non important præjudicium concedentis quoties ad aliud referri possunt, ibidem n. 10.
Semper accipienda retento eodem themate dispositionis, ibid. num. 11.
Generalitas verborum privilegii non extenditur ad ea, quæ sine maxima difficultate concedi non solent, ibid. n. 12.
Maxime si sint insolita, & retorquantur in concedentis præjudicium, ibidem n. 13.
Sunt improprianda si important sensum contrarium menti disponentis, ibidem n. 15.
Recipiunt restrictiones à Iure inductas, fol. 152. n. 35.
Recipiunt interpretationem à debitis circumstantiis, ibid. n. 34.
Tam in contractibus, quàm in constitutionibus strictè, & propriè sunt accipienda, fol. 153. n. 7.
Sunt interpretanda ad favorem promissoris, ibid. n. 12.
Accipienda sunt secundum eorum propriam significationem, fol. 155. n. 6. & 7.
Vniversalia restringi debent juxta naturam actus super quo emanavit, & juxta verisimilem mentem loquentis, fol. 156. n. 11. & num. 17.
Potius tolleranda est superfluitas, quam quod verba generalia contra verisimilem mentem disponentis in grave ejus præjudicium retorqueantur, fol. 157. n. 18.
Quæ possunt habere plures significationes nunquam debent intelligi in eo sensu, quod sint contra verisimilem mentem disponentis, fol. 158. n. 33. & n. 34.
Item eo modo, ut præcedentes constitutiones non revocentur, vel minus, quam possibile sit, innovatæ, ibid. n. 36.
Cujuscumque privilegii sunt secundum æquitatem intelligenda, ibid. n. 48.
Censeri non debent superflue apposita, ibid. n. 49.
Vbi sunt clara non est recurrendum ad interpretationem, & subauditus intellectus, fol. 160. n. 3.
Quando non sunt ambigua quæstio voluntatis non admittitur, fol. 163. n. 1.
Pro eorum interpretatione requirendus est prius, finis, & occasio, ob quam fuerunt prolata, fol. 165. n. 17.
Pro eo significatu sunt interpretanda qui sit consentaneus materiæ dispositionis, ibid. n. 19.
Intelligenda sunt secundum subjectam materiam, fol. 170. n. 3. fol. 171. n. 9.
Subsequentia clara demostrant quid fuerit intellectum cum precedentibus dubiis, fol. 171. n. 15.
In eorum interpretatione ille sensus est capiendus qui cum ratione, & verisimilitudine congruens sit, fol. 171. n. 18.
Ab eorum significatione recedi non potest nisi manifestum sit aliter sensisse disponentem, fol. 172. n. 26. & 31.
Clara, & litteralia quando dici possint, ibid. n. 27.
Intelligenda sunt juxta consuetudinem loquentis, fol. 173. n. 32.
Singula singulis congrue referenda debent intelligi, fol. 173. n. 41.
Præcedentia declarant sequentia, & è converso, fol. 77. n. 6.
Geminata fortius operantur, ibid. n. 8.
Synonima apponuntur in Constitutionibus Apostolicis, & de ratione, fol. 78. n. 14.
Semper prolata censentur improprio significatu, fol. 82. n. 5.
Præsertim in contractibus quidquid in ultimis voluntatibus, n. 6. ibid.
Et non est admittenda impropriatio nimis præjudicialis, n. 7. ibidem.
Impropriatio esset admittenda ad evitandum summum vigorem, fol. 83. n. 30.
Dubia declarantur ex usu, fol. 84. n. 32.

VERBA IN SPECIE.

Absque diminutione importat restitutionem totius, fol. 190. n. 13. fol. 215. n. 22.
Ad hæc sunt relativa præcedentium, & æquivalent verbis propter prædicta, seu ex causa prædictorum, fol. 233. n. 22.
Importat restrictionem ad præcedenter expressa, fol. 204. num. 15.
Constiterit futuri conjunctivi indicat præteritum, & futurum, fol. 178. n. 54.
Denotat veritatem effectivam atque excludit fictionem, fol. 90. num. 4.
Denuo ac perpetuo statuimus important novam concessionem, fol. 150. n. 6.
Dummodo tamen aliæ demonstrationes, & judicia concurrant, ibid. n. 7.
Eisdem modo, & forma designant omnimodam identitatem, fol. 232. n. 11. & fol. 236. n. 5.
Importat simplicem conformationem, fol. 156. n. 17.
Emisse, & habuisse in quibus verificentur, fol. 78. n. 9. fol. 83. ex n. 27. fol. 199. n. 16. & fol. 203. n. 27.
Important omnem acquirendi modum, fol. 229. n. 9.
Habere denotat causam mediatam, fol. 178. n. 53.
Magis late patet, quam emere, fol. 214. n. 20.
Habuisse continet assignationes de quibus, d. fol. 78. n. 10. fol. 83. n. 27. & seq. fol. 92. n. 48. fol. 99. n. 7. fol. 110. num. 63. fol. 115. num. 52.
Iisdem modo, & forma quid importent, fol. 194. n. 41. fol. 206. nu. 16. & fol. 171. n. 12.
In mio nome significat idem ac *loco mei*, fol. 233. n. 19.
Insolutum habuisse, & emisse differunt, fol. 170. n. 5. & 6.
Nullum est adeo generale, quod inspectis debitis circumstantiis rerum, & personarum non debet civiliter intelligi, fol. 156. num. 14.
Reddere quid importet, fol. 153. n. 10. fol. 154. n. 4. fol. 214. n. 11. fol. 172. n. 29. & 30. fol. 78. ex n. 21. fol. 81. ex n. 3. fol. 100. nu. 15. fol. 143. ex n. 5. fol. 199. n. 15. fol. 203. n. 5. & 9. & fol. 203. num. 24.
Magis late patet quam verbum *restituere*, fol. 189. num. 6. fol. 202. n. 3. fol. 214. n. 4. fol. 164. n. 6.
Restituere quid significet. Cap. 15. n. 10. & seq. fol. 78. ex nu. 19. fol. 81. ex n. 1. fol. 90. ex n. 3. fol. 99. ex n. 6. fol. 107. ex nu. 20. fol. 112. n. 2. & 12. fol. 117. ex n. 7. fol. 124. n. 4. fol. 130. ex n. 1. fol. 141. n. 2 & 3. fol. 143. ex n. 3. fol. 147. ex n. 8.
Refertur proprie ad pretium receptum, fol. 177. n. 29. fol. 182. num. 8.
Et denotat retrodare quodquis accepit, fol. 182. n. 7. fol. 170. n. 2. fol. 172. n. 28. fol. 185. n. 3. fol. 189. n. 1. fol. 190. n. 16. ibid. n. 7. & 8. fol. 231. n. 3.
Non potest verificari in refectione damnorum, & interesse, fol. 199. n. 17.
Impropriè verificatur in solutione non accepti, & in quibus casibus id prædicari possit, fol. 203. n. 6. & 23. fol. 214. n. 1.
Aliquando importat solutionem, ut actus sustineatur, fol. 203. num. 7.
In materia favorabili verificatur in eo quod non fuit habitum, ibid. n. 10.
Item in odium contravenientis, ibid. n. 11.
In Bulla Piana est directum ad Secretarios, fol. 210. n. 17.
Significat idem ac solvere, fol. 214. n. 5. & 6. & fol. 216. n. 37.
Tunc viventibus in Constitutione Piana quid significet, fol. 151. n. 26. fol. 230. n. 7. fol. 213. n. 38.

VITALITIA.

De concessionibus, seu contractibus vitalitiis remissivè. Cap. 3. num. 7.
Vsusfructus an & quando in illis verificetur. Cap. 12. n. 6.
Si fuerint assignata monialis, & deinde extincta cum restitutione pretii quid agendum. Cap. 12. n. 9.
Licita est in iis majoribus fructibus proceptio ratione periculi, fol. 100. n. 18.

VNIVERSITAS.

Aliud est ac singuli de universitate, fol. 206. n. 2.
Mentio eorum qui aliquam universitatem componunt censetur facta collectivè respectu ipsius universitatis non autem intuitu personarum, ibidem n. 2.
Et Collegium nunquam moritur, & semper est idem, ibid. n. 3.
Singuli de universitate, quando teneantur ad debita per eorum antecessores de eadem universitate contracta, fol. 235. n. 35.

VOLVNTAS.

Papæ declaratur ex conjecturis, fol. 186. n. 22.
Ejus quæstio cessat ubi verba sunt clara, fol. 190. n. 18.
Disponentis ex integro dispositionis contextu colligenda est, fol. 191. n. 1. fol. 165. n. 16.
Declaratio dispositionis sine voluntatis dubie desumitur ex facto, & observantia ipsius disponentis, fol. 193. n. 14.
Ex procemio desumitur, ibid. n. 19.
Concedentis tam arguitur ex stylo in concessionibus, vel servato, vel prætermisso, ibid. n. 29. & 44.

Et

Et conſenſus excluditur ex præjudicialitate, fol. 194. n. 38.
Diverſa in diſponente arguitur ex diſcretivo modo loquendi, fol. 196. n. 11, & fol. 206. n. 1. fol. 215. n. 28. fol. 236. nu. 6. fol. 173. num. 39.
Reſultat ex verbis, fol. 226. n. 15.
Concedentis arguitur contradiſtincto modo loquendi, & ex ſtylo, fol. 233. n. 15.
Diſponentis defumitur ex eo quod facere conſuevit, fol. 224. num. 26.

VOTVM.

Rotæ Florentinæ in Cauſa Secretariorum Apoſtolicorum, fol. 146.
Maceraten. ſuper eadem materia, fol. 152.
Senenſis, fol. 149.
Datum per Rotam Romanam in eadem cauſa, fol. 238.
V. Reſponſum.

VSVSFRVCTVARIVS.

Particularis officii de quo participet, & ad quid teneatur. Cap. 12. num. 6.
Quid ubi proprietarius velit ponere in tuto proprietatem, n. 7. ibidem.
Quid de uſufructuario univerſali plurium bonorum, & Iurium interque ad ſit officium. Dict. Cap. 12. n. 10.
Non poteſt cedere uſufructum quoad ſubſtantiam, ſed ſolum quoad commoditatem niſi accedat conſenſus proprietarii, fol. 144. n. 12.
Idemque procedit in penſionibus aliiſque Iuribus vitalitiis, ibid. n. 15.

VTILITAS.

Publica inquocumque actu dicitur excepta, fol. 176. n. 17.
Diſſolvit conceſſiones oneroſas ex natura rei, ſi ceperit eſſe damnoſa abſque obligatione reſtitutionis pretii, fol. 177. n. 26.
Vel ad ſummum cum obligatione refundendi acceptum, ibid. n. 27.
Primo declarat, & reſtringit privilegium, deinde ſi opus eſt illud in totum revocat, ibid. n. 28.
Privato commodo eſt ſemper præferenda, fol. 89. n. 58.

FINIS.



JO. BAPTISTÆ

CARD. DE LUCA

TRACTATUS

DE LOCIS MONTIUM

NON VACABILIUM URBIS.

INDEX ARGUMENTORUM.

CAP. I.

De occaſione ſcribendi. Quidnam iſta Loca Montium importent; De illorum variis ſpeciebus, & quam ſpeciem bonorum conſtituant, an ſtabilium, vel mobilium, ſeù tertiam jurium, & actionum, & quo loco circumſcribantur.

CAP. II.

Quomodo iſta Loca ſint in commercio, tam reſpectu alienationis, quàm obligationis, & hypothecæ, & quando tranſeant libera in emptorem.

CAP. III.

De reductione, ſeù diminutione, ac etiam ſuſpenſione, vel omnimoda denegatione fructuum Locorum Montium, an, quando, & quomodo fieri poſſint.

CAP. IV.

De eorumdem Locorum Montium extractione, vel extinctione, & quidam ſit reſtituendum pro pretio.

CAP. V.

De aliquibus privilegiis Locorum Montium, & Montiſtarum.

CAP. VI.

De Montibus, quibus Camera, & Sedes Apoſtolica reperitur gravata ex cauſa Fidei Chriſtianæ & reſpectivè Catholicæ.

CARD. DE LUCA

TRACTATUS

DE LOCIS MONTIUM NON VACABILIUM VRBIS.

De occaſione ſcribendi, & quidnam iſta Loca Montium importent. De illorum variis ſpeciebus, & quam ſpeciem bonorum conſtituant, an ſtabilium, vel mobilium, ſeù tertiam jurium, & actionum, & quo loco circumſcribantur.

SUMMARIUM.

1 *Occaſio ſcribendi.*
2 *De vocabulo* Mons *quid ſignificet.*
3 *De Monte Pietatis.*
4 *De exceſſivis uſuris temporum decurſorum.*
5 *An in Monte Pietatis ratione mutui detur uſura.*
6 *De Monte frumentario.*
7 *De Montibus dotium, & familiarum.*
8 *De aliis ſpeciebus Montium remiſſivè.*
9 *De ſpecie Montium, de qua agitur in hac tractatione, & quid propriè ſint Loca Montium Cameralia.*
10 *Quod in præſenti tractatione agatur de Locis Montium non vacabilibus.*
11 *De originè, & uſu Locorum Montium.*
12 *Quod diverſitas nominum, ſeù vocabulorum non alteret, ſed omnium huiuſmodi jurium eadem ſit natura.*
13 *Loca Montium ſunt de Regalibus.*
14 *Quale ius habeant Montiſtæ ad vectigalia, aliaque jura regalia.*
15 *Loca Montium habentur pro bonis ſtabilibus.*
16 *Circumſcribuntur loco, & cujus locis eſſe dicantur.*
17 *De Civitatibus Bononiæ, & Ferrariæ.*
18 *De differentiis inter cenſus, & loca Montium.*
19 *De introductione utriuſque contractus, cenſus nempè, & locorum Montium.*
20 *De Montibus Baronalibus quales verè ſint, & quales de tertia ſpecie.*
21 *An Montes Baronales ſint de regalibus, & non in privato commercio.*
22 *An hæc introductio utilis, & commendabilis, vel potiùs damnoſa, & damnabilis cenſenda ſit.*
23 *De utilitatibus, quæ Principi, & Reipublicæ reſultant ab erectione Montium.*
24 *A pecunia nimium pendet ſalus, & conſervatio Reipublicæ.*
25 *Quod iſta introductio ſit proficua populis, privatis commodis.*
26 *Ac etiam Baronibus.*
27 *De damnis, & præiudiciis, quæ è converſo iſtæ erectiones Reipublicæ cauſant.*
28 *Quod iſta ſit calamitas aliis omnis omnibus peior.*
29 *De præiudiciis Baronum.*
30 *Quod introductio ſit præiudicialis populis, & agriculturæ, ac mercaturæ,*
31 *De præiudiciali capacitate forenſium.*
32 *Declaratur propoſitio, quod expediat trahere ad Principatum pecunias exterorum.*

CAP. I.

IDem, quod initio uberioris tranſactionis venalium officiorum vacabilium Romanæ Curiæ inſinuatum eſt, in 1
iſta quoque breviori tractatione locorum Montium Urbis contingit, quod ſcilicet contra negotiorum regularem curſum, à particularibus deventum eſt ad univerſalia, quibus illa occaſionem præbuerunt. Cum enim circa initium decurſi decimi ſexti ſæculi de anno ſcilicet 1526. per Clementem Septimum, pro ſubſidio belli Chriſtianorum contra Turcas in Hungaria, facta eſſet erectio Montis in Urbe, cui propterea *Fidei* nomen attributum fuit, cum fructibus ad rationem decem pro centenario, ſolvendis ex redditibus Dohanarum Urbis, aliiſque juribus Cameræ, cum facultate redimendi, eodemque anno, & ex eadem cauſa fidei, conſimilis erectio facta eſſet in Civitate Bononiæ in ſcutis auri cum fructibus ad rationem octo, cum pacto irredemibilitatis, aſſignatis pariter quibuſdam effectibus ad Cameram Apoſtolicam pertinentibus, aliaſque ſimiles erectiones poſtmodum in eadem Civitate Bononiæ ex eadem cauſa feciſſent Paulus Tertius, & Julius Tertius, atque adhuc continuaretur in ſolutione fructuum, ad eamdem rationem octo pro centenario, idque reputaretur nimium exorbitans, & Cameræ læſivum, attento ſtatu præſenti, unde propterea Innocentius Undecimus, adeò intentus Cameræ, & Populorum levamini, mandavit fructuum reductionem ad ſummam currentem aliorum locorum Montium, quatuor ſcilicet pro centenario, facultate Montiſtis attributa repetendi ſortem, quatenus vellent; Hinc ad iſtam determinationem juſtificandam, deſuper edidi diſcurſum pro veritate, cum fundamentis, de quibus infra Cap. 3. idque occaſionem dedit annotandi ea, quæ generaliter in hac materia digna viſa ſunt annotatione, eodem retento ſtylo, qui in alia enunciata officiorum tractatione adhibitus eſt, abſtinendi ſcilicet à nauſeante inutili cumulo allegationum, contentus inſinuare loca mei Theatri, ubi poterit ſibi ſatisfacere curioſus. Accedente potiſſimè eadem conſideratione ibidem inſinuata, quod ſcilicet cum ſolo memoriæ beneficio, ſine libris, & ſine tempore in ſucceſſivis horis, ſub magna negotiorum mole, opus in eadem aula Vaticana peractum eſt. Neque ſuperfluum, vel inutile opus dici poſſe videtur, ex eo, quod pleraque in eodem Theatro in Regalium ſede jam dicta ſint, quoniam inutile, & ingratum non eſt ex pleriſque floribus per agrum ſparſis faſciculum, gratia majoris commoditatis, majoriſque oblectamenti componere, ut ſic habeantur unita ea, quæ abſque hac methodo in præfato, aliiſque locis inſinuata ſunt, nonnullas conſiderationes, gratia majoris elucidationis veritatis addendo.

Aſſumendo itaque primam thematis partem, quid ſcilicet iſta loca Montium importent; Montis vocabulum in utroque civili, & canonico jure, & apud latinæ linguæ profeſſores denotat ſolum Montem naturalem, ſeù materialem, conſiſtentem in ea terræ parte, quæ notabiliter ſupra valles, & planitiem elevata eſt, cum illa pars, quæ non multum elevatur, collis propriè dicatur, quare hoc vocabulum Montis ficti, ſeù formalis, vel intellectualis prodiit à tempore moderno, 2
poſtquam ob tot nationum mixturam in Italia adeo magna vocabulorum, & verborum corruptio ſequuta eſt, illudque denotat omnem cumulum, ſivè omnem maſſam, vel collectionem pecuniarum, vel frugum, aliarumque rerum, quæ ad publicum uſum, publicamque majorem commoditatem, cum publica auctoritate, & quandoque etiam privata, pro aliquo publico opere pio, vel prophano facta ſit, adinſtar Montis materialis, qui etiam ex humano opere cum plurium rerum collectione ſit efformatus, ut (exempli gratia) in Urbe verſus Baſilicam Sancti Pauli cernitur ille Mons, qui Teſtaceus dicitur, cum ſimilibus.

Pro frequentiori verò, Italiæ præſertim praxi, iſtud Montis vocabulum in omni penè Civitate, oppido, & loco habetur in uſu, denotans illam piam, prudentem, & charitativam pecuniarum maſſam, quæ ex publica auctoritate, & proviſione, alicubi verò etiam ex privatis piis diſpoſitionibus, juxta laudabilem introductionem Sancti Antonini Archiepiſcopi Florentini, & B. Joannis de Capiſtrano, aliorumque proborum virorum, illorum adeò corruptorum temporum, & morum deſtinata eſt pauperum, & indigentium honeſtæ ſubventioni, cum gratuito mutuo ad tempus, 3

cum pignorum cautela, ut ità indigentes pecuniis, præserventur à fœneratorum suffocationibus, & à gravissimis usuris, vel abstineant ab illis malis, & delictis, ad quæ inopia quandoque cogit, undè propterea meritò iste Mons pius, vel pietatis appellatur, atque à Sacro Concilio Tridentino, & ab Apostolicis Constitutionibus valdè commendatur, adeòut in provisionibus Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum in decreto Conciſtoriali adiici soleat noviter provisis præceptum, ut Montem Pietatis, ubi non adsit, erigi curent.

Et quidem etiam nostris temporibus ista pia provisio magna commendatione digna censenda est, majori in illis tem-
4 poribus, in quibus ejus introductio sequuta fuit, quando ob pecuniarum penuriam, aliasque illorum temporum calamitates adeò usuræ excreverant, ut in anno sortem adæquarent, ideòque essent ad centum pro cento, atque ità verificaretur illa simplicitas, in quam inciderunt Bartolus, aliique Juristæ antiqui, & medii, opinantes, quod istæ essent illæ usuræ centesimæ, de quibus loquuntur leges civiles, quamvis re vera istæ, utpotè sortem adæquantes quolibet centesimo mense, importent ad rationem duodecim pro centenario; modernioribus verò temporibus, etiam proximè decursi sæculi, quando commercium aliquam majorem receperat latitudinem, adhuc nimium excessivæ erant usuræ, ut quolibet triennio sortem adæquarent, & sic ad rationem 33. pro centenario. *a* Unde liquet quam ingentem pietatem istud opus contineret. Et quamvis super hac specie Montis, quando mutuum non esset omninò gratuitum, sed pro eo aliqua accessio ad mensuram temporis recipiatur, antiquiores Morales nimium certaverint, & cum
5 quibus se involuunt quoque moderni transcriptores, an ista accessionis receptio illicita, & usuraria censenda sit, distinguendo, an solum commensurari debeat expensis Ministrorum pro manutentione operi, vel etiam haberi debeat ratio periculi peremptionis, vel deteriorationis pignorum, & decoctionis debitorum, aliorumque accidentium. *b* Nihilominus præsertim in Italia isti labores frigidi, & inutiles videntur, dum per Apostolicas, vel synodales Constitutiones, aliasque publicas bene regulatas provisiones, super hoc benè consultum est.

6 Ad instar item istius pii Montis pecuniarii, in plerisque locis, licet non adeo universaliter, quidam Mons pius practicari solet, consistens in cumulo alicujus quantitatis frumenti: unde propterea Mons frumentarius appellari solet, ad eumdem finem, vel effectum introductus, ut scilicet ad occurrendum gravibus usuris, & fœneratorum concussionibus desuper fieri solitis, suffocatis indigentibus, fiat gratuitum frumenti mutuum agricolis, aliisque operariis pro semine, & pro victu operariorum, aliisque expensis, dum in hoc monte dignoscitur etiam favor publicus agriculturæ, istudque opus videtur diversum, utpotè diversum habens finem, vel effectum ab altero, quod in eadem re frumentaria percutit publicam annonæ, vel abundantiæ vocabulo, explicari solitum.

Prout idem vocabulum adhiberi solet in illis collectionibus, vel multiplicis, aut distributionibus fructuum bonorum
7 desuper assignatorum, quæ ex privatis dispositionibus practicantur pro subventione dotali puellarum alicujus, vel plurium familiarum, vel generum personarum, & vulgò dicuntur *Montes maritagiorum*, ut præsertim docet praxis in Civitate Neapolis, ex pluries insinuatis in Dotali sede, *c* Vel pro subsidio alimentario virorum familiæ, vel familiarum pro istarum decore, & nobilitate conservandis, ut præsertim frequens praxis docet in Civitate Januæ, ex pluries insinuatis in sede Fideicommissorum, & in altera Legatorum, & alibi. *d*

Quidquid autem sit de præmissis, aliisque montium speciebus, quarum plures diligenter enumerant, distinguunt ali-
8 qui moderni, usuraria tractantes materiam, ob usuræ dubium, quod in eis cadere aleat. *e* Hujusmodi inspectiones extraneæ sunt à nostro proposito, quod est agendi de illa montium specie, quæ consistere dicitur in illis publicis, & regalibus redditibus, quos Princeps supremus, ejusque
9 Camera, vel Respublica habens regalia, & jura supremi Principatus, assignat illis, qui pecunias ei accommodant pro publicis indigentiis, tanquam per speciem census consignativi, ad rationem tot pro centenario singulis annis, donec soluta pecunia in sorte, restituatur singulis scutorum centenis, unum assignando locum, puta quia Camera Principis, vel Respublica pro bello, vel pro aliis accidentibus indigens magna, & prompta quantitatem pecuniarum, quam cum eis bonorum, vel jurium annuo, vel aliàs temporaneo fructu, sive emolumento promptè obtinere non potest, curat vendere, vel oppignorare proprietatem, vel sortem principalem, ut ità habens (exempli gratia) ex publicis vectigalibus, aliisque regalibus juribus annum redditum scutorum centum millium, promptam obtineat summam duorum millionum, vendendo, vel oppignorando dicta jura, cum cujus redditibus solvat accomodantibus pecuniam, fructum ad rationem scutorum quinque, vel quatuor pro centenario, donec acceptam pecuniam restituat, atque debitum redimat, tanquam per speciem impositionis census consignativi, cui hæc loca Montium, vel similia jura Doctores assimilant, quamvis aliquæ dignoscantur differentiæ inferius recensendæ, ità constituendo tot loca, seù portiones, quot sunt scutorum, quæ recipiuntur, centena, sivè ista sint scuta monetæ, sivè sint auri, cum ista differentia percutiat solum modum solutionis fructuum, & restitutionis sortis, ut infra Cap. 3. & 4. dum alii solent esse Montes in moneta, & alii in auro.

Quamvis autem hæc loca Montium sint de duplici specie, 10
quod scilicèt, alia sunt vitalitia, seù vacabilia, & alia non vacabilia, nec vitalitia sed perpetua, eodem modo, quo habetur in præmissis censibus consignativis, quod alii sunt perpetui, & alii vitalitii, ut in sua Censuum sede habetur: Nihilominus de perpetuis, & non vacabilibus in hac tractatione solùm agitur, cum respectu vitalitiorum, seù vacabilium, deserviat, & opportuna sit potiùs altera præcedens latior tractatio officiorum venalium, & vacabilium, dum ea, quæ ibi de hujusmodi officiis dicta sunt, adamussim, & in omnibus congruunt istis locis Montium vacabilibus, quæ habere videntur speciem illorum officiorum popularium tertiæ classis, quæ nullam habent annexam administrationem, nullaque in eis electa dicitur industria personæ, sed sunt ad solum negotium, & interesse bursale.

De quo verò tempore, & in quibus Principatibus, vel Civitatibus hujusmodi locorum Montium usus cum Principe, vel cum Republica primitus irreserit, incertum est, illo- 11
rum tamen mentio incidenter, vel præsuppositivè habetur apud antiquos Juristas, cum quibus medii pertranseunt *f* loquentes de Civitatibus Venetiarum, Januæ, Florentiæ, Bononiæ, dum præsertim in Italia, iste usus omnibus Principatus, vel dominiis communis videtur, ut etiam verificatur in Hispaniis, aliisque Regionibus ultramontanis, cum eadem ratio omnibus congruat, & per consequens ubique hujusmodi locorum montium, vel jurium, quibuscumque explicentur vocabulis, eadem est natura, 12
præsertim circa libertatem commercii, & alia, de quibus in progressu, cum in substantia idem importent, licet pro diversis locorum stylis diversas habeant nuncupationes, vel terminos, quoniam in Civitatibus Romæ, Bononiæ, Ferrariæ, & aliis dicuntur loca montium; In Civitate Venetiarum dicuntur pecuniæ in Banco, vel in Zecha, in illa Januæ dicuntur comperæ in cartulario S. Georgii, in Civitate Neapolis dicuntur fiscalia, & respectivè redditus super arrendamentis, Mediolani dicuntur jura super datiis, & in Regnis Hispaniarum dicuntur jura cum Rege, cum similibus vocabulis parum curandis, cum potiùs curanda, & attendenda veniat substantia; Et per consequens, licet in hac tractatione agatur solum, & principaliter de locis montium non vacabilium Urbis; nihilominus ab iis, quæ istis agendo dicuntur; inferri potest ad omnia alia similia jura, & è converso ab iis, quæ reperiuntur scripta de præfatis aliis juribus, rectè ad ista loca argui, & inferri potest, attenta identitate rationis, quæ omnibus est communis. *g*

Ubique igitur ista loca montium, vel similia jura, ex eo, quod sint cum supremo Principe, & super publicis, ac regalibus juribus, dicuntur de regalibus, eamdemque sortiri 13
videntur naturam, ac ipsamet vectigalia, aliaque jura publica, & regalia, super quibus fundata sunt, quamvis nullum istorum dominium, vel possessio in ipsos Montistas transeat, cum solùm eis competat actio ad illorum fructus, vel redditus, quoniam neque hæc actio super juribus regalibus dari potest ex privatis conventionibus, sed necessaria est supremi Principis auctoritas, sine qua propterà non dicuntur esse in commercio, atque exinde provenit eorum libertas, ut particulariter, & latius in Cap. seq.

Prout generaliter est hodiè passim receptum, præsertim verò in

rò in Curia in his locis montium, quod quamvis fundata
non sint super veris bonis stabilibus soli, sed super vectigali-
15 bus, & gabellis, aliisque juribus intellectualibus potiùs,
quàm veris: nihilominus reputantur tanquam bona stabilia,
sub quorum nomine, & dispositione veniunt, licèt non de-
sint dubitantes occasione Bullæ Baronum, an ista loquens
de bonis, compræhendat loca montium, exindeque sequi-
tur, quod circumscribuntur loco, non quidem illo, in quo
existant bona, seù vectigalia, & jura, super quibus fundata
sunt, *h* sed censentur de Civitate dominanti Principatus,
in qua facta esi montium erectio, ac destinata solutio, & per
16 consequens quoad istum Principatum censentur de bonis exi-
stentibus in Urbe, *i* præterquam, pro meo judicio, quoad
illos montes Camerales, qui super vectigalibus, aliisque ju-
ribus Cameralibus erecti sunt in Civitatibus Bononiæ, &
Ferrariæ, in quibus receptum est pretium, ac etiam destina-
17 ta solutio fructuum, & altera restitutio sortis in casu redem-
ptionis, vel extinctionis quamvis erectio facta esset in Ur-
be, cum istæ Civitates habere videantur quoddam regimen
proprium, & contradistinctum à reliquo statu, ita quodam-
modo (licet impropriè) efformando quosdam Principatus
subalternos.

Item quamvis tam Juristæ, quàm Morales, ut præmis-
sum est, ista loca montium, vel similia jura assimilent censi-
bus consignativis, quasi quod in effectu Montistæ videantur
18 tot creditores censuarii Principis; nihilominus hæc æqui-
paratio intrat per quamdam assimilationem impropriam,
& in parte, non autem propriam, & in totum, cum ple-
ræque differentiæ inter unam, & alteram jurium speciem
dignosci videantur. Primò nempè, quoniam in contractu
censuali ad præscriptum Constitutionis B. Pii Quinti requi-
ritur de forma pecunia numerata in ipso actu creationis, co-
ram Notario, & Testibus, quod cautum non est in locis
montium, quæ pro antecedenti credito, vel ex alia causa pos-
sunt concedi. Secundò, quoniam ad evitandum dubium cen-
sus personalis, super quo adeò Theologi certarunt, atque ad-
huc certare non desinunt, census exigit certum fundum,
certis finibus designatum, ac fructiferum, & capacem, cu-
jus contrarium habetur in locis montium, quoniam licet pro
montis dote assignari soleant certa bona, seù certa vectiga-
lia, aut jura, ex quorum fructibus, vel emolumentis solven-
di sint fructus Montistis; nihilominus id fieri solet pro cau-
tela Montistarum, istisque solvendis, & pro accomodatio-
ne scripturæ, & evitanda confusione, dum in reliquis genera-
liter obligantur omnia bona, & jura Cameræ, atq; in aliquibus
Principatibus hæc specificatio fieri non solet, sed generaliter,
& indefinitè montes eriguntur super juribus, & effectibus publi
cis. Tertiò corollariè, quoniam in censu, si fundus censitus pe-
rit, sine facto, & culpa debitoris, perit ipse census, atque si effi-
ciatur infructiferus, aut minoris fructus, adeo vt non sit capax,
cessant, vel diminuuntur fructus, quod de jure non procedit
in locis montium, ut infra in cap. 3. & 4. ubi latius. Et quartò
circa repetibilitatem pretii ex parte creditoris, & redimibilita-
tem ex parte debitoris; In censu namque sors est demortua, &
perpetuò irrepetibilis ex parte creditoris, contrariis pactis vi-
tiatis, & ex parte debitoris est perpetuò redimibilis, in mon-
tibus autem secus, ut infra Cap. 4. cum plerisque aliis diffe-
rentiis, super quibus inane opus videtur immorari. Consi-
derando quoque differentiam temporis, & majori antiqui-
tatis montium, quam censuum; Siquidem de montibus ha-
19 bemus Baldum, aliosque supra enunciatos antiquos Aucto-
res, præsupponentes illorum usum, cum incerto principio,
jam vigentem generaliter in Civitatibus Italiæ, ac etiam ex-
trà. Census verò consignativus ignotus fuit antiquis Juristis,
atque Italia introductionem habuit à quodam usu Aragonen-
sium, vel Cathalanorum sub Rege Alphonso Primo, &
Pontifice Nicolao Quinto in solis Regnis utriusque Siciliæ,
de prædicti Regis dominio effectis, unde paulatim irrepsit in
alias Italiæ partes, & Provincias, ad quas etiam provenire
potuit ex ejusdem contractus usu, qui circa eadem tempora
irrepserat in Germaniam: unde prodierunt Constitutiones
Martini Quinti, & Calixti Tertii, quibus non obstantibus,
adhuc continuatum fuit super dubietate ejus validitatis, do-
nec supervenit enunciata Constitutio B. Pii V.; *l* Ideoque
prorsus vanum videtur assimilare loca montium censibus, at-
que ab istis illa regulare.

Procedunt hæc in locis montium fundatis super publicis
vectigalibus, aliisque juribus regalibus, ad Cameram supre-
mi Principis pertinentibus, & quæ propterea Cameralia di-
cuntur, quoniam attenta origine, sivè introductione, ac
etiam praxi, iste est frequentior, & regularis hujusmodi loco-
rum montium usus; Adhuc tamen ex posteriori introductio- 20
ne aliæ habentur eorum species, quæ vulgò, ad differentiam
Cameralium, dici solent Baronalia, ex eo, quod non su-
per publicis bonis, & juribus Cameræ Principis montes
erecti sint, sed super aliis bonis, & redditibus. Verùm
error est cum hac generali distinctione Cameralium, & Ba-
ronalium procedere, quoniam adsunt quidam montes, qui
verè, & propriè dici non possunt Camerales, utpotè erecti
super bonis, & juribus ad Cameram directè, & propriè
non pertinentibus, sed neque dici possunt Baronales, quia
non super bonis Baronum, vel privatorum, sed potiùs con-
stituere videntur quamdam tertiam speciem, quæ Camerali
potiùs approximat, quia nempè sunt erecta super aliquibus
bonis, vel juribus, quæ publica potiùs, quàm privata di-
ci merentur, atque sunt sub Principis, ejusque Magistra-
tuum regimine, administratione, & protectione; unde
propterea de Cameralium natura potiùs participare videntur,
atque de facto penè talem apud Populum, & apud negotiato-
res habent existimationem, vt (exempli gratia) in Urbe
sunt montes super bonis, & juribus Annonæ, de qua est quæ-
stio, an sit idem, quod Camera. *m* Vel sunt montes super
bonis, & juribus Fabricæ Sancti Petri, & essent montes ere-
cti per Hospitale Sancti Spiritus in Saxia, & per Montem
Pietatis, si essent non vacabiles cum similibus. Ac etiam sunt
montes Communitatum Status Ecclesiastici. Baronales
verò sunt illi montes, qui cum Pontificia licentia, & auctori-
tate sunt erecti per Barones, & Domicellos, aliosque no-
biles viros, quibus in hoc Papæ gratificari placuerit, super
eorum castris, & bonis jurisdictionalibus, ac etiam super
tenutis, aliisque prædiis, & bonis fructiferis, quæ pro mon-
tis dote assignari solent, ut ex eorum fructibus soluantur fruc-
tus Montistis, cum quodam privilegio potioritatis, de quo
infra Cap. 5.

In ista verò specie montium Baronalium, de stricto jure, 21
intrare non deberet id, quod superiùs dictum est de Came-
ralibus, ut sint de Regalibus, & per consequens absque con-
cessione, vel auctoritate supremi Principis, vel Officia-
lis per eum deputati, non sint in privato commercio, dùm
in hujusmodi bonis de privato dominio existentibus non
intrat illa ratio, quæ intrat in vectigalibus, aliisque publi-
cis, & fiscalibus juribus, vel bonis, quæ sunt de regalibus
Principis. Adhuc tamen usu receptum est, ut pro commer-
cii libertate, de qua Cap. seq. eamdem sortiantur naturam;
Idque, loquendo etiam à priori, non est à ratione alienum,
ob auctoritatem, & publicam ejus fidem, quam desuper in-
terponit Princeps, quasi quod ità occultari dicatur quidam
actus inter Principem, & Baronem, vel privatum montis
erectorem, ut iste assignare dicatur hæc bona Principi, pe-
nes quem afficiantur publica, & regalia: Ideòque ità publi-
cam Principis fidem potiùs, quàm privatam Baronis Monti-
stæ sequi dicantur, ad instar eorum, quæ habentur in Majora-
tibus Hispaniarum circa differentiam inter illos majoratus,
qui cum sola erectorum privata voluntate, & potestate eri-
guntur, & illos, super quibus regia, & publica interponitur
auctoritas, & qui ad differentiam qualificati dicuntur, ut la-
tiùs in suis sedibus, de his agendo habetur. *n*

Quamvis enim in hoc sufficere videretur allegare praxim,
& receptum usum, ratione non destitutum, ob favorem pu-
blici commercii: nihilominus, quando aliqua juridica
ratio etiam à priori exquiri, & assignari potest, immoran-
dum non est more insipidorum, & contemptibilium superfi-
cialium Pragmaticorum in sola praxi, vel observantia, in
qua vulgus leguleicum hodiè solùm, aliud non inquirendo im-
morari, ac pedes figere solet. Datur tamen casus, quod hæc
loca verè, & in substantia baronalia, utpotè in gratiam Baro-
num, & super eorum bonis fundata, juridicè sint Cameralia,
quia nempè facta per Papam erectione alicuius montis Ca-
meralis in gratiam Cameræ, & super eius publicis bonis, vel
iuribus, admittatur tamen aliquis Baro, vel alter privatus ad
additionem alicuius maioris numeri locorum, pro quorum
fructuum solutione idem Baro præstat assignamentum, quo-
niam, iuxtà consuetas formulas, ista loca sic addita confun-
duntur cum aliis locis montis Cameralis iam erecti, eamdem-
que assumunt nuncupationem, & naturam, & tamquam ta-
lia sunt in commercio, quod quandoque non leuia inconve-
nientia, & præiudicia parere solet, ut infrà in Cap. 4.

Demum sub hoc proœmiali Cap. ad aliquam istius materiæ

22 prænotionem remaneret inſpiciendum, an iſta montium introductio proficua fuerit Reipublicæ, tam Principibus, quàm Populis, ut propterea commendatione digna cenſenda ſit, vel potiùs è converſo damnoſa, & præjudicialis, ideòque damnabilis; ſed quoniam nimis problematica eſt quæſtio, cujus formalis diſputatio exigeret particulare volumen, magnamque præferret digreſſionem, inutilem foro practico, pro quo iſte labor adhibetur, cum potius id pertineat ad Polyticos, idcircò aliis hæc diſputatio, & judicii interpoſitio reſervatur, ſolumque obiter aliqua inſinuantur, utriuſque ſententiæ argumenta, & rationes, ut iis ponderatis, & aliis, quæ cum majori otio, majorique ingenio poterunt excogitari, ità polyticarum rerum profeſſores judicium deſuper efforment.

Pro illa namque ſententia, quæ credit proficuam, & commendabilem iſtam introductionem; Quatenus pertinet ad Principem, bonumque Principatus regimen, conſiderari poteſt, id magnam præferre commoditatem, qua mediante maxima utilitas reportari poteſt, vel maximum
23 damnum evitari, pro novis conquiſitionibus faciendis, vel reſpectivè pro conſervando Principatu, ac Populorum ſalute, & quiete, dum in belli, vel peſtis, aut famis accidentibus, & calamitatibus non benè conſuli poteſt cum currentibus fructibus, & proventibus vectigalium, aliorumque bonorum, jurium Principatus ſed neceſſaria eſt ingens quantitas prompta pecuniarum, à qua vita, & mors, vel
24 ſalus, & infirmitas Reipublicæ in politicis pendere ſolet, neque melior adeſſe videtur modus id aſſequendi.

Privatorum quoque, & populorum commercio nimium commodam, & proficuam hujus ſententiæ ſequaces hanc introductionem reputant, quod ſcilicet cum hujuſmodi in-
25 veſtimentis magis commodè, & promptè, ac tutè comparantur redditus pro congrua ſubſtentatione, & quotidianis uſibus, & indigentiis, quàm ſit cum fructibus naturalibus, vel induſtrialibus prædiorum, vel cum periculoſis, & laborioſis induſtriis, & negotiationibus, ut infrà in Cap. 2. & 3. advertitur.

Et quoad Barones, qui Principum adinſtar, de huiuſmo-
26 di montibus eſſe ſolent ſolliciti, magna conſiderari ſolet utilitas: undè propterea pro magno favore, & gratia id reputare conſueverunt, ob longè magis moderatum fructum locorum montium, quàm ſit ille cambiorum, aliorumque interuſuriorum, & uſurarum, quibus pro quadam conſueta, peneque connaturali mala adminiſtratione ſolent ſubjacere, ita ſe ab eis liberando.

E' converſo diverſæ ſententiæ ſequaces, quatenus pertinet
27 ad Principem, & Principatum, conſiderant, quod ita eſt ſupplantare ſucceſſores, & in perpetuum indirectè facere illas proprietatis alienationes, quæ expreſsè, & directè ſunt prohibitæ, ita eradicando fundos, & depauperando in perpetuum Principatuum, ac tollendo Principi poteſtatem ſupprimendi gabellas, & onera, & ſublevandi populos ſubditos, & adeout major cenſenda veniat iſta calamitas, quàm ſint omnes aliæ currentes, & accidentales calamitates, tempeſtatum, ſterilitatum, incendiorum, inundationum, ſeù peſtis, vel belli, quoniam ceſſante aliqua ex hujuſmo-
28 di calamitatibus ſubeſt ſpes, & potentia recuperationis priſtinæ ubertatis, vel quietis, quæ ſpes ita ſublata eſt cum omnimoda alienatione proprietatum, quibus defectis, ſublatus remanet impoſterum modus providendi in aliis indigentiis, & calamitatibus. Ac etiam quia ob illam affluentiam, & magnam quantitatem promptæ, & numeratæ pecuniæ, quæ ità obtinetur, multæ fiunt inutiles impenſæ, & profuſiones, multæque fiunt indebitæ, & imprudentes elargitiones, aliàs non faciendæ.

Quoverò ad Barones, experientia docet, quod ita longè majora efficiuntur interuſuria, dum ob onus ſolvendi fructus quolibet bimeſtri, Depoſitarii, qui diligentes campſo-
29 res eſſe ſolent, ut ſemper ſequitur, illos negligentes promptè ſuppeditare pecunias, ponunt ſub cambiis, & recambiis, ut ita magnum patiantur anathociſmum, & fructuum ſuperfœtationem.

Et quoad populorum Rempublicam, ſive Univerſitatem, adhuc introductio nimis pernicioſa, & damnabilis reputatur, utpotè valdè præjudicialis agriculturæ, & negotiationi, ac induſtriæ, dum ita homines otio dediti, utpotè cum hujuſmodi commodis redditibus viventes, ſegniores effecti ſunt.

30 Conſiderari quoque ſolet illud principatus, vel Reipublicæ magnum damnum, & præjudicium, pro quo evitando penè ubique ordinarii conſueverunt leges prudentes, & commendabiles, prohibentes forenſibus acquiſitionem, & retentionem bonorum ſtabilium, præſertim fructiferorum, 31
ut ita illorum fructus, & emolumenta remaneant in Principatu, vel Regione, & penès Cives, & Incolas, qui onera publica ſupportant, ut in ſuis ſedibus, de hujuſmodi legibus agendo habetur, dum cum hac introductione invitantur forenſes magis pecunioſi, & induſtrii ad enervandam Regionem, vel Rempublicam, & extrahendum ab ea ſingulis annis, & temporibus uberiores, & majores Regionis fructus, & emolumenta; Ideòque irriſione digni videntur illi, qui opinantes eſſe profeſſores polyticæ, tamen neque illius principia callentes, procedunt in hoc propoſito cum illa polytica propoſitione, in ſuis caſibus vera, nimiumque proficua, & commendabili, quod ſcilicet 32
ſtudendum eſt allicere exteros negotiatores, atque ita aliarum Regionum aurum, & argentum ad propriam trahere, quoniam id rectè procedit, quando externa pecunia, quæ trahitur ad propriam ditionem, liberè in ea remanſura eſt, tamquam ſanguinis propriæ Reipublicæ, ut proprium corpus impinguet, magiſque robuſtum reddat, & ſic ad commodum ſubditorum, non autem quando trahitur pecunia ad fœnus, quæ cum uſuris, vel acceſſionibus eſt reſtituenda, quoniam ita eſt allicere exteros ad plantandum arbores in proprio prædio, fructum aſportaturos, adeovt in prædium remaneat proprio Domino inutile, totaque utilitas ſit exterorum, & iſte videtur caſus; Quæ tamen inſinuata ſint in ſimplici forma diſcurſiua, nil firmando, propriumque non efformando judicium, ſed integrum relinquendo locum veritati.

a *In Theatr. lib. 5. de uſur. diſc. 6.* b *Lugo de iuſt. & iur. tit de motu, & uſura diſput. 25. ſect. 10. §. unico*, Leotar. *de uſur. quæſt. 22.* Giballin. *de uſur. lib. 4. cap. 7.* apud quos concordantes. c *De dote diſc. 8. 9. & 10.* d *De fideicommiſſ. diſc. 3. & 36. & de legatis diſc. 41.* e Leotard. *de uſur. d. quæſt. 22.* Giballin. *de uſur. dict. lib. 4. cap. 7. Lugo de Iuſt. & iur. diſput. 25.* Cohell. ad Bull. *bon. regim. cap. 22.* Paſqualig. *deciſ. moral. 182. cum pluribus ſeqq.* f Bald. *conſ. 180. num. 4. lib. 2. & in Cap. cum cauſam de re iudic.* Alex. *conſ. 15. lib. 7.* Ruin. *conſ. 82. lib. 2.* Peregr. *conſ. 43. lib. 1. & alii, de quibus lib. 2. de Regal. diſc. 36. & diſc. 43. & lib. 7. de alien. & contract. prohib. diſc. 1. num. 20.* g *De Regal. diſc. 30. in fin. & diſc. 187.* h *Lib. 1. de feudis diſc. 92.* i *Lib. 2. De Regal. diſc. 43. ubi latè concordantes, & dicto diſc. 92. de feudis* l *Lib. 5. de cenſibus diſc. 1. diſc. 11. & diſc. 32.* m *Lib. 2. de Regal. diſc. 44. & ſeqq. & 125.* n *Lib. 10. de fideicommiſſ. diſc. 7.*

Quomodo iſta loca ſint in commercio, tam reſpectu alienationis, quàm obligationis, & hypothecæ, & quando tranſeant libera in emptorem.

SUMMARIUM.

1 *Quod magnum commercium locorum Montium principaliter provenerit ab eorum libertate, & temporum ſecuritate.*
2 *An dicta libertas proveniat à privilegio Urbani Octavi.*
3 *Provenit potiùs de jure ab eorum natura, & de ratione.*
4 *Loca montium ſunt de regalibus, ideoque non ſunt in privato commercio.*
5 *De cautela iurisluendi in cenſibus.*
6 *De ratione, ob quam in locis Montium dari debet illa libertas, quæ non datur in aliis bonis.*
7 *De inconuenientibus, quæ reſultant ab hac libertate locorum Montium.*
8 *Quod non ſint attendenda, & quare.*
9 *De obligatione Secretarii Montium, ac etiam Cameræ, vel illius, qui eum deputavit, & de qua culpa teneatur.*
10 *Quando Dominus teneatur de facto famuli, vel præponens de facto præpoſiti.*

11 *De*

11 *De culpa, quæ consideratur in possessore montium, qui patiatur præjudicia, de quibus num.7.*
12 *Quomodo dictis inconvenientibus consuli possit.*
13 *De auctoritatibus in hac materia pugnantibus, quomodo concilientur.*
14 *Penes ipsum Dominum, & possessorem loca montium non differunt ab aliis bonis, ut subjaceant debitis, & obligationibus.*
15 *Ubi sunt penes hæredem, seù legatarium, an retineant vincula defuncti.*
16 *Idem de tertio possessore habente causam ab ipso principali debitore per viam contractus privati, & an in hac alienatione requirantur solemnitates.*
17 *Ac etiamsi Tertius obtineat à Iudice per viam deliberationis, vel adjudicationis, & quomodo ista eludi possit.*
18 *Non intrat libertas in vinculis expressis, & contentis in litteris patentibus.*
19 *Quid ubi processum non est, per viam resignationis, sed attergationis admissa per Secretarium.*
20 *Quid agendum, quando allegantur deperditæ litteræ patentes.*
21 *Promissio de vendendo, seù privata venditio qaale Ius tribuat emptori, vel promissario.*
22 *De eadem libertate, quæ resultat à verâ resignatione, de qua supra num.3. & 6.*
23 *An in hac resignatione requirantur solemnitate statutariæ.*
24 *Quid ubi fraus desuper accedat, & quomodo ista reguletur.*
25 *Quomodo fraus, & mala fides probetur, & arguatur.*
26 *De pretio locorum Montium, & de differentia inter libera, & vinculata.*
27 *De acquisitionibus locorum montium, quæ fiunt in persona unius, cum pecunia alterius.*
28 *An pro contractione locorum montium debeatur gabella contractuum.*
29 *De exvinculationibus fieri solitis per Thesaurarium, vel alium Iudicem.*
30 *De fraudibus, quæ desuper committi solent, & de obligatione Iudicis.*

CAP. II.

1 INter quamplures causas, quibus adscribi potest illa, quam in currenti præsertim sæculo experti sumus, atque in dies experimur, magna, & excessiva excrescentia commercii hujusmodi locorum montium, aliorumque similium jurium, in quibus pro notabiliori parte consistere videtur assis, non solum populi sæcularis, verùm etiam utriusque Cleri, & Ecclesiarum, piorumque locorum, cum non modico præjudicio commercii prædiorum, aliorumque bonorum stabilium, ac etiam agriculturæ, & mercaturæ, illa videtur ex majoribus, forteque potissima, libertatis nempè, cum qua in emptores illa transeunt, ab omnibus vinculis, quibus penes priores dominos, & possessores subiacebant, illis exceptis, quæ in litteris desuper expediri solitis, exprimuntur, cum ità obtineatur illa securitas, quæ in bonis, præsertim stabilibus, hodiè, quantumvis exquisitæ adhibeantur cautelæ, & diligentiæ, obtineri non potest, ob tot vincula fideicommissorum, vel præcedentium alienationum, seù hypothecarum, ac ob illum dominii defectum in venditore, qui tractu temporis detegatur.

2 Opinio vulgi superficialium in Romana Curia est, quod ista locorum montium libertas, & emptorum securitas proveniat à quodam speciali privilegio eis concesso per Motum proprium Urbani Octavi de anno 1639. impressum in Bullario Constit. 154. Verùm id continet manifestum æquivocum, ut agendo de hac libertate in sua Regalium sede advertitur, *a* sivè spectentur auctoritates, sivè rationes, dum id firmant
3 plures præcedentes decisiones Rotæ, & auctoritates illorum, qui scripserunt multo tempore ante dictum Motum proprium, qui prodiit potiùs ad superabbundantem cautelam, & satisfactionem negotiatorum, non callentium regulas Juris, ad eos alliciendum, ut juxta illorum temporum indigentias, & circumstantias magis ad hoc investimentum inuitarentur.

Clariùs verò, attenta ratione locis citatis insinuata, ac etiam deducta in alia tractatione Officiorum super eadem libertate, & emptorum securitate, dum non est peculiaris lo-

Card. de Luca de offic. venal. &c.

corum montium, vel officiorum Urbis, sed congruit etiam similibus officiis, vel juribus in genere aliarum regionum, & Principatuum, quotiès particularis lex, vel stylus non disponat in contrarium, quod scilicet cum ista jura sint de regalibus supremo Principi reservatis, ut in antecedenti Capitulo insinuatum est; idcircò quoad substantiam non sunt in privato commercio, neque ab uno in alium ex privatis conventionibus transferri possunt, absque consensu, & auctoritate ejusdem Principis, vel officialis ad id deputati, qualis in sub- 4
jecta materia esse dicitur montis Secretarius, ad quem inquirere, & attestari pertinet, an loca montium sint libera, necnè: Undè propterea sequitur idem, quod agendo de officiis dictum est, quòd scilicèt, quando locorum montium dominus, & possessor illa ad favorem alterius in manibus dicti Secretarii resignat, facere non dicitur actum translativum ejus dominii, vel juris, quo mediante emptor, vel resignatarius acquirat dominium, & possessionem, eo modo, quo sequitur in emptionibus, & venditionibus, aliisque alienationibus bonorum indifferentium, in libero privato commercio existentium, sed facit actum extinctivum, tollendo sed medio, tanquam per actum occultum retrovenditionis, cum restitutione pretii, quod per organum resignatarii fieri dicitur ab eodem Principe debitore, qui in continenti, pro eodem pretio novam ex integro concessionem, tanquàm per efformationem novi juris, facit emptori, vel resignatario, qui eumdem Principem, non autem resignantem recognoscere dicitur in ejus auctorem, atque ab ipso dominum metitur; Et per consequens sequuta redemptione, evanescunt, atque resolutæ remanent omnes hypothecæ, & omnia vincula, quibus loca montium erant affecta penes priorem possessorem, eodem modo, quo sequitur in nominibus debitorum per solutionem, qua mediante evanescunt, & resolutæ remanent hypothecæ, & omnia vincula, quibus eadem nomina subjacebant pene creditorem, istique termini in subjecta materia magis approximantur, & congruunt, quam illi Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ resignantur ad favorem certæ personæ, cum isti termini magis congruant officiis vitaliciis venalibus.

Exindeque fortè desumpta est cautela, quæ *Iuris luendi* di- 5
citur, quando facienda est emptio, vel cessio alicujus census consignativi, quem receptum est, ad instar aliorum bonorum, posse deduci in contractum emptionis, & venditionis, etiam pro majori, vel respectivè minori pretio, quàm sit creatus, juxtà ejus majorem, vel minorem bonitatem, quoniam si fiat venditio, vel cessio translativa, adhuc durant hypothecæ, aliaque vincula, & onera, quibus census affectus erat penes venditorem, vel ejus auctores: Unde propterea emptor, vel cessionarius non acquirit libertatem, & securitatem, quæ tamen acquiri dicitur cum dicta cautela Jurisluendi, quod scilicet ille, qui vult censum acquirere, curat obtinere à debitore cessionem Jurisluendi, seù redimendi; atque facta redemptione, efformatur novus census ex integro, cum subingressione in anterioritatem, & jura creditoris, cum ejus pecunia dimissi, cum ità resoluta remaneant omnia jura, & vincula, quibus penes venditorem subjacebant. *b* Et quamvis ista cautela soleat esse præjudicialis circa anterioritatem, respectu fructuum decurrendorum, qui à tempore istius novi contractus, non autem prioris metiri debet, adhuc tamen, ubi agitur de debito fructifero, probabilius videtur, quod etiam quoad fructus eadem suffragetur sub ingressio, ut latius in sua sede.

Ità quoque hanc libertatem, & securitatem suadente sub- 6
jecta materia; Siquidem in contractationibus aliorum bonorum indifferentium, quæ sequuntur inter privatos, onus est emptoris, vel alterius acquisitoris diligenter inquirere conditionem eius, cum quo contrahit, & an ejus fidem sequi debeat, ipsique imputandum est cur ei crediderit, atque sufficienter sibi non caverit in casu evictionis, vel molestiarum, quem prævidere poterat, ac debebat; Secus autem in subiecta materia, quoniam juxtà stylum emptores hujusmodi locorum montium liberorum, qui frequenter sunt exteri, id committens eorum mandatariis, vel sunt legales administratores Ecclesiarum, & piorum locorum, sivè pupillorum, & mulierum, aliorumque sub aliena administratione viventium, ac etiam sunt magnates, & nobiles, non soliti per se ipsos sua negotia gerere, ignorant quinam sint venditores, eorumque conditionem, & qualitates inquirere non satagunt, neque aliqua evictionis, vel restitutionis pretii cautela adhiberi solet, sed diriguntur ordines alicui banco de pretio liberè solvendo cuicumq; fecerit liberam resignationem, juxtà atte-

BIBLIOTECA CENTRALE PIAZZ. LAZZERINIANA

ſtationem Secretarii montis, cujus publicam fidem, ab ipſo Principe probatam, & ſequuntur, ideoque injuſtum, & irrationabile eſſet, ut hac publica fide decepti, & eluſi remanerent, atque alias iſtud commercium penè impeditum eſſet, cùm præjudicio Principis, & Reipublicæ, cujus principaliter intereſt illud eſſe liberum, & facile. *d*

Et quamvis exindè aliqua reſultare ſoleant inconvenientia, & fraudes committi, puta quia, juxtà caſum in mox enunciata Regalium ſede particulariter peractum *e* contra eum, qui à pluribus annis in Patria obierat, pro quodam debito in Urbe contracto, juxta ſtylum proceſſum eſſet per diligentias, atque cum tali proceſſu deventum ad exequutionem, & ſubhaſtationem locorum montium, adhuc in ejus perſona cantantium, quæ per deliberatarium poſtea, tanquam libera, reſignata fuerunt; unde propterea veritate detecta, ob fugam, vel inopiam tam prætenſi creditoris, qui pretium habuerat, quam deliberatarii, & ob carentiam regreſſus ad loca contra emptores, ità hæredes caruerunt illis, & pretio. Sivè juxtà alterum caſum pariter in praxi diſputatum, forteque adhuc pendentem, quod cum abſentis mandato falſo procuræ reſignatio per Secretarium admiſſa fuerit. Aut quod (ut non ſemel in praxi expertus ſum) Theſaurarius generalis, vel ejus Auditor, montium Judex competens, malè deleverit vincula in litteris patentibus exiſtentia; unde propterea loca tanquam libera reſignata fuerint. Vel quod loca in perſona alicujus defuncti cantantia, translata fuerint in perſonam aſſerti hæredis, ex teſtamento invalido, vel revocato, vel ab inteſtato, tamquam proximioris, cum talis non eſſet, aut quod defunctus obierit tenſtatus. Aut quod Secretarius delinquendo in ejus officio, & deficiendo ab ejus fide, tacitis vinculis, teſtatus fuerit de locorum libertate, cum pleriſque ſimilibus caſibus, qui contingere poſſunt, & ſolent.

Nihilominus iſti ſunt caſus, contingibiles quidem, ſed particulares, & rari, ideoque ob eorum poſſibilem contingentiam, quæ reſpicit præjudicium privatum, inducendum
8 non eſt præjudicium univerſale huic publico, hodieque penè neceſſario commercio, ex regula quod bonum publicum, vel univerſale ſemper anteponi debet privato, & particulari. Potiſſimè quia etiam in his caſibus poteſt intereſſatis eſſe conſultum, reſpectivè contra fraudatores, vel falſarios, & alios, qui actum malè geſſerunt, & pretium receperunt, vel contra Judicem, qui malè vincula delevit, aut quando Secretarius in aliquo culpoſus dignoſcatur, contra ipſum, qui tenetur ad quanti intereſt de proprio, atque ubi non ſit idoneus, quando agitur de montibus Cameralibus, prætendi
9 fortè poteſt actio contra Cameram; & ubi de Baronalibus, aut de tertia ſpecie, contra Baronem, vel alium, qui illum præpoſuit, ex vera, & recepta propoſitione, quod domi-
10 nus tenetur de facto præpoſiti quando hic deliquit, vel defecit circa opus, vel miniſterium, cui præpoſitus fuit; *f* Super quo tamen relinquitur locus veritati, cum occaſio non dederit faciendi formalem diſputationem, ſine qua maturum judicium efformari non poteſt.

In propoſito autem prædictæ obligationis Secretarii, reficiendi damna de proprio intereſſatis, & per conſequens obligationis Cameræ, vel alterius præponentis in defectum Secretarii ſupplendi, certa eſt juris theorica, non ſolùm quia ſic expreſsè diſponitur in Reformatione Pauli Quinti in tit. de Secretariis Montium, regiſtrata in calce operis cum aliis Conſtitutionibus, & proviſionibus ad rem facientibus, ſed etiam ex ipſius juris communis diſpoſitione, vel intentione, ratione ſubjectæ materiæ, ob libertatem, de qua ſupra, ob quam omninò irreparabile remaneret præjudicium poſſeſſorum locorum montium, quorum indebita admittatur libera reſignatio. Difficultas verò non modica eſſe ſolet in applicatione congrua hujus theoricæ ad praxim, pro qua impoſſibile eſt certam, & generalem regulam, omnibus caſibus applicabilem, ſtatuere, cum dicenda veniat quæſtio facti potiùs, quàm juris, ex ſingulorum caſuum qualitate, & circumſtantiis, prudentis Judicis arbitrio penſandis, regulanda, & decidenda, pro qua regulatione facienda, advertebam in quadam controverſia, quæ adhuc pendet in Camera indeciſa, ob varietatem reſolutionum hinc indè cum magna votorum ſciſſura, inter quemdam vocatum ad illud fideicommiſſum, de quo à me agitur in Fideicommiſſorum, vel Donationum ſede, *g* & hæredem Secretarii cujuſdam montis, ob admiſſam liberam reſignationem notabilis numeri locorum montium, quæ in litteris patentibus liberè cantabant in perſona fideicommittentis, qui illa quæſierat, reſignata verò fuerunt per fideicommiſſi poſſeſſorem pronepotem, qui erat ejuſdem nominis, & cognominis, non advertente Secretario ad hanc perſonarum diverſitatem, ejuſdem nominis, & cognominis, unde fraudes fieri ſolent, ut etiam in Regalium ſede agitur de conſimili fraude in officiis vacabilibus, *h* erroneum pro meo judicio eſset procedere cum illis auctoritatibus, quæ conſimiles percutiunt caſus, atque per ſcribentes hinc indè deducebantur, *i* quoniam inſpiciendæ ſunt ſingulorum caſuum individuales circumſtantiæ, ideòque auctoritates, quæ alios percutiunt caſus, deſervire quidem poſſunt pro quodam lumine, vel directione, congrua congruis applicando, non autem ut cum earum littera in decidendo procedendum ſit, ut Pragmaticorum vulgus facere ſolet.

Quidquid autem ſit de dicto caſu, in quo integer locus veritatis relinquitur, & an ob facti circumſtantias de aliqua culpa Secretarius notari poſſet, vel potiùs eſset excuſatione dignus, dum nullam habens occaſionem ſcribendi, vel judicandi in dicta cauſa, maturum judicium in ea efformare non potui. Quatenus pertinet ad regulam, vel theoricam generalem, erroneum videtur in ſubiecta materia procedere cum terminis generalibus miniſtrorum, vel mandatariorum, aut ſubſtitorum in officio cum ſimilibus, adeovt intret quæſtio, an teneatur de dolo, & lata culpa tantùm, vel etiam de levi, & leviſſima, quoniam pro ſubiectæ materiæ natura, & pro irreparabilitate præjudicii, quod totum pendet ab eximia peritia, & diligentia Secretarii, cujus magna induſtria electa dicitur, iſte tenetur eſſe diligentiſſimus, ideoque ſine dubio tenendus etiam de leviſſima culpa, ſivè iſta in committendo, ſivè in omittendo conſiſtat; Quinimmò ubi etiam concurrant circumſtantiæ probabiliter excuſantes, adhuc non de facili debeat ejus excuſatio admitti, quaſi quod ſuſcipiendo iſtud lucroſum, & periculoſum officium, quodammodo etiam illos caſus, qui fortuiti dici poſſent in ſe ſuſcepiſſe videatur; ità compenſando commodum cum incommodo, ad inſtar, eorum, quæ de Ratiocinatore montis pietatis dicta ſunt in tutorum, & curatorum; aliorumque adminiſtratorum ſede; *l* Nimiumque rigoroſè in hoc procedendum videtur, quoniam aliàs ſi de facili Secretariorum excuſationes admittuntur cum regulis, & propoſitionibus generalibus, quæ alios percutiunt miniſtros, vel adminiſtratores, actum eſset de iſta adeò periculoſa materia, multæque fraudes in ſupplantationem, præſertim exterorum, abſentium, vel mulierum, & pupillorum, & Eccleſiarum, ſeù locorum piorum in magnis ſummis plurium centenorum millium ſcutorum fieri poſſent; Magnaque differentia conſtituenda videtur inter illos miniſtros, & officiales, vel campſores, qui ſine præmio, vel modico, & proportionato laborì perſonali, in gratiam alterius miniſterium exercent, & illos, qui exindè reportant conſiderabile lucrum compenſativum periculi, quod ſuſcipiunt, & eximiæ peritiæ, ac diligentiæ, ut in ſuis ſedibus habetur. *m* Ideoque laudando honeſtam concordiam in dicto caſu, impoſterum providendum videtur, quod Secretarius, ubi res non ſit omninò certa, & clara, ſed aliquale dubium habeat, conſulere debeat Congregationem montium, utſupra.

Et in omnem eventum, quando hæc remedia deficiant, id recenſendum erit inter caſus fortuitos, ſeù infortunia. Ultrà quod neque ille, qui hoc infortunium patitur, ab ali- 11
qua culpa, vel negligentia vacare videtur, undè propterea de ſe ipſo conqueri debet. Siquidem in primo caſu ſuperius exemplificato, a culpa, immò ab aliqua fraude non vacabat ille hæres, qui, ut parceret impenſis fieri ſolitis pro translatione, ex perſona defuncti ad illam hæredis, curavit, quod loca diù continuarent ſub nomine defuncti, atque per Procuratorem ab illo deputatum continuaretur in exactione fructuum; Ut etiam per alios abſentes, cogitare valentes, & 12
debentes ad iſtos caſus, rectè conſuli poteſt eorum indemnitati, providendo apud Secretarium, & in ejus libris, ut nihil præjudiciale contra eos admittatur, niſi audito ſolito correſponſali, vel procuratore, qui quolibet bimeſtre exigere ſolet fructus. Ac etiam cum proviſionibus generalibus deſuper conſuli poſſet, immò deberet, injungendo Secretariis, ut reſignationes non admittant, niſi dictis ſolitis procuratoribus, & correſponſalibus certioratis, & auditis, vel quando agitur de montibus translatis ex perſona defuncti ad illam aſſerti hæredis, ut libere reſignationes non admittantur, aut quod vinculetur pretium per aliquod tempus conſiderabile, intra quod alii veri hæredes veriſimiliter comparituri erunt, cum ſimilibus cautelis, & proviſionibus, quas de-

ſuper

ſuper capere, nedum congruum, & opportunum, ſed immò juſtum, & neceſſarium videtur, ut ità redargui poſſit de culpa Secretarius, contra quem intereſſatis, quibus præjudicatum eſt, competat reintegratio.

Sed quoniam in hac materia libertatis, quando intret nec ne, quamplures habentur deciſiones, & auctoritates, quæ
13 contrariæ, & invicem pugnantes videntur, cum verè, aliquibus exceptis, in quibus æquivoca dignoſcuntur poſtmodum agnita, re vera non ſunt contrariæ, ſed potiùs diverſæ pro diverſitate caſuum, ex quorum neglecta, vel non animadverſa diſtinctione, reſultant errores, & æquivoca: Idcircò pro his evitandis, dictiſque deciſionibus, & auctoritatibus conciliandis, vel declarandis, plures caſus diſtinguendi veniunt.

Primus itaque caſus eſt, quando loca montium perſeverant in eadem perſona, quæ illa mediatè, vel immediatè legitimè
14 acquiſivit, adeout non adſit mixtura tertii in eiſdem locis intereſſati, & tunc loca montium regulantur eodem modo, quo reliqua bona indifferentia ejuſdem poſſeſſoris: unde propterea cadunt ſub obligationibus, & hypothecis, ac debitis per ipſum contractis, atque ſuper eis exerceri poſſunt illæ actiones, vel illa remedia, quæ exerceri poſſunt, & ſolent ſuper aliis bonis indifferentibus, ideòque proceditur ad illorum ſequeſtrum, ac executionem, & ſubhaſtationem, cum iſto caſu non intret ſuperius inſinuata ratio, cui hæc innixa eſt. *n*

Alter caſus eſt, quando agitur de locis montium poſſeſſis per hæredem, vel legatarium, in cujus perſonam, ex titulo
15 hæreditatis, aut legati, translatio facta eſt à perſona prioris poſſeſſoris defuncti, & tunc reſpectu iſtius poſſeſſoris, quamvis loca in ejus perſona liberè cantent, nullumque vinculum adjectum ſit, adhuc tamen illa ſubjacent omnibus vinculis, quibus de jure ſubjacere deberent, ſi adhuc eſſent penès defunctum, vel ſi eorum poſſeſſio eſſet vacans, cum pariter ceſſet ratio libertatis, atque poſſeſſor foveat cauſam lucrativam. *o*

Tertius eſt caſus, quando loca montium poſſidentur quidem per tertium, in quem diſtracta fuerint per illum, penès
16 quem vincula contracta ſunt, & vigent; Iſte autem tertius poſſeſſor cauſam habeat ab ipſo priori poſſeſſore ex privata conventione, ſine tamen ſolita formali reſignatione admiſſa per Secretarium ut ſupra, & iſto caſu pariter non intrat libertas, atque loca montium in omnibus regulantur, eodem adamuſſim modo, quo reliqua bona indifferentia, ex eadem ratione, cui libertas innixa eſt, quod ſcilicèt illa, tamquam de Regalibus, quoad ſubſtantiam, non ſunt in privato commercio, neque de uno in alterum transferri poſſunt, abſque auctoritate Principis, vel ejus Officialis, ideoque adhuc perſeverare dicuntur in eodem dominio, & poſſeſſione, ſaltem civili, prioris domini venditoris, quoniam ille dicitur dominus, & poſſeſſor locorum montium, qui tamquam talis deſcriptus eſt in libris publicis Principis, vel ipſius montis, eodem modo, quo de officiis in alia eorum tractatione dictum eſt, adeout in emptorem, vel ceſſionarium tranſire dicatur ſolum quædam commoditas, vel detentio nudi facti, quæ redolet quoddam mandatum in rem propriam, eodem modo, quo accidit in beneficiis, & penſionibus eccleſiaſticis, in officiis, in feudis, aliiſque ſimilibus, in libero privato commercio non exiſtentibus; unde propterea talia loca ſubjacent eiſdem hypothecis, & vinculis, quibus priùs penès venditorem ſubjacebant, atque ſi iſte poſtea illa reſignaret, vel attergaret cum auctoritate Secretarii, ad favorem alterius, tunc iſtius potior erit in eis conditio, ſolumque actus talis privatæ alienationis, vel contractationis operativus remanet quoad ipſum venditorem, vel alienantem, ut illum impugnare non poſſit, & quatenus contraveniat, teneatur ad damna, & intereſſe; *p* Quoties tamen contractus, quoad ipſas partes, eſſet alias perfectus, & validus, de jure non impugnabilis in aliis rebus indifferentibus, ſecus autem ſi eſſet impugnabilis, ob defectum ſolemnitatum, ſive non liberi conſenſus, aut læſionis, & doli &c. quoniam tunc ipſemet faciens, impugnare poteſt, & adhibere remedia de jure competentia, iſtoque caſu rectè procedit, atque recipienda eſt opinio volentium, ut in hujuſmodi locorum montium alienationibus, faciendis per Eccleſias, minores, mulieres, alioſque privilegiatos, adhiberi debeant ſolemnitates à jure communi, vel ſtatutario deſideratæ, ſecus autem ubi proceditur per viam formalis reſignationis in manibus Secretarii, juxtà ultimum caſum, de quo infrà, ex ea ratione differentiæ, quod unus actus eſt translativus, tamquam de eadem ſpecie alienata, alter verò eſt extinctivus, tamquam per receptionem debiti, ut à ſimili habemus in cenſibus conſignativis, aliiſque creditis, quod per Eccleſias, alioſque alienare prohibitos, non poſſunt vendi, vel alias translativè cedi, & tamen poſſunt extingui, cum ſimilibus, ut infra in 8. caſu num. 23.

Quartus eſt caſus fortior, quod loca montium in tertium translata fuerint ex facto, & auctoritate Judicis, puta per 17
viam ſubhaſtationis, & deliberationis, vel adjudicationis, quoniam cum factum Judicis dicatur factum partis, idcircò omnia, quæ dicta ſunt in caſu præcedenti, in iſto quoque procedunt, tam quoad tertium, cui jus reale, & legitimum poſteà acquiratur, quam quoad ipſummet priorem poſſeſſorem, qui ſe prætendat indebitè per Judicem ſpoliatum. Unde propterea intentare poteſt remedia poſſeſſoria, & alia de jure ſibi competentia, *q* recteque ille, qui judicium ſubhaſtationis, & deliberationis jam paſſus eſt, illud eluſorium reddere poteſt, liberè poſteà in manibus Secretarii reſignando eadem loca montium jam ſubhaſtata, & deliberata, quoties deliberatarius debitas non adhibuerit cautelas apud eumdem Secretarium pro tali actu impediendo, quo ſequuto reſignatarius bonæ fidei erit tutus, quoties non intret edictum *de his, quæ in fraudem &c.* ut etiam in propoſito officiorum dictum eſt, & infra num. 24.

Quintus eſt caſus, in quo reſignatio fiat quidem in manibus Secretarii, unde propterea intret ratio, cui libertas innixa eſt, ſed illa contineat expreſſionem vinculorum, quæ pro- 18
pterea adiiciantur in litteris patentibus deſuper expediri ſolitis, iſtoque caſu libertas intrat in aliis non expreſſis, non autem in expreſſis, ut præcisè declaratur in dicta Conſtitutione 154. Urbani Octavi, exindeque manat diſtinctio, quæ habetur montium liberorum, & vinculatorum, tàm quoad differentiam pretii, de qua infra, quàm etiam quoad varias quæſtiones, quæ in vinculatis cadere ſolent inter reſignantem, & reſignatarium, quarum aliquæ in ſua conſueta Regalium ſede peractæ habentur, ubi videri poterit, cum aliàs nimia eſſet evagatio, vel digreſſio. *r*

Sextus eſt caſus, in quo abſque dicta reſignatione formali, redolente extinctionem prioris juris, & novam efformationem alterius, ut ſupra, procedatur per viam attergationis ab 19
eodem Secretario admiſſæ, puta quia adhuc continuantibus locis montium in eadem perſona, quæ deſcripta eſt in libris, per iſtam, tanquam per viam pignoris, illa obligentur ad favorem alterius, cui conſignentur litteræ patentes pro cautione, cum attergatione per Secretarium facta in eiſdem litteris, iſtoque caſu non intrat dicta ratio extinctionis prioris juris, & efformationis novi, cui innixa eſt libertas, dùm loca montium in eodem dominio, eademque poſſeſſione perſeverare dicuntur. Verùm licet per hanc attergationem, nec dominium, nec poſſeſſio cum dicta libertate, & ſecuritate acquirantur attergatario, qui conſiderantur ſolùm tanquam creditor in pignore: Nihilominus hæc attergatio utilis, & operativa eſſe videtur, ad duplicem effectum. Primò nempè quoniam illa videtur habere ſpeciem illius aſſenſus, qui per dominum præſtatur hypothecæ, & obligationi feudi, vel alterius rei, alienari, & obligari prohibitæ, ſine dicto aſſenſu, ut propterea cauſet anterioritatem, vel potioritatem, adverſus eos, quantum vis in tempore anteriores, qui tali aſſenſu carent, ut in ſua Feudali ſede, & alibi. / Et Secundo, quod ità attergatarius redditur tutus, ut debitor non poſſit illum ſupplantare, faciendo liberam reſignationem alteri, quoniam Secretarius, videndo in eiſdem litteris attergationem, in ejus libris, vel notulis quoque adnotandam, ità deficere diceretur in ejus officio, cum obligatione refectionis ejus, quod intereſt, ut ſupra.

Et licet ad eludendam iſtam cautelam poſſint, & quandoque ſoleant doloſi, & depravati debitores fingere caſualem amiſ- 20
ſionem illarum litterarum patentium, quas pignoris, & cautionis loco dederunt creditori; Nihilominùs id non tollit vim cautelæ, quoniam Secretarius, etiam ubi non habeat adnotationem attergationis, non ſolet, nec debet admittere ſine dictis litteris liberam reſignationem, niſi præſtetur idonea cautio indemnitatis, quæ ſuffragabitur ipſi Secretario, cui imputandum eſt, an eam minus idoneam receperit, non autem id præjudicabit attergatario, qui contra ipſum ob hunc actum malè geſtum actionem habebit ad quanti intereſt. Adinſtar ejus, quod habetur in cedulis, vel apocis bancariis, quæ pro facilitate commercii habentur pro pecunia verè numerata, ideoque per plures manus cum giratis tranſire ſolent, quoniam ſi ille, ad cujus favorem cantat, allegat amiſſionem cedulæ, non per hoc Bancherius ei ſolvet ſummam, in qua legitur in libris deſcriptus creditor, niſi præſtita idonea cautione, quæ tamen non liberat Bancum ab obligatione adimplendi cedulam illi, qui cum ſinceris, & legitimis giratis eam exhibet, ſed proderit

Banco

Banco pro ejus indemnitate, & rembursatione ejus, quod solvit, cum similibus.

Septimus est casus, in quo agatur de venditione, vel alia cessione locorum montium, sive de promissione de vendendo, ex privata conventione inter partes, absque eo, quod adhuc de-
21 ventum sit ad traditionem; unde propterea intret dubium, an venditori, vel promittenti liceat pœnitere ante perfectum actum solemnem coram Secretario, sive quale jus, vel actio huic emptori, vel promissario competat, istudque dubium intrat, cum præsupposito, quod non adsit mixtura tertii, cui per resignationem, vel attergationem sit legitimè jus quæsitum, cum istius respectu nullum cadat dubium, adeout quæstio sit inter emptorem, & venditorem, vel promittentem, & promissarium; Istoque casu, quatenus pertinet ad primum punctum facultatis pœnitendi, & nolendi observare conventionem, quæstio est potiùs facti, & voluntatis, quam juris, an scilicet ex facti qualitate, & circumstantiis constet de perfectione conventionis, adeout voluntas, quoad ipsos contrahentes, sit perfecta, & in termino adeout desideretur consensus tertii pro sola validitate, & firmitate actus, vel è converso importat solum tractatum, & præparationem conventionis adhuc imperfectæ, & in via, perfectionem recipere debentis à futuro actu faciendo per tertium, ut regulariter pro communi usu in hac subjecta materia, non constito de contraria veritate, præsumendum videtur, ut hoc posteriori casu intret facultas pœnitendi, secus autem in priori, quoties ex lege, vel stylo alias dicendum non sit, ut contingit in contractibus, qui sine Regio assensu fiunt super feudis Regni Neapolitani, ut in Feudali sede, & alibi advertitur. *t*

Posita verò perfectione voluntatis, cum exclusione facultatis pœnitendi, tunc intrare videntur termini generales, & remedia pro observantia conventionum, & pactorum, eodem modo, quo in aliis bonis, & rebus indifferentibus, & in libero privato commercio existentibus, quoniam secluso interesse tertii, cui cum auctoritate Principis, vel officialis jus quæsitum sit, quatenus agatur inter ipsos contrahentes, loca montium nil habent peculiare, sed jure aliorum bonorum indifferentium censentur, ideoque intermedium augumentum, vel decrementum, aliudve periculum, an sit emptoris, vel venditoris, regulatur cum eisdem terminis generalibus rerum indifferentium. *u*

Octavus demum est casus, in quo, juxtà superius deducta num. 3. cum pluribus sequentibus sequatur solemnis, & for-
22 malis resignatio libera in manibus Secretarii, & tunc intrant libertas, & securitas, de quibus ab initio actum est, istaque solemnitas sufficit ad validitatem, & perfectionem actus, non curari solitis aliis solemnitatibus de jure communi, vel statutario desiderandis in alienationibus voluntariis, tum ex ra-
23 tione superius assignare num. 16. tum etiam ex quodam stylo, ex eo derivante, quod penè in omnibus hujusmodi montium erectionibus ità cautum est, ex eadem ratione facilitatis, & libertatis commercii, quod in aliis bonis satis impeditum, peneque ammissum videtur ob tot leguleicas subtilitates, & superstitiones irrationabiles, adeout in aliquibus Principatibus, etiam religiosi professi, & incapaces tàm in communi, quàm in particulari, & qui de jure sunt omninò incapaces ad possidendum, & contrahendum, adeout habeantur pro verè mortuis, adhuc ad istam contractationem admittantur, atque sit set esse onus, & cura Secretarii, vel alterius officialis ad id deputati, ut in personis, quæ fraudibus, & deceptionibus subjectæ sunt, istæ non sequantur.

Procedunt verò hæc cum præsupposito sinceritatis, & bonæ
24 fidei ex parte resignatarii, qui non sit particeps, vel conscius doli, & fraudis resignantis pro aliena supplantatione, juxta superius recensita inconvenientia; Quamvis enim magnus sit favor publici commercii, semper tamen ab omni regula, vel privilegio excipiuntur fraus, & dolus, ut à simili habemus, quod licet ementes, & contractantes merces, aliaque bona in portibus franchis, vel in nundinis, aliisque publicis emporiis, pro quodam magis recepto usu in locis, quibus non vivatur cum solis leguleicis superstitionibus, sint tuti; nihilominus id cessat, quando sint particeps, vel conscii fraudis, atque in mala fide versentur. *x* Quare difficultas major esse solet in hac fraudis, & malæ fidei proba-
25 tione, super qua, utpotè in materia facti potius, quam juris, ex singulorum casuum particularibus circumstantiis decidenda pro Judicis prudenti arbitrio, certa, & generalis regula statui non potest. Nimium tamen considerabilis ad fraudem arguendam, vel respectivè excludendam videtur illa circumstantia, an resignatarius pro magis communi stylo direxit ordinem pretii Banco solvibilem in genere, ignorando personam resignantis, ut superius insinuatum est, vel potius sit directus certæ personæ, cum qua ipse conventionem habuerit, cum isto posteriori casu aliqua cadere possit suspicio, quæ sola de per se non sufficit, sed apta est aperire oculos Judicis pro aliarum conjecturarum regulatione.

Longè tamen fortior, magisque considerabilis, ut in casus contingentia advertebam *y*, videtur circumstantia pretii, 26
quoniam si istud est commune, & prout currit in platea, atque de ejus vera, & effectiva solutione, citra collusionem, constat, tunc magnum est argumentum sinceritatis, & bonæ fidei; Secus autem è converso. Potissimè quia, ubi agitur de locis liberis, non videntur intrare ea, quæ in contractatione aliarum rerum indifferentium in jure habentur, ut pretium certum, & determinatum non detur, atque suffragetur industria, & diligentia contrahentium, quibus licet invicem se decipere intra dimidiam justi pretii, dum loca montium libera, juxta eorum majorem, vel minorem bonitatem, habent pretium quasi fixum, & determinatum à foro negotiatorum in qualibet hebdomada, cum aliqua satis modica juliorum diversitate, vel alteratione, unde propterea quando resignatio sequeretur pro notabiliter minori pretio, tunc magnum argumentum exindè resultaret fraudis, & malæ fidei, cum non sit verisimile, quod venditor vellet jactare suum, atque vendere pro minori pretio, dùm pro majori communi, & currenti promptè venditionem facere posset.

Istud autem pretii argumentum non de facili intrat in resignationibus locorum vinculatorum, quæ certum, & uniforme pretium à publico foro in dies, & tempora taxatum non habent, sed illud est varium, tàm pro industria, & majori, & respectivè minori diligentia, & sagacitate contrahentium, quàm pro qualitate vinculorum minuentium de pretio, pro eorum, ac majori, vel minori, sivè magis proximo, vel remoto periculo contingentiæ casus vinculi, ob quem emptor privatus remaneat re, & pretio, ideoque non de facili, tanquam in contractu super incerta alea, vel incerto futuro eventu, non verificantur termini læsionis, adinstar eorum, quæ habentur in contractibus vitalitiis, aliisque dependentibus ab incerto futuro euentu, ut in ejus consueta Regalium sede, agendo de hoc pretio locorum vinculatorum, pro casuum particularium contingentia, latius, magisque distinctè habetur, ubi videri poterit. *z*

Datur quoque in ista contractatione locorum montium non vacabilium, licet rarius, ille casus, qui in officiis, & lo- 27
cis montium vacabilibus est frequens, quod scilicet cum industria, & pecunia unius fit acquisitio in persona alterius, unde propterea plures oriri solent quæstiones, & præsertim illa implicitæ, vel præsumptæ donationis pretii ad favorem ejus, quo acquisitio cantat, sed quoniam de hoc abbundè actum est in dicta alia tractatione officiorum, idcircò ad ibi dicta sufficiat relatio, cum nulla dignosci videatur differentiæ ratio, nisi in eo, quod in hoc genere non vacabilium facilius admittenda videtur præsumptio donationis, ob deficientem causam, vel rationem, quæ in vacabilibus intrat, faciendi acquisitionem ad commodum proprium in persona alterius destinati pro regulatione periculi vitæ, quæ ratio in præsenti non intrat.

An autem ista locorum montium contractatio veniat sub 28
genere contractuum, adeout intret necnè gabella contractuum, agitur in Regalium sede, ubi videndum. *aa*

Solet item non infrequenter sequi locorum vinculato- 29
rum ex vinculatio cum auctoritate Judicis, & præsertim Thesaurarii generalis, qui est locorum montium ordinarius, magisque competens Judex, quod scilicet cum loca in litteris haberent vinculum fideicommissi, possessor prætendens illud expirasse curat obtinere sententiam super tali expiratione, & per consequens deletionem vinculi, quod nimium relevat, quoniam ità loca montium venduntur tanquam libera tertiis, bonæ fidei emptoribus, contra quos haberi non potest regressus, ut supra, & detecta fideicommissi durationevocatorum jus eluforium remanet, ideoque in casus contingentia dicebam, quod ex eadem ratione superius insinuata contra Secretarium, dari deberet actio contra Judicem, 30
saltem ratione temeritatis, interponendi judicium, adeò præjudiciale, & irreparabile in re tam dubia. Sivè præsupposita fideicommissi durationeidem Iudex admittere consuevit ejus transportationem ad aliam rem stabilem à gravato possessam, ità delendo vinculum locorum montium cum eodem præjudicio irreparabili, quatenus illa res evincatur, vel detegatur anterioribus vinculis, & hypothecis obnoxia,

ut

ut in casus contingentia practicavi, undè propterea habebam in animo condemnare ipsum judicem ad quanti interest, sed evasit condemnationem ex eo, quod à quodam Tribunali collegiato, & magno obtinuit declarari fideicommissi expirationem; Et quamvis ille diceret, quod hæc esset species permutationis, de jure non prohibitæ, nisi adsit expressa prohibitio hominis, ut in Fideicommissorum sede habetur, dicebam tamen id rectè procedere in permutatione bonorum stabilium, & semper extantium hinc indè, quoniam in casu evictionis competit regressus ad rem propriam, ut in emptionis, & venditionis sede habetur, *b b* non autem isto casu, quo ad propria loca montium, liberè distracta, competere non potest iste regressus.

Aliam quoque non semel sum expertus fraudem, committi solitam per eos, qui turpem profitentur mercaturam locorum montium vinculatorum, præsertim ubi sit vinculum evictionis pro interesse emptoris, quia pretium in loca montium investitum sit cautionis loco, quoniam emuntur ad longè minorem rationem, quàm currant loca montium libera, deindeque emptores curant obtinere exvinculationem, cum evictionis fidejussoria cautione, ideoque vendunt loca pro pretio currenti longè majori, tanquam libera, cum ingenti lucro, & cum irreparabili præjudicio interessatorum, quando dicta cautio, ut frequentiùs contingit, detegatur non idonea, cum plerisque similibus magnis inconvenientibus, quibus ut occurrerem, ratione muneris præcipere consuevi Auditoribus Thesaurarii, à quibus hujusmodi exvinculationes cum nimia facilitate fieri solebant, potissimè ante prohibitionem propinarum, ne ad hujusmodi exvinculationes devenirent, nisi prævio voto plenæ Congregationis montium, auditis interesse habentibus, atque nimium justum, & opportunum esset, ut provisio perpetua desuper fieret, quinimmò ut debeat etiam audiri Commissarius Cameræ, dùm ista interessata videtur in conservanda publica fide in locis montium.

a *Lib. 2. de Regal. disc. 26. cum pluribus seqq. & disc. 163. eod. tit.* b Capyc. Latr. *decis. 16.* Carleval. *de Judic. 82. lib. 1. tit. 3. disp. 352. num. 36.* Montan. *controv. lib. 1. cap. 33. n. 50.* c *Lib. 8. de credito disc. 5. sub num. 6. & disc. 6. num. 2.* d *Dict. disc. 163. de Regal.* e *Eodem disc. 163. de Regal.* f *Lib. 4. de locat. disc. 9. 21. & in tract. de offic. cap. 19. n. 1.* g *De fideicommiss. disc. 137.* h *De Regal. disc. 15.* i Alex. *cons. 103. lib. 2.* Menoch. *cons. 1094.* Mastrill. *de Magistrat. lib. 6. cap. 8. num. 3. & cap. 10. num. 36.* Rovit. *dec. 36.* Rot. apud Merlin. *decis. 617. & 677. quar. prima est repetita decisio 77. par. 6. recen. apud* Dunozzet. *decis. 604.* Otthob. *decis. 242.* apud Bich. *decis. 646.* l *Lib. 7. de tutor. & curator. aliisque administrator. disc. 15.* m *Dict. disc. 15. de tutor. & administrator. & de credito disc. 68. & 69.* n *Dict. disc. 163. de Regal.* o *Disc. 28. 29. & 163. de Regal.* p *Lib. 2. de Regal. disc. 16. num. 3. & disc. 17. num. 10. & plenius disc. 41. per tot.* q *Dict. disc. 163. de Regal.* r *De Regal. disc. 30. per tot. & alibi in locis ibi relatis.* s *De feud. disc. 78. num. 12. & disc. 98. num. 4. & de Regal. disc. 4. nnm. 6. & disc. 39. num. 3.* t *De feud. disc. 66. n. 4. & seq. de donat. disc. 61. n. 29. & seq. & de Regal. disc. 41. & 183.* u *Dict. disc. 183. de Regal.* x *De Regal. disc. 129. n. 3. & disc. 115. n. 7. & per tot.* y *Dict. disc. 163. de Regal.* z *De Regal. disc. 30. & seq.* aa *De Regal. disc. 43.* bb *Lib. 7. de empt. & vendit. disc. 20.*

De reductione, seu diminutione, acetiam suspensione, vel omnimoda denegatione fructuum locorum Montium, an, quando, & quomodo fieri possint.

SUMMARIUM.

1 *De commodis, quæ resultant à libertate commercii locorum montium.*
2 *De aliis commodis, quæ resultant à modo, cum quo eorum fructus solvuntur.*
3 *E converso de incommodis, quibus subjacent.*
4 *De reductione fructuum semper practicata, dùm in primis erectionibus erant ad decem pro centenario.*
5 *De qua specie reductionis principaliter tractetur.*
6 *De impugnantibus potestatem faciendi hanc reductionem, & de rationibus, quibus innituntur.*
7 *Quod sit error procedere in omnibus casibus cum regulis generalibus.*
8 *De distinctionibus adhibendis circa facta Principis, & illius potestatem tollendi jus tertii.*
9 *Dantur exempla super eisdem distinctionibus.*
10 *De motivo læsionis, vel reductionis contractus ad magnam injustitiam, & inæquitatem.*
11 *Impedita facultas redimendi minuit de pretio.*
12 *Qualis læsio sufficiat in fisco.*
13 *Pro metienda læsione attenditur tempus contractus.*
14 *De antiquis usuris excessivis.*
15 *De retroactis reductionibus in diversis temporibus.*
16 *Ab accessionibus usurariis argui non potest ad fructus locorum montium.*
17 *Quod prædicti fructus sint liciti.*
18 *De reductione generali censuum, & de distinctione inter reservativos, & consignativos.*
19 *Quod in censibus consignativis dicta reductio generalis, & uniformis non detur, & quare.*
20 *Reductiones possunt demandari per Principem, non autem per Judices.*
21 *De diversitate inter loca montium, & census, & quare in montibus non procedat id, quod habetur num. 19.*
22 *De excrescentia accidentali fructuum ob diminutum pretium in sorte.*
23 *Quæ sit vera ratio, cui innixa est reductio fructuum locorum montium.*
24 *Quare non dicatur violari fides, & non observari contractus, & quare id sequi dicatur.*
25 *De observantia generali aliorum Principatuum, & de particulari hujus Principatus.*
26 *Quod dicta observantia fuerit justa, & rationabilis.*
27 *Non præjudicat reductio, ubi offertur restitutio sortis.*
28 *Quando diminutio dicitur species prohibitæ alienationis.*
29 *Quare in his reductionibus cautè, & circumspectivè procedi debeat.*
30 *Quod hodiè majus Principum, & Rerumpublicarum peculium consistat in fide, & commercio.*
31 *De implicitæ reductione fructuum ob augumentum soliti pretii in sorte.*
32 *De alia diminutione majorum fructuum accidentalium, ob minus pretium solutum.*
33 *De diminutione resultante à deficientia, vel infructuositate bonorum monti assignatorum.*
34 *Damnantur montes Baronales, vel privati, magisve eorum aggregationes montibus Cameralibus.*
35 *Quid ubi defectus provenit à Depositario.*
36 *De fiscalibus, & arrendamentis Regni Neapolitani, an procedat idem, quod supra num. 33.*
37 *De impugnationibus hujusmodi venditionum, vel concessionum, fieri solitis per fiscales.*
38 *An Princeps, vel alter montis debitor possit uti fructibus assignatis pro solvendis fructibus Montistis, & solutiones suspendere.*
39 *De materia monetæ, in qua isti fructus debeant solvi.*
40 *An loca montium subjaceant collectis, aliisque gabellis.*

CAP. III.

POST causam in antecedenti capitulo insinuatam, quæ pro meo sensu major, ac primaria videtur, adeò magnæ excrescentiæ commercii locorum montium, aliorumque similium jurium, securitatis nempè emptorum ab evictionibus, & molestiis, ob libertatem, cum qua in eos transeunt, & quæ libertas magnam quoque præsefert commoditatem, & utilitatem in possessoribus, ob facilem, & promptam hujusmodi locorum venditionem, pro currenti pretio à publico foro negotiatorum statuto, adeo ut habeantur loco pecuniæ promptæ, & numeratæ, dum pro venditione aliorum bonorum magnæ occurrere solent difficultates, magnaque sentiri incommoda in reperiendo emptores, quorum penuria quandoque haberi solèt, ac etiam in concordando de pretio, & quod magis est in evictionis cautionibus, vel ejusdem pretii vinculis, quæ illud notabiliter minuunt. Potiorem locum occupare videtur ordo, qui tenetur circa punctualem, & exactam solutionem fructuum, divisam in sex anni partes, in fine scilicet cujuslibet bimestris promptè per manus Depositarii desuper deputati, qui publicus, & idoneus campsor esse solet, cum ità haberi videatur quædam species pecuniæ certæ, & promptæ in arca pro menstruis stipendiis famulorum, aliisque manualibus quotidianis,

dianis, vel menſturis expenſis neceſſariis pro congrua ſubſtentatione, & quæ commoditas ex aliis bonorum, & inveſtimentorum fructibus, & proventibus reportari non poteſt, non quidem ex fructibus naturalibus, vel mixtis ruſticorum prædiorum, cum prius opporteat pati notabilem jacturam pecuniæ pro cultura, & recollectione, deindèque ſubjacere tot infortuniis, & calamitatibus, priuſquàm congrui recolligantur fructus, & poſtquàm recollecti ſunt, ſupereſt majus incommodum in illorum venditione, cum prompta, & numerata pecunia. Minuſque iſta commoditas habetur in cenſibus, aliiſque fructibus merè induſtrialibus, vel civilibus, ob difficultates, & incommoda in eorum exactione ſingulis temporibus, pro qua continuas lites pati opportet, ſivè eleemoſinaliter illam mendicare à potentibus debitoribus, cum aliis differentiis, de quibus infrà inter cenſus, & loca montium.

Sed quoniam (ità docente ipſa natura) quò majus eſt commodum, eò majus ad menſuram, vel proportionem eſt incommodum, & periculum, ut praxis docet in fœcundis, &
3 felicibus regionibus, quoniam iſtæ magis quàm ſteriles, & infelices ſubjacent corruptioni aeris, & terræ, cum locuſtis, & muribus, aliiſque damnificantibus animalibus, vel cum aliis naturalibus infortuniis, ac etiam magis ſubjacent hoſtium, & latronum incurſionibus, & deprædationibus, unde verificatur illud, quod de nuce dixit Lucanus *nocet eſſe feracem*, ità hæc jura majoribus ſubjacent periculis, & incommodis, ut quotidiana praxis docuit, & docet in pleriſque Orbis noſtræ communicationis, Principatibus, vel partibus, non tamen hucuſque in hoc Pontificio Principatu, in quo præter aliquam moderatam, & honeſtam fructuum reductionem, à juſtitia, & æquitate, pro temporum qualitate non aberrantem, ut infrà, alia in Cameralibus praxis non docuit infortunia, & incommoda, quæ in aliquibus Baronalibus, vel privatis quandoque ſequi ſolent, atque divina aſſiſtente gratia ſperatur, quod impoſterum ſequutura non ſint, quando eadem divina providentia, & miſericordia huic Principatui dare dignetur ſucceſſores Regnanti ſimiles, & qui ejus veſtigia ſequantur.

Quamplura itaque incommoda, ſive quamplures diminutiones in hujuſmodi fructibus locorum montium, aliorumque ſimilium jurium ſequi ſolent; Et præſertim illud, quod huic Principatui quoque fuit, & eſt commune, generalis nempè, & uniformis reductionis, pro temporum qualitate, dum
4 ut liquet ex inſinuatis initio Cap. 1. Proemialis, hujuſmodi locorum montium prima erectio fuit cum fructu decem pro centenario, & tamen paulatim, ità exigente qualitate, vel conditione temporum, per quamplures Summos Pontifices ſucceſſivè iſte fructus, attento præſenti ſtatu redactus fuit ad quatuor, quinimmò iſta ſumma ſolvitur per Cameram debitricem, ſed non percipitur per Montiſtas creditores, illos præſertim, qui ab aliquo recenti tempore loca montium compararunt, ob augumentum illius pretii extrinſeci, vel accidentalis, de quo in Cap. ſeq. unde propterea facta valutatione totius pretii, quod ſolvitur tam intrinſecum, quam extrinſecum, fructus vix importat tria pro centenario, quoniam licet attentis calculis arithmeticis importet aliquid plus, nihilominus ſi valutetur periculum amniſſionis pretii extrinſeci in caſu extractionis, ut infrà eodem Cap. ſeq. illud plus ab hoc periculo abſortum remanet.

Iſta ſpecies reductionis, ad differentiam aliarum accidentalium diminutionum ex cauſis particularibus, de quibus infrà, dicenda venit univerſalis, uniformis, & quodammodo
5 naturalis, utpotè ex beneficio, vel natura temporis cauſata, & quæ juſtitiæ, & æquitatis aſſiſtentiam habere videtur, ut infra, atque de hac ſpecie reductionis principaliter in præſenti agitur, de aliis verò ſpecibus accidentalibus potius obiter, vel incidenter, tum quia iſta tantum practicari conſuevit in locis montium hujus Principatus, de quibus propoſitum eſt agendi, tùm etiam quia, juxta ſeriem, de qua initio Cap. 1. proemialis, iſta ſpecies reductionis huic tractationi cauſam dedit.

Quatenus igitur pertinet ad hanc reductionem, reaſſumendo ea, quæ deducta fuerunt in enunciato diſcurſu pro veritate edito, pro juſtificatione prædictæ reductionis particularis locorum montium Bononiæ; Quamvis ſuperficialium Juriſta-
6 rum, & Moralium vulgus hujuſmodi reductiones, quas abſque intereſſatorum citatione, & cauſæ cognitione, auctoritativè de facto Principes, vel eorum majores Magiſtratus faciunt, damnare ſoleat, procedendo cum generali, & vulgata propoſitione, quod in hujuſmodi contractibus Princeps conſideratur tanquam unus de populo, & tanquam privatus contrahens, ideoque pacta, & contractus, datamque fidem ſervare tenetur, neque in ejus libito, & facultate poſitum eſt illam violare, cum pactorum, & fidei obſervantia ſit de jure naturæ, cui Princeps derogare non poteſt, prout etiam tollere non poteſt citationem partis, utpotè pariter juris naturalis, quinimmò juris divini, ſtante citatione, quam Deus in Paradiſo fecit Adæ, ibi *Adam ubi es?* cum ſimilibus frigiditatibus, per leguleicam ſimplicitatem deduci ſolitis, & quæ in his terminis habentur collectæ apud aliquos modernos Scriptores, *a* ac etiam poſt dictam aliam tractationem officiorum venalium vacabilium in informationibus ſcribentium pro Secretariis Apoſtolicis, ubi curioſus poterit ſibi ſatisfacere. Nihilominùs, ut occaſione diſputationum habitarum ſuper ſuppreſſione prædicti Collegii Secretariorum, ac etiam occaſione dictæ reductionis fructuum locorum montium Bononiæ, & in pleriſque aliis ſimilibus, meâ fuit dicendi conſuetudo, quod omnes errores, omniaque litterariæ Reipublicæ mala ex eo pendent, quod omnium facultatum ſuperficiales profeſſores, magis verò Juriſtæ, & Morales cum generalitatibus, & abſtractibus in particularibus negotiis, & quæſtionibus procedere ſolent, non diſtinguendo caſus, minuſque reflectendo ad ſingulorum caſuum particulares, & individuas circumſtantias, adinſtar imperitorum medicorum, qui cum generalibus Aphoriſmis Hippocratis, vel cum ſententiis Galeni, & Celſi, aliorumque probatorum Auctorum, omnes infirmos pariformiter tractant, & curant, non reflectendo ad diverſitates ætatis, & complexionis, temperamenti, virium, aeris, & temporis, cum ſimilibus. 7

Quare in hoc propoſito reflectendum eſt in primis ad diſtinctionem juſtitiæ commutativæ adminiſtrandæ per Judi- 8
cem habentem arbitrium reſtrictum intra cancellos legum, vel receptarum auctoritatum, & propoſitionum inter privatos, & in negotiis particularibus, cum tela judiciaria decidendis, & juſtitiam diſtributivam adminiſtrandam per Principem ſolutum rigoroſis vinculis legis poſitivæ, & procedentis per viam legis, vel proviſionis generalis, pro recta, & prudenti œconomica adminiſtratione Principatus, vel Reipublicæ. Ac etiam ad aliam diſtinctionem pluries deductam, & inculcatam in alia officiorum tractatione, ſuper duplici diverſa perſona, quæ in Principe conſideratur, una ſcilicet privati contrahentis, adſtricti à prima ſpecie juſtitiæ commutativæ, ad inſtar cujuslibet privati, pro obſervantia pactorum, & contractuum, & datæ fidei; & altera publica Principis, & ſupremi moderatoris Reipublicæ, adminiſtrantis cum longè latiori arbitrio juſtitiam diſtributivam, junctam cum illa publica æconomia, quæ per aliquos, ad differentiam æconomiæ privatæ, Polytica dici ſolet.

In prima itaque prædictæ diſtinctionis parte, quod ſcilicet Princeps conſideretur ſolùm tanquam privatus contrahens, quodque agatur de obſervantia particularium contractuum, & pactorum, juxta tramites juris, etiam poſitivi, & cum terminis, & regulis juſtitiæ commutativæ adminiſtrandæ per Judicem cum proceſſu, & tela judiciaria, benè procedunt prædictæ regulæ, & propoſitiones, in contrarium deduci ſolitæ, ſecus autem ubi Princeps induat alteram perſonam publicam ſupremi moderatoris, & regulatoris Reipublicæ, exercentis juſtitiam diſtributivam, & adminiſtrantis dictam publicam æconomiam, cum legibus, & proviſionibus generalibus, quoniam in iſto poſteriori caſu non intrat determinatio Judicis cum proceſſu, & tela judiciaria, minuſque intrat ligamen legum poſitivarum, & auctoritatum Doctorum, atque cum hac diſtinctione conciliantur tot auctoritates, quæ adeò invicem pugnantes videntur circa poteſtatem Principis tollendi jus tertii, & an ex cauſa privata, vel publica id fiat; *b* Ut puta, exemplificando in praxi, concedit Princeps, vel ejus officialis alicui privato appaltum certæ 9
gabellæ, & tunc iſtum contractum ſervare tenetur, adinſtar cujuslibet privati contrahentis, & cum legibus juſtitiæ commutativæ, juxta quas procedere debet, ſi prætendit poſſe talem contractum impugnare ex fiſcali privilegio addictionis in diem, de quo in ſua Regalium ſede agitur *c* vel ex capite læſionis, quæ in fiſco minor ſufficit, quàm in privatis, ut in eadem Regalium ſede, *d* ſed ſi expediat pro bono publico tollere, vel ſupprimere illam gabellam, tunc tanquam Princeps id facere poterit, ſeque declarare abſque proceſſu, & tela judiciaria ſolutum ab illa obligatione, quam alias ratione contractus ex juſtitia naturali haberet, pro ejus facto voluntario, ſine juſta cauſa, juxta caſum in ſpecie in eadem Regalium ſede peractum: *e* Sivè concedit idem Princeps appaltum dohanarum, & pedagiorum

giorum pro introductione, vel respectivè transitu mercium, aliorumque bonorum, & tunc non potest ipse cum facto voluntario, & sine causa prohibere introductionem, vel respectivè transitum, aut pro mercimonio, vel ad complacentiam aliorum introducere merces absque solutione gabellæ, ex privilegio, quod ipse, ejusque fiscus habet, atque si oritur quæstio in casibus particularibus, an tale privilegium intret nec ne, determinandum est à Judice per tramites juris cum tela, & processu judiciali, & ad limites justitiæ commutativæ, juxta casus particulares, pariter in eadem Regalium sede per actos *f* atque aliter agendo diceretur contractum non observare, datamque fidem violare, cum obligatione ex lege justitiæ naturalis reficiendi conductori totum id, quod interest, sed si ob accidens belli, vel pestis, aut famis pro publica necessitate, vel utilitate expediat prohibere commercium aliquarum personarum, vel nationum, sivè introductionem aliquarum mercium, vel bonorum, aut demandare introductionem frumenti, aliorumque victualium absque solutione gabellæ, vel dohanæ, tunc id agere dicitur tanquam Princeps, & supremus administrator justitiæ distributivæ, & publicæ œconomiæ, ideòque non ligatur à vinculis legis positivæ, neque tela judiciaria requiritur, neque per hoc erit dicendus violator contractus, & fidei, dùm id gerit ex diversa persona, & potius ex necessitate, quàm voluntariè; Vel si Princeps vendit feudum, tunc pro facto voluntario, & pro non implemento, vel inobservantia contractus, de justitia adinstar cujuslibet privati contrahentis, tenebitur de evictione, vel alias ad quanti interest, sed si pro pace ineunda, & ex ejus capitulationibus tollat illud feudum emptori, ut restituat priori possessori, qui per felloniam privatus fuerat, juxta casum particularem in Feudali sede peractum, *g* non intrat dicta obligatio, sed solùm illa restituendi id, in quo factus est locupletior, quoniam hunc actum gerere dicitur ex diversa persona, istique casus inter fortuitos recensendi sunt, cum similibus deductis in dicto tractatu de officiis Cap. 17. & alibi.

His autem ità prænotatis, atque descendendo ad speciem pluriès enunciati casus particularis reductionis factæ fructuum locorum montium Bononiæ, cum ex isto casu cum sua proportione ad omnes alios similes inferri valeat, eadem reductio motivata fuerat in antecedenti Pontificatu, atque desuper consultus insignis quidem fisci, & Cameræ Advocatus Petrus Franciscus de Rubeis, cujus pluries habetur illa honorifica mentio, quæ de justitia eidem debita est, *h* respondit ipse pro reductione, ex motivo magnæ læsionis, exindè Cameræ resultantis, procedendo cum propositione in suis respectivè sedibus tradita, & recepta per Civilistas, *i* ac etiam per Canonistas, *l* quod scilicet in contractibus, & obligationibus habentibus tractum successivum, quamvis initio, & de tempore, quo sunt initi, essent justi, nihilominùs si tractu temporis efficiuntur injusti, nimiumque læsivi, & iniqui, ad justitiam, & æquitatem reduci debent, juxta auctoritates desuper circumferri solitas, *m* & copiosè pro ejusdem respondentis stylo deductas in responso desuper edito, quod per Camerales ista occasione exhibitum fuit, totum fundamentum in eo constituendo. Ego verò dicebam hanc vtam, sivè istud motivum mihi non placere, nimiumque periculosum videre, quoniam ubi procedendum esset cum terminis læsionis præexistentis de tempore contractus, adhuc inter privatos non privilegiatos vix intraret læsio simplex, & ordinaria, quæ enormis dicitur, dùm attento calculo arithmetico, non adest excessus ultra dimidium, qui solùm considerari posset ratione impeditæ facultatis redimendi, quæ est pretio æstimabilis, & minuit de pretio, cujus pars dicitur *n* atque comprobat quotidiana praxis ob notabilem differentiam fructuum inter census reservativos irredimibiles, & census consignativos redimibiles; In fisco tamen, non solùm enormis læsio adesse diceretur, sed etiam enormissima, quæ inter non privilegiatos dicitur, quando est ultra bessem, ut in suis sedibus advertitur, *o* dùm in fisco ad simplicem, vel enormem sufficit sexta, *p* ideòque habita proportione cum regulis arithmeticis, longè major est ista læsio in dimidio supra sextam, quàm esset in besse supra dimidium. Verùm ad rem isti læsionis termini non intrant, quoniam, de tempore initi contractus, iste erat justus, & potiùs Cameræ favorabilis, quoniam, ut superiùs insinuatum est, attenta illorum temporum conditione, usuræ, vel accessiones ad decem pro centenario erant infimæ, nimiumque suaves, cum essent ad 33. pro centenario, adeòut intra triennium sortem adæquarent, *q* ideoque sufficit, quod attento illo tempore contractus esset justus, & non læsivus, non curato supervenienti casu, qui alterationem induxit, quoniam poterat idem casus inducere diminutionem, ac propterea dicta propositio non procedit de stricto jure, & de rigorosa justitia, sed potiùs ex quadam æquitate, ad cujus effectum requiritur læsio maxima, quæ propterea redoleat magnam injustitiam, & quamdam speciem iniquitatis, puta quia illa obligatio, quæ attento eo tempore erat in decem, ex temporum, ac rerum accidentibus ità excessiva, & iniqua reddita sit, quod importet centum, sivè magis, vel minus pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, & cum hoc præsuppositio loquuntur Doctores hanc propositionem firmantes. *r*

Clariùs verò, & cum minori dubitandi ratione, quoniam iste casus, de quo agitur nimium rarus, forteque singularis est, ut fructus excreverint in dimidio, adeout eos dimidiare oportuerit, quoniam pro frequenti, & quotidiana praxi considerari solet modicus excessus in uno, vel etiam in dimidio scuto, in quo solum fiat reductio, ut ultra exempla generalia, inferiùs enuncianda aliorum Principatuum, vel regionum, individualiter habemus in hoc eodem monte Fidei, qui ex eadem causa, eodem anno, & per eundem Pontificem erectus fuit in Urbe ad rationem decem pro centenario, quoniam Paulus Tertius successor immediatus illum reduxit ad septem cum dimidio, Sixtus Quintus reduxit ad sex, Paulus Quintus ad quinque, Innocentius autem Decimus fecit reductionem generalem ad quatuor cum dimidio, & Alexander Septimus fecit aliam reductionem generalem ad hodiernum statum, nempè ad quatuor, undè propterea nullatenus ista propositio est ad rem adaptabilis. 15

Illa igitur exclusa, adeout in præfato responso viri alioquin doctissimi, nullum fundamentum constitui posset, considerabam an adaptari possent ea, quæ in Censuum sede habentur deducta *f* super generica reductione censuum, quamvis contractorum per privatos, vel ea, quæ, desumendo à Romanorum antiquis provisionibus super moderatione usurarum, habentur apud aliquos modernos, *t* super quibusdam reductionibus generalibus, quæ sub Carolo Quinto, aliisque Principibus in diversis Principatibus, & regionibus factæ fuerunt. Verùm pariter nimium dubitabam de applicatione ad casum. Distinguendo siquidem census ab aliis usurariis accessionibus, quatenus ad istas pertinet, illæ sunt simpliciter, & in totum illicitæ, adeòvt non detur parvitas materiæ, solumque aliquando tollerantur, non autem canonizantur, atque in hac tollerantia adhiberi solet provisio moderativa excessus, eo modo, quo praxis docet in usuris Judeorum, *u* ideòque posito, quod agatur de fructibus, vel accessionibus, quæ usurariam infectionem habeant, intrare non potest identitas rationis, neque ab eis arguere licet ad istorum montium fructus, quos esse licitos, & ab usuraria labe alienos, non videtur dubitandum, adeòvt de ineptia, vel temeritate redarguendi sint illi, præsertim puri scholastici, qui nullam negotiorum, & rerum peritiam habentes, atque cum generalibus propositionibus, vel sophisinatibus procedentes, hujusmodi dubitationes excitant, conscientias indebitè inquietando, dum ex judicio Sedis Apostolicæ, omniumque Principum, & ex recepto usu totius Orbis Christiani, ista species contractus, vel commercii licita reputatur, etiam in Ecclesiis, & Monasteriis, & locis piis, ac personis Ecclesiasticis, & religiosis, adinstar illius dubitationis, quam aliqui moderni Theologicarum, vel Canonicarum propositionum superficialem notitiam habentes, sophisticas excitant quæstiones super dote Monialium, atque ex rationis identitate procederent quoque in dote conjugatarum, cum similibus. 16 17

Magis verò proximi videntur termini censuum, quibus, ut in Cap. 1. Proemiali insinuatum est, plerique istos montes assimilant, sed pariter aliqua dignosci videntur æquivoca, non distinguendo diversas censuum species, atque adhibendo promiscuè illas auctoritates, quæ de una, vel altera specie loquuntur, exindèque inferendo ad illam de jure non concedendam reductionem in Emphyteotica sede peractam, *x* quoniam alii sunt census reservativi, qui sub canonum, aut livellorum, vel responsionum vocabulo explicari solent, solvendi in recognitionem dominii, & loco portionis dominicalis, quæ domino per colonum, vel emphyteutam, sive censitum præstanda est, & in quibus nullatenus intrant termini usurarii, & alii sunt census consignativi, importantes pecuniarias ac- 18

ces-

ceſſiones, quæ pro recepta pecunia præſtantur, unde propterea intrant uſurarum termini, quatenus præſcripta forma non benè ſervetur, ideoque diverſi ſunt termini, diverſæque rationes; & per conſequens auctoritates percutientes primam ſpeciem cenſuum, vel præſtationum reſervativarum ratione dominii, prorſus extraneæ ſunt à caſu quæſtionis.

Proximæ autem videntur illæ auctoritates, quæ habentur in cenſibus conſignativis, quorum quandam imaginem, vel ſimilitudinem iſti montes habere videntur: Verum quidquid ſit ad alios effectus, ad iſtum tamen generalis, & uni-
19 formis reductionis, vel taxæ fructuum, neque iſti termini intrant, & parificatio non benè procedit, quoniam, ut latius in propria Cenſuali ſede advertitur, & in cenſibus verificabilis non eſt univerſalis, & uniformis taxa fructuum, præterquam per non exceſſum, ut ſcilicet excedere non poſſint decem pro centenario, juxtà Bullam Nicolai Quinti, quam licet localem pro utriuſque Siciliæ Regnis, communiter eſt receptum, ubique in hoc attendi debere, ſed intra iſtam ſummam fructus nimium varius eſſe ſolet pro qualitate regionum, & locorum, in quibus major, vel minor currat pecuniæ numeratæ copia, vel inopia, nec non pro qualitate debitorum magis, vel minus idoneorum, ſeù facilioris, vel difficilioris coactionis ad ſolutionem, ac etiam pro majori, vel minori ſumma, vel quantitate ſortis, & quod magis eſt, pro qualitate fundorum cenſitorum, & an magis, vel minus ad præſcriptum Bullæ Pianæ ſubjaceant periculo peremptionis, vel infructuoſitatis, cum aliis conſiderationibus in præfata cenſuali ſede deductis, ad probandum, quod iſta generalis, & uniformis taxa, vel reductio in cenſibus conſignativis non eſt practicabilis; Illa quoque accedente conſideratione, quod privati debitores rem propriam agentes, ſuorumque bonorum adminiſtrationem habentes, atque diligentes patres familias regulariter, & pro frequentiori contingentia præſupponendi, rectè eorum indemnitati conſulere poſſunt cum propria induſtria, & diligentia, quatenus etiam pecunias non habeant pro redemptione, curando habere pecunias ab aliis cum eodem contractu ad minorem rationem, ut frequens, & quotidiana praxis docet in Religionibus, & locis piis, & in idoneis, probatiſque privatis, undè propterea intrat dilemma in enunciata cenſuum ſede inſinuatum, quod aut debitor eſt idoneus, & probatæ fidei, ac facilis conventionis, bonoſque, & tutos habet fundos à peremptionis, vel infructuoſitatis periculo magis remotos, ideoque ſunt facilis exactionis, & tunc, in magnis præſertim Civitatibus, vel emporiis, & plateis, in quibus pecuniarum, & negotiatorum eſt copia, quæ ſecum fert inopiam, vel difficultatem bonorum, & tutorum inveſtimentorum, utique inveniet pecunias ad minorem fructum; Aut iſtæ bonæ circumſtantiæ in toto, vel in parte ceſſant, potiuſque urgent malæ, & tunc ſi non inveniet, ſignum eſt majoris periculi, quod eſt pars pretii, & cauſat majorem fructum, periculi recompenſativum; Unde propterea praxis docet, quod in eadem Civitate, vel mercantili platea, cum potentibus, & difficilis exactionis, vel alias minus idoneis, aut ſuper fundis periculoſis fructus eſt penè dimidio major, quàm ſit cum privatis, aut locis piis idoneis, facilis exactionis, tutoſque fundos habentibus; Ac etiam eadem praxis docet, quod in oppidis, & caſtris ejuſdem provinciæ, vel ditionis, eidemque Civitati, vel plateæ adjacentibus, pariter ob fundorum qualitatem, & creditorum abſentiam, aliaſque circumſtantias, fructus eſt dimidio major, & ultra: Ergo prorſus vanum, & fabuloſum videtur in iſto contractu cenſuali certam, generalem, & uniformem ſtatuere taxam, præterquam per non exceſſum, aliqualiter reſtringendo dictam taxam Nicolai Quinti, idque in Communitatibus potiùs, quàm in privatis, ut fecit Clemens Octavus cum Communitatibus Status Eccleſiaſtici, quibus in aliqua parte congruere videtur ea ratio, quæ infrà in montibus conſideratur, ſed pariter impracticabilis eſt eadem uniformis, & generalis taxa affirmativa, cum in Communitatibus quoque intrent eædem conſiderationes majoris, & reſpectivè minoris idoneitatis, & periculi, de quibus ſupra. Et nihilominus neque deſuper provideri poſſet cum ordinaria, & judiciali auctoritate, ad limites juſtitiæ commutativæ, & intra præciſos, &
20 rigoroſos cancellos juris, cum ad hunc effectum requiratur illa magna læſio, quæ redoleat iniquitatem, ut ſupra, ſed providere deſuper pertinet ad Principem, tanquam ſupremum Reipublicæ regulatorem, & juſtitiæ diſtributivæ, nec non publicæ œconomiæ adminiſtratorem, egrediendo poſitivi juris cancellos, & negligendo judicialem telam, per viam legis, ut in dicta Conſtitutione Clementis Octavi, & in Pragmaticis Regni Neapolitani, aliorumque Principatuum legibus praxis docet.

Iſtæ verò conſiderationes ceſſant in montibus, aliiſque ſimilibus juribus, quoniam unus, & idem eſt omnium debitor 21
publicus, omniumque creditorum eadem, & æqualis eſt conditio, eademque bona, vel jura pariformiter omnibus affecta ſunt, abſque periculo peremptionis, vel infructuoſitatis fundorum aſſignatorum de jure, licet quandoque tale periculum ſequatur de facto, ut advertitur infra, agendo de aliis diminutionis fructuum ſpeciebus; Atque ſi aliqua majora, vel minora ſuppetunt pericula, illa cauſant majus emolumentum in fructibus, quod eſt periculorum compenſativum, non quidem ut augeatur conſuetus fructus in erectione montis, vel in alia proviſione univerſaliter ſtatutus, ſed indirectè ob diminutionem pretii in ſorte, quod ſcilicet quamvis pretium intrinſecum, & naturale ſingulorum lo- 22
corum ſit ſcutorum centum, quando tamen imminent pericula, vel eorum probabilis timor, aut ſuſpicio habetur, non inveniunt emptorem pro dicto pretio, ſed pro longè minori, ac vario, juxta temporum, & periculorum qualitatem, & quæ diminutio pro aliquorum Principatuum ſtylis, explicari ſolet ſub vocabulo *alagii*, emendo puta quemlibet locum ad rationem ſcutorum quinquaginta, vel ſexaginta, ſive plus, vel minus, ideoque ſi fructus, exempli gratia, generaliter, & de natura montis eſt ad rationem quatuor pro centenario, ita habita ratione pretii, quod ſolvitur, efficitur ad rationem octo, vel ſeptem, ſive plus, vel minus, juxta caſum latè peractum ab aliquibus modernis, elaboratè quidem materiam tractantibus; & Idque frequenter in aliquibus Principatibus praxis docet, in hoc autem rariùs in montibus Cameralibus, in quibus etiam noſtra ætate practicari vidimus circa finem Pontificatus Urbani Octavi, vigente quodam bello, quod Sedes Apoſtolica (iniuſtè quidem) paſſa fuit cum aliquibus Principibus, ut ſatis notæ docent hiſtoriæ, quoniam cum notabili lucro emptorum, qui hanc aleam ſuſcipere non metuerunt, loca montium Cameralia vendita fuerunt ad rationem ſexaginta, vel ſeptuaginta pro quolibet, atque ad breve tempus, terminato bello, magis vero immutato Pontificatu, ſub Innocentio Decimo ſucceſſore priorem recuperarunt æſtimationem, atque in commercio fuerunt, non ſolum pro intrinſeco, & naturali pretio ſcutorum centum, ſed etiam pro aliquo majori pretio extrinſeco, non obſtante ſuperius enunciata reductione ab eodem Innocentio facta. Frequentiùs verò id ſequutum fuit, ac etiam actualiter ſequitur in quibuſdam montibus Baronalibus, vel privatorum, ob deficientiam bonorum aſſignatorum pro dote de facto, ut præſertim ſequitur in illis montibus, dotem in Ferrarienſi territorio habentibus, qui Bentivoli, & Gualenghi nuncupantur.

Vera itaque, & germana ratio hujus reductionis, aut veri, & proprii ejus termini in eo conſiſtere videntur, quod 23
ſcilicet Principis, vel Reipublicæ Camera hujuſmodi montium debitrix, eſt perſona ficta, & idealis, conſtituta ex univerſo populo, ejuſque omnibus ſpeciebus, & ſic etiam ex infantibus, pupillis, viduis, virginibus, pauperibus, aliiſque miſerabilibus perſonis; ideoque meritò regulatur jure hujuſmodi miſerabilium perſonarum, ſub aliena legali, & neceſſaria adminiſtratione viventium, & per conſequens, cum hæc Reſpublica ob urgentes indigentias in ejus accidentibus, & calamitatibus ſoleat eſſe ſubjecta ſuffocationibus, patiendo majores uſuras, vel majores fructus, ut emptores alliceret pro habendo promptè, & celeriter illam pecuniam, quæ pro publica neceſſitate, vel utilitate in illis accidentibus, & calamitatibus eſt neceſſaria, neque illi facilè reddatur adhibere illam induſtriam, & diligentiam, quæ ſuperiùs agendo de cenſibus enunciata eſt, & quam providi, & diligentes patres familias adhibere poſſunt, & ſolent, curando invenire ab aliis pecunias ad minorem fructum, idcircò ille Princeps, vel reſpectivè major, & ſupremus Magiſtratus, qui tanquam ejuſdem Reipublicæ curator, & adminiſtrator hoc debitum, neceſſitate impellente, contraxit, videns poſtea, quod ob temporum meliorem qualitatem, & commercii majorem facilitatem, & per conſequens tutorum inveſtimentorum majorem difficultatem inter privatos idoneos cenſuum, vel ſtabilium inveſtimenta ſequuntur communiter in loco, ad minorem rationem, hinc inducndo

diver-

diversam personam supremi Judicis, & administratoris Justitiæ distributivæ, & publicæ œconomiæ, ita occurrere curat Reipublicæ suffocationi, & ne ista deterioris remaneat conditionis, quàm sint privatæ personæ; Potissimè quia, ut initio hujus Capituli, ac etiam in Cap. antecedenti animadversum est, ista species investimenti est longè commodior, & melior, quàm sit illa censuum, vel bonorum stabilium; ideoque sicuti, si Respublica debitrix posset extinguere montem, cum restitutione pecuniæ, cogerentur creditores pro currenti usu illam erogare cum minori fructu in investimenta minus tuta, & minus commoda, ita omnis justitiæ, & æquitatis ratio suadere videtur, ut ijdem creditores eodem fructu, à temporis, & commercii qualitate diminuto, sint contenti. Neque exindè dici potest, quod Princeps contractum, & pacta non observet, atque datæ fidei sit violator, quoniam
24 tunc id procederet, quando Princeps, eadem retenta contrahentis persona, absque nova superventa causa publicæ necessitatis, vel utilitatis, ità se gereret, potiùs ad utilitatem propriam, vel suorum conjunctorum, vel familiarium, sive ad luxus, & oblectamenta, aliasque malè regulatas elargitiones, & dissipationes, quia tunc non Principis, sed potiùs tyranni partes agere diceretur, sivè juxta parabolam Evangelii, non pastoris, sed mercenarii officium gereret, principaliter quærendo proprias utilitates, vel commoditates, forteque aliquando sensualitates, juxtà ea, quæ distinguendo Principem à Tyranno *in Principis practici opusculo* advertuntur. Secus autem ubi, rerum statu immutato, eisque non permanentibus in eo statu, in quo erant de tempore contractus, atque superventa nova causa publicæ necessitatis, vel utilitatis, ipse induat, & assumat aliam superiùs distinctam personam supremi curatoris, & administratoris Reipublicæ, principaliter, more veri, & boni Principis, curando utilitatem, & tranquillitatem populorum, quorum major pars in pauperibus, & miserabilibus personis consistit, & quæ sub tributorum, & gabellarum, aliorumque publicorum onerum jugo gemunt, & opprimuntur, ut ità aliqualiter subleventur, dùm tunc Justum, æquum, & pium opus geri dicitur, ad favorem eorum, qui certant de damno vitando, quinimmò ad favorem ipsius Reipublicæ, & Principatus, ut ità populi subditi conserventur magis idonei, & habiles ad alia onera, quæ pro novis accidentibus, & calamitatibus imponere oporteat, in concursu creditorum, qui certant de majori lucro captando, & de obtinendo illum majorem fructum, quem ità promptum, & tutum reportare non possent ex aliis suarum pecuniarum investimentis, si Respublica illas restituere posset, istique videntur veri, & proprii materiæ termini, sivè ista est vera, & germana ratio, cui hæc reductio, quando benè regulata sit, innititur, facienda per supremum Principem cum dictis regulis justitiæ distributivæ, vel publicæ œconomiæ, quamvis per Judicem cum regulis justitiæ commutativæ fieri non posset.

Nimium quoque præmissa comprobat universalis, antiqua, & continuata totius Orbis nostræ communicationis,
25 omniumque Principatuum, & Rerumpublicarum observantia, quæ in omnibus dicitur magna interpres, magnaque comprobatio, & præsertim in Principatu, & in montibus, de quibus agitur, docet superiùs enunciata penè duorum sæculorum continuata observantia, sex Pontificum, nempè Pauli Tertii, Sixti Quinti, Pauli Quinti, Urbani Octavi, Innocentii Decimi, & Alexandri Septimi; quibus etiam addi potest Clemens Octavus in consimili reductione censuum quam fecit ad favorem Communitatum, cum in tot Summis Pontificibus, eorumque ministris, & Consiliariis, Prælatis, ac viris ecclesiasticis, & religiosis, talis præsumi non debeat injustitia, quæ per vulgares, imperitos, vel per contemptibiles superficiales opinari solet. Quinimmò injustitia juncta cum impudentia, & mala administratione fuisset ad
26 non agere; præsupponendo siquidem quod præfati Pontifices dictas non fecissent reductiones, quodque juxtà illam immutationem status rerum, & mundi, quam experimur, pretia rerum ita excreverint, atque bonorum stabilium, & censuum, aliorumque investimentorum fructus minores effecti sint, ad currentem rationem quatuor, vel trium pro centenario, longèque minus in bonis jurisdictionalibus, aliisque qualificatis, & conspicuis, quæ vix fructant duo, utique stultitiæ, magnæque impudentiæ species fuisset, dictas reductiones non facere, sed continuare in solutione fructuum locorum montium ad prædictam rationem decem, ut clarè ad sensum patet, ideoque sicuti prædicti Pontifices commendatione potiùs digni censendi sunt, quodque pro temporum qualitate justè, & rectè dictas fecerint reductiones, ita idem dicendum ex eadem ratione videtur in illis, quæ cum regula paulatim imposterum fierent, quia sic temporis qualitas exigat; Multo verò magis, & absque dubitandi ratione in hac particulari reductione, de qua agitur, magni excessus in duplo, & ultra, quam injustitia potiùs, & imprudentia dicenda est non fecisse.

Omnisque penitus dubitandi ratio cessat, quando (ut in hac particulari reductione practicatum est) Princeps non cogit invitos, & nolentes perseverare in contractu illam pati, 27
sed in ipsorum creditorum arbitrio, & facultate reponit sortem jam oblatam, & promptè restituendam recipere, dùm ità nulla eis inferri dicitur injuria, vel fieri coactio; unde propterea negligendo oblatam sortem recipere, & in contractu continuare, ità occultari dicuntur duo actus, eo modo, quo in novationibus lex fingit, vel præsupponit; Unus nempè extinctionis antiqui montis; Et alter creationis novi sub minori fructu.

Atque ità tollitur illa verè insulsa difficultas, quam aliqui superficiales facere solent, ubi agatur de Ecclesiis, vel per- 28
sonis privilegiatis, & alienare prohibitis, ex propositione in suis casibus vera, quod censuum, aliorumque reddituum diminutio, quæ vulgò appellatur sbasatio, dicitur species prohibitæ alienationis, adeout cadat sub *Extravag. Ambitiosæ*, aliisque similibus juribus, *aa* quoniam id procedit in diminutionibus voluntariis, ad quas alienare prohibitus de jure cogi non posset, secus autem ubi de actibus necessariis, & ad majorem utilitatem potiùs ordinatis, ne amittatur illud tutum, & antiquum investimentum, pro faciendo novo, incerto, & minus tuto, ut quotidiana praxis docet in reductionibus fructuum censum cum illis bonis, & idoneis debitoribus, qui de facili inveniunt ab aliis pecunias ad minorem fructum, pro antiquo graviori censu extinguendo. Et si dicatur, quod in isto particulari casu Bononiæ, creditores dictam oblationem recipere non tenentur, stante pacto irredimibilitatis, prompta est replicatio, quod admissa etiam subsistentia dicti pacti, inducentis perpetuam servitutem, de quo agitur in Cap. sequenti, id magis comprobat fructuum excessum, ut supra, & debitoris suffocationem, cui cum ejus industria, & diligentia consulere non potest, ideòque magis intrare debet Principis officium, & arbitrium, ut suffocationi occurratur.

Quamvis autem attentis legibus, & regulis justitiæ, hæc ità procedant, adeòut hujusmodi reductiones, quoties ut supra ad publicam utilitatem, & populorum levamen, cum debi- 29
ta proportione ad tempora currentia, aliasque circumstantias benè ordinatæ sint, non possint redargui de injustitia, minusque intrent termini violationis fidei, & inobservantiæ contractuum, & pactorum; adhuc tamen attentis legibus prudentiæ, & congruentiæ, nimium circumspectè, cautè, & maturè in hujusmodi determinationibus procedendum videtur, quando non cogat necessitas, nimiaque Reipublicæ, & populorum oppressio, vel non urgeat ratio magni excessus, ut in dicto casu particulari urgere videbatur, tum ob rationem non immutandi, & notabiliter deteriorandi statum nobilium, & civilium præsertim subditorum, quorum (ut initio præmissum est) notabilior assis in hujusmodi redditibus consistere solet, dùm talis diminutio insensibiliter influit in damnum ejusdem Cameræ, & Reipublicæ, ob illam diminutionem gabellarum, & publicorum reddituum, quæ à cessantibus majoribus tractamentis, & sumptibus sequi solet, adeout quædam hujusmodi, aliorumque reddituum pars, ubi sint penes subditos, qui publicis subjacent oneribus ad eundem Principem, ejusque ærarium redeat; Tùm etiam ad alliciendum negotiatores, conservando, quò magis fieri potest, commercium, & fidem, in quibus ho- 30
diè, distractis, peneque anihilatis publicis bonis, & juribus, totum Principum, & Rerumpublicarum in eorum occurrentiis peculium consistere videtur, ut in alias insinuato opusculo *de Principe practico* advertitur; E' converso autem hoc motivum ansam præbere non debet avaris negotiatoribus Cameram, & Rempublicam suffocandi, atque majora lucra, ultra communem, & currentem usum exigendi.

Aliæ item quamplures reductionum, vel diminutionum hujusmodi fructuum species dari solent, & præsertim illa, quæ proindè secundo loco recensenda est, in hoc quoque Princi- 31
patu nuper practicata, quod scilicet nulla fiat consueti fructus currentis reductio, vel diminutio expressa, & directa, sed illa indirectè, & implicitè sequatur, ratione alterationis consueti intrinseci, & naturalis pretii in hujusmodi locorum

rum montium venditione. Cum enim ob punctualem ſolutionem fructuum montis, Reſtaurati nuncupati primæ, ſecundæ, & tertiæ erectionis, ad rationem quatuor pro loco, aliaſque bonas circumſtantias, ſub hoc regimine valor extrinſecus locorum dicti montis notabiliter excreviſſet in ſcutis viginti, ultra ſcuta centum valoris naturalis, & intrinſeci, cum periculo ammiſſionis dicti pretii extrinſeci in caſu extractionis, adeovt computato etiam dicto periculo, fructus eſſet ſcutorum trium circiter, hinc opportunum judicatum fuit facere dicto monti Reſtaurato additionem, ad effectum erogandi pretium exindè retrahendum in extinctionem duorum montium in auro, erectorum per Urbanum Octavum, & Innocentium Decimum, ad eamdem rationem ſcutorum quatuor, ſed cum alio gravamine ſolvendi aggium auri, quod in dies creſcit, atque hujus additionis loca ad Cameræ commodum vendere, ad rationem ſcutorum centum triginta pro quolibet, cum promiſſione in caſu extinctionis reſtituendi etiam ſcuta triginti ſupra centum, ut fuiſſe practicatum ſub Sixto Quinto inſinuatur in conſueta Regalium ſede, *Bb* adeovt totum eſſet pretium intrinſecum, dicto periculo non ſubiectum, undè propterea magis expediat emere pro iſto majori pretio ſcutorum centum triginta, quàm ad minus pretium ſcutorum centum viginti ſub dicto periculo, atque ità adeſſe dicitur implicita reductio fructuum à quatuor ad tria, vel parum plus. Verum ſuper iſta ſpecie reductionis nullum cadit dubium, dum nulli fit injuria, vel præjudicium, cum in libertate emptorum ſit repoſitum illa comparare. De hac verò differentia pretii intrinſeci, & extrinſeci agitur in Cap. ſeq.

Tertia ſpecies reductionis, non quidem fructuum currentium, & naturalium, ſed illorum majorum fructuum, quos 32
ut ſupra inſinuatum eſt, producit accidentalis diminutio pretii, quia nempè emptis locis montium, vel ſimilibus juribus, ad rationem ſcutorum quinquaginta pro quolibet, ità fructus eſſet ad octo pro centenario, Princeps verò, vel major Magiſtratus provideat, ut emptor contentus eſſe debeat ſolito, & naturali fructu quatuor, ad ratam pretii verè ſoluti, qualis eſt caſus in ſpecie tractatus per ſæpius enunciatos modernos auctores. *cc* Verùm iſta non eſt propriè reductio, ſeù diminutio fructuum jam ſtatutorum, ſed eſt potius diminutio pretii in ſorte, ideòque cadit ſub Cap. ſeq.

Quarta eſt ſpecies illius caſualis, vel accidentalis diminutionis fructuum, quæ non reſultat ab auctoritate, vel proviſione Principis, vel Magiſtratus, ſed à diminutione, aut in- 33
fructuoſitate bonorum, vel jurium aſſignatorum pro dote montis, & pro ſolutione fructuum, ex fructibus, vel proventibus ipſorum bonorum, vel jurium, quæ aſſignata fuerunt, quaſi quod ita procedat idem, quod habetur in cenſu conſignativo, ut perempto, vel reddito infructifero fundo cenſito, pereat cenſus; ſi verò ſequatur diminutio ejus fructuum in parte, remaneat cenſus frugifer ad ratam fructuum, vel capacitatis fundi, ut videtur eſſe ſenſus aliquorum modernorum, qui hanc montium materiam aliqualiter tractarunt. *dd* Verùm, & in hoc procedi videtur cum aliquo æquivoco, dum ex pluries inſinuatis, nil commune habet unus contractus cum altero; In cenſuali ſiquidem præmiſſa procedunt, non ex aliqua juris communis diſpoſitione, vel ex ipſius contractus eſſentia, vel intrinſeca natura, ſed accidentaliter, quia ſic prudenter, & piè viſum fuit B. Pio Quinto ſtatuere, ad dirimendas Theologorum illorum temporum quæſtiones, & dubitationes circa cenſus perſonales, quos illicitos, & uſurarios eſſe prætendebant, quamvis forſan temere, dum acquieſcere debuiſſent judicio Martini Quinti, & Calixti Tertii, ac Nicolai Quinti, aliorumque Pontificum, & recepto uſui, ut in ſæpius enunciata Cenſuali ſede advertitur; *ee* Non videtur tamen, quomodo ad hac moderna lege, inducente quamdam novam formam in uno recentiori contractu, inferendum ſit ad alterum antiquiorem diverſum, in quo diverſæ militant rationes, ut pluries advertitur ſupra, expendendo differentias inter unam, & alteram hujuſmodi contractuum ſpeciem. Quare in hoc puncto, neglectis generalitatibus, quæ omnium errorum, & æquivocorum videntur eſſe parentes, non videtur quod certa, & determinata regula, vel deciſio generalis, ubique attendenda, deſuper ſtatui valeat, ſed quod procedendum ſit cum legibus, & ſtylis, Principatuum, & ditionum, ſeù verius cum lege, & fundatione cujuslibet montis, vel ſimilis juris, inſpiciendo, an bona, vel jura, quæ pro montis dote aſſignantur; ſtent taxativè, adeout dantes pecuniam, qui Montiſtæ, vel emptores, aut creditores appellari ſolent, ſequantur ſolùm fortunam, fidem, & idoneitatem illorum bonorum, vel jurium, vel è converſo illa ſtent ſolùm demonſtrativè, pro commoditate percipiendi fructus, & pro illa diſtinctione, quæ in hujuſmodi negotiis neceſſaria videtur, ad evitandas confuſiones, & tanquam per quamdam hypothecam ſpecialem, cum obligatione tamen omnium aliorum bonorum, & jurium erectoris, vel debitoris montis, ut in priori caſu intret hæc ratio dubitandi, non autem in poſteriori; Unde propterea pro clariori intelligentia, deducendo rem ad praxim, & exemplificando in duobus adjacentibus, ac majoribus Italiæ Principatibus, unde à ſimili ad alios inferri poteſt; In Statu ſcilicet Eccleſiaſtico, & in Regno Neapolitano. In priori Principatu, de quo inſtitutum eſt agendi (cum de altero ſolùm incidenter aliquid, ut infra, inſinuetur) deficientia, vel infructuoſitas aliquorum bonorum, vel jurium monti reſpectivè aſſignatorum, non attenditur in præjudicium Montiſtarum, cum ſolum bona, & jura ſtent demonſtrativè, non autem taxativè, cum obligatione generali omnium Cameræ, & Sedis Apoſtolicæ bonorum, adeòvt Montiſtæ inquirere non ſoleant quantitatem, & qualitatem bonorum, & jurium monti aſſignatorum, ejuſque depoſitario, qui exindè percipere debeat fructus, cum ſimpliciter ſequantur fidem Cameræ. Aliqua verò inquiſitio fieri ſolet ſuper bonis, & juribus quæ per Barones, vel alios privatos aſſignantur pro dote montis baronalis, quoniam licet etiam in hac ſpecie montium accidat idem, quod in Cameralibus, quod ſcilicet ultra hypothecam ſpecialem bonorum, vel jurium aſſignatorum, adjicitur etiam obligatio generalis omnium bonorum, attamen quia alia bona incerta, & ignota ſunt, adeòvt non intret illa publica, & notoria idoneitas, & fides, quæ præſupponitur in Camera, & Principe, ideirco volentes emere hujuſmodi loca, principaliter ſequi videntur fidem bonorum aſſignatorum, in quibus aliqua privilegia concedi ſolent, & præſertim illud potioritatis, & ſuſpenſionis hypothecarum, & de quo infra Cap. 5.

Et quamvis etiam in hoc Principatu, in iſta ſpecie montium baronalium, vel privatorum hanc diminutionem praxis doceat, ut præſertim ſequitur in ſupra enunciatis montibus Bentivolo, & Gualengo habentibus dotem in quibuſdam bonis notabiliter diminutis in territorio, vel Ducatu Ferrarienſi; nihilominus id provenit de facto, non de jure, eodem modo, quo ſequitur in omnibus aliis creditoribus decocti, vel minus idonei debitoris, ex propoſitione, quod 34
inanis eſt actio, quam debitoris inopia expellit. Exindeque monendi ſunt Pontifices ne ſint faciles ad concedendas, cum publicæ fidei præjudicio, erectiones hujuſmodi montium baronalium, & privatorum, magis verò, ut penitus, & omninò abſtineant à pariter inſinuata aggregatione alicui monti Camerali, quæ Baronibus, vel privatis, nimium quidem damnabiliter, hactenus concedi conſuevit, quoniam ultra alia inconvenientia, de quibus infra in Cap. ſeq. agendo de extinctione, dignoſcitur iſtud nimium Cameræ, vel reſpectivè ſequentibus ejus publicam fidem præjudiciale, quoniam ſi bona aſſignata evincuntur, vel alias deficiunt, ipſeque Baro, vel privatus non ſit in aliis bonis idoneus, tunc de juſtitia teneri fortè deberet ipſa Camera, ſupplere de proprio, quoniam illi, qui loca montium emerunt, ignorantes hujuſmodi clandeſtinas conceſſiones, & aggregationes, crediderunt emere loca illius montis Cameralis, ideòque ipſius Cameræ publicam fidem ſequuti ſunt, atque ſi Camera id deneget, erit fallere ejus publicam fidem; ideòque ſivè uno, ſivè altero modo, magnum dignoſcitur inconveniens.

Prout ſi non deficiant bona aſſignata, proveniat verò defectus à depoſitario deputato, qui bonorum aſſignatorum fructus conſumpſit, vel in alios ejus uſus erogavit, aut quod malè ſolvit, intrat dubium, an excuſetur à debito Camera, vel reſpectivè alter montis debitor, qui eum deputavit. Atque contra deputantem, & montis debitorem videretur eſſe reſpondendum, ex eadem ratione, vel propoſitione, de qua in capitulo antecedenti, agendo de Secretario, quod ſcilicet dominus tenetur de facto famuli, vel præponens de facto præpoſiti, quando hic deficiat in opere, cui præpoſitus fuit, ità etiam omni juſtitiæ, & æquitatis ratione ſuadente, ut de depoſitario malè ſolvente habetur in dicta conſueta Regalium ſede. *ff*

Adhuc tamen dicendum venit idem, quod in eodem antecedenti Capitulo dictum eſt, agendo de culpa Secretarii, quod ſcilicet abſque formali diſputatione, cujus occaſio defuit, maturum judicium deſuper efformari non poteſt, ideoqs locus relinquitur veritati, qua illeſa remanente, videretur procedendum cum illa diſtinctione, quod aut agitur de illis bi-

meſtri-

meſtribus, vel terminis, in quorum exactione non ſequuta nulla poteſt Montiſtis imputari culpa, vel negligentia, & tunc, citra omne dubium, montis debitor teneatur, aut verò aliqua culpa, vel negligentia concurrit, & tunc intret non improbabilis ratio dubitandi.

In alio verò Principatu, Regni ſcilicet Neapolitani, diverſimodè ſe res habet, quoniam ibi non ſunt in uſu loca montium, vel æquipollentia jura cum Baronibus, vel cum privatis, ſed cum Principe, vel cum Civitate Neapolis, quæ ratione reſidentiæ Regis, vel Proregis, ejuſque Conſiliorum, & Tribunalium quamdam figuram Capitis, vel Metropolis dicti Principatus facit; diverſæ autem ſunt dictorum jurium ſpecies, quarum una eſt cum ſolo Rege, ejuſque Camera ſuper fiſcalibus Regni, conſiſtentibus in illis annuis tributis, vel præſtationibus, quas ſingulæ Communitates Regni perſoluunt Regi, ad rationem tot carolenorum pro qualibet familia, ſeù foculari, & de quibus fiſcalibus in ſpecie, occaſione caſus particularis agitur in conſueta Regalium ſede, *gg* atque in hac ſpecie mos eſt, quod venditiones particularibus fiunt de certis ſingulorum locorum fiſcalibus, adeòvt illorum tantùm particularem fidem, & fortunam emptores ſequi videantur, & per conſequens deficientia in toto, vel in parte, ſaltem de facto, (quidquid ſit de jure, cum ob defectum magis diſtinctæ informationis maturum judicium deſuper efformari non valeat) ipſorum periculo, & incommodo cedit. Altera verò ſpecies explicari ſolet ſub nomine, ſeù vocabulo arrendamentorum, eò quia emuntur redditus ſuper dohanis, & gabellis, aliiſque regalibus, & publicis juribus, quæ locari ſolent, ideòque pro uſu loquendi Curiæ Romanæ, conceduntur in appaltum, pro uſu verò loquendi dictæ Civitatis conceduntur in arrendamentum, quod ſonat in idem, iſtaque ſpecies arrendamentorum ſubdividitur in duas ſpecies, quarum una eſt cum Rege, ejuſque Camera, vel Curia, ut (exempli gratia) ſunt arrendamenta dohanarum, ſalium, & ſalinarum, aliarumque gabellarum, & jurium Regalium, competentium per totum Regnum jure Principatus, & altera eſt ſpecies arrendamentorum Civitatis, conſiſtentium in gabellis panis, vel farinæ, vini, olei, carnium, lacticiniorum, aliorumque victualium in ipſamet Civitate, & ſuburbiis, abſque communicatione aliarum Civitatum, & locorum Regni, ſtante uſu, quod cujuslibet Civitatis, vel oppidi, aut caſtri Communitas, pro diverſis locorum uſibus, vel opportunitatibus ſibi imponit gabellas, aliaque onera, ad effectum ſolvendi Regi collectas, aliaſque contributiones, vel donativa, ac etiam ſupportandi reliqua onera communitativa. In utraque verò ſpecie arrendamentorum mos eſſe videtur, quod emptiones, & venditiones fiunt diſtinctè, & taxativè ſuper ſingulis arrendamentis, & per conſequens, quando deficientia, vel diminutio ſequatur in uno, ejus creditores non exindè regreſſum habent ad alia, quæ aliis vendita fuerunt, undè quando talis deficientia ſequitur, mos eſt, quod ipſi emptores, vel creditores aſſumunt arrendamenti adminiſtrationem, ut ità minus ſit eorum damnum, & præjudicium, quod generaliter in omnibus arrendamentis, ad effugiendas conquæſtiones intereſſatorum, quod diminutiones in magna parte provenirent à mala adminiſtratione Miniſtrorum Regis, vel Civitatis, occaſione revolutionum popularium ſequutum fuit de anno 1648., ut patet ex legibus, vel pragmaticis deſuper editis, *hh* unde prodiit opinio, quod ipſa arrendamenta, ſivè ipſæ gabellæ, vel jura data ſint in ſolutum ipſis emptoribus, vel creditoribus, de quorum dominio ſint effecta, quod tamen revera erroneum eſt, cum in effectu id ſolum importet adminiſtrationem, vel mandatum in rem propriam, quod creditori concedi ſolet pro majori, & commodiori perceptione fructuum, firma remanente ſubſtantia dominii penès debitorem, ut ipſarum Pragmaticarum contextus clarè comprobat, adeòvt dicatur datio inſolutum impropria, per quemdam uſum loquendi, quod nimium refert inſpicere ad plures effectus, præſertim verò illum, de quo infra in ſexta, & ultima ſpecie diminutionis, & ceſſationis hujuſmodi fructuũ.

Quinta reductionis, vel diminutionis ſpecies eſt juris potiùs, quàm facti, & quidem juris alti, ejuſque apicum, & 37
quæ Dei gratia hactenus in hoc Principatu excitata non fuit, atque ſperatur impoſterum excitandam non fore, fuit verò quandoque excitata in ſuperiùs exemplificato adiacentia Principatu, fortèque in aliis, quia nempè à fiſcalibus, vel Cameralibus Miniſtris hujuſmodi venditiones, vel conceſſiones impugnentur in toto, vel in parte tanquam invalidæ, vel ex eo, quod poſſeſſor Principatus pro tempore, qui hujuſmodi alienationes fecit, non potuerit in perpetuum ſupplantare ſucceſſores, ipſumque Principatum, atque ſi non dicitur alienata ipſa proprietas, vel ſubſtantia jurium Regalium, quæ ſunt inalienabilia, & non poſſunt avelli à Corona, vel Principatu, illa tamen ità remaner perpetuò inutilis. Vel cum hujuſmodi jura regalia, & publica dicantur dos illius matrimonii politici, quod adeſſe dicitur inter Principem tanquam ſponſum, & Rempublicam ſponſam pro ſupportandis iſtius politici matrimonii currentibus, & neceſſariis oneribus, ut in pluriès enunciato *opuſculo de Principe practico*, & alibi inſinuatur, ità à paritate, immò à majoritate rationis intrare debeant ea, quæ in jure habentur de invaliditate alienationum, vel obligationum, quæ etiam ex juſta cauſa fiant per virum, de conſenſu mulieris, vel è converſo per mulierem de conſenſu viri, quando mulier indotata remaneat. Verùm incongruum videtur hujuſmodi inſpectiones aſſumere, & formiter examinare, propriumque deſuper efformare, ac proferre judicium, dùm in Principatu, de quo agitur, ut præmiſſum eſt, hactenus huiuſmodi prætenſiones excitatæ non fuerunt, atque ſperatur impoſterum excitandas non eſſe, ideoque integer locus relinquitur veritati, cujus examen, & enucleatio aliis magis purgatis, & eruditis ingeniis, majorẽ otii copiam habentibus, relinquitur.

Idemque ex eadem ratione agitur in ſexta, & ultima ſpecie reductionis, vel diminutionis hujuſmodi fructuum, de facto potiùs, quàm de jure, quod ſcilicet Princeps pro publicis indi- 38
gentiis abſtineat à conſuetis eorum ſolutionibus, ſed utatur aſſignamentis, adhunc effectum factis, conſtituendo ſe debitorem Montiſtarum, & creditorum, ad effectum ſolvendi, quando, ceſſatis calamitatibus, & indigentiis, id commodè facere poterit, qui ſolutiones caſus pro noſtrorum temporum miſeria, & mala qualitate non eſt de facili verificabilis, ideoque iſtud dicendum eſt creditum de jure quidem verum, ſed de facto ideale, & inutile. Quidquid autem ſit de puncto, an id licitè fieri valeat, quod cadit ſub inſpectione in conſueta Regalium ſede pluriès peracta, poteſtatis Principis tollendi jus tertii, & diſponendi de bonis, & juribus privatorum, de quo etiam in enunciato *opuſculo de Principe* agitur, *ii* quamvis ex alii jam inſinuatis prudentialibus motivis, nimium commendabile ſit, ut Princeps ab hoc jure exercendo ſe abſtineat, ut in hoc Principatu hactenus inconcuſsè practicatum fuit; Nihilominus in hoc minor dignoſcitur exorbitantia, quàm in diſpoſitione bonorum, & jurium, quæ ſint verè de pleno dominio, & poſſeſſione privatorum, non refuſo pretio, quoniam ità non eſt occupare bona aliena, & de eis diſponere, ſed eſt uti bonis propriis, differendo ſolutionem debiti, quod ex dictis bonis diſſolvi deberet, dum id paſſim practicatur ab omnibus privatis debitoribus utentibus fructibus, & redditibus propriis, deſtinatis tamen ſolutioni fructuum cenſuum, vel alterius æris alieni, ideoque non dicitur actus juriſdictionis, & poteſtatis; Ac propterea adaptari non videntur Eccleſiaſticæ immunitatis termini, quando hujuſmodi loca montium, vel jura poſſideantur per Eccleſias, & perſonas eccleſiaſticas; Provt etiam non intrat ille defectus poteſtatis, & juriſdictionis, qui conſiderari ſolet reſpectu forenſium, vel aliàs exemptorum, prædicta jura obtinentium, & cum quibus pro aliquorum Principatuum ſtylo magis, quàm cum ſubditis id practicari ſolet, & quidem non irrationabiliter, dùm à ſubditis exiguntur collectæ, contributiones, & gabellæ, quibus mediantibus pars notabilis redit ad burſam Principis, cujus principaliter intereſt eos conſervari idoneos, & aptos contributionibus, & oneribus, quæ pro novis, & quandoque inopinatis caſibus, & accidentibus imponere opportet, ideòque maxima dignoſcitur differentia inter unum, & alterum perſonarum ſuarum, ergà injuſtum potiùs videtur eos pariformiter tractare, dùm ità deterioris remanent conditionis filii, quàm extranei, ut in conſueta Regalium ſede advertitur occaſione agendi de validitate legum, vel ſtatutorum avantium ad majora onera forenſes, qui bona in loco poſſideant. Quæ tamen omnia dicta ſint *KK* obiter, ad deſuper firmando, dum, ut præmiſſum eſt, in hoc Principatu hactenus deeſt occaſio id formiter examinandi, ſuumque interponendi judicium.

Cadere item ſolent in materia hujuſmodi fructuum locorum montium quæſtione circa monetam, ejuſque excre- 39
ſcentiam, ut præſertim pro frequentiori praxi ſequi ſolet in montibus erectis incutis auri, & an, & quando diuturna contraria obſervantia ſolutionis in diverſa moneta, inferioris valoris, attendi debeat, ac firmet ſtatum necne; Sed quoniam de hoc agitur in Cap. ſeq., occaſione agendi de reſtitutione ſortis,

quando montis extractio, vel extinctio fiat, idcirco ibi videndum est, cum eadem sit ratio.

An autem loca montium, eorumque fructus subiaceant collectis, & contributionibus, aliisque oneribus, quæ pro modo facultatum, sivè per æs, & libram imponi, & supportari solent, occasio adhuc non dedit particulariter, & formiter disputare, cum solùm dederit occasio disputare punctum in antecedenti capitulo enunciatum, an emptiones, & venditiones, vel aliæ contractationes locorum montium subiaceant gabellæ contractuum. *ll* Idque non mirum, quoniam hujusmodi loca montium pro majori, penèque omnimoda parte possidentur, vel per exteros negotiatores, præsertim Januenses, qui in eorum patriis viventes, ibique publica onera supportantes, non subiacent hujus Principatus oneribus, vel per magnates, & nobiles, ac etiam populares, viventes in ipsa Urbe, in qua, ut generaliter in omnibus magnis, & Regiis, vel Metropoliticis Civitatibus, in quibus Princeps residet, non sunt in usu illæ collectæ, & contributiones, quæ sunt in usu in paruis, vel mediocribus Civitatibus, & locis, dùm magna utilitas, quam Princeps à Regia, seù Metropolitica Civitate reportat, & quæ adæquare solet, & quandoque excedere utilitatem totius Principatus, consistit in gabellis, & oneribus insensibilibus, quæ soluuntur pro introductione, & usu mercium, & victualium, aliarumque rerum, quæ ad commodiorem vitam civilem necessaria, vel opportuna sunt. Ubi verò possessor locorum montium vivat in loco, in quo sint in usu gabellæ, & contributiones pro modo facultatum, sivè per æs, & libram, eo modo, quo in Urbe soluunt datia, & supportant onera Hæbrei, ex deductis in eadem consueta Regalium sede, *m m* tunc quamvis ex firmatis in Cap. 1. hæc loca montium censeantur esse de bonis existentibus in Urbe, cujus loco, vel territorio ad alios effectus circumscribuntur; nihilominus id non efficit, quin illorum possessor censeri non debeat civis dives, vel idoneus, ubi non agitur de oneribus merè realibus, sed de illis, quæ verè sunt personalia, & soluuntur à personis loci subditis; dicuntur tamen mixta, & propter rem, ad distinctionem illius oneris merè personalis in pecunia solvendi, quod sub capitationis vocabulo explicari solet, & quod est omnibus, absque personarum distinctione, æquale, dum istud magis justè, magisque rationabiliter supportatur pro modo facultatum, & juxta majorem, vel minorem idoneitatem; Potissimè ubi in loco, in quo bona sita sunt, nullum pro eis supportatur onus; Ut (exempli gratia) habetur in censibus consignativis, quod licet censeantur loci, in quo, juxta unam opinionem, quæ contradictoribus non caret, situs est fundus censitus, non autem loci, in quo vivit, & domicilium habet creditor; *n n* Nihilominus, si iste in loco fundi censiti nulla gravetur collecta, vel onere, justum, & rationabile est, ut census ratio habeatur pro regulatione patrimonii, & idoneitatis creditoris in propria patria, cum difficultas cadat, quando detur inconveniens, ut pro eadem re, in diversis locis, duplicibus, vel multiplicibus gravetur oneribus, cum plerisque similibus, quæ in proposito considerari possunt.

a Capyc.latr. *decis.* 188. *num.* 2. *cum plur. seqq.*
b *De hac potestate lib.* 2. *de Regal. disc.* 148. 176. 177. 195. 193. 194. *in opusculo de Principe cap.* 23., & 24.
c *Dict. tit. de Regal. disc.* 81., & 201.
d *Eodem tit. de Regal. disc.* 65.
e *Dict. tit. de Regal. disc.* 86.
f *Dict. tit. de Regal. disc.* 44. 45., & 125.
g *Lib.* 1. *de feud. disc.* 27.
h *Lo. tit. de feud. disc.* 1., & 6., *& alibi.*
i Bart. *& alii in l. qui Romæ §. duo fratres ff. de verb. oblig.*
l *In cap. sa. stum de decim. in Theatr. l.* 14. *de decim. disc.* 3.
m Thesaur. *a. isc.* 226. Larre. *alleg.* 3., & 23. *cum aliis dict. disc.* 3. *de decim. num.* 14., & 15. *disc.* 42. *de Regal. num.* 10. *disc.* 32. *de censib. m.* 7. *disc.* 54. *de emphyt. & alibi.*
n Rot. *decis.* 194. *par. .* 209. *par.* 14., & 313. *par.* 15. *rec.*, *& ibi concordantes.*
o *Lib.* 7. *de empt.*, *& vena. disc.* 27.
p *De Regal. disc.* 65.
q *De usur. disc.* 6. r *Supra n. M.*
s *Disc.* 32. *de censib.*
t Larre. *alleg.* 3. 23., & 31., & *dec.* u Olea *de cess. jur. tit.* 7. *quæst.* 3. *num.* 32. u *Dict. disc. de usur.*
x *De emphyt. disc.* 54. y *Dict. disc.* 32. *de censib.*
z Capyc. latr. *dict. decis.* 188. Prat. *observ.* 100. *quæ est finalis.*
a a *Lib.* 7. *de alien.*, *& contract. prohib. discurs.* 1. *num.* 37., *& seq.* b b *De Regal. disc.* 33.
c c Capyc. latr. *in sæpius citata decis.* 188. Prat. *obser.* 100. *finali.*
d d Gibellin., & Leotar. *alleg. in cap.* 1.
e e *Disc.* 32. *de censib.*
f f *De Regal. disc.* 23. g g *De Regal. disc.* 187.
h h *Pragm.* 20. *& 22. de vectigalibus.*
i i *De Regal. discurs.* 148. 176. 177. 185. 193. 194., *& in opusculo de Principe cap.* 23. *&* 24. *in specie* Prat. *dicta obser.* 100.
K K *De Regal. disc.* 77. l l *De Regal. disc.* 43.
m m *De Regal. disc.* 100., *& seqq.*
n n *De Regal. disc.* 92.

De eorumdem locorum montium extractione, vel extinctione, & quidnam sit restituendum pro pretio, in qua moneta, & quomodo.

SUMMARIUM.

1 *Distinguuntur inspectiones.*
2 *De pactis prohibentibus facultatem extinguendi in perpetuum, vel ad tempus.*
3 *Quare de his pactis Montistæ soleant esse solliciti.*
4 *De validitate istorum pactorum, & quare secus in censibus.*
5 *Quando dicta pacta possint moderari.*
6 *De casu particulari extinctionis, non admittendæ aggregationis monti Camerali concessæ privato.*
7 *An, & quando creditoribus, vel Montistis competat actio repetendi sortem, & cogendi ad extinctionem.*
8 *De differentia in hoc inter montes Camerales, & Baronales.*
9 *Quale interesse habeat Princeps, ejusque Camera in montibus Baronalibus.*
10 *Etiam in censu pactum obligans ad redemptionem valet favore tertii.*
11 *De obliqua, vel indirecta repetitione sortis, ob non implementum, etiam in censu.*
12 *De alia differentia inter montes Camerales, & Baronales.*
13 *De duplici pretio intrinseco, & extrinseco locorum montium.*
14 *Census constitutus pro certa summa potest cedi alteri pro majori, vel minori pretio.*
15 *In casu extinctionis montis, istius debitor integrum pretium intrinsecum restituere debet, & non plus, neque minus.*
16 *In casu, quo emptores emerint pro minori pretio, an intret dispositio l. per diversas, & l. Ab Anastasio.*
17 *Montis debitor, si vendidit loca pro maiori extrinseco, an ad istius restitutionem teneatur.*
18 *Quæ fraus desuper committi possit.*
19 *Quando maius pretium extrinsecum fiat intrinsecum, eiusque naturam assumat.*
20 *In casu diminutionis pretii intrinseci, an debitor montis teneatur ad totum, vel solum ad id, quod recipit.*
21 *De differentia inter Iudicem, & Principem in hoc iudicio regulando.*
22 *De circumstantiis considerandis in casu, de quo num.* 20.
23 *Quæ dicuntur de restitutione non facienda pretii non soluti, non procedunt contra tertium, qui pro integro pretio emit.*
24 *Remedium rescissorium ex capite læsionis, quando detur contra tertium possessorem.*
25 *An quæ dicuntur num.* 23. *sint contraria iis, quæ firmata sunt in tractatu de officiis, ut Camera non teneatur restituere nisi acceptum.*
26 *De diminutione pretii ratione vinculorum, & quod hæc non prosit debitori montis.*
27 *Non de facili in his venditionibus verificatur læsio.*
28 *Quid si postea cessent vincula, cuius commodo cedat libertas.*
29 *De quæstione circa monetam alteratam, an attendatur tempus obligationis, vel solutionis.*
30 *Montes Urbis, ut plurimum sunt in scutis monetæ.*

31 *Quæ-*

31 *Quæstiones cadunt in scutis auri.*
32 *Qualis sit decisio in hac materia.*
33 *Quando admitti debeat solutio in moneta æquivalenti, & quomodo.*
34 *Quid ubi adsit diuturna observantia.*
35 *Quomodo fiant extinctiones, vel extractiones locorum montium.*
36 *De damnis resultantibus ab extinctionibus.*
37 *Damnatur stylus, quod remaneant pecuniæ penès depositarium periculo creditorum.*
38 *De extinctione facta ob transmutationem de uno monte in alterum.*
39 *An evictis bonis assignatis, vel avocatis pecuniis solutis, montis reviviscat.*

CAP. IV.

QUinque sub hoc themate inspectiones cadunt. Prima nempè super facultate debitoris montis illum redimendi, seù extinguendi, ac sortem restituendi Montistis, quamvis invitis. Altera è converso super facultate Montistarum repetendi sortem, & cogendi montis debitorem, quamvis invitum, ad illius extinctionem, vel quando, etiam Montistis non instantibus, ex officio id fieri possit, vel debeat per superiores. Tertia super quantitate sortis, vel pretii restituendi. Quarta super ejusdem pretii qualitate, in qua scilicet moneta restitutio fieri debeat. Et quinta super modo tenendo in dicta extinctione, & respectivè restitutione facienda, ad hoc, ut dicatur benè facta, & liberet debitorem.

1

Quatenus pertinet ad primam, agendo pro regula de montibus Cameralibus, adeòvt ea, quæ diversimodè habentur in montibus baronalibus, vel privatis, redoleant speciem limitationis, attento hujus Principatus, vel Curiæ stylo, tripliciter montium erectiones fieri solitas esse praxis docet. Primò nempè cum pacto perpetuæ irredimibilitatis, juxtà initio enunciatum casum, qui huic tractationi ansam dedit, erectionis nempè montis Fidei, factæ per Clementem Septimum in Civitate Bononiæ, cum aliis similibus postmodùm subsequutis. Secundò cum pacto restrictivo facultatis redimendi, vel extinguendi infra certum tempus, juxta casum enunciatum in Capitulo præcedenti erectionum duorum montium auri, sequutarum circa finem Pontificatus Urbani Octavi, & circa initium Pontificatus Innocentii Decimi, quorum extinctio nuper sequuta est, quoniam continent pactum, ne per annos duodecim extingui possent. Et tertiò frequentiùs in montibus recentioribus, præsertim in eo, qui omnium major videtur, & majoris existimationis Restauratus nuncupatus primæ, secundæ, & tertiæ erectionis, cum additionibus, ut extingui non possint, nisi sequuta priùs extinctione omnium aliorum montium antiquiorum. Negotiatores enim, & alii, qui hujusmodi locorum montium commercio incumbunt, sollicìti esse non solent de extinctione affirmativa, benè tamen de

2

3 negativa, tùm ut ità benè investitam habeant pecuniam, tùm fortiùs, ut ità reddantur tuti ab illo damno, quod hujusmodi extinctiones, ut plurimum parere solent circa amissionem pretii extrinseci, & per consequens jacturam, ac diminutionem sortis, cum alio damno, quod pariter in sorte pati oportet in novis investimentis, in eodem genere montium faciendis, tàm in pretio extrinseco, quàm in expensis litterarum patentium, pro quibus solui solet scutus unus circiter pro quolibet loco, ideòque in Cameralibus non de facili datur casus legis, vel pacti obligantis debitorem montis ad extinctionem, sicuti datur in baronalibus, vel privatis.

De validitate istius legis, vel pacti restringentis libertatem debitoris extinguendi debitum, & se liberandi ab hac servi-

4 tute, non videtur dubitandum, cum solùm illud consideretur tanquam pars pretii, pro fructuum diminutione, ut in proximè antecedenti Capitulo animadvertitur. Quamvis enim in censibus consignativis, quorum speciem (ut pluriès insinuatum est) isti montes habere videntur, illud irredimibilitatis pactum damnatum sit, ideòque vitietur, atque pro non scripto habendum veniat; nihilominus id provenit ab alias enunciata moderna lege Beati Pii Quinti, qua secluſa, de jure id non est prohibitum, unde propterea in illis censibus, qui ante dictam Pianam Bullam creati sunt, cum hoc pacto, receptum est subsistineri; Et per consequens cum in ista specie contractus nulla habeatur lex, quæ tale pactum prohibeat, sed potiùs è converso ipsi Summi Pontifices illud

apposuerint, ideòque implicitè licitum, & validum declaraverint, hinc sequitur, ut de illius validitate non veniat dubitandum.

Benè verum est, quod ex eisdem considerationibus, in antecedenti Capitulo deductis, super fructuum reductione, si tractu temporis ità status rerum immutetur, ut hæc perpetua servitus grave damnum, & præjudicium inferat, adeòvt ad quamdam injustitiam, sivè iniquitatem contractus reduci videatur, tunc restrictum non sit arbitrium Principis, considerati cum solita reduplicatione personarum, non tanquam privati contrahentis, impugnantis factum proprium, vel illud ejus prædecessoris, sed tanquam supremi Judicis, & Magistratus, cum latioribus habænis justitiæ distributivæ, & publicæ œconomiæ, tale pactum moderari, & posita validitate istius pacti perpetui, longè minùs dubitandum venit de validitate aliorum pactorum, de quibus supra, nempè ad tempus, vel non nisi post extinctos alios montes antiquiores, cum id justum, & rationabile videatur. 5

In proposito autem hujus restrictionis facultatis extinguendi, cum quidam Baro magnatitii ordinis, juxta parum commendabilem stylum in antecedenti Capitulo insinuatum, aggregationem obtinuisset præfato Monti Restaurato, habenti jam enunciatum privilegium, in valdè notabili quantitate locorum quinque, vel sex millium, quæ adinstar aliorum Cameralium, absque eo, quod emptoribus ista qualitas baronalis innotesceret, vendita fuerunt pro consueto, & tunc currenti magis alterato pretio scutorum 116. circiter pro quolibet, prætenderet verò post alicujus brevis temporis decursum in vim facultatis, quam ex eodem chirographo aggregationis elicere curabat, extinctionem facere cum solo pretio intrinseco scutorum centum, atque ne violaretur iste mons privilegiatus, & majoris existimationis, peteret admitti ad extinctionem cujusdam alterius montis antiquioris, minoris existimationis, adeòvt pretium extrinsecum esset minùs, ex eo, quod ejus extinctio jam initiata esset, ego autem, ratione muneris cum promovissem desuper difficultatem, ista visa fuit primo aspectu exorbitans, & indebita, ex eo quod pluriès ità retroactis temporibus, absque aliquo, dubio practicatum esset, stante moderno stylo, vel abusu procedendi adinstar pecudum, vel avium, cum solo usu, vel praxi, rem non inquirendo per rationes, & principia; Quare desuper deputata per Papam aliquorum Prælatorum particuri Congregatione, atque formiter examinato puncto, licet adhuc expressè, & formalis non prodierit resolutio, agnitum tamen fuit difficultatem esse gravem, penèque indissolubilem, adeòvt res transierit, & transeat sub silentio. 6

Dicebam siquidem, promovendo primo aspectu difficultatem, deindèque seriùs in congressibus desuper habitis, quod aut agebatur de extinctione diversi montis ab illo, cui aggregatio facta sit, aut de extinctione ejusdem montis, cui facta sit aggregatio. Priori casu nulla penitùs justitiæ, vel æquitatis ratio id patitur, quoniam iste mons penitùs extraneus est à contractu; ideòque non videtur quale jus in ejus extinctione habeat iste debitor, qui de hac extinctione sit sollicitus ad merum lucrum, & locupletationem de alieno, dùm venditis locis ad rationem scutorum 116. circiter, ità extinguendo ad rationem centum lucraretur sine causa prædicta scuta 16. pro centenario, cum damno, & jactura alterius, possessorum nempè dicti montis, qui magnum, & duplicatum exindè paterentur damnum, & præjudicium; unum nempè in amissione illius pretii extrinseci, quamvis inferioris, quod hic mons minoris existimationis, ob formidatam de brevi extinctionem, habeat, & alterum majus, quoniam pecuniam exindè retrahendam opportet frequentiùs, ob vincula, investire in alia loca dicti montis Restaurati, vel similis majoris existimationis, pro pretio currenti scutorum 120. pro quolibet, adeòvt computata etiam nova impensa litterarum patentium, esset pati diminutionem sortis, penè in tertia parte, quo nil absurdius.

Ubi verò prætenderetur fieri extinctio ejusdem montis Restaurati, cui facta erat aggregatio, & neque id fieri posse de justitia dicebam, quamvis clara, & expressa adesset concessio facultatis id agendi, cum tamen esset dubium, quod sufficeret, quoniam actus dubii semper interpretatio facienda est, ut non præjudicet tertio, cui præsumptio est noluisse Principem præjudicare; Idque si in omni Principe, vel Superiore procedit, multò magis dicendum est in Papa, qui per ejus Cancellariæ regulam de jure quæsito non tollendo, id expressè declarat, & profitetur, ut agendo de potestate Principis tollendi jus tertii in sæpiùs enunciata

Regalium ſede advertitur . a Sed quando etiam diſpoſitio eſſet clara , & expreſſa , adhùc tamen id non eſſet admittendum , ex regula , quod nemo plus juris in alium transferre poteſt , quam ipſe habeat , & ex alia regula , quod acceſſorium , vel additum non poteſt eſſe melioris , & majoris qualitatis , quàm ſit ipſum principale , cui facta eſt acceſſio , vel additio , ideòque cum ipſe Papa , qui conceſſionem fecit , non poſſit , citra violationem juſtitiæ , & publicæ fidei , extinguere ipſum principalem montem Cameralem primæ erectionis , dùm intuitu iſtius privilegii , ut non poſſet extingui , niſi poſt extinctos omnes alios anteriores , notabile majus pretium extrinſecum ſolutum fuit , & tamen quando Papa id facere vellet ad ſublevandam Cameram , & populos , conſiderari poſſet cauſa publica , igitur multò minùs id fieri poteſt in cauſam , & utilitatem merè privatam .

Et ulteriùs reflectebam , quod neque id videbatur practicabile , quoniam cum loca iſtius additionis vendita fuiſſent tanquam Cameralia , & montis Cameralis Reſtaurati , & privilegiati , abſque eo , quod emptoribus innoteſceret , quod eſſent de hac additione , ita omnes Montiſtæ , quibus fors daret extractionem , juxtà modum , de quo infra in quinta inſpectione , dicere poſſent huic Baroni extinctionem facere volenti ; Nos te non cognoſcimus , & tecum non contraximus , atque loca , quæ poſſidemus , non ſunt illa tuæ additionis , ſtante confuſione , juſtaque credulitate , quod omnia loca eſſent Cameralia , dùm in iſtius montis erectione expreſsè prohibetur quæcumque privatorum , immò etiam Communitatum aggregatio , adeòvt in eo non adſint niſi loca Cameralia ; Atque aliàs eſſet ad privatam utilitatem , ſine cauſa , fallere fidem publicam cum iſta occulta conceſſione non denunciata , undè propterea dignoſceretur aperta fraus , & dolus ; Emptores enim hujuſmodi locorum montium , ut ſatiùs actum eſt ſupra in Cap. 2. , agendo de eorum libertate , ignorant venditores , eorumque privatam non ſequuntur fidem , ſed ſequuntur fidem publicam Principis , attendendo leges erectionis montis , ob quas magis favorabiles majus pretium ſoluunt , ideòque non debent hujuſmodi occultis conceſſionibus ligari . Si enim iſte Baro id patefeciſſet , tunc emptores agnoſcentes , quod ageretur de debito privato Baronis , non autem Cameræ , & quod in debitoris libito poſitum eſſet extinctionem facere , utiquè , vel non emiſſent , vel emiſſent pro ſolo pretio naturali , & intrinſeco ; Et his accedebant plures aliæ conſiderationes , voluntatem quoque Papæ concedentis excludentes , quia non conſtabat Papæ innoteſcere præfatam legem erectionis , habentem vim pacti , per quam id expreſsè prohibetur ; Exindèque nimis clarè comprobatum remanet id , quod in antecedenti Capitulo dictum eſt ſuper nimium damnabili uſu hujuſmodi aggregationum , quas prudenter Clemens Octavus per ejus Conſtitutionem de anno 1600. in calce regiſtrata expreſsè prohibuit , licet ex mala regionis conditione , prudentes , benèque ordinatæ ſint leges , ſed modica dignoſcatur earum obſervantia .

Quoad ſecundam inſpectionem facultatis creditorum , ſeù Montiſtarum , cogendi montis debitorem , quamvis invi-
7 tum , ad extinctionem , & reſtitutionem ſortis , pariter non procedit æquiparatio cenſus conſignativi , in quo ad Pianæ Conſtitutionis præſcriptum damnantur , atque pro non ſcriptis habenda ſunt pacta cogentia invitum debitorem ad redimendum cenſum , & concedentia creditori facultatem repetendi ſortem , quæ ex ejus natura debet eſſe demortua , & perpetuò irredimibilis , quoniam licet in montibus Cameralibus iſtud pactum , ſaltem pro frequentiori mihi cognito ſtylo , adiici non ſoleat in gratiam creditorum , vel emptorum , quorum potiùs intereſt oppoſitum pactum negativum , adeòvt quo magis impedita , vel remota ſit redimendi facultas , eò magis hujuſmodi montium extrinſecus valor creſcat , ut in præcedenti inſpectione inſinuatum eſt ; Nihilominus in montibus baronalibus illud per Papam in gratia erectionis ,
8 de ſtylo , adiici ſolet in majori , vel minori tempore , ideòque de ejus validitate non videtur dubitandum , tùm ob auctoritatem Papæ , qui illud adiicit , & canonizat , tùm etiam quia , ut in eadem antecedenti inſpectione dictum eſt , id non habetur in jure prohibitum , atque in cenſibus prohibitio provenit à dicta moderna lege Piana , edita ad tollendam dubietatem uſurarum , & ne aliàs mutuum uſurarium ad libitum creditoris , vel ad certum præfinitum tempus repetibile , ſub hoc cenſus pallio occultetur , quæ ratio in his montibus non intrat .

Clarius verò , quoniam hujuſmodi pactum apponi non ſolet ex providentia , & ſollicitudine creditorum , vel emptorum , qui de tempore , quo ſequitur erectio continens hanc legem , ſunt futuri , & incerti , ideòque non intrat ſuſpicio depravati animi fœnerandi , & ſuffocationis indigentis debitoris , ſed adiicitur per Papam ex officio , & rationabiliter quidem , quoniam cum per hujuſmodi erectiones Papa , tanquam Princeps , interponere videatur ejus publicam 9
fidem , ac facere quamdam ſpeciem aſſecurationis , adeòvt notabilis dignoſci videatur differentia inter iſtum contractum à Principe auctorizatum , & alios merè privatos contractus , qui ex contrahentium conventione celebrantur , idcircò ejus intereſt extinctionem intra certum tempus , quod ſtatuere ſibi videatur , ſequi debere , pro quadam ejus indemnitate , atque ut ita liberetur ab illa obligatione , ſaltem morali , vel directiva , qua ob ejus fidei , & auctoritatis interpoſitionem premi videtur , & per conſequens ubi etiam procedendum eſſet cum terminis contractus cenſualis , adhuc tale pactum adiectum in gratiam tertii , puta fideiuſſoris , vel aſſe-
curatoris , aut accommodantis fundum ſubſtinentur , quo- 10
niam vitium dignoſcitur , quando illud adiectum eſt in favorem , & gratiam creditoris , non autem tertii , ſine fraude , & creditoris colluſione , ut in ſua cenſuali ſede advertitur . b

Verificari etiam poteſt , & quandoque ſolet in his montibus baronalibus illa obliqua , vel indirecta repetitio ſortis ab 11
invito debitore , quæ verificatur etiam in ipſo contractu cenſuali , quia nempè non præſtiterit , ſeù debito tempore non renovaverit illam idonei negotiatoris cautionem , ſub cedulæ bancariæ vocabulo explicari ſolitam , quæ in his montibus baronalibus promitti ſolet pro alliciendis emptoribus , & pro majori montis exiſtimatione . Sivè ob evictionem ſequutam , vel imminentem , aut detectum vinculum in toto , vel in parte bonorum aſſignatorum pro dotis monte , cum ſimilibus non implementis , ob quæ datur actio ad deponendam ſortem , quamvis irrepetibilem , loco cautionis , cum terminis generalibus , cum in hac materia montium aliquid ſpeciale deſuper haberi non videatur , ideòque , iiſdem retentis terminis generalibus , admittendum venit illud æquipollens implementum , per quod idem ſequatur finis pro ſecuritate ejus , cui implementum promiſſum eſt , quamvis iſta in ſpecie promiſſa non præſtetur , ut in eadem cenſuali materia eſt receptum circa præſtationem fundi liberi , & capacis , & ſimilia , qui tamen caſus non contingunt in montibus Cameralibus , ex aliàs aſſignata ratione in capitulo antecedenti , quod in hac ſpecie cre- 12
ditores , vel emptores non ſequuntur fidem privatam , & fallibilem certorum bonorum , vel certarum perſonarum , ſed fidem publicam , & moraliter infallibilem Principatus , vel Reipublicæ , omniumque ejus bonorum , & jurium , quæ moraliter indeficientia reputantur , propter potentiam renaſcentiæ novorum bonorum , & jurium , quæ adeſſe dicitur in habente dominium populorum , è converſo autem in Baronibus vel privatis , emptores , vel creditores principaliter ſequi dicuntur fidem certorum bonorum , certarumque perſonarum .

Tertia omnium fortè magis dubia , & quæ majores in quibuſdam aliis Principatibus parere conſuevit controverſias , & 13
quæſtiones , eſt inſpectio reſtitutionis pretii , quod eſt de duplici ſpecie , quarum una dicitur pretii naturalis , intrinſeci , & uniformis , vel invariabilis , nempè ſcutorum monetæ , vel reſpectivè auri centum pro quolibet loco ; & altera dicitur pretii extrinſeci , & accidentalis , in dies variabilis , pro temporum , aliarumque circumſtantiarum qualitate , inter privatos poſſeſſores , & contractatores hujuſmodi montium , iſtudque ſolet eſſe quandoque ſupra , & quandoque infrà dictum pretium intrinſecum , & naturale , provt exigit major , vel minor bonitas , & ſecuritas , undè pendet major , vel minor exiſtimatio , adinſtar illius duplicis pretii , quod univerſalis , & quotidiana praxis docet in ſcutis auri , quod habent quidem ſuum pretium intrinſecum commune , & fixum , & habent etiam illud pretium extrinſecum , quod ſub agii vocabulo inter negotiatores explicari ſolet , nempè quod pretium intrinſecum , & naturale eſt jam dictum ſcutorum centum , pro quibus cujuslibet loci erectio facta eſt , ac etiam initio per erectorem , quando inſolita accidentia aliter non exigant ut infra , facta eſt venditio , in ſubſequenti verò contractatione , quæ inter privatos fit , iſtud pretium intrinſecum alterationem recipit , atque efficitur majus , vel minus , juxta majorem , vel minorem bonitatem , & exiſtimationem , quam temporis , & contingentiarum beneficium , vel maleficium producit ; quia nempè in caſu bonitatis vendantur loca , ad rationem centum decem , vel centum

vi-

viginti circiter pro quolibet, & sic illa decem, vel viginti dicuntur pretium extrinsecum, & accidentale; Et è converso, quando ob accidentia minuitur bonitas, & existimatio, venduntur ad rationem nonaginta, vel octuaginta circiter pro loco, quod etiam receptum est procedere in censibus consignativis, quoniam (exempli gratia) census cum ejus debito-
14 re constitutus in sorte scutorum mille, ob ejus bonitatem, & securitatem licitè per creditorem alteri vendi, vel cedi potest pro mille centum, vel bis centum circiter, & è converso ob ejus modicam securitatem, & debitoris deterioratam conditionem, vel alia accidentia, à tertio emi potest pro noningentum, vel octingentum circiter, cum similibus.

His ita prænotatis, quatenùs pertinet ad restitutionem pretii per montis debitorem pro extinctione, vel redemptione facienda, præsuppositio quod præfata pretii naturalis, & in-
15 trinseci alteratio in majus, vel respectivè in minus sequuta sit inter privatos possessores, & contractatores, postquàm in primæva erectione montis Camera, vel alter montis debitor, pro suo pleno intrinseco, & naturali pretio, loca vendidit, adeòvt nil ejus interfit hanc accidentalem alterationem sequutam esse, tali casu planum videtur, ut Camera, vel alter montis debitor integrum pretium intrinsecum, & naturale creditoribus, vel Montistis de tempore extinctionis loca possidentibus restituere teneatur, absque eo, quod aliquam habeat obligationem restituendi majus pretium excessivum, quamvis tali contractationi, & translationi de uno in alterum consensum præstitisset, quoniam iste præstitus censetur in gratiam contrahentium, & pro validitate actus, attento quod hæc jura, utpotè de regalibus quoad substantiam, absque dicto assensu, non sunt in privato commercio, non autem ad augendam ejus obligationem, quodque ita teneri debeat ad restituendum id, quod non est receptum, ex latiùs deductis in alia tractatione officiorum vacabilium Cap. 17., & alibi. Sicuti è converso prætendere non potest, quod pretii intrinseci diminutio ejus commodo cedere debeat, dùm attenta hujusmodi jurium deterioratione, & minori existimatione, proveniente à periculo magis proximo, cui obnoxia dignoscuntur, ità emptores emere, vel suscipere dicuntur futuram incertam aleam. Considerando quoque quod ista minor existimatio, atque pretii intrinseci diminutio provenire solet à culpa, & facto ipsius debitoris montis, qui punctualiter fructus solvere non consuevit, vel aliàs à promissis defecit, ideòque, nec justitia, nec æquitas patitur, ut ex ejus facto, & culpa hoc lucrum reportare debeat.

Hinc in quadam facti contingentia, prorsùs fabulosum dicebam esse motivum per aliquos excitatum, ex parte debitoris cujusdam montis baronalis, ità deteriorati, quod ejus
16 favore intraret dispositio legum, concedentium debitori cesso facultatem offerendi pretium, pro quo cessio facta est; *c* Tum quia dictarum legum dispositio procedit in juribus incertis, & litigiosis in odium redemptorum litium, non autem in creditis, & juribus certis, & liquidis, tùm etiam quia non attenditur solùm cessorum jurium summa, vel quantitas arithmetica, sed attenditur eorum æstimatio, habita ratione periculi, & expensarum, aliarumque circumstantiarum diminuentium valorem, res enim tanti valere dicitur, *d* quanti communi judicio, & æstimatione vendi potest, ideòque cum ista diminutio pretii soleat esse communis, & naturalis, idcircò præfatarum legum termini prorsùs extranei remanent.

Quæstiones igitur cadere solent in illis hujusmodi locorum montium, vel similium jurium venditionibus, quæ directè, & immediatè factæ sint per ipsam Cameram, vel alium montis debitorem, pro majori, vel respectivè minori pretio, adeòvt in ipsius Cameræ utilitatem cesserit majus pretium extrinsecum, & è converso ipsa passa sit damnum diminutionis pretii naturalis, & intrinseci. Priori autem casu, (qui tamen est nimium rarus) Morales præsertim de hac materia
17 nimium quidem superficialiter agentes, dubitare potius videntur contra Cameram, vel alium montis debitorem, quasi quod contra justitiam sit restituere minus eo, quod est acceptum, atque ità locupletari de alieno. Verùm ista dubitatio, pro meo sensu, nullum probabile fundamentum, nullamque rationem habere videtur, quoties non accedat, cum publica auctoritate, coactio emptorum, qui inviti istum contractum ità inierint, sed quod istud majus pretium extrinsecum sit currens, & commune inter privatos eorumdem locorum montium, vel jurium possessores, & voluntarios contractatores, quoniam non videtur congrua subesse ratio, ob quam ipse montis erector, vel debitor considerari non possit tanquam tertius privatus possessor, quodque ejus conditio in hoc deterior esse debeat, & non possit percipere istud premium, de natura hujus contractus, non calculandum in pretio, dùm emptoribus nulla fieri dicitur injuria, cum volentes, & scientes, vel scire debentes id agant, atque cum tertiis agere soleant.

Et quamvis ità fraus committi posset, quod scilicet montis erector studiosè hanc erectionem facere curet, animo illum extinguendi ad breve tempus, cum restitutione solius pre- 18
tii intrinseci, ità notabile lucrum faciendo de hoc augumento, quod sub extrinseci pretii nomine explicari solet; Nihilominus ista dubitatio, in montibus præsertim Cameralibus, idealis videtur, quoniam hæc fraus, ac depravatus animus faciendi hoc turpe lucrum de alieno, præsumi non debet in quolibet supremo Principe; ejusque ministris, quamvis sæcularibus, multò minus in Papa, ejusque ministris viris ecclesiasticis, dùm ad hujusmodi montium erectiones deveniri non solet, nisi quando urgeat necessitas, cui occurrere opporteat. Ac etiam quia, ut superius dictum est, ad alliciendos, & assecurandos emptores, statui solet tempus, intra quod denegetur facultas extinguendi; ideòque casus, quantùm praxis docet, non videtur de facili verificabilis.

Quandoque tamen ob legem adiectam in erectione mon- 19
tis, vel aliam provisionem posteà factam, istud augumentum, quod ipsi Cameræ directè, & immediatè solvitur, assumit naturam pretii intrinseci, ideòque totum sine dubio restituendum est, ut aliàs practicatum fuisse in augumento, cum hac lege persoluto, in consueta Regalium sede insinuatur, *e* atque nuper practicatum est in quadam additione facta monti Restaurato nuncupato, pro notabili Cameræ utilitate, & ad effectum extinguendi alium montem sub gravioribus fructibus, ut insinuatum est in Cap. præced., atque practicatum fuit in ipsa prima montium erectione sub Clemente Septimo de anno 1526. in monte Fidei, de quo in præsentis tractationis initio.

Major itaque dubitandi ratio cadere videtur in altero casu diminutionis pretii intrinseci, quam ipsamet Camera in pri- 20
ma, seù directa venditione passa sit, quia nempè ab ejus urgentibus indigentiis suffocata, ob emptorum penuriam coacta fuerit loca montium erecta, pro consueto naturali, & intrinseco pretio scutorum centum pro quolibet, vendere ad longè minorem rationem, atque, ut in aliquibus Principatibus dici solet, cum alagio, an scilicet in casu extinctionis, seù reductionis fructuum eadem Camera prætendere valeat solùm teneri restituere, seù rationem habere de accepto pretio, & non ultra. Ista quæstio, ut eodem antecedenti capitulo insinuatum est, nunquam pro mea notitia disputata fuit in hoc Principatu, quamvis aliquando casus istius diminutionis pretii intrinseci evenerit, benè tamè disputata fuit in aliis Principatibus, ut patet ex Auctoribus de illa tractantibus: *f* Undè propterea cum occasio non dederit id formiter disputare, maturum desuper judicium non de facili efformare potui. In discursiva tamen ratione, locum relinquendo veritati, dicendum videtur, quod ubi quæstio tractetur coram Judice inferiori, ministro justitiæ commutativæ, 21
arbitrium restrictum habente à regulis, vel cancellis juridicis, tunc non de facili verificabilis est casus, quod ex capite enormissimæ læsionis, vel ex beneficio restitutionis in integrum, ratione suffocationis, vel circumventionis, impugnare valeat debitor contractum, quoniam iste casus quandoque verificabilis est in contractibus singularibus, qui fiant inter duos, vel plures, quorum uni alios circumvenire, ac decipere valeant, secus autem in hujusmodi venditionibus universalibus, & publicis pro illo communi, penèque uniformi pretio, quod à publico negotiatorum foro, pro temporum qualitate, taxatum videtur, ideòque non intrant dicti termini circumventionis, vel fraudis, & doli, aut læsionis, ex eodem insinuato assumpto, quod res tanti valet, quanti communi æstimatione vendi potest. Ac etiam quia hæc pretii diminutio compensativa est periculi, quod suscipitur, tanquam per emptionem incertæ aleæ, & eo modo, quo pro longè minori pretio emuntur loca vinculata, *g* ideòque non de facili justificabilis est læsio apta ad annullationem, vel rescissionem contractus.

Ubi verò quæstionis judex, & decisor sit supremus Princeps, vel ejus Vicarius, qui distributivæ justitiæ potiùs, & publicæ œconomiæ sit administrator, magisque latum habeat arbitrium, à juris positivi regulis, & cancellis non restrictum, adeòvt ipsum solùm liget justitia, & veritas naturalis,

juxtà quam poteſt ejus efformare judicium, nec non concurrat cauſa publicæ neceſſitatis, vel utilitatis, & tunc non eſt materia capax regulæ certæ, generalis, & uniformis, cum deciſio pendeat à ſingulorum caſuum circumſtantiis: undè propterea facti potiùs, quàm Juris dicenda eſt quæſtio, pro qualitate ſcilicèt temporum, & indigentiarum, ex quibus reſultat inſpectio, an adſit necne ſuffocatio, ac etiam ex quantitate
22 pretii ſoluti, & an ſit levis, vel gravis diminutio pretii intrinſeci, magis verò ex qualitate, & numero emptorum, an ſcilicèt ſint multi de populo, omnium ordinum, & in magnis, parvis, & mediocribus quantitatibus reſpectivè; tanquam in commercio communi, & populari, ut in locis montium Urbis, non patientibus hunc defectum, & in temporibus non calamitoſis praxis docet, vel è converſo ſit negotium particulare aliquorum potentium negotiatorum, qui, ut vulgò dici ſolet, partitum deſuper fecerint, cum tunc intrent conſiderationes circumventionis, & fraudis, ac ſuffocationis, de quibus ſupra in contractibus ſingularibus, & privatis; fortiùs verò, ſi inter emptores admixti ſint publici officiales, vel eorum conjuncti, ſeù familiares, qui aliquam in regimine, & publica adminiſtratione participationem habeant. Conſiderando quoque nimium qualitatem Principis regnantis, ejuſque Vicariorum, & Miniſtrorum, & Conſiliariorum, ex qua pendet cognitio, an Principatus, & Reipublicæ, ſeù publicæ œconomiæ adminiſtratio fieret cum debita diligentia, charitate, & integritate, vel potiùs in oppoſitum; Et in ſumma ex tota facti maſſa, omnibuſque circumſtantiis ſimul junctis, cum conſueta vulgari regula, ut ſingula, quæ non proſunt, unita juvent, inveſtigandum eſt, an Cameræ, vel Reipublicæ, ut aliàs dictum eſt, conſiſtenti in univerſitate populi, complectentis etiam pupillos, orphanos, viduas, pauperes, aliaſque miſerabiles perſonas, aſſiſtant nec ne veritas, & æquitas naturalis, cum quibus potiùs, quàm cum legalibus ſuperſtitionibus Princeps, vel ſupremus Magiſtratus, juxtà enunciatas latiores regulas, vel habenas juſtitiæ diſtributivæ ejus arbitrium regulare debet. Si enim, ut pluriès dictum eſt ſupra, & latiùs in alia tractatione officiorum, & alibi, quando accedit cauſa publicæ neceſſitatis, vel utilitatis, Princeps poteſtatem, & arbitrium habet diſponendi, etiam de bonis, & juribus propriis privatorum, magis verò de ejus bonis, & juribus, quamvis aliis affecta ſint, ità iſtorum jura, & actiones ſuſpendendo, & ſic cum eorum damno poſitivo, rerumque ſuarum jactura, multò magis eis pro bono publico tollere poteſt hoc lucrum, dùm ità verificari dicitur inter Rempublicam magis privilegiatam, & privatos minus privilegiatos, quod illa tractat de damno evitando, iſti verò de lucro captando, cum tamen ſufficeret, quod hujuſmodi contendentium æqualis eſſet conditio, ut potior ſit ille, qui contendit de damno. Conſiderando quoque hujuſmodi caſus, utpotè in quibuſdam Principatibus contingere ſolitos, potuiſſe, ac debuiſſe prævideri, eſſeque compenſativos magni lucri, & commodi, quod ex hujuſmodi contractibus cum Principe, vel cum Republica reportatur; Negotiationes enim cum Principe, vel cum Republica aſſimilantur terris uberibus, & fœcundis exiſtentibus in planitie propè ripam fluminis, vel ad radices montium, vel collium, quoniam illi, qui allecti ab illarum ubertate, & fœcunditate, magnoque commodo, & lucro exindè reportando, earum culturam ſuſcipiunt, cogitare debent ad incommoda, & pericula inundationum, & nebularum, aliorumque accidentium, quibus illæ, de earum natura, magis ſubiacent, quàm ſubiaceant terræ minus fœcundæ, & minus lucroſæ, ſed minus periculoſæ, dùm ut aliàs dictum eſt ſuperiùs, omnia tàm naturalia, quàm moralia ità ordinata ſunt, ut omne commodum ad menſuram, & proportionem habet incommodum ejus compenſatiuum.

Procedunt verò hæc reſpectu illorum, qui directè, & immediatè emerunt à Camera, vel Republica loca montium, vel alia ſimilia jura pro dicto diminuto pretio, ſivè etiam cum eadem diminutione emerunt à primis emptoribus, adeòvt eadem militet ratio, atque pariformiter contendant de dicto lucro, & quorum reſpectu, ultra jam dictas conſiderationes, pro iſto æquitativo arbitrio regulando, nimium quoque conſideranda venit quantitas fructuum, & emolumentorum, in exceſſu perceptorum, habita ratione pretii, vel ſortis ab eis verè, & effectivè ſolutæ, undè propterea manifeſtus error eſt omnes pariformiter tractare. Secus autem reſpectu illorum, qui mediatè pro integro pretio intrinſeco, ſi-
23 vè cum modica iſtius diminutione (adeòvt dictæ conſiderationes non intrent) emerunt hæc loca, vel alia jura, bona fide, & citra colluſionem, ab illis, qui pro diminuto pretio, ut ſupra emerunt à Camera, vel à Republica, quoniam cum iſtis dicta æquitas non videtur exercibilis, etiam attentis terminis generalibus, & indifferentibus, ex iis, quæ habentur in materia reſciſſionis contractus, ex ordinario remedio enormis læſionis, vel ex aliquo remedio extraordinario reſtitutionis in integrum, quoniam quoties non adſit nullitas ipſo jure alienationis, adeòvt ab alienante abdicatum non ſit dominium, ex quo rem propriam è manibus cujuſcumque poſſeſſoris in actione reali vendicare poteſt, ſed agitur de remedio reſciſſorio, aut de æquitativo Judicis officio, tunc iſtud non eſt exercibile contra tertium, qui bona fide, & juſto pretio rem à primo emptore comparaverit, cum ſolum contra tertium poſſeſſorem, obtinentem pro eodem vili, & læſivo pretio, hæc remedia competant, ut in ſuis ſedibus habetur; *h* Multò igitur magis in hujuſmodi juribus, quæ cum auctoritate, & conſenſu Principis, vel Reipublicæ per organum officialis, ad id deputati, tranſeunt in tertium, bonæ fidei emptorem, omninò tuta, & libera ab illis vinculis, & nexibus, quibus penès venditorem obnoxia erant, dùm ita eſſet exercere æquitatem cum iniquitate. 24

Audio tamen ſuperficialium turbam in hoc me redarguentem de inconſtantia, vel contrarietate, ex eo, quod in dicta alia tractatione de officiis Cap. 17. , & alibi conſtanter firmare curaverim, etiam cum ſenſu veritatis, quod mediatis poſſeſſoribus, qui bona fide cum aſſenſu, & auctoritate Papæ emerunt cariori pretio, quàm eorum auctores emerint à Camera, non teneatur iſta reſtituere, niſi acceptum, & per conſequens nihil eis, qui emerunt à donatariis, quod eſt contrarium iis, quæ hic aſſeruntur. Verùm inepta, & irrationabilis eſſet cenſura, ob omnimodam diverſitatem caſuum, & rationum, vel terminorum, adeòvt unus caſus nil pœnitùs commune habeat cum altero; In dicto ſiquidem officiorum caſu dicitur, quod quando Princeps, uti perſona publica, & ſupremus regulator Reipublicæ pro iſtius regimine, & adminiſtratione per viam legis, vel proviſionis generalis ſupprimit aliquorum officiorum genus, ad nil de jure tenetur erga illos Officiales, qui ita conſequutivè deſierunt eſſe tales, cum ità nulla contractus, vel fidei violatio adeſſe dicatur. Sed quoniam ſequeretur, quod contra naturalem juſtitiam, & æquitatem penès ipſum Principem, vel ejus Cameram remaneret ſine cauſa pretium acceptum, undè propterea reſultaret locupletatio cum aliena jactura, hinc ſequitur ejus obligatio ad limites dictæ æquitatis, vel rationis, ſed non ultra, cum alia contra eum non ſuppetat obligatio, vel actio, ut ibi latius. In caſu autem, de quo agitur, res eſt in oppoſitum, quoniam de juris rigore, atque in terminis juſtitiæ commutativæ, Camera, vel Reſpublica, ſi vult à contracto debito, ſeù onere ſe liberare, juxtà legem conventionis, totum pretium intrinſecum reſtituere tenetur, neque leſionis præſidio per ordinarios tramites juris juvari poteſt, quoniam attento tempore contractus, ob malum rerum ſtatum, atque imminens, vel formidatum periculum, res tanti valebat, atque in communi æſtimatione, & commercio erat, illo pluri compenſato à periculo, tanquam per ſuſceptionem aleæ; undè propterea, ut ſuperiùs inſinuatum eſt, ſi res ageretur coram Judice miniſtro juſtitiæ commutativæ, procedere debente per tramites juris, iſte ad Cameræ, vel Reipublicæ favorem judicium proferre non poſſet; Eatenus autem conceditur Principi, vel ſupremo Magiſtratui ejus arbitrium cum regulis juſtitiæ diſtributivæ deſuper interponere, quatenus ità ſuadeat quædam non ſcripta æquitas, adhibenda contra contendentes de lucro in eo pluri, quod revera non erogarunt, non abſque aliqua ſuffocationis, vel fraudis ſuſpicione, ut ſupra, & per conſequens talis æquitas exercibilis non eſt contra tertios bonæ fidei poſſeſſores, ex cauſa verè onerosa, & præponderante; ideòque caſus, vel termini, ob longe diverſam rationem, ſunt diverſi, quinimmò oppoſiti, neque ab uno ad alterum inferre, vel arguere licet. 25

Altera verificari ſolet, in capitulo etiam antecedenti inſinuata notabilis diminutio pretii intrinſeci, ob accidentales circumſtantias, quæ tamen non reſpiciunt montem, vel ejus debitorem, ſed ſolùm reſpiciunt ipſos privatos contrahentes, quia nempè monte in bono ſtatu, bonaque exiſtimatione exiſtente, adeòvt loca libera ſint in communi commercio, pro integro pretio intrinſeco, quinimmò etiam pro aliquo majori extrinſeco, aliqua tamen vinculis obnoxia ſint, cum quibus poſſeſſor illa vendere velit, quoniam cum vincula, & onera pro eorum numero, & qualitate, & 26

juxtà

juxtà magis proximum, vel remotum periculum notabiliter minuant de valore, hinc docet quotidiana praxis, quod exiſtentibus locis liberis in communi commercio, non ſolùm ad rationem pretii intrinſeci, & naturalis ſcutorum centum, ſed etiam aliorum decem, vel viginti, & ultrà ratione pretii extrinſeci, & accidentalis, attamen vinculata venduntur ad rationem ſcutorum quinquaginta, quinimmò triginta, vel viginti circiter, pro vinculorum numero, & qualitate, ſed in hoc nil agere habet montis debitor, cujus nil intereſt, an uno, vel altero pretio hæc alea inter contrahentes æſtimetur, cum ſolùm hæc inſpectio cadat inter partes, ratione læſionis, vel circumventionis, ideòque montis debitor integrum pretium intrinſecum reſtituere tenetur, ſuper cujus tamen diſpoſitione ſunt partes officialium deſuper deputatorum, putà Secretarii, magis verò depoſitarii invigilare, & providere, quod hoc pretium non conſignetur liberum poſſeſſori, ſed reinveſtiatur cum iiſdem vinculis, eorumque legibus, pro indemnitate intereſſatorum, atque inter iſtos contrahentes cadere ſolet, non ſolùm quæſtio læſionis, metiendæ de tempore contractus, non autem à futuro incerto eventu: (undè
27 propterea nimium difficile, & rarum eſt, quod hæc læſio verificetur, ut latiùs occaſione caſuum particularium expenditur in conſueta Regalium ſede, & alibi) *i* ſed etiam futurus eventus parere ſolet quæſtionem non comprehenſionis inopinati caſus ſub contractu, puta, quia poſſeſſor locorum montium habentium vinculum fideicommiſſi, ob
28 exiſtentiam quamplurium perſonarum de genere vocato, opinetur ſolùm vendere commoditatem, ejus vita, & jure durante, atque tanquam ſuper jure vitalitio pretium circumferatur; Caſus autem præbeat, quod poſt venditionem omnes dictæ perſonæ deficiant, ac etiam deficiat ſpes futuræ exiſtentiæ aliarum; undè propterea fideicommiſſum expiret, atque loca montium in contractum deducta, efficiantur libera cujus ſcilicet commodo hæc ſuperventa, & inopinata libertas cedere debeat, an emptoris, vel venditoris, vel an idem venditor ad cujus favorem novum jus aperiatur, evincat, ſuumque factum impugnet, atque de his occaſione caſuum particularium agitur in eadem conſueta Regalium ſede, ubi videndum eſt. *l*

Quoad quartam inſpectionem qualitatis monetæ reſtituendæ, quando inter tempus venditionis locorum montium, & hujus reſtitutionis aliqua interceſſit immutatio, quale ſcilicet tempus attendi debeat, an illud contractæ obligationis, vel alterum ſolutionis, & cujus commodo, vel incommodo cedat intermedium augumentum, vel decre-
29 mentum, noſtri majores nimium ſe involuiſſe videntur, adeòvt aliqui moderni elaborati collectores tranſcribendo ea, quæ ab aliis dicta ſunt, cum conſueta Pragmaticorum leguleica ſimplicitate, appellent iſtam quæſtionem antiquam, altam, profundam, difficilem, confuſam, & involutam, habentem à fronte lupos, & à tergo præcipitium. *m* Verùm hodiè illa plana effecta videtur, atque in caſu, & ad effectum, de quibus agitur, locorum ſcilicet montium Urbis penè nulla diſputandi occaſio cadit, quoniam, exceptis duobus pluriès enunciatis, non multum conſiderabilibus montibus, qui circa finem Pontificatus Urbani Octavi, & initium Pontificatus Innocentii Decimi erecti fuerunt in auro, qui jam extincti fuerunt alii montes erecti ſunt in ſcutis monetæ, conſtitutis ex juliis decem pro
30 quolibet ſcuto, dùm, ut etiam occaſione caſuum particularium advertitur in eadem conſueta, & propria Regalium ſede, *n* plerique montes, qui erecti fuerunt in ſcutis auri, prudenter quidem, & judiciosè tranſmutati fuerunt, & redacti ad ſcutos monetæ, in qua ſpecie nulla hactenus interceſſit alteratio pretii, vel valoris, & per conſequens ceſſat in radice occaſio quæſtionis, quæ ſolùm reſtringi videtur ad illos montes, qui ſint erecti
31 in ſcutis auri, ob notabilem iſtorum alterationem, quoniam antiquioribus temporibus eorum valor erat juliorum undecim, & ſic uno julio minùs, quàm valerent quidam antiqui ſcuti auri Romani larghi, vel ſolis nuncupati, & qui ducati auri dicebantur; & tamen hodiè eorum valor intrinſecus, & currens eſt juliorum quindecim, ultra quos, habent etiam quemdam valorem extrinſecum, quando ſint novarum, & currentium ſtamparum, qui in Urbe eſt in quarta parte unius julii, alibi verò eſt major, atque in dies creſcit.

In hac itaque ſpecie ſcutorum auri cadit quæſtio, quæ tamen hodiè, occaſione præſertim eccleſiaſticarum penſionum, reddita videtur plana, ob tot deciſiones deſuper proditas, de quibus in eadem Regalium ſede, & alibi frequenter, *o* quod ſcilicet ubi non agitur de moneta imaginaria, ſed vera, & reali, atque valoris alteratio non provenit ab immutatione materiæ, quæ melior effecta ſit, neque ab aliqua accidentali, & particulari proviſione, ſed paulatim, & inſenſibiliter augumentum proveniat à beneficio temporis, & à communi hominum commercio, ut propriè in ſcutis auri contingit, & tunc augumentum cedat commodo creditoris, ſicuti è converſo ejus incommodo ceſſiſſet diminutio, quæ ex eodem tempore, & commercio contigiſſet, ex ea clara ratione, quod cum in obligatione ſit ipſa ſpecies, eadem, talis qualis illa ſit, præſtanda, vel ſolvenda eſt, quoties commodè haberi poteſt, ſolùmque debitori ex quadam non ſcripta æquitate, quoties ejuſdem monetæ copia non habeatur in loco, adeòvt commodè haberi non poſſit, permittitur offerre, & ſolvere æquivalentiam in moneta regionis communiter currente, dummodò jus creditoris in nihilo deterius fiat, & per conſequens ei ſoluatur integra æſtimatio, & ſic non ſolùm ſolvantur in 33
moneta julii quindecim, in quibus conſiſtit hodiè eorum valor intrinſecus, & fixus, ac etiam ſoluatur ille variabilis valor extrinſecus, qui ſub agii vocabulo inter negotiatores explicatur; Ac etiam ut moneta currens, quæ ſoluitur, ſit talis bonitatis, ut integrum habeat dictum valorem intrinſecum æquivalentem, etiam in communi commercio, & commoditate, abſque eo, quod de facto, ratione incommoditatis, aliquam patiatur extrinſecam diminutionem, ob quam valor in effectu ſit minor; Ut puta, exempli gratia, in illis regionibus, in quibus in uſu magna ſit copia monetæ æneæ, vel alterius inferioris ligæ, ſeù materiæ, adeòvt de jure certa quantitas iſtius monetę conſtituat eoſdem julios quindecim argenteos, in communi tamen commercio, & apud negotiatores, ratione majoris incommodi, & difficultatis cambiandi de loco ad locum æſtimetur minùs: undè propterea ille, qui indiget ſcutis centum argenti, cogatur ſoluere centum quinque, vel centum decem iſtius monetæ inferioris, quod etiam ſub agii vel alagii vocabulo explicari ſolet, ut in Cambiorum ſede habetur, *p* quoniam & hoc agium quoque ſupplendum eſt.

Major autem difficultas, vel diſputandi ratio reſidere videtur, quando per longiſſimum, & diuturnum tempus in hujuſmodi annuis, vel aliàs temporalibus præſtationibus, aut 34
fructuum ſolutionibus, iſtæ factæ ſint in alia moneta uſuali regionis minoris valoris, ut contingit in caſu, qui huic tractationi occaſionem dedit, locorum montium Bononię, quorum fructus ſoluti fuerunt in certa quantitate illarum librarum, quæ utique longè minorum conſtituunt valorem. Verùm iſta difficultas non percutit punctum, de quo in præſenti agitur, reſtitutionis ſcilicet ſortis faciendæ pro extinctione montis, & redemptione debiti, dùm hoc reſpectu nulla adeſt obſervantia, quæ ſolùm dignoſcitur in fructibus, quorum reſpectu quoad jam ſolutos, & ſpontè, abſque contradictione, vel reſervatione receptos, ex quadam æquitate probabilius videtur, ac etiam in praxi receptum, ut non admittatur creditor ad petitionem ſupplementi, quo verò ad decurſos, & non ſolutos, & impoſterùm decurrendos, probabilius videtur, ut hæc obſervantia non obſtet, cum iſtud augumentum paulatim, & inſenſibiliter cauſatum ſit, neque de facili negotiatoribus, & popularibus innoteſcit iſta legalis diſpoſitio, quæ, ut præmiſſum eſt, obſcura, & involuta reputata fuit, undè propterea inferri non poteſt ad illum novandi animum, in quo difficultas reſidet, quotiès ex facti qualitate, & circumſtantiis in caſibus particularibus ille non deſumatur. *q*

Demum quoad quintam, & ultimam inſpectionem ſuper modo faciendi locorum montium extinctionem, quando 35
iſta ſequatur de integro monte, tunc quia nemini remanet conquerendi occaſio, cum omnium conditio ſit æqualis, nullum intrat ſortis judicium, quod adhiberi ſolet, quando extinctio ſequatur in parte, quoniam ne fraudes committantur, vel indebitæ ſequantur gratificationes, extractio fit per ſortem, ponendo ſcilicet in urna omnia nomina Montiſtarum pro ſingulis locis, adeòvt quot ſunt loca, tot cenſeantur perſonæ, ut ita ex fortunæ judicio extracti patiantur hoc præjudicium, quod reputatur conſiderabile, tùm ob ſuperiùs in tertia inſpectione enunciatam amiſſionem pretii extrinſeci, tùm etiam ob ibidem quoque inſinuatum 36
notabile damnum, quod pati opportet, præſertim ubi adeſt vinculum reinveſtimenti in locis montium, ob ſolutionem alterius pretii extrinſeci, & ob novas expenſas litterarum patentium, ideòque graviter peccarent illi, ad quos pertinet,

i Card. de Luca de offic. venal. &c.

eorumque conſcientiam gravarent ; quando aliquo modo gratificarentur , præfatumque ſortis judicium alterarent , minuſque fideliter practicarent .

Sequuta extractione , affigi ſolet ad præſcriptum Pontificii chirographi , deſuper expediri ſoliti , publicum edictum impreſſum , in locis conſuetis , cum deſcriptione omnium extractorum , & locorum extinguendorum , ad quemlibet pertinentium, cum monitione, quod infra ſpatium quindecim dierum exigere debeant ſortem, & fructus decurſos à montis depoſitario , dictoque termino elapſo , extinctio ſequuta cenſeatur cum ceſſatione curſus fructuum , quodque pecunia penes eumdem depoſitarium remanere debeat , riſico , & periculo ipſorum creditorum negligentium illa exigere .

Quamvis autem præſupponeretur , quod in montibus , præſertim baronalibus , à notabili tempore citrà , talis eſſet ſtylus inconcuſſus , abſque eo, quod deſuper aliqua haberetur
37 difficultas ; nihilominus in ipſo initio , quo ad munus Auditoris Papæ fui evocatus , cum facienda eſſet extinctio partis cujuſdam montis baronalis cum hac lege , undè propterea deſuper peteretur chirographum Pontificium à me revidendum , & ſignandum , ego promovi difficultatem , quæ primo aſpectu omnibus negotiatoribus , penèque toti Curiæ nova , & exorbitans viſa eſt , utpotè contra communem , & receptum ſtylum , cui tamen abuſus , & corruptelæ attributum potiùs congruere dicebam , ut penès depoſitarium , privatum campſorem , ab ipſo montis debitore electum , & deputatum , cujus idoneitas , & ſecuritas Montiſtis ignota erat , remanere deberent iſtis invitis , vel ignaris , propriæ pecuniæ eorum riſico , & periculo , contra omnes juris , juſtitiæ , & æquitatis regulas , ut perſona deputata à debitore , debeat retinere pecunias creditorum non conſentientium , ità namque colludente montis debitore cum minus idoneo , vel periculoſo campſore , qui poſtmodùm ſe declarare poteſt decoctum , poſſent in magnis ſummis , etiam plurium centenorum millium ſcutorum , defraudari , & ſupplantari Montiſtæ , ideòque dicebam , quod ſi montis debitor cupiebat , ut pecunia remaneret penès ejus depoſitarium , ne huic fieret injuria , ejuſque exiſtimatio non minueretur , ut ipſe exagerabat , remanere deberet ejuſdem debitoris riſico , & periculo , uſquequò effectiva ſequeretur ſolutio , provt in dicto caſu electum , & practicatum fuit , ſin minus depoſitum fieri deberet in Monte Pietatis , qui ex Conſtitutionibus Apoſtolicis ſucceſſit in locum illius ſacræ ædis , vel publicæ menſæ , de qua jura , & Doctores loquuntur , ut in ſuis ſedibus advertitur , [r] atque reſpectu montium baronalium hodiè hoc jure vivitur , ac in futurum vivi debere creditur , quoniam omnis juris , rationis , & æquitatis montivum ità exigit . [ſ] Reſpectu verò Cameralium , cum miniſtri Camerales prætenderent , quod ex ſtylo iſtud depoſitum remanere debeat penès Theſaurarium ſecretum Cameræ , qui depoſitarii nomen vulgò ſortitur , tanquam publicam perſonam , dicebam , ipſique admittebant , quod ità idem ſequi debebat effectus remanentiæ pecuniarum , riſico , & periculo ipſius Cameræ debitricis , ex eadem ratione aliàs deducta , quod ſcilicet dominus tenetur de facto ejus famuli , vel miniſtri , ſivè præponens de facto præpoſiti , cujus fidem ipſe probavit , non autem probavere creditores , quorum periculo proindè ejus deficientia nullatenus cedere debet .

Practicari quoque ſolet quædam extinctio , potiùs ficta , & idealis , quàm vera , quod ſcilicet per Papam ex aliquo
38 probabili motivo extinguatur unus mons , puta in auro , illeque transferatur in alterum in moneta , cujus Montiſtæ efficiantur creditores , quod non videtur cauſare conſiderabile præjudicium , dum idem eſt debitor , eademque bona , & jura ſunt affecta . [t]

Ubi verò contingat pro montis extinctione aſſignari Montiſtis bona , quæ poſteà evincantur , vel ſolvi pecunias , quę poſteà avocentur , quia nempè receptæ ſint cum cautione ,
39 vel obligatione de reſtituendo emptori bonorum , ex quorum pretio provenerunt in caſu evictionis , vel moleſtiarum , vel anterioribus , & potioribus , ut in montibus baronalibus eſt contingibile , intrat quæſtio ſuper reviviſcentia montis , ſed quoniam occaſio non præbuit id formiter in his terminis diſputare , idcircò in caſus occurrentia videri poterunt , quæ in ſuis ſedibus habentur in ſimili quæſtione ſuper reviviſcentia cenſuum , cum eædem congruere videantur rationes . [u]

a *De Regal. diſc.* 148. 176., & 177. & *in aliis* .
b *Lib.* 5. *de cenſib. diſc.* 20., & 21.
c *L. per diverſas* , & *l. ab Anaſtaſio C. mandati* .
d *Lib.* 8. *de credito diſc.* 60., & 149. *lib.* 5. *de uſur. diſc.* 5.
e *De Regalib. diſcur.* 33.
f Larre. *allegat.* 3. Capyc. Latr. *deciſ.* 188. Prat. *obſer.* 100.
g *De Regal. diſcurſ.* 30. , & 31.
h *Lib.* 7. *de empt.* , & *vendit. diſc.* 25.
i *De Regal. diſcurſ.* 30. , & 31. , & *de donat. diſcurſ.* 54. , & *alibi* .
l *De Regal. diſcurſ.* 31. , & 164.
m Adden. *ad deciſ.* 67. *part.* 9. *recent. De Regal. diſcurſ.* 128. *num.* 3.
n *De Regal. diſcurſ.* 33.
o *De Regal. diſcurſ.* 42., & 126. *cum plurib. ſeqq. de credito diſc.* 140. *de penſion. diſc.* 34., & *ſeqq. de benefic. diſc.* 89.
p *Lib.* 5. *de cambiis diſcurſ.* 27.
q *In eiſdem locis* , *de quibus ſupra litt. O.*
r *De credito diſcurſ.* 68.
ſ *De iſto caſu in ſpecie diſc.* 200. *de Regal.*
t *De Regal. diſcurſ.* 33.
u *De feudis diſc.* 81. *de cenſib. diſcurſ.* 15.

De aliquibus privilegiis locorum montium , & Montiſtarum .

SUMMARIUM.

1 *An libertas locorum montium , cum qua tranſeunt in reſignatarium , dici mereatur privilegium .*
2 *Eſt privilegium commune omnibus montibus .*
3 *De privilegio , ut non poſſint extingui .*
4 *Quid importet hoc privilegium .*
5 *De capacitate omnium acquirendi , & retinendi .*
6 *Quales infideles ſint incapaces , & an Judæi .*
7 *Quare etiam ſine privilegio forenſes ſunt capaces locorum montium .*
8 *De capacitate , vel incapacitate Judæorum acquirendi , & poſſidendi ſtabilia .*
9 *De privilegio ſuper libertate diſponendi ſine ſolemnitatibus .*
10 *Quid in Eccleſiis , & locis eccleſiaſticis .*
11 *De ratione , ob quam non requirantur ſolemnitates .*
12 *Non procedit in alienationibus translativis ex privatis conventionibus .*
13 *Quid ſervari ſoleat , & debeat , etiam in alienationibus per viam reſignationis in minoribus , vel mulieribus .*
14 *Iudicis decretum non eſt cautela ſufficiens .*
15 *An loca montium cadant ſub ſpolio Eccleſiarum .*
16 *De privilegio , quod loca montium non poſſint ſequeſtrari , vel exequi , quod non ſit in uſu .*
17 *De differentia hujus privilegii in pecuniis , quæ ſunt in locis illud habentibus .*
18 *De privilegio ut loca montium non ſubiaceant confiſcationibus .*
19 *De uſu confiſcationum in Statu Eccleſiaſtico .*
20 *De propoſitionibus , quod quilibet confiſcet in ſuo .*
21 *Quomodo intelligatur exceptuatio læſa Majeſtatis in primo capite .*
22 *In montibus baronalibus non ſolent concedi dicta privilegia , ſed illud potioritatis adverſus anteriores in bonis aſſignatis , cum ſuſpenſione hypothecarum .*
23 *De poteſtate Principis tollendi ius tertii .*
24 *Bona iuriſdictionalia in Statu Eccleſiaſtico non poſſunt obligari ſine aſſenſu Papæ .*
25 *Creditores cum aſſenſu in bonis prohibitis vincunt creditores anteriores ſine aſſenſu .*
26 *Damnantur gratiæ , & conceſſiones tertio præiudiciales .*
27 *In montibus , etiam baronalibus , adeſſe dicitur cauſa , & fides publica , & quomodo .*
28 *De diſtinctione , circa revocationes , vel moderationes gratiarum .*
29 *De errore procedendi cum generalitatibus .*
30 *Quando ſuper bonis hypothecatis non datur hypotheca experimentum .*
31 *Quid ſit hypotheca , & an ſit verum pignus .*
32 *Spernuntur illi , qui in hoc negant Principis poteſtatem .*
33 *Concluſio quæſtionis , ut ſupra num.* 28.

CAP.

CAP. V.

QUando procedendum sit cum vulgi opinione, superiùs initio Cap. 2. insinuata, quod libertas locorum mon-
1 tium proveniat ex privilegio eis concesso per Urbanum Octavum, cujus contrarium est verius, ut potiùs ista libertas proveniat ex juris intentione, vel ratione, ob subjectæ materiæ naturam, & qualitatem, tunc istud privilegium omnium majus, utilius, & efficacius censendum est, illudque est universale, & commune omnibus Montistis, absque aliqua differentia, sive montes sint camerales, sivè baronales, absque eo, quod à singulorum montium erectione ampliori, vel strictiori id pendeat, ut in aliis privilegiis contingit, atque ut in eodem Cap. 2. insinuatum est, ista prærogativa principaliter induxit hoc magnum commercium, magnamque hujusmodi jurium, & reddituum existimationem, cum in aliis bonis, præsertim stabilibus, libertas, & securitas commercii penè omninò exulaverint.

Alterum solet esse privilegium, apud negotiatores nimium æstimabile, quod tamen omnibus montibus commune non est, sed particulare, & diversum pro diversis singu-
3 lorum montium erectionibus, ut extingui non possint, nisi post certum tempus, vel nisi postquam extincti fuerint omnes alii montes antiquiores, ut insinuatum est supra Cap. 3., ubi, & alibi assignata est ratio, ob quam negotiatores, & alii huic vacantes commercio id nimium existimant,
4 non solùm ob securitatem habendi eorum pecuniam benè investitam, sed, quod majori existimatione dignum est, ob notabilia damna exindè resultantia in jactura pretii extrinseci, pro quo empta fuerunt ipsa loca, quæ possidentur, & in altera majori jactura, quam pati opportet in alio pretio extrinseco aliorum locorum, in quæ pretium est investiendum, & in expensis novarum litterarum patentium.

Tertium magis communiter in cameralibus solet esse pri-
5 vilegium, pariter nimium apud negotiatores, præsertim forenses æstimabile, quod etiam hujus commercii magnæ excrescentiæ causa dici potest, libertatis scilicet, & capacitatis omnium cujuscumque status, gradus, & qualitatis personarum acquirendi, & retinendi hæc loca montium, quæ propterea non cadunt sub Constitutionibus Apostolicis inhabilitantibus forenses, exceptis infidelibus, & hæreticis, cum quibus omnimodum interdictum est commercium. Et licet respectu infidelium videretur, quod deberent esse capaces illi, qui in hoc Principatu tolerantur, atque in eo reliqui populi more, vivunt, & liberum habent commercium,
6 præterquàm quoad expressè prohibita, quales sunt Judæi, qui vivunt in Urbe, & in aliis hujus Principatus locis, & de quibus frequenter sub diversis agitur sedibus, & præsertim in illa Regalium; *a* Nihilominus contrarium est verius stante illorum incapacitate possidendi bona stabilia, etiam in Urbe, in qua, ejusque ambitu quatuor milliarium forenses non sunt incapaces acquirendi, & retinendi, unde pro-
7 pterea sine isto privilegio acquirere, & retinere possent loca montium, quæ ex deductis in Cap. 1. censentur esse in Urbe, ejusque loco circumscribuntur, dùm Judæi sunt generaliter incapaces, aliudque dominium, vel possessio quoad
8 eos non verificaretur, nisi in quibusdam prædiis Universitatis, deservientibus pro sepultura, & sinagogis, vel scholis, & quoad particulares in quodam jure inquilinatus in domibus, in Ghetto existentibus, eorum habitationi destinatis, quod sub vocabulo *Gazagà* explicatur. *b*

Quartum est privilegium, antecedenti connexum, super alia specie libertatis disponendi de hujusmodi locis montium
9 privilegiatis absque solemnitatibus, & formis, quæ in personis, de jure communi, vel statutario alienare, vel disponere prohibitis, requiruntur, idque juxta contextum verbalem hujusmodi erectionum non restringitur ad mulieres, & minores, in quibus, pro frequentiori praxi, hujusmodi solemnitates requiri videntur, & practicantur, sed generaliter disponitur in omnibus quomodocumque prohibitis, vel incapacibus. Cum enim in antecedenti parte, ut præsertim patet ex erectione facta per Alexandrum Septimum de monte Restaurato tertiæ erectionis, juxta cujus formulam, cum modica differentia conceptæ videntur omnes aliæ erectiones, in quibus hęc privilegia conceduntur, disponatur circa facultatem acquirendi, & retinendi, ut quicumque utriusque sexus, etiam Presbiteri, & Clerici, & Prælati, ac etiam Regulares quorumcumque ordinum, & Militiarum, ac etiam spurii, & forenses, aut aliàs quomodolibet inhabiles, & incapaces, necnon Communitates, Collegia, Capitula, Congregationes, Conventus, Societates, Ecclesiæ, & loca Pia, quamvis ex pecuniis ecclesiasticis, seù ex Ecclesiasticis Beneficiis provenientibus, acquirendi, & retinendi facultatem habeant, deindè subiungitur, ut isti omnes, & præsertim minores, & mulieres prædictam habeant disponendi facultatem, & libertatem, absque alia solemnitate, cujus loco sufficiat acceptatio facta per Secretarium coram duobus testibus: Undè propterea quamvis in Cap. 1. firmatum sit, quod hæc loca montium ad effectus reputantur tanquam bona stabilia, & per consequens circa alienationem illorum, quæ possidentur per Ecclesias, & loca ecclesiastica, cadentia sub prohibitione contenta in *Extravag. Ambitiosæ*, aliisque similibus Constitutionibus, deberent servari ea, quæ in hujusmodi alienationibus circa solemnitatem, & causam desiderantur, ex deductis in sua prohibitarum alienationum sede; *c* Nihilominùs in hac bonorum specie id non procedit, tùm ex hujusmodi privilegiis, tùm etiam ex rationibus, quibus locorum montium libertas innixa est, ex insinuatis in Cap. 2., quod scilicet
11 ità exigat publici commercii ratio, & subiectæ materiæ qualitas, vel natura, dum emere volentes hæc loca montium, vel alia similia jura, ignorant quinam sint venditores, & an alienandi facultatem habeant nec ne, sed sequuntur fidem publicam officialis per Principem deputati, aliud non inquirentes, nec inquirere debentes, quæ rationes æquè militant in minoribus, & mulieribus, aliisque similibus prohibitis, & privilegiatis, talisque est praxis.

Intelligendum autem id venit, ut aliàs est superiùs insinuatum, quando alienatio sequatur, juxtà naturam hujusmodi
12 jurium, per viam scilicet resignationis factæ in manibus Secretarii, cum tunc, ut pariter aliàs insinuatum est, dicatur cessio extinctivà, non autem translativa, atque actus receptionis pretii dicatur potiùs necessarius, juxtà insinuatam distinctionem, quæ habetur in censibus consignativis; & per consequens si Ecclesiarum, & ecclesiasticorum locorum Prælati, vel administratores procederent per viam translativæ alienationis, quam per privatam conventionem alteri facerent, tunc procedunt ea, quæ circa solemnitatem, & causam in jure disponuntur circa alienationes, ex insinuatis supra lit. C, idemque in minoribus, & mulieribus, aliisque similibus prohibitis, & privilegiatis, cùm tunc emptores non dicantur sequi publicam fidem Principis, vel ejus Officialis, sed fidem privatam venditoris, vel alterius contrahentis, ideòque ejus potestatem inquirere tenentur.

Adhuc tamen, quando etiam procedatur per viam resignationis, solet, immò tenetur Secretarius, ex debito ejus offi-
13 cii, cum personis prohibitis, & privilegiatis diligenter inquirere sinceritatem actus, & occurrere fraudibus, & machinationibus, quæ desuper committi solent; Ideòque ubi agitur de minoribus, non solet, nec debet admitti resignatio, nisi accedat Judicis decretum, ubi verò agitur de mulieribus majoribus (cum minores veniant sub minorum genere, etiam in illis locis, in quibus, nullis desuper extantibus statutis, vivitur cum jure communi, cujus dispositione attenta mulieres majores eodem jure, quo viri in contractibus, aliisque actibus regulantur,) & tunc inspicitur, an loca montium proveniant ab industria, & providentia ipsius mulieris, quæ sit negotiatrix, vel aliàs ex ejus parsimonia, & industria hujusmodi fecerit acquisitiones, vel è converso illa proveniant ex providentia aliena, puta ex hæreditate testata, vel intestata, aliave dispositione parentum, vel conjunctorum, sivè quod abistis, vel ab ejus administratoribus sibi data fuerint in dotem, ut priori casu admittantur resignationes absque alia solemnitate, in posteriori autem desideretur Judicis decretum, quod tamen non videtur esse cautela sufficiens, dum praxis docet, quod hujusmodi decreta voluntariæ jurisdictionis, quæ sine
14 forma judicii, & causæ cognitione, & sine oppositore interponuntur, continere videntur quamdam formalitatem, sine illo fine, vel effectu, ob quem à legibus, vel statutis id desideratum est: Ideòque debet providus Secretarius in hoc invigilare, ne fraudes committantur, & ad quas evitandas melius esset id, quod in antecedenti cap. dictum est, ut quando aliquod probabile dubium desuper cadit, non admittatur resignatio, absque prævio voto Congregationis montium.

Attento item tenore, seù littera hujusmodi erectionum privilegiatarum, non improbabiliter prætendi posset, quod loca montium acquisita, & possessa per Episcopos, & beneficia-
15 tos, ac regulares, quamvis ex bonis ecclesiasticis, non caderent sub spolio, sed essent liberæ dispositionis, etiam per ultimam

mam voluntatem, ſive tranſmiſſibilia ad ſucceſſores ab inteſtato; Contrarium tamen uſu, vel praxi receptum eſt, quoties aliundè, quàm ex aſſertione, contenta in ipſis litteris patentibus, non conſtet, quod proveniant ex bonis patrimonialibus, vel alias, quàm ex beneficiis, & bonis eccleſiaſticis, quo caſu nil peculiare dignoſcitur in locis montium, cum id reſpectu Clericorum ſæcularium generaliter procedat in quibuſcumque aliis bonis; Ideòque non ſemper in verborum cortice, vel formula immorandum eſt.

Ut etiam ſequitur in altero privilegio, quod quinto loco numeratur, in verbis conceſſo, non tamen uſu recepto, ut loca montium non poſſint ſequeſtrari, minuſque exequi, &
16 ſubhaſtari; Et merito quidem privilegium non eſt uſu receptum, quoniam ità multæ fraudes committi poſſent, atque doloſi debitores cum hujuſmodi redditibus ſplendidè vivere poſſent, irridendo creditores. Et quamvis in pecuniis, quæ deponuntur in bancis Montis pietatis, & ſancti Spiritus Urbis in uſu habeantur conſimilia privilegia ſuper prohibito ſequeſtro, & exequutione, attamen id habere videtur aliquam magis congruam rationem publici commercii, ejuſque faci-
17 litatis magis univerſalis in omnibus populi ordinibus, majori, medio, & infimo, ac etiam in exteris, dum aliàs cum ſequeſtris magnæ poſſent oriri confuſiones, & fraudes, & tamen in caſibus particularibus, quando ex facti qualitate, & circumſtantiis conſtet hujuſmodi privilegium confovere debitoris calumniam, & fraudem, & creditorum ſupplantationem, de facili à Papa, per organum ejus Auditoris, vel alicujus magiſtratus, interponitur arbitrium ſuper talis privilegii moderatione, magnaque dignoſcitur differentia inter unum, & alterum caſum, ſive unam, vel alteram ſpeciem.

Sextum demùm eſt privilegium, ut hujuſmodi loca montium non ſubiaceant confiſcationibus, pro quibuſcumque criminibus, excepto illo læſæ majeſtatis in primo gradu, vel in
18 perſona Cardinalium, iſtudque privilegium magni faciendum eſt in hoc Principatu, in quo, excepta Civitate Bononiæ, quæ ex particulari privilegio, vel ex antiqua conſuetu-
19 dine ab aliis Civitatibus, & locis diverſificat, in uſu eſt bonorum confiſcatio, eo ipſo, quod locus eſt condemnationi capitali veræ, vel fictæ, ſeù contumaciali, immò etiam ad triremes perpetuas, vel per decennium, & quando eſt ad ſeptennium, intrat pro medietate, ſecus autem ubi ad quinquennium: undè propterea frequentes eſſe ſolent diſputationes ſuper hujuſmodi confiſcationibus cum vocatis ad fideicommiſſa, per delinquentes poſſeſſa, vel cum ejus creditoribus, vel parentibus, & liberis reſpectivè, & inter ipſoſmet, ac tertios, in quos bona, vel jura confiſcata interim tranſierunt, quando adverſus condemnationem, præſertim contumacialem reſtituatur, ut in ſuis ſedibus habetur, *d* & per conſequens nimium æſtimabile hoc privilegium remanet in ejuſdem Principatus incolis, & ſubditis, ac etiam in exteris, qui ratione loci cõmiſſi delicti, vel ex alio capite huic foro ſubiaceant.

Quinimmò, etiam quoad exteros, huic foro nullatenus ſubiectos, adhùc nimium æſtimandum eſt (præſuppoſita, pro meo ſenſu, irrationabili, malèque fundata propoſitione,
20 quam modernorum ſuperficialium leguleicum vulgus recepiſſe videtur, ut in ſuis ſedibus advertitur, *e* quod quilibet confiſcat in ſuo Principatu, vel territorio) quando agatur de confiſcatione proveniente à jure communi, non autem à particulari illius Principatus, vel ditionis, ut ità exterorum, & nullatenus ejus dominio, & foro ſubiectorum Princeps, vel etiam inferior dominus capiat bona in ejus territorio, vel ditione exiſtentia.

Sed quoniam in hoc privilegio excipitur crimen læſæ majeſtatis in primo capite, dictaque propoſitio non verificatur, niſi in crimine læſæ majeſtatis divinæ, vel humanæ, in quo ſolùm ex diſpoſitione juris communis confiſcatio intrat, idcircò cadit dubium, an iſta exceptuatio intelligenda veniat de
21 crimine in primò capite, quod per exteros in aliis Principatibus cum proprio Principe committatur, juxta caſum in dicta Regalium ſede peractum, *f* vel potiùs intelligenda ſit de iſto crimine, patrato in hoc Principatu, in perſona proprii Principis, qualis eſt Papa; id autem formiter diſputare occaſio non prębuit, ideòque maturum deſuper judicium, non efformatur; probabilior tamen videtur hæc poſterior pars, tùm ob admixtam mentionem Cardinalium, ex qualiquet, quod intellectum ſit de Summo Pontifice, cujus ſpecificatio ex prudentialibus motivis omiſſa fuit, tùm etiam, quia eſſet ità cumulare exorbitantias, quatenus recipienda, & practicanda ſit dicta propoſitio, quam tamen nunquam conſulo, & laudo recipi, & practicari debere; De facili tamen Principes, eorũq; miniſtri recipiunt propoſitiones ipſis utilis, & proficuas, atq; amant, & querunt, juxtà dictum Apoſtoli, ſibi magiſtros prurientes auribus, & è converſò juxta dictum noſtri *Afflicti in ejus deciſionibus*, frequentiùs Judices, & Conſiliarii practicãt illum verſiculum *Placebo Domino in regione vivorum*. In caſu tamen particulari, cujus mentio habetur in eadem Regalium ſede, & alibi, *g* in quo ſcribendo pro filiis ejus, qui in diverſo Principatu confiſcationem paſſus erat, ob crimen læſę majeſtatis humanę in primo capite, agẽdo de fideicommiſſo, & de legitima, & de quibuſdam officiis, vidi practicatum, quod ſine diſputatione quædam loca montium, in vim iſtius privilegii, poſita non fuerunt ſub confiſcatione.

Concedi ſolent hęc priviegia in erectione montiũ Cameralium, licet neque in omnibus, non tamen in montibus baronalibus, in quibus concedi ſolet quoddam fortè magis exor-
22 bitans privilegium ad favorem Montiſtarum, quod ſcilicet ſuper bonis, quæ aſſignantur pro dote montis, ut ex eorum fructibus ipſorum locorum montium fructus ſolvantur, conceditur potioritas Montiſtis adverſus alios debitoris montis creditores, quamvis anteriores, & expreſſas habentes hypothecas, etiam privilegiatas, quæ ſuſpenduntur, donec alia ejuſdem debitoris bona excutiantur, adeòvt nonniſi in ſubſidium & poſt excuſſionem factam ſuper iſtis bonis eorum hypothecas, & jura exercere poſſint. Cumque ita practicatum eſſet in caſu in eadem conſueta Regalium ſede peracto, *h* atque inter alia bona aſſignata monti eſſet quoddam oppidum, vel caſtrum, quod venditum poſtmodùm fuit, atque ſuper ejus prętio orta eſſet controverſia inter Montiſtas, & alios creditores anteriores impugnantes hoc privilegium, illudq; de aperta injuſtitia, & iniquitate redarguentes, atq; ab hodierno Pontifice ſucceſſores petentes revocationẽ, deſuper deputata Congreg. aliquorum Prælatorum quibus ego tunc Prælatus tanquam ejuſdem Papę Auditor adjunctus fui, in diſputationibus deſuper habitis, tàm per ſcribẽtes hinc indè, quàm etiã per aliquos ex congregatis, procedebatur cũ altis terminis poteſtatis Principis tollendi jus tertii, undè propterea inſiſtebatur in eo, an 23 conſtaret, necne de cauſa publica, ex cujus defectu, dùm agebatur de gratia conceſſa privatę perſonę, & ad priuatum commodum, aliqui, fortèque in majori numero erant in ſenſu, quod eſſet locus moderationi gratiæ, eodem modo, quo ex eodem defectu cauſæ publicæ per ipſummet Pontificem, qui gratiam conceſſerat, prævio Rotæ voto, illa revocata fuit, juxta caſum in eadem cõſueta Regalium ſede peractum *i* ubi hęc materia gratiarum, tertio prejudicialium, latè expẽditur.

Mihi verò labor inanis videbatur aſſumere hanc altã provinciam, quodque omnia, quæ deſuper hinc inde latè cum conſueto improbo labore deducebantur, extranea eſſent à cauſu controverſiæ, dum concurſus non erat ſuper bonis indifferentibus, & liberis, & quæ affecta eſſent hypothecis anterioribus, per iſtam gratiam ſuſpenſis, vel ſublatis, quo caſu prædicti termini intrarent, ſed concurſus erat ſuper oppido, vel caſtro juriſdictionali, ejuſque pretio, abſque dubio ſuccedente loco rei, ejuſque naturam, & qualitatem habente ex auctoritate Judicis, & ex Bulla Baronum, juxta ea, quæ ad materiam dictæ Bullæ frequenter habentur in feudali ſede, & alibi, & per conſequens nullæ aderant hypothecæ, dùm creditores, qui montis erectioni anteriores erant, utpotè deſtituti illo beneplacito Apoſtolico, quod ex Apoſtolicis Conſtitutionibus in eadem feudali ſede inſinuatis, neceſſarius eſt, non ſolum in alienatione, ſed etiam in obligatione bonorum juriſdictionalium, etiam inter ſubditos, *l* reſpectu iſtius 24 qualitatis bonorum, conſiderandi veniebant tanquam ſimplices creditores chirographarii, ſolam perſonam actionem habentes, ideòque poſteriores Montiſtis habentibus in ſpecie hæc bona juriſdictionalia obligata, cum expreſſo beneplacito Apoſtolico, ad cujus effectum iſtam conceſſionem, dicebam conſiderandam eſſe tanquam gratiam nemini prejudicialem, ex certa, & recepta propoſitione, frequenter inſinuata in eadem ſede Feudorum, & in altera Crediti, & Debiti, & alibi, *m* quod ſuper his bonis differentibus, prohibitis, anterioritas non regulatur à tempore privatæ obligationis poſſeſſoris, ſed 25 à tempore aſſenſus domini, ideoque creditores cum aſſenſu, quamvis in tempore poſteriores vincunt anteriores aſſenſu carentes, qui propterea conqueri non poterant, quod eſſent ſublatæ, vel ſuſpenſæ illorum hypothecæ, dùm iſtæ non aderant, cum privatio præſupponat habitum, & quod non eſt, tolli, vel impediri non poteſt; Undè propterea ex hoc ſolo motivo, abſq; alia inſpectione, omniũ concordibus votis, prodiit reſolutio favore Montiſtarum, quibus pretium ſolutum fuit.

Verùm ubi etiam ageretur de bonis liberis, & indifferen-

tibus,

tibus, in quibus dicta ratio non intraret, adeovt tollerentur, vel ſuſpenderentur hypothecæ jam contractæ, & competentes, & per conſequens gratia eſſet tertio præjudicialis, ejuſque jus tolleret; Quamvis pro genio, & ſtylo ſemper hujuſmodi gratias, & conceſſiones ad commodum privatum, & ceſſante cauſa publicæ neceſſitatis, vel utilitatis damnaverim,
26 & aborruerim, eaſque, ubi eadem cauſa publica, ſi non à parte antè, ſaltem à parte poſteà non urgeat, adeòvt de ſolo privato intereſſe agatur illorum, qui gratiam obtinuerunt, vel de illa ſolliciti fuerunt, revocatione, vel moderatione dignas eſſe crediderim, quodq; ſervari debeat ſtylus, qui religioſè in currenti Pontificatu ſervatur, & tenetur; Nihilominus in dicto caſu conſiderabam urgere cauſam publicam, ſi non à parte antea, attamen à parte poſtea, quoniam, ut aliàs inſinuatum eſt, etiam in hujuſmodi montibus baronalibus, vel pri-
27 vatis, cum publica, & Papali auctoritate erectis, publica Principis fides præſtari, & adhiberi videtur, & quæ aliàs violata remaneret, ſivè illam ſequentes deciperet, quorum neutrum dicendum eſt. Negotiatores enim, & præſertim exteri abſentes, atque in remotis regionibus moram trahentes, ut aliàs inſinuatum fuit, ſequuntur fidem, non quidem, illius Baronis, vel aliàs privati erectoris montis, ſed informati de valore, qualitate, & redditibus bonorum, quæ pro montis dote aſſignantur, inſpicere, & examinare ſatagunt motum proprium, vel chirographum Pontificium, juxta cujus majores, vel minores cautelas, & aſſecurationes negotio vacare deliberant: undè aliàs, præſertim apud exteros, non ità benè callentes has diſtinctiones ipſius Principis, & Principatus, exiſtimationis, & fidei diminutio vulgò *diſcredito* ſequeretur, cum Reipublicæ præjudicio pro aliis indigentiis, & per conſequens hoc bonum publicum anteponendū eſt privato præjudicio; Ideòque laudandi ſunt Principes, qui ab hujuſmodi conceſſionibus abſtinent, atque monendi ne faciant, ſed poſtquàm fecerunt, monendi ſunt, ut à facti revocatione, vel moderatione abſtineant, quotiès iſta plurium innocentiam, ipſiuſque Reipublicæ, ſivè publici, & liberi commercii præjudicium parere poteſt, quoniam in concurſu hujuſmodi præjudiciorum, magis attendendum eſt iſtud publicum, quàm alterum privatum aliquorum creditorum Baronis, vel alterius erectoris, magnaque propterea differentia conſtituenda eſt inter moderationes, vel infirmationes gratiarum, quæ præjudicant ſolùm illi, qui obtinuit gratiam, cujus benefi-
28 cium ei tollunt, juxta ſuperius inſinuatum caſum revocationis factæ per eumdem concedentem, *n* & illas revocationes, vel moderationes, aut infirmationes, quæ concernunt præjudicium quamplurium tertiorum, ipſiuſque Reipublicæ; Atque in hoc dignoſci ſolet æquivocum & manifeſtus error ſuperficialium, qui in omnibus caſibus, ad eorum diverſas non reflectentes circumſtãtias, cum eiſdem regulis, & propoſitio-
29 nibus, vel cum eiſdem auctoritatibus pariformiter procedũt, multa namque favore publici commercii conceduntur, quæ aliquibus privatis denegantur. Ut puta, ſub hypotheca generali veniunt, non ſolùm bona ſtabilia, ſed etiam mobilia, & ſemoventia, ſuper quibus contra tertios poſſeſſores etiam bonę
30 fidei, & quamvis per multas tranſierint manus, creditor ejus hypothecam exercere poteſt, & tamẽ ex quodam recepto uſu per Doctores & per Tribunalia canonizato, ratione libertatis commercii, ſuper mercibus, aliiſque mobilibus, vel ſemoventibus, quæ in tertios bona fide, & ex cauſa onerosa tranſierunt, non datur hoc experimentum hypothecæ; *o* multò verò magis, quando in publicis nundinis, & emporiis, aut portubus id ſequutum ſit, cum tunc, vel ex Principum privilegiis, vel ex recepto, & commẽdabili, non ſolùm creditoribus hypothecę experimentũ, ſed etiã dominis rerũ ſuarũ vindicatio jure dominii, ex eadẽ ratione favoris publici, denegari ſoleat. *p*

Et quidem, ubi præſertim non agitur de tollendo dominio, ex propria induſtria, & providentia comparato, quod quodãmodo, ſaltem pro communi opinatione, juris naturę, vel gentium eſſe videtur, & quod adhuc per legem poſitivam mortuam, ſive per Principem, qui eſt lex viva, & animata, in multis caſibus tolli poteſt, & ſolet, ex inſinuatis in conſueta Regalium ſede, occaſione agendi de hac poteſtate Principis tollendi jus tertii, ac etiam in alia tractatione officiorum, ſed agitur
31 de hypotheca, quæ denotat quidem idem, ac pignus, ſed inſpecta naturali veritate, de facto & communi hominum opinione non eſt verum pignus, cum iſtud à pugno derivatum, verè, & propriè cõſiſtat in illis mercibus, & mobilibus manualibus quæ materialiter, & de facto dãtur in manibus creditoris pro cautione, & ſecuritate, ſine qua ejus non crederet pecuniam, adeòvt iſtius veri pignoris obſervantia æquipollere videatur ſuperius inſinuatæ ſecuritati ementium merces; *q* hypotheca verò continet quoddam pignus fictum, & ideale, merumque figmentum, à lege civili introductum, & quod potiùs ipſi juſtitiæ, vel diſcurſui, & veritati naturali adverſari videtur, ut occaſione agendi de iſto caſu, & aliis in pleriſque ſedibus advertitur; *r* unde propterea, ſi caſus non præbuiſſet hujuſmodi legum civilium inventionem, & receptionem, iſtud figmentum nobis ignotum eſſet, eiſdemque legibus attentis videmus quod ille hoc beneficium ejus libito concedit, & aufert favore dotis, vel fiſci, ſive crediti primipilaris, & in aliis caſibus. Igitur ſi totum provenit à fictione, & beneficio legis poſitivæ; non videtur quid prohibeat, ne Princeps, qui eſt lex animata, dictęque legi poſitivæ mortuæ, pro libito, derogare poteſt, hoc privilegium concedat, cum aliis ponderationibus inſinuatis in iſtius caſus particulari tractatione; *ſ* Ideòque irriſione verè digni dici merentur illi Juriſtæ, & Morales, qui hanc dene-
32 gant poteſtatem, atq; in ejus uſu, vel exercitio obſtaculum juris naturalis conſiderant, cum id magnam ſimplicitatem, & apertam ineptiam potiùs redoleat; Ac propterea concluden-
33 dum eſt, quod monendi quidem ſunt Principes, ut ab hujuſmodi gratiis abſtineant, & quando illas conceſſerunt, laudandi, quod revocent, vel moderentur in gratiam eorum, quibus præjudicatum eſt, in odium gratiati, non autem in odium, & præjudicium tertii, qui bona fide ſub talis gratiæ clypeo, & ſecuritate contraxit, aliàs non contracturus: multò verò magis ubi præjudicium eſſet multorum, atq; potiùs publicum, quàm privatum, ut ſupra, atque cum his diſtinctionibus, & conſiderationibus, materia regulanda videtur, non autem cum ſolis generalitatibus, & abſtractis, cum quibus ſemper error eſt procedere.

a *De Regal. diſc.* 100. *cum pluribus ſeqq. & alibi ſub diverſis titulis pluries.* b *De locato diſc.* 10., *& 33., & alibi.* c *In ſpecie locorum montiũ lib.* 7. *de alien., & contract. prohib. diſc.* 1. *n.* 17., *& diſc.* 12. d *De Regal. diſc.* 160. e *De Regal. diſc.* 161. f *Dict. diſc.* 161. *de Regal.* g *Diſc.* 160. *de Regal.* h *De Regal. diſc.* 185. i *De Regal. diſc.* 177. l *De feud. diſc.* 66., *& ſeqq.* m *De feud.* 78. *& de cred. diſc.* 13., *& 151., & alibi.* n *Diſc.* 177. *de Regal.* o *De credito, & debito diſc.* p *De Regal. diſc.* 29. q *De credito, & debito diſc.* r *Dict. diſc. de cred. diſc.* 185., *ac etiam in tit. de Regal., & in conflictu legis, & rationis.* ſ *Dict. diſcurſ.* 185. *de Regal.*

De montibus, quibus Camera, & Sedes Apoſtolica reperitur gravata, ex cauſa Chriſtianæ, & reſpective Catholicæ fidei, vel Eccleſiæ univerſalis.

SUMMARIUM.

1 *EX defectu reddituum Pontificii Principatus imponi ſolent Decimæ, & indici Cruciata.*
2 *Mons fidei undè dictus, & de ejus erectione, & reductione ad hodiernum ſtatum.*
3 *Mons Pius Recuperationẽ, & primi, & ſecundi Succurſus fuerunt ſuppreſſi per Alexandrum Septimum, & translati ad montem, qui nuncupatur Reſtauratus.*
4 *Mons Ligæ, & Mons Religionis adhuc fuerunt transfuſi per eumdem Alexandrum Septimum in dictum montem Reſtauratum.*
5 *Montibus Cameralibus, & Monti Populi Romani variæ additiones fuerunt factæ ſub Gregorio Decimotertio.*
6 *Montis Camerarii erectio.*
7 *Mons Subuentionis etiã trãslatus ad montẽ Reſtauratũ.*
8 *Erectio ſecundi Montis Religionis fuit facta ſub Paulo Quinto.*
9 *Neceſſitas erigendi montes, & exigendi emolumenta, Datariæ, & Cancellariæ Apoſtolicæ.*

CAP. VI.

UTriuſque ſpiritualis, & temporalis Pontifici Principatu redditus, & proventus ordinarii, & naturales vix eſſe ſolent ſufficientes ad ordinaria, & connaturalia eorumdem Principatuum onera, & ſumptus, ut alibi diſtinctè oſtenditur, r unde propterea in extraordinariis, & accidentalibus indigentiis, ex cauſa fidei, præſertim antiquioribus temporibus, ut illis occurreretur, Summi Pontifices indicere conſueverunt cruciatã; ſive imponere decimas ſuper beneficiis, aut alienare, ſeù oppignorare Civitates, Oppida, & Caſtra Status Eccleſiaſtici, vel facere novas erectiones, aut additiones officiorum venalium vacabiliũ, de quibus in præcedenti eorum tractatione actũ eſt. Circa verò initia decurſi decimi ſexti ſęculi ſub Clemente Septimo, ut ſuperius in Cap. 1. inſinuatum eſt, pro ſubventionibus Imperatori præſtandis in bello defenſivo, adverſus arma Imperatoris, vel tyranni Turcarum, occupare ſatagen-

tagentis Civitatem Viennenſem, aliaſque illarum Regionum partes, & ſic ex cauſa fidei, practicari cæpit uſus, poſtmodum
2 uſque ad præſens continuatus, contrahendi æs alienum fructiferum, tanquam per ſpeciem cenſus conſignativi, ſub nomine, ſeù vocabulo locorum montium, dictoque primo monti attributum fuit nomen à cauſa, pro qua erectus fuit, ideoque nuncupatus mons Fidei, dictaque prima erectio fuit in numero, vel quantitate locorum biſmille, quæ important ſcuta biſcentum millia, ſummam tunc valdè conſiderabilem, magnique interuſurii, utpotè ad rationem decem pro centenario; Ideoque mons ex eadem cauſa Religionis, & expenſarum belli, partim cum Turcis, & partim cum infidelibus, ſucceſſivis temporibus ſub Paulo Tertio, Sixto Quinto, aliiſque Pontificibus varias habuit additiones, adeout de præſenti importet loca 49698. conſtituentia quinquagies centena millia ſcutorum, vulgò quinque milliones, eorumque fructus pluries reducti, juxtà hodiernum ſtatum ad rationem quatuor pro centenario, important centena ſcuta biſcentum millia, retroactis verò temporibus fructuum ſumma fuit longè major, ut etiam in ſequentibus montibus ſequutum eſt.

Sub Pio Quarto, pro ſubſidio Galliarum Regis Caroli Noni in bello cum hæreticis, & pro defenſione Civitatis, & Status Avenionenſis, & Comitatus Venaiſini adverſus arma eorumdem hæreticorum, qui inibi Hugunotti appellantur, erectus fuit mons Pius recuperationum nuncupatus, ac etiam idem erexit montes nuncupatos primi, & ſecundi Succurſus
3 Avenione in numero, vel quantitate locorum decem millium circiter, importan. ſummam decies centenorum millium ſcutorum, vulgò unius millionis in ſorte, in fructu autem juxta hodiernum ſtatum, & reductionem centena ſc. 40. mil. Quamvis autem iſti montes non ſint hodiè in rerum natura, eò quia ſub Alexandro Septimo extincti, vel ſuppreſſi fuerunt; Nihilominùs adhuc viget idem debitum, dùm tranſportati fuerunt ad novum majorem montem, ab eodem Alexandro erectum, cui *Reſtaurati* nuncupatio attributa fuit, ideoque effectus eſt idem, ut contingit etiam in aliis montibus, de quibus infra.

Sub Beato Pio Quinto pro impenſis confederationis cum Rege Catholico, & Republica Veneta adverſus arma Turcarum, tàm pro defenſione Regni Cypri, quàm pro celebri claſſe maritima, erectus fuit mons nuncupatus Ligæ, locorum bis mille; Alter nuncupatus Religionis in locis decem mille, com-
4 putato augumento facto per Sixtum Quintum, qui duo montes important duodecim centena millia ſcutorum, quamvis dictorum locorum montium venditio, eorumque pretii erogatio integrè ſub eodem Pontifice Pio in dictam cauſam ſequuta non ſit, eò quia venditio in continenti ſequi non potuit undè continuavit venditio ſub Gregorio Decimotertio; Sixto Quinto, & Gregorio Decimoquarto ſucceſſoribus, à quibus tamen reſpectivè pretium in eamdem cauſam fidei in genere erogatum fuit, & præſertim ab ultimo, in bello ſcilicet contra hæreticos in Gallia, præſertim in illa confederatione, ſeù liga, quæ Sancta nuncupabatur, iſtique montes pariter hodiè non ſunt in rerum natura, utpotè ſub eodem Alexandro Septimo ſuppreſſi, & translati in dictum montem Reſtauratum, quod non tollit exiſtentiam debiti. Idemque B. Pius, ex eadem cauſa belli in Gallia cum hæreticis, aliam fecit additionem monti Novennali in numero locorum bis mille, dictuſque mons adhùc extat, & ſic in totum in locis quatuordecim mille, quæ important ſcuta quatuordecim centena millia in ſorte, in fructu autem juxtà præſentem ſtatum annua ſcuta 56. millia.

Sub Gregorio Decimotertio, cujus magna pietas erga Catholicam Religionem nimium nota eſt, tum in erectionibus tot Collegiorum in Urbe, & in diverſis regionibus pro conſervatione, & propagatione fidei Catholicæ, tùm etiam in magnis ſubventionibus datis in Gallia, & in Germania, Principibus Catholicis adverſus hæreticos, ultrà pecunias obventas ex montibus per Pium Quintum, ut ſupra erectis, & alias ex ejus
5 magna parſimonia paratas, variæ factæ ſunt additiones montibus Cameralibus, & etiam monti Populi Romani in quantitate locorum decem mille circiter, quæ adhuc vigent, quamvis ſub diverſis vocabulis, ut ſupra, & ſic important in ſorte ſcuta decies centena millia, vulgò unus millio, in fructu autem juxta hodiernum ſtatum annua ſcuta 40. millia.

Sub Sixto Quinto, ex dicta cauſa ſubventionum in Gallia adverſus hæreticos, aliiſque indigentiis, concernentibus pari-
6 ter fidem, facta fuit erectio montis nuncupati *Camerarii* in locis 644. importans ſcuta in ſorte 64. mil. in fructu ſc. 2560.

Sub Clemente Octavo facta fuit additio dicto Monti Novennali locorum mille, importans ſcuta 100. mil. in ſorte, pro ſubventione data Imperatori in bello cum Turcis. Aliaque additio dicto monti Novennali locorum 600. auri, quę important penè alia centum mille monetæ, & erectio montis nuncupati Ungheriæ locorum 1650. importan. ſcuta 200. mil. circiter, & alterius montis nuncupati Subventioni, locorum 7
3850. importan. ſcuta 400. mil. circiter, ex eadem cauſa ſubventionis Imperatoris in bello contra Turcas in Ungheria, & ſic importat in totum ſcuta 800. mil. in ſorte; In fructu verò juxtà præſentem ſtatum in annuis ſc. 32. mil. atque debitum adhuc viget, quamvis ſub diverſo nomine, ex eadem cauſa translationis factæ per Alexandrum VII. in dictum montem Reſtauratum.

Sub Paulo V. facta fuit erectio ſecundi montis Religionum in locis biſmille importan. ſcuta bis centum mille in ſorte, In fructu autem ſc. 8. mil. pro ſubventione Imperatoris in bello cum Bohemis hæreticis rebellibus, & cum Palatino, qui eorum Regem ſe fecerat, & pariter iſte mons transfuſus eſt in Reſtauratum.

Sub Alexandro VII. facta fuit erectio locorum biſmille in dicto Monte Reſtaurato importan. in ſorte ſcuta bis centum mille, pro ſubventione data Imperatori in bello cum Turcis in Ungheria, ſed ſequuta fuit extinctio locorum mille cum pecuniis obventis ex decimis ſpiritualibus, ad hunc effectum impoſitis ſuper beneficiis Italiæ, ideoque debitum remanet in ſcutis centum millibus in ſorte; in fructu autem in annuis ſc. 4. m.

Quare calculatis omnibus præfatis debitis, ex cauſa fidei contractis, de quibus explicitè conſtat, ſumma in ſorte principali importat nonagies, & quinque centena millia ſcutorum, & ultrà, vulgò novem milliones cum dimidio; In fructu autem annua ſcuta circiter 400. millia parùm minus.

Ultra dictas ſummas, quamplures aliæ nimium conſiderabiles, etiam ultrà plures milliones, ultrà montes, & reſpectivè ultrà mare, ex eadem cauſa fidei pro ſubventione Principum Chriſtianorum in bellis cum Turcis, vel hæreticis reſpectivè tranſmiſſæ fuerunt per varios Pontifices, & præſertim moderno tempore pro bello cum Turcis in Inſula Cretæ, vulgò *Candia* per Pontifices Innocentium X. Alexandrum VII. & Clementem IX. Et in Polonia per Pontificem Clementem X. & Innocentium XI. non tamen ponuntur in calculo, vel ob certæ notitiæ defectum, an alii montes erecti fuerint, vel quia mihi innoteſcit, quod in parte pecuniæ obvenerunt ex decimis ſpiritualibus impoſitis ſuper beneficiis Italiæ, & præſertim Status Eccleſiaſtici, & in parte ex pecuniis Cameræ: undè propterea, ut ſupplerentur onera, aliæ montium additiones factæ fuerunt, abſque tamen expreſſione iſtius cauſæ, quod etiam ſequutum fuit in tot magnis expenſis, quas facere opportuit adverſus naſcentes hæreſes Luteranam, & Calvinianam, & alias in tot Legationibus ordinariis, & extraordinariis, quas notæ hiſtoriæ docent, & in convocatione, & manutentione Concilii Tridentini, aliiſque occurrentiis, pariter notis in hiſtoriis, adeout debitum Cameræ, & Sedis Apoſtolicæ, ex eadem cauſa fidei, & Religionis in diverſis montibus ſit longè majus ultra ſupradictam ſummam, dum, ut initio inſinuatum eſt, pro hujuſmodi extraordinariis indigentiis, & ſumptibus contrahere opportuit æs alienum fructiferum cum erectionibus, vel additionibus montium, eò quia redditus, & proventus utriuſque Principatus vix ſufficiunt pro adimplemendis oneribus currentibus, undè liquet, quod illud aurum, quod à partibus ultramontanis, vel ultra marinis ad Urbem, & Romanam Curiam obvenit, occaſione expeditionum Datariæ, & Cancellariæ Apoſtolicæ, adeò magnificatum à malignis, vel ab indoctis, & non informatis, importat paucas guttas comparatione fluminum auri per Sedem, & Cameram Apoſtolicam profuſi, & tranſmiſſi ad eaſdem Regiones ultramontanas, & ultramarinas, dum ità de emolumentis Datariæ, & Cancellariæ Apoſtolicæ pro expeditionibus litterarum ſuper proviſionibus Eccleſiarum, & beneficiorum, vel ſuper diſpenſationibus, Papa nec quidem in obolo participat, adeout neque congruam ſubſtentationem percipiat, quinimmò ex aliis redditibus Principatus temporalis notabilia ſupplere oportet, ut alibi diſtinctè, & clarè oſtenditur comparativè adhoc debitum, aliaque onera merè Papalia, & ſpiritualia pro ſervitio, & adminiſtratione Eccleſiæ Univerſalis, præſcindendo à Principatu temporali, prædicta Datariæ, & Cancellariæ emolumenta modica ſint, adeout neque ad dimidium, immò tertiam partem onerum aſcendant, cum inter iſta computanda non ſint illa emolumenta, quæ proveniunt ex diſpenſationibus matrimonialibus, utpotè deſtinata eleemoſinis, & piis operibus, mediante banco montis pietatis, ut in alia tractatione officiorum inſinuatum eſt, & alibi.

FINIS,

CONSTI-

CONSTITUTIONES,
REFORMATIONES, ET PROVISIONES
Super locis Montium.

I.

Clementis Papæ Octavi Constitutio super resignationibus Montium Romanæ Curiæ fol. 30.

II.

Pauli Papæ Quinti Deputatio Congregationis super Montibus Romanæ Curiæ, & pro tollendis illorum abusibus, & impedimentis fol. 31.

III.

Ejusdem Pauli Papæ Quinti Confirmatio Provisionum, Ordinationum, & taxarum per Congregationem super Montibus Romanę Curię deputatam, pro recta Montium prædictorum, ac negotiorum, scripturarumque ab eis dependentium directione, & gubernio, æditarum. fol. 33.

IV.

Urbani Papæ Octavi Declaratio, quod quæcumque pactiones particularium personarum super montibus, vel locis montium quorumcumque, factæ absque Sanctitatis Suæ, vel Protectorum, aut Officialium ad id, & ad conficiendas litteras patentes deputatorum licentia, non attendantur, nec afficiant Montes, & loca hujusmodi. fol. 41.
Est impressa in Bullario Romano inter Constitutiones Vrbani Octaui Constit. 154., *seu* 155.

V.

Innocentii Papæ XI. Confirmatio Provisionum, Ordinationum, & Taxarum pro recta Montium Romanæ Curiæ, ac negotiorum, scripturarumque ab eis dependentium directione, & gubernio æditarum. fol. 42.

VI.

Decisio S. Rotæ Romanæ super hac materia fol. 51.

NUM. I.

Clementis Papæ Octavi Constitutio super resignationibus Montium Romanæ Curiæ.

CLEMENS PAPA OCTAVUS,

MOtu proprio, &c. Decet Romanum Pontificem Cameræ Apostolicæ jura adversus pravorum hominum fraudes, & perfidias tueri, & ut fraudes, & errores ipsi omnino tollantur, opem, & operam impendere opportunas. Cum itaque, sicut accepimus in resignationibus, seù cessionibus locorum, seu portionum Montium Romanæ Curiæ, ad dictam Cameram nostram Apostolicam, ac etiam ad Religiones, Communitates, Domicellos, & alias personas spectantium, tàm vacabilium, quàm etiam non vacabilium, quamplurimæ fraudes, & errores in non modicum ejusdem Cameræ, & aliorum prædictorum detrimentum, detectæ fuerint; idque potissimum evenisse Secretariorum, seù Notariorum Montium eorumdem imperitia, & negligentia. Nam cum temerè resignationes hujusmodi, etiam à personis eis minimè notis, recipiant, nec studeant à resignantibus Litteras patentes eorumdem Montium recuperare, causæ fuerunt, ut pravi homines hac eorum temeritate, & negligentia excitati, simulantes, & falsò præferentes se esse veros dominos, eorum possessione spoliarunt, & privarunt, ac etiam aliquando resignationes vacabilium ab infirmis, & febri affectis, contra formam erectionum dictorum Montium, in grave ipsius Cameræ præjudicium, receperunt. Nos hujusmodi temeritates, fraudes, & callidas inventiones, quantum cum Deo possumus excerpere volentes, Motu simili, &c. deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium, perpetuò sancimus, decernimus, & declaramus de cætero resignationes, seù cessiones hujusmodi locorum, seù portionum quorumvis Montium vacabilium ejusdem Curiæ, nunc erectorum, & imposterum erigendorum fieri, & per illorum Secretarios recipi, & rogari debere coram eorumdem Montium Protectoribus, quibus expressè præcipimus, & mandamus, ut resignationes prædictas non nisi à veris dictorum Montium creditoribus, seù procuratoribus, ab eis speciale, & sufficiens mandatum habentibus, recipiant, & admittant. Et insuper iidem Protectores non recipiant resignationes locorum, seù portionum Montium vacabilium ab illorum creditoribus, qui mala valetudine affecti fuerint, ea enim lege Montes hujusmodi erecti fuerunt, ut corpore quidem sano, & non aliàs resignari possent. Creditores eorumdem Montium vacabilium ptæsentes non admittantur ad illos resignandum per Procuratores, nisi fuerint mulieres, pupilli, seù aliæ egregiæ personæ, quæ à dictis Protectoribus legitimè impeditæ judicentur. Nam mulieres, pupillos, & personas sic impeditas, obtenta priùs in scriptis à montis Protectore licentia, & facultate, quam gratis, absque ulla prorsus, etiam scripturæ recognitione, seù mercede dari mandamus, aut per se ipsas domi coram eorumdem montium Secretariis, seù Notariis, aut per procuratores ab eis specialiter constitutos, coram dictis Protectoribus, eorum montes resignare posse declaramus. Si verò creditores absint à Curia, & procuratores ad resignañ. constituti sint, iidem Protectores studeant, ut ii procuratores speciali, & sufficienti sint mandato suffulti, utque instrumenta procurationum legitimè in forma solita sint recognita, & in actu resignationum dentur cedulæ alicujus mercatoris in urbe negotiantis idonei, aut aliàs, arbitrio ipsorum Protectorum caveatur, de exhibendo fidem, & attestationem superviventiæ constituentis infra quadraginta, si intrà montes, si verò ultrà infrà sexaginta dies, vel infra alium terminum per ipsos protectores statuendum; Quo termino elapso, & dicta superviventiæ fide non exhibita, mercator, seu fidejussor prædictus ad consignandum, & solvendum pretium montium resignatorum dictæ nostræ Cameræ Apostolicæ, & pro ea in manibus sui Depositarii generalis, per opportuna juris remedia cogatur, cedulas autem prædictas penès dictos Protectores conservari, cautiones verò per dictos Secretarios, seù Notarios coram eisdem Protectoribus recipi volumus, & mandamus. Montium non vacabilium resignationes, seù cessiones, aut coram illorum Protectoribus, aut coram Secretariis, seù Notariis eorumdem montium, provt resignans maluerit, recipiantur. Sed ad tollendum omnem fraudis, & finistræ machinationis, ac suppositionis materiam, volumus, & decernimus, ut tàm in montium vacabilium, quàm non vacabilium resignationibus, seù cessionibus resignantes, sivè principales, sivè procuratores fuerint, sivè etiam resignationes prædictæ fiant coram Protectoribus, sivè coram Secretariis, recognoscantur per duos, vel saltim unum testem in rogitibus earumdem resignationum adhibendos, qui cum juramento fateantur resignantes esse tales, quales se faciunt, testesque prædicti, aut unus eorum sint noti eisdem Protectoribus, seù Secretariis, dè quibus omnibus in rogitibus dictarum resignationum mentio fiat. Quodque in actu resignationum prædictarum Litteræ patentes, per quas constet de resignantium creditis, exhibeantur, quas Litteras patentes, volumus custodiri, & conservari penès dictos Secretarios in filza particulari, per eos ad hunc effectum retinenda. Et si contigerit aliquem ex creditoribus montium prædictorum Litteras patentes prædictas quovis modo amisisse, nihilominus illius etiam resignatio, juxta præscriptam formam recipiatur, & admittatur, cum idonea tamen cautione, arbitrio, & de scientia Protectorum, per Secretarios recipienda, de restituendo pretium locorum resignandorum ad omne mandatum eorumdem Protectorum, & cui, vel quibus ipsi mandabunt. Et ad evitandum nominum, & cognominum creditorum prædictorum confusiones, ac fraudes, quæ circa ea committi possint, injungimus, & mandamus dictis Secretariis, ut in rogitibus resignationum, & in Litteris patentibus montium prædictorum per extensum describant nomina, & cognomina, ac patrias, tam vendentium, & resignantium, quàm ementium, seù acquirentium loca, seù portiones illorum, ac etiam nomina eorum patrum, & avorum, cum expressione an vitam agant, vel illam cum morte commutaverint. Præterea volumus, decernimus, & mandamus, ut dicti montium Secretarii, seu Notarii, præter librum Abbreviationum, seù, ut dicitur Broliardum rogituum, designationum, & fidejussionum prædictarum, conficiant alium librum, in quo per extensum describant earumdem resignationum, & fidejussionum, & aliorum dictos montes concernentium Instrumenta; qui liber inscribatur, & illius folia per numeros designentur; retineant etiam alium librum pariter inscriptum, & designatum, in quo de verbo ad verbum registrentur supradictæ patentes. Et insuper dicti Secretarii, seù Notarii, & eorum quilibet teneantur infra biduum ad summum, post finem cujuslibet mensis, listam, seù descriptionem eorum, qui in mense præcedenti aliqua loca, seù portiones montium prædictorum emerint, cum expressione nominis, cognominis, patris, avi, & patriæ, ac diei, à quo illorum fructus debeantur & aliorum requisitorum, juxtà tenorem, & dispositionem Litterarum patentium, desuper expeditarum, Ratiocinatoribus, seù Computistis dictorum montium tradere. Ratiocinatores verò, seu Computistæ prædicti intra alios tres dies subsequentes, sub pœna amissionis officii, listam, seù descriptionem prædictorum, & aliorum montium prædictorum creditorum, ut supra designatorum eorumdem mòtium Depositariis fideliter consignare, ut fructus, & emolumenta illorum congruis, & debitis temporibus persolui possint; Necnon aliam similem listam, seù descriptionem Commissario Cameræ tradere, sub simili pœna teneantur. Depositarii verò in fine cujuslibet bimestris, seù alterius temporis, ad solutiones Montistis faciendas destinati, eidem Commissario Cameræ tradere debeant computum, seù listam ab eis subscriptam, in qua sint adnotati omnes creditores montium, quibus sit facta solutio, ut ex ea, juncta alia lista danda, ut suprà, per Computistam sciri potest, qui exegerint, vel non. Quam listam prædicti Depositarii teneantur dare integram, & realem, sub pena dupli, & aliis arbitrio dicti Protectoris. Si quis autem Secretariorum, vel Notariorum prædictorum supradictis nostris ordinationibus, decretis, & mandatis, vel eorum alicui contrafecerit, vel illa non observaverit, ad damna, expensas, & interesse per dictam nostram Cameræ

meram, & alios quoſcumque propterea quomodolibet patienda, facienda, & in currenda teneatur, necnon pro prima ducentorum, & pro ſecunda vice quingentorum ſcutorum monetæ, & amiſſionis officiorum prædictorum Cameræ Apoſtolicæ applicañ., ac etiam corporali pœna, arbitrio Protectoris mulctetur, & dominus teneatur pro ſubſtituto ſuo. Cæterum, ut officia Secretariorum, & Ratiocinatorum montium prædictorum diſtinctè, & rectè gubernentur; Decernimus, & declaramus officia hujuſmodi incompatibilia fore, & utrumque ab unamet perſona obtineri non poſſe. Immò, ſi quis illa, ex quacumque etiam Apoſtolica conceſſione, quovis titulo, etiam oneroſo obtineat, alterutrum infra quindecim dies à publicatione præſentium computañ. dimittere teneatur. Alioquin utroque privetur, & dictæ noſtræ Cameræ, eo ipſo, abſque ulla declaratione applicentur. Quocirca eiſdem modernis, ac pro tempore exiſtentibus dictorum montium Protectoribus, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, ac aliis noſtro, & pro tempore exiſtentibus Romanis Pontificibus arbitrio infligendis pœnis, tenore præſentium diſtrictè præcipimus, & mandamus, ut ſupradictas noſtras ordinationes, decreta, mandata, & ſtatuta, ac omnia, & ſingula in illis contenta, diligenter obſerveñt, & à dictis Secretariis, Ratiocinatoribus, & aliis, ad quos nunc ſpectat, & ſpectabit, quomodolibet in futurum obſervari curent, mandent, & faciant cum effectu. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum montium erectionibus, illorumque Collegiorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, ac conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, ac facultatibus eiſdem Protectoribus, Collegiis, & Officialibus prædictis, in genere, vel in ſpecie per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam nos, conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus illorum tenores præſentibus pro expreſſis habeñ. hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Ne autem quiſpiam præſentis noſtri Motus proprii diſpoſitionis, ſeù tenoris ignorantiam prætendere valeat, volumus, decernimus, & mandamus, ut imprimatur, & ſic impreſſum in Cancellariæ, & Cameræ Apoſtolicæ valuis, & aciei Campi Floris, per affixionem copiarum illius impreſſarum, publicetur, & exindè omnes, & ſingulos, quorum intereſt, vel intereſſe poterit quomodolibet in futurum afficiat, ac ſi perſonaliter foret intimatus. Volumus inſuper præſentis noſtri Motus proprii cedulæ ſolam ſignaturam, abſque eo, quod regiſtretur, aut data in eo apponatur ſufficere, & illius tranſumpta, etiam impreſſa, manu alicujus Notarii publici, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munita, in judicio, & extra fidem facere, quacumque regula, ſeù Conſtitutione Apoſtolica contraria non obſtañ.

Placet Motu proprio Hi.

Anno à Nativitate Domini, Milleſimo ſexcenteſimo, Indictione decimatertia, die verò xv. Maii, Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri D. Clementis divina providentia Papæ Octavi, Anno ejus nono. Superadictæ Literæ affixæ fuerunt in acie Campi Floræ, & aliis locis conſuetis, ut moris eſt, per me Dominicum Gugnettum Curſorem.

P. Aloyſius Peregrinus Mag. Curſ.

NUM. II.

Pauli Papæ Quinti Deputatio Congregationis ſuper Montibus Romanæ Curiæ, & pro tollendis illorum abuſibus, & impedimentis.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad futuram rei memoriam.

CUm pro ſuprema injunctæ nobis ſollicitudinis cura, atque ea, quæ Romano Pontifici peculiaris eſſe debet cunctis in rebus providentia, ſtudere teneamur, ut Romanæ Curiæ montes, quorum varia præjudicia, abuſus, difficultates, & impedimenta quotidiè audimus, ritè & rectè gubernentur, & quæ ad hanc rem pertinet breviori manu executioni mandentur, abuſibuſque ſublatis, ac impedimentis, & difficultatibus reſecatis cunctorum indemnitati conſulatur, tùm id majori ſtudio curandum eſſe cenſemus, quo multorum cauſa tractatur, inter quos pauperes, minores, viduæ, pupilli, Eccleſiæ, Monaſteria, & loca pia exiſtunt, monteſque ipſi ſub fide publica ſunt conſtituti, & in illis conſtituendis Apoſtolicæ Sedis auctoritas interceſſit: unde nimirum ſi plerumque nos certas proviſiones, certaque remedia, quæ nobis opportuna viſa ſunt adhiberi mandavimus, quibus poſtea non ſufficientibus cogimur ad alia devenire: etenim animadvertentes multas quidem montium erectiones, additiones, aggregationes extenſiones, & ad inſtantiam diverſorum Principum, Ducum, Marchionum, Baronum, Domicellorum, & etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliarum perſonarum, necnon Collegiorum, Communitatum, & Univerſitatum, & in illorum commodum, & favorem, ſeù aliàs à pleriſque prædeceſſoribus noſtris Pontificibus, & etiam à nobis, ac illorum, noſtraque auctoritate hactenus factas fuiſſe, cum promiſſione fructus eo nomine ſingulis annis conventos perſolvendi, ac eoſdem montes, & illorum loca certis modo, & forma, ac infra certum tempus extinguendi, etiam cum obligatione, & hypotecatione Ducatuum, Dominiorum, Civitatum, Terrarum, Caſtrorum, Caſalium, & bonorum, tam juriſdictionalium, quàm non juriſdictionalium quorumcunque, necnon ſuſpenſione, & derogatione, durante monte, ſeù aliàs, fideicommiſſorum, pactorum de ſuccedendo, primogeniturarum, prohibitionum, & cum aliis derogationibus, & decretis, etiam in præjudicium tertii, ac deſcendentium, & aliorum in fideicommiſſis, inveſtituris, contractibus, & diſpoſitionibus vocatorum, eos verò, ad quorum, ſive ſuorum auctorum inſtantiam, ſeù commodum erectiones, additiones, aggregationes, & extenſiones, ut præmittitur factæ ſunt, ſive culpa, & facto eorum, vel ſuorum arrendatariorum, aut montium eorundem Depoſitariorum, & aliorum obligatorum, ſive alias Apoſtolicæ Sedis benignitate abutentes, montes ipſos, ſeù illorum loca, ut tenentur, ſtatuto tempore non extinxiſſe, nec extinguere, minuſque forſan ulterius de illorum extinctione cogitare, ſed integrè, & promiſſo tempore fructus, nec etiam perſolvere, & quandoque etiam ſummas pecuniarum; quæ pro dotibus ipſis montibus aſſignantur divertere, aliiſque eorum uſibus applicare. Præterea, licet, dum pro nonnullis ipſius Sedis, & Cameræ noſtræ neceſſitatibus ſublevandis montes aliqui ab eiſdem prædeceſſoribus noſtris, nobiſque, ſeù illorum, & noſtra auctoritate prædicta erecti, additi, & extenſi ſunt, ipſius montibus ſic erectis, additis, & extenſis in illorum erectionibus, additionibus, & extenſionibus debiti fructus ſuper idoneis, & optimis ejuſdem Cameræ juribus, & proventibus fuerint aſſignati, nihilominus ſive Appaltatorum, ſive exactorum jurium ejuſdem Cameræ, quibus ſolutionis cura fuit demandata, ſive eorumdem montium Depoſitariorum culpa, & ſubterfugiis, ita debitorum fructuum ſolutiones protrahi, ut contra eos ad mandatorum relaxationem perſæpè devenire neceſſe fuerit, in non modicum Creditorum, ſeù Montiſtarum montium prædictorum præjudicium, & publicæ fidei detrimentum: Item quod nobis non mediocrem animi perturbationem attulit nonnullorum montium eorundem Depoſitarios, Secretarios, Ratiocinatores, necnon Defenſores ipſos, Procuratores, alioſvè Miniſtros, non ſolùm circa pecuniarum, & aſſignationum exactionem, & ſolutionem, verum etiam quod ipſorum montium debitorum nomina, libroſque, & ſcriptu-

pturas, ita singulos in eorum muneribus negligentes esse, ut negligentia eorum, & incuria montium eorundem status maximè confusus videatur, ob quæ, & nimiam etiam Sedis Apostolicæ prædictæ in similes gratias Baronibus, & aliis particularibus supradictis concedendo facilitatem, quamplures abusus circa montes omnes irrepsisse, ac verendum esse, quin majora irrepant, nisi debitus modus desuper imponatur; meritò nos hisce malis occurrere, & abusus omnes tollere opportuna provisione decrevimus: Itaque Motuproprio, & ex certa scientia, ac deliberatione nostris, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, in primis Constitutionem fel. rec. Clementis Octavi Prædecessoris nostri, de eisdem Principibus, Baronibus, & aliis particularibus personis in montibus Cameræ, seù Provinciarum, vel Communitatuum, ac etiam Religionum non admittendis, aliàs editam confirmantes, & innovantes, illamque ad quoscumque montes, novasque concessiones extendentes, ac ab ulterioribus similium gratiarum, & facultatum erigendi, seù augendi montes concessionibus, omninò de cætero abstinere intendentes, Dilectos Filios Magistrum Aloysium Capponium Thesaurarium nostrum Generalem, necnon Magistros Hieronymum Serlupium, & Lelium Bisciam Cameræ nostræ Apostolicæ Clericos, Joannem Baptistam Spadam Fisci, & dictæ Cameræ Advocatum, & Julium Monterentium ejusdem Cameræ Commissarium Generalem ad infrascripta omnia, & singula facienda, Apostolica auctoritate, tenore præsentium constituimus, assumimus, & deputamus, ac eisdem liberam, amplam, & omnimodam facultatem, & jurisdictionem concedimus, & impartimur, eisque committimus, & mandamus, ut conjunctim omnes, seù saltem idem Aloysius Thesaurarius, & major ipsorum pars, singulorum montium vacabilium, & non vacabilium, sive ad Cameram nostram, sive ad ipsos Principes, & Barones, Communitates, Universitates, aliosvè prædictos, etiam S. R. E. Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, & alias quasvis personas Ecclesiasticas quomodolibet spectantium, & pertinentium, etiam sub quorumvis protectionibus, administrationibus, jurisdictione, & superioritate constitutorum quorumcunque statum diligenter inspiciant, ac quorum immutatum quoquomodo esse repererint ad pristinum statum, ac suum cujusque ordinem, veramque, & justam normam redigant, ac omnia, & singula, quæ ad illorum rectam administrationem, gubernium, & regimen esse cognoverint, statuant, & decernant, & quæ ab eis statuta, & decreta fuerint, faciant etiam nostras, & præsentium auctoritate, ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum spectabit inviolabiliter observari, necnon contra omnes, & singulos eorumdem montium, & etiam Collegiorum, Officiorum Romanæ Curiæ, quæ non minus, quàm montes ipsi sub Sedis Apostolicæ protectione pariter esse noscuntur, tàm fructuum, & assignationum, quàm extinctionibus, seù alia quavis causa, qui nunc sunt, vel pro tempore erunt quovis nomine debitores, etiamsi Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Domicelli, & etiam S. R. E. Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, necnon Communia, Collegia, Universitates, provinciarum Thesaurarii, & jurium Cameræ Appaltatores, Exactores, ac ipsorum Montium, & Collegiorum Officiorum Depositarii, etiam à Nobis, & Prædecessoribus nostris, seù aliàs deputati, & alii quicunque, etiam quomodolibet privilegiati, qualificati, ac speciali nota digni, qui causa, & occasione fructuum Montium, & Officiorum prædictorum, sive eorumdem montium extinctionum aliquid hactenus solvere, & adimplere tenentur, & etiam in futurum debebunt, manu regia, & juris ordine etiam non servato, etiam ipsorum obligationibus, ac erectionibus, additionibus, aggregationibus, & extensionibus dictorum montium, seù Officiorum non exhibitis, nec inspectis, sed præsentium vigore dumtaxat procedant, ac pro iis summis pecuniarum, & omni eo, quas, & quod eorumdem Deputatorum Congregatio, capta tantum extrajudiciali informatione, sive fructuum, & assignationum nomine, sive extinctionis, aut alia quavis causa, tàm Montium; quàm Officiorum Collegiis supradictis eos, & eorum quemlibet debere repererit, seù cognoverit, unica tantum citatione, etiam domi dimissa copia, exequuta, vel si debitores ipsi ab Urbe absentes fuerint per affixionem ad valvas Cameræ Apostolicæ ad omnem Collegiorum prædictorum, suorumvè Depositariorum instantiam, vel ipsis negligentibus, ad instantiam Commissarii Generalis Cameræ nostræ, quem in his etiam, quod de interesse Cameræ principaliter, seù aliàs non agatur, partem facere volumus, & etiam ex officio Congregationis Deputatorum prædictorum sequestra, necnon executiva, & alia necessaria, & opportuna mandata quæcumque, per acta Notarii ab eadem Congregatione deputandi decernant, & relaxent, ac exequi, & pro illorum executione, etiam Civitatum, Terrarum, Castrorum, Casalium, Palatiorum prædictorum Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, & Domicellorum, & aliorum bonorum, ac etiam fructuum Ecclesiasticorum etiam Episcopatuum, & Abbatiarum, seù Monasteriorum, ac beneficiorum, & pensionum Ecclesiasticarum, ad eosdem, & alios debitores prædictos quomodolibet spectantium, & pertinentium quorumcumque, tàm in Urbe, ejusque districtu, quàm alibi ubicumque in nostro Statu Ecclesiastico, & quoad fructus, & redditus Ecclesiasticos prædictos, ac pensiones, etiam extra dictum Statum existen realem, actualem, & corporalem possessionem, etiam nomine Cameræ Apostolicæ, capi, & retineri curent, & faciant, ac dictas Civitates, Terras, Castra, & bona quæcumque subhastanda proponant, & plus offerenti, omissa penitus omni alia solemnitate, & sine solita etiam subhastatione, & deliberatione per manus Cursorum, seù aliàs fieri consueta, & absque illarum expensis, prævia dumtaxat unius edicti per dies quindecim in locis publicis affixione, ad deliberationem plus offerenti, cum cedula bancaria idonei mercatoris (servata tamen quoad personas, quæ Civitates, Terras, Castra, & alia bona hujusmodi emere voluerint, forma Constitutionis fœl. record. Sixti Papæ Quinti Prædecessoris nostri super prohibitione alienandi Castra, & alia bona stabilia in Statu Ecclesiastico existentia, sine Sedis Apostolicæ licentia, aliis personis, quàm Vassallis ejusdem Status) deveniant, illasque, & illa deliberent, & vendant, ac instrumentum, vel instrumenta quæcumque, & alia desuper necessaria, & opportuna, obligando etiam personas Principum, Ducum, Marchionum, Baronum, & Domicellorum, & aliorum debitorum prædictorum, & eorum hæredes, & successores, & bona quæcumque pro evictione, etiam in forma ejusdem Cameræ Apostolicæ, & cum aliis clausulis necessariis, & opportunis celebrent, & celebrari, ac ex pretio inde redigendo, necnon ex fructibus, & redditibus, etiam ecclesiasticis quibuscumque, ac pensionibus præfatis, in quibus, neque etiam supradicta forma subhastationis servanda erit, sed ad libitum dictæ Congregationis, & absque ulla prorsus solemnitate distrahi volumus, in primis fructus, & assignationes eorumdem Montium, & Officiorum Collegiis debitas, & debendas persolvi, & deindè, juxta cujuslibet obligationem, montes prædictos extingui curent, & faciant, ac per prædicta, et alia juris, et facti remedia necessaria, et opportuna, ac eisdem Deputatis benè visa singulos debitores prædictos, necnon illorum affictuarios, et arrendatarios, etiam reddituum ecclesiasticorum supradictorum ad summas debitas, et debendas persolvendum, montes prædictos extinguen, ac promissa per eos, seu eorum authores adimplendum, & observandum, omni & quacumque appellatione remota, ac quibusvis subterfugiis, ac juris, & facti exceptionibus remotis, ac etiam absque aliquo vitio spolii, nullitatis, & attentatorum, ac quibusvis inhibitionibus, non gravetur, prorogationibus, dilationibus, etiam à nobis, vel prædecessoribus nostris quibusvis concessis, aliisque non obstantibus quas, & quæ omninò tollimus, & his in aliquo non obstare decernimus, & declaramus cogant, & compellant, cum facultate prædictos, & quosuis alios etiam ut præfertur citandi, monendi, & requirendi, lites, & causas quascumque super montibus & illorum, ac etiam officiorum præditorum assignationibus, aliisvè præmissis, & illorum causa, & occasione, etiam coram quibusvis Judicibus etiam Sacri nostri Palatii Auditoribus, vel in prædicta Congregatione Baronum nunc indecisas, pendentes in quocumque statu, & terminis reperiantur, reassumendi, ac audiendi, & eadem manu, modoque, & cum clausulis, & facultatibus prædictis cognoscendi, decidendi, & terminandi, ac iisdem Judicibus, & prædictis; quibusvè opus fuerit, etiam sub censuris Ecclesiasticis, & pœnis pecuniariis inhibendi, mandandi, & præcipiendi, ipsasque censuras, & pœnas incidisse declarandi, & alia quæcumque faciendi, dicendi, gerendi, & exercendi, mandandi, & exequendi, quæ in præmissis, & præmissorum quolibet necessaria fuerint, seù quomodolibet opportuna. Decernentes, sic,

In nundinis, aliiſque publicis emporiis ex quodam recepto uſu, & ob publicum commercium ſemper tutus eſt. cap. 2. num. 24.

Limita ſi fuerit particeps, vel conſcius fraudis, aut in mala fide, ibidem.

CREDITOR.

Cum aſſenſu in bonis prohibitis alienari præfertur creditori anteriori ſine aſſenſu. cap. 5. num. 25.

CRUCIATA.

Indici ſolet ob neceſſariam defenſionem fidei. cap. 6. numer. 1.

CULPA.

De qua culpa teneatur Secretarius montium, & Cameræ, vide V. Secretarius.

Quæ conſideretur in poſſeſſore montium, qui patiatur præjudicium. cap. 2. num. 11.

Redoleret in Secretario, qui videndo in litteris reſignationem locorum montium ad favorem unius, admitteret liberam reſignationem ad favorem alterius. cap. 2. num. 19.

DEBITOR.

Montis ſi vendat loca pro majori pretio extrinſeco an ad reſtitutionem illius teneatur. cap. 4. num. 17.

Montis an teneatur ad totum vel ſolùm ad id, quod recipit in caſu diminutionis pretii intrinſeci. Vide V. pretium.

DECIMÆ.

Imponi ſolent ex cauſa neceſſaria ob defectum redditum Pontificii Principatus. cap. 6. num. 1.

DEPOSITARIUS.

Montium ſi non ſoluit fructus, an teneatur Camera. cap. 3. num. 35.

DOCTORES.

Moraliſtæ, & Theologi impugnantes poteſtatem Principis in facienda reductione fructuum locorum montium refelluntur. cap. 3. num. 6.

DOMINUS.

Tenetur de facto famuli, vel præponens de facto præpoſiti, quando hic delinquit circa miniſterium, cui præponitur. cap. 2. num. 9., & 10. cap. 3. num. 35.

Et poſſeſſor locorum montium dicitur ille, qui deſcriptus eſt in libris publicis Principis; vel ipſius montis. cap. 2. ſub num. 16.

EMPTOR.

Tenetur diligenter inquirere conditionem ejus, cum quo contrahit, ipſique imputandum ſi ſibi non caverit in caſu evictionis, vel moleſtiarum, quem providere poterat, et debebat. cap. 2. num. 6.

Fallit favore publicæ fidei, et ne commercium impediatur, prout eſt in materia locorum montium. Ibidem.

Vel ceſſionarius locorum montium videtur habere ſolummodò quandam comoditatem, vel detentionem nudi facti, quem redolet quodam mandatum in rem propriam. cap. 2. ſub num. 16.

Locorum montium non ſequitur fidem venditoris, ſed fidem publicam Principis attendendo leges erectionis montium. cap. 4. ſub num. 6. verſ. Et ulterius.

Emens

Index Rerum Notabilium:

Emens in publicis nundinis an sit tutus. Vide V. Contrahens.

ERROR.

Est in procedendo cum generalitatibus. cap. 5. num. 29.

EVICTIO.

Bonis assignatis evictis, vel avocatis pecuniis solutis, an mons reviviscat. cap. 4. num. 39.

EXTINCTIO.

Aggregationis montis Cameralis concessæ privato quatenus non admittatur recensetur casus particularis. cap. 4. numer. 6.

Vel extractio locorum montium quomodò fiat. cap. 4. numer. 35.

Quæ damna inferre possit. cap. 4. num. 36.

Ficta, & idealis dicitur illa, quæ fit ob transmutationem de uno monte in alterum, & quomodo fiat. cap. 4. nu. 38.

FISCALIA.

Quid sint. cap. 3. num. 36.

Eorum venditiones, vel concessiones fieri solitæ per Fiscales impugnantur. cap. 3. num. 37.

FORENSES.

Etiam sine privilegio sunt capaces acquirendi, & retinendi loca montium. cap. 5. num. 7.

FRAUS.

Committi potest in resignatione locorum montium ex diversitate nominis, & cognominis. cap. 2. num. 10.

Item in officiis vacabilibus, ibidem remissivè.

Quomodo obviandum fraudibus, & inconvenientibus. cap. 2. num. 12. Vide Interessatus.

Ad eam probandam cum sit potiùs facti, quàm juris standum est particularibus casuum circumstantiis. cap. 2. num. 25.

Quæ committi soleat super exvinculationibus locorum montium. cap. 7. num. 3.

Nulla considerari potest in erectione montium Cameralium, immò nec præsumi debet in supremo Principe. cap. 4. num. 18. Vide Interessatus.

FRUCTUS.

Locorum montium reductio semper fuit practicata. cap. 3. num. 4.

In prædictis erectionibus ascendebant ad decem pro centenario, ibidem.

Ultimo loco ad quatuor redacti. cap. 3. num. 15.

Licito jure percipiuntur. cap. 3. num. 17.

Eorum excrescentia accidentalis quomodo fiat ob diminutum pretium in sorte. cap. 3. num. 23.

Qua ratione reducantur. Vide V. Reductio.

Majorum fructuum diminutio ob minus pretium solutum, cap. 3. num. 32.

Eorum diminutio resultans à deficientia, vel infructuositate bonorum monti assignatorum. cap. 3. num. 33.

GABELLA.

Pro censibus, quo loco solvi debeat, ubi scilicet adest fundus censitus, an potiùs ubi domicilium habet creditor census. cap. 3. num. 41.

Si creditor census in loco fundi censiti nullo onere, & gabella gravetur, tunc indistinctè illum solvere debet in loco domicilii, ibidem.

GRATIA.

Et quælibet concessio tertio præjudicialis damnatur. cap. 5. num. 26.

Distinctio affertur inter revocationes, & moderationes gratiarum, cap. 5. num. 28.

HÆRETICI.

An sint capaces acquirendi, vel retinendo loca montium. Vide V. Infideles.

HYPOTHECA.

Quid sit, & an sit verum pignus. cap. 5. num. 31.

Quando super bonis hypothecatis non detur ejus experimentum. cap. 5. num. 30.

INFIDELIS.

Judæi, & hæretici incapaces sunt ad acquirendum, & retinendum loca montium. cap. 5. num. 5.

INTERESSATUS.

In materia locorum montium agere potest contra fraudatores, vel falsarios, qui actum malè gesserunt, & pretium receperunt. cap. 2. num. 8.

Item contra Judicem, qui malè vincula delevit, ibidem.

Item si Secretarius culposus dignoscatur, potest contra eum agere ad quanti interest, ibidem.

Si montes sint Camerales agere potest contra Camera, ibidem.

Si Baronales aut, de tertia specie contra Baronem, vel alium, qui illum præposuit, ibidem.

INTERESSE.

Quod habet Princeps ejusque Camera in montibus baronalibus. cap. 4. num. 9.

JUDÆI.

An sint capaces acquirendi, & retinendi loca montium. Vide V. Infideles.

JUDEX.

Ejus factum dicitur factum partis. cap. 1. sub num. 17.

JUS LUENDI.

In censu consignativo quos effectus pariat. cap. 2. num. 5.

Ejus cessio quamvis translativa operatur tamen ut non transeant in cessionarium onera hypothecarum jura, & vincula, quibus census cessus penès debitorem subiacebat. ibidem.

Transfert etiam anterioritatem fructuum decurrendorum non à die novi contractus cessionis, sed à die creationis census, ibidem.

LÆSIO.

Minor sufficit in fisco, quàm in privato. cap. 3. sub num. 9.

Enormissima inter non privilegiatos ea dicitur, quæ est ultra bessem. cap. 3. sub num. 11.

In fisco simplex, & enormis verificatur in 6. ibidem.

Pro ea metienda attenditur tempus contractus. cap. 3. num. 13., & 14.

In venditionibus locorum montium non facilè verificatur, & quare. cap. 4. num. 27.

LEX.

L. per diversas, & l. Ab Anastasio C. mandati procedunt in juribus incertis, & litigiosis, secus verò in certis, & liquidis. cap. 4. num. 16.

LIBERTAS.

Non intrat in vinculis expressis, & contentis in litteris patentibus. cap. 2. num. 18.

Inducitur si resignatio fiat in manibus Secretarii. cap. 2. num. 18., & 22.

An proveniat à privliegio Urbani Octavi. cap. num. 2., & cap. 5. num. 1.

Provenit potiùs de Jure. cap. 2. num. 3.

Cujus comodo cedat, si cessent vincula. cap. 4. num. 28.

Locorum montium, cum qua ipsa transeunt in resignatarium dicitur privilegium. cap. 5. num. 1.

Est privilegium commune omnibus montibus. cap. 5. nu. 1.

Plura inconvenientia producere solet. cap. 2. num. 7.

LITTERÆ.

Patentes si allegetur, quod fuerint deperditæ, quid agendum sit. cap. 2. num. 20.

LOCA MONTIUM.

Quid propriè sint, & ex qua causa fuerint introducta. cap. 1. num. 9.

Alia sunt vitalitia seù vacabilia, & alia non vacabilia, nec vitalitia, sed perpetua. Dict. cap. 1. num. 10.

De quo tempore, & quibus in locis eorum usus irrepserit. cap. 1. num. 11.

In Civitatibus Romæ, Bononiæ, Ferrariæ, & aliis tale nomen sortiuntur. cap. 1. num. 12.

Apud Venetos dicuntur pecuniæ in Banco, vel in Zecca, ibidem.

Januæ nuncupantur Comperæ in Cartulario S. Georgii, ibidem.

Neapolis appellantur fiscalia, & respectivè redditus super arrendamentis, ibidem.

Mediolani dicuntur jura super datiis, ibidem.

In Regnis Hispaniarum vocantur Jura cum Rege, ibidem.

Quomodocumque vocentur, eandem naturam conservant, ibidem in principio.

Sunt de Regalibus, eandemque naturam sortiuntur, ac ipsamet vectigalia, aliaque jura publica, & regalia. cap. 1. nu. 13.

Non sunt in privato commercio. cap. 2. num. 4.

Non possunt transferri de uno in alium absque Principis auctoritate, vel ejus officialis. cap. 3. sub num. 16.

Connumerantur inter bona stabilia. cap. 1. num. 15.

An veniant sub dispositione Bullæ Baronum. Vide Bulla Baronum.

Censentur esse de Civitate dominante Principatui, in qua facta est eorum erectio, & destinata solutio, non verò circumscribuntur loco, in quo existunt bona, seù vectigalia, et jura, super quibus fundata sunt. cap. 1. num. 15. in fine, et num. 16.

Quid

Index Rerum Notabilium.

Quid ſervetur in Civitatibus Bononiæ, Ferrariæ. cap. 1. num. 17.
In quibus differant à cenſibus conſignativis. cap. 1. num. 18., & cap. 3. num. 21.
Baronalia, quæ ſint, & in quot ſpecies conſiſtant. Vide V. mons.
Eorum introductio, & erectio fuit utilis, & commendabilis. cap. 1. num. 22.
Ad bonum Principatus regimen valdè confert in repentinis accidentibus belli, vel peſtis, famis, aliarumque ſimilium calamitatum. cap. 1. num. 23.
Utilis experitur nedum publico, verum etiam privato commodo. cap. 1. num. 25.
Damna, & præjudicia, quæ è converſo Reipublicæ cauſare videntur. cap. 1. num. 27.
Immò reſultare poteſt major calamitas illa, quæ provenit vi tempeſtatum, ſterilitatis, incendii, peſtis, & ſimilium. Dict. cap. 1. num. 28.
Baronibus nonnulla damna, & præjudicia infert. Dict. cap. 1. num. 29.
Præjudicialis eſt agricolturæ, & mercaturæ. Dict. cap. 1. num. 30.
In materia locorum montium non procedit regula, quod contrahens tenetur inquirere commodum alterius contrahentis idque ob publicam fidem. Dict. cap. 2. num. 6.
Eorum commercium principaliter provenit ab eorum libertate, & temporum ſecuritate. Dict. cap. 2. num. 1.
Talis libertas an proveniat à jure, vel à privilegio Urbani Octavi. Vide V. Libertas.
Non differunt penes ipſum dominum, & poſſeſſorem ab aliis bonis, ut ſubiaceant debitis, & obligationibus. cap. 2. num. 14.
Ubi ſunt penes hæredem, ſivè legatarium retinent vincula defuncti. Dict. cap. 2. num. 15.
Eorum contractatio an veniat ſub genere contractuum ad effectum, ut intret nec ne gabella contractuum. Dict. cap. 2. num. 28. ubi remiſſivè.
Eorum acquiſitio, quæ fit in perſona unius cum pecunia alterius latè explicatur. Dict. cap. 2. num. 27.
De eorum exuinculationibus fieri ſolitis per Theſaurarium, vel Judicem. Dict. cap. 2. num. 29.
Omnes perſonæ cujuſcunque gradus, & conditionis exceptis infidelibus, & hæreticis ſunt capaces ea acquirendi, & retinendi. cap. 5. num. 5.
Poſſunt liberè reſignari per Eccleſiam, aliaque loca pia abſque ſolemnitatibus à jure communi, vel ſtatutario requiſitis, nec ſubiacent *extravag. ambitioſæ de rebus Eccleſiæ non alien.* cap. 5. num. 9. 10., & 11.
Intellige ſi reſignentur in manibus Secretarii, ſecùs ſi ex privata conventione in alium transferantur. cap. 5. num. 12.
An ſubiaceant ſpolio Eccleſiarum. Dict. cap. 5. num. 15.
An ſubiaceant confiſcationibus. Vide V. Confiſcatio.
An poſſint ſequeſtrari, vel exequi. Vide V. Privilegium.
Reliqua V. mons.

MONETA.

Si alteretur, an attendatur tempus obligationis, vel potiùs ſolutionis. cap. 4. num. 29.

MONS.

Quid ſignificet. cap. 1. num. 2.
Fidei unde originem trahat. cap. 1. ſub num. 1., & cap. 6. num. 2.
De ejus reductionem, ibidem.
Frumentarius expenditur. Dict. cap. 1. num. 6.
Sub annonæ, vel abundantiæ vocabulo adhuc explicari ſolet, ibidem.
Montes dotium, & familiarum vulgò *maritagiorum*. Dict. cap. 1. num. 7.
Aliæ ſpecies montium remiſſivè. Dict. cap. 1. num. 8.
Baronales, qui ſint, & quot in Urbe enumerentur. Dict. cap. 1. num. 20.
Quales verè ſint, & quales de tertia ſpecie, ibidem.
An ſint de regalibus, aut potiùs de privato commercio. Dict. cap. 1. num. 21.
Baronales, vel privati, magiſvè eorum aggregationes montibus Cameralibus damnantur. cap. 3. num. 34.
Camerales, in quo differant à Baronalibus quoad pacta repetendi ſortem. cap. 4. num. 8.
In montibus Cameralibus attenditur fides publica, in baronalibus privata. Dict. cap. 4. num. 13.
Montes Urbis ut plurimum ſolent eſſe in ſcutis monetæ. Dict. cap. 4. numer. 30.
An reviviſcat evictis bonis aſſignatis, vel avocatis pecuniis. Vide V. Evictio.
In montibus baronalibus quomodo dicatur adeſſe cauſa, & fides publica. cap. 5. num. 27.
Pius *recuperationum*, & *primi*, & *ſecundi ſuccurſus* quando fuerint erectus. cap. 6. num. 3.
De dictorum montium ſuppreſſione, & translatione ad montem Reſtauratum, ibidem.
Ligæ, & Religionis, qui ſint. cap. 6. num. 4 De eorum tranſfuſione in dictum montium Reſtauratum, ibid.
De erectione ſecundi montis Religionis. Dict. cap. 6. num. 8.
Camerarius, & ejus erectio. Dict. cap. 6. num. 6.
Subventionis, quid ſit. Dict. cap. 6. num. 7. De ejus translatione ad montem Reſtauratum, ibid.
De neceſſitate erigendi montes, & exigendi emolumenta Datariæ, & Cancellariæ Apoſtolicæ. Dict. cap. 6. num. 9.

OBSERVANTIA.

Generalis aliorum Principatuum, & particularis hujus Principatus circa reductiones locorum montium. cap. 3. nu. 25.
In hac materia locorum montium juſta, & rationabilis reputatur. Dict. cap. 3. num. 26.

PACTUM.

Sive facultas de redimendo eſt pretio extimabilis, & minuit de pretio, ejuſque pars dicitur. cap. 3. num. 11.
Pacta prohibentia facultatem extinguendi in perpetuum, vel ad tempus. cap. 4. num. 2.
De dictis pactis Montiſtæ ſolliciti eſſe ſolent. Dict. cap. 4. num. 3.
Eorum validitas oſtenditur, & quare ſecùs in cenſibus. Dict. cap. 4. num. 4. & 7.
Quomodo poſſunt moderari. Dict. cap. 4. num. 5.
Quæ ſint differentia inter montes Camerales, & Baronales circa hujuſmodi pacta. Dict. cap. 4. num. 8.
Obligans ad redemptionem valet favore tertii. cap. 4. nu. 10.

PECULIUM.

Principum, & Reſpublicarum eorumque ærarium conſiſtit pro majori parte in fide, et commercio. cap. 3. num. 3.

PECUNIA.

Influit ſalutem, et Reipublicæ conſervationem. cap. 1. nu. 24.
Exterorum expedit ut trahatur ad Principatum, ut exindè corpus Reipublicæ impinguetur. Dict. cap. 1. num. 32.
Intellige ſi libera ſit manſura in loco, ad quem trahatur, ſecùs ſi ad publicum fœnus deſtinetur, ibid.

POSSESSOR.

Locorum Montium, qui ea habuit per viam deliberationis, vel adjudicationis quomodo eludi poſſit. cap. 2. num. 17.

PRETIUM.

Locorum montium quomodo ſit conſiderandum. cap. 2. num. 26.
Duplex eſt intrinſecum, ſive uniforme, vel invariabile, & extrinſecum, ſeu accidentale, vel variabile. cap. 4. num. 13.
Integrum reſtitui debet, & non plus, neque minus in caſu extinctionis. Dict. cap. 4. num. 15.
Majus extrinſecum, an fiat quandoque intrinſecum, ejuſque naturam aſſumat, & quomodo id fieri poſſit. Dict. cap. 4. num. 19.
Intrinſecum ſi diminuatur an debitor montis teneatur ad totum, vel ſolùm ad id, quod recipit. Dict. cap. 4. numer. 20.
Quæ dicuntur de reſtitutione non facienda pretii non ſoluti, non procedunt contra tertium, qui pro integro pretio emit. Dict. cap. 4. num. 23.
His non repugnat, quod dicitur *in tract. de officiis*, quod Camera non tenetur reſtituere niſi acceptum. Dict. cap. 4. num. 25.
Ejus diminutio ratione vinculorum, & quod non proſit debitori montis. Dict. cap. 4. num. 26.

PRINCEPS.

Impugnantes ejus poteſtatem circa reductionem fructuum locorum montium refelluntur. cap. 3. num. 6.
Quando poſſit tollere jus tertiò quæſitum. Dict. cap. 3. num. 8.
Duplicem gerit perſonam privati, ſcilicet, & alteram publici, ibidem.
Quando ligatur legibus poſitivis, ibidem.
Publica neceſſitate exigente poteſt deviare à legibus poſitivis, nec exindè dici poteſt earum violator. Dict. num. 8. & num. 24.

So-

Index Rerum Notabilium.

Solus demandare potest reductiones censuum non autem possunt Judices. cap. 3. num. 20.

Vel alter montis debitor an, & quomodo possit uti fructibus assignatis pro solvendis fructibus Montistis, & solutiones suspendere. Dict. cap. 3. num. 38.

In quo differat à Judice inferiori quoad efformandum judicium in casu diminutionis pretii intrinseci locorum montium, scilicet num teneatur debitor montis ad totum, vel solum ad id, quod recepit. cap. 4. num. 21.

Ejus potestatem negantes circa derogationem juris positivi damnantur. cap. 5. num. 3.

Potest in casu necessitatis præjudicare juribus tertii. cap. 4. sub num. 22. & cap. 5. num. 23.

PRIVILEGIUM.

Resultat ex libertate locorum montium. cap. 5. num. 1.

Est commune omnibus montibus. Dict. cap. 5. num. 2.

Considerabile censetur, ut loca montium non possint extingui. Dict. cap. 5. num. 3.

Est tamen particulare in aliquibus montibus, non autem commune omnibus, ibidem.

Quid importet. Dict. cap. 5. num. 4.

Quod loca montium non possint sequestrari, vel exequi, qua ratione ab usu recesserit. Dict. cap. 5. num. 16.

Quæ sit differentia hujus privilegii in pecuniis, quæ sunt in locis illud habentibus. Dict. cap. 5. num. 17.

Ut loca montium non subiaceant confiscationi. Dict. cap. 5. num. 18.

Prædicta omnia privilegia non solent concedi montibus baronalibus, sed tantum illud potioritatis adversus anteriores in bonis assignatis cum suspensione hypothecarum. Dict. cap. 5. num. 22.

PROMISSIO.

De vendendo an tribuat jus emptori. cap. 2. num. 21.

QUÆSTIO.

Facti ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis prudentis Judicis arbitrio venit regulanda. cap. 2. sub num. 10.

REDUCTIO.

Locorum montium semper fuit practicata. cap. 3. num. 14.

In diversis temporibus variè à Summ. Pontif. facta. Dict. cap. 3. num. 15.

Generalis, & uniformis non datur in censibus consignativis, & quare. Dict. cap. 3. num. 18. 19. & 21.

Demandari potest per Principem, non autem per Judices. Dict. cap. 3. num. 20.

Fructuum locorum montium, ex qua ratione fiat. Dict. cap. 3. num. 23.

Nullum præjudicium affert ubi offertur restitutio sortis. Dict. cap. 3. num. 27.

In ea facienda cautè, & circumspectè procedendum est. Dict. cap. 3. num. 29.

Fructuum implicitè fieri potest ob augumentum soliti pretii in sorte. Dict. cap. 3. num. 31.

REGULA.

Certa, & generalis in omnibus casibus impossibile est, ut possit statui. cap. 2. num. 10.

RELIGIOSI.

Professi, & incapaces tàm in communi, quàm in particulari, quatenus admittantur ad contractationem locorum montium. cap. 2. sub num. 23.

Indistincte admittuntur ad acquirendum, & retinendum dd. loca Montium. cap. 5. num. 5. & sub num. 9.

RESCISSIO.

Contractus quando detur ex capite læsionis contra tertium possessorem. cap. 4. num. 24.

RESIGNATIO.

Locorum montium ut sincerè fiat, & fraudibus obvietur, quid agendum est. cap. 2. num. 12. & 17.

Si fiat in manibus Secretarii libertas inducitur. Dict. cap. 2. num. 18.

Per viam attergationis, quæ sit. Dict. cap. 2. num. 19.

SECRETARIUS.
Montium, & Cameræ.

Quæ sit ejus obligatio. cap. 2. num. 9.

Tenetur ad quanti interest quoties culposus detegatur, ibidem & num. 12. in fine.

Ejus industria electa dicitur. cap. 2. sub num. 10.

Debet esse diligentissimus, ideò de levissima culpa tenetur, sivè ea in committendo, sivè in omittendo consistat, ibidem.

Casus fortuitos quodammodo in se suscepisse videtur, ibidem.

Quomodo se gerere debeat in casibus habentibus qualequale dubium, ibid. in fine.

Esset in culpa si videndo attergationem in litteris ad favorem unius admitteret liberam resignationem ad favorem alterius. cap. 2. num. 19. in fine.

Quid servare debeat cum recipit resignationes locorum montium, quæ fiunt per minores, mulieres, aliasque personas privilegiatas. cap. 5. num. 13.

Non debet esse contentus solo Judicis decreto absque prævia cognitione causæ, sed debet consulere Congregationem montium, ibidem. num. 14.

SOLEMNITATES.

A jure communi, vel statutario desideratæ adhuc requiruntur in alienationibus locorum montium. cap. 2. sub num. 16.

Fallit in formali resignatione in manibus Secretarii facta. Dict. cap. 2. num. 23. & cap. 5. sub 9. & 10.

SOLUTIO.

In moneta æquivalenti quando, & quomodo admitti debeat. cap. 4. num. 33.

Quid ubi adsit diuturna observantia. Dict. cap. 4. numer. 34.

SORS.

Quando per obliquum, & per indirectum repetatur ob non adimplementum. cap. 4. num. 11.

STYLUS.

Quod remaneant pecuniæ penes depositarium periculo creditorum refellitur. cap. 4. num. 37.

THESAURARIUS.

Locorum montium ordinarius, magisque competens Judex dicitur. cap. 2. num. 29.

VALOR.

Scutorum aureorum quanti fuerit antiquis temporibus, & quanti sit hodie. cap. 4. num. 31. & 33.

USURÆ.

Antiquorum temporum, ad quam metam excreverint. cap. 1. num. 4.

Centesimæ, quæ fuerint, ibidem.

In monte Pietatis quatenus excludantur ex mutuo. Dict. cap. 1. num. 5.

FINIS.

JO. BAPTISTÆ

DE LUCA

VENUSINI,

S. R. E. Presbyteri Cardinalis;

COMMENTARIA

Ad Constitutionem Sanctæ Mem. INNOCENTII XI.

DE STATUTARIIS SUCCESSIONIBUS;

Cum Particulis Statutorum, & Legum excludentium Fœminas propter Masculos, tam intra Statum Ecclesiasticum, quàm extra illum.

ACCEDIT

DE PENSIONIBUS ECCLESIASTICIS

Ad ornatum Constitutionis ejusdem PONTIFICIS, de illis ultra medietatem non transferendis;

CUM VARIIS INDULTIS TRANSFERENDI,

Ac retinendi Ecclesiasticas Pensiones.



VENETIIS, M. DC. XCVIII.

Apud Paulum Balleonium.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

IO. BAPTISTÆ DE LUCA VENUSINI

S. R. E. Presbyteri Cardinalis;

COMMENTARIA

Ad Constitutionem Sanctæ Mem. Innocentii XI.

DE STATUTARIIS SUCCESSIONIBUS;

Cum Particulis Statutorum, & Legum excludentium Fœminas propter Masculos, tam intra Statum Ecclesiasticum, quàm extra illum.

ACCEDIT

DE PENSIONIBUS ECCLESIASTICIS

Ad ornatum Constitutionis ejusdem Pontificis, de illis ultra medietatem non transferendis;

CUM VARIIS INDULTIS TRANSFERENDI,

Ac retinendi Ecclesiasticas Pensiones.



VENETIIS, M.DC.XCVIII.

Apud Paulum Balleonium.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

INDEX ARGUMENTORUM

Quæ continentur in ſingulis Paragraphis hujus Operis de Statutariis Succeſſionibus.

Præfatio. fol.5.

Conſtitutio ſuper Statutariis Succeſſionibus. fol.7.

§. I.

De pluribus perſonis formalibus, quæ in Papa diverſis reſpectibus concurrunt, & ex qua perſona iſta lex condita ſit, & de aliquibus effectibus ſingularibus mixturæ dictarum perſonarum. fol.9.

§. II.

Sub nomine Status Eccleſiaſtici quænam loca veniant, & qualis ſit Status immediatus, & qualis mediatus, illeque deſcribitur, atque in Legationes, & Gubernia diſtinguitur: & de Statutis locorum dominantium quomodo attendi debeant in locis ſubjectis. fol.11.

§. III.

Quales eſſent antiqui, & medii mores Romanorum, & Italorum in hac ſucceſſionum materia, & de varietate legum eorumdem Romanorum, ſeu civilium in eadem materia, & de hiſtoria legali. fol.28.

§. IV.

An, & quando conſenſus populorum in legibus ſit neceſſarius, & exquiri debeat. fol.31.

§. V.

Quomodo, & quando Princeps exaudire debeat preces ſubditorum, & an debeat eſſe facilis, vel difficilis ad gratias. fol.32.

§. VI.

De clauſulis *Motu proprio*, *Ex certâ ſcientiâ*, *De plenitudine poteſtatis*, *& Quorum tenores &c.* earumque operatione. fol.33.

§. VII.

Quare Conſtitutio diſponat ſuper ſucceſſionibus impoſterum tantùm aperiendis, & de differentia in legibus, quando fiunt per viam novæ proviſionis, & quando per viam declarationis. Et quare Conſtitutio reſtringatur ad illa, quæ habeat confirmationem Apoſtolicam, & de iſtius variis ſpeciebus. fol. 34.

§. VIII.

De non comprehenſione ſub ſtatuto bonorum exiſtentium extra territorium, & quænam ſint. fol.36.

§. IX.

De antiqua exceptuatione à ſtatuto bonorum exiſtentium in territorio ſtatuentis, de directo dominio Eccleſiarum, vel perſonarum Eccleſiaſticarum, quamvis à laicis poſſideantur, per Conſtitutionem ſublata. fol.37.

§. X.

De exemptione perſonarum Eccleſiaſticarum à ſtatuto, an illa procedat ſolùm reſpectu perſonarum excluſarum, vel etiam reſpectu defuncti, de cujus ſucceſſione agitur; & an perſonæ Eccleſiaſticæ exemptæ gaudeant beneficio ſtatuti ad eorum favorem, in excluſionem aliorum: & quæ ſint perſonæ Eccleſiaſticæ exemptæ. fol.38.

§. XI.

An per iſtam Conſtitutionem dirimentem exemptiones perſonarum, & rerum Eccleſiaſticarum aliquod reſultet præjudicium Eccleſiaſticæ immunitati, & de ratione vera, cui innixa ſint iſta ſtatuta. fol.40.

§. XII.

De caſu mixto, quando ſcilicet adſunt in medio perſonæ non excluſæ, an faciant ceſſare ſtatutum, etiam quoad excluſas. fol.43.

§. XIII.

De diverſis dubiis, & quæſtionibus in iſta materia cadentibus, quæ compendiosè inſinuantur, ad effectum oſtendendi cur iſta proviſio facta ſit, & quænam ſit prærogativa particularis matris. fol.45.

§. XIV.

De combinatione ſtatutorum utriuſque loci, perſonarum, & bonorum, an locum habere debeat, & quando. fol.50.

§. XV.

De loco existentiæ bonorum qualis dicatur, & quare ultrà verbum *existere* adiiciatur verbum *possidere*, & qualis possessio sufficiat. fol.51.

§. XVI.

De eodem, de quo in §. præcedenti super existentia bonorum in loco, & quando illa in uno, vel in altero loco esse dicantur. fol.51.

§. XVII.

De exæquatione forensium, & non subditorum civibus, & subditis qualem rationem habeat, & an commendatione, vel reprobatione digna sit, fol.53.

§. XVIII.

An, & quando lex inducere possit præsumptionem, ex qua resultet præjudicium non subditis. fol.54.

§. XIX.

Statutum exclusivum fœminarum an cesset ubi defunctus decedit, condito testamento, & de statuti operatione in casu testatæ successionis. fol.55.

§. XX.

De Constitntionibus Apostolicis, ac etiam de statutis particularibus contra forenses ad acquirendum, & retinendum bona jurisdictionalia, & alia stabilia; & de materia civilitatis, & quando hæc verificari dicatur. fol.57.

§. XXI.

De operationibus, & effectibus clausulæ *sublata*, & *decreti irritantis*, quæ in hoc §. continetur, an procedat in legibus, & Constitutionibus universalibus, & de materia aperitionis oris adversus hujusmodi clausulas. fol.64.

§. XXII.

Quod notitia legis necessaria sit ad hoc ut obliget, & quando ejus ignorantia excuset, vel suffragetur, & de regulatione anni, & quare ejus, ac mensis, & diei expressio requiratur, & de forma subscriptionum Pontificiarum. fol.67.

Particulæ Statutorum, & Legum Status Ecclesiastici excludentium fœminas propter masculos. fol.75.

Particulæ dictorum Statutorum, & Legum extra Statum Ecclesiasticum. fol.144.

Responsum R.P.D. Marcelli Severoli in Causa Florentina Legitimæ de Feroniis. fol.153.

PRÆ-

PRÆFATIO.

EXPERTUS in diuturno penè tricennario exercitio Advocationis in Romana Curia quantum absonæ, exorbitantes, magnarumque litium productivæ essent quædam interpretationes, vel restrictiones, quæ per Doctores, & Tribunalia traditæ fuerunt Statutis, adeò frequenter, penèque universaliter in temporali Ecclesiæ ditione Italiæ vigentibus, favore masculorum de agnatione, in exclusionem fœminarum, & cognatorum à successionibus, ut conjici facilè potest ex iis, quæ habentur in meo Veritatis, & Justitiæ Theatro; *a* Evocatus autem in gravi ætate, quæ potiùs quietem (jam derelicto foro comparatam) exigeret, ad munus Auditoris Sanctissimi Domini Nostri D. Innocentii Undecimi post plures labores, & diligentias adhibitas in primis tribus hujus muneris annis super quamplurium abusum reformatione, aliisque justitiæ rectam administrationem, Cameræque Apostolicæ, ac Populorum, & Communitatum utilitatem, ac levamen concernentibus, ex iis, quæ habentur adnotata in ejusdem Theatri Supplemento; *b* in anno ejusdem muneris quarto, ex consueto veritatis, & justitiæ amore, publicique boni zelo, ex quibus solùm (Deo teste) omnes quos Mundus videt labores, libenter sustinui, inter alia animum applicui, ut quò magis fieri potest, atque humana conditio patitur, enuntiatæ dirimerentur lites, & exorbitantiæ, quas præfatæ Doctorum & Tribunalium interpretationes, & restrictiones producunt, & per quas penè inutiles remanere solent statutorum, aliarumque localium legum, justæ, nimiumque rationabiles provisiones. Huic autem desiderio conformes, ac promptos comperii prudentissimos, & rectissimos sensus enunciati Pontificis, utpote populorum, ejus, ac Sedis Apostolicæ regimini commissorum, utilitati, quieti, & tranquillitati intentissimi. Verùm quia ejusdem Pontificis commendabilis quidem ab initio fuit, & perseverat stylus, in gravibus determinationibus procedere prævio maturo sapientum consilio, idcircò ex ejus mandato quindecim in legali facultate peritissimorum, ac primi nominis Prælatorum, & Advocatorum evocavi Congregationem, in qua negotio ad trutinam redacto, ex penè concordi sensu prodiit resolutio, ut in reverentiam tot Rotæ decisionum, & DD. auctoritatis, à jam receptis, ac firmatis conclusionibus recedendum non esset, illa rationem præsertim assignata, quòd si populi crederent exinde præjudicia, & damna eis inferri, verisimiliter conquererentur, eorumque preces pro opportuna provisione porrigerent. Quare ex hoc edoctus, pro dicto nimium optato publici boni fine assequendo, cum litteris circularibus Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, & locorum respectivè Legatis, Præsidibus, Gubernatoribus, & Officialibus directis, curavi de magis communi populorum voluntate, ac desiderio certificari, quod feliciter juxtà votum sequutum est, quoniam omnes concorditer, communique sensu, non solùm id velle, ac desiderare declararunt, sed enixas preces Sanctissimo porrexerunt; hisque sic stantibus iidem sapientes, immutata sententia, desuper juxta populorum sensum provideri debere concorde præstiterunt votum; Et quamvis aliqui non defuerint contradictores, ex motivo, quòd id aliquod Ecclesiasticæ immunitati præjudicium inferre posset, communis tamen sensus fuit, nullam desuper cadere dubitandi rationem, ex motivis, de quibus infrà §. 11. unde propterea initio quinti anni Pontificatus, edita fuit Constitutio, cujus tenor proximè infrà registratur. Verùm quia nil in hujus mundi rebus intellectualibus, ob ingeniorum varietatem, adeò firmiter, & clarè statui potest, ut varii intellectus, variæque interpretationes, à Legislatoris intentione sæpiùs extraneæ, non sequantur; idcircò, ut huic malo, quantum humanæ conceditur imbecillitati, consulatur, ex eodem jam enuntiato veritatis, & justitiæ, publicique boni zelo, & fine, opportunum censui sequentes super dicta Constitutione edere glossas, & adnotationes, per quas rectè scio malum omninò tolli non posse, minus tamen effici debere spero; easdem interpretationes distinguendo, juxta proximè registrandæ Constitutionis distinctos Paragraphos, conclusivo, & discursivo potiùs, quàm disputativo, & collectorio stylo, tum ut genio satisfaciam collectoris partes nimium abhorrenti;

Cardin. de Luca de Statut. Succeſs.

ti; tum quia ob temporis jam notas anguſtias, cum ſolo memoriæ beneficio in ſubſecivis horis id perfici potuit, relatione habita ad proprios labores in Theatro contentos, in quibus aliæ auctoritates perquiri poterunt; ac etiam quia, ex aliàs proteſtatis, profiteor cum Apoſtolo *ſcientibus legem loqui*. Si quod autem ſuperfluæ repetitionis earumdem rerum vitium dignoſcitur, condonandum eſt eidem memoriæ, quæ in ſenio commiſeratione digna eſt, dum primum ſenectutis vulnus in memoria eſſe ſolet, ſi tamen vitium dicendum eſt, dum ad eradicandos jam impreſſos, & inveteratos errores, replicatæ, conculcatæ, & continuatæ repetitiones neceſſariæ potiùs videntur.

Sequitur tenor Conſtitutionis.

a *Lib.* 11. *de Succeſsion. ab inteſtat. ac etiam lib.* 9. *tit. de teſtam. & tit. de legitim. & alibi.*

b *part.* 4. *in princ. ac etiam in aliquorum votorum Diverſorio, forſan Divina aſsiſtente gratia, publicæ luci ſuo congruo tempore dando.*

SANCTISSIMI D. N. INNOCENTII
Divina Providentia PP. XI.

CONSTITUTIO

Super Statutariis ſucceſsionibus.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.I. PASTORALIS officii debitum, quo univerſis, præſertim verò populis noſtræ curæ, & ſolicitudini, etiam in temporalibus creditis, tenemur, exigit, ut ea provideri, ſtatui, ordinari, & declarari debeant, per quæ illorum commodis, utilitati, quieti, & tranquillitati conſultum ſit, litiumque diſpendia, & incommoda, quantum fieri poteſt, tollantur, & ceſſent.

§.II. Cùm itaque in noſtra Urbe, penèque in omnibus aliis Civitatibus, Oppidis, & Locis noſtri, & S. R. E. Status, & ditionis temporalis Italiæ ordinata ſint, atque vigeant ſtatuta, ſeu decreta, aliæve leges, & ordinationes, Apoſtolica expreſſa, vel tacita, ſive à jure præſumpta confirmatione, & approbatione munita, per quæ, ut agnationum, & familiarum nobilitas, & decor, mediantibus bonis, & divitiis conſerventur, inteſtatæ ſucceſſiones agnatis maſculis, excluſis fœminis, aliiſque per eas cognatis, intra certos reſpectivè gradus, deferuntur.

§.III. Compertum verò ſit, quòd nonnullæ Doctorum, & Tribunalium interpretationes, ac limitationes, vel reſtrictiones præmiſſum finem à populis, juxta eorum, ac regionis antiquos, & continuatos mores impediunt, præfataſque leges, ac proviſiones penè inanes reddunt, ſive frequentes producunt lites, perturbationes, incommoda, & diſpendia, adeòut quandoque expediat potiùs non deferri, nec aperiri ſucceſſionis beneficium, quod ita in maleficium propriique aſſis jacturam convertitur;

§.IV. Unde propterea iidem populi præfati noſtri Status Eccleſiaſtici tam immediati, quàm mediati Italiæ apud Nos eorum voluntatem, ac deſiderium explicantes, preces porrexerunt, ut deſuper opportunè providere dignaremur, præfatorumque ſtatutorum, ac legum, ſeu proviſionum, generalem, ac indefinitam obſervantiam, prout jacent, & diſponunt, demandaremus, quibuſcumque Doctorum, & Tribunalium rejectis interpretationibus, adeòut univerſalis, ac uniformis in quolibet loco ſit ordo ſuccedendi, ad propriorum reſpectivè Statutorum, & legum normam, ſeu præſcriptum.

§.V. Hinc Nos præmiſſorum populorum, qui Nobis, & Apoſtolicæ Sedi, etiam in temporalibus, tam immediatè, quàm mediatè crediti ſunt, commodo, utilitati, quieti, & tranquillitati, quantum fieri poteſt, conſulere cupientes, eorumque votis, & ſupplicationibus annuere volentes.

§.VI. Motu proprio, ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnium, & ſingulorum Statutorum, Decretorum, Legum, Conſtitutionum, & proviſionum hujuſmodi in dicta noſtra Urbe, & univerſo noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Statu Eccleſiaſtico immediato, & mediato exiſtentium tenores pro expreſſis habentes, perinde ac ſi de illis expreſſa, ſpecialis, & individua mentio facta eſſet.

§.VII. Hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, mandamus, decernimus, & ſtatuimus, ut in ſucceſſionibus impoſterum, & poſt præſentium publicationem aperiendis, & deferendis, illa ſtatuta, decreta, leges, conſtitutiones, & ordinationes, quæ in præfatis noſtris Urbe, & Statu Eccleſiaſtico expreſſam in forma ſpecifica, vel etiam in ſola forma communi Apoſtolicam habeant confirmationem, & approbationem, ſive illam habeant tacitam, & præſumptam, quæ ex juris diſpoſitione ob longiſſimi temporis obſervantiam inducitur, generaliter, & indefinitè, prout jacent, ac diſponunt ad favorem maſculorum de agnatione, in univerſo aſſe attendi, & ſervari debeant.

BIBLIOTECA COMUNALE PRATO

§.VIII. Quacumque ſublata conſideratione, vel differentia bonorum, eorumque ſituationis, intra, vel extra territorium, ubicumque exiſtant;

§.IX. Et ſive ſint libera, & allodialia, ſeu feudalia, vel Emphyteotica, ſeu livellaria, etiam de directo dominio Eccleſiarum, Monaſteriorum, & piorum locorum, ſeu perſonarum Eccleſiaſticarum, ubi lex inveſtituræ non obſtet, quæ ſalva remaneat.

§.X. Sublata quoque omni, & quacumque differentia, vel conſideratione ſubjectionis, & reſpectivè exemptionis perſonarum, tam decedentium, quàm ſuccedentium, vel excludentium, & excluſarum, cujuſcumque ſint ſtatus, gradus, & conditionis, & quamvis agatur de Clericis, vel Regularibus utriuſque ſexus, aut de Eccleſiis, & Monaſteriis, aliiſque perſonis, & locis Eccleſiaſticis, vel aliàs quomodolibet exemptis, & privilegiatis, quantumvis expreſſa, & ſpeciali nota dignis.

§.XI. Dum non ex ipſorum Statutorum, vel ſtatuentium aliqua juriſdictione, vel poteſtate, ſed ex noſtra dumtaxat Apoſtolica authoritate hunc ſuccedendi ordinem in dicto noſtro Statu immediato, & mediato Italiæ, ex juſtis cauſis, animum noſtrum dignè moventibus, ſervari volumus, ac ſtatuimus, attenta ſolùm, ac generaliter naturali qualitate agnationis, & ſexus pro dicto fine aſſequendo.

§.XII. Nullaque etiam ratione habita mixturæ perſonarum non excluſarum in medio exiſtentium, aliave qualitate, ob quam hujuſmodi Statutorum, & legum ceſſatio, & reverſio ad jus commune prætendi valeat, adeòut unicum, uniforme, ac univerſale ſit jus, & ordo ſucceſſionis ad ipſorum reſpectivè Statutorum præſcriptum, ex præfato agnationis favore.

§.XIII. Quodque in quolibet caſu dubio, & quomodolibet diſputabili favore maſculorum de agnatione in excluſionem fœminarum, & cognatorum, tam aſcendentium, etiam matris, quàm deſcendentium, & collateralium, hujuſmodi legum, & ſtatutorum interpretatio facienda ſit.

§.XIV. Ubi verò contingat non verificari Statutorum, perſonarum, & bonorum unionem, ſimilitudinem, & combinationem, quam attendi, ac ſervari debere decernimus, vel quòd non adſint ſtatuta perſonarum; ſive illa extantia, ob enunciatas Doctorum, & Tribunalium interpretationes, & reſtrictiones, aut aliàs quomodolibet ſuum non ſortiantur effectum.

§.XV. Tunc ſublata (ut præmiſſum eſt) omni differentia exemptionis, & ſubjectionis perſonarum, & bonorum reſpectivè, generaliter, & prout jacent, attendi, ac ſervari volumus, decernimus, & mandamus Statuta locorum, in quibus bona exiſtunt, ac poſſidentur:

§.XVI. Sive agatur de bonis ſtabilibus, ſive de mobilibus, cenſibus, locis montium, officiis vacabilibus, nominibus debitorum, juribus, & actionibus, & aliis, quamvis de illis eſſe dignoſcatur, quæ loco non circumſcribuntur, ſed perſona ſequuntur.

§.XVII. Et quamvis tam decedentes, quàm excludentes, & excluſi exteri ſint, Nobis, & Sedi Apoſtolicæ in temporalibus non ſubditi, dum etiam exteri acquirentes, ac retinentes præfata bona, & jura in prædictis Urbe, & Statu, cenſentur (contraria voluntate expreſsè non declarata) in animo habuiſſe hujuſmodi bonorum, & jurium ſucceſſionem regulari debere, juxta leges, & ordinationes locorum, in quibus exiſtunt, ac retinentur.

§.XVIII. Prout hunc animum præſumendum eſſe decernimus, ſtatuimus, & declaramus.

§.XIX. Quæ verò de inteſtatis ſucceſſionibus hactenus, ut ſuprà, ſtatuta, & diſpoſita ſunt, in teſtamentariis quoque ſucceſſionibus attendi, & obſervari debere volumus, ac ſtatuimus, quacumque pariter bonorum, & perſonarum differentia, & conſideratione, ut ſuprà, ſublatis, in iis caſibus, in quibus eadem ſtatuta, & leges locales in hac ſpecie teſtatæ ſucceſſionis maſculorum de agnatione favore diſponunt, quoties decedentium contraria expreſſa voluntas non adverſetur.

§.XX. Non intendimus autem per præſentem Conſtitutionem, atque in ea diſpoſita, in aliquo derogare, & præjudicare Conſtitutionibus Apoſtolicis recol. memoriæ Noſtrorum Prædeceſſorum, Sixti Papæ Quinti, Clementis Papæ Octavi, Pauli Papæ Quinti, Urbani Papæ Octavi, Innocentii Papæ Decimi, & Alexandri Papæ Septimi,

& aliorum, ſi quæ adſunt, ſuper inhabilitatione forenſium dicto noſtro, & Apoſtolicæ Sedis dominio in temporalibus non ſubjectorum, qui ſtatutis temporibus ad habitandum non veniant, & non obſervent ea, quæ in eiſdem Conſtitutionibus diſponuntur, ac demandantur, ſed illæ ſalvæ, integræ, & in ſuo robore, ac firmitate permaneant.

§. XXI. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & Commiſſarios, quavis authoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ſeu Vicelegatos, aut Cameræ Apoſtolicæ Præſidentes, & Clericos, & quoſcumque alios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique locorum judicari, deffiniri, ac ſententiari debere, nec non quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

§. XXII. Ut autem præſentes ad notitiam omnium deducantur; Volumus, & eadem authoritate Apoſtolica ſtatuimus, & ordinamus, quòd illarum Tranſumptis, etiam per impreſſionem factis, manu alicujus Judicis, ſeu Prælati, aut alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Notarii publici munitis, quemadmodum adhiberetur originali, ſi præſentaretur, ubique adhibeatur tam in judicio, quàm extra illud, plena, & indubitata fides. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ M. DC. LXXX. Sexto decimo Kalend. Decembris Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

Placet Motu proprio B.

Die decima octava Novembris 1680. Supradictus Motus Proprius affixus, & publicatus fuit ad Valvas Curiæ, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Vrbis, per me M. Aurelium Pellicciam Sanctiſs. D. N. Papæ Curſorem.

Pro Magiſtro Curſorum, Agapitus de Magiſtris Curſ.

---

§. I.

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Paſtoralis officii debitum, quo univerſis, præſertim verò populis noſtræ curæ & ſolicitudini, etiam in temporalibus creditis tenemur, exigit, ut ea provideri, ſtatui, ordinari & declarari debeant, per quæ illorum commodis, utilitati, quieti, & tranquillitati conſultum ſit, litiumque diſpendia, & incommoda quantum fieri poteſt, tollantur, & ceſſent.

ARGUMENTUM.

De pluribus perſonis formalibus; quæ in Papa diverſis reſpectibus concurrunt, & ex qua perſona iſta lex condita ſit, & de aliquibus effectibus ſingularibus mixturæ dictarum perſonarum.

SVMMARIVM.

1 *SVmmus Pontifex eſt omnium pater, ideoque eorum ſaluti, utilitati, & felicitati incumbit.*
2 *Procedit etiam cum infidelibus, vel hæreticis.*
3 *De aliqua maiori curâ, & ſollicitudine erga eos, qui etiam in temporalibus illi ſubiacent.*
4 *De variis perſonis formalibus, quæ concurrunt in Papa.*
5 *De ratione aſſumpti, de quo n. 3.*
6 *Ex qua perſona Pontifex iſtam legem condere voluerit.*
7 *Quare in Statu Eccleſiaſtico clerici, & perſonæ eccleſiaſticæ ſubiiciantur gabellis, & oneribus publicis.*
8 *De ratione, ob quam clerici, & eccleſiaſtici non teneantur ad onera publica.*
9 *Et quare in Statu Eccleſiaſtico ad dicta onera teneantur.*
10 *De praxi ſupponendi eccleſiaſticos etiam aliis Principatibus.*
11 *In quo conſiſtant partes boni Principis, & quomodo iſte diſtinguatur à Tyranno.*
12 *De Matrimonio politico inter Principem, & Rempublicam.*
13 *De malis effectibus litium, & quod Princeps ſtudere debet earum reſecationi.*
14 *De natura, & operatione proœmii.*

§. I.

VNiverſis debitorem, ratione paſtoralis officii, meritò Summus Pontifex ſe appellat, ut eorum 1
commodis, utilitati, & tranquillitati conſultum ſit, quoniam omnium univerſalis eſt pater; ideoque ſicuti carnales parentes ex naturæ lege, vel inſtinctu ad filiorum mundanas felicitates, & utilitates curandas obligati ſunt, ita Pontifex totius Orbis populorum in Domino ſpiritualis pater ad eorum ſpirituales profectus, ſalutem, utilitatem, & felicitatem obtinendas debet eſſe ſollicitus; idque nedum in catholicis fidelibus, in gremio, & ſinu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ exiſtentibus procedit; ſed etiam in omnibus aliis, qui ratione infidelitatis, vel hæreſis, aut ſchiſmatis extra præfatæ Eccleſiæ gremium vivunt, ut eorum ſalutem, & veritatis cognitionem curet, atque ad veram fidem reducat, cum juxta evangelicam parabolam, non minus pater de ſalute filii obedientis, qui in paterna domo vivit, quàm de alterius prodigi extra illam 2

vagan-

vagantis, malèque viventis sollicitus esse teneatur; sive juxta alteram, ut bonus pastor non ovium tantum, quæ intra ovile sunt, curam, & sollicitudinem habere debeat, sed etiam illarum, quæ perierant, unde in deserto illas quærere opporteat.

Aliqua verò majori obligatione adstrictus videtur erga illos populos, qui Apostolicæ Sedis curæ, & administra-
3 tioni, etiam in temporalibus commissi sunt; non quidem inspecta persona Papali, quæ cum omnibus æqualis esse debet, dum Papa omnium æquè pater est, sed inspecta illa diversa persona formali Principis temporalis, quæ in ejusdem Papæ materiali persona concurrit, juxta jam notas varias personarum species in Papa concurrentes, unam nempè Papæ, universalis Ecclesiæ supremi Episcopi; alteram Patriarchæ Occidentis; Tertiam Episcopi particularis Romanæ Urbis, Et quartam Principis ditionis temporalis Romanæ Ecclesiæ, ut frequenter in Theatro advertitur; *a* Alii namque populi, qui proprios habent Principes, jam suum habent Pastorem, & Ducem,
4 à quo in temporalibus regantur; ideoque Pontificia pastorali cura in spiritualibus tantum indigent, ac etiam in iis temporalibus, quorum mala administratio, fidei, & æternæ salutis præjudicium parere possit, cum tunc eadem in temporalibus quoque intret Pontificia, & Pastoralis cura. *b* Isti verò populi, utpotè proprio separato Principe, ac Duce temporali destituti, utraque indigent pastorali cura, & sollicitudine, ideoque eorum respectu duplex dignoscitur obligatio, & duplex vinculum; Et per consequens prudenter Noster Sanctissimus Pontifex in istius Constitutionis procœmio aliquam particularem, magisque præcisam profitetur obligationem
5 erga populos, qui ejus curæ, & sollicitudini, etiam in temporalibus crediti sunt, ut probat illa dictio *præsertim*, quæ aliquam denotat specialitatem, dum in iis, quæ temporalia respiciunt, providere quoque tenetur, illas Principis partes in hac ditione supplendo, quas in aliis ditionibus proprii Principes explent. Istaque lex principaliter condita est per legislatorem, non uti Papam, sed uti Principem cum populis, qui in temporalibus ei
6 commissi sunt, quamvis alteram quoque Papæ personam adhibere voluerit pro Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum comprehensione, qua voluntate accedente nulla cadit ratio dubitandi, intrare solita, quando in iis, quę concernunt regimen temporale hujus ditionis incerta sit voluntas, an Pontificiam quoque potestatem commiscere, & adhibere voluerit, ut in locis citatis advertitur, *c* & habetur infra *in* §. *XI.* ubi de inspectione, an hæc Constitutio aliquod ecclesiasticæ immunitati præjudicium faciat.

Ista verò mixtura utriusque ecclesiasticæ, temporalis
7 supremæ potestatis in eadem persona aliquas in hujus Principatus regimine producit singularitates, quæ in aliis Principatibus non permittuntur, neque juridicè practicari possunt absque Apostolica auctoritate, & concessione; unde propterea quando sine tali auctoritate practicantur, illicita, & de facto potius, quam de jure censeri debet praxis; puta quod aliquibus gabellis, aliisque oneribus personalibus, vel mixtis subiiciantur ecclesiæ, & personæ ecclesiasticæ, quamvis in dignitate constitutæ, quæ sine dubio in aliis Principatibus illis non subjacent, cum similibus ecclesiasticam immunitatem, & libertatem concernentibus, ex quibus conqueri solent ministri aliorum Principum, ac etiam scandalum concipiunt aliqui, illud efformando dilemma, quod aut justum, & rationabile est, ut ecclesiastici contribuant in supportatione publicorum onerum, & indigentiarum, aut non; si non est justum, & rationabile, utique non debet id Pontifex practicare in ejus Principatu, cum ipse debeat esse aliorum exemplar, & magister in pietate, & justitia colendis, & practicandis; Et si est, tunc idem permittere debet aliis Principibus ex regula, *quod quisque Iuris &c.* ac etiam ex illo evangelico oraculo, *ut quemadmodum ego facio, ita & vos faciatis.* Verum hæc per superficialium, non autem sapientum, atque rerum medullam, veramque rationem penetrantium ora volitare merentur, utpotè probabili fundamento destituta; Alii namque Principes illa solum supportare solent onera, quæ necessaria sunt pro ipsius Principatus custodia, & regimine, ideoque in hujusmodi oneribus intrat ea-
8 dem ratio, quæ consideratur in oneribus communitatis (ultrà alteram rationem exemptionis à jurisdictione, & potestate) quod scilicet ecclesiastici supportant onera spiritualia in gratiam laicorum, ideoque intrat mutua, compensatio; *d* Et quod magis est, quoniam pro illis expensis, quæ concernunt commune commodum populorum, ac regimen, & custodiam Principatus, ut plurimum sufficiunt redditus, & proventus naturales ejusdem Principatus, absque necessitate imponendi collectas, & gabellas, aliaque onera, ad quæ frequentius deveniri solet ob extraordinarias impensas belli inter possessorem Principatus, & alterum Principem æquè christianum, & catholicum contendentem de ejusdem Principatus conquisitione; vel occasione belli ejusdem Principis pro aliis acquisitionibus; vel aliorum dominiorum defensione; & sic ex causa non tangente ecclesiasticos, quorum (secluso motivo fidei, & religionis) nil interest, an Principatus obtineatur ab uno, vel ab altero Principe æquè christiano, & catholico; ideoque cessante ratione propriæ causæ, propriæque necessitatis, vel utilitatis, totum onus provenit à jurisdictione, & potestate, cui ipsi non subjacent. E converso autem onera, 9
quæ supportantur in hoc Pontificio Principatu, pro notabili parte proveniunt ab expensis, quas facere opportuit, atque in dies, & tempora opportet, pro servitio, & defensione fidei, in subventionibus nempè Principum militantium cum infidelibus, vel cum hæreticis, vel alias pro tuitione ecclesiasticæ libertatis, & immunitatis, ut ad evidentiam patet ex Cameræ Apostolicæ authenticis libris, & regestis (quidquid ignarum vulgus ex imperitia, vel malignitate obloquatur.) Atque ad hujusmodi expensas, ut in suis sedibus advertitur *e* magis tenentur Ecclesiastici, quam sæculares, quoniam in casu invasionis infidelium; vel hæreticorum, ipsorum, & Ecclesiarum longè majus est damnum, adeout juridicè possent pro hujusmodi impensis collectari etiam Ecclesiastici aliorum Principatuum, sed Pontifex abstinet & contentus est solum gravare illos Principatus proprii, unde propterea deberent Principes, eorumque Ministri gratias agere. Et si dicatur, quod etiam aliqui Principes hujusmodi subjacent oneribus, & impensis belli, quod sustinere opportet adversus infideles, vel hæreticos, facilis est responsio, quoniam, hujusmodi accedente causa, Papa eis concedere solet ecclesiasticorum subventiones, *f* unde punctus est in potestate cogendi ad id ecclesiasticos, ut illa non resideat, nisi penes Papam, cum auctoritate cujus, quando justa causa concurrit, interponi solita, id sequatur juxta formam ab eodem præscribendam, non autem cum propria potestate laicali; atque in hoc dignoscitur clarum aliquorum æquivocum. 10

Illud autem debitum, quo noster Pontifex se adstrictum agnoscit curandi providè, ut populi ejus regimini commissi à litibus, & perturbationibus, quo magis fieri potest, immunes fiant, atque vitam quietam, commodam, & tranquillam ducant, commune est omnibus Principibus, inter quos, & populos eis commissos ille initus dicitur quasi contractus correspectivus hinc inde obligatorius, ut populi solvant tributa, & collectas, aliaque personalia, & realia servitia, nec non obedientiam, subjectionem, & reverentiam præstent Principi; iste verò è converso eis vitam felicem, tranquillam, & commodam procuret eos custodiendo ab hostibus, & à latronibus, ac pyratis, & homicidis, aliisque malefactoribus, & publicæ quietis perturbatoribus, nec non justitiam per Judices, & officiales benè administrari curet, ut cuique suum jus tribuatur, & conservetur; unde propterea non tanquam dominus cum servis tractet, sed tanquam prudens, ac benevolus pater cum filiis. Ideoque ex veriori, magisque recepto sapientum sensu redolet Principatus figuram politici matrimonii, quod contrahi dicitur inter Principem sponsum, & Rempublicam sponsam, quæ propterea sponso tradat dotem consistentem in ejus publicis bonis, & redditibus, nec non in jure collectandi populos, ut ex istius dotis fructibus onera hujus matrimonii supportet, dotemque benè administret, & conservet, atque sponsam, & ejus filios, qui sunt populi, benè tractet, istorum commoda, utilitatem, & tranquillitatem principaliter quærendo, non autem utilitatem, & commodum proprium, quod illi populorum postponere debet. In hoc enim distinguitur Princeps à Tyranno, quod iste principaliter, 11 12

ac

ac magis quærit utilitates, & commoda propria, quæ illis populorum anteponit, unde propterea juxta evangelicam parabolam aſſimilatur mercenario, qui ſolum incumbit perceptioni lactis, lanæ, & fœtuum, non curat verò ſalutem ovium, atque lupo veniente fugit; ille verò commoda, utilitates, & felicitates ſubditorum quærit magis quàm proprias, atque tamquam bonus paſtor *animam ſuam ponit pro ovibus ſuis*, ut ita diſtinguendo Principem à Tyranno habetur pluries in opuſculo Italici idiomatis, cui titulus eſt *il Prencipe pratico per tot. & præſertim cap. 2. & 6.*

Inter majora verò incommoda, perturbationes, & onera, quibus populi ſubjacent, recenſeri merentur il-
13 la, quæ oriuntur ex litibus, quarum quidem maximi, ac deplorabiles ſunt mali effectus, tum ob gravia diſpendia, quæ ſecum ferunt, adeout frequentius expedierit magis illa bona, vel jura derelinquere, cum (ut benè in Conſtitutione dicitur) ſæpius fortunæ, vel caſus beneficium, in maleficium, propriæque jam obtentæ ſubſtantiæ jacturam convertatur, tum ob magnam animi inquietitudinem, & frequenter ob inimicitias, jurgia, & bella exinde reſultantia; neque minoris ponderis ſunt tyrannides Judicum, Advocatorum, Procuratorum, Notariorum, & ſimilium, quas pati oportet. Unde propterea cum ex Statutorum, quæ de inteſtatis ſucceſſionibus diſponunt, aſperis, & ſuperſtitioſis interpretationibus magnæ in dies oriantur lites, juxta tot adeo frequentes caſus, qui leguntur in voluminibus Deciſionum Rotæ Romanæ, aliorumque Tribunalium, ac etiam apud Conſulentes, & de quorum pleriſque particulariter à me agitur in Theatro *g* incidenter verò in pleriſque aliis ejuſdem Theatri titulis, idcirco optimi Principis, bonique Paſtoris partes noſter zelantiſſimus Pontifex ita cum hac Conſtitutione adimplere curavit, occurrendo, quo magis fieri poteſt, hujuſmodi litibus, & controverſiis, ad ejus ſubditorum tranquillitatem, & utilitatem comparandam.

Conſuetudo eſt Gloſſatorum, ſive Commentatorum alicujus legis in parte proœmiali multa retexere ſuper
14 vi, & operatione proœmii, ut illud probet cauſam, ob quam ea lex, vel alia diſpoſitio condita eſt, atque denotet mentem legislatoris, vel diſponentis, unde propterea ab eo tota lex, vel diſpoſitio regulari, atque interpretationem recipere debeat, nimium deſuper cum conſueto leguleico, & collectorio ſtylo ſe diffundendo, magnumque cum improbo labore faciendo allegationum cumulum, ſeu verius nauſeantem, & contemptibilem conſarcinationem. At iſtæ non ſunt meæ partes, tum quia otium non concedit; tum fortius, quia genius, & ſtylus nimium hæc abhorrent; tum demum quia revera deſuper certa, & generalis non poteſt ſtatui regula quibuſcumque caſibus adaptabilis, cum facti potius, quàm juris iſte punctus eſſe dignoſcatur, quando ſcilicet pars proœmialis denotet, nec nè cauſam diſpoſitionis, atque diſponentis mentem benè probet, ex ſingulorum caſuum circumſtantiis, & qualitate facti potius decidendus, cum ſæpius proœmium ad ornatum diſpoſitionis, vel pro quodam ſtylo ita concipi ſoleat, ideoque potius in ſubſtantia eorum, quæ in lege diſponuntur immorandum eſt, quam in hujuſmodi ſcholarum occupationibus.

a *Præſertim lib. 15. in Relatione Curiæ diſc. 2. lib. 6. de Dote diſc. 22. & 143. & alibi pluries.*
b *Vt advertitur eodem diſc. 2. in Relation. Curiæ.*
c *Et præſertim d. diſcurſ. 22. & 143. de Dote.*
d *Ex deductis diſc. 58. de regal diſc. 1. & ſequent. in miſcellan. eccleſiaſt. lib. 14. & alibi.*
e *Lib. 4. miſcell. eccleſiaſt. diſc. 3. num. 10. & lib. 2. & de regal. diſc. 55. num. final. latius verò, & clarius in compendio legali Italici idiomatis, cui titulus eſt*, il Dottor volgare, *lib. 14. de immunitat. Eccleſiaſt. cap. 10. & in tractat. de locis montium cap. fin. & alibi.*
f *Iuxta caſum, de quo in miſcellan. Eccleſiaſt. diſc. 4. cum aliis notoriis in Rege Hiſpaniarum, aliiſque Principibus.* g *Lib. 11. de ſucceſſion. ab inteſt.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Cùm itaque in noſtra Urbe, penèque in omnibus aliis Civitatibus, Oppidis, & Locis noſtri, & S. R. E. Status, & ditionis temporalis Italiæ ordinata ſint, atque vigeant ſtatuta, ſeu decreta, aliæve leges, & ordinationes, Apoſtolica expreſſa, vel tacita, ſive à jure præſumpta confirmatione, & approbatione munita, per quæ, ut agnationum, & familiarum nobilitas, & decor, mediantibus bonis, & divitiis conſerventur, inteſtatæ ſucceſſiones agnatis maſculis, excluſis fœminis, aliiſque per eas cognatis, intra certos reſpectivè gradus, deferuntur.

ARGUMENTUM.

Sub nomine Status Eccleſiaſtici quænam loca veniant, & qualis ſit Status immediatus, & qualis mediatus, illeque deſcribitur, atque in Legationes, & Gubernia diſtinguitur; & de Statutis locorum dominantium quomodo attendi debeant in locis ſubjectis.

SUMMARIUM.

1 *QVare Conſtitutio reſtringatur ad Statum Eccleſiaſticum Italiæ.*
2 *Quare diſtinguatur iſte Principatus, & recenſeantur ſingulorum locorum ſtatuta.*
3 *In concurſu ſtatutorum particularium loci ſubditi, & illorum Civitatis dominantis attenduntur propria, in quorum ſubſidium attenduntur illa Civitatis dominantis.*
4 *Quid ubi diſponitur, ut in caſu omiſſo per ſtatutum particulare recurratur ad ius commune, de quo iure intelligi debeat.*
5 *De diverſis ſpeciebus Civitatum dominantium, earumque ſtatutorum & de diſtinctione inter veras dominantes, & improprias.*
6 *Quæ ſit ratio concluſionis, de qua n. 4. & 5.*
7 *Quale ſit verum, & proprium ius commune Principatus.*
8 *De tertia ſpecie illarum Civitatum dominantium, quæ verò fuerunt tales, nunc autem non ſunt.*
9 *Quale ſit ius commune in Statu Eccleſiaſtico.*
10 *Caſtra, & loca diſtrictus, vel comitatus ſi erigantur in feudum, & concedatur alteri, an deſinant eſſe de diſtrictu, etiam quoad ſtatuta, & collectas.*
11 *Qualis dicatur Status Eccleſiaſticus immediatus, & qualis mediatus, & de differentia inter loca infeudata pleno iure, & illa quæ ſunt ſub Baronibus & Domicillis.*
12 *De generali deſcriptione Status Eccleſiaſtici Italiæ, cum diſtinctione Legationum, & Guberniorum.*
13 *De Vrbe Roma, eiuſque diſtrictu.*
14 *An Roma ſit communis Patria, & de apprehenſis in Curia.*
15 *De Civitatibus Metropoliticis propriis, & impropriis.*
16 *Statuta Vrbis quantum ſe extendant.*
17 *Non ſunt leges Pontificiæ, ſed Civitatis.*
18 *Quod non comprehendant perſonas eccleſiaſticas.*
19 *Qualis ſit diſtrictus Vrbis.*
20 *Quæ ſtatuta habeantur in Vrbe de ſucceſſione inteſtata.*
21 *Et de ſtatutis in ſucceſſionibus teſtamentariis.*
22 *Deſcribuntur loca exiſtentia intra diſtrictum Vrbis, & quænam habeant ſtatuta particularia.*
23 *De Legatione Civitatis Bononiæ, eiuſque pertinentiis.*
24 *De Legatione Civitatis Ferrariæ, eiuſque pertinentiis.*

25 *De Legatione Status Vrbini, einſque diviſione in varios Principatus, & dominia.*
26 *De Legatione Provinciæ AEmiliæ, ſeu Romandiolæ, einſque Civitatibus, & Locis.*
27 *De Gubernio Marchiæ, vulgo Maceratæ.*
28 *De Gubernio Vmbræ, vulgo Peruſii.*
29 *De Gubernio Patrimonii, vulgo Viterbii.*
30 *De Gubernio Maritimæ, & Campaniæ, vulgo Fruſinoni.*
31 *De Gubernio Anconæ.*
32 *De Gubernio Principatus Firmani.*
33 *De Gubernio Spoleti.*
34 *De Gubernio Camerini.*
35 *De Gubernio Aſculi.*
36 *De Gubernio, ſeu Præſidatu Montis Alti.*
37 *De Gubernio Vrbis veteris.*
38 *De Gubernio AEſino.*
39 *De Gubernio, ſeu Præfectura Nurſiæ.*
40 *De Gubernio Beneventi.*
41 *De Gubernio Fani.*
42 *De Gubernio Civitatis Caſtelli.*
43 *De Gubernio Fabriani.*
44 *De Gubernio Sabinæ.*
45 *De Gubernio Sancti Severini.*
46 *De Gubernio Reatis.*
47 *De quibuſdam aliis inferioribus guberniis non dependentibus ab aliis, de quibus ſupra.*
48 *De aliis Provinciis, Civitatibus, & Locis Italiæ, in quibus eadem vigent ſtatuta.*
49 *De aliis Provinciis, & Populis extra Italiam.*

§. II.

REſtringitur Conſtitutio ad leges, & ordinationes Civitatum, Oppidorum, & Locorum Status Ec-
1 cleſiaſtici Italiæ, excluſivè ad alteram temporalem Romanæ Eccleſiæ ditionem in Gallia, conſiſtentem in Civitate avenionenſi cum annexis, & in Statu, ſeu Comitatu Venayſino, quoniam illorum populorum non ſupervenerunt illæ preces, & inſtantiæ, quæ ab iſtis Italiæ habitæ ſunt, ac etiam quia praxis docet, ibi non adeſſe, vel ſaltem non ita frequentes lites, & controverſias ſuper hujuſmodi ſtatutorum, & ordinationum interpretatione, ideoque de hac reſtrictione interrogatus, & cur illi ditioni pariformiter conſultum non fuerit, aſſignatis præfatis rationibus, reſpondi, quod ſi illi populi judicabunt ibi quoque idem expedire, de facili poterunt pro extenſione ſupplicare, probabiliter non deneganda.

Opportunum autem videtur, quantum fieri poteſt, recenſere quænam ſint ſtatuta, & ordinationes, quæ in hac ſucceſſionum materia in iſto Principatu habentur, & quomodo diſponat, & ſuper quibus diſputationes ha-
2 bitæ ſint, ut ita facilius dignoſcatur juſta cauſa, ob quam ad iſtam legem devenire opportuit, ac etiam ut ita diſtinguatur eorumdem ſtatutorum, & proviſionum diverſa diſpoſitio, cum non omnia eumdem habeant tenorem, neque eumdem operentur effectum; cumque idem Principatus, ultra Urbem, ejuſque diſtrictum, in plures diſtinguatur Legationes, Præſidatus, Præfecturas, & independentia Gubernia, idcirco eadem diſtinctio deſuper adhibetur, ut infra.

Sed quoniam quamplures Civitates habent proprium diſtrictum, vel comitatum, qui intra ejus fines quamplura Oppida, Caſtra, & Loca complectitur, unde propterea Civitas titulum, ſeu nomen dominantis habet, in pleriſque verò hujuſmodi diſtrictualibus, vel comitatenſibus Oppidis, Caſtris, & Locis propria, & particularia adeſſe ſolent ſtatuta, in aliquo diverſificantia à ſtatutis, & legibus Civitatis dominantis, idcircò antequam ad præfatam diſtinctionem deveniatur, prænotanda eſt recepta regula, ſeu concluſio, quod in concurſu
3 ſtatutorum generalium Civitatis dominantis, & ſtatutorum particularium illius loci, in quo ſucceſſio aperiatur, atque reſpectivè perſonæ, & bona exiſtunt, iſta propria, & particularia illis prævalent, atque magis attendi debent, & juxta eorum diſpoſitionem procedendum eſt; ad generalia verò Civitatis dominantis recurrendum eſt in ſubſidium, & quatenus particularia non diſponant, vel etiam ubi adſunt, ſed ambigua ſint, adeo ut egeant interpretatione deſumenda à ſtatutis generalibus Civitatis dominantis, ad quæ in caſibus omniſſis eſt recurrendum. *a*

Quæſtione cadente, quando ſtatutum particulare loci inferioris diſponit, ut in caſibus in eo non diſpoſitis recurri debeat ad Jus commune, an iſtud juris communis vocabulum congruat potius juri loci dominantis, quod omnibus civibus, & diſtrictualibus eſt commune, vel potius juri civili Romanorum, juxta compilationem 4
Juſtiniani, quod ubique commune dicitur; Atque ubi cum conſueto modernorum Pragmaticorum ſtylo procedendum ſit cum ſola cœca fide auctoritatum, & quid magis, præſertim in Curia ſit receptum, iſta poſterior pars dicenda eſt verior, & ſequenda, utpotè magis communiter apud modernos recepta, & per Rotam firmata, rejecta contraria ſententia, quæ anteſignanum habet *Roman. b*

Verum pro meo ſenſu frequenter ſub diverſis materiis explicato, error eſt cum hac generalitate procedere, quoniam iſta dicenda videtur quæſtio voluntatis, ideoque facti potius, quàm juris, ex ſingulorum caſuum 5
qualitate, & circumſtantiis decidenda; atque in primis pro quadam regula generali adhibenda videtur diſtinctio pluries in Theatro tradita *c* inter Civitates, quæ comparativè ad Caſtra, & Loca exiſtentia intra earum diſtrictum, vel comitatum, & ob aliquam dependentiam, quæ iſta habent ab illis, dicuntur dominantes, impropriè tamen, quoniam ipſæ ſunt Equè ſervæ, & ſubditæ communi domino, & Principi, ideoque verum, ac plenum non habent dominium, & illas Civitates, quæ habent verum, & plenum dominium locorum ſubjectorum cum mero, & mixto imperio, & cum jure Principatus, & cum facultate condendi leges, eaſque revocandi, vel eis diſpenſandi; In prima namque ſpecie Civitatum ſubditarum non habentium jura imperii, & ſupremi Principatus, cum facultate condendi leges, verior, atque ſe- 6
quenda videtur poſterior opinio, ut ſub nomine juris communis veniat jus civile, non autem ſtatutarium; non quidem pro meo judicio ex leguleica ratione aſſignata per Bald. *d* cum quo alii pertranſeunt, quod ſcilicet ex diſpoſitione text. *in §. ſed quoties, & §. autem Inſtit. de iur. natural. gent. & civil.* ſub nomine juris communis veniat illud Romanorum, non autem illud, quod ſit particulare alicujus Civitatis, cum revera iſta ratio hodie non procedat, attenta hiſtoria legali, de qua infra; ſed quia hujuſmodi Civitatum ſubditarum jus non habet veram, & propriam naturam legis, quæ omnibus ſit communis, cum ſolum liget ſubditos ſubalternos, unde propterea ei congruit vocabulum, ſeu terminus legis municipalis, quæ ad differentiam juris communis, ex communi uſu loquendi, explicari ſolet cum vocabulo ſtatuti; Ac etiam probabilius, quoniam dum Communitas loci inferioris, vel diſtrictualis condere voluit propria ſtatuta, ita ejus animum declaraſſe cenſetur, nolle vivere cum legibus Civitatis dominantis, ſed cum propriis, & in iſtarum defectum cum illis, quæ omnibus ſunt communes, idque congruam habet rationem, quoniam quantum docet quotidiana praxis, ut plurimum inter Civitatem dominantem, & Caſtra, & Loca diſtrictus, vel Comitatus vigere ſolet quædam æmulatio, quinimò in Congregatione Boni Regiminis, & in altera Conſultæ audiuntur in hoc Principatu frequentes lites, & diſcordiæ non leves inter Civitates, & Caſtra, ſeu Loca diſtrictualia, ſeu Comitatenſia. Verum iſta opinione retenta, illa ſolum operatur quamdam juris præſumptionem, contrariis probationibus, imò fortioribus præſumptionibus elidibilem, cum revera, ut præmiſſum eſt, non ſit quæſtio juris, ſed facti, & voluntatis.

In altera verò ſpecie illarum Civitatum, quæ verè, & propriè ſunt Metropoliticæ, & dominantes, quia jura Imperii, & Principatus habentes, leges jure ſuo condant, atque Oppidorum, Caſtrorum, & Locorum intra earum fines exiſtentium dominium etiam juriſdictionale, & territoriale cum imperio habeant, & tunc ſecus dicendum; Tum quia res non provenit à voluntate inferiorum, qui in proprio loco particularia ſtatuta condiderunt, ſed à defectu poteſtatis, dum ſolum ex licen- 7
tia, vel tolerantia ipſius Civitatis ſuperioris in caſibus expreſſis attenduntur; tum etiam quia, ut alibi advertitur, *e* reflectendo ad ibi enunciatam hiſtoriam legalem, de

qua

qua latius alibi *f* verum, ac proprium, & primarium jus commune in ea ditione eſt illud proprii Principis, vel propriæ Civitatis dominæ, & imperantis, cui malè adaptatur terminus, vel vocabulum ſtatuti, vel juris municipalis; ideoque in iſtius defectum ſubintrat jus commune Romanorum, potius ex auctoritate proprii Principis vel Civitatis, quàm ex illa Imperatoris Juſtiniani, atque in hoc ſenſu loqui videtur Roman. *d. conſ.* 218. qui propterea immeritò reprobatur. *g*

8 Obiici verò poterit quod ad rem noſtram, iſta ſit inutilis digreſſio, ex eo, quod in Statu Eccleſiaſtico non adſunt Civitates habentes ſub ſe Oppida, Caſtra, & Loca in pleno dominio juriſdictionali, & imperio, ut prius habebat antiqua Roma, & nunc in Italia habent Civitates Venetiarum, Januæ, Florentiæ, Senarum, Lucæ, & ſimiles, quamvis aliquarum regiminis forma immutata ſit ex Ariſtocratico, vel Democratico, aut Oligarchico in Monarchicum; Verum ſi benè conſiderentur hiſtoriæ, cenſenda non erit inutilis digreſſio, quoniam, ut præſertim advertitur in Feudali Sede; *h* Sub diverſis temporibus, juxta notas Italiæ calamitates, & revolutiones, præſertim verò de tempore abſentiæ Sedis Apoſtolicæ ab ea, quando ſpatio annorum circiter 70. à Clemente V. uſque ad Gregorium XI. reſidentiam habuit in Civitate Avenionenſi, & partim de tempore teterrimi, & longævi ſchiſmatis annorum circiter 44. ab Urbano VI. ad Martinum V. ac etiam poſteà, ob alia accidentia, pleræque Civitates libertatem ſibi vindicando, ſe conſtituerunt in Statu Reipublicæ, à quo poſtea tranſierunt ad proprios tyrannos reſpectivè, ideoque cum locis intra earum diſtrictum exiſtentibus, vel alias conquiſitis, tamquam Dominæ cum Imperio, & jure Principatus ſe geſſerunt, ac propterea licet id poſtmodum ceſſaverit, atque ad priſtinam Sedis Apoſtolicæ obedientiam, ac ſubjectionem redierint, adhuc inſpiciendum eſt pro lata, vel reſpectivè ſtricta hujuſmodi legum interpretatione, aliiſque effectibus, de quo tempore conditæ ſint, ob magnam differentiam, quæ dignoſcitur inter leges conditas à Domino, & Principe habente, vel exercente poteſtatem legis condendę, & leges conditas à Civitate ſubdita; *i* Atque ad id reflectendum venit pro congrua intelligentia.

9 Retenta item dicta opinione magis recepta, ut jus commune, non autem particulare Civitatis dominantis attendi debeat, quamvis Doctores, uno alterum de more tranſcribente, ſe reſtringant ad illud jus commune Romanorum, quod Civile dicitur, juxta compilationem Juſtiniani; Attamen in hoc Pontificio Principatu id continere videtur errorem, quoniam, ut advertitur in Judiciorum Sede; *l* Jus commune iſtius Principatus eſt Jus Canonicum, in cujus defectum, & quando ipſum non diſponit, ſubintrat præfatum jus civile, quod tamen in hac materia ſucceſſionis pro frequentiori contingentia, etiam in hoc Principatu attendendum venit, eo quia jus canonicum in hac materia nil diſponere videtur, ſed quando in iſta, vel in altera materia diſponeret, tunc iſtud dicendum eſt jus commune, quod ad rem noſtram conſideratione dignum eſt pro deciſione quæſtionis, de qua infra in §. XIII. ſuper computatione graduum, an juxta unius, vel alterius juris diſpoſitionem facienda ſit.

Poſito item, quod Oppida, Caſtra, & Loca diſtricta, ceſſante proprio, ac particulari ſtatuto, vivant cum ſtatutis, & legibus Civitatis dominantis, altera
10 diſputari ſolet quæſtio, quid dicendum ſit, ſi aliqua ex hujuſmodi Caſtris, vel Locis concedantur alicui in feudum, vel Baroniam cum juriſdictione, & imperio, an exinde ſequi dicatur talis diſmembratio, ut dictis ſtatutis, & legibus Civitatis dominantis ſubjacere non debeant, ideoque potius regulanda ſint cum diſpoſitione juris communis, & ſuper quo puncto ſufficit ſe referre ad ea, quæ habentur in Theatro, *m* dum nimia digreſſio eſſet iſtam quæſtionem formiter hic examinare, potiſſimè quia neque otium concedit, & conferunt in idem ea, quæ habentur in eodem Theatro *n* ſuper quæſtione an Caſtra, & Loca ita erecta in feudum, & diſmembrata, deſinant eſſe de territorio Civitatis dominantis, ad effectum collectarum, aliorumque onerum, quod etiam diſputatum fuit in Anconitana Caſtri Ferretti in Congregatione particulari deputata, ac etiam in Congregatione Avenionen. in Avenionen. feudi, ſeu collectarum, ſuper qua Deo annuente habebitur votum in Diverſorio.

His itaque prænotatis, atque deſcendendo ad præmiſſam diſtinctionem iſtius Principatus, ad effectum dignoſcendi ubi nam hujuſmodi ſtatuta feminarum, & cognatorum excluſiva vigeant, & quomodo inter ſe differant; Illud quoque prænotandum venit, quod antiqui Doctores, cum quibus moderniores abſque alio diſcurſu in ſola verbali auctoritate procedunt, ut diſtinguerent ditionem temporalem Eccleſiæ ab aliis ditionibus Principum ſæcularium, illos terminos adhibere conſueverunt, Terrarum Eccleſiæ, & Terrarum Imperii; Cumque de terris Eccleſiæ aliquæ in magna parte eſſent infeudatæ in feudum majus, veræ dignitatis cum regalibus, ac jure Principatus, adeout de facto diverſos Principatus conſtituant, ſe prætendentes Principes merè temporales, non autem eccleſiaſticos, ut ſunt Regnum Siciliæ, ſeu Neapolis, & Ducatus Parmæ, & Placentiæ, ac prius ante devolutionem erant Ducatus Ferrariæ, & Ducatus Urbini, in quibus occaſione præſertim tex. *in cap. cum eſſes de teſtam.* nimium diſputant Doctores, an jus canonicum etiam in profanis attendi debeat, illudque juri civili prævalere; exinde nonnulli putarunt, ac putant, quod iſta loca ſic infeudata veniant ſub nomine, ſeu vocabulo Status Eccleſiaſtici mediati, ad differentiam illius Status, qui immediatè regitur per Papam, quodque propterea cum in conſtitutionibus, aliiſque proviſionibus Pontificiis ſuper regimine temporali Status Eccleſiaſtici dici ſoleat, ita diſponi in univerſo ſtatu, tam immediato, quàm mediato, ut etiam in hac noſtra Conſtitutione habetur, de præfato ſtatu mediato quoque ædem conſtitutiones, & proviſiones intelligi debeam eſſe. Verum id continere videtur æquivocum, quoniam licet dicta feuda majora, directi dominii, & feudalitatis ratione dicantur etiam de terris Eccleſiæ, ad differentiam terrarum Imperii, & ne de iſtis dici valeant; attamen pro loquendi uſu in hujuſmodi proviſionibus, quæ Principatus, & populorum regimen, & adminiſtrationem concernunt, ſub nomine Status Eccleſiaſtici venit ſolum illa ditio inferius deſcribenda, quæ eſt ſub omnimodo gubernio, imperio, & juriſdictione Papæ, ut occaſione agendi de Bulla Baronum advertitur in Theatro; *o* Illa verò verba *Status tam immediati, quàm mediati* adiici ſolent reſpectu illorum Oppidorum, Caſtrorum, & Locorum, quæ jure minoris feudi proprii, vel impropriì poſſidentur per Barones, & Domicellos, quorum dominium eſt tantum utile, magiſque ſubordinatum alto, & directo dominio, quod pleno jure eſt penes Papam, adeout quandam perpetuorum Gubernatorum figuram potius quam feudatariorum facere vel perſonam gerere dicantur ac propterea talia loca dici non poſſunt diſmembrata à principatu, & conſtituere diverſam, & ſeparatam ditionem, & ſic eſt quædam mediatio impropria, cujus tamen mentio fieri ſolet ad dirimendam omnem quæſtionem, quæ fortè antiquioribus temporibus vigere ſolebat, quando hujuſmodi Barones aliquam de facto ſibi aſſumere ſolebant majorem licentiam, & de quibus diſtinctionibus habetur quoque actum in ſuperius enunciato Opuſculo Italici idiomatis, cui titulus eſt, *il Principe prattico, cap.* 47.

Diſtinguendo itaque illum Statum Eccleſiaſticum Italiæ, de quo, ut ſupra noſtra Conſtitutio loquitur, juxta præſentem gubernii formam, neglectis illis antiquioribus variis diviſionibus, quas hiſtoriæ docent, atque procedendo cum ordine, vel ſcala Conſultæ, abſque eo quod alicui præjudicetur, illum conſtituunt Urbis Roma cum ejus diſtrictu; Quatuor Cardinalitiæ Legationes, Civitatis nempè, & Comitatus Bononiæ, Status Ferrariæ, Status Urbini, & Provinciæ Æmiliæ, ſeu Romandiolæ; Et Gubernia, quorum aliqua Preſidatus, vel Prefecturæ nomen habent, & quandoque legationis nempe Provinciæ Marchiæ, vulgò Maceratæ, Provinciæ Umbriæ, vulgò Peruſii, Provinciæ Patrimonii, vulgò Viterbii; Provinciæ Campaniæ, & Maritimæ, vulgò Fruſinoni; Et Civitatum Anconæ, Firmi, Spoleti, Camerini, Aſculi, Montis-Alti, Urbis-veteris, Æſii, Nurſiæ, Beneventi, Fani, Civitatis Caſtelli, Fabriani, Sabinæ, S. Severini, Reatis, & aliquorum locorum independentium, quare de illis diſtinctè agendo.

De

De Urbe Roma cum ejus Diſtrictu.

ANtiquis Romanorum legibus, ac ſacris, & profanis Scriptoribus Romam appellantibus Patriam omnium communem, totiuſque Orbis caput, Metropolim, Dominam, & Magiſtram; Aliqui moderni, ad 13 temporum, & rerum diverſitatem non reflectentes, præſertim verò Pragmatici Juriſtæ cum conſueta leguleica ſimplicitate, & cum ſola auctoritatum littera procedentes, ad præſens quoque eidem Civitati prefata attributa congruere credunt, preſertim verò prætatis legibus innixi, ut communis patria ſit, opinantur quod perſonaliter in ea apprehenſi de ejus foro efficiantur, illumque declinare non valeant, quamvis nulla hujus fori competentiæ accedat ratio, originis, vel domicilii, ſive contractus, aut delicti, vel rei ſitę. Clarum autem errorem id continet, quoniam poſt diſſolutum antiquum Roma- 14 num Imperium, adeoque magnam rerum Mundi ſequutam immutationem, omnia hęc attributa in ſęculari, ſeu profana Roma evanuerunt, ac perierunt, illis reſpectivè adhuc durantibus in Roma ſacra, potius tamen formali, quam materiali, tamquam loco reſidentiæ Summi Pontificis, ejuſque Curię, quę Romana dicitur, non ratione ipſius materialis Civitatis, ſed ratione Summi Pontificis, cujus reſidentię loco, ubicumque ſit, iſta metropolitica qualitas congruit, ut de his latius in Relatione Romanę Curię *diſc.* 1. *&* 2. ac etiam occaſione enunciati articuli, an apprehenſio in Curia inducat, nec ne fori competentiam, alibi habetur; *p* Ad rem verò noſtram, agitur ſolum de hac particulari Civitate in pro- 15 fanis, conſiderata tanquam una ex Civitatibus, & Locis hujus Principatus, cujus neque veram habet metropoliticam qualitatem, quę impropriè ſolum, & de facto in ea concurrere videtur, ratione reſidentię Principis, ejuſque Curię, & Tribunalium, eodem modo, quo contingit in Civitate Neapolis reſpectu illius Regni, aliiſque ſimilibus, ut in pleriſque locis advertitur, latius verò, & clarius in enunciato opuſculo *de Principe practico*, *cap.* 5. *&* 48. Unde propterea dicitur ſolum Civitas dominans reſpectu Oppidorum, Civitatum, Caſtrorum, 16 & Locorum exiſtentium intra ejus diſtrictum, cum illa pariter dominatione impropria, quę conſideratur in aliis Civitatibus ſubditis, ex ſola ratione comitatus, vel diſtrictus, non autem in dominatione vera, & propria pleni dominii, & imperii, juxta diſtinctionem, de qua ſuprà; ac propterea ejus ſtatuta municipalis jure cenſenda ſunt, ad inſtar ſtatutorum aliarum Civitatum ſubditarum, in quarum territorio, ſeu diſtrictu Oppida, Caſtra, & loca exiſtant, ut in eis eadem ſtatuta ſervanda ſint, eodem modo, quo in Civitate, quatenus tamen propria, & particularia ipſius loci ſtatuta non adſint, vel extantia non diſponant de caſu controverſo, minuſque relatio ad jus commune habeatur, ut ſuprà.

17 Quamvis enim hæc ſtatuta Urbis, immutata eorum antiqua forma ſub Gregorio XIII. ad illam, quam de præſenti habemus, commentata per Fenzon. & Galganet. redacta ſint de ejuſdem Pontificis mandato, à quo etiam approbata, & confirmata fuerunt; non per hoc tamen leges Summi Pontificis, vel ſupremi Principis dicendæ ſunt, ſed leges particulares, ac municipales ipſius Civitatis, ejuſque diſtrictus, cum Pontificia approbatio, & confirmatio earum naturam non immutante, ſed ſolum operetur validitatem ob juris communis regulam, fortius verò in hoc Principatu, ob Ægidianam conſtitutionem, ut ſubditæ Civitates, & Loca, leges, & ſtatuta ſine Principis licentia, & approbatione condere non poſ- 18 ſint, ut etiam habetur infra in §. VII. Quinimò hæc approbatio, juxta ſenſum modetniorum in praxi magis receptum, facta cenſetur per Papam uti Principem temporalem, non autem uti Papam; vel uti Epiſcopum, ut propterea non comprehendant Eccleſias, & perſonas, ac res eccleſiaſticas, niſi ubi expreſsè dicatur, vel per verba adeò generalia, & effrenata, ut eadem voluntas comprehendendi dignoſcatur, ex iis, quæ habentur alibi deducta. *q*

Qualis autem ſit Urbis diſtrictus, tam ad effectum operationis ſtatutorum, quàm etiam illius cumulativæ juriſdi- 19 ctionis, quam etiam in prima inſtantia intra illum habent Senator Urbis, & Curia Capitolii, nec non Gubernator Urbis, & Auditor Cameræ, ſive ad effectum exemptionum, & privilegiorum Civium Romanorum à collectis, aliiſque oneribus, vel ad effectum juris paſcendi cum ſimilibus, de quibus in ſuis ſedibus agitur. *r* Loquendo ſolum de diſtrictu temporali ut ſuprà, non autem de diſtrictu ſpirituali Epiſcopatus particularis Urbis, vel ejus Provincia, de quo alibi agitur. *ſ* Antiquitus, & prius quàm ſub enunciato Gregorio Decimotertio, ſequerentur Statutorum Urbis reformationes in ea forma, quæ hodiè habetur, id videbatur nimium incertum, adeò, ut frequentes eſſent controverſiæ ſuper aliquorum locorum comprehenſione in hoc diſtrictu, ut præſertim de Tiburtina Civitate ſequebatur, quoniam ille certum, ac determinatum non habebat ambitum, ſed ſolum de diſtrictu Urbis dicebantur illa loca, in quibus verificabantur requiſita ſalis, & focatici. *t* Hodie verò ad hujuſmodi dubietates, & frequentes controverſias dirimendas, juxta dictas novas reformationes, ſtatutum eſt, ut ſublata dicta differentia ſalis, & focatici, diſtrictus complectatur ambitum, ſeu circuitum quadraginta milliarium circumcirca ipſam Urbem, ex territorio tamen Status Eccleſiaſtici, ut in locis citatis advertitur.

In hoc itaque propoſito inteſtatæ ſucceſſionis, & exclu- 20 ſionis fœminarum, & cognatorum propter maſculos agnatos, in Urbe habentur duo Statuta, nempè juxta modernas reformationes, *cap.* 245. *&* 146. In quorum primo diſponitur quod ſi quis inteſtatus deceſſerit ſuperſtitibus filiis maſculis, ſive nepotibus maſculis ex ejuſdem filiis maſculis prædefunctis, filiæ, vel neptes fœminæ, ſi jam ſunt dotatæ, nil petere valeat, ſed contentæ ſint ſuis dotibus; ſi verò non fuerint dotatæ, teneantur maſculi eas dotare de paragio; ſin minus ſuccedant cum maſculis, prout jura diſponunt; ipſæque filiæ fœminæ, nec matres, nec aviæ in concurſu dictorum maſculorum ſuccedant, atque de hoc ſtatuto in aliquibus locis agitur. *u*

In altero autem *cap.* 146. agitur de ſucceſſione collateralium, quod ſcilicet fratri ſine filiis decedenti ſuperſtites fratres maſculi, tam utrimque, quàm ex latere paterno tantùm conjuncti, vel eorum prædefunctorum filii maſculi ſuccedant, excluſa matre, præterquàm à legitima, & excluſis ſororibus, & amitis etiam utrimque conjunctis cum eadem obligatione illas dotandi, quatenus non ſint dotatæ, reſervata diſpoſitione juris communis in ſucceſſione matris, & de hoc etiam ſtatuto agitur in locis ſupracitatis; ejuſque particula regiſtratur in fine Operis, eritque in ordine la 181.

Prout etiam in excluſionem fœminarum, favore ma- 21 ſculorum, in caſu teſtamentariæ ſucceſſionis adeſt ſtatutum *cap.* 141. per quod filiæ fœminæ dotatæ, vel dote eis deſtinata, acquieſcere debent judicio patris diſponentis favore collateralium de agnatione; de hoc autem ſtatuto agitur infra in §. XIX. ubi de ſucceſſionibus teſtamentariis, ibique circa dotem fœminarum expenditur differentia, quæ dignoſcitur inter hoc ſtatutum 141. & dictum ſtatutum 145. circa punctum, an dos ſuccedat, nec ne loco legitimæ, & de hoc agitur in Sede Legitimæ *x* atque in eodem §. XIX. inſinuantur alia ſtatuta 143. & 144. circa filios illegitimos, in quo ſuccedant, & quantum eis relinqui poſſit, de quibus ſtatutis agitur in Sede Teſtamentorum. *y*

Sub dicto autem moderno circumdario quadraginta milliarium circumcirca, juxtà novas reformationes conſtituente diſtrictum temporalem Urbis, multæ continentur Civitates, Oppida, Caſtra, & Loca inferiùs recenſenda, cum diſtinctione, quænam ſint baronalia, & quæ non, dum in baronalibus adiicitur littera B. ipſarumque aliqua ſunt ſub diverſis Provinciis, & Gubernis, nempè ſub illa Patrimonii, ſeu Viterbii, & ſub altera Campaniæ, & Maritimæ reſpectivè, atque intra ipſummet diſtrictum adeſt Gubernium Sabinæ, quod quodammodo efformare videtur quamdam parvam Provinciam, ob multitudinem locorum ſub illo cadentium, ſeu veriùs conſtituere videtur unam Civitatem ſparſam, ac diviſam in quamplures pagos, ſeu villas, juxtà ſpeciem illarum Civitatum, & Locorum, quæ ſunt in Regno Neapolitano, præſertim in Provincia Principatus Citra *z* inter quas eſt Civitas Cavarum propè Salernum ita diviſa in fortè majorem numerum Pagorum, & Caſtrorum, ibi vulgò caſalium, quàm ſit iſta Provincia Sabinæ; id autem non tollit iſtam qualitatem diſtrictualem Urbis, quoniam ſtant ſimul, ut hæc loca ſint ſub proprio, & particulari Gubernio, etiam Præ-

lati-

latitio, ut ſunt enunciatum Gubernium Sabinæ, & alterum Tiburtinæ Civitatis, vel ſub Gubernio dictarum Provinciarum, vel ſint ſub propriis Baronibus, & Domicellis; & tamen ſint etiam de diſtrictu ad effectum comprehenſionis ſub ſtatutis, ac etiam ad alium effectum ſupra enunciatum concurſus cumulativi, tam Fori Capitolini, quàm Gubernatoris Urbis, & Auditoris Cameræ cum propriis Gubernatoribus, vel Baronibus, ad inſtar illius cumulativi concurſus, quem etiam in prima inſtantia habet Vicarius Urbis cum ſex Epiſcopis Cardinalibus in Diœceſibus, & locis exiſtentibus de diſtrictu ſpirituali.

Civitates autem, Oppida, Caſtra, & Loca intra iſtud circumdarium exiſtentia, non inutiliter deſcribuntur ad plures effectus, ad quos id ſcire proficuum eſſe poterit, præſertim verò ad rem noſtram, ad diſtinguendum ubi nam in materia, de qua agitur, adſint ſtatuta propria, & particularia, cum quibus procedendum ſit, ut ubi deſint, cum Statutis Urbis procedi debeat; illaque ordine alphabætico diſpoſita ſunt ad tollendam omnem dubitationem circa eorum nominationem per prius, & poſterius; Sunt autem.

CIVITATES.

ALbanen. B.
Anagnina.
Aquipendii, quæ habet ſtatutum fœminarum excluſivum, prout ex particula in calce operis impreſſa, particula 10.
Bracchianum B. habet conſimile ſtatutum, ut ex particula 28.
Civitatis Caſtellanæ.
Corana habet ſtatutum, ut ex particula 62.
Hortana, quæ idem habet ſtatutum impreſſum infra in particula 82. & de quo meminit Rota in Hortana, reintegrationis 2. Decembris 1680. coram Rondinino.
Hoſtienſis diruta.
Nepeſina.
Portuenſis diruta.
Prænestina B.
Sabineñ diruta.
Signina B.
Sutrina, quæ habet ſtatutum fœminarum excluſivum, prout ex particulis 163. in calce, & de quo agit Gabr. *conſ.* 4. *lib.* 2.
Tyburtina habet pariter ſtatutum, ut in particula 169. de quo differit Bich. *deciſ.* 88. *n.* 1. *&* 2.
Tuſculana.
Veliterna habet ſtatutum, ut infra particula 172. quod examinat Rot. poſt Michalor. *ac fratr. deciſ.* 18. *num.* 4.
Reatina eſt in quæſtione, atque probabilior reputatur negativa.

Oppida verò, & Loca digna conſideratione, neglectis parvis caſtris, & pagis, ſunt.

Affilis.
S. Angeli B.
Anguillaria B. ubi viget ſimile ſtatutum impreſſum in fine, particula 6. & de quo meminit Spad. *conſ.* 318. *tom.* 3.
Anticuli B.
Arcis Antiquæ B.
Arcis Cantorani.
Arcis Cavarum B.
Arcis Gandulphorum.
Arcis Juvenis.
Arcis Maximorum B. ubi per ſtatutum excluduntur fœminæ, prout in ejus particula in ordine la 11.
Arcis Mediæ.
Arcis Papæ B.
Arcis Prioris.
Arcis Sinibaldæ B.
Arcis S. Stephani.
Arcis Victianæ.
Ardea B.
Aricia B.
Arſoli B.
Aſcrea B.
Aſpera.
Auſta.
Balnearia, ubi adeſt conſimile ſtatutum, prout ex particula 20.
Barbaranum.
Baſcianum B.
Baſſanum Sutrinum B.
Baſſanum Hortanum.
Baſſanellum B. habet ſtatutum fœminarum excluſivum, ut in particula 21.
Belmontis B.
Bleda.
Bocchignianum.
Bomartis B.
Burgettum.
Calcatæ B.
Calvi, ſeu Carbi.
Cameratæ.
Campanianum B. habet ſtatutum, de quo in particula 35. & de quo agit Rot. *deciſ.* 267. *p.* 16. *&* *dec.* 94. *p.* 17.
Canepina.
Canis mortui B.
Cantalupum B.
Cantorani.
Capranica habet ſtatutum, ut in particula 38.
Capranica Prænestin. B.
Caprarola.
Carbognianum B. ubi per ſtatutum diſponitur de fœminarum excluſione in particula 39.
Carpinetum B. idem habet ſtatutum, ut in particula 40.
Caſtri Juliani B.
Caſtri Madamæ B.
Caſtri novi.
Caſtri novi in Sabina.
Caſtri S. Eliæ.
Caſtri S. Petri.
Caſtri veteris B.
Catinum B.
Cavarum.
Ceræ B.
Cerchiara.
Cerreti.
Cervarta.
Cerveteris B. habet ſtatutum fœminarum excluſivum, ut in particula 51.
Cæſanum B.
Ciciglianum B.
Cicignianum.
Cincianum B.
Ciſterna B.
Civitas Lavinia B.
Civitas Vetula, ubi eadem viget Statutaria diſpoſitio, de qua in particula 59.
Civitella Canis mortui B.
Civitella Cæſia B.
Civitella Sublacen.
Collis Ferri.
Collis Pardi B.
Collis parvuli B.
Collis veteris.
Columna B.
Confinii.
Contilianum.
Corchianum.
Cotanellum.
Cretonis B.
S. Eliæ Reatis.
Fabrica B.
Fara.
Farfa.
Felicianum B.
Filectinum.
Flavianum, vulgò Fianum B.
Flavianellum, ſeu Fianellum B.
Folia B.
Foranum B.
Formellum B. habet Statutum fœminarum excluſivum, ut in particula 72.

Fra-

Fraxum B.
Gabinianum B.
Galleria B.
Galleſium B.
Gallicanum B.
Genazanum B.
Geneſtra B.
Genne.
Gerani.
Gorga B.
Graffignianum B.
S. Gregorii B.
Guarceni.
Inſula.
S. Joannis Reatis.
Jovium B.
Julianelli B.
Licentia B. ubi per ſtatutum de fœminarum excluſione diſponitur, ut in particula 86.
Lipignianum.
Longonium.
Lugnanum B. ubi pariter feminæ excluduntur per ſtatutum, cujus particula eſt la 87.
Lugnula.
Malianum.
Malianum Reatis.
Maranum.
Marenum B.
S. Martini B.
Mazzanum B.
Mentana B.
Molaria B.
Monpæum B.
Monteranum B.
Montis Aſulæ.
Montis Boni.
Monticellorum B. cujus Statuti feminarum excluſivi adeſt infra impreſſa particula in ordine la 99.
Montis Compatrum B.
Montis Flavii B.
Montis Fortini B.
Montis Lanici.
Montis Libretti B.
Montis Portii B.
Montis Roſoli.
Montis Rotundi B.
Montis S. Joannis.
Montis S. Mariæ.
Montis S. Pauli.
Montis Virgilii B.
Montopolum.
Montorium Sabinen. B.
Montorium Peteſiæ B.
Moriconis B. habet ſtatutum ut in particula 119.
Morlupum B. habet pariter ſtatutum, de quo in particula 120.
Morolum B.
Nazanum B.
Nerula B.
Nemi B.
Norma B.
Neptunum.
Olibanum B.
S. Oreſtis, ubi reperitur ſtatutum feminarum excluſivum, prout in particula 148.
Oriolum B.
Ornanum.
Palumbaria B. ubi viget idem ſtatutum, de quo in particula 127.
Palianum B.
Pantanum B.
S. Pauli.
Penna B.
Peteſia B.
Pilii B.
Piſcianum B.
Podium Catinum.
Podium Fidonis.
Podium Majanum B.
Podium de Mortitis.
Podium Nativum B. habet ſtatutum, ut in particula 133.
Podium Peruſinum.
Podium S. Laurentii.
Podium Victianum.
Poli B.
Ponticellum B.
Pontiæ Gennarum.
Ponzanum.
Porciglianum B.
Pozzalia B.
Pratica B.
Procenum B.
Rianum B.
Rignanum B.
Rivifrigidi B.
Rocchettarum.
Rojanum B.
Roncilionis.
Roratæ.
Rota B.
Salizanum.
S. Salvatoris majoris.
Sambuci B.
Saracineſcum.
Saxum B.
Scrofanum B. habet ſtatutum feminarum excluſivum, de quo agitur *diſc.* 3. *de ſucceſſion.* & ejus particula eſt impreſſa infra particula 153.
Sermoneta B.
Seronis B.
Sezia eſt in quæſtione an ſit intra diſtrictum.
Silicis B.
S. Silveſtri.
Sopitum B.
Stabia B.
Stimiglianum.
Stipis B.
Sublaci.
Surianum B. ubi fœminæ non ſuccedunt extantibus maſculis, prout ex particula ſtatuti in ordinatione la 159.
Tarranum.
Toffia.
Trebis.
Trivignianum B. habet ſtatutum conſimile, de quo in particula 166.
Tulpha habet pariter ſtatutum, ut in particola 168.
Turris B.
Turrita B.
Vaconis B.
Valentanum.
Valeranum.
Vallis-frigidæ B.
Vallis Montanæ B.
Vallis Petræ, ubi idem per ſtatutum diſponitur, ut in particula 170.
Vetralla habet ſtatutum, per quod fœminę non ſuccedunt extantibus maſculis, ut in particula 173.
Vianum B. idem habet ſtatutum, de quo in particula 174.
Vicovarium B.
Vicum.
Vignanellum B. ubi adeſt diſpoſitio ſtatutaria pro excludendis feminis, ut in particula 175.
S. Viti.
S. Viti Præneſtin. B.
Utricolum.
Vulſinium habet ſtatutum feminarum excluſivum, de quo agit Gabr. *conſ.* 14. *lib.* 2. & cujus particula eſt infra la 184.
Zagarola B.

Iſta verò enumeratio non excludit alia loca non deſcripta, minuſque excludit ſtatuta particularia, quæ in locis deſcriptis fortè adſunt, quorum notitia non ſit habita.

De Legatione Bononiæ.

ISta Civitas conſpicua, quæ magiſtra, & mater ſtudiorum appellari conſuevit, de legali facultate nimium benemerita; (unde in legibus per Divum Thomam unicè recen- 23

recenſetur inter quatuor illorum temporum celebres Univerſitates, nempè Pariſium in Theologia, Aurelianum in Artibus, Salernum in Medicina, & Bononia in Legibus,) habet in ſubjecta materia ſtatuta fœminarum excluſiva propter agnatos maſculos deſcendentes, & reſpectivè tranſverſales, (*aa*) eorumque particulæ ſunt impreſſæ in calce Operis, particula 27. Cùmque regatur per unum Cardinalem Legatum, ſub ejus Legatione continentur Oppida, & Loca infraſcripta.

S. Agatha, ubi viget Statutum fœminarum excluſivum, ut in particula 142.
Balnea Porrettæ B.
Budrium.
Caſtri Bologneſii.
Caſtri Franchi.
Caſtri Ghelfii B.
Caſtri Samperii.
Caſtilionis B.
Crevacorii.
S. Georgii.
S. Joannis in Perſiceto.
Medicina.
Pianum B.
Podiettum Maſſumatici.
Podium Benaticum B.
Silva B.

Extant quamplurimæ aliæ Communitates, & Pagi, qui conſultò omittuntur.

De Legatione Ferrariæ.

ILluſtris hæc Civitas cum annexis illum Statum conſtituentibus per plura ſæcula fuit de illo Statu magis me-
24 diato, de quo facta eſt mentio ſupra num. 11. utpotè in feudum, ſeu vicariatum, cùm regalibus, & jure Principatus poſſeſſa per Illuſtrem familiam Ateſtinorum, ſive Eſtenſium, cùm dignitate prius Marchionali, poſtmodùm, ex conceſſione Pauli II. Ducali, eaque devoluta fuit, & reſtituta priori ejus corpori, undè propterea effecta eſt de Statu immediato per mortem ſine prole Ducis Alphonſi II. ſub Clemente VIII. prævia concordia cum Duce Mutinæ, & Rhegii Cæſare Eſtenſe, præfati Alphonſi hærede, inita in Civitate Faventiæ, ideoque vulgò concordia Faventina dicitur, ſæpius enunciata in Theatro *bb* Iſta verò occaſione Clemens VIII. multa huic Civitati conceſſit privilegia *cc*, atque regitur per Cardinalem Legatum, qui quamdam figuram antiqui Ducis facere videtur, & continuat cum ejus Statutis, inter quæ eſt iſtud fœminarum excluſivum, quod eſt impreſſum infra particula 70. & de quo aliqui agunt. *dd*

Habebat prius ſub ejus diſtrictu qualificatum Oppidum Carpii, poſtea diſmembratum, adhuc tamen quæſtio eſt, an adhuc ibi ejus Statuta ſervari debeant. *ee* Sub hodierno autem Statu, ſeu Legatione, relinquendo locum veritati, an, & quæ ſint de diſtrictu, & ſubjecta Civitati dominanti, comprehenduntur ſequentia loca conſiderabilia, neglectis parvis villis, & pagis.

Argenta, quæ habet Statutum fœminarum excluſivum impreſſum in fine Operis particula 12.
Arianum.
Bagnacaballum, ubi fœminæ ſunt per Statutum excluſæ, ſtantibus maſculis, de quo loquitur Cephal. *conſ.* 22. *nu.* 23. *lib.* 1. Riminald. Jun. *conſ.* 749. Gabr. *conſ.* 7. *lib.* 2. & eſt in particula 19.
Centum habet conſimile Statutum, de quo meminit Riminald. Jun. *conſil.* 604. *num.* 3. & eſt impreſſum in particula 49.
Codegonum.
Comaclum.
Cotignola habet ſtatutum fœminarum excluſivum, ut in particula 65.
Creſpinum.
Foſſignanum B. ubi pariter fœminæ excluduntur per ſtatutum, ut in particula 76.
Lugum, ubi viget diſpoſitio Statutaria pro fœminarum excluſione, de qua agit Menoch. *conſil.* 168. & adeſt particula 89.
Maſſa Lombarda habet Statutum, cujus particula eſt 92.
Melaria.
Plebs Centi habet ſtatutum, ut in particula 132.
Trecenta.

De Legatione Status Urbini.

QUamvis à Civitatè Urbini ille Dux, ejuſque Status, antè quàm ſequeretur devolutio per mortem ultimi maſculi inveſtiti, juxta ſeriem, de qua in Theatro *ff* de- 25
nominationem acciperet, atque de facto ob Ducum, ejuſque Tribunalium, & Conſiliorum reſidentiam, figuram faceret Metropolis, potiſſimè ob ſequutam hoc intuitu erectionem illius Cathedralis in Metropolitanam ſub Pio IV. cùm aſſignatione in ſuffraganeas illarum Eccleſiarum Cathedralium, quæ ſub ejuſdem Ducis ditione eſſent. *gg* Non per hoc tamen vera Metropolis erat, adeout dicenda eſſet Civitas dominatrix aliarum Civitatum, Oppidorum, & Locorum, ex quibus ille Status conſtat; ſolùmque dicta qualitas Dominantis verificari fortè videtur in illis Oppidis, Caſtris, & Locis, quæ antequam ſequeretur in eadem perſona unio plurium dominiorum, & ſucceſſivè erectio in Ducatum, erant de pertinentiis dominii Urbini, ſivè Feltrenſis, dum dominia, ſeu Principatus Civitatum, Piſauri, Eugubii, Calli, & Senogalliæ, & Vicariatus Monti Avii, Sancti Laurentii, & Montis Follii obvenerunt ex diverſis titulis, adeout fuerit quædam unio accidentalis plurium Principatuum, & dominiorum in eadem perſona, ſeu linea, quolibet ipſorum propriam retinente naturam, juxta illam plurium dominiorum unionem in eadem perſona, de qua agitur in Theatro. *hh* Et quamvis Paulus III. de anno 1548. ex his omnibus efformaverit Ducatum Urbini, inſignito de iſta Dignitate Guidobaldo de Ruvere ejus nepote, adhuc tamen declaratum fuit, ut non exinde vera unio, & incorporatio facta cenſeretur, ſed quodlibet dominium adhuc propriam retineret naturam, jura, & præeminentias; *ii* ideoque varia ſunt ſingularum Civitatum, & Locorum Statuta afficientia ſolum illa Caſtra, Oppida, & Loca, quæ reſpectivè ſint de cujuslibet Civitatis diſtrictu, ſeu comitatu, & pertinentiis. Verum iſta materia ſucceſſionum cum excluſione fœminarum regulatur generaliter in toto Statu, potius ex Decretis generalibus factis per Duces, quæ propterea Decreta Ducalia etiam hodiè appellantur, adhuc vigentia, quæve ſunt impreſſa in fine, particula 179. dum ſequuta devolutione ſub Urbano VIII. ita prudenter ſtatutum, ac proviſum fuit, ut ille Status cum antiquis ejus legibus, decretis, & ſtylis regeretur ſub Cardinali Legato, tamquam ſubrogato in locum Ducis, cujus figuram, & partes faceret, *ll* licet fortè quælibet Civitas, aut Locus habeat etiam propria ſtatuta conformia huic Drecreto Ducali, de quo agitur *diſc.* 52. *de ſucceſſ.* à quo diſcordare non ſolent, adeout illud ſoleat principaliter attendi.

Conſtat itaque iſte Status ex Civitatibus, Urbini, Piſauri, Eugubii, Senogalliæ, Foroſempronii, Callii, Urbaniæ, S. Angeli in Vado, & Feretrana, & ex multis Oppidis, & Caſtris conſiderabilibus, neglectis aliquibus parvis villis, vel pagis; Quia verò, ut præmiſſum eſt, diverſa ſunt dominia ex diverſis titulis, & cum diverſis juribus obvenientia, ut præſertim de titulo Principatus Piſauri liquet ex *diſc.* 3. *de feud.* & ſic de aliis; idcircò Oppida, Caſtra, & Loca deſcribuntur diſtinctè ſub quolibet Principatu, vel dominio, de cujus pertinentiis erant antè dictam unionem.

De pertinentiis itaque Dominii Vrbini ſunt.

Aqualania.
Auditorium.
Caballinum.
Collordulum.
Farneta.
Fermignanum.
Caiſa.
Inſula Urbini.
Mons Guiducius.
Paginum.
Petrianum.

Præmicilia.
Ripa Maſſana.
Sanctus Donatus.
Tabuletum.
Talacchium.
Via plana.

De Pertinentiis Piſauri, ubi viget Statutum proprium fœminarum excluſivum datum in particula 130. *de quo agit* Honded. conſ. 11. vol. 1.

Candelaria.
Caſtrum Medium.
Caſtrum Novum.
Farnetum.
Florentiola.
Gabicia.
Geneſtretum.
Gradaria.
Granarolia.
Mons Baroccius.
Mons Cicardus.
Mons de Vetulis.
Mons Gaudius.
Mons Lurus.
Mons S. Mariæ.
Novilaria.
Tumba.

De pertinentiis Eugubii, ubi pariter adeſt Statutum fœminarum excluſivum, de quo agit Rot. poſt Paitell. expedition. deciſ. 5. & deciſ. 10. *& etiam fit mentio* diſc. 13. de Dot. *cuiſque particula eſt la* 66.

Baccarerca B.
Biſcina B.
Branca.
Camporegianum.
Cantianum.
Careſtum.
Carpianum.
Caſtilionis B.
Colcelle.
Colpalumbum.
Colugnula.
Coſtacciarum.
Dana.
Frontonis B.
Galgata.
Geomeſium.
Inſula Foſſaria.
Mons Brevis.
Mons Loverconus, & S. Benedicti.
Paſcelupum.
Petroa.
Schegia.
Scriptum.
Serra Brunamontis.
Serra Partuccii.
Serra S. Abundii.
Siole.
Tebinum.
Turris de Calceolariis.
Turris Ulmi.
Vallis Fabrica.
Vallingenium.

De pertinentiis Senogalliæ, ubi viget Statutum fœminarum excluſivum, de quo meminere Corn. conſ. 91. num. 1. lib. 3. Giovagn. conſ. 70. lib. 1. & egomet de fideicom. diſc. 144. *cuius particula eſt la* 155.

Roncitellum.
Scapetianum.

De pertinentiis Foriſempronii, de cuius ſtatuto meminit Bich. dec. 413. nu. 20. Rot. poſt Paitell. expedit. dec. 17. nu. 17. *& eius particula eſt in calce in ordine la* 75.

Bellaguardia.
Cartoccetum.
Caſerpeſium.
Caſtrumgagliardum.
Mons Altus.
Mons Felcinus.
Mons Montanarius.
S. Blaſius.
S. Gervaſius.
S. Hippolytus.
Turricella.

De pertinentiis Callii, ubi pariter per ſtatutum particulare excluduntur à ſucceſſione fœminæ propter maſculos, ut in particula 32. *quod perpendit* Rota coram Dunozet. Sen. deciſ. 137. *ſunt.*

Carda.
Fenilium.

De pertinentiis Vrbaniæ, olim Caſtri Durantis, ſeu Maſſæ Trabariæ.

Barche.
Belfortis.
Caſtrum Plebis.
Caſtrum Vetus.
Ceresium.
Deſe.
Figianum.
Fractæ.
Frontinum.
Lamolum.
Lunanum.
Mercatellum.
Mondavium.
Mondulphum.
Mons Alfolius.
Mons Bellus.
Mons Fattonius.
Mons Major.
Mons Majus.
Mons Molus.
Mons Radus.
Mons Siccus.
Mons Vetus.
Orcianum.
Parchiulium.
Pelium.
Pergula.
Petra Acuta.
Piaggie.
Podium.
Reforzatum.
Ripæ.
Rupolium.
Sanctus Andreas.
Sanctus Conſtantius.
Sanctus Ceorgius.
Sanctus Laurentius in Campo.
Sanctus Martinus.
Sanctus Vitus.
Secchianum.
Tauſanum.
Tumba.
Turriola.
Uffolianum.
Viglianum.
Villa Montis.

De pertinentiis Civitatis Feretranæ.

Caboletum.
Caſtrum Ilicis.
Macerata.
Macianum.
Majolum.
Mons Buagine.
Mons Cerignonus.
Mons Copiolus.
Mons Gellius.
Mons Grimanus.
Mons Itaſſius.
Mons Licianus.
Mons Sanctæ Mariæ.

Pi-

Pinna.
Petrarubbia.
Ripalta.
Rontagnanum.
S. Agatha.
S. Donatus.
S. Leo.
Sartianum.
Savignanum Righi.
Saxum.
Saxum Corbarium.
Sonatellum.
Svania.
Turricella.
Vallis S. Anaſtaſii.

De pertinentiis demum Vicariatus Montis Avii ſunt in præſenti.

Cavallaria.
Ceresia.
Mons Major.
Podium.
Sanctus Georgius.

De Legatione Provinciæ Æmiliæ, ſeu Romandiolæ.

COmplectitur ſub ſe iſta Legatio ſequentes Civitates, quæ Omnes habent hæc ſtatuta propria favore agnationis, omneſque conſtituunt propriam Univerſitatem
26 cum ſuo diſtrictu, vel comitatu, in quo ſunt caſtra, & villæ, adeout una non habeat dependentiam ab altera, procedendo cum conſueto ordine alphabetico, & ſunt.

Ariminum, quod habet ſtatutum fœminarum excluſivum, ut infra in particula 13. ſub cujus juriſdictione, & ſtatuto degunt.
Catholica.
Curianum.
Mons Gridulphus.
Sanctus Joannes in Marignano.

Britinorium, ubi licet non adſit ſtatutum fœminarum excluſivum, extat nihilominus Breve Gregorii XIII. per quod ipſæ à ſucceſſione repelluntur in favorem agnationis, quod eſt in calce particula 30.

Cervia habens ſtatutum, ut in particula 52.

Cæſena habens ſtatutum, ut in particula 53. de quo loquitur Theodoſ. *de Rub. 2. tom. ſingular. pag. 611. nec non* Seraph. *dec. 959. num. 5.* Duran. *deciſ. 126. num. 15. cui ſubſunt.*
Buora.
Cæſenaticum.

Faventia, in qua viget Statutum fœminarum excluſivum, prout in particula 69. de quo meminit Theodoſ. *de Rub. tom. 2. ſingular. diſcurſ. 3. de Succeſſion. num. 22. pag. 612.* Rota poſt Fenzon. *deciſ. 107. & in recent. dec. 59. p. 1.* & ſub ſua juriſdictione ſunt.
Granarolum.
Oriolum.
Buſſi.

Forumlivii, ubi adeſt conſimilis ſtatutaria diſpoſitio, ut in particula 73. de qua agit Menoch. *conſ. 187.* eique ſubjacent.
Arx Elmicia.
Fiumana.
Redappia.

Forum Pompilii habens ſimile ſtatutum, ut in particula 74.

Imola, ubi per ſtatutum diſponitur fœminarum excluſio, ſicuti in particula 83. de quo loquitur Rota *deciſion. 43. part. 7. & deciſion. 360. num. 22. part. 17. & in diſcur. 3. de ſucceſſion. numer. 23.* eique ſubmiſſa repe-riuntur.
Balnearia.
Caſola.
Mordanum.
Riolum.

Ravenna, ubi à ſtatuto excluduntur fœminæ propter maſculos, ut infra in particula 136. de quo agit Theodoſ. *de rub. tom. 2. ſingular. pag. 619.* Rot. *dec. 548. par. 1. Recent. & dec. 644. p. 2.* Otthob. *dec. 149.* & poſt Michalor. *de fratr. dec. 51. n. 5.* ſub ſe autem habet.
Primarium.
Sanctum Albertum.

Sarſina B. cujus ſtatutum fœminas à ſucceſſione propter maſculos repellit, ſicuti in particula 151.

Ulterius adſunt in Legatione Romandiolæ infraſcripta Oppida, & Caſtra.

Briſighella, quæ habet ſtatutum excluſivum, prout in particula 29. de quo loquitur Rota *deciſ. 428. n. 4. par. 14.*

Burgum.
Caſtrum Novum.
Caſtrum Rivi, ubi viget conſimile ſtatutum, prout in particula 47.
Civitella.
Corianum.
Dolia B.
Gambettola.
Gattęum.
Cragiolum, ubi pariter adeſt ſtatutum, ut in particula 78.
Livaria.
Lonzanum.
Meldula B. habens pariter ſtatutum excluſivum, ut in particula 93.
Mercatum Saracenum B. ubi ſimilis adeſt diſpoſitio ſtatutaria, de qua in particula 94.
Miavola, & Ciola B.
Mondainum ubi per ſtatutum fœminæ à ſucceſſionibus arcentur ob maſculos, ut in particula 97.
Mons Floris idem habens ſtatutum, de quo in particula 107.
Mons Scudulus, ubi idem reperitur per ſtatutum determinatum, ut in particula 116.
Montianum B.
Planum Mileti.
Roncofreddum B. ubi fœminarum excluſio pariter per ſtatutum cavetur, ut in particula 141.
Roverſanum.
Saludecium.
Sanctus Joannes in Galilea.
Sanctus Archangelus, ubi maſculis per fœminarum excluſionem, à ſtatuto providetur, ut videre eſt in particula 144.
Sanctus Martinus in Conventu.
Sanctus Maurus,
Savignanum.
Scorticata.
Soglianum.
Solarolum.
Surrivolum B.
Tornanum.
Tuſſignanum B.
Verucchium.

De Gubernio Marchiæ, vulgò Maceratæ.

CElebrem quidem indifferenter Marchiæ Anconitanæ Provinciam reddunt frugum, præſertim tritici copia, 28
Alma Domus Lauretana, & portus Anconitanus; in forenſibus verò non minus celebrem illam reddunt Ægidianæ Conſtitutiones, quæ vulgò Conſtitutiones Marchiæ appellantur; id autem provenit non ex eo, quod Cardinalis Ægidius ſub Innocentio VI. illarum auctor, fuerit ſolum iſtius Provinciæ Legatus, ut aliqui malè opinantur, quoniam fuit Legatus à latere in univerſa Italia; ſed quia dictæ Conſtitutiones publicam lucem primò poſt annos centum, & ultra receperunt in Æſina Civitate, deindeque ad alios annos centum, & ultra innovatæ, atque in parte immutatæ fuerunt per Cardinalem Pium de Carpo nuncupatum, qui Marchiæ tantùm fuit Legatus ſub Paulo III. ut latius in particulari diſcurſu ſuper Ægidiana Conſtitut. circa appellationes in poſſeſſorio habetur, idcircò iſta prodiit nuncupatio.

Latius verò iſta Provincia ſe extendit, quàm hoc Guber-

bernium, de quo agitur, dum intra eamdem quamplura sunt Gubernia in capite, sive independentia, ut sunt illa Firmi, Anconæ, Asculi, Camerini, Montis alti, Æsii, Fabriani, & Fani, & alia; ideoque istud nomen accipit à Provincia, ratione majoris partis, quæ sub illo cadit, atque vulgò dicitur Maceratæ, ex causa residentiæ in hac Civitate, in qua etiam Sixtus V. Rotam, ad instar Rotæ Romanæ, erexit, cujus decisiones habentur apud Gratianum, & Thomatum; non autem quod dicta Civitas aliquod jus Metropoliticum habeat, adeout ad effectum statutorum, de quo agitur, dici valeat dominans, nisi fortè respectu aliquorum non considerabilium locorum in ejus territorio, vel districtu existentium. Complectitur autem istud Gubernium Civitates Auximi, Maceratæ, Recineti, & Tolentini; quamvis enim intra ejus circumdarium adsit etiam Civitas Lauretana, nihilominus illa est sub Gubernio Protectoris Almæ Domus, qui Gubernatorem ibi deputat. In dictis autem Civitatibus singillatim adest statutum feminarum exclusivum ob conservationem agnationis, ut de statuto Auximi videre est infrà in particula 18. de Statuto Maceratæ in particula 90. de statuto Recineti, de quo etiam loquitur Buratt. *decis.* 838. *sub num. primo* in particula 138. & de statuto Tolentini in particula 164. Oppida verò, & loca considerabilia sunt.

Amandola, quæ pariter habet statutum impressum infra, in particula 3. de quo agitur *disc.* 17. *de succes.*

Apirum, ubi consimile viget statutum, de quo in particula 7.

Appignanum, cujus statuti exclusivi particula est infra la 8.

Belfortis, ubi idem viget statutum, prout in particula 23.

Caldarola, ubi similiter per statutum fœminæ à successionibus arcentur propter masculos, ut in particula 31.

Castrum Fidardum, ubi pariter idem reperitur statutum, ut in particula 44. de quo loquitur Buratt. *decis.* 310. *sub num.* 1.

Cingolum, cujus statutum agnationi favet per fœminarum exclusionem, ut in particula 54. de quo meminit Rota *dec.* 180. *p.* 4. *tom.* 2.

Civitas Nova, quæ idem habet statutum, ut in particula 56. & de eo agit Thomat. *decision.* 204. *nu.* 3. Coccin. *decision.* 111. *& in discur.* 143. *&* 144. *de fideicommiss.*

Corinaldum, quod habet statutum, prout in particula 63. & de eo loquitur Rot. *dec.* 171. *&* 301. *p.* 16. *& de succes. disc.* 23.

Mathelica.

Montechii, ubi adest statutum fœminarum exclusivum, prout in particula 98.

Montis Bodii, ubi consimile reperitur statutum, prout in particula 100.

Montis Cassiani, ubi fœminæ à successione removentur à statuto extantibus Masculis, ut in particula 101.

Montis Causarii B.

Montis Fani, in quo statutum exclusivum reperitur, prout in particula 105.

Montis Filatrani, ubi pariter viget hujusmodi statutum, ut in particula 106. de quo loquitur Theodos. *de rub. tom.* 2. *singular. pag.* 615. Rot. *in recent. decis.* 417. *p.* 1. *& decis.* 165. *sub n.* 47. *vers. nec subsistit p.* 7.

Montis Georgii, ubi locum habet consimile statutum, prout in particula 108. & de eo agit Thomat *decis.* 152.

Montis Granarii idem habentis statutum, ut in particula 109.

Montis Leponis.

Montis Marciani.

Montis Milonis, ubi per statutum fœminarum exclusio disponitur, ut in particula 111.

Montis Novi, ubi idem per jus municipale statuitur, ut in particula 112.

Montis Sancti, in quo fœminarum exclusio similiter per statutum sancitur, prout in particula 113.

Montis S. Martini, ubi pariter statutum exclusivum existit, ut in particula 114.

Montis S. Petri habet statutum, ut in particula 115.

Montis Ulmi, in quo eadem statutaria dispositio adinvenitur, ut in particula 117.

Murri de Valle, ubi etiam id per Statutum determinatur, ut in particula 122.

Pinna, quæ pariter habet statutum fœminarum exclusivum, de quo in particula 129.

Rocca Contrata simile habet statutum, prout in particula 139.

Sancti Ginesii, ubi statutum adest exclusivum, ut in particula 146.

Sancti Justi, ubi simile viget statutum, ut in particula 147.

Sancti Lupidii, seu Elpidii, ubi pariter id per statutum decernitur, ut in particula 145.

Sarnanum habet statutum, ut in particula 150.

Serræ Comitum, ubi etiam reperitur statutum fœminarum exclusivum propter masculos, ut in particula 156. de quo agit Honded. *cons.* 10. *lib.* 1.

Serræ Sancti Quirici, ubi consimile statutum in usu est, ut in particula 157.

Staffoli.

Urbisalia, in qua etiam statutum existit, quo fœminis successiones vetantur propter masculos, ut in particula 182.

De Gubernio Umbriæ, vulgò Perusii.

QUamvis istud dicatur Gubernium Umbriæ, quæ est valdè considerabilis Provincia, formam habens aliquando Legationis, non tamen illud universam complectitur Provinciam, dum quamplura adsunt Gubernia non subordinata huic Gubernatori, sed immediatè Congregationi Consultæ, ut exempli gratia sunt Gubernium Spoleti, Præfectura Nursiæ, & Gubernium Civitatis Castelli. 28

In duplici autem specie considerandа venit Civitas Perusina, una scilicet Metropolitica impropria, tanquam residentiali Gubernatoris, & Rotæ, undè propterea denominationem vulgò tribuit Gubernio; & altera propria, & particulari, illam considerando tanquam unam ex Civitatibus Provinciæ, vel Præfecturæ, atque in hac posteriori specie dicitur Civitas dominans respectu Castrorum, & Locorum existentium in ejus territorio, & districtu, eo modo, quo aliæ sunt Civitates, non autem in priori, specie, quia nullam habet super aliis dominationem.

In prima itaque specie lata continet istud Gubernium plures Civitates, quarum singulæ proprios habent Gubernatores, etiam Prælatos, cum aliqua subordinatione, ut exempli gratia est Tudertum, & quandoque Fulgineum, atque habet proprium districtum, in quo existunt Castra, & Loca, quorum respectu dicitur Civitas dominans. Civitates verò sunt, eodem retento ordine alphabetico, & omnes habent Statutum.

Ameria cujus particula est la quarta, & de eo loquitur Pen. *dec.* 349. *nu.* 1.

Assisium, cujus particula est la 17. & de eo agunt Bald. *consil.* 111. *lib.* 2. Cirocc. *discur.* 41. Honded. *consil.* 11. *volum. primo*, Rota *decis.* 484. *num.* 1. *part.* 4. *tom.* 1.

Fulgineum, cujus particula est la 77. & de eo agunt Catan. *consil.* 19. Cirocc. *discept. prima*, & 34. Pur. *decision.* 3. 38. *&* 127. *lib.* 3. *& in discur.* 19. *de legitim. & detraction. & discur.* 51. *de succession.*

Nuceria, cujus particula est la 124. & de eo loquitur Cirocc. *discept.* 40.

Perusium, cujus particula est la 128. de quo habetur in *disc.* 1. *&* 2. *de succes.*

Tudertum, cujus particula est la 167. & de eo meminere, Bald. *consil.* 4. *lib.* 2. *&* *consil.* 57. *lib.* 4. Angel. *consil.* 119. Seraphin. *decis.* 885. Rot. *decision.* 256. *numer.* 2. *par.* 11. *& in discur.* 6. *&* 7. *de succession.*

Oppi-

Oppida verò, & Loca conſiderabilia, quæ habent proprium Statutum cum eodem ordine alphabetico ſunt.

Arquata, cujus particula eſt la 14.
Baſtia, cujus Statuti particula eſt la 22.
Bictonium cujus Statutum recenſetur in particula 25.
Cannaria habet ſtatutum, ut in particula 37.
Caſtilionis Lacus, ubi viget idem ſtatutum, ut in particula 41.
Cerretum, cujus particula eſt la 50.
Citerna, cujus particula eſt la 55. & de eo loquitur Ludov. *dec.* 255. *& dec.* 279.
Civitas Plebis habet Statutum, prout in particula 58.
Colleſtattum, cujus Statuti particula eſt la 61.
Gualdum, cujus particula eſt la 80. & de eo loquitur Theodoſ. *de rub. tom.* 2. *ſingular. pag.* 612. Rota *deciſ.* 51. *par. prima, & deciſ.* 18. *par.* 4. *tom.* 1. *recent. & in diſc.* 18. *numer.* 1. *de ſucceſſ.*
Hiſpellum, cujus particula eſt la 81. & de eo agit Honded. *conſ.* 4. *vol.* 1. Theodoſ. *de rub. ubi ſupra pag.* 614. Ciroc. *diſcep.* 36. *num.* 2.
Maſſa cujus, Statuti particula eſt la 91.
Mevania cujus particula eſt la 96.
Mons Caſtellum habet Statutum, ut in particula 102.
Mons Falcus, cujus Statuti particula eſt la 103.
Saxoferratum habet Statutum, de quo in particula 152.
Trebium, cujus particula eſt la 165. & de eo agunt Theodoſ. *de rub. loc. cit. pag.* 621. Ciroc. *diſcept.* 33. *ſub num.* 1. Rot. *dec.* 463. *par.* 1. *recent.* Manzaned. *dec.* 365. *num.* 1. *& ſeqq.*
Valtopina, cujus Statuti particula eſt la 171.
Viſſium cujus particula eſt la 177.

De Gubernio Patrimonii, vulgò Viterbii, & Statuum Valentani, & Roncilionis, vulgò Caſtri.

DUas locorum ſpecies iſtud Gubernium ſub ſe continet, unam antiquam, quæ Patrimonii dicitur, vulgò
29 Viterbii, ex eadem in præcedentibus enunciata ratione reſidentiæ, non autem, quod eſſet Civitas dominans, & metropolitica; & alteram moderno tempora additam Status Caſtri diviſi in duos Status, Roncilionis, & Valentani, qui prius jure feudi poſſidebatur per Ducem Parmæ, & Placentiæ ex inveſtitura Pauli III. nunc verò ex concordia ſub Alexandro VII. incorporatus, & effectus de Statu immediato, ex iis, quæ habentur *diſc.* 80. *de Regalib.*
Prima ſpecies complectitur Civitates.
Aquipendii, cujus Statuti particula eſt la 10.
Balneoregien.
Civitatis Caſtellanæ.
Corneti, cuius Statuti particula eſt la 64.
Hortę, cuius Statuti particula eſt infra la 82. & de eo loquitur Rota in una Hortana reintegrationis 2. Decembr. 1680. cor. Rondin.
Montis Faliſci, cuius Statuti particula eſt la 104. & de eo loquitur Soccin. Sen. *conſ.* 36. *ſub num.* 2. *lib.* 1. Coccin. *deciſ.* 958. *nu.* 4. & 10. *& dec.* 1451. *nu.* 2.
Nepis.
Sutrii, cuius Statuti particula eſt la 163.
Tuſcanellæ.
Viterbii, ubi viget Statutnm excluſivum fœminarum, ut in particula 178. de quo meminit Rot. *dec.* 144. *num.* 9. *& deciſ.* 290. *n.* 6. *par.* 8. *& agitur diſc.* 16. *de ſucceſſ. & diſc.* 43. *n.* 9. *eod. tit.*

Oppida verò, & Loca conſiderabilia ſunt.

Alvianum.
Balnearia, cuius Statuti particula eſt la 20.
Baſſanum.
Bleda.
Byſentium.
Cellenum, cuius ſtatutum eſt in calce impreſſum in particula 48.
Latera habet ſtatutum, ut in particula 85.
Lugnanum habet ſtatutum in particula 88.
Mugnanum habet ſimiliter ſtatutum, de quo in particula 121.
Sanctus Laurentius.
Trivignanum, cujus ſtatuti particula eſt infra la 166.
Vetralla, cujus ſtatutum habetur infra in particula 173.
Vulſinium habet ſtatutum, ut in particula 184.

De ſecunda verò ſpecie, ideſt de Statu Valentani ſunt.

Caninum.
Caput Montis.
Celleris.
Gradolarum.
Cryptarum,
Iſchia.
Marta.
Mons-altus.
Teſſenanum.
Valentanum.

Et de eadem ſecunda ſpecie, nempè de Statu Roncilionis ſunt.

Canepina.
Caprarola.
Caſtrum S. Eliæ.
Caſtilionum Tyberinæ.
Corchianum.
Fabrica.
Inſula.
Roncilionis.
Valleranum.
Omnia iſta Loca ſecundæ ſpeciei gubernantur cum ſtatuto Caſtri, quod ſimiliter favet agnationi excludendo fœminas à ſucceſſione, ut in particula 43. de quo loquitur Marian. Soccin. *conſ.* 36. *lib.* 1. *& in diſc.* 41. *nu.* 37. *& diſc.* 71. *de ſucceſſ.*

De Gubernio Maritimæ, & Campaniæ, vulgò Fruſinoni.

NOtabilis pars locorum iſtius Gubernii eſt intra diſtrictum Urbis, non tamen illa deſinunt eſſe ſub iſto Gubernio, cùm ſolum id operetur concurſum præventivum, ut ſupra, ac etiam in magna parte loca ſunt Baronalia, neque dignoſcitur aliqua Civitas Metropolis, vel dominans, ut in aliis Provinciis, vel Guberniis contingit. 30

Sub Gubernio autem Campaniæ ſunt Civitates.
Alatrina.
Anagnina.
Ferentina.
Signina B.
Verulana.

Oppida, & loca conſiderabilia ſunt.

Baucum.
Ceperanum.
Filettinum.
Fruſinonum, locus Reſidentiæ Gubernatoris, & Tribunalis.
Fumonum.
Guercinum.
Pons-corvus.
Sonninum B.
Turrice.

Sub Maritima verò ſunt.

Pipernum.
Sermoneta B.
Setia.
Terracina.

De Gubernio Anconæ.

QUamvis juxta latinam eloquutionem Æſina Civitas nomen tribuere videatur Provinciæ Marchiæ, dum
31 illi populi Æſini dicuntur; attamen vulgò iſta nobilis Anconitana Civitas potius illi nomen tribuit, quoniam ad differentiam Marchiæ Triviſanæ, aliarumque Regionum, conſimilem nuncupationem habentium, dicitur Marchia Anconitana, valdeque celeber eſt ejus portus, cujus ratione dici poteſt benemerita de legali facultate in materia mercantili aſſecurationum, & decoctionum, ex iis, quæ in hac Civitate, & ſuper ejus negotiis ſcripſit Stracca.

Iſtudque Gubernium continet ſub ſe antiquam Civitatem Humanam, penè dirutam, adeout parvi Caſtri figuram faciat, & Oppida, ac reſpectivè Caſtra Siroli, Podii, Maſſignani, Camerani, Varani, Montis Sancti Viti, Cameratæ, Falconariæ, Offaniæ, Pulveriſii, Arguliani, Galignani, Paterni, Montis Securi, & Caſtri Æmilii, quæ omnia ſunt de diſtrictu, vel comitatu Civitatis, cùm cujus ſtatuto vivunt, & de illo habetur *diſc.* 10. *de ſucceſſion. & deciſ.* 25. *numer.* 2. poſt Paitell. *expedition.* ejuſque particula eſt infra la 5. Adeſt etiam intra eundem diſtrictum Caſtrum Ferretti, quod obtinetur in feudum proprium, vel improprium per Anconitanam nobilem familiam de Ferrettis, deſuper tamen viget controverſia, quę pendet indeciſa inter dictam familiam, & Gubernatorem, ac Magiſtratum Civitatis, tam ſuper juriſdictione, quàm ſuper jure collectandi, aliiſque oneribus, prætendente Civitate, quod ſit de ejus membris, & pertinentiis; è converſò autem dicta familia prætendente contrarium, ſuper quo nil aſſeritur, ſed relinquitur locus veritati.

De Gubernio Firmi.

VLtra prærogativam in hac Marchiæ Provincia ſingularem, qua iſta Civitas in ſpiritualibus gaudet, juris Metropolitici per Sixtum V. ejus civem, vel comitatenſem ſibi conceſſi, cùm prius eſſet Cathedralis exempta, & Sedi Apoſtolicę immediatè ſubjecta, illi aſſignando ſuffraganeas Eccleſias Maceraten. & Toletin. unitas, Montis Alti, & Sancti Severini; gaudet in temporalibus, ex antiquo jure per Hiſtoricos recenſito, titulo Principatus complectentis quadraginta octo Oppida, & Caſtra reſpectivè, quorum omnium dominatrix eſt; Unde propterea propria, & particularia ſtatuta non habentia reguntur cum illo Civitatis Dominantis, de quo ad rem noſtram, Rota *deciſion.* 461. *num.* 2. *par.* 2. *recentior. & coram Cavaler. deciſion.* 296. *numer.* 5. ejuſque particula eſt infra in ordine la 71. cumque exceptis Cardinalitiis Legationibus, de quibus ſupra, reliqua omnia Gubernia, etiam primaria, ut recenſentur illa Marchiæ, & Umbriæ, & ſimilia ſubjaceant Congregationi Conſultationum Status Eccleſiaſtici, quę Conſulta vulgò appellatur; illi tamen ex quadam obſervantia ſubjacere non conſuevit iſtud Gubernium utpotè reſidere ſolitum penes illum Cardinalem, qui Nepos dici ſolet, juxta inſinuata *diſc.* 6. *num.* 12. *in Relat. Cur.* vel alium Pontificis conjunctum habentem titulum Gubernatoris, quamvis in Curia reſidentem, jure potius cujuſdam ſuperintendentiæ, & gubernii habitualis, actuali exiſtente penes Prælatum, qui ad inſtar aliorum gubernatorum in loco reſidet, tituluni Vice Gnbernatoris propterea habentem, à quo ad Gubernatorem recurſus haberi ſolent. In hoc autem Pontificatu D. N. Innocentii XI. in quo hujuſmodi Nepotum, & Conjunctorum officia, munia, emolumenta, & prærogativæ in deſuetudinem abierunt, ipſa Civitate ſupplicante, & ne huic prærogativæ præjudicaretur, illud Gubernium habituale, vel ſuper intendentiale, quod eſſe conſuevit penes Cardinalem Nepotem, vel alium conjunctum, reſidet penes Congregationem Deputatam aliquorum Prælatorum, ſub præſidentia, ſeu præfectura Cardinalis Secretarii Status, Primi Miniſtri, ideoque iſta Congregatio dici poteſt quædam parva Conſulta, dum adamuſſim gerit ejus partes, atque facit in iſto particulari Gubernio id, quod generaliter Conſulta facit in omnibus aliis.

Non extra propoſitum tamen, neque vagatorie, ſed ad rem hęc inſinuantur pro ſtatutorum iſtius Civitatis interpretatione, quoniam ſi condita, & ordinata fuerunt de tempore, quo juxta hiſtorias, ſe gubernabat, ſub proprio Principe, vel ad formam Reipublicæ, cùm imperio, & regalibus, ac jure Principatus, recognoſcendo ſolùm quoddam altum dominium, ac ſuperioritatem Sedis Apoſtolicę, ut contingit in illo Statu, qui magis remotè mediatus dicitur, & prout juxta illorum temporum contingentias pleræque aliæ Status Eccleſiaſtici Civitates ſe regebant, & tunc ſtatutum regulandum non eſt ad formam juris municipalis conditi per Civitatem ſubditam, & omninò ſubordinatam, ſed potiùs tanquam jus commune, ideoque favorabile, non autem odioſum, ſecus autem e contra; juxtà diſtinctionem pluries inſinuatam, & repetitam, ſemper tamen opportunè.

Oppida verò, & Loca iſtius Principatus ſunt.

Alteta.
Altidona.
Aquaviva.
Belmontis.
Campi Felonis.
Caraſſaum.
Cerrettum.
Collina.
Falleronis.
Francavilla.
Grypta ad Mare.
Grypta Azzolina.
Gualdum.
Lorum.
Maglianum.
Maranum.
Maſſa.
Maſſignanum.
Moglianum.
Morilianum.
Montis Aponis.
Montis Falconis.
Montis Giberti.
Montis Leonis.
Montis Ottonis.
Montis Ranaldi.
Montis S. Petri in Morico.
Montis Vidonis Cambatii.
Montis Vidonis Corradi.
Moreſcum.
Ortetianum.
Pedaſum.
Pedrona.
Petriolum.
Petritolium.
Portus Firmi.
Pouſanum.
Rapagnanum.
S. Andreas.
S. Angelus.
S. Benedictus.
S. Elpidius in Morico.
Servilianum.
Smerillum.
Trochianum.
Turris Palmæ.
Turris S. Patritii.

De Gubernio Spoleti.

LOngobardorum dominatio in Italia celebrem reddit iſtam Civitatem, à qua uber, & delitioſa 33
Vallis Umbriæ denominationem deſumpſit. Cùm enim illorum Imperium diviſum eſſet in quamplures Ducatus, inter quos fuit etiam Romanus, unde prodiit Ducati vocabulum in illa moneta aurea, quæ alias ſcutorum largorum ſolis dicebatur, Ducatus Spolerinus erat ex majoribus, & potentioribus, adeout iſta Civitas, ob Ducis reſidentiam, Metropolis totius illius Principatus figuram de facto gereret. Hodiè verò ſub dominio

minio Eccleſiæ Romanæ, vel Sedis Apoſtolicæ regitur per proprium Gubernatorem Prælatum independentem à Præſide Provinciæ Umbriæ, in qua ſita eſt. Habet iſta Civitas proprium ſtatutum excluſivum fœminarum, & cognatorum ut infra in particula 161. de quo agit Rota *in rec. deciſ. 9. par. 6. & deciſ. 20. & deciſ. 115. & dec. 275. num. 2. par. 8.* ejuſque Gubernium complectitur loca infraſcripta.

Aceram.

Aglianum, quod habet proprium ſtatutum, ut in particula 2.

Apugninum, ubi ſimile ſtatutum viget, ut in particula 9.

Aretium, & Palatium.

Arronem, ubi adeſt idem ſtatutum, de quo in particula 15.

Bonacquiſtum, quod pariter habet ſtatutum, ut in particula 26.

Cammorum, cujus ſtatuti particula, eſt infra la 34.

Campellum, ubi reperitur conſimile ſtatutum, prout in particula 36.

Caſtrum Lacus, quod habet ſtatutum, ut in particula 45.

Caſtrum Ritaldum, quod pariter habet ſtatutum proprium, ut in particula 46.

Caſtrum Sancti Felicis.

Caſum.

Cerquetum.

Ceſelium.

Civitellam.

Collem Marcheſii, ubi ſimiliter ſtatutum viget, de quo in particula 60.

Gavellium.

Gianum.

Glebam.

Gryptas, ubi idem ſtatutum repetitur in particula 79.

Meſſenarum; cujus ſtatutum eſt iuſra in particula 95.

Montecchium.

Montem Francum.

Montem Sanctum.

Montem Sancti Viti.

Morcicchiam, & Morianum, ubi proprium adeſt ſtatutum, ut in particula 118.

Orzanum, quod pariter habet ſtatutum, ut in particula 126.

Paternum, & Meggianum.

Piſſignanum, ubi conſimile viget ſtatutum, de quo in particula 131.

Pontem, ubi fœminæ à ſtatuto excluduntur, ut in particula 134.

Poſtignanum, ubi idem ſtatutum ſervatur, ut in particula 135.

Rocchettam, cujus ſtatuti particula eſt infra la 140.

Sanctam Anatoliam.

Sanctum Joannem.

Schiagginum.

Sillanum, ubi idem per ſtatutum cavetur, ut in particula 158.

Spinam, cujus ſtatuti particula eſt infra la 160.

Tertii Sancti Severi.

Vallis.

Vallis Pennacchiæ.

Villæ Paganicæ, ubi idem ſtatutum viget, ut in particula 176.

De Gubernio Camerini.

IAm diu fuit iſta Civitas cum annexis, conſtituentibus ejus Statum, de mediata Eccleſiæ ditione, utpotè jure feudi, vel Vicariatus ſub immediato regimine familiæ de Varanis, qua defecta, itaut factus eſſet locus devolutioni ſub Paulo III. hic de illa inveſtivit Petrum Aloyſium Farneſium, cujus dominatio brevem habuit durationem, ob celebrem permutationem ſub eoddm Pontifice ſequutam, cùm præſuppoſito euidentis utilitatis Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ, cùm Civitatibus, & Ducatibus Parmæ, & Placentiæ; quod attento illorum temporum ſtatu, ac locorum ſituatione non eſt ab aliqua probabilitate alienum, quamvis attento præſenti ſtatu nimium improbabile videatur; ac propterea à dicto tempore eſt de ſtatu immediato; ſed quamvis in Provincia Umbriæ ſita ſit, non tamen ejuſdem Provinciæ Gubernatori, vel Præſidi ſubeſt, nullamque ejus Gubernator habet dependentiam, vel ſubordinationem. Habet hæc Civitas ſuum ſtatutum, à quo fœminæ excluduntur, ut in particula 33. & de quo agunt Cornel. *conſil.* 323. *numer.* 8. *lib.* 3. Thomàt. *deciſ.* 187. *ex numer. primo*, Rota *deciſion.* 176. *numer.* 15. *part.* 16. *& in deciſion.* 91. *de dot.* & in ejus diſtrictu, vel territorio ſunt quàmplura Caſtra, & Loca parum conſiderabilia, quæ proprium, & particulare ſtatutum non habent, ſed vivunt cum illo Civitatis. Sub Gubernio tamen, utpotè de enunciato Varanorum dominio, vel ſtatu, ſunt Oppidi S. Anatoliæ, & Caſtrum Sefrii, quorum ſingula ad rem noſtram habent proprium, & particulare ſtatutum, cùm quo vivitur, non autem cum illo Civitatis, ut de primo in particula 143. de ſecundo in particula 154.

De Gubernio Aſculi.

SIta eſt hæc qualificata quidem Civitas in extremitatibus Provinciæ Marchiæ, utpotè confinans cum provincia Aprutina Regni Neapolitani, & de ejus plurium graduum, vel ſpecierum nobilibus habetur actum *in tit. de præeminent. diſcur.* 48. atque ſi aliquibus Hiſtoricis credendum eſt, & præſertim ejus concivii particularis hiſtoriæ hujus Civitatis non ineleganti latina lingua Scriptori, poſt diſſolutum Romanum Imperium, per quàmplura ſæcula ſe rexit ad formam Reipublicæ, quadam ſibi vindicata libertate, ſub regimine Epiſcopi, qui Principis, vel Capitis Reipublicæ figuram gerebat, uſquequò per Innocentium IV. de Provincia Marchiæ inveſtiti fuerunt Comites Ateſtini, & ſic iſta Civitas, utpotè de prefatæ Provinciæ pertinentiis ſub illa comprehenſa fuit inveſtitura, qua finita reincidit cum eadem Provincia in regimen immediatum Sedis Apoſtolicæ, ſub quo perſeverat, ſub proprio tamen Gubernatore independente à Gubernatore Marchiæ, ſeu Naceratę, ut ſunt pleræque aliæ Civitates, & Oppida ejuſdem Provinciæ, ut de illa agendo advertitur ſupra numer. 27. Continet autem iſtud Gubernium quàmplura Caſtra, quę omnia intra ejus territorium, vel diſtrictum exiſtunt, atque cum ejus ſtatutis vivunt, locales verò Gubernatores, & Officiales deputantur à Magiſtratu Civitatis, cùm diſtinctione graduum, de qua *d. diſc.* 48. *de præeminent.* illaque magis conſiderabilia, neglectis aliis nimium parvis, ſunt Appignanum, Aquæ-Sanctæ, Communantiæ, Monriſprandoni, Montis Sancti Pauli, Spinetoli, & Venerottæ, & alia minora uſque ad numerum in totum 31. Adſunt etiam in partibus magis proximis dictæ Provinciæ Aprutinæ duo alia Caſtra, vel Oppida, in quibus Magiſtratus Civitatis nullum habet jus, nec ipſe Gubernator ſolet ſe ingerere, quorum unum, quod Ancharanum nuncupatur, eſt ſub dominio, & juriſdictione, etiam in temporalibus, Epiſcopi; & alterum, quod dicitur Maldignani, ſub dominio, & juriſdictione, etiam in temporalibus, Capituli Cathedralis; Ambo verò, & præſertim Epiſcopus prætendunt dicta loca poſſidere quodam jure Principatus independentis, utpotè obvenientia ex Imperialibus conceſſionibus, & confirmationibus reſpectivè Caroli Magni, Pipini ejus filii, & quàmplurium ſucceſſorum in Imperio, quæ habentur regiſtratæ apud præfatum Hiſtoricum Aſculanum, ac etiam apud Ughellium *tom.* 1. *Italiæ Sacræ* agendo de Eccleſia Aſculana; Ideoque licet obſervantia daret, quod concederetur illis ſubditis in temporalibus recurſus ad Congregationem Conſultæ, negabat tamen Epiſcopus poſſe appellari, vel recurſus haberi ad alia Tribunalia Urbis, & præſertim ad illud Auditoris Cameræ; quare deſuper per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Innocentium XI. deputata particulari Congregatione Cardinalium, & Prælatorum, atque inter iſtos, me tunc Prælato interveniente, dicebam, iſtam prętenſionem omninò vanam cenſendam eſſe; tum quia ubi etiam verum eſſet hoc præſuppoſitum, adhuc loca effecta erant de alto dominio Eccleſiæ Univerſa-

lis, & Sedis Apoſtolicæ, juxta deducta *diſc. 60. de feud.* unde propterea majorem juriſdictionem haberet Auditor Cameræ, qui eſt Judex appellationum, & recurſuum ab Epiſcopis, etiam in cauſis Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus, exceptis beneficialibus, quàm haberet Conſulta, ad quam datur ſolùm recurſus à Gubernatoribus in temporalibus Status Eccleſiaſtici; tum etiam, quia cùm ſint in confinio Status Eccleſiaſtici immediati, & dicti Regni Neapolitani, quod eſt etiam de Statu Eccleſiaſtico mediato, ut advertitur ſupra *num.* 11. non videtur quale jus deſuper haberent Imperatores; Oſtendendo quoque minus probantem dictorum Imperialium diplomatum fidem, dum illud præſertim Caroli Magni habet datam anni 878. & tamen ipſe creatus Imperator de anno 800. & obiit de anno 813. ſive 814. quem errorem agnoſcit Ughellius, eumque corrigere ſatagit, ſed abſque ſubſiſtentia, ut latius in quodam meo Voto, ſeu Diſcurſu deſuper edito, ideoque ſine dubio iſta Oppida, vel Caſtra dicenda ſunt de Statu Eccleſiaſtico, licet non de iſto Gubernio, atque in mappis exiſtentibus in Palatio Vaticano ſunt deſcripta. Habet autem iſta Civitas ſuum particulare ſtatutum, per quod fœminæ à ſucceſſionibus repelluntur in favorem maſculorum, de quo agit Dunozet. Jun. *deciſ.* 929. *num.* 8. ejuſque particula eſt infra la 16.

De Gubernio, ſeu Præſidatu Montis-alti Marchiæ.

COntinet ſub ſe Civitates Montis Alti, quæ eſt reſidentialis, & Ripæ Tranſonæ, atque infraſcripta
36 Oppida, & loca conſiderabilia.

Caſtignanum.
Coſignanum.
Force.
Montis Elpati.
Montis Floris.
Montis Fortini.
Montis Galli.
Montis Monachi.
Montis Novembris.
Montis Rubliani.
Offidam.
Petrignonis.
Porchiam.
Rotellam.
Sanctæ Victoriæ.

De Gubernio Urbis-veteris.

HAbet iſta Civitas ſtatutum fœminarum excluſivum, de quo loquuntur Cornel. *conſil.* 246. *lib.* 2. Rota
37 poſt Michalor. *de fratr. deciſion.* 16. & coram Duran. *deciſion.* 36. & coram Bich. *deciſion.* 350. *numer.* 31. & *in recent. deciſion.* 523. *num.* 1. *part.* 4. *tom.* 3. ejuſque particula eſt impreſſa infra in ordine la 183. Oppida verò, & Loca magis conſiderabilia, quæ ſunt in diſtrictu, ſeu comitatu dictæ Civitatis, atque ſub ejuſdem ſtatuto degunt, ſunt.

Abbatia.
Allerona.
Alvianum.
Benanum.
Bottum.
Carnaiola B.
Caſterubellum B.
Caſtilionis Tyberinæ habet ſtatutum, ut in particula 42.
Caſtrum Floris B.
Caſtrum Georgii B.
Caſtrum Viſcardum B.
Civitella Agliani.
Civitella Comitum B.
Collis longus.
Corbaria B.
Eabrum B.
Ficulle.
Hoſpitalettum.
Lubrianum.
Mealla B.
Meana B.
Montis Gabionis.
Montis Jovis B.
Montis Leonis.
Montis Rubialei B.
Montis Sancti Petri B.
Palatium Bovarinum,
Parranum B.
Poranum.
Pornellum B.
Produm B.
Ripalta B.
Ripaluella.
Rota Caſtellum.
Sala B.
Salcis B.
Sanctus Venantius.
Sanctus Victus.
Sermugnanum.
Suranum.
Titignanum B.
Trivignanum.
Turris Alfinę.
Turris Famæ B.
Turris SS. Severi, & Martirii B.
Vicenum B.

De Gubernio Æſii.

VT dictum eſt ſupra *num.* 27. agendo de Gubernio Marchiæ, vulgò Maceratæ, latina eloquutione attenta, iſta Civitas tradere videtur nomen Provinciæ, cujus incolæ Æſini populi appellantur, quod 38
unde proveniat meæ occupationes inquirere non permittunt; Probabile verò eſt, quod antiquioribus temporibus iſta eſſet Civitas reſidentialis Præſidis Provincię, quod deſumo ex eo, quod cum Cardinalis Ægidius Apoſtolicæ Sedis Legatus in univerſa Italica Ditione ſub Innocentio VI. ſex compilaſſet libros Conſtitutionum, quæ Ægidianæ appellantur, illæ poſt annos centum, & ultra prima vice impreſſæ, & publicatæ fuerunt in hac Civitate, ut patet ex earum antiquo volumine, quod tamen rarum eſt, cùm præ manibus volitet ſecunda impreſſio ſequuta ſub Cardinali Pio, ſeu Carpenſi in Pontificatu Pauli III. cum earumdem Conſtitutionum reformatione, & additione reſpectivè, ut latius magiſque diſtinctè in diſcurſu de Conſtitutione Ægidiana ſuper appellatione in poſſeſſorio.

Quamvis autem iſta Civitas exiſtat penè in centro dictæ Provinciæ, attamen à proprio regitur Gubernatore, independenter ab illo Provinciæ, illaque in ejus diſtrictu, vel territorio habet decem, & octo Caſtra, quæ vivunt cum ſtatuto Civitatis, quod nimium obſcurum, maleque conceptum videtur, ideoque litium productivum, ut videre eſt in ejus particula impreſſa in calce in ordine la 1. de quo ulterius agunt Rimin. Junior. *conſil.* 759. *in princ.* & *num.* 85. Gabr. *conſil.* 7. *lib.* 2. proindeque nimium commendabilis eſſet aliqua ejus declaratio, vel extenſio, ab illa Commnnitate facienda, cùm approbatione Pontificia, ut in pleriſque aliis opportunum eſſet, & laudabile.

De Gubernio, ſeu Præfectura Nurſiæ.

QUamvis legaliter, juxtà conſuetudinem Italiæ, & ſtylum Datariæ, & Cancellariæ Apoſtolicæ 39
huic loco nomen, ſeu vocabulum Oppidi conveniat, eo quia non eſt inſignitum prærogativa Eccleſiæ Cathedralis, utpotè de Diœceſi Spoletana, adhuc tamen de facto gaudet honorifica nuncupatione Civitatis, ut in pleriſque aliis locis verificatur, ex inſinuatis in Sypontina Cathedralitatis *diſc.* 2. *de præeminent.* & meritò ob populi numerum, & qualitatem, aliaſque circumſtantias, illam præſertim, quod quamplurium Caſtrorum, & Villarum in ejus territorio, vel deſtrictu exiſtentium dominationem hanc ſtatutariam, aliaſque territoriales prærogativas habet, ejuſque mentio habetur *diſc.* 110. *de regal.* occaſione agendi de quadam prærogativa fortè ſingulari, qua potitur circa pretium ſalis, magnumque ſortirur ſplendorem ex eo quod ſit patria S. Bene-

nedicti, ut inſinuatur *diſc.30. de præeminent.* ac fertur quoque eſſe patriam Veſpaſiani Imperatoris, quod tamen eſt in quæſtione cum Reatina Civitate, vel aliquo ejus Caſtro. Quamvis verò ſit in Provincia Umbriæ, non tamen ejus Gubernatori ſubjacet, ſed habet proprium independentem Gubernatorem Prælatum, qui Præfecti nuncupationem habet; iſtaque Præfectura ſub ſe complectitur Oppida Montis Leonis, Arquatæ, & Cerreti, quorum ſingula habent proprium, & particulare ſtatutum, ut de illo Arquatæ in particula 14. de illo Cerreti in particula 50. de illo Montis Leonis in particula 110. iſta tamen Oppida non ſunt de diſtrictu Nurſiæ, uti ſunt quamplura alia Caſtra, & Villæ, quæ vivunt cum ſtatuto loci dominantis, cujus particula in ea parte, in qua fœminæ excluduntur, eſt infrà la 125. & de eo loquitur Honded. *conſ.12. lib.1.* Rot. *deciſ.68. num.8. part.6.* Peutinger, *deciſ.65.*

De Gubernio Beneventano.

ISta Civitas eſt extrà circumdarium Status Eccleſiaſtici immediati, cum ſit in Regno Neapolis in Provincia
40 Principatus ultrà, undique à dicti Regni, & reſpectivè Provinciæ territorio circumdata, ſed ex antiquis conventionibus non eſt comprehenſa in dicti Regni inveſtitura, ideòque eſt de omnimodo dominio, regimine, & Statu immediato Eccleſiaſtico, habetque idem ſtatutum, cujus particula eſt in calce la 24. & de quo fit mentio infrà §.XIX. agendo de teſtamentaria ſucceſſione; ſed non complectitur alia loca, ideòque dominans dici non poteſt, cum ejus dominium, & gubernium reſpectivè reſtrictum ſit ad ſolam Civitatem, ejuſque territorium, in quo alia non ſunt Oppida, ſeu loca habitata.

De Gubernio Fani.

41 CElebre in Curia effectum eſt iſtius Civitatis ſtatutum ob caſum adeò acriter in Rota diſputatum, de quo *diſc.15. de ſucceſſion.* iſtudque Gubernium, ultrà Civitatem, continet ſub ſe quamplura loca, quæ omnia vivunt cum ſtatuto ejuſdem Civitatis; quod datur in calce in particula 68.

De Gubernio Civitatis Caſtelli, aliàs Tipherni.

COntinet iſtud Gubernium ipſam Civitatem, quæ ha-
42 bet ſtatutum, de quo fit mentio per Bald. *conſ.12. & conſ.258. lib.3.* Coccin. *deciſ.958. num.4. & 10. & deciſ.* 1451. *num.2. & diſc.9. num.12. de emphyt.* & datur in particula 56. & duo Oppida Citernæ, & Petrælongæ, ultrà villas, & loca non conſiderabilia; ex dictis autem Oppidis poſterius Petrælongæ regitur cum ſtatuto Civitatis; alterum verò Citernæ habet ſtatutum proprium, de quo loquitur Ludoviſ. *deciſ.279. & prius deciſ.255.* & ejus particula eſt infrà la 55.

De Gubernio Fabriani.

QVamvis iſte locus Epiſcopali dignitate, & per conſequens juxtà Italiæ mores, Civitatis titulo, & præro-
43 gativa non ſit decoratus; nihilominus attentis Populi numero, divitiis, induſtriis, præſertim in arte lanæ, in quibus tamen ab aliquo tempore citrà ex univerſalibus totius Italiæ, præſertim verò iſtius Principatus calamitatibus notabiliter defecit, ac etiam prærogativa juriſdictionali, quam habet in quampluribus Caſtris, & Locis ſibi ſubditis, ut infrà, multas Provinciæ Marchiæ Anconitanæ, in qua ſitus eſt, ſuperat Civitates, proprium habentes Epiſcopum; Non ſubjacet autem ejuſdem Provinciæ Præſidi, vel Gubernatori, ſed habet proprium Gubernatorem Prælatum immediatè ſubordinatum Conſultæ, ex ea ratione, quæ pleriſque aliis Civitatibus, & Locis ejuſdem Provinciæ, ac alterius Umbriæ, eamdem prærogativam habentibus, communis videtur, quod ſcilicet juxtà enunciata *in diſc.3. de feud. in princ.* & alibi ob notorios Italiæ motus quamplures Civitates, & loca, præſertim de tempore, quo Sedes Apoſtolica ab hac Provincia abfuit, deindèque durante ultimo ſchiſmate, ſibi vindicarunt libertatem, ad formam Rerumpublicarum ſe gubernando, vel à Tyrannis occupata fuerunt; undè propterea Sedes Apoſtolica ut ad priſtinum dominium, priſtinamque obedientiam reduceret, cum hujuſmodi prærogativis allicere prudenter curavit, propter abominatam ſubordinationem alteri ejuſdem Provinciæ Civitati, in qua Præſes, vel Gubernator præſideat, cum qua prius æmulationes, & bella habuerint. De potentia præſertim, & juriſdictione iſtius Oppidi, quod bellum cum finitimis locis habere ſolebat, liquet ex iis, quæ habentur *ſub tit. de feud. diſc.49. & diſc.* 135. ubi de concordia inita cum Comitibus de Genga ſuper quatuor Caſtris, vel Villis, in quibus iſta Communitas quoddam dominium, vel ſuperioritatem habere prætendit, ut abſque controverſia in pleriſque rebus habet in quatuordecim aliis Caſtris, ſeu locis exiſtentibus in ejus diſtrictu, vel comitatu, & per conſequens cadentibus ſub ejus gubernio, in quibus omnibus idem ſervatur ſtatutum fœminarum excluſivum, quod in eodem Oppido Dominanti viget, cujus particula eſt infrà la 67. & de quo loquitur Rota *deciſ.177. num.3. part.4. tom.2.* cùm præfata Caſtra, ſeu Loca ſubdita proprium, & particulare ſtatutum non habeant.

De Gubernio Sabinæ.

AGendo ſuprà de diſtrictu Urbis dictum eſt, quod penè omnia Loca huic Gubernio ſubjecta, ſunt infrà 44
diſtrictum, quodque licet nuncupationem habeat Provinciæ, attamen dici meretur potius unica Civitas diviſa in Pagos, eo modo, quo in Regno Neapolitano ſunt Civitas Cavarum, aliaque ſimilia Loca, ex inſinuatis *diſc.24. de iuriſdiction.* & alibi: Continet autem ſequentia Loca.

Aſpera.
Calvi, ſeu Carbi.
Cicignianum.
Collaltum B.
Confinii.
Cottanellum.
Labrum.
Lugnula.
Montis Aſulæ.
Montis Boni.
Montis Leonis.
Montis S. Joannis.
Pedelucum.
Peteſia B.
Sancti Pauli.
Scandrilia.
Stimiglianum.
Stronconium, de cujus ſtatuto fœminarum excluſivo loquitur Corn. *conſ.127. lib.1.* & datur in particula 162.
Taranum.
Utricolum.

De Gubernio Sancti Severini.

POntifex Sixtus V. Picenus propriæ Provinciæ amantiſſimus quampluribus illam decoravit privilegiis, præ- 45
ſertim verò erecta in Metropoliticam Eccleſia Firmana, ut eſt inſinuatum ſupra *num.32.* agendo de Gubernio Firmi, in quamplurimis Oppidis ſub diverſis Diœceſibus exiſtentibus, illa ab eis diſmembrando, erexit Eccleſias Cathedrales, ipſaque Oppida in Civitates, nempè Laureti, Montis-Alti, Tolentini, & Sancti Severini, de quo agitur, Diœceſis Camerinen. habetque proprium Gubernatorem Prælatum independentem, adeòut non ſubjaceat Gubernatori Provinciæ, atque iſtud Gubernium complectitur quamplura Caſtra, & Loca in Civitatis diſtrictu exiſtentia, quæ pro Diœceſi præfatus Pontifex aſſignavit, illaque propriis, & particularibus carent ſtatutis, ſed vivunt cum illo, quod extat in ipſa Civitate dominante, ut in particula 149. & de quo fit mentio per Bart. *conſ.138. lib.1.* Bald. *conſ.44. lib.4.* Rot. *deciſ.373. part.1. Recent.*

De Gubernio Civitatis Reatis.

SUb Judice adhuc lis eſſe videtur, an iſta Civitas comprehendatur ſub moderno diſtrictu Urbis, conſiſtente 46
in circumdario quadraginta milliarium, illæſa tamen veritate, magis communis videtur opinio, à quadam menſura comprobata, pro non comprehenſione; Quomodo autem iſta menſura fieri debeat, conferre videntur ea, quæ habentur deducta ſub *tit. de Regular. diſc.31.* ad effectum regulandi diſtantiam de loco ad locum; Quidquid autem ſit de hoc puncto, ad effectum, de quo agitur, niſi referre videtur, dum eadem Civitas habet proprium, & particulare ſtatutum, cujus particula eſt la 137. & de quo habetur actum *in tit. de ſucceſſion. diſc.12. & in deciſ.248.327. & 336.*

coram

coram Celſo ideòque cum illo procedendum eſt. Habet autem iſta Civitas quamplura Caſtra, & Loca in ejus territorio, vel diſtrictu, quorum tamen particularem mentionem facere opportunum non videtur; tum quia parum conſiderabilia ſunt; tum etiam quia propria, & particularia non habent ſtatuta, ideòque omnia pariformiter vivunt, & regulantur cum Statuto Civitatis dominantis; quamvis circa modum collectandi difformiter vivant, & regulentur, adeòut inter ipſam Civitatem, & Caſtra diſcordiæ, & lites eſſe ſoleant, ut patet ex *diſc.*136. *de regal.*

De aliis Guberniis minoribus non ſubordinatis.

INcertum eſt qua ratione (cujus reſiſtentia potius dignoſci videtur) aliqua inferiora Gubernia non Prælatitia,
47 ſint à Legatis, vel reſpectivè Præſidibus Provinciarum independentia, atque adinſtar majorum, & Prælatitiorum immediatè ſubjecta Conſultæ. De duplici verò ſpecie illa ſunt, quoniam aliqua ſunt intrà Urbis diſtrictũ, ut exempli gratia ſunt illa Civitatis Caſtellanæ, Sutrii, Nepis, Farfæ, & ſimilia, de altera verò ſpecie ſunt Civitates, Amerina, Civitatis Plebis, Interamnæ, & Narniæ; Redacta igitur ad ordinem Alphabeticum, unà cum Oppidis ſunt infraſcripta.

Ameria, ubi adeſt ſtatutum fœminarum excluſivum, ut in particula 4.
Caſcia.
Civitatis Caſtellanæ.
Civitatis Plebis, ubi idem viget ſtatutum, ut in particula 58.
Farfa.
Interamna, ubi uiget eadem ſtatutaria diſpoſitio, ut in particula 84. & de qua agitur *diſc.*14. *de ſucceſſ.* Put. *deciſ.* 302. *lib.*3. *& deciſ.*146. *num.*4. *& deciſ.* 329. *n.*1. *part.*10. *& deciſ.*37. *num.*1. *part.*11.
Labrum.
Maſſa, cujus ſtatuti particula eſt infra la 91.
Mathelica.
Montis Caſtelli, ubi eadem viget ſtatutaria diſpoſitio, ut in particula 102.
Montis Marſciani.
Montis S. Joannis.
Narnia, quæ habet ſtatutum, ut in particula 123. & de eo loquitur Merlin. *deciſ.*353. *& deciſ.*390.
Nepeſina.
Ronciglionis, ubi vivitur cum ſtatuto Caſtri, de quo in particula 43.
Sancti Salvatoris Majoris.
Sutrina, ubi viget ſtatutum, ut in particula 163.
Valentanum, ubi pariter viget ſtatutum Caſtri.
Viſſium.
Utricolum.

De aliis Provinciis, Ditionibus, Civitatibus, & Locis Italiæ, extrà Statum Eccleſiaſticum.

PEr univerſam Italiam vigere hujuſmodi ſtatuta fœminarum, & cognatorum excluſiva, favore agnatorum maſculorum, frequenter, penèque concorditer teſtantur Doctores, & præſertim Florian. Caſtrenſ. & alii relati per Tuſch. *lit. S. concluſ.*656. *n.*30. 31. *&* 48. Poſt latam enim legem à Juſtiniano, in Græcia exæquantem in ſucceſſionibus fœminas maſculis, pletæque Italiæ Civitates proprias tulerunt leges repellentes fœminas à ſucceſſione, quæ poſteà vocatæ fuerunt ſtatuta, ut obſervant Knipſchilt *de fideicom. cap.*8. *num.*205. Paganin. Gaudent. *de leg. quæ fœmin. à ſucceſſion. repell. cap.*8.

Procedendo itaque cum eodem ordine alphabetico, de quo ſupra; inter Provincias, Civitates, & Loca Italiæ extra Statum Eccleſiaſticum, viventia cum ſtatutis particularibus, ad agnationis favorem proſpicientibus, mediante fœminarum excluſione, inter alia adſunt, & reperiuntur.

Albingana; de cujus ſtatuto meminit Cæphal. *conſ.* 147. *num.*9. *lib.*3.
Alexandria; cujus ſtatutum ad rem ponderant Cravett. *conſ.*743. *num.*6. Menoch. *conſ.*317.
Aretium; de quo actum habetur penes Roman: *conſ.*4. Bald. *conſ.*47. *lib.*5. Dec. *conſ.*52. 617. *&* 693. *& diſc.*50. *de ſucceſſion. in ſupplem.* ejuſque ſtatuti particula eſt impreſſa in calce Operis inter particulas ſtatutorum vigentium in Provinciis, & Civitatibus extra Statum Eccleſiæ, & eſt in ordine la 1.
Aſtenſis; cujus ſtatutum perpendunt Bald. *conſ.*327. *lib.*5. Natt. *conſ.*74. *num.*1. Bellon. jun. *conſ.*38. *num.*2. Theſaur. *deciſ.*63.
Barenſis, cujus conſuetudo fœminarum excluſiva viget pene in tota illa Provincia, & eſt impreſſa inter dictas particulas in ordine la 2.
Bergomum, de cujus ſtatuto loquuntur Cæphal. *conſ.*547. Menoch. *conſ.*280. *num.*1. Duran. *deciſ.*31. & in Theatr. *diſc.*19. *num.*2. *de ſucceſſion.*
Brixia, de quo agunt Ruin. *conſ.*27. *lib.*1. Menoch. *dict. conſ.*280. *num.*5. Fulgoſ. *conſ.*84. *& d. diſc.*19. *num.*2. *de ſucceſſion.*
Canetum; de quo mentionem facit Cyriac. *contr.*71. *n.*23.
Caſalenſis; cujus ſtatutum refert Cyriac. *contr.* 565. *n.*1. *& 4. & antea contr.*386. *in princ.*
Caſtillionis à Stiveriis; quod conſiderat idem Cyriac. *Contr.* 504. *num.*81.
Caſtri Goffredi; de quo rem habet pariter Cyriac. *contr.* 588. *num.*1.
Collenſis; ſuper cujus ſtatuto extat *deciſ.* Buratt. 188.
Corrigiæ; quod examinat Ciarlin. *contr.*246. *num.*1. *& ſeqq.*
Cortona; de quo Bald. *conſ.*2. 9. *&* 10. *lib.*4. Giovagnon. *conſ.*13. *& conſ.*14. *lib.*2. Menoch. *conſ.*95. *num.*59.
Coſſanum; de quo memorat Surd. *deciſ.*535. *num.*13.
Cottanenſis; cujus ſtatutum tradit Bald. *conſ.*205. *lib.*4.
Cremona; de quo differit Caren. *reſol.*23. Surd. *conſ.*343. *ſub num.*19. *verſic. ſecundo moveor.*
Cumarum; quod innuit Signorol. *conſ.*153. *circa princ.*
Feltrum; cujus ſtatutum recenſet Cuman. *conſ.*90.
Florentia; de cujus ſtatuto pertractant Caſtrenſ. *conſ.*304. *num.*4. *lib.*1. Lap. *alleg.*101. Bartholom. Soccin. *conſ.*114. *lib.*4. Giovagnon. *conſ.*2. *lib.*1. & in Theatr. *diſc.*8. *&* 9. *de ſucceſſion.* ejuſque particula eſt in ordine la 3.
Janua; ſuper cujus ſtatuto interpretationem faciunt Caren. *reſol.*172. Rot. *deciſ.*89. *num.*6. *part.*5. & in Theatr. *diſc.* 4. *de ſucceſſ. & diſc.*28. *de legitim.* cujus particula eſt infra la 4.
Inſula; de quo Surd. *conſ.*343.
Lonzinum; quod memoratum reperitur à Signolor. *conſ.* 233. *ſub num.*1.
Luca; de cujus ſtatuto peragunt Angel. *conſ.*221. Imol. *conſ.* 114. *num.*4. Zucchar. *deciſ. Lucenſ.*9. *num.*1. Palma ſen. *conſil.*90. *num.* 11. *&* 12. Altograd. *conſ.*64. *per tot. lib.*1. Manz. *conſ.*14. *num.*7. *lib.* 1. *& conſil.*106. *lib.*2. *& in diſc.* 10. *de legitim.* ejuſque particula eſt la 5.
Mantua; ſuper quo plura colligunt Bartholom. Soccin. *conſ.*153. *num.*24. *lib.*2. Bald. *conſ.*452. *&* 453. *lib.*1. *& conſ.* 456. *lib.*3. Angel. *conſ.* 359. Zabarell. *conſ.*22. Cyriac. *contr.*654. *uum.*3. Surd. *deciſ.*9. *&* *deciſ.*138. in Theatro *diſc.*11. *de feud.* & datur in particula 6.
Maſſa; ſuper cujus ſtatuto ſcripſit Dec. *conſ.*563.
Mediolanum; de quo Signorol. *conſ.*2. *& conſ.*66. *in princ.* latèque Carpan. *ad eadem ſtatuta Mediolan.* & eſt impreſſum particula 7.
Mirandola; ſuper quo conſuluit Cæphal. *conſ.*509.
Montis Ferrati; cujus ſtatutum tangit Surd. *conſ.*100. *& conſ.*475. *num.*11.
Montis Politiani; de quo Pariſ. *conſ.*47. *lib.*3. Riminald. jun. *conſ.*249.
Montis Sanctæ Mariæ; de quo fit mentio per Bald. *conſ.* 131. *& conſ.*132. *lib.*2. Dec. *conſ.*71.
Mutina; ſuper cujus ſtatuto plura congerunt Alex. *conſ.* 69. *lib.*1. Menoch. *conſ.*240. Rimin. jun. *conſ.*694. *num.*24. Rot. *deciſ.*364. *num.*18. *part.*5.
Neapolis. Dupliciter iſtud vocabulum conſiderandum eſt. Primò nempè particulariter, tamquam denotans ipſam Civitatem cum ejus Suburbiis, & Caſtris, quæ ibi Caſalia dicuntur, & Secundò generaliter, ut potè pro communi loquendi uſu denotans totum Regnum Siciliæ citrà, quod poſt diviſionem ab alia Sicilia ultrà Pharum priùs dici conſuevit Apuliæ, à moderno verò tempore dici conſuevit Neapolitanum, ob reſidentiam, quam Reges cum eorum Conſiliis, & Tribunalibus habere conſueverunt in iſta Civitate, quæ propterea de facto, non autem de jure, Metropolis figuram facit;

Atten-

Attenta prima ſignificatione particulari, habet proprias conſuetudines in ſcripturam redactas, inter quas habetur iſta ſuper fœminarum excluſionem, ut in particula 8. ſed iſtæ conſuetudines non egrediuntur ipſam Civitatem, ejuſque particulare territorium, & de his particulariter in Theatro *de legit. diſc. 2. & ſeq. & de dot. aiſc. 103. & alibi* Attenta verò altera ſignificatione generali complexiva totius Regni, adeſt Conſtitutio, quæ incipit *In aliquibus*, & Doctores paſſim, & frequenter tractant, ut infrà verbo *Sicilia*.

Nicienſis; cujus ſtatutum exornatur à Bellon. jun. *conſ.* 74.

Novaria; de quo Dec. *conſ.* 107. Rot. *deciſ.* 223. *num.* 14. *part.* 5.

Onelia; quod perpenditur à Natt. *conſ.* 266.

Padua, de cujus ſtatuto meminerunt Petr. de Ancharan. *conſ.* 26. Pariſ. *conſ.* 100. *num.* 3. *verſ. ſolum lib.* 2. Cæphal. *conſ.* 501. *num.* 53.

Papienſis; de quo agunt Curt. jun. *conſ.* 5. Merend. *lib.* 18. *controv.* 1. *tom.* 3. & eſt in particula 9.

Parma; cujus ſtatutum ponderatur à Bald. *conſ.* 295. *lib.* 2. Dec. *conſ.* 261. *lib.* 2. Put. *deciſ.* 341. Seraph. *deciſ.* 822. & in Theatr. *diſc.* 21. *de ſucceſſion.*

Piſæ; de quo Menoch. *conſ.* 235. Barth. Soccin. *conſ.* 122. *num.* 1. *lib.* 3. & eſt in particula 10.

Piſtorium; quod examinat Bartholom. Soccin. *conſ.* 280. *lib.* 2.

Plumbinum; de quo in Theatr. *diſc.* 11. *de ſucceſſion.*

Pontremolum; ſuper quo ſcripſerunt Manz. *conſ.* 276. *lib.* 3. *conſult.* 397. 398. & 399. *lib.* 5. & Palma jun. *allegat.* 89. *lib.* 1.

Rhegium; cujus ſtatutum recenſent Angel. Aretin. *conſ.* 80. Rimin. jun. *conſ.* 269. *num.* 48. Menoch. *conſ.* 1170. Ciarlin. *contr.* 45. *in princ.* Cyriac. *contr.* 405. *num.* 28. Rot. *deciſ.* 527. *num.* 7. & *ſeqq. part.* 14. *recent.*

Sancti Salvatoris; de quo Menoch. *conſ.* 293. *num.* 5.

Sanglianum; de quo Bald. *conſ.* 171. *lib.* 2. & *conſ.* 371. & *conſ.* 372. *lib.* 5.

Sarthianum; de cujus ſtatuto mentio habetur penes Bald. *conſ.* 467. *lib.* 2.

Saxolum, cujus ſtatutum interpretatur Rimin. jun. *conſ.* 608.

Secuſia; de quo differit Theſaur. *quæſt. forenſ.* 42. *num.* 10. *lib.* 1.

Senarum; ſuper cujus ſtatuto ſcripſerunt Roman. *conſ.* 399. Caſtrenſ. *conſ.* 175. 422. & 442. *lib.* 1. & *conſ.* 83. *lib.* 2. Dec. *conſ.* 332. Corn. *conſ.* 61. *lib.* 4. Put. *deciſ.* 139. *lib.* 2. & habetur impreſſum particula 11.

Siciliæ Regnum ultrà Pharum habet Conſtitutionem, quæ incipit *In aliquibus*, quæ eſt impreſſa in calce particula 12. ſuperius enunciatam ſub verbo *Neapolis*, quia huic etiam Regno Siciliæ citrà Pharum eſt communis, utpotè edita de tempore, quo unicum erat Regnum, & de iſta Conſtitutione frequentiſſimè agunt Doctores utriuſque Regni, & de ea pluries fit mentio in *Theatro*, præſertim *ſub tit. de dot. diſc.* 105. & *diſc.* 113. occaſione agendi an dos ſuccedat loco legitimæ; & alibi.

Sinodria; de cujus ſtatuto Oldrad. *conſ.* 135.

Taurinum; de quo memorat Theſaur. jun. *quæſt.* 69. *lib.* 2. & *deciſ.* 62. & *deciſ.* 263.

Tridinum; de quo Nat. *conſ.* 581.

Treviſium; de cujus ſtatuto loquitur Cuman. *conſ.* 125. Bald. *conſ.* 183. *lib.* 1. Menoch. *conſ.* 293. *num.* 5.

Verona; de quo Fulgoſ. *conſ.* 62.

Vicentia; ſuper quo conſuluerunt Cuman. *conſ.* 35. Pariſ. *conſ.* 36. *num.* 27. & *ſeqq. lib.* 2. Cæphal. *conſ.* 578.

Vignalis; de quo Bald. *conſ.* 94. *lib.* 3.

Vitelliana; de quo Cyriac. *contr.* 476. *num.* 1.

De aliis Provinciis, & Populis extra Italiam.

NEc in Italia ſolùm hujuſmodi ſtatuta fœminarum excluſiva introducta reperiuntur, ſed etiam extra Italiam plerique Populi, & Provinciæ iiſdem uſi ſunt, & utuntur, adeò ut univerſi ferè Orbis civilis, præſertim noſtræ communicationis, mos generalis dici poſſit ille reepllendi à ſucceſſionibus fœminas exiſtentibus maſculis, ut teſtatur Origen. *homil.* 22. *cap.* 27. *lib. Numer.* ibi: *Hæc ſecundum Hiſtoriam. Quid vigoris habeant omnibus palam eſt, qui ſciunt leges iſtas non ſolum apud filios Iſrael cuſtodiri, ſed apud omnes homines, qui tamen legibus vivunt.*

Africa, etenim habet hujuſmodi conſuetudines, & ſtatuta fœminarum excluſiva, teſte Jo. Bodino *de Republ. lib.* 5. *cap.* 2.

Alemanni Veteres idem obſervarunt mediante antiqua ipſorum lege promulgata tempore Clotarii Regis ſub *capit. duar. ſoror.* ad tradita per Rolbag. *certam. maſculo-fœmin. de leg. ſalic. in prælud. num.* 31. Tholoſan. Syntagm. jun. *lib.* 45. *cap.* 4. *num.* 4.

Angli, Scoti, & Dani conſimiles leges habent, ut obſervat idem Rolbag. *in certam. maſculo-fœmin. de leg. ſalic. num.* 44. & *ſeqq.* & *in prælud num.* 35.

Armeni cum hujuſmodi conſtitutionibus fœminarum excluſivis uſque ad tempora Juſtiniani regulabantur, ut ipſemet Juſtinianus teſtatur Novell. 21. Tholoſan. *ubi ſupra num.* 3. Gaudent. Paganin. *de leg. quæ fœmin. à ſucceſſ. repell. cap.* 6.

Aſia pariter ſimiles leges ſervat, ad notat per Bodin. *de Republ. d. lib.* 5. *cap.* 2.

Avernia itidem morem excludendi fœminas colit Caſſan. *ad conſuet.* Burgund. *rubr.* 7. §. 12. *in princ.*

Bajoarii fœminas à ſucceſſionibus excludebant, ut profitetur Tholoſan. *ubi ſupra num.* 4.

Burgundi mulieres à ſucceſſionibus arcent Caſſan. ubi ſupra, Tholoſan. *loc. cit. num.* 5.

Galli habent notiſſimam legem Salicam, per Carolum Magnum renovatam in ſuis Capitularibus *tit.* 62. *des Alodes num.* 6. ibi: *de terra Salica nulla portio hæreditatis mulieri veniat, ſed ad virilem ſexum tota Terræ hæreditas perveniat*, de qua pertractant Paganin. ubi ſupra *cap.* 5. Rolbag. *loc. cit. num.* 33. Carpzou. *de pact. confraternit.* Saxonico-Haſſiac. *concluſ.* 3. Tholoſan. *ubi prox. num.* 8.

Quamvis revera iſta lex Carolina non eſſet peculiaris illorum locorum, qui juxtà hodiernum uſum veniunt ſub nomine Gallorum, ſed congrueret omnibus illis Provinciis, & regionibus, quæ citrà, & ultrà Rhenum erant ſub præfati Legislatoris dominio. Cùm enim omnes illæ Regiones eſſent ſub dominio Romanorum, poſtmodum verò Gens Franconia ſub Rege, vel Duce Pharamundo illarum partem occupaſſet, circa initia quinti ſæculi, & acquiſitionum progreſſus continuaſſent ejus ſucceſſores Reges, nuncupati de Prima ſtirpe, à quibus condita fuit dicta lex, quæ Salica nuncupatur, denominationem ſumendo à quibuſdam populis Saliçis, apud quos ordinata fuit. Hinc in eiſdem Provinciis, vel Regionibus orta eſt legum, & modi vivendi diverſitas, quæ aliquas pariebat confuſiones, quoniam aliqui populi vivebant cum hac nova lege, & aliqui continuabant cum antiquis legibus Romanorum, quæ tunc non erant, juxtà ſubſequutam compilationem Juſtiniani in Codice, & Novellis, vel Authenticis, dum iſtius Imperium fuit ad ſæculum circiter, poſtquam ibi Romani Imperii dominatio ceſſaverat, ſed erat juxtà id, quod continetur in Pandectis, & in aliquibns fragmentis Codicis Theodoſiani; atque ex tunc originem habuit illa diſtinctio, quæ etiam hodiè viget in aliquibus ex his Regionibus, inter Jus Romanorum, ſive Italicum, & Jus Francorum, ſive Gallicum; quare ad tollendas confuſiones, quas propterea praxis docebat, præfatus Carolus Pipini filius, qui fuit Rex de ſecunda ſtirpe Caroli Martelli, poſt jam extinctam primam Pharamundi, ſive Clodovei, leges edidit ſub nomine Capitularium, ut hiſtorici fortè melius, quàm Juriſtæ obſervant.

Germani ſimiliter illuſtres familias cum hujuſmodi pactis, & conſuetudinibus, etiam Imperiali approbatione roboratis, in ſucceſſionibus regulant, ut videre eſt in *integr. tract.* Nicolai Boetii *de pact. famil. illuſtr.* & Philip. Knipſchild. *de fideicom. famil. nobil. cap.* 8. *num.* 206.

Longobardi, ſive alii feudorum introductores idem ſtatuerunt in feudis, ut *in lib.* 1. *feudor. tit.* 8. *de ſucceſſ. feudor.* In aliis autem bonis, quòd filiæ habere non poſſent niſi tertiam partem, ſancivit Luitprandus *in leg.* Longobard. *lib.* 2. *tit.* 20. *l.* 2. quam refert Tholoſan. *d. lib.* 45. *cap.* 4. *num.* 2. & latè Albert. Brun. *ad ſtatut. quod ſtant. maſcul. art.* 2. *num.* 4. & 5.

Nivernenſis Comitatus eaſdem leges ſuper fœminarum excluſione obſervat, Chaſſan. *ad conſuet.* Burgund. *dict. rubr.* 7. §. 12. *in princ.* Tholoſan. *ubi proximè num.* 5.

Pariſiis, & in aliis Galliæ Urbibus ſimiles conſuetudines, & ſtatuta particularia vigere teſtatur Gulielm. de Bened.

in

in cap. Raymutius verb. duas habens num.126. de teſtament.
Ripuarii fœminas propter maſculos excludebant, ut *in tit.* 57. §.3. *pag.*460. apud Lindembrog. *in Codic. l. antiquar.* ibi: *Quouſque virilis ſexus extiterit, fœmina in hæreditatem Aviaticam non ſuccedat* & notant Rolbag. *ubi ſupra num.*32. Paganin. *d.tract.cap.*6.
Saxones in propriis legibus idem regiſtrarunt, ut *in cap.*38. ibi: *Pater, aut mater defunctis filiis, non filiæ hæreditatem relinquant*, ad relata per Paganin. ubi ſuprà *cap.*6. Rolbag. ubi ſuprà *in prælud. num.*32. Lindemborg. *in Cod. l.l. antiq. tit.*56. §. 3. *pag.*460. Tholoſan. *mox citatus num.*7.
Trigurini demum idem à ſuis populis obſervandum determinarunt, ut refert Lindembrog. *in Cod. l.l. antiq. tit.*6. §.1. *pag.*473.
Ex quibus, & aliis, quæ per minus occupatum de facili poterunt in majori copia perquiri, liquet ad evidentiam, quod iſte ſit mor univerſalis, non ſolum Italicæ regionis, ſed cæterorum Populorum, qui cum legibus vivunt; quodque malè illi primi Interpretes, qui fuerunt in enunciato duodecimo ſæculo, in quo ſequuta fuit præmiſſa caſualis legum civilium inventio, receperunt dictum Jus noviſſimum conditum in Græcia, Romanorum, & Italorum, allarumque gentium legibus, & moribus contrarium, ut ſuprà.

a *Ex relatis deciſ.* 101. *part.* 10. *recent. cum aliis diſc.*83. *num.*3. *de Regal.*
b *Conſ.*218. *ex iis, quæ habentur per Mandoſ. ad Roman. ubi ſupra Rot. apud Buratt. deciſ.*332. *nu.*11. *& ſeqq. cum aliis latè collectis per Adden. ad deciſ.*378. *part.*4. *tom.*2. *Rec. & inſinuatur d.diſc.*83. *de Regal. num.*4. *& diſc.*39. *n.*13. *de alienat. & contract. prohib.*
c *præſertim ſub tit. de Iudic. diſc.*35. *num.*20. *& ſeqq. & ſub tit. de legitim. diſc.*10. *& alibi.*
d *In l. quicumque num.*13. *C. de ſerv. fugit.*
e *Diſc.*35. *de iudic. num.*20. *& ſeqq. & alibi.*
f *Diſc.*1. *de ſervit. diſc.*161. *de regal. ac etiam infra in §. ſeq.*
g *Vt advertunt Peregrin. conſ.*63. *num.*5. *& ſeqq. lib.*1. *& deciſ.*1. *Patavin. Surd. conſ.*560. *num.*5. *& 6. Theſaur. iun. lib.*2. *quæſt.*49. *in fin. & alii.*
h *Diſc.*3. *de feud. & alibi.*
i *Eodem diſc.*35. *de iudic. ex num.*20.
l *Dicto diſc.*35. *de iudic. num.*20. *& alibi pluries.*
m *In d. diſc.*39. *de alienation. & contract. prohibit.*
n *Diſc.*190. *de regal.*
o *Sub tit. de feud. diſc.*74. *& ſeq. ac etiam alibi inſinuatur.*
p *ſub tit. de iuriſd. diſc.*89. *& ſub tit. de iudic. diſc.*13. *n.*50.
q *Diſc.*35. *de iudic. & de dot. diſc.*22. *&* 143. *& alibi ſæpius.*
r *Sub tit. de regal. diſc.*72. *&* 94. *tit. de iuriſdict. diſc.*53. *tit. de ſervitut. diſc.*35. *in relat. Curiæ, agendo de dictis Tribunalibus diſc.*34. 36. *& ſeqq. & alibi.*
ſ *Diſc.*1. *de præemin. diſc.*145. *de benefic. ac etiam in relat. Curiæ diſc.*13. *agendo de Vicario Vrbis.*
t *d. diſc.*72. *n.*9. *de regal. & in Relatione Curiæ diſc.*37. *n.*19. *agendo de Senatore, & de Foro Capitolino.*
u *Diſc* 20. *de ſucceſſione ab inteſt. diſc.*2. *& ſeqq. de legit. eiuſque particula eſt in fine operis impreſſa in ord. la* 180.
x *diſc.*155 *de dot. n.*16. *& quando dos ſuccedat loco legitimæ, diſc.*1. *&* 5. *de legitim.*
y *diſc.*52. *de teſtament.*
z *Vt advertitur in Acernen. ſub tit. de iuriſd. diſc.*24.
aa *De quibus agitur in tit. de ſucceſſ. diſc.*5. 13. *et* 22.
bb *Præſertim diſc.*2. *de feud. diſc.*39. *de alienation. & contract. prohibit. & alibi.*
cc *Enunciat. diſc.*80. *de regal. diſc.*80. *de iuriſd. diſc.*39. *de præeminent. et alibi.*
dd *Bonden. colluctat. legal.*28. *n.*64. *Coccin. deciſ.*2141. *n.*12.
ee *Ex deductis diſc.*39. *de alienat. et contract. prohibit.*
ff *Diſc* 1. *de feud.*
gg *Iuxta ſeriem, de qua diſc.*1. *de præeminent.*
hh *De feud. diſc.*83. *ex n.*10. *in titul. de præeminent. diſc.* 29. *de iuriſd. diſc.*90. *& in opuſculo de Principe cap.*8. *& alibi.*
ii *Vt advertitur eodem diſc.*1. *de feud.*
ll *Vt advertitur diſc.*93. *de feud. diſc.*2. *de donation. & alibi ſæpius.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Compertum verò ſit, quòd nonnullæ Doctorum, & Tribunalium interpretationes, ac limitationes, vel reſtrictiones præmiſſum finem à populis, juxta eorum, ac regionis antiquos, & continuatos mores impediunt, præfataſque leges, ac proviſiones penè inanes reddunt, ſive frequentes producunt lites, perturbationes, incommoda, & diſpendia, adeòut quandoque expediat potiùs non deferri, nec aperiri ſucceſſionis beneficium, quod ita in maleficium propriique aſſis jacturam convertitur;

ARGUMENTUM.

Quales eſſent antiqui, & medii mores Romanorum, & Italorum in hac ſucceſſionum materia, & de varietate legum eorumdem Romanorum, ſeu civilium in eadem materia, & de hiſtoria legali.

SVMMARIVM.

1 *In Italia ſunt communia hæc ſtatuta.*
2 *De probatione, quòd antiqui mores Romanorum, & Italorum eſſent conformes his ſtatutis.*
3 *De Sacra Scriptura idem diſponente, & de moribus Hæbræorum.*
4 *De legibus duodecim Tabularum, quas Romani à Græcis habuerunt, & quando.*
5 *De lege Voconia innovante leges duodecim tabularum, favore agnationis.*
6 *De noviſſimo iure Iuſtiniani, dictæ legis Voconiæ innovativo.*
7 *De eadem lege Voconia.*
8 *Cum quibus auctoritatibus in prædictis Romanorum legibus diſtinguendis procedendum ſit.*
9 *De ſucceſſione adoptivorum.*
10 *De ſucceſſione patris, & matris, aliorumque aſcendentium.*
11 *De hiſtoria legali.*
12 *De legibus Longobardorum.*
13 *De introductione, & uſu feudorum, eorumque ſucceſſione.*
14 *De inventione, & receptione legum civilium.*
15 *De ordinatione ſtatutorum, & quare.*
16 *Ex qua auctoritate leges civiles attendantur.*
17 *De præſuppoſito, ſeu de ratione, ob quam ſtatutis multæ reſtrictiones datæ fuerunt.*
18 *De utraque copulativa ſubiectione neceſſaria perſonarum, & de bonorum ſituatione.*
19 *Quid de bonis in territorio de directo dominio Eccleſiarũ.*
20 *De ſubiectione perſonarum.*
21 *De caſu mixto perſonæ non excluſæ, quæ ſit in medio.*
22 *De aliis reſtrictionibus ſtatutorum.*
23 *De litibus, quas dictæ reſtrictiones producunt.*
24 *De dote reſervata fœminis excluſis.*
25 *Quare dictæ quæſtiones formiter non diſputentur, et ubi de illis videndum.*

§. III.

EX inſinuatis cum aliqua, non tamen vitioſa, nec inutili, ſed proficua, & miſterioſa, fortèque neceſſaria prolixitate in §. præcedenti, liquet quòd per univerſam Italiam, magis verò in hoc Principatu penè communia, & univerſalia ſunt hujuſmodi ſtatuta, tendentia ad finem conſervationis bonorum in agnationibus; undè propterea verificatur id, quod in noſtra Conſtitutione dicitur, tales eſſe regionis, & populorum mores, quibus proindè contrariantur illæ reſtrictiones, ac limitationes, per quas, ceſſantibus ſtatutis, reverſio fiat ad jus commune, quod potiùs dictis moribus adverſatur. 1

Ad

Ad probandum verò id, quod in eadem Conſtitutione dicitur, quod præfati mores ſunt antiqui, connaturales, & continuati; in diſcurſu ejuſdem Congregationis præparatorio, ad removendas difficultates in contrarium fortiter excitatas, ut in præfatione animadvertitur, rem altiùs examinando, advertebam, quòd quidquid ſit de magis antiquis noſtræ Italiæ, & præſertim iſtarum regionum legibus, & moribus, antequam Romanus Populus eſſet in rerum natura, cum deſuper nullas habeamus hiſtorias, & traditiones, undè propterea res eſt in ambiguo: tamen in ea potiùs eiſdem moribus, agnationi favorabilibus, veriſimilitudo aſſiſtere videtur, ob illam omnium antiquiorem in dictis temporibus jam extantem hiſtoriam Sacræ paginæ veteris Teſtamenti Numer. *cap.* 3. 27. & 36. ex qua liquet de eiſdem Judaici populi moribus pro conſervatione bonorum in agnationibus, & familiis. *a* Quod etiam in eiſdem antiquis temporibus, aliis quoque populis, & nationibus eſſe commune magnæ docet veriſimilitudo, ex quodam naturali inſtinctu, quoad id homines ubique impelli videntur, ut in §. antecedenti etiam animadverſum eſt.

Ubi verò more Juriſtarum ad ſolas Romanorum leges, & mores nos reſtringere deberemus, quaſi quod ob dominationem, quam iſti in toto pene Orbe habuerunt, & ob leges, quas eidem Orbi tradiderunt, ab eis in ſucceſſivis, ac hodiernis temporibus norma capienda ſit, ponderabam, quod licet in primis iſtius naſcentis Reipublicæ temporibus, quando Romanus populus, adhuc ſub Regum dominatione, exiguus, barbarus, & litterarum ignarus erat, leges obtinere curaverit à Græcis, tunc in re litteraria florentibus, fortèque ab illis, qui in ipſamet Italia erant in illa Calabriæ parte, quæ propterea Magnæ Græciæ nomen ſortita fuit; exindèque juxtà hiſtorias, vel fabellas, quas noſtri majores, non abſque varietate, & ſimplicitate narrant, prodierint leges duodecim tabularum, per quas, vel juxtà ipſorum Græcorum tunc vigentes mores, vel ex ejuſdem Romani Populi tunc barbari ſimplicitate, quamvis in aliquibus adhuc deterior per eos facta eſſet conditio fœminarum, & cognatorum, in pleriſque tamen effecta fuit æqualis. Nihilominus expulſis poſteà Regibus, quorum dominatio, antiqua barbarie adhuc ſortè perſeverante, à Romulo conditore uſque ad Tarquinium Superbum, ſpatio annorum 240. circiter duravit, atque populo libertatem vindicante, & in Reipublicæ ſtatu conſtituto, cũ exinde nimiùm in armis, & litteris creviſſet, ac profeciſſet, ſub Voconio Plebis Tribuno, conſulente, ac perorante Marco Catone Cenſorio ad annos circiter 140. juxtà unam ſententiam, & 200. circiter, juxtà alteram, agnoſcendo quàm Reipublicæ, & populo proficuum, & opportunum eſſet, bona in maſculis de familia, & agnatione conſervari, excluſis fœminis, & cognatis, prodiit Plebiſcitum, cui legis Voconiæ nomen attributum eſt, per quod, correcta præfata lege duodecim tabularum, excluſio fœminarum, & cognatorum, favore maſculorum, & agnationis, ſtatuta fuit, atque cum hac lege continuatum fuit uſquequo per ſpatium quinque circiter ſæculorum in ipſa Urbe Roma, & in Italia Romanum Imperium ſedem habuit. Poſtquàm verò Conſtantinus Primus, qui Magnus nuncupatur, eamdem ſedem tranſtulit in Thraciam, ſeu Græciam, eamque fixit in Bizantina, ſeu Conſtantinopolitana Civitate, alias nova Roma nuncupata, adhuc ſpatio aliorum duorum circiter ſæculorum, quibuſdam modicis exceptis alterationibus, cum eiſdem legibus, eiſdemque moribus continuatum fuit uſque ad Imperium Juſtiniani, ſequutum circa initia ſexti ſæculi, de anno ſcilicet 510. deindèque ad quindecim, vel viginti circiter Imperii annos doctus quidem, & ingenio eminens, callidiſſimus autem aulicus Tribonianus, ut dominatrici Theodoræ adularetur, res notabiliter alterare cœpit ad favorem fœminarum, & cognatorum, cum magna ſanè varietate, prout de illo Hiſtorici dicere ſolent, quòd modò leges figebat, modò verò refigebat; undè propterea iniquiſſimi attributum, ex communi eorumdem Hiſtoricorum teſtimonio, reportavit, ut patet ex Inſtitutionibus, & ex aliquibus conſtitutionibus regiſtratis in ſecundo, ſeu ultimo Codice Juſtiniano, quem ob primi amiſſionem habemus; Ac demum in illo jure, quod Novellarum, ſeu Authenticorum dicitur, & quod per noſtros communiter noviſſimum appellatur, toto levato velo, generalis ſequuta eſt dicti priori juris Romanorum correctio, & abolitio, tollendo penitus differentiam ſexus, & agnationis, & cognationis, ac etiam aſcendentium, & collateralium, ſtatuendo illum ſuccedendi ordinem, quem, attenta juris currentis communis diſpoſitione, in praxi receptum hodiè habemus.

Et quamvis aliqui, antiquæ eruditionis potiùs, quàm practicæ juriſprudentiæ profeſſores, præfato noſtro præparatorio diſcurſui cenſuram facientes, magis quam rei, ac materiæ veritatem inquirentes, magnam vim in eo conſtituerent, quòd lex Voconia fœminas non generaliter, & abſolutè excluderet, ſed ſolùm ab hæreditatibus opulentioribus, cenſum centum millium excedentibus *b* ponderando adverſus encomium Sexti Cecilii, apud Gellium, ad favorem dictæ legis, contrariam objurgationem D. Auguſtini, qui eam iniquam dicit; ac pariter cum aliquorum antiquariorum auctoritate ponderarent, quòd etiam antè Juſtinianum, imò antè dictam translationem Romani Imperii in Græciam, ſub Imperatore Hadriano dicta lex Voconia, vel abolita, vel in magna parte moderata fuiſſet, nimium quoque elaborando in temporibus, in quibus per Juſtinianum conditæ fuerint Novellæ, ſive Authentica, in quibus jus noviſſimum conſiſtere dicitur, & an vivente Theodora, vel potius poſt ejus mortem, & an per ſolum jus Authenticorum, vel etiam per alias ejuſdẽ Imperatoris conſtitutiones, in Codice regiſtratas, excluſio fœminarum correctionem, vel moderationẽ recepiſſet. Advertebam tamen iſtas, aliaſq; ſimiles conſiderationes, dignas quidem eſſe, ut in academicis diſcurſibus deducerentur, ad oſtentandam antiquitatum eruditionem, nil autem facere ad rem noſtram, dum non cum Hiſtoricorum, & Antiquariorum ſenſibus, & opinionibus, adeò inter ſe variis, in practico foro pro juſtitia adminiſtranda, & cauſis decidendis, procedendum eſt, ſed cum illa legali ſerie certa, & authentica, utpotè eorumdem temporum, in quibus illa legum civilium compilatio, quam habemus, ſequuta eſt, & per eoſdem compilatores, *in Inſtitutionibus ſcilicet in tit. de legitima agnatorum ſucceſſione*. Tunc enim in præciſi temporis veritate immorandum eſt, quando illud eſt de ſubſtantia, adeòut ex unius, vel alterius temporis varietate notabilis effectus, vel rerum alteratio ſequatur; ſed ubi talis effectus non reſultat, tunc nil id refert, ut habemus in varietate, quæ in teſtibus in tempore dignoſcatur, adeòut inutile ſtudium cenſendum ſit illud Chronologiſtarum in hoc adeò elaborantium, quando aliquis proficuus effectus exindè non ſequatur, ut in præſenti, quoniã, an in uno, vel alio anno Imperii Juſtiniani, & an antè, vel poſt mortem Theodoræ id ſequutum ſit, nil refert, cum ſufficiat verificari ſubſtantiam, ut ſub Juſtiniano per jus noviſſimum id factum ſit.

Et ulterius, ſi quæ dictæ legis Voconiæ moderatio ſequuta fuit ante Juſtinianum ex aliquibus Imperialibus conſtitutionibus in Codice regiſtratis, id pariter contigit poſt dictam translationem Imperii in Græciam, ideòque juxtà Græcorũ potiùs, quàm Italorum mores ſequutum fuit, dum illæ leges, quæ Imperio adhuc in Urbe Sedem habente, latæ fuerunt, conſiſtunt, in reſponſis Juriſconſultorum regiſtratis inter Pandectas *ſub eod. tit. de legit. agnatorum ſucceſſione*, in quibus agnatorum ſolùm eſt jus inteſtatæ ſucceſſionis, cum ea differentia inter illa, & noſtra tempora, quòd non ſolum agnati per naturam, & per veritatem, ſed etiam per arrogationem, vel adoptionem ad ſucceſſionem admittebantur, ex iis, quæ de ſucceſſione adoptivorum habẽtur in ſua Sede *c*. Ac etiam quia moderationes dictæ antiquæ legis Voconiæ, ad favorẽ fœminarum, reſpiciũt ſolùm filias, vel ad ſummum ſorores, nullatenus autem reliquos cognatos, multò verò minùs matrem, & aſcendentes per latus maternum, imò neque patrẽ, vel avum paternum, quoniam in iſtis nõ dabatur jus ſucceſſorium, ſed potiùs vindicatio bonorum jure peculii, dum introductio peculiorum, atque admiſſio patris, aliorumque aſcendentium cum matre, aliiſque lateris materni aſcendentibus, & cum fratribus, eorumque filiis, & cum diſtinctione inter utrinque conjunctos, & illos, qui ex uno tantùm latere conjuncti eſſent, ſequuta ſunt ſub dicto Juſtiniano, & ex ejus legibus, ſive novæ, ſive noviſſimæ dicendæ ſint *d* Ideòque firmum remanet, quod antiqui Romanorum, & Italorum mores eſſet conformes illis modernis, quos ſtatuta docent, dum immutatio ordinis ſucceſſorii agnatitii in Græcia, non autem in Italia ſequuta eſt.

Et quod magis conſiderandum venit, præfata Græcorum immutatio nullam induxit in Italis antiquorum morum, & legum immutationem, quoniam, ut habetur in hiſtoria legali, frequenter quidem, ſed ſemper utiliter, & opportunè repetita *e* de tempore, quo ſub prædicto Imperatore Juſtiniano præfatæ leges conditæ, & reſpectivè compilatæ fuerunt, circa dicta initia ſexti ſæculi, Imperialis poteſtas, & dominatio in Urbe, & in Italia jam penè annihilata erat, ob intermedias

in-

incursiones,& dominationes Gothorum, Vandalorum, Herulorum, aliarumque nationum, sub quarum imperio qualis fuerit successionum ordo, incertum est, dum earum leges nō habemus; probabilis tamen est continuatio antiquarum legum,& morum, ob eamdem subsequutam diuturnam continuationem sub Longobardis, ut infrà; ex regula, quod positis extremis media præsumuntur, & ex altera regula, quòd innovatio in dubio non præsumitur, nisi probetur. Et quamvis sub eodem Justiniano, qui quoad ejus mores, & virtutes non multum à scriptoribus commendatur, ab eisdem verò fortunatissimus reputatur in eo, quod habuerit eximios viros in armis, & litteris, ejus ministerio addictos. In armis nempè, quia eis mediātibus Gothorum, tunc in Italia dominantium, vel totalis, vel notabilis expulsio facta fuerit, Roma præsertim recuperata, mediante opera ejus Illustriū Ducum Belisarii, & Narsetis, adeòut Imperialis potestas jam deperdita, in aliqua parte restituta fuerit: Et in litteris, quia cum ejus insignium Jurisconsultorum Triboniani, Theophili,& Dorothei opera sequuta sit reformatio, & editio corporis Juris Civilis, quod ejus nomini adeò singularem peperit celebritatem. Nihilominus cum tam dictæ compilationes legum, quàm isti felices bellorum eventus, potiùs circa finē, quam circa initia Imperii contigerint, incertum est, an præfatæ leges juxtà illam complationem, & editionē, præsertim verò dictæ Novellæ Constitutiones, sub Authenticorum vocabulo explicatæ, cōtinentes illud jus novissimum, per quod omnimoda antiqui successorii ordinis immutatio facta fuit, in Italiam venerint, ibique receptæ, & practicatæ fuerint, dū nullum desuper habemus concludens testimonium, atq; probabilior est negativa; vel quod si venerunt, & publicatæ fuerunt, non tamen receptæ, & practicatæ, ob nimium brevem dicti restituti, seu recuperati Imperii durationem, dum sequuta morte Justiniani, sub Justino ejus filio, opera ejusdem Narsetis, ob muliebrem imprudētiam indignati, ista Provincia occupata fuit per Longobardos, qui ejus longam pluriū
12 sęculorum habuerunt dominationem, enarratam per Carol. Sigon. de Regno Italiæ, aliosque Historicos; istique leges cōdiderunt, quæ adhuc habentur impressæ,& registratæ in corpore dicti juris civilis, post volumen Authenticorum, & Institutionum, & quarum aliquæ reliquiæ adhuc vigent in quibusdam Provinciis Regni Neapolitani *f* adeòut à duobus sęculis citrà istud esset jus commune in Regno Neapolis *g* prædictarum verò legum civilium, seu Romanorum nullà habebatur notitia, atque spatio plurium sæculorum perierat memoria, dum solùm per manus eruditorum, quorum nimium rarus erat usus, circumferri solebant quædam fragmenta, quæ habentur collecta per Gratian. *in Decreto*; Dictisque Longobardorum legibus attentis, idem fuit successionis ordo in agnatis masculis, pro conservatione bonorum in familiis, exclusis fœminis,& cognatis; ideòque in antiquis moribus Romanorum continuatum fuit. Cumque, sive sub eisdem Longobardis, juxta unam opinionem, sive juxtà alte-
13 ram sub Germanis, vel Franchis, occasione adventus in Italiam Pipini, & Caroli Magni, aliorumque ejus successorum in moderno Imperio Occidentis, introductus esset usus feudorum; quorum proinde duas naturas, vel species habemus, unam, quæ dicitur Juris Lōgobardorū,& alterā, quæ dicitur Juris Francorum *h* adhuc idem inductus fuit ordo successorius in masculis agnatis exclusis fœminis,& cognatis, *ut eod. tit. de feud.* frequenter advertitur; & sic de continuatione hujusmodi antiquorum morum usq; ad sæculum duodecimū, in quo dictarum legum civilium casualis inventio sequuta fuit, juxtà dictam historiā, nullatenus videtur posse dubitari.

Postquam itaque, sequuta dicta casuali inventione, cœpe-
14 runt in eodem duodecimo, magis verò in decimotertio sæculo dictæ leges, tamquam elegantes, rationabiles, benèque ordinatæ recipi per populos magis, quàm dictæ leges Lōgobardorum inelegātes, malè ordinatæ, & in magna parte barbaræ,& irrationabiles, adeòut habita notitia de melioribus, asininæ appellari,& reputari cæperint; Compertum verò sit, quod antiquæ,& veræ leges Romanorum contentæ in Pandectis, quæ depromptæ fuerunt ex Romanorum Jurisconsultorum responsis, essent quidem in hac materia successionis adaptatæ ipsorum antiquatis, atque ut suprà connaturalibus,& continuatis moribus: eis autem non congruerent, sed potiùs adversæ essent modernæ leges Græcorum potiùs, quàm Romanorum; Hinc iidem populi paulatim, unis alio-
15 rum vestigia,& exempla insequentibus, solliciti fuerunt sibi condere istas particulares, & statutarias leges, quæ revera, attenta dicta serie, non continent immutationem, & correctionem antiqui juris communis jam vigentis, recepti, & obligatorii, ut leguleicum vulgus ineptè putat, sed ut locis mox citatis advertitur *i* potiùs continet declarationem voluntatis non acceptandi in hac parte dictas leges, novissimas sed cōtinuandi cum legibus,& moribus tandiu usu receptis; dum dictæ leges civiles non ex Justiniani legislatoris, sed ex voluntaria populorum receptione, & usu, & ex Principum permissione legum vim habent, in hoc verò Principatu fortè 16
singulariter dictam vim habent ex dispositione expressa juris Pontificii *in cap.* 1. *de nou. oper. nunciat.* ut in casibus, in quibus Canones non disponunt, attendi debeant; Ideòque ex his liquidò constat, benè, ac fundatè in nostra Constitutione dici, quod Doctorum,& Tribunalium restrictiones, vel interpretationes,& limitationes, per quas, cessante statutaria dispositione, reversio sit ad præfatum nouissimum jus Græcorum, adversantur populorum antiquis, & naturalibus moribus.

Interpretationes autem, seu restrictiones, & limitationes in eadem Constitutione enunciatæ, atque per eam de medio sublatæ, multæ sunt ex eodem principio, seu præsuppositio manantes, quòd immutatio dispositionis juris communis 17
proveniat à sola potestate, vel jurisdictione statuentium; isto namq; retento præsuppositio infertur necessariam esse copulativè utramque subjectionē dictæ jurisdictioni, & potestati statuentium, tam personarum, inter quas est contētio successionis, quàm etiam bonorum, in quibus est succedendum; 18
idque adeò rigorosè præcipitur, ut negetur unio, seu combinatio statutorum diversorum locorum, quæ concordent, idemque disponant, statuti scilicet personarum, & alterius bonorum, ac propterea quamvis omnes personæ cōtendentes sint ejusdem loci,& statuentium jurisdictioni, ac potestati subjaceant, non tamen statutaria dispositio attenditur, & operatur in bonis sitis extrà ejus territorium, ultrà quod jurisdictio non extenditur; ex indèq; resultant magnæ,& involutæ quæstiones super qualitate bonorum, de quorū successione agitur, ad dignoscendum eorum situationem, & quæ nam loco circumscribātur, atque in eis cadat situatio,& quæ loco non circumscribantur, sed sequantur personam, quod præsertim disputari contingit in illis bonis, quæ tertiam cōstituunt speciem, quia neque vera mobilia, neque vera stabilia sunt, ut ex. gr. sunt census consignativi ad formam Bullæ Pii V. super fundis stabilibus,& fructiferis, ac etiā sunt jura, quæ habentur cum Principe, vel Republica, quæ in Urbe loca montium dicūtur, alibi verò fiscalia, vel redditus super arrendamentis, aut jura cum Rege, cum similibus vocabulis in idem tendentibus; nec non eadem quæstio cadere solet in juribus,& actionibus, an regulentur à natura bonorū, ad quæ competunt, cum similibus. Quinimò data etiam situatione in loco per veritatem, & proprietatem, ut in veris stabilibus, ac rebus soli contingit, adhuc intrat dubitatio respectu illorum bonorum, quæ sint de directo dominio Ecclesiarū, vel 19
personarum Ecclesiasticarum, dictæ jurisdictioni,& potestati statuentium non subjectarum, possideantur tamen per sæculares, inter quos contentio sit super solo dominio utili, vel subalterno jure feudi, vel emphyteusis, seu livelli, vel perpetuæ locationis, absque eo, quod Ecclesia sit in causa, vel quod aliquod patiatur præjudicium, dum occasione agendi de Ægidiana firmatum est, ut etiam ista bona habeant exemptionem à legibus laicalibus. *l*

Et quoad personas, non solum requiritur subjectio in personis contendentibus de successione, unde propterea fœmi- 20
næ, vel cognati aliàs exclusi admitti debeant, si sint clerici, vel religiosi, aut moniales; sed etiam attendi debeat persona defuncti, de cujus successione agitur, quod si esset clericus, vel aliàs persona Ecclesiastica, quamvis illi, qui supersunt, atque de successione contendunt sint sæculares, & subditi statuto, adhuc tamen istud intrare non debeat ratione exemptionis defuncti. Quare dicebam, quod si exemptio à jurisdictione, & potestate statuentium indefinitè attendenda est, idem dici deberet ubi defunctus, vel succedentes essent laici, sed accidētaliter exempti à jurisdictione,& potestate illius Communitatis, vel Domini loci statuentis, puta quia sint familiares Episcoporum, vel Cardinalium, aut Ministri, familiares, & patentati Sancti Officii, vel Fabricæ Sancti Petri, & similes, aut quod essent milites exemptione fori gaudentes, cum similibus exemptionibus.

Et ulterius, his etiam omnibus exemptionibus cessantibus, adeòut verificaretur absque controversia personarum, & bonorum subjectio, & comprehensio, quod nimium rarum,& difficilè est ad praxim reduci, adhuc tamen alia datur restrictio, ratione mixturæ personæ non exclusæ in medio 21
exi-

exiſtentis, qualis ut plurimum eſt mater, tunc enim iſta perſona inducit caſum mixtum, & per conſequens ceſſare facit ſtatutariam diſpoſitionem, ut propterea reverſio fiat ad jus commune, non ſolum in gratiam perſonæ non excluſæ in medio exiſtentis, quæ mixturam facit, ſed etiam ſi iſta perſona non poſſit, vel nolit ſuccedere, adeòut perſonis excluſis locus fiat. Ac etiam ut ſtatuta diſponentia de ſucceſſionibus
22 morientium ab inteſtato non procedant in ſucceſſionibus inteſtabilium, & an fœminarum, & cognatorum excluſio ſit ſimplex, & perpetua, vel potiùs temporanea, & cauſativa, donec extant maſculi agnati, quibus deficientibus detur perſonis excluſis reintegratio, cum ſimilibus reſtrictionibus, ſeu veriùs ſuperſtitionibus, inter quas illa eſt, ut eadem ſtatuta ad litteram, & in caſibus, in quibus expreſsè diſponunt, attẽdi debeant, prohibita quacumque extenſione, quamvis rationis identitas, vel majoritas urgeat, & quamvis aliquod abſurdum dignoſcatur, ut præſertim contingit in caſu, in quo majoris remaneat potentiæ cauſatum, quam cauſa, cũ ſimilibus *m* undè liquet rectè verificari id, quod in textu dicitur,
23 quod ità penè inanes remanent hujuſmodi leges. Ac etiam verificatur id, quod ibidem dicitur, ut frequentes producant lites, perturbationes, & incommoda, adeòut ſucceſſionis beneficium in maleficum potiùs, propriique aſſis jacturam, & diſperſionem convertatur, dum eædem reſtrictiones, ac interpretationes non ſunt pacificæ, ſed inter Doctores controverſæ, variis varia de more ſentientibus, iiſdemque Tribunalibus modò uni, modò alteri adhærentibus opinioni, quod anſam, & fomentum tribuit litibus, acerrimè, & obſtinatè ſuſtinendis, cum domorum, & familiarum exterminio, ut frequenter ſum expertus.

Neque in his deſinunt quæſtiones, dum poſita etiam pacifica operatione ſtatutorum in jure ſuccedendi, adhuc tamen
24 aliæ ſuperſunt involutæ quæſtiones, circa dotem, quæ per eadem ſtatuta fœminis excluſis attribuitur, & reſervatur, an ſcilicet illa ſuccedat, neç ne loco legitimæ, tam circa quantitatem legitimæ proportionatam, quàm circa privilegia tranſmiſſionis, & fructuum, & alia, & an unica dos ſufficiat pro excluſione ab omnibus ſucceſſionibus, quas deferri contingat, vel potiùs tot eſſe debeant dotes, quot ſunt ſucceſſiones, & hæreditates. Ac etiam an fœminæ excluſæ, & dotatæ faciant numerum, & partem, & ad cujus favorem, & undè illarum dos detrahi debeat, cum ſimilibus.

Super his autem, aliiſque ſimilibus quæſtionibus voluminoſus tractatus de facili compilari poſſet, illas diſtinctè, ac
25 ſingillatim diſputando ad partes, inanis verò iſte labor cenſendus eſſet reprehenſione dignus in his adnotationibus, dũ per noſtram Conſtitutionem, ſi non in totum, ſaltem in magna parte abolitæ fuerunt, atque tunc opportuna eſſet earum formalis diſputatio, quando, ut aliqui juſtitiæ zelatores optabant, Conſtitutio proceſſiſſet per viam declarationis, unam potiùs, quàm alteram canonizando opinionem ſuper dictarum reſtrictionum, & interpretationum improbabilitate; ſed quoniam viſum non eſt ex prudentialibus, juſtiſque motivis per hanc viam ambulare, ut advertitur infrà in §. VII. idcircò tale opus, tamquam ſuperfluum, atque viro nimiùm occupato incongruum negligitur; qui verò cupit ſuper dictis quæſtionibus in earum notabili parte ſibi ſatisfacere, videre poterit in Theatro *n* in locis, in quibus ex profeſſo de his agitur, in aliis verò ſparſim, & incidenter, atque ita melius dignoſcet, quantum iſta Conſtitutio proficua, & opportuna, imò neceſſaria fuerit.

a *Vt advertunt Richter. in authentic. in ſucceſſ. C. de ſuis, & legit. num.* 110. *in fin. & ſeqq. Io. Selden. de ſucceſſ. ad l. l. Hebræorum cap.* 23. *Menoch. de Republ. Hebræorum lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 3.

b *Ex relatis per Alciat. in Parerg. iur. lib.* 5. *cap.* 23. *Zaſ. in cathal. legum antiquar. tit. lex Voconia, & Leonard. Quoq; in Comment. ad S. Auguſt. de Civit. Dei lib.* 3. *cap.* 21.

c *Diſc.* 53. *de ſucceſſion.*

d *Vt advertitur præſertim diſc.* 15. *de ſucceſſ. ab inteſtat. & alibi.* e *diſc.* 1. *de ſervit. & in eius annotationib. diſc.* 161. *de regal. diſc.* 1. *de ſucceſſ. ab inteſt. & alibi.*

f *Vt patet ex commentariis Maxillæ ad conſuetudines Barenſes, & ex deductis per modernum earumdem legum defenſorem Anichin. de prævention. atque aliquid de illis inſinuatur ſub tit. de dot. diſc.* 105. *& eod. diſc.* 1. *de Servit.*

g *d. diſc.* 1. *de ſervit.*

h *Sub tit. de feudis diſc.* 8. *& ſeq.*

i *d. diſc.* 1. *de ſervitut. & diſc.* 1. *de ſucceſſion. ab inteſtat. De iudiciis diſc.* 37. *& alibi, & in ſpecie ad effectum huiuſmodi ſtatutorum deciſ.* 136. *& deciſ.* 274. *coram Bich. & deciſ.* 170. *coram Otthon. & deciſ.* 89. *part.* 10. *rec.*

m *De prædictis, & aliis reſtrictionibus tot. tit. de ſucceſſ. ab inteſt. in Theatro.*

n *In titulis de ſucceſſ. ab inteſtat. de legit. & de dote.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Unde propterea iidem populi præfati noſtri Status Eccleſiaſtici tam immediati, quàm mediati Italiæ apud Nos eorum voluntatem, ac deſiderium explicantes, preces porrexerunt, ut deſuper opportunè providere dignaremur, præfatorumque ſtatutorum, ac legum, ſeu proviſionum, generalem, ac indefinitam obſervantiam, prout jacent, & diſponunt, demandaremus, quibuſcumque Doctorum, & Tribunalium rejectis interpretationibus, adeòut univerſalis, ac uniformis in quolibet loco ſit ordo ſuccedendi, ad propriorum reſpectivè Statutorum, & legum normam, ſeu præſcriptum.

ARGUMENTUM.

An, & quando conſenſus populorum in legibus ſit neceſſarius, & exquiri debeat.

SUMMARIUM.

1 *Qualis ſit Status Eccleſiaſticus, de quo Conſtitutio loquitur.*
2 *De conſenſu populorum, & an laudabile ſit illum requiſitum eſſe, & ad quem effectum.*
3 *Principi non informato eſt replicandum.*
4 *Cuius populi ſenſus exquiri debeat.*
5 *De inimicia inter Curiam, & Principatum.*
6 *Qualis Princeps commendatione ſit dignus.*
7 *De odio virtuoſo, & commendabili, & de amore vitioſo, & damnabili.*

§. IV.

QUales ſint enunciati Populi Status Eccleſiaſtici Italiæ, 1
tam immediati, quàm mediati, & de qua mediatione loqui, atque diſponere ſoleant Apoſtolicæ Conſtitutiones, aliæque proviſiones, jam dictum eſt ſupra in §. 1. & 2. in quorum poſteriori idem Status diſtinctè deſcribitur: pro immediatis intelligendo de locis nulli Baronali, vel Domicellariæ juriſdictioni, & poteſtati ſubjectis, atque ſub Papæ, ejuſque Gubernatorum, & Officialium immediato regimine exiſtentibus; de mediatis verò in illis, qui ſunt ſub regimine Baronum, & Domicellorum, habentium ſolùm qualitatem, & juriſdictionem baronalem ſub omnimoda ſuperioritate, atque cum libero ſubditorum recurſu ad ipſum Papam, ejuſque Officiales, & Tribunalia per viam appellationis, vel recurſus, & querelæ, non autem de illa mediatione magis remota, quæ verificatur in feudis majoribus veræ dignitatis cum Regalibus, & jure Principatus, in quibus, excepto alto, ſeu altiſſimo dominio, exceptiſque aliis juribus concernentibus feudalitatem, in reliquis omnimoda juriſdictio, & adminiſtratio eſt penes feudatarium in figura ſupremi Principis.

Quamvis autem aliqui non laudaverint iſtam diligentiam exquirendi conſenſum, & voluntatem populorum 2
ſubditorum, eo quia ille populorum conſenſus, qui per jus civile deſideratur in legibus condendis, tamquam unum ex requiſitis neceſſariis, ut lex valida, perfecta, & obligatoria ſit *a* non requiratur in legibus Papalibus, eo quia Papa non recognoſcit poteſtatem à Populo, ſicuti recognoſcunt alii Principes ſæculares, ſed immediatè à Deo, undè propterea adverſus ejus leges allegari non poteſt non uſus, vel uſus contrarius, qui in aliis legibus allegari poteſt *b* Nihilomi-

lominus dicebam, quòd ista objectio, vel dubitatio non applicatur, quoniam requisitus non fuit per ipsum Principem sensus, vel voluntas populorum, tamquam consensus, qui necessarius reputaretur ad validitatem, & perfectionem legis, quasi quod sine ipso lex condi non potuerit, nec debuerit, dum in hoc etiam quoad alios Principes deferendum est stylo, vel consuetudini, sed (ut in præfatione advertitur) ista fuit mea diligentia, & opportuna cautela ad perscrutandum populorum sensum, & desiderium ipsi Principi insinuandum, illumque de eo informandum, ut consultius, & maturius determinaret, an expediret hujusmodi legem condere, necne. Siquidem licet, penè in omnibus Principatibus, ex consuetudine, in legibus condendis, aliisque provisionibus faciendis (ut praxis docet) consensus populorum non reputetur necessarius ad earum perfectionem, & validitatem, sed eo ipso quòd publicantur, obligant, ut præsertim docet inconcussa praxis istius Principatus, etiam in temporalibus; Tamen valdè laudabile, ac prudens consilium est, ut Princeps quando vult condere aliquam legem, quæ concernat interesse, & commodum, vel incommodum populorum, curet se informare de eorumdem populorum sensibus magis communibus, ne aliàs procedendo non informatus, atque agnoscendo posteà legis impracticabilitatem, vel inconvenientia, cogatur eam revocare, dum sæpius Princeps non informatus facere solet ea, quæ non merentur exequutionem, sed potiùs retractationem, ideòque, ubi sit absens à loco exequutionis, licitum est ejus Magistratibus, & Officialibus denegare exequutionem, ad effectum illud informandi, pluries etiam replicando. *c*

In hoc autem sensu exquirendo præbendæ non sunt aures populo, tam alto, quàm infimo, vel medio Metropoliticæ, vel residentialis Civitatis Principis, ejusque Curiæ, quoniam ut pluries insinuatur in dicto opusculo *de Principe*, ac etiam in particulari discursu ejusdem Italici idiomatis edito super inimicitia inter Curiam, & Principatum, in quo cum multis argumentis, & practicis exemplis concludenter, & ad evidentiam probatur aperta inimicitia, magnaque contrarietas, quæ dignoscitur inter Curiam, & Principatum, dum Curia principaliter cupit, quærit, & commendat propria, & privata commoda, publicasque lætitias, & delectationes, quæ omnia tendunt in damnum, & perniciem Principatus, ejusque populorum; ideòque ut plurimum, fortèque semper, & absque limitatione, qui Curiæ placere vult, Principatui displicebit, illumque malè gubernabit, & econversò qui placet Principatui, ejusque, & populorum publicas utilitates, & commoda curat, cum recta, & rigorosa justitiæ administratione, pro publica quiete, & tranquillitate obtinenda, & cum diligenti, & charitativa œconomia publicorum reddituum, ac resecatione, vel suppressione damnabilium exemptionum, & privilegiorum, ut ita minora sint onera, utique parum gratus erit Curiæ; juxtà id, quod in spiritualibus passim habemus, quod qui placere vult Deo placere non potest hominibus, & econversò; sed isto casu, & ob istam causam rectè verificatur assumptum in quodam alio meo discursu super odio virtuoso, & amore vitioso plenè, & convincenter comprobatum, quòd frequenter odium censendum est commendabile, & virtuosum, amor verò vitiosus, & damnabilis, istaque fuit præfatæ diligentiæ ratio, ut ità scilicet Princeps de Populorum voluntate, & moribus circa succedendi ordinem certus redderetur.

a *Disc.35.de Iudic.& alibi occasione agendi de Legibus.*
b *Dict.disc.35.de Iudic.& disc.1.de Censibus & alibi.*
c *Sub tit.de Regal.disc.148.num.3.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Hinc Nos præmissorum populorum, qui Nobis, & Apostolicæ Sedi, etiam in temporalibus, tam immediatè, quàm mediatè crediti sunt, commodo, utilitati, quieti, & tranquillitati, quantum fieri potest, consulere cupientes, eorumque votis, & supplicationibus annuere volentes.

ARGUMENTUM.

Quomodo, & quando Princeps exaudire debeat preces subditorum, & an debeat esse facilis, vel difficilis ad gratias.

SUMMARIUM.

1 *IN quo sint partes boni, & veri Principis.*
2 *In quibus rebus Princeps audire debeat preces, & vota populorum, eisque annuere.*
3 *Quando benignitas, & concessio gratiarum sit commendabilis, vel è converso damnabilis.*
4 *Damnantur gratiæ de delictis, & quare.*
5 *Quare non sufficiat remissio partis offensæ.*
6 *Quando causa dicatur finalis, & quando impulsiva, & de effectibus.*
7 *In legibus universalibus non intrat distinctio causæ assignatæ, an sit finalis, vel impulsiva.*

§. V.

BOni, & veri Principis partes explere ostendit noster Pontifex, exaudiendo preces, & vota populorum sibi commissorum, eorumque commodo, utilitati, quieti, & tranquillitati consulendo, dum, ut superiùs insinuatur in §.1. boni Principis partes, & munus non consistunt in exigendo à populis subditis honores, obedientiam, obsequia, servitia, tributa, & onera, nil autem, vel parum cogitando ad eorumdem subditorum commoda, utilitates, quietem, & felicitatem, sed principaliter vacando propriis commodis, propriisque delectationibus, & sensualitatibus, cum istæ sint partes Tyranni; consistunt dum in eo ut more benevoli, providi, ac diligentis patris familias, principaliter curet id, quod noster zelantissimus Pontifex cupere, & curare profitetur, subditorum commoda, & utilitates propriis anteponendo. 1

Non tamen generaliter, ac indifferenter omnibus subditorum votis, & precibus promptæ, & apertæ debent esse aures Principis, promptaque voluntas in concedendo quidquid petitur, sed id sequi debet in iis, quæ justa, æqua, & rationabilia sunt, atque principaliter publicam concernunt utilitatem, quæ, non curato quandoque privato præjudicio, prævalere debet, vel in iis, quæ concernunt quidem utilitatem privatam, sed absque ullo præjudicio tertii, vel Reipublicæ, seu publicæ utilitatis, rectèque administrationis justitiæ; non autem ubi unum, vel alterum dignoscitur præjudicium, tunc etenim illa, quam ignarum, & stultum vulgus dicit, & commendat, benignitas, & gratia, malignitas potiùs, iniquitas, & injustitia dicenda est; cum in concursu justitiæ, & æquitatis, vel gratiæ, prior semper attendi, & prævalere debeat; atque tunc benignitas, & gratiosa natura in Principe desideranda est, & commendari meretur, quando versatur in merè gratiosis, absque præjudicio tertii, sub cujus nomine venit non solùm alter priuatus, qui de damno, & rei, vel juris sui jactura contendat, sed etiam quando nullo privato in causa existente, præjudicium sit publicum, & publicæ quietis, ut verificatur in gratiis, quæ fiunt de delictis, etiam ubi accedat remissio, vel consensus partis offensæ, quæ ita proprio juri, ac præjudicio renunciet; quoniam adhuc superest altera pars offensa longè major, & nobilior, qualis est Respublica, sive publica justitia, quæ invindicata remanet, neque istius offensæ remissio admittenda est, nisi quando aliqua adsit causa, quæ æquè publicam utilitatem, vel necessitatem concernat, ut ita publicum cum publico compensetur, atque aliàs Princeps malè ejus partes explerè dicitur *a*. Et quidem in hoc dignoscitur error popularis superficialium, qui solam difficultatem in aggratiando delinquentes constituunt in præjudicio partis offensæ, & in defectu pacis, & remissionis, quasi quod, ista concurrente, nulli fiat injuria, nullumque resultet præjudicium, ideòque locus esse debeat benignitati Principis, cui deneganti attribuitur titulus severi, & gratiarum inimici, non reflectendo, quod adhuc remissa per partem injuria, & offensa privata, remanet major injuria, & offensa justitiæ, & Reipublicæ pro publica quiete; Quinimò ista ratio publicæ vindictæ non solùm urget contra solam personam delinquentis pro vindicta, & punitione perpetrati criminis, & sic pro solo actu de præterito, sed magis pro futuro, & etiam respectu aliorum, qui cum severa punitione delinquentis terreantur, & arceantur à delinquendo, & econversò ne cum gratiis, & indulgentiis 2 3 4 5

alii,

alii, qui malam animam, malumque genium ſortiti ſunt, ſub ſpe obtinendi ſimiles indulgentias invitentur, atq; faciles reddantur ad delinquendum, ad quod advertendum eſt.

Miſteriosè autem cumulantur plures cauſæ impellentes legislatorem ad hanc legem proferendam, una ſcilicet precum à populis porrectarum, & altera, ut ſubditorum commodo, utilitati, tranquillitati, & quieti con-
6 ſulatur, ne alias legislatore ad unam cauſam tantum ſe reſtringente, inſurgere valeant ſolitæ Juriſtarum ſubtilitates, & ſuperſtitiones litium productivæ, quod quando unica aſſignatur cauſa, illa dicenda ſit finalis, & omnimoda, ut propterea in aliquo caſu, ob ejus circumſtantias, illa ceſſante, ceſſare debeat lex, vel diſpoſitio, cujus contrarium ſequitur, quando plures aſſignantur cauſæ, vel rationes, quoniam juxta diſtinctionem frequenter in foro decantari ſolitam, & receptam, ex plu-
ries inſinuatis *ſub tit. de renunciation.* & alibi, in hoc diſtinguitur cauſa finalis ab impulſiva, quod finalis dicitur quando eſt unica, impulſiva verò quando eſt multiplex, adeout una ceſſante, non per hoc diſpoſitio ceſſet, ut prætendi poteſt, quando eſt unica, & per conſe-
7 quens finalis. Ultra quod hujuſmodi inſpectio cadere potius videtur in particularibus diſpoſitionibus, & proviſionibus percutientibus jus, & intereſſe privatorum; ſecus autem quando agitur de legibus univerſalibus, in quibus non de facili admittitur illarum ceſſatio ob ceſſantem rationem, juxta ea, quæ agendo de teſtamentis eçcorum deducuntur *ſub tit. de teſtament. diſc.* 18. & alibi. Id autem in hac lege, de qua agimus, diſputationem non admittit, cum intentio legislatoris fuerit generaliter, & indefinitè ita ſtatuere, abſque reſtrictione ad aliquam cauſam, & rationem, quæ ex quodam ſtylo, atque ad legem exornandam potius aſſignari videtur, juxta ea, quæ agendo de aliquibus clauſulis habentur *in.* §. *ſequenti*.

a *Advertitur in ſæpius citato opuſculo de Principe c.* 17. 21. *& ſeq. ac etiam in Theatro in tit. de regal. diſc.* 148. *&* 177. *& in aliis ubi agitur de poteſtate Principis tollendi ius tertii, diſtinguendo plures caſus, ac etiam diſc.* 273. *de fideicom. occaſione agendi de derogationibus fideicommiſſorum quando ſint concedendæ, necnè.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Motu proprio, ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnium, & ſingulorum Statutorum, Decretorum, Legum, Conſtitutionum, & proviſionum hujuſmodi in dicta noſtra Urbe, & univerſo noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Statu Eccleſiaſtico immediato, & mediato exiſtentium tenores pro expreſſis habentes, perinde ac ſi de illis expreſſa, ſpecialis, & individua mentio facta eſſet.

ARGUMENTUM.

De clauſulis *Motu proprio, ex certa ſcientiâ, de plenitudine poteſtatis, & quorum tenores &c.* carumque operatione.

SVMMARIVM.

1 DE *Clauſula* Motu qroprio, *eiuſque operatione.*
2 *De clauſula* ex certa ſcientia.
3 *De clauſula* de plenitudine poteſtatis.
4 *De clauſula* quorum tenores.
5 *Quod virtus, & operatio iſtarum clauſularum procedat in gratiis privatis, non autem in legibus, & quare.*
6 *Quod non ſit recedendum à ſtylo, & quare.*
7 *De eiſdem clauſulis, de quibus ſupra, & quando earum operatio intret, necnè.*

§. VI.

MUltæ virtutes, & operationes per forenſes tribui ſolent clauſulis in iſto §. contentis; illas enim ſingulariter expendendo: Quatenus pertinet ad clauſu-

Card. de Luca de Statut. Succeſſ.

lam *motu proprio*, illam præſertim facit nimium profi- 1
cuam, & conſiderabilem operationem, quod eximit ab obligatione juſtificandi narrata, idque non ſolum influit in magis promptam, & faciliorem exequutionem gratiæ, vel proviſionis, ſed etiam quod ita eidem proviſioni obiici non poteſt defectus ſubreptionis, vel obreptionis, cadente quæſtione an tollat defectum intentionis, ex iis, quæ ad ſatietatem ſuper iſta clauſula colligunt ſcribentes. *a*

Super alia clauſula *ex certa ſcientia* pariter iidem ſcriben- 2
tes nimium ſe diffundunt. *b* Et de alia clauſula *De plenitudine poteſtatis* agit idem *c* ubi per numeros 33. multa ſuper 3
ejus operationibus adnotat, ut etiam facit alter collector. *d* Prout etiam ſuper clauſula *Quorum tenores* multa recen- 4
ſet idem. *e*

Ad rem verò noſtram, dicendum videtur iſtas clauſulas eſſe ſuperfluas, illaſque adjectas fuiſſe potius ut ſtylo ſatisfieret; Earum etenim virtus, & operatio attendi, vel de illa diſputari ſolet in gratiis, vel proviſionibus, aliiſque diſpoſitionibus particularibus, in quibus dignoſcatur pri- 5
vatum intereſſe, ac præjudicium unius, vel plurium intereſſatorum ſe opponentium, & allegantium defectum poteſtatis, & ad quem effectum adiici ſolet dicta clauſula *de plenitudine poteſtatis*, per quam actus, qui ſuſtineri non poteſt ex poteſtate ſimplici, & ordinaria, ſuſtineatur ex plena, & abſoluta, quam aliqui Juriſtæ, frequentius verò Morales generaliter, ac indefinitè damnant, non reflectentes ad diſtinctiones deſuper adhibendas; *f* Vel quia intereſſati allegarent defectum voluntatis, ratione ignorantiæ illorum jurium, quibus derogatur; aut quod dicatur Princeps circumventus cum alterata expreſſione eorum, quæ narrantur tanquam cauſa finalis, vel impulſiva; ſive ob taciturnitatem eorum, quæ ſi expreſſa fuiſſent, Principem retraxiſſent, juxta ea, quæ frequenter ſub diverſis materiis inſinuantur, occaſione agendi de nullitate gratiarum, aliarumque proviſionum ex defectu obreptionis, vel ſubreptionis, aut defectus intentionis, vel non juſtificationis narratorum, ad quos effectus adiici ſolent, & proficuæ ſunt dictæ clauſulæ *Motu proprio, ex certa ſcientia, de plenitudine poteſtatis, & quorum tenores &c.*

Hęc autem omnia incongrua videntur in legibus univerſalibus, quæ pro bono publico, & regimine totius Principatus proferuntur, quoniam non cogitatur ad jus, vel intereſſe aliquorum particularium, minuſque intrat præſumptio, vel ſuſpicio circumventionis, & machinationis illorum, qui pro intereſſe privato gratiam, & proviſionem obtinent, neque intrat defectus ignorantiæ illorum jurium, quæ immutantur, vel quibus derogatur, cum ſimilibus objectis fieri ſolitis, & in quibus error clarus eſt procedere cum propoſitionibus generalibus, vel cum littera authoritatum, cum revera dicendæ ſint quæſtiones voluntatis, cujus ſubſtantia ex facti circumſtantiis deſumi, & attendi debet, ut ſæpius in Theatro. Cum enim hujuſmodi leges univerſales ordinari ſoleant, prævio maturo ſapientum, & peritorum Miniſtrorum conſilio, non præſumitur, nec admittitur iſta ignorantia, quod præſertim in lege, de qua agitur, citrà omnem dubitationem verificatur, ſtante facti ſerie enunciata in præfatione. Sed quoniam iſte eſt ſtylus, idcircò error fuiſſet dictas clauſulas omittere, tùm ex 6
regula, quod recedendum non eſt à ſolitis ſtylis, quando non urgeat cauſa, quæ ratione mali, quod producunt, ſuadeat moderationem; Tum etiam quia ſtylus Datariæ, vel Cancellariæ dicitur organum, & regulator voluntatis Papæ, ut pariter in diverſis materiis frequenter inſinuatur, & præſertim in materia beneficiali; unde propterea, quando ſolitus non adhibetur ſtylus, tractu temporis id parere poteſt motivum dubitandi de veritate actas.

Cæterum quoad præmiſſas operationes hujuſmodi clauſularum in gratiis, & proviſionibus particularibus, adhuc tamen, ut ſuperius inſinuatum eſt, in hoc dignoſci videtur clarus error Pragmaticorum procedendi firmiter cum generalitatibus, quæ deſuper habentur, quaſi quod ubi tales 7
clauſulæ adſunt, nullatenus actus impugnari valeat; ſi quidem virtus, & operatio illarum inducit quidem præſumptionem juris ad favorem ejus, qui gratiam obtinet, ut relevetur ab illo onere juſtificandi, quod intrat in gratiis ad ſupplicationem, donec oppoſitor per eas probationes, vel fortiores præſumptiones, doceat de ſupradictis defectibus, adeout contraria probatione, vel fortiori præſumptione eliſa, remaneat dicta præſumptio juris tantum, quàm

dictæ clauſulæ inducunt; Ideoque ut pluries advertitur ſub diverſis materiis, & præſertim *ſub tit. de Penſion.* iſte punctus ſubreptionis, vel obreptionis, aut defectus intentionis non eſt juris, neque capax regulæ generalis cuicumque caſui applicabilis, ut ſuperficiales malè opinantur, ſed eſt potius facti, ex iſtius qualitate, & circumſtantiis decidendus; proindeque dicitur materia poſita in Judicis arbitrio; potiſſimè verò in hoc Principatu, in quo iſtæ clauſulæ paſſim adiici ſolent de ſtylo, & ex quodam formulario Notariorum, aliorumque Miniſtrorum, ut præſertim contingit in chirographis, dum etiam in gratiis ad ſupplicationem paſſim adiici ſolebant; & præſertim illa *Motu proprio*, antequam ego ad iſtum errorem adverterem, illumque reformarem.

a *Theodoſ. de Rubeis tom. 2. ſingular. circa clauſulas ex Rota Romana clauſ. 481. ubi per numeros 106. in hoc ſe diffundit, atque num. 98. refert Rebuffum referentem 47. effectus huius clauſulæ, & Barboſ. clauſ. 79. & ſparſim advertitur in Theatro.*

b *Rubeus ubi ſupra clauſ. 33. & latius clauſ. 391. per n. 97. multoſque colligit effectus, ut etiam colligit Barboſ. clauſ. 59.* c *Rubeus clauſ. 274.*

d *Barboſ. clauſ. 41. & aliquid de illa inſinuatur diſc. 148. & 177. de regal. occaſione agendi de poteſtate Principis tollendi ius tertii.*

e *Rubeus clauſ. 77. & clauſ. 658. per plures numeros, ut etiam facit Barboſ. clauſ. 127. apud quos videri poſſunt concordantes.* f *De quibus d. diſc. 148. & 177. de regal. & in aliis eod. tit. & in opuſculo de Principe cap. 22. & ſeqq.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, mandamus, decernimus, & ſtatuimus, ut in ſucceſſionibus impoſterum, & poſt præſentium publicationem aperiendis, & deferendis, illa ſtatuta, decreta, leges, conſtitutiones, & ordinationes, quæ in præfatis noſtris Urbe, & Statu Eccleſiaſtico expreſſam in forma ſpecifica, vel etiam in ſola forma communi Apoſtolicam habeant confirmationem, & approbationem, ſive illam habeant tacitam, & præſumptam, quæ ex juris diſpoſitione ob longiſſimi temporis obſervantiam inducitur, generaliter, & indefinitè, prout jacent, ac diſponunt ad favorem maſculorum de agnatione, in univerſo aſſe attendi, & ſervari debeant.

ARGUMENTUM.

Quare Conſtitutio diſponat ſuper ſucceſſionibus in poſterum tantum aperiendis, & de differentia in legibus quando fiunt per viam novæ proviſionis, & quando per viam declarationis. Et quare Conſtitutio reſtringatur ad illa, quæ habeant confirmationem Apoſtolicam, & de iſtius variis ſpeciebus.

SUMMARIUM.

1 *De clauſula* perpetuò valitura, *quod ſit ſuperflua.*
2 *Regulæ Cancellariæ expirant per mortem Papæ.*
3 *Quæ reſervationes attendantur Sede Papali vacante.*
4 *De partibus, quæ continentur in hoc §.*
5 *De differentia inter verbum* ſtatuere, & decernere, *& verbum* declarare.
6 *Quare proceſſum non ſit per viam declarationis.*
7 *De ratione, ob quam ſuſtinetur præſcriptio.*
8 *Senſus Auctoris circa caſus præteritos.*
9 *Leges revocatæ, vel illæ aliorum locorum quomodo attendantur.*
10 *Quare Conſtitutio reſtringatur ad ſtatuta habentia confirmationem Apoſtolicam.*
11 *Per ſubditos fieri non poſſunt ſtatuta contraria, abſque licentia, & approbatione Principis.*
12 *Quæ ſit confirmatio tacita, vel præſumpta.*
13 *Quare in hac materia ſufficiat confirmatio in forma communi, vel præſumpta.*
14 *Quid operetur generalitas contenta in fine præſentis §.*
15 *Quod iſta lex admittat extenſionem.*
16 *Non eſt lex odioſa, & correctoria, & quare.*

§. VII.

IDem ſuperfluitatis vitium, ratione tamen ſtyli, excuſabile, dignoſcitur in iſtius §. initio in illa clauſula *perpetuo valitura*, quoniam dubietas, an diſpoſitio ſit perpetuò valitura, etiam poſt mortem diſponentis, vel poſt expiratum ejus munus, intrat in iis, quæ ad præſentem, ac temporancam proviſionem referri poſſunt, ut ſunt edicta, & bannimenta. *a* Vel ubi habeat quidem proviſio ſpeciem, ſeu figuram legis, ſed cum reſtrictione ad arbitrium, vel cum aliis verbis perſonalitatem denotantibus, ut exempli gratia contingit in Regulis Cancellariæ, publicari ſolitis per quemlibet Pontificem, quoniam per ejus mortem ceſſant, ideoque Sede Papali vacante locum non habent illæ reſervationes, quæ non ſint clauſæ in corpore juris, ſed ab eis manant, juxta deducta in ſua ſede; *b* Secus autem ubi proceditur per viam legis univerſalis concernentis bonum regimen, bonamque adminiſtrationem, & utilitatem populorum cum tractu ſucceſſivo, quoniam iſta eſt natura legis, ut ſit perpetua, donec ab habente poteſtatem revocetur, vel à conſuetudine legitimè præſcripta aboleatur. 1 3

Hoc autem ita obiter potius prænotato, in hoc §. quatuor continentur adnotatione digna; Primò adhibentur illa verba *mandamus, decernimus, & ſtatuimus*; Secundò diſponitur ſuper ſucceſſionibus impoſterum aperiendis, & deferendis: Tertiò mandatur ſolum obſervantia illorum ſtatutorum, quæ expreſſam, vel tacitam, & præſumptam habeant Apoſtolicam confirmationem, & Quartò ut generaliter, & indefinitè eadem ſtatuta, prout diſponunt, in univerſo aſſe attendi, ac ſervari debeant; Quare iſtas partes diſtinctè expendendo. 4

Quatenus pertinet ad primam partem ſuper illis verbis *mandamus, decernimus, & ſtatuimus*, miſteriosè adhibita ſunt, utpotè denotantia novam diſpoſitionem, novamque legem, effugiendo adhibere verbum *declaramus*, vel aliud æquipollens, ad effectum, ut lex juxta ejus regularem naturam, reſpiceret ſolum futura, non autem præterita, cujus contrarium eſſet, quando adhibitum fuiſſet verbum *declaramus*, quoniam tunc reſpicit etiam præterita, & habet oculos retrò, juxta vulgarem, & receptam diſtinctionem; *c* Idque ad effectum occurrendi magnis litium jam ſopitarum excitationibus, ne alias ſequatur oppoſitum ejus, quod volitum, & deſideratum eſt occurrendi litibus, earumque occaſionem reſecandi; Unde propterea ad id certius, & uberius aſſequendum adjecta eſt dicta ſecunda pars clarior, quod ſcilicet Conſtitutio edita cenſeatur ſuper ſucceſſionibus impoſterum aperiendis, & deferendis, dum ita ceſſat omnis ratio dubitandi, ne lex trahatur ad præterita. Quamvis enim pro meo ſenſu illæ opiniones, cum quibus hucuſque in Curia proceſſum fuit circa diſtinctionem inter bona exiſtentia intra, & extra territorium, & circa ſubjectionem copulativam, perſonarum, & bonorum, ut propterea ſtatuta non afficerent exemptos, habita quoque ratione exemptionis perſonæ defuncti, non placerent, atque minus probabiles viderentur, ex deductis in ſæpius *citata ſede ſucceſſionum ab inteſtato*; unde propterea non irrationabile fuiſſet procedere per viam declarationis, potiſſimè ob ſubſequutam declarationem voluntatis, & ſenſuum populorum, ut ſupra; Nihilominus quia magnam id patere poterat in Republica perturbationem, ac ſtatus rerum confuſionem, hinc magis rationabile, magiſque opportunum viſum eſt per hanc viam procedere, ad inſtar eorum, quę habentur in materia præſcriptionis, quod ſcil. quamvis nonnulli credant (& non immeritò) iſtud eſſe iniquum, & irrationabile præſidium, damnatione potius dignum, dum non do- 6 7

dominum facit dominum ex ſola ejus injuſta poſſeſſione, privando dominum rei ſuæ dominio ob injuriam, quam paſſus eſt in illius occupatione, & ſpolio; Attamen in magis communi, magiſque recepto ſenſu, illa laudatur potius, & recipitur ob potentius motivum publicæ quietis, & ne diu rerum dominia ſint in incerto, ut à me probatur in quodam accademico diſcurſu Italici idiomatis ſuper iſto præſcriptionis problemate.

Fateor tamen, quod ſi eſſem Judex, religioſè quidem ſervarem id, quod hucuſque judicatum fuit, atque exequutioni jam demandatum eſt, adeout alias eſſet excitare lites jam ſopitas, ob dictam rationem, ad quam noſter Legislator prudenter, & piè reſpexit; Sed reſpectu ſucceſſionum apertarum, & delatarum ante præſentem Conſtitutionem, ſuper quibus tamen lites adhuc penderent indeciſæ, adeout non adeſſet res judicata, iſta Conſtitutio nimium me moveret ad ſequendam potius illam opinionem, quam nova lex meliorem eſſe implicitè declaravit, attendendo iſtam legem, non tanquam auctoritatem neceſſariam, & obligatoriam, ſed tanquam doctrinam, vel auctoritatem magiſtralem, eo
9 modo, quo etiam leges revocatæ, vel alias immutatæ attenduntur, ſive leges aliarum regionum, vel Principatuum, magis verò adjacentium. *d* Ad quod fortius me impelleret ſuperventa declaratio animi populorum, cum in hac materia, ut advertitur infra §.XI. & alibi, operatio proveniat potius à voluntate decedentium, de quorum bonis, & ſucceſſione agitur, quàm ab ipſa lege communi, vel ſtatutaria, quæ ſolùm inducit præſumptionem à communi uſu regulatam, & deſumptam talis voluntatis, quæ ob inſperatam, vel improviſam mortem explicari non potuit, ita illam explicando, vel ſupplendo; Iſta verò communis populorum voluntas non eſt quid novum, quod nunc ſuperveniat, ideoque non capiat niſi futura, & non trahatur ad præterita, ut in nova lege ſequitur, ſed jam à ſæculis inerat, adeout contra eam ſcripſiſſe Doctores, & Tribunalia judicaſſe videantur; Unde propterea etiam jam judicatum, & exequutum, de ſtricta cenſura, retractationem mereretur; ſed quoniam ita per Doctores, & Tribunalia magis communiter erat receptum, & practicatum, idcircò videtur, quod actus, qui in quodam bonæ fidei ſtatu ſequuti, & conſumati ſunt, dominii translationem benè operati fuerint, ut retractationi locus eſſe non debeat, magis verò ob ſuperius enunciatum motivum publicæ quietis deſideratæ, & ne alias magna rerum revolutio, & Reipublicæ perturbatio ſequatur, ut ſupra.

Circa tertiam partem hujus §. ſcilicet ſuper reſtitutione ad ſtatuta, quæ habeant Apoſtolicam approbationem, &
10 confirmationem, id non percutit poteſtatem Pontificiam, & Spiritualem pro comprehenſione Eccleſiarum, ac perſonarum, & rerum eccleſiaſticarum, adeout ſi non adeſſet illa expreſſio, quæ de eis inferius habetur, ipſorum laicalium ſtatutorum natura non immutaretur, neque majorem vim, & operationem reciperet, juxta regularem naturam confirmationis, quæ validat actum, eique robur tribuit, intra tamen ejus ſphæram, & naturam, quam non alterat, nec ampliat, *e* ſed iſta reſtrictio alium non habet finem, vel rationem, niſi approbandi ſolum ſtatuta, quæ cum licentia, & auctoritate, vel approbatione Supremi Principis condita ſint, & ſine qua in iis, quæ ſunt contra jus, per ſubditas Civitates, vel ſubditos Domicellos fieri non poſſunt, etiam attentis terminis juris com-
11 munis, magis verò in hoc Principatu, ex Conſtitutione Ægidiana. *f*

Quia verò inter Doctores quæri ſolet, an hujuſmodi ſtatutis, de quibus agitur, alterantibus ordinem ſucceſſionis à noviſſimo jure communi inductum, neceſſaria ſit confirmatio in forma ſpecifica, vel ſufficiat illa in forma communi, cujus naturam, & qualitatem habet illa confirma-
12 tio tacita, vel præſumpta, quæ, non conſtito de expreſſa, inducitur ex obſervantia longiſſimi temporis annorum 30. *g* Quamvis magis communiter receptum ſit per Doctores, & firmatum per Rotam, ut in hac ſpecie ſtatutorum ſufficiat ſola confirmatio in forma communi, etiam tacita, vel
13 præſumpta, ex illa probabili quidem ratione, quod hæc ſtatuta dicenda non ſunt odioſa odio irrationabili, neque omninò juri communi contraria, dum ſolum ſublato jure noviſſimo, reſtituunt diſpoſitionem juris antiqui, vel novi, ut locis citatis pluries advertitur, *& in d. tit. de ſucſſion.* ubi eſt magis propria ſedes materiæ; Prudenter tamen ad dirimendas lites, tollendamque omnem dubitandi occaſionem id explicatum fuit, abſque eo quod obiici poſſit vitium ſuperfluitatis, quod adeſſe non dicitur, quando major declaratio, vel clarior expreſſio aliquem proficuum effectum operari poteſt.

Demum quoad ultimam partem, in qua generaliter, & indefinitè diſponitur, ut ſtatuta, prout jacent, & diſponunt (non curatis reſtrictionibus, ac diverſis interpretationibus) attendi debeant, nimium proficua, & operativa cenſenda eſt hæc generalis diſpoſitio, quoniam li- 14
cet *in §§. ſeqq.* quamplures reſtrictiones, & limitationes recenſeantur, attamen quia non omnes exprimi potuerunt, quas Doctorum ſubtilitas hactenus excogitavit, vel impoſterum excogitare poterit, idcircò hæc generalitas deſervire debebit pro eadem determinatione caſuum ommiſſorum, & non expreſſorum, ad quos ex rationis identitate extenſio ſine dubio facienda erit, dum non agitur de lege municipali condita per inferiorem, in qua ſtricta, & ri- 15
goroſa fit interpretatio, atque prohibita eſt extenſio, etiam ex rationis identitate, imò majoritate, ex deductis in eadem Sede Succeſſionum ab inteſtato, & alibi, ſed agitur de lege univerſali condita per ſupremum Principem, cui ut ſuperius pluries inſinuatum eſt, magis congruit nomen, vel attributum juris communis, quam congruat illi juri communi civili edito, & compilato per Juſtinianum, & per conſequens admittenda eſt ejus extenſio, vel inductio etiam per argumenta, & illationes, eo modo, quo ſequitur in jure communi, quod ita diſtinguitur à municipali. Potiſſimè verò, & clarius dum idem legislator infra *in §. XIII.* prudenter, ad hujuſmodi dubitationes dirimendas, decernere, & declarare voluit; ut in caſibus dubiis, declaratio, vel interpretatio agnationibus favorabilis ad ſtatutorum normam, fieri deberet; Ac etiam attenta ſubjecta materia, quoniam, ut præmiſſum eſt, non agitur de odioſa, & irrationabili correctione illius juris, quod alias eſſet antiquum, unicum, & regionis, ac populorum moribus, & utilitati adaptatum, ſed potius res eſt in oppoſitum, quoniam regionis, & populorum moribus, ac votis adaptatum magis eſt antiquum jus Romanorum, fœminarum, & cognatorum excluſivum, pro nimium rationabili, & honeſto fine conſervandi bona in agnationibus, & familiis, quarum decor, & nobilitas cum bonis, ac divitiis acquiruntur, & conſervantur, ita dictum proprium, & connaturale jus reſtituendo, atque tollendo jus poſterius, quod Græcorum potius, quàm Romanorum, & Italorum dicendum eſt, quinimò iſtorum moribus, & votis potius oppoſitum; ideòque lex fa- 16
vorabilis magis cenſenda eſt, potiſſimè quia revera tollit potius ſubtiles, & ſuperſtitioſas Doctorum opiniones, etiam controverſas, quo caſu dici non poteſt, nec debet lex correctoria, & exorbitans, utpotè canonizans ſolum unam ex controverſis opinionibus. *h*

a *Ex deductis per Farinac. in fragment. verbo bannimenta, & aliquid inſinuatur in ſæpius citato diſc. 35. de indic.* b *Sub tit. de benefic. diſc. 4. 16. & 31.*
c *De qua d. diſc. 35. de indic. n. 87. & alibi pluries.*
d *Vt advertitur eodem pluries enunciato diſc. 35. de indic. num. 48.* e *Vt advertitur diſc. 22. & 143. de dot. & pluries in tit. de ſucceſſ. diſc. 5. & ſeqq. & habetur quotidianum in materia AEgidiana, & alibi.*
f *Apud Buratt. deciſ. 6. cum aliis eod. diſc. 35. de indic. n. 61.*
g *Ex deductis eod. diſc. 35. de indic. d. num. 61. & d. diſc. 143. de dot. & alibi.* h *Iuxta celebrem deciſ. 240. Put. lib. 3. Seraphin. deciſ. 645. n. 1. Cavaler. deciſ. 497. cum concordantibus per adden. ad deciſ. 20. par. 3. Rec. litt. F. Rovit. pragm. 1. de aſſaſſin. n. 36.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Quacumque ſublata conſideratione, vel differentia bonorum, eorumque ſituationis, intra, vel extra territorium, ubicumque exiſtant.

ARGUMENTUM.

De non comprehenſione ſub ſtatuto bonorum exiſtentium extra territorium, & quænam ſint.

SUMMARIUM.

1 *Quare deſcenditur ad hanc ſpeciem reſtrictionis.*
2 *De quæſtione, an ſtatuta loquentia de ſucceſſione decedentium ad inteſtato locum habeant in ſucceſſione inteſtabilium.*
3 *De alia quæſtione, ut mater excluſa per collaterales, excludat patrem, vel avum paternum.*
4 *De reſtrictione in bonis extra territorium.*
5 *Quæ ſit ratio, vel operatio iſtorum ſtatutorum.*
6 *De diſtinctione inter bona exiſtentia in diverſis Principatibus, & exiſtentia in diverſis locis eiuſdem Principatus.*
7 *De diverſitate hæreditatum, & patrimoniorum in milite, in feudatario, & in clerico.*
8 *Quænam ſint bona, quæ circumſcribuntur loco, & eſſe dicuntur in territorio, vel extra.*
9 *Quid de cenſibus conſignativis.*
10 *Quid de locis montium, aliiſque ſimilibus iuribus.*
11 *Quid de iuribus, & actionibus, & nominibus debitorum.*
12 *Quid de bonis mobilibus, vel ſe moventibus.*

§. VIII.

POſſet quidem, abſque neceſſitate deſcendendi ad ſpecificationem aliquarum magis frequentium reſtrictionum, & interpretationum hujuſmodi ſtatutorum, ſufficere illa generalis diſpoſitio, quæ continetur in fine præ-
1 cedentis §. per quam generaliter, & indefinitè mandatur, ut attendi debeant ſtatuta, prout diſponunt, adeò ut unus, & idem ſit ordo ſuccedendi. Verum quia Juriſtarum ſubtilitas adeò crevit, atque in dies magis creſcit, ut etiam ſuperabbundantes, ac ſuperfluæ ſpecificationes non ſufficiant, multoque propterea minus ſufficiant generalitates, idcircò prudenter ad aliquas deſcenditur ſpecificationes, non quidem taxativè, ut illæ tantum reſtrictiones, aut limitationes reprobatæ, & correctæ cenſeantur, de quibus expreſsè agitur, ſed ſolum demonſtrativè, exprimendo magis frequentes, & ſuper quibus majores eſſe conſueverunt controverſiæ, ita tamen, ut etiam aliæ, quamvis ad ſpeciem non deductæ, ſub eadem cadant diſpoſitione, ex rationis identitate, ſi-
2 ve pro eodem fine aſſequendo, & ſic (ex. gr.) illa quæſtio, an hujuſmodi ſtatuta diſponentia de ſucceſſione decedentium ab inteſtato procedant in ſucceſſione inteſtabilium, & de qua agitur in eadem ſede Succeſſionum ab inteſtato, & quæ repetitur infra in §. *XIII.* quoniam, ſi iſta etiam Conſtitutione ſecluſa, in puncto juris communis probabilior eſt pars affirmativa, multò magis, & extra dubitationem tenenda eſt, attenta præſenti Conſtitutione, & fortius, ut in §. præcedenti advertitur, attenta declaratione ſenſuum, & voluntatis populorum, quæ principalem operationem in hac materia facere videtur; Et ſic ſucceſſivè in aliis quæſtionibus, vel reſtrictionibus, ad quarum omnium ſpecificationem impoſſibile erat devenire abſque magna confuſione, & præſertim circa illam nimium quidem exorbitantem, & irrationabilem, de qua in eadem ſede Succeſſionum, ut potentius eſſe debeat cauſatum, quàm cauſa, quodque ſta-
3 tuto excludente matrem, vel ſorores ob agnatos tranſverſales, quamvis remotos, & ultra primum gradum, debeant tamen per matrem, vel ſorores excludi pater, vel avus paternus, quo nil pro meo ſenſu abſurdius, ut latius in ſua ſede, ubi videri poterunt fundamenta, cum ſimilibus non ſpecificatis reſtrictionibus, in quibus cum eadem regula generali comprehenſiva, vel extenſiva procedendum videtur.

Omnium verò frequentior eſt reſtrictio ſpecificata in præſenti §. ſuper diſtinctione bonorum intra, vel extrà territorium ſtatuentis, quaſi quod totam vim, & operatio-
4 nem tribuendo juriſdictioni, & poteſtati ſtatuentis, non debeat iſta ultra ejus territorium attendi, & operari, juxta quamdam traditionem Bartoli, quam magis communiter ſequi viſum eſt. *a* Hoc enim aſſumptum, pro meo ſenſu, minus probabile cenſendum eſt ex improbabilitate fundamenti, vel præſuppoſiti, ut id proveniat à poteſtate, & juriſdictione ſtatuentis, cum verius proveniat magis à veriſimili, & præſumpta voluntate decedentium, ut ſæpius inſinuatum eſt, & magis ex propoſito agitur infra in §. *XI.* 5

Et quidem quando hæc diſtinctio bonorum attenderetur in Principatibus diverſis, in quorum ſingulis diverſæ eſſent leges, & ordines ſuccedendi, tunc res eſſet for- 6
tè tolerabilis, atque non adeò à ratione, & à quodam communi uſu aliena, ex rationibus conſideratis in eadem ſede Succeſſionum, & alibi, quod ſcilicet illud juris civilis aſſumptum, qubd paganus non poſſit habere plures, & diverſos hæredes, ſed unica debeat eſſe ejus hæreditas, & unicum patrimonium paganicum, quod ſub Imperio Romanorum ubique in toto Orbe terrarum procedebat, hodie procedit ſolum in quolibet reſpectivè Principatu, quoniam quilibet Principatus intra ſuos limites habetur pro Imperio, & quilibet Princeps tantam habet poteſtatem, quantam (ut Juriſtæ dicunt) Romanus Imperator habebat in toto Mundo, adeout una, & eadem perſona materialis conſtituere dicatur plures diverſas perſonas formales in diverſis Principatibus, juxta illas diverſitates, quæ conſiderantur in ſede Juriſdictionali, & alibi; Sed in una, eademque ditione, imò in una, eademque Provincia, vel uno, eodemque Gubernio ex pluribus ejuſdem ditionis, atque inter Civitates, vel Oppida adjacentia dare unius, ejuſdemque hæreditatis tot varias formas, & ſuecies ſucceſſionis, id tam ex diſpoſitione juris, quàm in ſenſu naturali, & communi uſu, monſtruoſum, ac prorſus improbabile videtur.

Et quamvis in una, eademque perſona, etiam reſpectu bonorum in uno, eodemque individuo loco exiſten- 7
tium, detur iſta diverſitas hæreditatum, & ſucceſſionum, ut contingit in milite, in quo datur duplex patrimonium, paganicum ſcilicet, & militare, cum duplici diverſo hærede, & duplici hæreditate, adeout inter unum patrimonium, & alterum, ſive unam, vel alteram hæreditatem detur concurſus actionis, & paſſionis, quia fingitur duplex homo, quod hodie practicatur in illis, qui ſunt veri milites primi ordinis, nempè in feudatariis, in quibus datur duplex patrimonium, unum feudale, & alterum allodiale, quod Regnicolæ dicunt Burgenſaticum. *b* Quod etiam à ſimili receptum eſt in clericis habentibus pariter duplex patrimonium, duplicemque hæreditatem, unam profanam, conſiſtentem in bonis obvenientibus ex ſucceſſione majorum, vel quæſitis alias, quàm intuitu eccleſiæ, & clericatus; alteram verò eccleſiaſticam; conſiſtentem in bonis quæſitis occaſione eccleſiæ, vel clericatus. Attamen id rectè procedit, quia quælibet hæreditas conſtituit veram univerſitatem, ſive jus univerſale, per quod poſſeſſor fingitur duplex, & diverſus homo; ſed exorbitantia eſt in diverſitate, & multiplicitate hæreditatum, & hæredum in eodem patrimonio allodiali ejuſdem naturæ, & qualitatis, & in eodem Principatu, quod utique exorbitans videtur.

Super qualitate verò bonorum, quæ dicantur eſſe in- 8
tra, vel extra territorium, ideoque loco circumſcribantur, & quæ non, adeout perſonam ſequantur, ejuſque jure cenſenda ſint, non modica inter ſcribentes dignoſcitur controverſia; Concluſivè autem pro ſtylo, neglectis inutilibus quæſtionibus, quæ ſcholaſticis, vel tyronibus potius conveniunt, certum eſt, quod bona verè ſtabilia, & quæ ſoli ſunt, circumſcribuntur loco, atque dicuntur eſſe in illo loco, in quo ſita ſunt, qualia ſunt prædia ruſtica, & urbana, utpotè ſolo affixa, & non amovibilia, neque aſportabilia de loco ad locum.

In cenſibus verò quæſtio eſt, in illis nempè, qui ad 9
præſcriptum Apoſtolicarum Conſtitutionum, & præſertim Bullæ Beati Pii V. cum qua proceditur, mediante pecunia impoſiti ſunt ſuper certis bonis ſtabilibus fructiferis, & capacibus, quique conſignativi dicuntur; non autem in reſervativis, qui ſine dubio circumſcribuntur eodem loco, cujus ſunt bona cenſita, quorum ratione cenſus ſolvitur, dum hic eſt quædam portio dominicalis fructuum rei, & quædam pars prioris dominii; In dictis itaque cenſibus conſignativis quæſtio eſt, aliquibus volentibus, ut tanquam jura, & actiones ſequantur perſonam creditoris; aliis volentibus, ut cenſeantur eſſe de loco deſtinatæ ſolutionis; & aliis volentibus, ut circumſcribantur eodem loco, in quo ſiti ſunt fundi cenſiti; iſtaq; ultima opi-

opinio probabilior, magiſque recepta videtur *c* Intelligendo de cenſibus creatis ad formam dictæ Conſtitutionis B. Pii V. ſuper fundo ſtabili, certis finibus deſignato, fructifero, & capaci, non autem de illis cenſibus, qui ſine hujuſmodi requiſitis perſonales dicuntur *d* quoniam tunc ſub nominibus debitorum, vel juribus; & actionibus recenſendi videtur.

Quoad annuos redditus mediante pecunia, pariter ad inſtar cenſuum conſignativorum acquiſitos cum Principe, vel cum Republica ſuper publicis redditibus gabellarum, collectarum, & contributionum, vel jurium regalium, & qui in Urbe, & Statu Eccleſiaſtico dicuntur Loca montium, ut etiam dicuntur in aliquibus aliis Italiæ Civitatibus, & Principatibus; alicubi verò dicuntur redditus ſuper fiſcalibus, vel ſuper arrendamentis, aut jura cum Rege &c. Aliquorum opinio eſt (non ſine probabili fundamento) ut ad inſtar cenſuum, exiſtimari debeant illorum locorum, in quibus ſunt jura puplica deſuper aſſignata; magis verò receptum eſt cenſeri, & circumſcribi loco Civitatis Metropolis, ſeu Reſidentialis Principis, vel alterius æquipollentis, in qua hujuſmodi reddituum venditiones ſequuntur, ac ſolutiones ſtatutis temporibus fiunt; ideoque in Urbe loca montium, quamvis erecta ſuper juribus, & redditibus Cameræ, ſparſis per univerſum Statum Eccleſiaſticum, dicuntur bona exiſtentia in Urbe. *e*

Nomina verò debitorum, aliaque jura, & rationes non circumſcribuntur loco, ſed ſequuntur perſonam, ut ciſdem mox citatis locis deducitur. Et licet regula ſit, quod jura, & actiones regulantur à qualitate bonorum, ad quæ competunt; unde propterea habetur, quod actiones in, vel ſuper feudo reputantur feudales, & veniunt in patrimonio feudali cum ſimilibus; Nihilominus id rectè procedit in juribus, & actionibus verè realibus percutientibus ſubſtantiam bonorum, eorumque dominium, vel quaſi, aut veram ſervitutem realem; ſecus autem ubi competat quidem actio ad ipſa bona, ſed jure obligationis, & hypothecæ, cum tunc dicatur actio principaliter perſonalis, acceſſoriè autem, & conſequutivè, rei perſequutoria; Hujuſmodi autem quæſtiones ſuſtulit quoque noſtra Conſtitutio, ut infra *in* §. *XVI.*

Quo autem ad bona mobilia diſtingendum eſt inter illa, quæ de ſui natura deſtinata ſunt, ut in aliquo loco permaneant, nec ſequuntur perſonam domini, & poſſeſſoris, ut ſunt mobilia lapidea, ænea, lignea, ac etiam mobilia groſſa lanæ, lini, vel ſerici tamquam ſupellectilia domus, in qua fixè habitetur; & illa, quæ perſonam potius ſequuntur, ut ſunt gemmæ, aurum, argentum & ſimilia; In prima enim ſpecie pro circumſcriptione loci reſpondendum eſt, non autem in ſecundo. Cum qua diſtinctione procedendum pariter eſt in ſe moventibus; vel enim manent in fundo, tamquam ipſius inſtrumenta fixa, & ordinaria, ibique perpetuò deſtinata ſunt ad culturam, ut ſunt boves aratorii, ſeu oves pro ſtercoratione, ſive perceptione fructuum, herbæ, & paſcuorum, qui percipi non ſoleant niſi mediantibus animalibus propriis ibi depaſcentibus, adeout videantur dos fixa, & ordinaria fundi inſtructi, & hoc caſu dicendum eſt circumſcribi loco, quia exiſtimantur pars, & inſtrumenta fundi; vel retinentur in fundo accidentaliter, & ad tempus, ſcilicet pro paſcendis herbis, vel glandibus, ad effectum deinde vendendi tamquam mercem, vel alibi tranſportandi, & tunc nullatenus videtur circumſcribi in loco, in quo manent. *f*

a *Iuxta latè deducta in celebri Naxien. coram Merlin. inter ſuas deciſ. 352. & 526. cum aliis, de quibus diſc. 4. de ſucceſſ.* b *Ex iis, quæ habentur pluries in ſua Sede ſub tit. de feud. diſc. 20. cum ſeqq. & in aliis.*

c *Ex relatis diſc. 92. de regal. num. 7. & diſc. 41. de ſucceſſion. n. 214. & alibi.*

d *Iuxta deducta diſc. 32. de cenſibus.* e *Iuxta deciſiones, & auctoritates relatas d. diſc. 41. de ſucceſſion. n. 214. & in tract. de locis montium poſt tract. de officiis.*

f *Ad tradita diſc. 19. de ſucceſſion.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Et ſive ſint libera, & allodialia, ſeu feudalia, vel Emphyteotica, ſeu livellaria, etiam de directo dominio Eccleſiarum, Monaſteriorum, & piorum locorum, ſeu perſonarum Eccleſiaſticarum, ubi lex inveſtituræ non obſtet, quæ ſalva remaneat.

Card. de Luca de Statut. Succeſſ.

ARGUMENTUM.

De antiqua exceptuatione à ſtatuto bonorum exiſtentium in territorio ſtatuentis, quæ ſint de directo dominio eccleſiarum, vel perſonarum eccleſiaſticarum, quamvis à laicis poſſideantur, per Conſtitutionem ſublata.

SUMMARIUM.

1 *De exemptione, de qua in argumento.*
2 *Quare iſta expreſſio facta eſt.*
3 *Diſpoſitio ſtatutaria non intrat ubi ſit in contrarium voluntas diſponentis, vel concedentis.*

§. IX.

LOngè majorem exorbitantiam producebat, vel producere poterat reſtrictio contenta in hoc §. reſpectu bonorum exiſtentium in uno, eodemque territorio, eo quia ratione feudi, vel emphiteuſis, aut livelli, ſive perpetuæ locationis, aut alias eſſent de directo dominio eccleſiarum, vel perſonarum eccleſiaſticarum, ſive alias exemptarum à poteſtate, & juriſdictione ſtatuentium; Retento ſiquidem jam enunciato principio, vel præſuppoſito, à quo penè omnes manant reſtrictiones, quod hic ſtatutarius ordo ſuccedendi, præter, vel contra ordinem noviſſimi juris communis, proveniat à juriſdictione, & poteſtate ſtatuentium, cujus ſit effectus, exindè provenit, quod ſicuti ſtatutis hujuſmodi non ſubjacent bona exiſtentia extra territorium, utpotè extra dictam juriſdictionem, & poteſtatem, minuſque ſubjacent eccleſiæ, & perſonæ eccleſiaſticæ pariter exemptæ, ex regula quod paria ſunt forum ſortiri, & legibus ligari, ut in §. ſequenti; ita quoque ſubjacere non debeant eccleſiarum, & perſonarum eccleſiaſticarum bona, quæ perſonam ſequuntur, eademque gaudent exemptione, idque ſine dubio procedit in bonis, quæ in pleno, directo, & utili dominio verè, & de facto poſſidentur ab eccleſiis, vel perſonis eccleſiaſticis ad eorum fruitionem, & utilitatem plenam. Difficultas verò cadit in illis bonis, quæ ſunt quidem de directo dominio eccleſiarum, vel perſonarum eccleſiaſticarum, ſed in dominio utili, vel ſubalterno, jure feudi, vel emphiteuſis, aut livelli, ſive perpetuæ locationis poſſideantur per laicum ſtatuto ſubjectum, de cujus ſucceſſione agitur, atque contentio ſucceſſionis etiam ſit inter laicos, eaque ſita ſint intra territorium ſtatuentis, adeout niſi adeſſet dictum dominium directum eccleſiaſticum, intraret ſine dubio utraque ſubjectio perſonę, & bonorum. Iſtoque caſu, quamvis pro meo ſenſu probabilius eſſe videatur, ut exemptio non intret, quoties Eccleſia, vel perſona eccleſiaſtica non ſit in cauſa, ſuaque non interſit ſucceſſionem uni, vel alteri deferri, adeò ut ſola quæſtio ſit inter laicos contendentes de utili, vel ſubalterno dominio, cum alias deberet quoque intrare exemptio à gabellis, & collectis, aliiſque oneribus laicalibus, cujus contrarium notoria praxis univerſalis docet. Nihilominus quia Rota à moderno tempore, ſequendo opinionem aliquorum nimis zelare volentium immunitatem eccleſiaſticam, eamque ultra ſuos limites extendere, firmavit occaſione Conſtitutionis Ægidianæ in materia appellationis, ut iſtud ſolum dominium directum eccleſiaſticum ſufficiat pro exemptione à lege laicali, quamvis agatur inter laicos contendentes de ſolo dominio utili, & præſertim in quadam deciſione quæ apud practicos forenſes in Curia reputatur magiſtralis, *a* cum qua poſtea in aliis proceſſum eſt, ex deductis *diſc. 37. de indic. n. 61.* & repetitur etiam *diſc. 44. eod. tit. n. 85.* ubi quoq; inſinuatur illa affectatiſſima quidem, atque omninò improbabilis extenſio dominii mediati alicujus perſonæ eccleſiaſticæ, quæ jam perierit, & annihilata ſit, unde propterea ibidem joci gratia advertitur, irridendo hujuſmodi leguleicas ſimplicitates, quod ita omnia bona hujus mundi hac exemptione gaudere deberent, utpotè poſt diluviū de dominio

Noè, qui ratione ſacrificii, quod egrediendo ab arca fecit, ſacerdos dicitur, vel quod adhuc duraret exemptio in bonis poſſeſſis per Aaron & Melchiſedech, alioſque antiquos Pontifices, & Sacerdotes, & in terminis hujuſmodi ſtatutorum idem firmatur *deciſ. 94. & deciſ. 237. part. 12. recen.* cujus contrarium verius eſſe à mè advertitur *in annot.* 2 *ad diſc. 11. de feud.* Hinc prudenter id expreſſum fuit ad iſtam quoque frigiditatem removendam; Quamvis enim illa ceſſare ſine dubio deberet per contenta *in §. ſeq.* dum tollitur exemptio perſonarum, quibus acceſſoria eſt, & conſequutiva exemptio bonorum, adhuc tamen experientia docente, quod proviſio in caſu magis dubitabili in hoc propoſito attendi non ſolet pro caſu minus dubitabili, ut præſertim dignoſcitur in caſu, de quo in alias citato *diſc. 15. de ſucceſſion.* & in aliis ſimilibus; quaſi quod in ſola littera, ſoliſque caſibus expreſſis legis diſpoſitio attendenda ſit; Idcircò opportunum fuit id exprimere, ita magis abundando, ut omnes litium occaſiones tollerentur, quo fine retento ſuperfluitatis vitium non intrat.

3 Meritò autem excipitur contraria lex inveſtituræ, quoniam, ut advertitur infra *in §. XIX.* ſtatutaria diſpoſitio attendenda eſt in caſu voluntatis dubiæ, & incertæ decedentium, vel prædeceſſorum, qui eos obligare potuerunt, atque in bonis, de quibus agitur, certam legem, vel ſuccedendi ordinem adiicere, ita ambiguam, & incertam voluntatem præſumendo ex ſola præſumptione juris, quæ utique ceſſat, uni contraria habetur probatio, ut eodem §. *XIX.* latius advertitur.

a *In Romana de Scapuccis ad S. Auguſtinum coram Coccino inter ſuas deciſ. 574.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Sublata quoque omni, & quacumque differentia, vel conſideratione ſubjectionis, & reſpectivè exemptionis perſonarum, tam decedentium, quàm ſuccedentium, vel excludentium, & excluſarum, cujuſcumque ſint ſtatus, gradus, & conditionis, & quamvis agatur de Clericis, vel Regularibus utriuſque ſexus, aut de Eccleſiis, & Monaſteriis, aliiſque perſonis, & locis Eccleſiaſticis, vel aliàs quomodolibet exemptis, & privilegiatis, quantumvis expreſſa, & ſpeciali nota dignis.

ARGUMENTUM.

De exemptione perſonarum eccleſiaſticarum à ſtatuto, an illa procederet ſolum reſpectu perſonarum excluſarum, vel etiam reſpectu defuncti, de cujus ſucceſſione agitur, & an perſonæ Eccleſiaſticæ exemptæ gauderent beneficio ſtatuti ad eorum favorem, in excluſionem aliorum, & quæ ſint perſonæ eccleſiaſticæ prius exemptæ.

SUMMARIUM.

1 *EXemptio bonorum eſt acceſſoria, & conſequutiva ad illam perſonæ.*

2 *De exceptione ſtatuti quando defunctus eſt eccleſiaſticus, licet ſucceſſores ſint ſæculares, quæ improbatur.*

3 *An ſtatutum loquens de ſucceſſione morientis ab inteſtato procedat in ſucceſſione inteſtabilis.*

4 *An Clerici, & alii exempti gaudeant beneficio ſtatuti, alios excludendo.*

5 *De Perſonis Eccleſiaſticis ut non patiantur excluſionem ſtatuti.*

6 *Omnes illi, qui non ſubiacent foro legis latoris, non ſubiacent eius legibus.*

7 *De ratione, ob quam in Statu Eccleſiaſtico adeſt magna copia bonorum de dominio Eccleſiarum penes laicos.*

8 *Quæ ſint perſonæ eccleſiaſticæ exemptæ à foro, & à legibus laicalibus.*

9 *De ratione, ob quam opportunum fuit tollere differentiam exemptorum.*

§. X.

PRæpoſterus quidem, de ſtricta cenſura, dici meretur ordo tentus in tollendo exemptiones prius bonorum, & poſteà perſonarum, quoniam, ut dictum eſt in §. præcedenti, exemptio, ſive immunitas eccleſiaſticorum, aliorumque exemptorum, primariò, & principaliter competit perſonis, quarum ratione acceſſoriè, & conſequutivè competit bonis, ideoque de illis prius agi debebat; ſed caſui referendum eſt, quia fortè ob magis frequentes controverſias cadentes in bonis extra territorium, vel alias exemptis id prius in mentem venit, potiſſimè quia ad negotiorum ſubſtantiam, non autem ad hujuſmodi formalitates reflectondum eſt, cum illæ congruant potius ſcholaſticis ita exercentibus ingenia tyronum. 1

Tres autem ſpecies perſonarum exemptarum in textu conſiderantur, una ſcilicet decedentium, altera excludentium, & altera excluſarum; ideoque de illis diſtinctè agendo: Quatenus pertinet ad primam ſpeciem decedentium, quamvis Rota *a* ſequendo opinionem *Imolæ* firmaverit contra magis communem ſenſum Doctorum in eadem deciſione relatorum, quod ſtatuta laicalia locum habere non debeant in ſucceſſione clerici defuncti, quam. vis verificaretur utraque ſubjectio perſonarum contendentium de ſucceſſione, & bonorum exiſtentium in territorio, ex fundamento præſumptæ voluntatis defuncti, quod ſcilicet, cum ipſe non ſubjaceret ſtatuto, ſed viveret juxta diſpoſitionem juris communis, huic potius voluntatem accommodaſſe cenſendum ſit. Attamen etiam ex tunc, & antequam per diligentias poſtmodum adhibitas haberetur illa certificatio, voluntatis quæ nunc habetur, ut infra, nunquam potui huic opinioni, utpotè pro meo judicio nimium improbabili, animum, vel intellectum adaptare, quod etiam in pleriſque noſtræ tempeſtatis doctis, & primariis viris ſequutum eſt, & præſertim in Auctore aliquarum deciſionum ſuper eodem puncto editarum. *b* Primò nempè, quoniam per mortem prioris poſſeſſoris, qualitas clericalis, quæ exemptionem induebat, jam evanuit per annihilationem perſonæ, unde propterea Theologi diſputare ſolent quæſtionem idealem, an clericus reſuſcitatus retineat ordines, & characterem, ipſaque bona effecta ſint diverſi juris, & ſub diverſo dominio ſaltem habituali, & ſic nullatenus intrare poteſt illa exemptio realis, quæ competit in bonis eccleſiaſticorum viventium, cum illa (ut præmiſſum eſt) ſit acceſſoria, & conſequutiva perſonæ, atque alias etiam poſt mortem poſſeſſoris exempti perſeverare deberent in laicis ſucceſſoribus in exemptione à collectis, aliiſque oneribus, cujus contrarium recepta praxis univerſalis docet. 2

Præterea ſi vera eſſet dicta ratio præſumptæ voluntatis morientis, quæ attendi deberet, tunc convinceretur ad evidentiam ex auctoritate, & ſenſu ejuſdem Tribunalis erronea illa opinio, quæ hucuſque tenta fuit ſuper non comprehenſione clericorum, & eccleſiaſticorum ſub ſtatutis in ſucceſſione ſæcularium decedentium, ut revera etiam ante præſentem Conſtitutionem minus probabilis cenſenda videbatur. *c* Quoniam ſicuti dicitur, quod præſumendum eſt clericum decedentem voluiſſe regulare ejus ſucceſſionem juxta propriam legem, cui ſubjacebat, non curata diverſa qualitate ſuccedentium viventium ſub diverſa lege; ita è converſo dicendum venit, quod præſumendum eſt laicum decedentem regulare voluiſſe ejus ſucceſſionem juxta propriam legem, cui ipſe, ejuſque bona ſubjacebant, non curata diverſa qualitate ſuccedentium, cum eadem ratio intret; ideoque non videtur quomodo iſtæ duæ opiniones ſimul, & ſemel teneri poſſint.

Et demum quia revera nullam habet de facto ſubſiſtentiam dicta ratio, vel præſumptio, quod clerici decedentes diverſam habeant voluntatem à ſtatutaria diſpoſitione inducta favore agnationis, quoniam, ut pluries animadverſum eſt ſuperiùs, id verè non provenit à ſola poteſtate ſtatuentium, quia ſic eis ſtatuere placuerit, ſed provenit à connaturalibus regionis, & populorum antiquis, mediis, & recentibus moribus; qui propterea in ho-

hominibus ab ipſamet infantia, & eo ipſo quod ſunt capaces traditionum, & morum majorum, in eis imprimuntur, eodem modo, quo, ut notum eſt, alii patrii mores penè indelebiliter imprimi ſolent, contrahendo amorem erga nobilitatem, & decorem propriæ familiæ, ideoque ſuperveniens qualitas accidentalis clericatus non tollit, neque immutat intellectum & jura naturalia, dum clerici, etiam Regulares, multo verò magis, & abſque dubio ſæculares retinent familiam, & agnationem; aliaque jura naturalia *d* atque comprobat notorius uſus communis, quod clerici, præſertim ſæculares, non ſolum æqualiter, ſed fortè magis quàm laici diligunt agnatos, & ſtudent, quo magis fieri poteſt, agnationem nobilitare, & conſervare; Et utinam id verum non eſſet, ut præſertim coniici poteſt ex plurimis fideicommiſſis, & primogeniis, quæ per clericos, etiam conſtitutos in primariis dignitatibus eccleſiaſticis ordinata fuerunt, & de quorum aliquibus habetur in ſede Fideicommiſſaria. *e*

Omniſque difficultas in hoc Principatu nunc ceſſat, dictaque ratio penitus enervata remanet, quoniam occaſione adhibendi diligentias enarratas in præfatione, & alibi, pro habenda notitia voluntatis, & deſiderii populorum, curavi idem ſequi circa voluntatem, & deſiderium clericorum ſæcularium; quorum reſpectu ſolum id exquirere congruum erat, dum in eis tantum, non autem in regularibus, verificatur ſucceſſio paſſiva in bonis patrimonialibus, vel aliis de quibus teſtari, & diſponere poſſunt; in regularibus enim verificatur ſolum ſucceſſio activa, nullatenus autem verificari poteſt paſſiva, ideoque non mirum ſi Morales, qui ſunt ut plurimum religioſi, tenuerunt, ac tenent in iſta materia exorbitantes opiniones. Perquiſito ſiquidem ſenſu Capitulorum Cathedralium, & aliquarum inſignium, & qualificatarum Collegiatarum (cum in aliis ſingulariter eſſet impracticabile) pro majori, ſatiſque notabili parte, aliquibus paucis exceptis, utpotè non callentibus id, de quo interrogabantur, eadem voluntas declarata fuit illi ſæcularium conformis, ideoque ceſſat omnis ratio dubitandi. Prout magis ceſſabat in caſu, de quo *diſc.* 35. *de teſtament.* enunciato etiam *d. diſc.* 6. *de ſucceſſion.* quod clericus decedens teſtamentum fecerat juxta formam textus *in cap. cum eſſes*, ſe conformando cum ſtatutaria diſponſitione, unde propterea quando etiam locum habere deberet ille nimius quidem rigor, qui adhibitus fuit circa fidem teſtium pro enervando teſtamento, negari tamen non poſſe advertebam quin iidem teſtes ſuperabundarent, ad probationem dictæ voluntatis, & ad faciendum ceſſare præfatam diverſam præſumptionem, ut propterea agnati vocati in teſtamento, ſaltem ex ſtatuto, inteſtatam ſucceſſionem in excluſionem cognatorum obtinere deberent, & tamen id curatum non fuit, quod magnam mihi intulit admirationem; quæ adhuc durat.

Attenta item perſona decedentis, alia excitata fuit quæſtio, per Conſtitutionem cum ejus generali diſpoſitione
3 in hoc §. deciſa, An ſcilicet ſtatuta loquentia de ſucceſſionibus decedentium ab inteſtato locum habeant in inteſtabilibus, *ut patet ex relatis eodem titul. de ſucceſſion. diſc.* 7. *num.* 3. *&* 5. ubi pro meo ſenſu verior dicitur eſſe opinio affirmativa, ut capiat etiam ſucceſſionem inteſtabilis; adhuc tamen congruum fuit cum dicta generali diſpoſitione quæſtionem hanc quoque dirimere.

4 Quo verò ad alteram ſpeciem perſonarum exemptarum excludentium, ut qualitas exemptiva non impediat exempto agnato ſucceſſionem delatam à ſtatuto, cujus beneficio potiri debeat, habetur actum *diſc.* 49. *&* 50. *de ſucceſſion.* ubi concordantes, & præſertim *deciſ.* 438. *part.* 4. *recent. tom.* 2. ubi iſte punctus deciditur, & cum qua deciſione aliæ recentiores tranſeunt quoniam in hoc Principatu, utpotè Eccleſiaſtico, de facili ejus Tribunalia ſequuntur opinionem aliquorum Canoniſtarum, magis autem Moralium, quam tamen Tribunalia aliorum Principatuum non de facili ſequuntur, ſuper claudicatione ſcilicet, quæ in eccleſiaſticis dignoſcitur, ut in odioſis, & præjudicialibus non ſubjaceant ſtatutis, & legibus laicalibus, à quibus exempti ſunt, poſſint autem in favorabilibus eis uti, tanquam in ratione privilegii, ut de hac claudicatione aliquid inſinuatur in ſæpius citato *diſc.* 22. *&* 143. *de dote*, & alibi, quod apud ſæculares non bonos producere ſolet effectus, quoniam ut ipſi dicunt, juſtitiæ & æquitatis naturalis ratio hujuſmodi claudicationem abhorret, atque laudat regulam *quod quiſque iuris &c.* ſive alteram, *ut eum ſequantur commoda, quem ſequuntur incommoda, & è contra:* ideoque nec juſtum, nec æquum ſit, ut debeat quis potiri beneficio, & favoribus hujuſmodi ſtatutorum, non debeat tamen eis ſubjacere in odioſis, ut latius *d. diſc.* 50. *de ſucceſſion. num. final.* quod etiam occaſione retractus inſinuatur *ſub tit. de ſervitut. diſc.* 71. *allegato in d. diſc.* 50. *de ſucceſſion.* agendo de puncto An clerici ſubjaceant retractui conceſſo per legem laicalem, & quatenus non, an ille eis competat, cum ſimilibus; Et quam æqualitatem in excluſionem dictæ claudicationis agnoverunt etiam in aliquibus caſibus iſtius Principatus Tribunalia, præſertim circa Conſtitutionem Ægidianam ſuper appellatione in poſſeſſorio; ex deductis *diſc.* 37. *de iudic.* ubi de illius materia, & latius in diſcurſu, vel opuſculo ſuper eadem Ægidiana inter varia vota. Quidquid autem in ſubjecta materia ſit de hujuſmodi claudicatione, prudenter, nimiumque laudabiliter noſtra lex hujuſmodi dubitationem ſuſtulit, tum ut ita ceſſet præfata ſcandali occaſio apud ſæculares ſuper hujuſmodi claudicationis uſu & praxi; tum etiam quia exceptis regularibus, & præſertim illis fœminini ſexus, eiſdem eccleſiaſticis magis intereſt iſtam differentiam ſublatam eſſe, dum ita clerici, aliique eccleſiaſtici agnati, citrà omne dubium, hujuſmodi ſtatutorum beneficio uti poſſunt, excludendo fœminas, & cognatos, adeout in hac parte ſit longè majus beneficium, quàm præjudicium, quod eccleſiaſticis ex iſta Conſtitutione reſultat.

Circa verò tertiam partem præſentis §. ſuper deletione differentiæ inter exemptos, & non exemptos, vel eccleſiaſticos, & ſæculares in perſonis ſuccedere debentibus, ex eo quod pro frequentiori contingentia non deberent excluſionem pati fœminæ, quæ eſſent moniales, & profeſſæ, 5
juxta quæſtionem, de qua in ſæpius citato *diſc.* 5. *de ſucceſſion.* & alibi, vel quod cognati maſculi eſſent clerici, ſive religioſi; Quamvis in puncto juris revera probabilior eſſet opinio, ut iſta exemptio ſuffragari non deberet, eo quia attendenda potius veniat qualitas naturalis, ab inſtanti nativitatis inſita, quando ante ſuperventam accidentalem qualitatem exemptivam, perſonæ erant hujuſmodi legibus ſubjectæ, ut cum rationibus, & auctoritatibus ad facietatem probatur *eod. diſc.* 5. *de ſucceſſion.* ac etiam *in* §. *ſequenti* occaſione probandi, quod id non eſſet eccleſiaſticæ immunitati præjudiciale, neque ejus termini intrent, ex pluries repetita ratione, quod iſte non eſt effectus juriſdictionis, & poteſtatis ſtatuentium, quæ cum eccleſiaſticis directè exerceatur, ſed eſt effectus indirectus, qui reſultat ex illa decedentium voluntatis præſumptione, quam hujuſmodi leges inducunt; Nihilominus quia iſtius Principatus Tribunalia recepiſſe videntur aliam opinionem, quam ſubſtinere volebant, idcircò prudens, & laudabile conſilium fuit ad tot lites dirimendas ita providere.

Stante autem dicto præſuppoſito, cum quo proceditur, & de quo pluries in Theatro, præſertim *diſc.* 112. *tit. de Iuriſd.* quod paria ſint forum ſortiri, & legibus ligari, & 6
per conſequens ut omnes, qui exempti ſunt à foro laicali, hujuſmodi ſtatutis non ſubjaceant, omninò neceſſaria fuit hæc proviſio, ſine qua penè inutilia, & nunquam operativa hæc ſtatuta remanere videbantur, potiſſimè ob dictam aliam ſpeciem exemptionis bonorum; Unde propterea unus ex congregatis benè dicebat, quod melius fuiſſet illa generaliter, & in totum abolere, dum alium ita effectum non operabantur, niſi promovendi magnas, & continuas lites abſque fructu, tum ob magnam copiam bonorum de directo dominio eccleſiarum penes laicos, in hoc Principatu magis, quàm alibi exiſtentium ſub titulo emphyteuſis, aut livelli, ob rationem pluries aſſignatam *ſub tit. de empbyteuſ.* 7
præſertim diſc. 5. *& ſeq.* quod ſcilicet ob inteſtina bella, & factiones in his regionibus retroactis ſæculis vigentes inter Guelfos, & Gibellinos, aliaque ſimilia accidentia, ſæculares ad evitandas proſcriptiones donabant eorum bona eccleſiis, quæ deinde ab eis ſub modica reſponſione recipiebant in emphyteuſim, vel cum alio ſimili titulo; Tum etiam ob magnam copiam perſonarum exemptarum à foro ſæculari, qui quodammodo reſtringi videtur ad plebeos, & pauperes artifices, vel ruſticos, ſuper quorum ſucceſſionibus, nihil, vel modicum importantibus, non

cadunt quæſtiones, cadentes ſolum in ſucceſſionibus nobilium, vel civilium, & divitum, qui penè omnes fori laicalis exemptione ex tot, tantiſque diverſis titulis, & prætextibus potiri videntur. Siquidem ultra veros Religioſos profeſſos utriuſque ſexus in adeo copioſo, & excedenti numero, & clericos ſæculares in ſacris, vel in minoribus, habentibus requiſita Concilii Tridentini, qui pariter ſunt in magno, & effrænato numero; quoad regulares, etiam novitii, quamvis non ſint veri religioſi, attamen ad hunc effectum exemptionis pro talibus habentur *f* Et quoad clericos ſæculares in minoribus, quamvis non habeant requiſita Concilii, adeout non incedant in habitu, & tonſura, neque inſerviant in divinis, ſed in omnibus ſæculariter vivant; adhuc tamen proceditur cum opinione, quod etiamſi non gaudeant privilegio fori, adhuc gaudere debeant aliis privilegiis clericalibus, & præſertim iſto exemptionis, vel non comprehenſionis ſub legibus, & ſtatutis laicalibus, ex iis, quæ generaliter habentur *d. diſc.* 112. *de iuriſdict.* & in his terminis ſpecialibus ſtatutorum, de quibus agitur, habetur *diſc.* 6. *de ſucceſſion.* ubi recenſentur deciſiones Rotæ id firmantes. Atque hoc ſtante penè omnes perſonæ nobiles, vel civiles intrant ſub hoc genere ob affectationem clericatus, præſertim pro capacitate obtinendi penſiones reſervandas, vel transferendas.

Et ulterius, ultra clericos ſæculares, & regulares, etiam ex illis, qui ſunt merè ſæculares, major pars eadem exemptione potiri videtur; Si quidem profeſſores illarum militiarum, quæ à Sede Apoſtolica approbatæ ſunt, verè autem non ſunt Religiones, in hoc Principatu habentur, & reputantur tanquam perſonæ eccleſiaſticæ, quamvis contrarium praxis docet in aliis Principatibus, ex plenè deductis *diſc.* 92. *de iuriſdictione* occaſione agendi de Militibus S. Stephani, de quibus, & ſimilibus etiam agitur *ſub tit. de iurepatronat. diſc.* 20. *& ſub tit. de regular. diſc.* 1. *num.* 121. *& ſub tit. de fideicom. diſc.* 8. *& alibi*. Nec non adſunt in magno numero miniſtri, & familiares, vel patentati Cardinalium, & Epiſcoporum, aliorumque Prælatorum, ac Sancti Officii, Fabricæ Sancti Petri, Almæ Domus Lauretanæ Collectorum, & ſubcollectorum ſpoliorum, nec non procuratores, & miniſtri tot collegiorum, monaſteriorum, & conventuum, quinimò ſocii partiarii, & coloni, ſive famuli laboratores prædiorum eccleſiarum, & monaſteriorum, piorumque locorum, imò particularium clericorum, qui omnes prætendunt iſta exemptione gaudere; adeout vel ita hujuſmodi ſtatuta omninò inutilia, & inania remanebant, ſpectatis perſonis, tam decedentium, quàm excludentium, ſive excluſorum, vel attenta qualitate bonorum, hujuſmodi prætenſæ exemptiones, quamvis non omninò firmæ, & certæ, ſed incertæ, & diſputabiles, magnas, & continuas producebant lites; Ideoque unum de duobus per neceſſe decernere, & providere opportebat, vel ſcilicet, ut præmiſſum eſt, hujuſmodi ſtatuta generaliter abolere, vel ſub illis omnes comprehendere; Ex his autem duabus viis utique melior, & utilior, magiſque commendabilis cenſenda eſt iſta, quam prudentiſſimus, & zelantiſſimus noſter Legislator elegit, tum ob majus Reipublicæ beneficium, ut bona in familiis, & agnationibus conſerventur, tum etiam quia, ut pluries inſinuatum eſt, id magis congruit, & adaptatum eſt moribus regionum, & populorum, ac voluntatis decedentium.

9

a *In Ravennaten. coram Card. Otthob. inter ſuas deciſ.* 149 *cum qua proceſſit in aliis caſibus relatis diſc.* 6. *&* 47. *de Succeſſion. ab inteſt. & diſc.* 25. *de teſtam.*

b *In Vrbinaten. cor. bon. mem. Card. Taia de qua diſc.* 6. *de Succeſs. n.* 12. c *Ex latè deductis eod. tit. de ſucceſſion. diſc.* 5. *& alibi.*

d *Ex deductis diſc.* 62. *& ſeqq. de fideic. & alibi.*

e *In d. tit. de fideic. præſertim d. diſc.* 63. *&* 106. *& in aliis.*

f *Ex deductis diſc.* 1. *de regular. n.* 120. *& diſc.* 2. *Miſcell. eccleſiaſt. n.* 24. *& alibi.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Dum non ex ipſorum Statutorum, vel ſtatuentium aliqua juriſdictione, vel poteſtate, ſed ex noſtra dumtaxat Apoſtolica authoritate hunc ſuccedendi ordinem in dicto noſtro Statu immediato, & mediato Italiæ, ex juſtis cauſis, animum noſtrum dignè moventibus, ſervari volumus, ac ſtatuimus, attenta ſolùm, ac generaliter naturali qualitate agnationis, & ſexus pro dicto fine aſſequendo.

ARGUMENTUM.

An per iſtam Conſtitutionem dirimentem exemptiones perſonarum, & rerum eccleſiaſticarum aliquod reſultet præjudicium eccleſiaſticæ immunitatis, & de ratione vera, cui innixa ſint iſta ſtatuta.

SVMMARIVM.

1 *De ratione, ob quam ſtatuatur ut Apoſtolicæ auctoritati, non autem illi ſtatuentium comprehenſio eccleſiaſticorum referatur.*
2 *Reſpondetur ad obiectum mali exempli.*
3 *Quare in hac materia nullum dignoſcatur eccleſiaſticæ immunitatis præiudicium.*
4 *Quod ſucceſſio ſit beneficium legis civilis, quæ certas conditiones, & qualitates adiicere poteſt.*
5 *Leges ſæculares non obligant eccleſiaſticos, & quando id procedat.*
6 *An ratio iuſtitiæ, & æquitatis naturalis, vel publici boni illos obliget.*
7 *Quæ ſpecies legis illos obliget, & quomodo.*
8 *Quomodo lex ſæcularis diſponat de iuramento, eiuſque vim tollat.*
9 *Quid ſuper matrimonio.*
10 *De excluſione clericorum, & religioſorum in ſucceſſionibus, & fideicommiſſis, aliiſque diſpoſitionibus.*
11 *De excluſione illegitimorum à ſucceſſionibus.*
12 *De inhabilitatione clericorum, in ſucceſſione feudorum.*
13 *De applicatione ad caſum ſuper reſtrictione ſucceſſionis ad ſolos agnatos.*
14 *Quod vera ratio huiſmodi ſtatutorum fundetur in præſumpta voluntate decedentium.*
15 *Inteſtata ſucceſſio dicitur teſtamentum legis.*
16 *De teſtamentis, quæ per unos fiant nomine aliorum.*
17 *Quod præſumptio, de qua numer.* 14. *ſit adminiculata.*
18 *Quando confeſſio unius præiudicet alteri.*
19 *De adminiculis comprobantibus præſumptionem legis.*
20 *De rationibus legis Voconiæ ſuper excluſione fœminarum.*
21 *Reprobantur rationes contrariæ, quæ fœminis aſſiſtunt.*
22 *Quare congruat ut religioſi excludantur.*
23 *Quod eligi debeat maius bonum, vel minus malum.*
24 *Vt attendi debeat qualitas naturalis, non curata accidentali.*

§. XI.

QUoniam nonnulli, fortè nimium zelatores motivarunt, diſpoſitionem, de qua in §§. antecedentibus, ſuper comprehenſione eccleſiarum, & perſonarum, ac rerum eccleſiaſticarum ſub hujuſmodi ſtatutis, eſſe præjudicialem eccleſiaſticæ immunitati, aperiendo aditum ſæcularibus poteſtatibus idem in eorum ditionibus faciendi, idcirco judicatum fuit opportunum, ad quamdam ſuperabundantiam, omnemque dubitandi occaſionem dirimendam, in hoc §. declarare, quod non ſtatuentium, vel ſtatutorum poteſtati id referendum ſit, ſed Apoſtolicæ, & Pontificiæ dumtaxat auctoritati, qua concurrente omnis eccleſiaſticæ immunitatis, & libertatis læſio ceſſat, quoniam ob utriuſque gladii ſpiritualis, & temporalis conjunctionem in iſto Principe concurrentem, multa ei conceduntur, quæ aliis Principibus, unum tantum 1

tum gladium temporalem habentibus, denegantur, ut advertitur ſuprà in §.I. ubi reſpondetur ad objectum mali exempli, quoniam duo copulativè concurrere debent in lege condenda, ad hoc ut afficiat, juſta ſcilicet cauſa, à qua regulari debet voluntas, & poteſtas, iſtudque poſterius extremum in aliis ceſſat reſpectu eccleſiarum, ac perſonarum, & rerum eccleſiaſticarum, atque, ubi juſta cauſa id exigit, recurri debet ad Summum Pontificem, qui, cognita juſtitia cauſæ, non ſolet denegare; ideòque ſi in
2 aliis ditionibus dignoſcerentur eadem ſuperiùs enunciata inconvenientia, quæ in iſta dignoſcuntur, utique ſupplicantibus Principibus, vel populis, commendabile pro meo ſenſu nimium eſſet, idem, cum eadem tamen Apoſtolica auctoritate non deneganda, decernere, ut etiam Gregorius XIII. decrevit ad ſupplicationem Peruſinæ Civitatis, ex inſinuatis *diſc. 5. de ſucceſſ.* ac etiam advertitur in quodam voto, ſeu diſcurſu, inter varia vota agendo de ſubjectione Eccleſiaſticorum publicis oneribus ex poteſtate Pontificia.

Cæterum ubi etiam ita proviſum non eſſet, adhuc ta-
3 men Eccleſiaſticæ immunitatis termini à ſubjecta materia extranei videntur, quoniam Sacri Canones, vel Concilia, ſeu Conſtitutiones Apoſtolicæ nil favore clericorum, & perſonarum eccleſiaſticarum in iſta materia inteſtarum ſucceſſionum ſtatuerunt, adeòut dici valeat, quod clericatus, vel alia eccleſiaſtica qualitas ſecum ferat aliquod jus, vel privilegium, quod ab hujuſmodi ſtatutis tollatur, ſed illa tota regulatur à legibus civilibus ſæcularibus, quibus viſum eſt talem ſuccedendi ordinem ſtatuere, illum etiam, ut dictum eſt ſupra in §. III. pluries variando; ideòque dum jus antiquum, vel novum, antequàm ſuperveniret jus noviſſimum Authenticorum, vocabat ſolos agnatos legitimos in excluſionem cognatorum, ſi ita eſſet, non potuiſſet Juſtinianus in præjudicium agnatorum, qui eſſent clerici, vel religioſi dictum ſuccedendi ordinem immutare, illoſque per matrem, alioſque proximiores cognatos excludere, cum ipſe eſſet Princeps ſæcularis, nullam cum Eccleſiaſticis habens juriſdictionem, & poteſtatem. Prout etiam leges feudales non potuiſſent, invitando ſolùm ſæculares ad ſucceſſionem feudorum, excludere clericos, vel religioſos; Aut non deberent ex eiſdem legibus civilibus, quæ ſunt leges ſæculares, excludi à ſucceſſione illi ſpurii, vel illegitimi, qui eſſent clerici, vel religioſi eis non ſubjecti, cum ſimilibus.

Veritas itaque eſt, quod jus, vel ordo ſuccedendi eſt
4 quoddam beneficium introductum à lege poſitiva ſæculari, dum lex eccleſiaſtica, ſeu canonica in hoc ſe non intromiſit, ideòque ipſamet lex poſitiva, quæ introduxit hoc beneficium intra certos gradus, illudque poterat non introducere, ſed morientium ſucceſſionem generaliter deferre fiſco, ut in aliquibus Principatibus, & præſertim in illo Turcarum præſupponitur practicari, potuit, ac poteſt in eodem beneficio, quod poſſet in totum tollere, adiicere certas conditiones, & qualitates, ſine quibus illud obtineri non poſſit, ac propterea non eſt directè diſponere cum non ſubditis, exercendo cum eis directè poteſtatem, & juriſdictionem, ſed eſt quoddam diſponere per indirectum, exigendo certam qualitatem, ſine qua tale beneficium obtineri non poſſit.

Siquidem pro eruenda veritate ad æquivoca tollenda, tres legum, vel diſpoſitionum ſpecies conſiderandæ ve-
5 niunt, una eſt merè directa in ſola ratione poteſtativa, & juriſdictionali, quia nempè lex directè diſponat de perſonis, vel rebus clericorum, & eccleſiarum, ſive aliquod onus eis imponat, aut eis tollat id, quod jam obtinent, & tunc intrat defectus poteſtatis, & juriſdictionis, & per conſequens, juxta veriorem Canoniſtarum opinionem, apud Catholicos magis tenendam, quælibet lex, vel proviſio inefficax cenſenda eſt, quamvis juſtam habeat cauſam, vel rationem, etiam ipſi naturali juſtitiæ, vel æqui-
6 tati innixam, atque publicum concernat bonum, quoniam juſta cauſa, vel ratio naturalis juſtitiæ, & æquitatis, ſive boni publici, obligabit quidem eccleſiaſticos, qui magis juſtitiæ, & æquitatis cultores eſſe debent, in ea vi, quæ dicitur directiva, ideſt ex ipſa juſtitia, vel æquitate naturali, ad quam ſervandam lex deſerviat tanquam ſtimulus, vel incitamentum eorumdem, ſive Prælatorum, & Superiorum eccleſiaſticorum ad idem ſtatuendum, & præcipiendum, non autem tamquam lex edita à poteſtate ſæculari, & cum vi coactiva.

Altera eſt ſpecies illius legis, vel proviſionis, quæ directè non diſponat cum clericis, & perſonis eccleſiaſticis in præfata ratione poteſtativa, & juriſdictionali, ſed indirectè, & per conſequentiam, ita tamen quod nullum habeat bonum, & commendabilem finem, vel juſtam cauſam, unde propterea dici potiùs mereatur lata in odium clericatus, vel ſtatus Religioſi, ſive ad fraudandam prohibitionem exercendi cum iſtis juriſdictionem, & poteſtatem, ita ſub aliquo pallio eam velando, & tunc pariter dicendum eſt idem, quod in ſpecie præcedenti, idque dignoſcitur ex diſcretiva ſequentis ſpeciei.

Tertia demum eſt ſpecies illius legis, vel proviſionis, quæ indirectè feriat perſonas, vel res, aut cauſas eccleſia- 7
ſticas, & reſpectivè ſpirituales, acceſſoriè, & per quamdam conſequentiam; directè autem, & principaliter feriat perſonas propriorum ſubditorum, ſive præſupponat aliquod factum, vel aliquam circumſtantiam in actu ſpirituali; atque non ſit per viam coactionis explicitæ, vel implicitæ, quæ ſequatur cum pœnali privatione juris proprii, & quæſiti, ſed per viam invitationis ad lucrum, & commodum acquirendum, & per viam conditionis, vel qualitatis, ſine qua illud commodum, vel beneficium, quod ab ipſo legislatore, tanquam lege animata, ſive à diſponente proveniat, obtineri non poſſit, adeòut nullus actus juriſdictionis, & poteſtatis cum perſonis, vel rebus eccleſiaſticis exerceri dicatur, & tunc talis lex, vel diſpoſitio valet, atque attendenda eſt, non tamquam lex obligatoria, ſed tamquam adjectio conditionis, & qualitatis neceſſariæ ad illud commodum, vel beneficium obtinendum, & tamquam veſtis nuptialis, ſine qua paterfamilias domi ſuæ, & in ejus convivio non vult admittere convivas, juxtà evangelicam parabolam. Sive tamquam probatio ex legis præſumptione inducta illius facti, quo poſito, ex ipſomet jure naturali, vel eccleſiaſtico ille actus corruit, ſive aliud reſultat præjudicium. Iſtaque videtur vera, & genuina diſtinctio, qua mediante, quando veritati, & juſtitiæ incumbendum ſit, non autem factionario ſtylo, ſuſtineri valet illa pars, quæ propriæ aſſiſtat poteſtati, vel hyerarchiæ, omnia conciliantur & de qua diſtinctione latiùs habetur in theatro actum. *a*

Ut puta (exemplificando dictam theoricam) certum 8
eſt, quòd juramentum eſt res merè ſpiritualis, ſuper qua laicalis poteſtas directè diſponere non poteſt, neque ejus vim tollere, illud declarando inefficax, & non obligatorium, ſive abſolvendo jurantem ab illius obſervantia; Et tamen receptum eſt, ut ſuper illo diſponere valeat indirectè, præſumendo ſcilicet in actu inito ſine forma per ipſam præſcripta quamdam malam qualitatem, ſive quoddam vitium naturale, quo poſito ipſum juramentum corruit per conſequentiam ex divini, vel eccleſiaſtici juris diſpoſitione, undè reſultat illa infectio, vel inefficacia, quæ expreſsè, & directè ordinari non poteſt, puta declarando illum actum vi, dolo, vel metu extortum, dum operatio legis verſatur circa factum profanum, inducendo ſcilicet illam præſumptam probationem facti circa vitium naturale, ex quo de conſequenti reſultat infectio rei ſpiritualis; Ita tamen quòd iſta dicenda ſit probatio præſumpta ex præſumptione juris tantùm, quæ, non docto de contrario, ſufficiat, poſſit autem elidi per contrariam probationem veritatis, & ſinceritatis actus, & per conſequens excluſivam dicti vitii; unde propterea ſi lex laicalis diſponeret, quòd cenſenda eſſet præſumptio juris, & de jure, prohibendo, vel inefficacem declarando contrariam probationem, tunc intraret infectio, quoniam ita eſſet fraudulenter, & per indirectum diſponere ſuper ipſo juramento. Idemque ubi eadem lex, non ſervata forma per ipſam præſcripta, adimeret fidem Notario, ſive adimeret fidem ſcripturæ, aut aliàs diſponeret ſuper facto, ex quo de conſequenti reſultat ceſſatio juramenti ex ejus natura.

Ita pariter matrimonium eſt res ſpiritualis, ſuper qua poteſtas laicalis ſe ingerere non poteſt, neque ejus libertatem impedire, ex diſpoſitione juris *canonici*, clariùs verò 9
ex diſpoſitione Concilii Tridentini; *unde propterea* ſi contrahenti matrimonium contra ejus prohibitionem, vel non ſervata conditione adjecta (quod etiam in privatis diſponentibus procedit) adiiciatur pœna, qualis eſſe dicitur, ubi controveniens privatur bonis, vel juribus ſuis, vel alias moleſtias in perſona, ſive in bonis patiatur; & tunc lex, vel diſpoſitio inefficax eſt, & invalida, utpotè in materia, in qua diſponens poteſtatem non habet, neque

ſe

ſe ingerere poteſt; ſed ſi concedatur beneficium, quod concedens poteſt non concedere ſub certa conditione, vel qualitate adjectâ matrimonio contrahendo, adeòut ſine illius conditionis implemento, vel qualitatis verificatione illud lucrum, ſeu beneficium obtineri, vel retineri non poſſit, & tunc talis diſpoſitio valida eſt, quoties tales non habeat inhoneſtas, vel parum rationabiles reſtrictiones, & circumſtantias, quòd inducant quamdam præciſam coactionem, adeòut ineſſe dicatur fraus, & palliatum exercitium laicalis poteſtatis in re ſpirituali, cum ſimilibus exemplis, de quibus in mox citatis locis.

Atque deſcendendo magis proximè ad noſtram materiam ſucceſſionis, ſi lex, vel privatus diſponens ab hæreditate, & ſucceſſione directa, ſeu fideicommiſſaria, aut à ſubſidio dotali, aliovè beneficio excludat clericos, vel religioſos, ſeu moniales, abſque aliquo juſto fine, adeòut dici valeat excluſivo, & inhabilitatio in odium ſtatus clericalis, vel religioſi, aut cælibis, utique diſpoſitio invalida eſt, atque rejecta conditione, quæ habebda erit pro non ſcripta, eadem diſpoſitio ſuum effectum ſortiri debet, ad inſtar eorum, quæ apud antiquos Romanos habebantur in oppoſitum ejus, quod habetur apud nos ſuper prohibita viduitate. *b* Sed ſi excludantur, vel inhabilitentur clerici, vel religioſi ex honeſto, & probabili fine per diſponentem deſiderato, ut bona deveniant ad ſæculares, qui matrimonium contrahere poſſint, vel debeant, atque Rempublicam hominibus replere, & familiam propagare, & conſervare; tunc diſpoſitio valida eſt, dictuſque bonus finis in dubio præſumitur, non conſtito de contrario, in excluſionem delicti, quod ineſſe diceretur, quando in odium ſtatus clericalis, vel religioſi ita diſponeretur, ut locis ſuprà citatis latiùs habetur.

Exindèque manat validitas legis laicalis vocantis ad ſucceſſionem inteſtatam, & reſpectivè etiam teſtatam ſolùm legitimos; inhabilitando ſpurios, & illegitimos, quibus clericatus, vel alia exemptiva qualitas non prodeſt, quoniam, ut ſuperiùs dictum eſt, cum ſucceſſio in bonis defuncti ſit beneficium legis laicalis, quæ poteſt illud tollere, accipiendum eſt cum illa qualitate, & conditione, quam ipſa lex adiicere voluit. Itaque eſt ratio, ob quam ſuſtinetur, juxta veriorem, magiſque in praxi receptam opinionem, inhabilitatio clericorum, & religioſorum ad ſuccedendum in feudis, vel illa jam obtenta retinendum, *c* quòd ſcilicet infeudans ex legis præſumptione laicalem qualitatem pro eo beneficio obtinendo deſideraverit, & adiicere voluerit, cum pleriſque ſimilibus, quæ deduci, & conſiderari poſſunt.

Applicando autem ad rem noſtram, atque agendo ſolùm in præſenti §. de ſucceſſione inteſtata, cum de teſtamentaria, & de poteſtate legis ſæcularis reſtringendi facultatem teſtandi, ac diſponendi de bonis ſuis, agatur infra in §. XIX. Non improbabiliter fortè dici poſſet, quod cum jus ſuccedendi in bonis ab inteſtato decedentis ſit legis civilis ſæcularis beneficium, quod ab ipſa poterat non concedi, vel poſſet auferri, ſive immutari, dum ab ea provenit reſtrictio ad certum gradum, nempè decimum, ideòque poſſet reſtringi, vel ampliari; Hinc ſequitur quod quemadmodum ipſa potuit prius inhabilitare genus cognatitium reſtringendo idem beneficium ad genus agnatitium, deindeque reſtituendo cognatitium, ac etiam inhabilitare genus illegitimorum, aliorumque inhabilitatorum: ita non videtur quid prohibeat certas adiicere qualitates, ſine quibus idem beneficium obtineri non poſſit, potiſſimè ubi qualitas, quæ adiicitur, honeſtum, ac rationabilem habeat finem, ut ſcilicet bona conſerventur in agnationibus, & familiis, atque ita Reſpublica hominibus repleatur, & fiat majoris exiſtimationis, & potentiæ, quæ in copia, & divitiis populorum verè conſiſtit, non autem in theſauris reconditis in arcis, quoniam iſtæ ſunt divitiæ mortuæ conſumptioni ſubjectæ, illæ autem ſunt vivæ, & renaſcentes, ideòque conſumptioni, & diſſipationi adeò non ſubjectæ.

Verum quidquid ſit de iſta ratione, ſolùm, & de per ſe conſiderata, ſuper qua locus relinquitur veritati, nil deſuper firmando; in caſu tamen, & ad effectum, de quibus agitur, alia urget ratio potentior, per quam omne dubium ſuper eccleſiaſticæ immunitatis præjudicio ceſſat: præſumptæ ſcilicet, vel ſubintellectæ decedentium voluntatis, ut cum hoc ordine eorum ſucceſſio deferri debeat, quando eis non concedatur expreſſam ſuæ voluntatis declarationem facere. Quemadmodum enim ſi decedens condit teſtamentum, atque in ejus ultima voluntate jam probata vocat ſolùm agnatos maſculos, vel ſolùm ſæculares, excludendo, & inhabilitando clericos, & religioſos, ac moniales, dici non poteſt aliquod eccleſiaſticæ immunitatis præjudicium adeſſe. *d* Ita quando iſta voluntas non habeatur explicata, vel ſufficienter probata, poteſt lex illam ſupplere vel præſumere, dum inteſtata ſucceſſio dicitur teſtamentum legis, quæ illud facit pro decedente inteſtato, vel inteſtabili. *e* Sicuti habemus in jure, quòd pro pupillo inteſtabili pater, vel avus paternus teſtatur cum illa ſubſtitutione, quæ pupillaris dicitur, vel pro amente, ſeu furioſo teſtantur illi conjuncti, quibus lex hanc dedit facultatem, cum illa ſubſtitutione, quæ dicitur exemplaris; ac etiam in aliquibus diœceſibus Epiſcopus teſtatur ad pias cauſas pro decedentibus ab inteſtato, ita iſtorum veriſimilem voluntatem explicando, vel ſupplendo ex deductis *diſc.* 24. *de teſtam.* cum ſimilibus.

Idque citra omnem dubitationem procedit, ac recipiendum eſt, quoniam non eſt præſumptio, vel ſuppletio, quæ proveniat à ſola poteſtate, & operatione legis, cui ita ſtatuere placuerit, abſque probabili fundamento veritatis, ſed eſt præſumptio nimium adminiculata; unde quemadmodum habemus, quòd confeſſio, vel alia diſpoſitio alieno nomine facta, per Prælatum, vel Rectorem, ſive tutorem, aut procuratorem, aliumve adminiſtratorem, non habentem liberam poteſtatem diſponendi de bonis, vel juribus illius, cui præiudicatur, adhuc adminiculata attenditur, & probat *f* ita multò magis dicendum eſt, quòd quando veritatis adminicula concurrunt, deferri debeat declarationi, vel diſpoſitioni Communitatis ſtatuentis, ita explicantis, vel ſupplentis voluntatem, juxtà mores proprii populi, quorum benè conſcia eſt, optimèque informata; Iſtique videntur veri, ac proprii iſtius materiæ termini, non autem illi, qui per ſuperficiales pragmaticos adhiberi ſolent, totum referendo poteſtati, & juriſdictioni ſtatuentium.

Adminicula verò ſunt plura, quæ unitim conſiderata, cum ſolita vulgari regula, *ut ſingula, quæ non proſunt unita iuvent*, ponunt rem in claris. Primò, nempè ob antiquas leges, & mores Romanorum, de quibus ſupra in §. III. Secundò, ob eoſdem mores continuatos ſub longa dominatione Longobardorum, abſque eo quod de intermedia interruptione conſtet, ut ibidem advertitur: Tertiò, ob poſt ſequutam introductionem feudorum, cum eodem ordine ſucceſſionis reſtrictæ ad agnatos maſculos, fœminis regulariter excluſis, ut pluries in ſua ſede *ſub tit. de Feudis*. Quartò, fortiter ob communem, penèque univerſalem uſum iſtorum ſtatutorum ex inſinuatis ſuprà §. II. ita occurrendo errori introducto in hac regione contra populorum ſenſus, & mores per Juriſtarum illorum temporum ſimplicitatem, recipiendo pro lege correctoria, & obligatoria jus noviſſimum Authenticorum, quod Græcorum potiùs, quàm Italorum moribus congruebat: Quintò, fortiſſimè ob actualem adeò communem, & frequentem praxim, quam habemus in ordinationibus fideicommiſſorum, ac primogeniorum, & majoratuum, quoniam, ut liquet ex multis caſibus recenſitis, in *tit. de fideicomm. præſertim diſc.* 24. *cum pluribus ſeqq.* conſuetudo eſt præferendi agnatos, quamvis remotos tranſverſales fœminis, & cognatis per eas, & quamvis eſſent deſcendentes, & de proprio ſanguine, quinimmò etiam extraneos fictè agnationem renovaturos, *ut diſc.* 30. *& ſeqq. eod. tit. de fideicomm.* Sextò, ob alteram conſuetudinem, quæ tendit in idem, de qua in ſua ſede *ſub tit. de renunciat.* quod parentes, & fratres ſolliciti eſſe ſolent de renunciationibus faciendis per filias, vel per ſorores, ut bona in agnationibus conſerventur: Et ſeptimò clariùs, adeòut non adminiculum, ſed aperta probatio dici mereatur in hoc Principatu, ob ſupradictam penè univerſalem declarationem animi factam per populos, ac etiam pro majori parte per cleros, ut ſuprà.

Urgent quoque binæ rationes per DD. conſiderari ſolitæ pro juſtificatione legis Voconiæ, & per conſequens iſtius conſuetudinis Italiæ, & ſtatutorum, de quibus agitur. Una ſcilicet, quod ita conſervantur familiarum nobilitas, decus, & ſplendor, ac memoria defunctorum, quod naturaliter homines nimium ambiunt; unde propterèa cum adeò exacto ſtudio, & diligentia ordinantur perpetua fideicommiſſa, majoratus, & primogenia, atque ſolliciti ſunt viri prudentes de ampliſſimis renunciationibus mulierum, ut etiam ſuperiùs advertitur.

Et

Et altera magis viva, magiſque congrua, & convincens eſt ratio, quæ concernit non ſolùm juſtitiam, & æquitatem privatam concurrentium ad ſucceſſionem, ſed etiam publicam utilitatem, benèque regulatum regimen Principatus, vel Reipublicæ; quòd ſcilicet ut plurimum major eſſe ſolet numerus fœminarum, utpotè non ſubjectarum excidiis, aliiſque caſibus mortis violentæ, vel etiam naturalis immaturæ, quibus ſubjacent viri non autem mulieris in bellis publicis, ac privatis, & inteſtinis, ac reſpectivè ob labores, & magna incommoda campeſtria in exercitio agriculturæ, nec non frequentiùs ſubjacent caſibus mortis per manus juſtitiæ ob dilecta; E converſò autem viri non autem mulieres ſunt, qui præſtant ſervitia perſonalia, & realia Principi, & Reipublicæ, aliaque ſupportant onera, & magna incommoda; ideòque certum eſt, quod Reipublicæ intereſt, ut penes iſtos reſideant bona, cum quibus commodiùs dicta onera, & ſervitia præſtari valeant, omniſque juſtitiæ, & æquitatis ratio exigit, ut majus habeant commodum illi, qui ſentiunt majus incommodum, non autem ut majus commodum habeant mulieres, quæ nullo incommodo ſubjacent, earumque longè melior ſit conditio, ut clarè ad ſenſum.

21 Exindèque ad evidentiam convincuntur parum ſolidæ binæ rationes per dictum Jus noviſſimum Juſtiniani ad fœminarum favorem aſſignatæ: una ſcilicet, quòd ita exigat æquitas, dum iſta manifeſtè reſiſtit, ut ſuprà: & altera, quòd ita eſſet quodammodo accuſare naturam, quod fœminam generaſſet, quoniam iſtam, utpotè deſtinatam procreationi liberorum lex melius providit, quàm virum cum dote, ideòque mulieres eſſe debent ſua ſorte, & portione contentæ; E converſò autem ita eſſet redarguere, non ſolùm antiquos ſapientiſſimos Romanos, qui fundarunt illud magnum Imperium, quod ſtulti Græci, auctores dictæ noviſſimæ legis deſtruxerunt, ſed etiam ipſummet Deum, quod ita per legem ab ipſo conditam ſtatuerit; unde meritò inſulſas, & pueriles iſtas rationes plerique Scriptorens appellant. *g* Imò ipſemet Juſtinianus, licet nolens, fatetur hanc veritatem, quod lex duodecim tabularum quamdam contineret antiquam ſimplicitatem. *h*

22 Ac etiam, reſpectu præſertim religioſorum utriuſque ſexus, nimium urget conſideratio, de qua *diſc.63. & ſeq. de fideicomm.* & alibi, quòd ſcilicet attenta potiſſimè opinione Canoniſtarum, cum qua in hoc Principatu procedit, quando ſucceſſio defertur religioſo profeſſo unius, vel alterius ſexus, illam capit directè, & immediatè jure proprio monaſterium, quod eſt penitus extraneum, ejuſdemque ſucceſſionis incommodum non tendit in perſonam conjuncti, & de ſanguine, quæ ita eodem modo continuat in victu, & veſtitu, & aliis, quod ſi aliqua commoditas creſcit, illa communis, & æqualis eſt omnibus aliis religioſis, vel monialibus penitus extraneis, & quandoq; de familiis, vel generibus malevolis, aut parum gratis; ideòque non de facili in mentem cadere poteſt, ut in id decedentis voluntas trahatur; Conſiderando potiſſimè illud magnum abſurdum, quod exindè ſequitur, ut fœminæ in ſæculo nuptæ, quæ filios, & ulteriores deſcendentes procreaverint, nimium à decedente dilectæ, & quæ Reipublicæ proficuæ ſunt, atque de facto reputantur de ſanguine, & de parentela, debeant excludi, utpotè ſubjectæ ſtatuto; & tamen debeant ſuccedere moniales, quæ reputantur in ſæculo mortuæ, & non amplius de ſanguine, & parentela, & quod magis eſt, ad commodum extraneorum, ut ſuprà.

Verum quidem eſt, quod iſta conſideratio abſurdorum productiva in religioſis profeſſis poteſt retorqueri quoad religioſos maſculos agnatos, quibus ſtatutum prodeſſet in excluſionem fœminarum, & cognatorum in ſæculo exiſtentium, potiſſimè ob noſtræ Conſtitutionis diſpoſitionem in præſenti §. in fine, ut ſola qualitas naturalis attendi debeat, quæ in religioſis profeſſis, capacibus in communi, adhuc durare dicitur, ideòque, non reſiſtente diſponentis voluntate, illi ſuccedunt etiam in fideicommiſſis merè agnatitiis, *i* dum ita verificatur præfatum abſurdum, ut monaſterium extraneum ad commodum ignotorum, & quandoque infenſorum excludat illos de ſanguine in ſæculo exiſtentes. Verùm iſte caſus magis rarus eſt, illumque tolerare congruit ad effugiendam claudicationem, ac etiam ne aliàs dici poſſet, quod lex prodierit in odium religioſorum, ut aliqui de ignaro vulgo, non callentes quid diſpoſitio determinet, ejus publicationis initio obloquuti ſunt.

Impoſſibile namque eſt in hoc mundo omnibus conſulere inconvenientibus, atque talem eligere adeò bonam, & perfectam viam, quæ aliquod malum, vel imperfectionem aliquam non habeat, ſed ut in omnibus aliis Mundi rebus, & negotiis contingit, procedendum eſt cum præponderantia, eligendo ſcilicet illam viam, quæ majus bo- 23
num, ſive minus malum contineat, ita cum hujus §. determinatione, ut ſola qualitas naturalis attendi debeat, non curata accidentali, quæ ſuperveniat, omnem litium 24
occaſionem dirimendo. Quamvis enim, hoc non obſtante, attendenda quoque veniat qualitas accidentalis profeſſionis in Religione incapaci, etiam in communi, attamen id provenit, quia tunc perſona reputatur verè mortua, etiam in teſtamentariis, directis, vel obliquis ſucceſſionibus; ideòque iſte caſus non facit ad rem.

a *in tit. de dot. diſc.12. 143. & 144. diſc.73. & 84. de teſtament. diſc.44. de fideicomm. diſc.14. de matrim. diſc.8. de alienat. & contract. prohibit. diſc.20. de feud. & in aliis.* b *ex plenè collectis per Altograd. conſ. 77. lib.2. edito in eodem caſu, de quo d. diſc.44. de fideicomm.* c *Ex deductis diſc.16. 17. & 54. de feudis.* d *Ex deductis dict. diſc.63. & ſeqq. de fideicomm. & in aliis locis ſuprà citatis.* e *Bald. conſil. 205. num.1. lib.4. Rot. apud Celſ. deciſ.248. numer.1. cum aliis diſc.1. num.8. diſc.3. num.21. & diſc.22. n.5. de ſucceſſion. & alibi.* f *Ex deductis agendo de confeſſione diſc.23. num.29. de indiciis, ac etiam ſub tit. de tutor. & adminiſtrat. & alibi.* g *Richer. in d. authent. de ſucceſſion. C. de ſuis & legitim. num.111. Barovig. in §. item vetuſtas num.1. Inſtitut. de hæred. quæ ab inteſtat. deferunt.* h *§. cæterum verſ. & hæc quidem Inſtitut. de legit. agnator. ſucceſſ.* i *ex deductis diſc.63. & ſeqq. de fideicomm.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Nullaque etiam ratione habita mixturæ perſonarum non excluſarum in medio exiſtentium, aliave qualitate, ob quam hujuſmodi Statutorum, & legum ceſſatio, & reverſio ad jus commune prætendi valeat, adeòut unicum, uniforme, ac univerſale ſit jus, & ordo ſucceſſionis ad ipſorum reſpectivè Statutorum præſcriptum, ex præfato agnationis favore.

ARGUMENTUM,

De caſu mixto, quando ſcilicet adſint in medio perſonæ non excluſæ, an faciant ceſſare ſtatutum, etiam quoad excluſas.

SUMMARIUM.

1 *QUi alis ſit caſus mixtus, de quo in hoc §. agitur, & quod mixtura faciat ceſſare ſtatutum.*
2 *Etiam ſi perſona, quæ eſt in medio nolit, vel non poſſit ſuccedere.*
3 *Diſtinguuntur plures caſus.*
4 *Quando perſona non nominata eſt proximior, & de iure vincit omnes, ac ſucceſſionem agnoſcit, ceſſat ſtatutum.*
5 *De motivis, & conſiderationibus in contrarium.*
6 *De differentia inter leges conditas à non recognoſcente ſuperiorem, & conditas à ſubdito.*
7 *Quando perſonæ non nominatæ habeantur pro neglectis, & excluſis.*
8 *Eadem eſt ratio totius quoad totum, & partis quoad partem.*
9 *De caſu, de quo n.2. quando perſona exiſtens in medio nolit, vel non poſſit ſuccedere.*
10 *De conſiderationibus habendis ſuper intelligentia ſtatutorum.*

§. XII.

QUando inter ſuperſtites, qui legitimos ſucceſſores ab 1
inteſtato morientis ſe prætendunt, atque attenta juris communis diſpoſitione ad ſucceſſionem aſpirant, digno-

gnoſcitur mixtura, quia nempè adſint perſonæ, de quibus ſtatutum loquitur, ac diſponit in utraque parte excluſiva, activa, & paſſiva, ut ex. gr. pro frequentiori contingentia accidit in filiis, aliiſque deſcendentibus maſculis, & fœminis, vel in fratribus, & ſororibus &c. adſit verò alia perſona, de qua ſtatutum non loquitur, nec diſponit, ut ſæpè contingit in matre, vel in patre, aliiſque aſcendentibus in medio exiſtentibus; vel è converſò diſponente ſtatuto de excluſione matris, vel alterius aſcendentis, adſit aliquis collateralis, de quo illud non loquatur, cum ſimilibus, adeòut non agatur de illo caſu ſimplici, de quo ſtatutum diſponit, & loquitur, ſed dici mereatur caſus mixtus; Et tunc apud fori profeſſores hodiè videtur firmum, ac receptum, ut non intret diſpoſitio ſtatutaria, ſed, ea ceſſante, fiat reverſio ad illam juris communis, non ſolùm quoad perſonas non excluſas, de quibus ſtatutum non loquitur, ſed etiam quoad excluſas, tamquam
2 ex ceſſante ſtatutaria diſpoſitione, perinde ac ſi iſta in rerum natura non adeſſet; Adeòque in hoc ſe extendunt DD. ut velint id procedere, quamvis illa perſona, quæ facit mixturam, utpotè à ſtatuto non nominata, nolit, vel non poſſit ſuccedere, ita ut quoad effectum ſucceſſionis ad ejus commodum, habeatur ac ſi non adeſſet, unde propterea egomet in caſus contingentia, quamvis contrà proprium ſenſum, propriumque genium in judicando, vel conſulendo pro veritate iſtam concluſionem ſequutus fui, in caſu tamen, quo mater, quæ in medio erat, poterat, & volebat ſuccedere, prout jam ſucceſſionem agnoverat. *a* Ex tunc autem, ut ibidem patet, præſertim circa ampliationem, quando perſona exiſtens in medio non non poteſt, vel non vult ſuccedere, ſive habet jus ſucceſſionis in parte, difficultatem habebam, dictaque ampliatio dura, & exorbitans mihi viſa eſt, ac probabili rationis fundamento deſtituta, unde propterea optavi occaſionem diſputandi formiter, & ex profeſſo hunc punctum, ſed caſus illam non præbuit de tempore, quo in munere advocationis iſta erat mea ſphæra, & principalis occupatio; nunc verò utpotè in diverſa ſphæra, diverſaque occupatione, quæ otium nimium parcè præbet, tali deſiderio ſatisfacere non conceditur, ideòque opus poſteris relinquitur. Ad eorum tamen ingeniorum excitationem inſinuatur diſtinctio diverſorum caſuum, qua mediante ad veritatis notitiam deveniri meliùs, ac faciliùs valeat.

3 Plures itaque caſus in hoc propoſito diſtinguendi, & conſiderandi videntur, quorum primus eſt, quando ex: gr: Mater, vel alia perſona, quæ in medio exiſtit à ſtatuto non conſiderata, omnium proximior eſt; adeòut de jure non admittat aliorum concurſum, ſed ipſi integra ſucceſſio debita ſit, illamque agnoſcere velit, & de facto agnoſcat, qualis erat caſus, de quo *d. diſc. 3. de ſucceſſion.* Alter eſt caſus converſus, quando mater, vel alia perſona ſuperſtes, à ſtatuto non conſiderata, nullum habet jus ſucceſſionis, nec in toto, nec in parte, adeòut quæſtio, & concurſus eſſet ſolùm inter illos, de quibus ſtatutum loquitur, vel quia ſit remotior, vel quia licèt proximior, ab eodem jure communi, ſive etiam ex alio jure particulari ſit excluſa, puta quia reperiatur profeſſa in Religione incapaci, etiam in communi, quod facit perſonam mortuam, & non exiſtentem in rerum natura; vel quia, ut in matre contingere ſolet, excluſa ſit à ſucceſſione filii ob tranſitum ad ſecunda vota, non curata proviſione de tutore, juxtà deducta *diſc. 29. eod. tit. de ſucceſſion.* cum ſimilibus caſibus, qui contingere poſſunt. Tertius eſt caſus, quando matri, vel alteri perſonæ in medio exiſtenti, à ſtatuto non contemplatæ, ideòque facienti mixturam, debita non eſt ſucceſſio in totum, ſed in parte, adeòut æqualem concurſum habeat cum aliis excludentibus, & excluſis reſpectivè, de quibus ſtatutum diſponit; ut contingit quando ſuperſunt mater, ac fratres, & ſorores utrinque conjuncti, ipſa verò mater, vel alia perſona non contemplata poteſt, & vult ſuccedere, ſuamque agnoſcit portionem. Et quartus demum eſt, quando eadem perſona non contemplata, quæ mixturam facit æqualiter, vel inæqualiter, concurrit cum excludentibus, & excluſis, ut ſuprà, ſed non vult, vel non poteſt ſuccedere, adeout, ſpectato effectu, talis perſona habeatur pro non extante, an faciat ceſſare ſtatutum, ut propterea perſona excluſa admittatur.

In primo caſu, in quo perſona non contemplata in medio exiſtens, quæ mixturam cauſat, eſt omnium proximior, adeòut de jure communi omnes vincat in ſucceſſione, quam agnoſcat, ideòque ſequatur effectus ad ejus favorem; & tunc probabiliter pro iſta perſona proximiori 4
non excluſa reſpondendum videtur, quoniam dicendus eſt potiùs caſus omiſſus, quam mixtus, dum mater, vel alia perſona proximior non excluſa dicere poteſt ſibi non obſtare ſtatutum, quod ejus reſpectu habendum eſt pro non extante, juxtà auctoritates in Theatro recenſitas *b* unde propterea in praxi nimium difficile eſſet ab iſta propoſitione recedere. Adhuc tamen ratiocinando, ut decet, advertendum, ſeu reflectendum videtur ad tempus, in quo ſtatutum conditum eſt, ac etiam ad perſonam ſtatuentis. Si enim agitur de ſtatuto condito per Civitatem, ſeu Communitatem ſubditam de tempore moderno, & poſtquàm ille ſucceſſionis ordo, quem hodiè, ex ſæpiùs inſinuato jure noviſſimo Authenticorum habemus, jam introductus, ac receptus erat, adeòut præſupponendus veniat notus ſtatuentibus; & tunc id rectè procedat, cum ita videatur noluiſſe ſtatuentes tollere jus, quod jam competebat illi proximiori perſonæ, quam ſub ſilentio relinquere voluerunt; ac etiam quia intrare poteſt defectus poteſtatis, à qua voluntas regulanda eſt; nec non iſto caſu dicitur illa lex municipalis inferior, quæ regulariter odioſa eſt, atque ſtrictè interpretanda, ut quo minus fieri poteſt jus commune corrigat.

Sed ſi ſit lex, localis quidem, comparativè ad reliquum Orbem terrarum, mereatur verò in ea Ditione, ſeu Civitate dici communis, magiſque favorabilis, ac majoris prærogativæ, quàm ſit ipſum jus commune Romanorum, juxtà diſtinctionem, de qua ſupra §. II. quia nempè, ſaltem attento eo tempore, condita ſit per Civitatem, vel Dominum non recognoſcentem ſuperiorem, atque habentem jura Principatus, & condendi leges, quamvis poſteà effecta ſit Civitas ſubdita, factaque ſit lex de tempore, quo vel juxtà legalem hiſtoriam recenſitam in §. III. legum civilium inventio adhuc non eſſet ſequuta, vel ſi ſequuta, adhuc tamen in ea regione ſequuta non eſſet acceptatio, & uſus communis, adeòut cognitum, vel firmum non eſſet illud jus ſucceſſorium matris, aliorumque parentum in concurſu agnatorum, quod hodiè habetur, ideoque non facere mentionem matris, ſive illorum aſcendentium, & cognatorum, de quibus localis lex non loquitur, non provenerit ex eo, quod in animo legislatoris non fuerit illis præjudicare, ſuumque jus tollere, ſed potius provenerit ex præſuppoſito illius excluſionis, quam juxtà enunciatos antiquos mores, & leges Romanorum, & regionis jam patiebantur, adeòut in concurſu agnatorum jus non haberent; & tunc ſecus dicendum ſit, inveſtigando ſtatuentium voluntatem, ac ſubſtantiam veritatis, non autem Interpretum, vel Conſulentium ſubtilitates, frequentius verò leguleicas ſimplicitates, ex eo derivantes, quòd ut plurimum hujus facultatis Profeſſores opinantur, quòd à tempore Juſtiniani uſque ad præſens continuatus fuerit ſemper ille ſuccedendi ordo, quem nunc habemus, quodque retroactis ſæculis vigeret præfatum Jus noviſſimum editum in Græcia, eodem modo, quo ab aliquibus ſæculis citrà nunc viget, ac receptum eſt, atque ex iſta credulitate, tanquam à fonte, manant omnia Pragmaticorum æquivoca, & ſimplicitates.

Conſiderando quoque notabilem differentiam, quæ dignoſcitur inter leges Principis, vel Civitatis non recognoſcentis ſuperiorem, & habentem jura Imperii, & leges 6
Communitatum ſubditarum, & de qua differentia habetur actum ſupra §. II. quoniam iſta poſterior ſpecies propriè dicitur jus municipale juri communi contrarium, quod ſtrictam, & rigoroſam recipit interpretationem, ideòque non incongruit rigoroſa ratio conſiderata *d. diſc. 16. de ſucceſſ. num. 21.* ut ſufficiat caſum reddi mixtum ad faciendum ceſſare ſtatutum, quod diſponit de caſu ſimplici, ſecus autem ubi agitur de prima ſpecie illius legis, quæ dici meretur verè communis, ac principalis, & propria, adeòut illa lex civilis, quam communem dicimus, ſit pediſſequa, & ſubſidiaria, quatenus prima deficiat, quoniam tunc ceſſant omnes illæ propoſitiones, quæ in lege inferiori, & municipali habentur, & cum quarum præſuppoſito procedunt omnes auctoritates, & deciſiones, quæ deſuper circumferuntur, atque in hoc dignoſci videtur error ſuperficialium Pragmaticorum procedentium cum generalitatibus percutientibus ſtatuta, ſub quorum nomine veniunt ſolùm leges municipales conditæ per ſubditos, non autem leges conditæ per illum, qui eſt ibi Imperator, cum iſtæ

in

in illa ditione primariò ſint communes, ad hanc diſtinctionem non reflectendo.

7 Quemadmodum enim jure antiquo, vel medio Romanorum, quod in Pandectis habetur, præſcribente ſucceſſionis ordinem ad favorem agnatorum, neglecta matre, aliiſque aſcendentibus, vel cognatis collateralibus, immò neglecto patre, vel avo paterno, in quibus non dabatur jus ſucceſſorium, ſed ſolum jus vendicationis jure peculii, ob incapacitatem, quæ in filio, vel nepote dignoſcebatur poſſidendi aliquid jure proprio; non per hoc mater, aliique aſcendentes, vel collaterales cognatitii generis dicere poterant, quod ob mentionem expreſſam de eis non factam ſuper excluſione, eſſet caſus omiſſus, ideòque lex eis obſtare non deberet; quoniam præſcribente lege illum ſuccedendi ordinem, & reſtringente jus ſucceſſorium ad certum genus perſonarum, reliqui cenſentur implicitè excluſi, ut etiam habemus in legibus, vel conſuetudinibus feudalibus vocantibus ad ſucceſſionem ſolos agnatos, atque non curantibus matrem, alioſq; aſcendentes, qui propterea nullum jus in tali ſucceſſione habent: ita pariter dicendum eſt in hujuſmodi legibus, quæ magis propriè, magiſque principaliter jus commune, & favorabile in eo loco efformant, quoniam ordo per illas determinatus attendi debet, atque omnes, qui per eas non vocantur, pro excluſis cenſendi ſunt, dum, ut præmiſſum eſt, ſucceſſio provenit ex providentia, & beneficio legis, quæ poteſt pro libito aſſequutionem hujus beneficii, ad certas perſonas per eam expreſſas reſtringere, ita implicitè alias excludendo, abſque neceſſitate faciendi de eis mentionem aliquam. Atque ad hæc poſterita, utpotè non aſſueta currenti ſtylo procedendi more cœcorum cum auctoritatibus, & deciſionibus in ſola littera, & generalitate, rogatur advertere, benèque reflectere, quoniam faciliùs veritatem agnoſcet.

8 Idem quod de hoc primo caſu dicitur, ſive attendatur pars doctrinalis, ſive ratiocinativa, ut ſupra, cum ſua proportione procedit, ac dicendum videtur in tertio caſu, in quo mater, vel altera perſona à jure vocata habet ſolum jus ſuccedendi in parte, quam tamen vult, & agnoſcit, adeòut exemptio à ſtatutaria diſpoſitione ſuum effectum ad ejus favorem producat, cum eadem ſit ratio totius quoad totum, ac partis quoad partem.

In aliis verò duobus caſibus, in quibus perſona à ſtatuto non contemplata, nec nominata, ideòque ab ejus diſpoſi-
9 tione exempta ex voluntate, vel ex impotentia nullum ſucceſſionis commodum reportet, adeout ſolum deſerviat pro inducenda mixtura, per quam tollatur de medio diſpoſitio ſtatutaria, ut fiat locus aliis excluſis, abſque aliqua propria utilitate, ita (ut dici ſolet) faciendo partes illius piſcis, qui delfinus dicitur, ut ſine proprio commodo aliis piſcibus damnum inferat; Quamvis attentis auctoritatibus, & præſertim Rotæ Romanæ deciſionibus *c* videatur, quod eadem mixtura eumdem operetur effectum; Attamen quidquid more Advocati, potiùs cum aliqua affectione erga emeritum, & dilectum clientem motivetur *dict. diſc. 16. num. 21.* ubi tamen habetur proteſtatio, quòd maturum judicium deſuper efformari non potuerit; adhuc verius videtur id, quod inſinuatur *dict. diſc. 3. ex num. 20. ad fin. & dict. diſc. 45.* ut iſta potiùs cenſeri mereatur quædam legalis metaphyſica, vel ſuperſtitioſus rigor probabili ratione deſtitutus. Non tamen opus eſt nunc id formiter comprobare, ideòque ſufficit relatio ad motivata locis citatis, dum per noſtram Conſtitutionem hujuſmodi exorbitantes, & irrationabiles ſuperſtitiones jam ſublatæ ſunt, expreſsè decernendo, ut ſtatuta, prout diſponunt, nulla ratione habita iſtius mixturæ, attendi debeant, adeòut unus, & idem ſit ſuccedendi ordo uniformis, & univerſalis, ſpectato fine, ſive effectu, non autem formalitate verborum, quæ potius Grammaticis, quàm Juriſprudentiæ profeſſoribus, & Judicibus congruit, ut generaliter in omnibus humanis diſpoſitionibus tam viventium, quàm morientium habemus in jure, ex pluries deductis in Theatro. Conſiderando potiſſimè id, quod *dict. diſc. 3. de ſucceſſ. & alibi* ſæpiſſimè advertitur, quòd ſcilicet hujuſmodi ſtatuta ordinata
10 fuerunt in illis ſæculis, & temporibus, in quibus lingua latina erat nimium corrupta, atque barbaries regnabat, neque habebatur notitia illarum ſubtilitatum, & propoſitionum, quæ poſtmodum ſupervenerunt, etiam in magnis, multò verò minùs in mediocribus Civitatibus, longèque minus in parvis Oppidis, & locis, unde propterea ſtatuta concepta fuerunt rudi modo, & cum quadam ſimplicitate idiotarum, & per conſequens attendi debet ſubſtantia voluntatis, ſive finis, & effectus volitus, & conſideratus, non autem immorandum eſt in grammaticalibus ſignificationibus verborum, vel in ſuperſtitionibus Juriſtarum, & præſertim ſcholaſticorum, quales antiquiori tempore erant Conſulentes.

a *ut patet ex deductis diſc. 3. de ſucceſſion. ab inteſtat. n. 5. cum ſeqq. ubi habentur auctoritates iſtam propoſitionem firmantes, ac etiam diſc. 16. & 47. eod. tit.*

b *d. diſc. 3. num. 16. & ſeqq. ac etiam d. diſc. 16. num. 19 & ſeqq. & d. diſc. 47.* c *Deciſ. 49. part. 1. recent. & deciſ. 43. part. 7. cum aliis deductis d. diſc. 3. ex num. 16. ad fin. & diſc. 16. ex num. 19. ad fin. & diſc. 46. eodem tit. de ſucceſſ.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Quodque in quolibet caſu dubio, & quomodolibet diſputabili favore maſculorum de agnatione in excluſionem fœminarum, & cognatorum, tam aſcendentium, etiam matris, quàm deſcendentium, & collateralium, hujuſmodi legum, & ſtatutorum interpretatio facienda ſit.

ARGUMENTMM.

De diverſis dubiis, & quæſtionibus in iſta materia cadentibus, quæ compendiosè inſinuantur, ad effectum oſtendendi cur iſta proviſio facta ſit. Et quænam ſit prærogativa particularis matris.

SVMMARIVM.

1 *QVare in hoc §. fiat mentio matris.*
2 *An valeant ſtatuta excludentia matrem.*
3 *Quod antiquitus mater ius in ſucceſſione non haberet.*
4 *Magis tenemur erga parentes, quam erga liberos.*
5 *De erroribus Juriſtarum circa tutelam.*
6 *De aliis erroribus circa onus dotationis, & alimentorum.*
7 *Quare fuit opus prouidere in caſibus dubiis, & diſputabilibus.*
8 *Quod quandoque neque iſta cautela ſufficiat.*
9 *Quare, & quomodo inſinuentur aliquæ quæſtiones.*
10 *De confirmatione ſtatutorum an, & quando ſit neceſſaria.*
11 *De exemptione bonorum exiſtentium extra territorium, & quæ bona circumſcribantur loco.*
12 *De exemptione bonorum exiſtentium in territorio de directo dominio Eccleſiarum, & perſonarum eccleſiaſticarum.*
13 *De quæſtionibus ſuper exemptione perſonarum eccleſiaſticarum, iſtaque eſt triplex.*
14 *An vocati per ſtatutum, cui ſubiaceant, excludant forenſes ipſi ſtatuto non ſubiectos.*
15 *Quænam ſint perſonæ eccleſiaſticæ.*
16 *De combinatione ſtatutorum, perſonarum, & bonorum an attendatur.*
17 *De mixtura perſonarum in medio non exiſtentium non excluſarum, quid operetur.*
18 *An ſtatuta loquentia de ſucceſſione decedentis ab inteſtato locum habeant in ſucceſſione inteſtabilis.*
19 *De eadem quæſtione, de qua ſupra n. 2. an valeant ſtatuta excludentia matrem.*
20 *An excluſio ſit perpetua, & ſimplex, vel potius temporalis cum reintegratione.*
21 *Quando fœminæ reintegrentur ad ſucceſſionem, ſive maſculientur ob dotem non datam.*
22 *Statuto excludente matres, & ſorores ob agnatos etiam remotos, an intelligatur ſolum de agnatis lineæ inferioris, non autem ſuperioris.*
23 *An ſub nomine agnatorum veniant fœminæ agnatæ.*
24 *An ſub nomine maſculorum excludentium fœminas veniant maſculi ex fœminis.*
25 *Excluſa matre an adhuc ei debeatur legitima.*
26 *An detur extenſio à paritate, vel maioritate rationis, &*

an

an excluſio favore agnatorum tranſverſalium includat patrem, & avum paternum.

27 *Excluſis fœminis, vel cognatis ob maſculos, vel agnatos, an intelligatur data gradus æqualitate.*

28 *Statuto demandante fœminarum excluſarum dotationem, an unica dos pro omnibus ſufficiat.*

29 *An dos debita ex ſtatuto fœminis excluſis ſuccedat loco legitimæ.*

30 *De effectibus exindè reſultantibus.*

31 *De modo extrahendi dotem, à ſtatuto demandatam, pro fœminis excluſis.*

32 *An fœminæ excluſæ faciant numerum, & partem, & quomodo.*

33 *An legitima liberorum excluſorum à ſtatuto poſſit tolli in totum.*

34 *Ordo ſucceſſionis ſtatutariæ an procedat in neceſſaria ſucceſſione feudi, vel emphyteuſis, aut fideicommiſſi, & ſimili.*

35 *An ſtatutum favore agnationis locum habeat in bonis obventis à matre, ſeu latere materno.*

36 *An inter fratres, eorumque filios à ſtatuto vocatos attendatur duplicitas vinculi.*

37 *De computatione graduum, an fieri debeat iuxta ius civile, vel canonicum.*

38 *An hæc ſtatuta procedant cum illegitimis legitimatis.*

39 *Statutum deferens ſucceſſionem patri, an ſuffragetur binubo.*

40 *De verificatione civilitatis, & ſubiectionis ſtatuto, ad obtinendum eius beneficium. Et de adoptivis.*

41 *Cum qua regula in hac materia procedi debeat.*

§. XIII.

1 ASCendentium vocabulum genericum, complectitur abſque dubio de ſui natura matrem, adhuc tamen providè iſtius, citra ſuperfluitatis vitium, facta eſt mentio ſpecialis, ad occurrendum conſuetis Juriſtarum ſuperſtitionibus, dum eorum aliqui adeò favorabilem reputant matris cauſam, utpotè ante partum oneroſam, in partu doloroſam, & poſt partum laborioſam, ut putent non poſſe per
2 ſtatutum illam à luctuoſa filii ſucceſſione excludi, poteſtatem negantes, quaſi quòd nimium exorbitans, & irrationabilis eſſet lex naturali juri quodammodo contraria. *a* Id autem continere videtur clarum æquivocum, quoniam iſta ſucceſſionis materia, ut pluries inſinuatum eſt, tota provenit ex poſitivæ, ſeu civilis legis beneficio, quæ in totum tale beneficium tollere poteſt, ſive pro ejus libito unis conce-
3 dere, & aliis denegare; atque de facto apud Romanos, ut liquet ex antiquo, vel medio jure Pandectarum, penè nullum, vel longè inferius erat jus matris, & aſcendentium, vel conjunctorum per ejus latus, quàm eſſet patris, & aſcendentium per latus paternum, imò & collateralium agnatorum; idemque, recentiori tempore introductum eſt per Jus Feudorum; Ac etiam hodiè quando adſunt liberi, non curantur pater, & mater, aliique parentes, & tamen quando juxtà regulas imaginarii juris naturæ procedendum eſſet, res deberet eſſe in oppoſitum, quoniam erga liberos
4 nullam habemus poſitivam obligationem, quia nullum ab eis recepimus beneficium, ut è converſò habemus erga parentes, & præſertim erga matrem in tribus ſtatibus ſuprà recenſitis; unde propterea apud Morales magis communiter ad patris, & matris favorem deciditur illa idealis, & nunquam practicari ſolita quæſtio, quam ſolent Magiſtri examinare in Inſtitutionibus ad tyronum ingenia exercenda, quòd ſcilicet ſi quis habeat patrem, & matrem, & liberos æque pauperes, ipſe autem non omnes, ſed aliquos tantùm alere poſſit, teneatur potius erga parentes, quàm erga liberos, ratione gratitudinis, & obligationis antidoralis, & tamen in hoc jure ſucceſſorio res eſt in oppoſitum, ideòque hujuſmodi dubitationes parum probabiles dici merentur; Adhuc tamen opportunum fuit id exprimere, quoniam frequens praxis docet, quod apud aliquos, pro ingeniorum varietate, plus valent fabulæ, quàm probatiſſimæ hiſtoriæ, & veritates.

Et quidem in hoc propoſito matris, aliorumq; aſcendentium, vel conjunctorum per ejus latus, multi dignoſcuntur apud aliquos ex noſtris errores, quorum aliqui recenſentur
5 in *Conflictu legis, & rationis*. Siquidem jus antiquum, imò etiam novum excludebat omnes fœminas, etiam matrem à tutela, vel cura; ſupervenit autem jus noviſſimum Juſtiniani, fœminis adeò favorabile, in gratiam (ut aliqui volunt) Theodoræ Auguſtæ Dominatricis, per quod mater, & avia ſolùm habilitantur, atque remoto obſtaculo, capaces tutelæ, & curæ redduntur, & tamen noſtri, regulando tutelam ab ordine ſucceſſionis, tutelam matri deferunt ſupra omnes aſcendentes, & collaterales agnatos, imò ſupra aſcendentes paterni lateris, qui pupillum non habeant in poteſtate, quorum conditio potior erat, ideòq; majoris potentiæ reputant jus matris, adeòut Summo Pontifice deferente quorumdam pupillorum tutelam valdè qualificato patruo, tunc Prælato, ad Cardinalatum poſtmodum evecto, à quo pupilli magna conſequi, & ſperare poterant beneficia, excluſa matre non multùm regimini apta. *b* Aliquibus viſa eſt iſta gratia nimium exorbitans, & injurioſa, atque juris naturalis quodammodo violativa, quod eſt improbabile, ut loco citato advertitur.

Eadem, forteque major ſimplicitas, vel ineptia manans ex conſueto fonte non reflectendi ad hiſtoriam legalem, ac temporum, & jurium diſtinctionem, dignoſcitur circa or- 6
dinem, vel onus alendi, & dotandi filios, & deſcendentes, quoniam cum per jus Digeſtorum *c* ſtatuatur alimentorum ordo, vel obligatio, ut ſcilicet prior obligatio debeat eſſe patris, & ſucceſſivè avi paterni, aliorumque aſcendentium ejuſdem lateris, in quorum omnium defectum ſubſidiaria intret obligatio matris, & ſucceſſivè aui materni, aliorumque aſcendentium ejuſdem lateris, in quorum defectum intret alia ſubſidiaria obligatio aliquorum collateralium, exindè noſtri deſumunt ordinem dotationis fœminarum, ob argumentum, quod receptum eſt procedere ab alimentis ad dotem; ideòque dicunt primò obligatum eſſe patrem, & ſucceſſivè avum paternum, alioſque ejuſdem lateris aſcendentes, in quorum omnium defectum obligatam dicunt matrem, & ſucceſſivè aſcendentes maternis lateris, adeò tenaciter hunc ordinem tenentes, ut putent illum etiam tranſire ad ſucceſſores, & bona jam defunctorum aſcendentium paterni lateris, adeòut iſtis fideicommiſſum in eorum bonis ordinantibus cum ſtricta, & rigoroſa alienationis prohibitione, ſi puellæ deſcendentes habeant matrem, vel alios aſcendentes ejuſdem lateris divites, adhuc tamen ex ſubſidiario remedio *Authenticæ Res quæ* dotem ex bonis fideicommiſſariis conſequi debeant, quod etiam ad dotes reſtituendas per deſcendentes ampliatum eſt. *d* Et tamen id continet manifeſtam irrationabilitatem, atque verius dici meretur contrarium juri naturæ, quod docet, ut cum ſequi debeant incommoda, quem ſequuntur commoda, ad vulgarem regulam *ſecundum naturam &c.* quoniam decedentibus puellis, aliiſque liberis dotandis, vel alendis, æqualiter eis ſuccedunt pater, mater, & fratres utrimque conjuncti, excludentes ulteriores aſcendentes, inter quos attenditur ſolus ordo ſanguinis, & proximitas, non curato latere, an magis paternum, quàm maternum ſit; Ergo cum hoc ordine, cum quo etiam regulant tutelam, regulari deberet obligatio alendi, & dotandi, ob dictam naturalem regulam, ut illum ſequantur commoda, quem ſequuntur incommoda; idque provenit à præfato errore non diſtinguendi leges, & tempora. Ideò enim in jure Digeſtorum *e* præfatus ordo rationabiliter ſtatuitur, quoniam, illo jure attento, totum commodum erat patris, aliorumque aſcendentium paterni lateris, quorum prior erat ſucceſſionis cauſa, neglecta matre, aliiſque ejuſdem lateris aſcendentibus; Quinimmò neque jure ſucceſſorio, ſed jure proprio, & peculii pater vel avus omnia vindicabant, ideòque non mirum, ſi è converſò ipſorum prius eſſe debeat alimentorum, & dotis onus, & incommodum. Cùm autem per jus noviſſimum id immutatum ſit cum introductione peculiorum, qua introductione mediante, etiam filii familias effecti fuerunt capaces dominii, & ſucceſſionis paſſivæ, ad quam æqualiter concurrunt utriuſque lateris parentes, juxtà proximitatem, adeòut mater vincat avum paternum, non obſtante prærogativa patriæ poteſtatis. *f* Hinc non videtur, quæ ratio unquam ſuadere valeat, cur in oneroſis, & odioſis procedi debeat cum ordine juris antiqui jam correcti, & innovati per jus noviſſimum, non autem in favorabilibus, unde propterea ceſſare dicitur ejus ratio, vel præſuppoſitum, cum ſimilibus irrationabilitatibus, ita hæc citrà ſuperfluæ evagationis vitium inſinuando, ad oſtendendum quare matris ſpecialem, & expreſſam mentionem facere opportunum judicatum fuerit, ac etiam, ut poſteritas (ſi fieri poteſt) ita edoceatur, & moneatur ad reflectendum ad hujuſmodi legum, & temporum diſtinctiones, pro

regu-

regulatione omnium materiarum, præſertim verò iſtius.

Aggrediendo autem principalem hujus §. diſpoſitionem, ut ſcilicet in quolibet caſu dubio, & quomodolibet diſputabili, favore maſculorum de agnatione, in excluſionem fœminarum, & cognatorum tam aſcendentium, quàm deſcendentium, & collateralium, hujuſmodi ſtatutorum
7 interpretatio facienda ſit, nedum opportunum, & utile, ſed imò neceſſarium fuit ita providere, cum experientia doceat, non dari legem, vel diſpoſitionem ita clarè conceptam, quin Juriſtarum ſubtilitas, dubia, & quæſtiones excitet, in quibus cum frequenter inſinuata propoſitione, ut in dubio contrà ſtatuta, utpotè correctoria, & exorbitantia, interpretatio fieri debeat, ut quo magis fieri poteſt reverſio habeatur ad jus commune, ita contrà mentem populorum ſtatuta eluſoria remanent, ac propterea huic malo ita providere prudenter, & ſtudioſè viſum eſt. Quinimmò faxit Deus, ut id ſufficiat, motivum timendi præbente experientia in pleriſque caſibus, & præſertim in illo, de quo *diſc.93. de fideicomm.* quoniam cum teſtator Juris Profeſſor cum ſummo ſtudio ordinaſſet perpetuum ſucceſſivum fideicommiſſum in univerſa ejus deſcendentia, rectèque ſciens Juriſtarum ſubtilitates, & cavillationes, ut quamlibet diſpoſitionem quantumvis claram reddere ſatagant dubiam, iſtam adjecerit cautelam, ut contingente dubio ſuper fideicommiſſi duratione, vel expiratione, tunc pro duratione ſemper fieri deberet interpretatio; Adhuc tamen in caſu, in quo, etiam ſine dicta cautela, pro fideicommiſſi exiſtentia, & duratione probabilius fortè reſponderi debuiſſet, talis cautela ſufficiens non fuit, adeòut vocatis ad fideicommiſſum cum extraneo hærede ultimi gravati de uno genere, ſuffocatam, ac vilem concordiam amplecti coacti fuerint; Unde propterea in Conſtitutione opportunum judicatum fuit poſt verbum *Dubio* adiicere quoque illa verba, *Et quomodolibet diſputabili*, & utinam ſufficiat.

Decreveram in iſto §. pro oſtendenda dubietate in ſubje-
9 cta materia cadere ſolita, me habere generaliter remiſſivè ad deducta in Theatro *g* ut jam initio inſinuavi; Verùm ex amicorum rationabili impulſu mutavi ſententiam, ideòque pariter remiſſivè inſinuantur illæ quæſtiones, quæ frequentiùs in materia cadere ſolent, cum impoſſibile ſit reaſſumere, & recenſere omnes minus frequentes; Intelligendo de illis, quæ percutiunt inteſtatam ſucceſſionem ſtatutariam, quoniam illæ quæſtiones, quæ cadunt in ſucceſſione teſtata, & quando cum ſtatuto conjungitur teſtamentum, vel alia diſpoſitio defuncti, inſinuantur infrà in §.XIX. Recenſentur autem quæſtiones ad effectum dignoſcendi neceſſitatem hujus proviſionis, quòdque aliàs, (ut præmiſſum eſt) inania remanent, & ſine effectu hæc ſtatuta; Adhibetur tamen ſtylus remiſſivus, quoniam aliàs eſſet faſtidioſa, & impracticabilis evagatio, quando ſingulæ formiter diſputari deberent, ideòque curioſus in locis quæ citantur poterit ejus deſiderio, vel opportunitati, juxtà caſuum contingentias, ſatisfacere.

10 Prima igitur quæſtio eſt per acta ſuperiùs in §.VII. ſuper ſtatutorum validitate, & quænam Papæ, vel alteriùs reſpectivè Principis auctoritas, & confirmatio neceſſaria ſit, expendendo diverſas confirmationum ſpecies, ut in eodem §.VII. habetur, ubi videndum eſt.

11 Secunda quæſtio eſt peracta in §.VIII. ſuper exiſtentia, vel ſituatione bonorum, an ſint in territorio ſtatuentis, vel extra, ut ſtatutum non attenduntur, neque ſuam faciat operationem, niſi in bonis extantibus in territorio, extrà quod ſtatuentis poteſtas, & juriſdictio non extenditur, atque ex illa plures aliæ prodeunt quæſtiones ſuper ipſorum bonorum natura, & qualitate, an ſcilicet, & quæ loco circumſcribantur, ſive cujus loci eſſe cenſeantur; quod quidem dubium non cadit in iis bonis, in quibus verificatur ſituatio, & exiſtentia materialis, & naturalis, ut ſunt bona verè ſtabilia, quæ ſoli dicuntur, conſiſtentia in prædiis ruſticis, & urbanis, ſed in illis, quæ tertiam ſpeciem conſtituunt, atque fictè, & ex legis poſitivæ diſpoſitione, non autem verè, & per naturam inter ſtabilia recenſentur ad certos effectus, qualia ſunt loca montium, & cenſus reſervativi, ac etiam conſignativi creati ſuper fundis verè ſtabilibus; quinimmò, & in ipſiſmet bonis mobilibus, vel ſe moventibus, quæ regulariter, & de eorum natura non circumſcribuntur loco, ſed perſonam ſequuntur, adhuc intrat dubitatio, an ad inſtar ſtabilium loco circumſcribantur, quando ſcilicet ipſis bonis verè ſtabilibus, & fundis inhærent, & addicta ſunt, tanquam ipſorum fundorum inſtrumenta; Prout etiam in juribus, & actionibus, quæ pariter, juxtà regularem naturam, inhærent perſonæ, & non circumſcribuntur loco, res dubio non vacat, ratione qualitatis bonorum, ad quæ ipſa jura, & actiones competant, adeòut una quæſtio, an ſtatutum attendi debeat, nec ne in bonis extrà territorium, quàm plures alias quæſtiones, multaque dubia producat.

Tertia quæſtio eſt in bonis exiſtentibus in eodem terri- 12
torio ſtatuentis, peracta in §.IX. quæ tamen ob accidentalem qualitatem ejuſdem ſtatuentis poteſtati, & juriſdictioni non ſubjaceant, quia nempè ſint de dominio directo eccleſiarum, & piorum locorum, ſive perſonarum eccleſiaſticarum, quamvis abſque aliquo eccleſiæ, vel perſonæ eccleſiaſticæ intereſſe, vel præjudicio, contentio ſit inter laicos ſuper dominio utili, vel ſubalterno; atque iſta quæſtio alias quæſtiones, aliaque dubia quoque producit, præſertim, ubi agatur de bonis patrimonialibus, & quæ ex majorum ſucceſſione, vel ex propria induſtria, & acquiſitione poſſidentur in dominio directo, vel etiam utili, & ſubalterno per clericos, aliaſque perſona eccleſiaſticas, non tamen intuitu, & occaſione, clericatus, vel eccleſiæ. Ac etiam circa illa bona, in quibus prætenditur directum dominium eccleſiarum, vel perſonarum eccleſiaſticarum, quia ipſis redditicia ſint, alia intrat involuta quæſtio frequenter peracta *ſub tit. de emphyteuſi*, an per ſolam præſtationem annuæ reſponſionis, aliamve recognitionem conſtare dicatur, nec ne de directo dominio, idque pendet à qualitate tituli, ex quo poſſeſſores laici illa poſſideant, an ſcilicet ſit ex titulo emphyteuſis, vel perpetuæ locationis, ut tunc conſtare dicatur de dominio, ſecus autem ſi præſtatio ſolvatur ex titulo cenſus, aut tributi, ratione protectionis, ſeu juriſpatronatus, & ſimili, dum non omnis recognitio, vel præſtationis ſolutio directum dominium præſupponit, & probat, ex iis, quæ habentur in dicta ſua ſede *ſub tit. de emphyt.*

Quarta eſt quæſtio circa qualitatem perſonarum, quæ 13
à ſtatuentium juriſdictione, & poteſtate prætendantur exemptæ, & per conſequens non comprehenſæ ſub ſtatuto, eodem modo, quo de bonis extrà territorium, vel eccleſiaſticis eſt ſuperius inſinuatum, dum magis communiter eſt receptum, utramque ſubjectionem perſonarum, & bonorum copulativè requiri, adeòut una ſine altera non ſufficiat, & de iſta agitur ſuprà in §.X. Ex quo patet, quod illa triplicem habet inſpectionem: unam ſcilicet circa perſonam decedentis, de cujus agitur ſucceſſione, quòd ſi exempta ſit, ſtatutum non intret, quamvis perſonæ contendentes de ſucceſſione illi ſubjaceant, ac etiam ſubjaceant bona: Altera ſuper perſonis ſuccedentium, an ſtatutaria excluſio eis obſtet, ſi ſtatuentium juriſdictioni, & poteſtati non ſubjaceant, & ſic in parte excluſiva: Et tertia eſt in parte activa, an ſcilicet perſonæ ſtatuto non ſubjectæ gaudere debeant ejuſdem ſtatuti beneficio ſuper excluſione illorum, qui ei ſubjacent.

In ſecunda verò inſpectione excluſionis paſſivæ quædam 14
contradictio apud ſcribentes, & in Tribunalium deciſionibus dignoſci videtur; quoniam ſi excludentes ſubjacent ſtatuto, excluſi autem illi non ſubjacent ratione exemptionis, quæ oritur ab immunitate eccleſiaſtica, quia nempè ſint clerici, vel religioſi, aut aliàs gaudeant exemptione à foro laicali, non debeant excludi, neque quoad eos attendatur ſtatutum, ut eodem §.X. Et tamen ſi excludentes ſunt *cives*, & ſubditi, excluſi autem ſunt forenſes, magis receptum eſt, ut ſtatutum intret *h* non curata non ſubjectione excluſorum tamquam forenſium, quod eſt contrarium firmatis in caſu præcedenti, quoniam ſi iſte eſſet effectus poteſtatis, & juriſdictionis ſtatuentium, non attendendus, niſi cum ſubditis, & cum copulativa ſubjectione perſonarum, ac bonorum, utique ita deberet ceſſare operatio in una, ac in altera ſpecie exemptionis, cum dignoſci non videatur probabilis differentiæ ratio, iſtaq; dicenda eſt quinta quæſtio.

Super dicta verò exemptione perſonarum eccleſiaſtica- 15
rum aliæ plures cadunt dubitationes eodem §.X. inſinuatæ, quando ſcilicet iſta qualitas adeſſe dicatur, & an verificetur in profeſſoribus aliquarum *militiarum*, atque in familiaribus, & miniſtris Cardinalium, Epiſcoporum, Sancti Officii, Fabricæ Sancti Petri, Almæ Domus Lauretanæ, aliiſque ſimilibus, & in colonis, laboratoribus, & ſervientibus eccleſiarum, & monaſteriorum, & piorum locorum,

corum, & perſonarum eccleſiaſticarum, ſive in novitiis, qui habitum ſuſceperunt in aliqua Religione, cũ ſimilibus, iſtaque eſt Sexta quæſtio, quæ multas alias ſub ſe complectitur.

Septima eſt quæſtio ſuper combinatione ſtatutorum, 16 perſonarum, & bonorum reſpectivè, quia nempè idem, vel conforme vigeat ſtatutum in loco ſubjectionis perſonarum, & in loco ſituationis bonorum, an hæc ſtatuta, in quorum ſingulis utraque copulativa ſubjectio non verificatur, uniri, ſeu combinari debeant, ut propterea in ejuſdem defuncti ſucceſſione attendantur; atque apud DD. magis recepta eſt opinio negativa; noſtra verò Conſtitutio canonizavit affirmativam, decernendo, ut unioni, ſeu combinationi locus eſſe debeat, ut in §. ſequenti.

Octava eſt fortè præ omnibus magis involuta, utpotè 17 quam plurium diverſorum dubiorum productiva, juxtà diverſam ſtatutorum diſpoſitionem, & caſuum diverſas circumſtantias, quæ procedit à mixtura ob exiſtentiam perſonarum in medio à ſtatuto non contemplatarum, & de qua agitur in §. præcedenti; penèq; impoſſibile eſt recenſere omnia dubia, quæ ratione iſtius mixturæ in caſibus particularibus diſputantur per Doctores, unde propterea pro aliquali notitia recurrendum eſt ad ea, quæ inſinuantur eodem §. præcedenti, & in ibi allegatis *diſc.*3. *&* 16. *&* 45. *de ſucceſſion.* ac etiam cum admirabili quidem labore, & diligentia multos caſus colligit, & refert ſub iſta mixtura cadentes Tuſch. *litt. S. concluſ.*656. *cum multis ſeqq.* præſertim verò ad rem *concluſ.*675. unde ex iſta potiſſimum quæſtione, ejuſque dependentiis ex eadem ratione mixturæ liquet frequentiſſima, nimiumque de facili contingibilia eſſe dubia, ob quæ ſequebatur pluries repetitum inconveniens, quòd hujuſmodi ſtatuta pernicioſa eſſent, magnarumque litium productiva, adeòut quando iſta proviſio ſequuta non eſſet, magis expediiſſet illa in totum abolere; ita ex Juriſtarum irrationabilibus ſuperſtitionibus reſultante effectu de directo contrario illi nimium laudabili fini, ob quem ipſa ordinata fuerunt.

Nona eſt quæſtio inſinuata in §. VIII. & de qua *diſc.*7. *de* 18 *ſucceſſ. n.*5. *& ſeqq.* an ſtatuta loquentia de ſucceſſione decedentium ab inteſtato locum habeant in ſucceſſione inteſtabilium, ſuper qua dignoſcitur modernorum collectorum improbus labor, hinc inde copioſas retexendo litanias auctoritatum pro utraque ſententia, nimiumque certando, quænam opinio majorem habeat numerum, ſeu calculum, quaſi quod numerus vincere debeat.

Decima eſt inſinuata initio hujus §. ſuper aliquorum opi- 19 nione, quæ planam meretur reprobationem, ſuper defectu poteſtatis ſtatuentium excludendi matrem a luctuoſa filii ſucceſſione, ut propterea hujuſmodi ſtatuta tanquam iniqua, & juri naturali contraria, non mereantur attendi.

Undecima eſt quæſtio ſuper excluſionis qualitate, an ſit 20 pura, ſimplex, & perpetua, adeòut, ceſſatis etiam perſonis excludentibus, nullus detur excluſis regreſſus, nullaq; reintegratio, vel potius è converſò illa ſit cauſativa, & temporalis, donec extant agnati excludentes, adeòut, eis defectis, detur reintegratio ad propriam portionem, aliàs de jure communi competentem, à qua per illos excluſi fuerunt, & de qua agitur *diſc.*52. *n.*2. *de ſucceſſ.* & alibi.

Duodecima eſt quæſtio ſuper ceſſatione excluſionis fœ- 21 minarum ob non ſequutam dotationem intrà certam ætatem, ſive intrà certum tempus, adeòut ad ſucceſſionis jus ratione morę maſculorum excludentium reintegritate cenſeantur, atque, ut alicubi pro loquendi uſu, dici ſolet, maſculientur, ideſt quòd pro maſculis haberi debeant, atque de hoc agitur *diſc.*2. *&* *diſc.*21. *de ſucceſſ.* ubi referuntur concordantes, & agitur de puncto, an requiratur vera mora poſitiva, & regularis, adverſus quam admittantur excuſationes, vel potius ſufficiat mora irregularis, aut quod procedendum ſit cum terminis non adimpletæ in tempore illius conditionis, ſub qua hoc beneficium delatum eſt maſculis ut ibi.

Decimatertia eſt quæſtio, an ſtatuto excludente matrem, 22 & ſorores, alioſque proximiores conjunctos per cognationem ob agnatos maſculos, in remotis etiam gradibus exiſtentes, ut præſertim contingit in ſtatuto Florentino, quod in hoc omnium latiùs patet, illud intelligendum ſit de omnibus agnatis indefinitè utriuſque lineæ ſuperioris, & inferioris, vel potius de illis lineæ inferioris tantum, non autem de illis lineæ ſuperioris; atque de hoc agitur *diſc.*8. *de ſucceſſ.* ubi de differentia inter iſtas lineas, vel inter patruum, & nepotem ex fratre.

Decimaquarta eſt quæſtio, an ſub nomine agnatorum excludentium cognatos, veniant fœminæ agnatæ, & 23 de hoc agitur *Diſc.*10. *eodem tit. de ſucceſſion.* & infra §. XIX.

Decimaquinta eſt quæſtio, an ſtatuto ſimpliciter exclu- 24 dente fœminas propter maſculos, intra certos gradus, nulla facta agnatitiæ, vel cognatitiæ qualitatis mentione, ſub hoc maſculorum genere veniant maſculi ex fœminis, adeòut ſolus ſexus, non curata agnatitia qualitate, attendi debeat, atque de hoc agitur *diſc.*12. *eod. tit. de ſucceſſ.* & à ſimili in fideicommiſſariis ſucceſſionibus de eadem quæſtionæ agitur *diſc.*11. 28. *& cum ſeqq. de fideicomm.*

Decimaſexta eſt quæſtio, an poſita excluſione matris, ad- 25 huc tamen legitima ſit ei debita, quoties iſtius expreſſa mentio facta non ſit, & de hoc agitur *diſc.*45. *de ſucceſs. & diſc.*10. *de legitim.* quæ tamen quæſtio certam non recipit regulam, vel deciſionem, ſed iſta pendet à ſingulorum ſtatutorum tenore.

Decimaſeptima eſt quæſtio, an admitti debeat in hujuſ- 26 modi ſtatutis extenſio, vel argumentum à paritate, vel à majoritate rationis, & præſertim ut potentior eſſe debeat cauſa, quàm cauſatum, ideòque excludente ſtatuto matrem, alioſque cognatos per agnatos tranſverſales etiam remotos, debeant mater, & cognati excludi per patrem, vel avum paternum, & de hoc agitur in pluries *cit. diſc.*15. *de ſucceſs.*

Decimaoctava eſt quæſtio, an excluſis fœminis, vel co- 27 gnatis propter maſculos, vel propter agnatos, id intelligendum veniat cum præſuppoſito æqualitatis gradus, non autem ut remotiores vincant proximiores, vel potius, ut ſola qualitas attendatur, non curata proximitate, adeòut etiam remotiores agnati excludant proximiores fœminas, vel cognatos, & de hoc agitur *diſc.*3. *de ſucceſſ.* ubi ſtatuitur regula, ut id intelligatur data gradus æqualitate, niſi facti circumſtantiæ aliter ſuadeant.

Decimanona eſt quæſtio, an excluſis fœminis, quas do- 28 tari ſtatutum diſponat, iſtud onus dotationis intelligatur in qualibet ſucceſſione, vel potiùs unica dos pro omnibus ſucceſſionibus ſufficiat, & de hoc agitur *diſc.*3. 14. 15. *&* 17. *de ſucceſſ.*

Vigeſima quæſtio eſt, an illa dos, quam ſtatutum præ- 29 cipit fœminis excluſis per maſculos excludentes dari debere, ſuccedat, nec ne loco legitimæ, adeòut fœmina reputetur extranea, ut contingit quando dos non ſuccedit loco legitimæ, vel è converſò adhuc remaneat ſua, quando ſuccedit, de hoc autem agitur in pleriſque locis, & præſertim magis ex profeſſo *diſc.*13. *de dote* ubi patet, quod Doctores iſtius quæſtionis deciſionem deſumere videntur ex quibuſdam verborum formulis, & grammaticalibus regulis, & ſignificationibus, aut ex eloquutionis ordine, quod tamen, ut ibidem, & alibi advertitur, nunquam mihi arriſit, nec arridet, quoniam cum (ut pluries inſinuatum eſt) hujuſmodi ſtatuta frequentius ordinata ſint in ſæculis, & temporibus barbaris, quando latina eloquutio nimium corrupta erat, atque litteræ, præſertim in legali facultate, exceptis famoſis Univerſitatibus, non adeò creverant, etiam in magnis, & qualificatis Civitatibus, fortiùs verò in parvis, vel mediocribus locis, unde liquet, quòd concepta ſunt ut plurium in eleganti, imò rudi, & groſſolano ſtylo; idcircò erroneum eſt cum formalitatibus Grammaticorum, vel cum ſophiſmis, & ſubtilitatibus Juriſtarum in hoc procedere, cum potius procedi debeat cum verò, & recepto pluries inſinuato axiomate, quòd in omnibus viventium, & morientium actibus, & diſpoſitionibus immorandum non eſt in littera, & in formalitate verborum, ſed in ſpiritu, & in ſubſtantia veritatis, attento fine, vel effectu per diſponentes deſiderato.

Ubi enim dos ſuccedit loco legitimæ, tunc maſculis 30 agnatis à ſtatuto prædilectis, & contemplatis multi reſultant effectus præjudiciales, à ſtatuentibus veriſimiliter noliti; Primò, nempè circa dotis taxam, vel quantitatem, quoniam eſſe debet ad menſuram legitimæ, quæ minor eſſe non poteſt, benè tamen major, uſque ad virilem, quando legitima non ſufficiat ad dotem congruam, quæ de paragio dicitur; dum è converſò quando non ſuccedit, ſufficit, quod ſit dos congrua, licet infrà dictam menſuram, ex deductis *diſc.*144. *de dot.* & alibi pluries, quamvis iſtud præjudicium conſiderabile ſit reſpectu illarum fœminarum, quæ ingrediuntur monaſterium, in quo in perſonis nobilibus dos longè minor eſſe ſolet, quoniam reſpectu

ſpectu illarum nobilium puellarum, quæ in ſæculo nubunt, ob Italiæ abuſum in exceſſivis dotibus, vel nulli, vel nimiùm rari ſunt caſus, in quibus dos legitimam non adæquet.

Alter effectus præjudicialis eſt circa ipſius dotationis ſubſtantiam, quoniam quando dos non ſuccedit loco legitimæ, fœminæ non habent jus, vel actionem ad conſequutionem dotis, niſi adimpleta conditione matrimonii carnalis, vel ſpiritualis, ſine quos dos non datur, ſolùmque conceditur actio ad illam conſtituendam, & quandoque, juxtà facti circumſtantias, ad illam deponendam, vel alias aſſignandam, ut prompta, & explicita ſit, ex deductis *eod. diſc.* 144. & 145. *& in aliis eod. tit. de dot.* undè propterea ſi non nubit nil petere poteſt; ut ibidem, & *diſc.* 5. *eod. tit.* Secus verò ubi ſuccedit loco legitimæ, quoniam tunc facto caſu mortis parentis illam petere poteſt, quamvis nolit, vel differat nubere.

Tertius eſt effectus conſequutivus circa fructuum curſum, quoniam in dote ſuccedente loco legitimæ debentur fructus eodem modo, quo de legitima, quoties ex regionis more alimenta illorum loco non ſuccedant, ut eſt in Regno Neapolitano, ubi verò non ſuccedit, nullus datur curſus fructuum, niſi poſt matrimonium, ad terminos text. *in cap. ſalubriter de uſur. de quibus diſc.* 161. *de dot.* & in aliis eodem titulo frequenter, ſolùmque adeſt ſubſidiaria obligatio alimentorum.

Et quartus, neglectis aliis minoribus effectibus, qui conſiderari poſſunt, eſt ille omnium magis præjudicialis effectus tranſmiſſionis dotis ad inteſtatos fœminæ ſucceſſores, quamvis materni lateris, vel etiam ad extraneos ex diſpoſitione per ultimam voluntatem, vel inter vivos, quamvis nulla dote conſtituta, vel effectuata, fœmina innupta decedat, quando loco legitimæ ſuccedit, ejuſque naturam, & privilegia ſortitur; id etenim clarè adverſari videtur voluntati ſtatuentium, ac etiam voluntati decedentium, regulandæ, ut præmiſſum eſt, ex communibus regionis moribus, quales eſſe videntur, ut fœminæ proviſæ eſſe debeant de congrua dote, ſpectato, fine, vel effectu, ob quem dos introducta eſt, ut ſcilicet ita honeſtè vivere valeant, neque aliàs ſe proſtituere cogantur, egrediendo de domo cum dote, quando carnaliter, vel ſpiritualiter nubunt, interim verò, dum domi vivunt innuptæ, proviſæ ſint de victu; iſtaque videtur ſubſtantia rei, ac veriſimilis voluntas tam ſtatuentium, quàm decedentium, ad quam reflectendum eſt, non autem ad verborum formulas, & grammaticales eorum ſignificationes; Sed quoniam frequenter contingit ut dubium ſit, & diſputabile, an hæc ſucceſſio dotis loco legitimæ intret, necne, idcircò provida nimium fuit noſtra Conſtitutio, ut in tot aliis quæſtionibus, quòd in dubio ille intellectus capi debeat, per quem agnationibus magis conſultum ſit, magiſque impleatur ille finis, vel effectus, ob quem hujuſmodi ſtatuta ordinata fuerunt.

Vigeſima prima quæſtio eſt ſuper modo detrahendi ab 31
hæreditate, vel à ſucceſſione dotem fœminis excluſis dandam, an ſcilicet detrahi debeat ex toto aſſe, tamquam æs alienum, adeòut ex eo, quod remanet, maſculi detrahant ſuam legitimam, vel potiùs dos detrahenda ſit ex ipſa legitima, aut quòd detracta integra legitima per maſculos, dos detrahi debeat ex reliquo beſſe, vel ſemiſſe reſpectivè, de quo agitur *diſc.* 7. *de legit. & diſc.* 91. *n.* 9. *de dot.*

Vigeſima ſecunda eſt nimium controverſa quæſtio, in 32
qua Doctores adeò ſe involvunt, an fœminæ per ſtatutum excluſæ faciant numerum ad effectum detractionis legitimæ, & an faciant partem, & ad cujus favorem, & quando in libito maſculorum excludentium repoſitum ſit illas computare, & habere pro extantibus, vel econverſò non computare, & habere pro extraneis, & quid ubi inter ipſos maſculos excludentes diſcordia deſuper dignoſcatur, quia nempè aliqui velint computare, aliqui verò non, potiſſimè ubi contingat quòd tam maſculi excludentes, quàm reſpectivè fœminæ excluſæ ſint ex diverſis matrimoniis, atque de hoc agitur *ſub tit. de legit. diſc.* 1. *cum plurib. ſeqq. & diſc.* 6. *& alibi.*

Vigeſima tertia eſt quæſtio poteſtatis ſtatuentium circa 33
eamdem fœminarum legitimam, an iſta filiis, aliiſque deſcendentibus per ſtatutum excluſis in totum tolli poſſit; Aliquibus ſimpliciter affirmantibus; Aliis ſimpliciter, & abſolutè negantibus, quaſi quod reſpectu filiorum, & deſcendentium debita ſit de jure naturæ, cui lex poſitiva derogare non valet, differentiam conſtituendo inter legitimam deſcendentium, & illam aſcendentium. Et aliis mediam tenentibus viam, ut ſcilicet poſſit minui, non autem tolli in totum, quæ omnia aliquam leguleicam ſimplicitatem revera continere videntur, quoniam non dignoſcitur quale ſit iſtud jus naturæ indiſpenſabile, quòd liberis, etiam aliundè proviſis, ſeu victum ex labore, & induſtria ſibi comparare valentibus, ex lege naturæ debita ſit legitima, & in qua quota, vel modo, dum lex, vel inſtinctus naturæ obligare ſolùm videtur matrem ad educationem, & alimoniam, uſquequò poſſit partus ex ſe vivere, atque niſi ſequuta eſſet, juxtà jam enunciatam hiſtoriam legalem, caſualis inventio, & receptio jam oblitarum legum civilium, utique non adeſſent in rerum natura iſti termini, & per conſequens non videtur undè iſtud jus naturæ deſumatur, atque de hoc agitur *eod. tit. de legit. diſc.* 10. & alibi.

Vigeſima quarta eſt quæſtio, an ille ſtatutarius ordo, qui 34
determinatus eſt in liberis decedentium ab inteſtato hæreditatibus, & ſucceſſionibus, locum habeat, atque attendi debeat in eorumdem decedentium ſucceſſionibus neceſſariis, quarum ordinem defuncti, etiam ſi teſtati eſſent, alterare non potuiſſent, puta in ſucceſſione in feudo, vel in emphyteuſi, aut in fideicommiſſo, vel debita ex ſtatuto, ut frequenter contingit in illis ſtatutis, quæ dotem deferunt filiis, juxtà deducta *diſc.* 102. *& ſeqq. de dot. & diſc.* 114. *de fideicomm.* & de hoc agitur *diſc.* 17. *n.* 3. *de Emphyteuſ.* & alibi.

Vigeſima quinta eſt quæſtio, an hujuſmodi ſtatuta fœmi- 35
narum excluſiva favore agnationis, locum habeant in illis bonis, quæ obveniunt à matre, aliiſque conjunctis materni lateris, & de hoc agitur *diſc.* 11. *&* 12. *de ſucceſſion.* & alibi.

Vigeſima ſexta eſt, an inter fratres, vel fratrum filios, & 56
reſpectivè ſorores, earumque filios in hac ſtatutaria ſucceſſione attendi debeat illa differentia, quæ in ſucceſſione, ad terminos noviſſimi juris communis inducta eſt, ac dignoſcitur inter utrimque conjunctos, & illos, qui ex uno tantùm latere conjuncti ſunt, & ſic an duplicitas vinculi prævaleat, & vincat eos, in quibus unum tantùm adeſt vinculum, & de hoc agitur *diſc.* 18. *de ſucceſſ.* & alibi.

Vigeſima ſeptima quæſtio eſt, in qua pariter non parùm 37
noſtri cũ conſuetis frigiditatibus, & ineptiis ſe involvunt, & de qua agitur *diſc.* 17. *eod. tit. de ſucceſſ.* & alibi circa cõputationem illorum graduum, de quibus hujuſmodi ſtatuta loquuntur, & diſponunt, an ſcilicet illa fieri debeat juxtà computationem juris civilis, per quã quælibet perſona facit gradum, adeòut frater dicatur fratri conjunctus in ſecundo gradu, & conſequenter conſobrinus in quarto, vel potiùs fieri debeat juxtà computationem juris canonici, juxtà quam fit diminutio in dimidio, quòd ſcilicet duo gradus de jure civili faciunt unum gradum de jure canonico, ideòque fratres dicuntur inter ſe conjuncti in primo gradu, conſobrini autem in ſecũdo, & ſic ſucceſſivè; Atque licèt primo aſpectu probabilior videatur opinio volentium attendi debere computationem juris civilis, ex illa ſæpius inſinuata ratione, quòd iſta materia ſucceſſionis ab inteſtato tota pendet, & regulatur à jure civili, cujus beneficiũ dicitur, dum in ea nil diſpoſuit jus canonicum, quod ſolùm facit graduum computationem, ad effectum prohibitionis matrimonii inter perſonas conjunctas intrà quartum gradum, qui eſt idem, ac octavus de jure civili, & ſic extrà ſubjectam materiam, atque ad diverſum effectum. Nihilominus contraria opinio, pro computatione juxtà ordinem juris canonici, verior, ac probabilior cenſenda videtur, ex eodem pluries inſinuato principio (opportunè tamen, ac utiliter repetendo) quòd ſpectandum eſt tempus, vel principium, in quo hujuſmodi ſtatuta ordinata fuerunt, reflectendo ad pluries inculcatam hiſtoriam legalem, quando ſcilicet in hac regione nulla habebatur, vel ſatis modica notitia juris civilis, quod jam in oblivionem abjerat; econverſò autem à pluribus ſæculis jam vigebat jus canonicum, quod in hoc Principatu, ut ſæpiùs inſinuatum eſt, non eſt ſolùm eccleſiaſticum pro rebus ad forum externum, eccleſiaſticum, & ſpiritualem pertinentibus, ut in aliis Principatibus, qui in temporalibus vivunt, atque reguntur cumlegibus proprii Principis, contingit, ſed eſt etiam primarium jus commune & civile in temporalibus, utpotè lex proprii Principis, ideòque cum ejus terminis pro communi uſu vivebatur; ac propterea dicendum eſt, quod juxtà communem uſum loquendi ſtatuentes intelligere voluerint, ac loquuti ſint, ex regula, quòd ambiguæ diſpoſitiones, unum, vel alterum intellectum recipientes, ab uſu loquendi magnam interpretationem recipere debent,

debent, ex deductis *disc.21. num.4. & disc.37. num.9. de regular.* & alibi passim. Potissime autem, & certiùs, quando fratrum, & sororum fit mentio, deindè verò ampliativè fit transitus ad alios conjunctos cum expressione secundi gradus, cum tunc res videatur clara, quoniam ipsi fratres, vel sorores, qui discretivè positi sunt sub hoc secundo gradu, juxtà computationem juris civilis venirent, quod claram redoleret implicantiam; ideòque pariter non cum cortice, & formalitate verborum, vel cum legalibus rigoribus, & subtilitatibus procedendum est, sed attenta substantia verisimilis voluntatis statuentium, ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis desumendæ, & præsertim ex præfato communi usu loquendi, & ex sequuta observantia, quæ dicitur optima interpres.

Vigesima octava quæstio est, an hujusmodi statuta, 38 tam activè, quàm passivè, respectu scilicet excludentium, & excludorum procedant in naturalibus tantùm, vel in eisdem legitimatis per rescriptum, & de hoc agitur *disc.10. de succession.*

Vigesima nona quæstio est, an statutum deferens succes- 39 sionem patri in exclusione sororum suffragetur patri binubo, & de hoc agitur *disc.24. de succession.*

Trigesima cadit quæstio super verificatione civilitatis, 40 vel subjectionis statuto, quæ civilitas requiratur, ut ejus beneficium obtineatur, ut etiam agitur infrà in §. XVII. & de hoc agitur *disc.19. & 20. de succession.* Atque his addi potest nova quæstio, nostra ætate excitata, circa adoptivos, an pro veris agnatis, & conjunctis in successione habendi sint, super quo videri poterunt ea, quæ habentur in *disc.53. eod. tit. de succession. ab intestat.*

Istæ videntur quæstiones in hac materia intestatæ successionis statutariæ magis frequenter in praxi contingere solitæ, ultrà penè innumeras alias minùs frequentes, quas minùs occupatus de facili perquirere poterit, aliasque percutientes diversam speciem successionis testamentariæ; de qua infra §. XIX. undè propterea ex eis dignosci facilè poterit, quam necessaria fuerit ista provisio, ut in casibus dubiis pro statutorum observantia responderi debeat, dum aliàs procedendo cum propositione opposita quam moderni sequi videntur, omninò inania remanere dignoscuntur. Et quidem in hoc superficiales legulei nimiùm decipi convincuntur, procedendo cum duobus assumptis, 41 à quorum præsuppositio manare videntur omnes restrictiones; Primò scilicet, ut hic successionis ordo proveniat à potestate, & jurisdictione statuentis, cujus sit effectus; cum tamen contrarium omninò verius dicendum sit, ut potiùs proveniat à sic inducta, vel præsumpta voluntate decedentium; Et secundò quòd hujusmodi statuta sint exorbitantia, & odiosa, tamquam juris correctoria; quoniam pariter omninò verius est contrarium, ut censenda sint favorabilia, prout, frequenter quidem, sed semper opportunè, insinuatur.

a *Bald. cons.58. sive 83. num.6. lib.5. quem refert Tusch. litt. S. concl.672. n.25. & 26. & habetur disc.7. de succes. n.2. &* 4. b *Juxta casum recensitum disc.21. de tutor. & curat.*
c *In l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* d *Ex pluries deductis in sua sede sub tit. de dot. præsertim disc.142. & 145.*
e *In d.l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc.* f *Ex deductis in sæpius citat. disc.15. de succes. & alibi.*
g *In sæpius cit. tit. de succes. ab intest. & in altero de legit. & in altero de dot. & obiter in plerisque aliis,* h *Ex firmatis per Rot. decis.364. & decis.582. part.5. rec. cum aliis in sæpius cit. tit. de succes. disc.5. n.7. disc.19. n.3. et disc.23. n.5*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Ubi verò contingat non verificari Statutorum, personarum, & bonorum unionem, similitudinem, & combinationem, quam attendi, ac servari debere decernimus, vel quòd non adsint statuta personarum; sive illa extantia, ob enunciatas Doctorum, & Tribunalium interpretationes, & restrictiones, aut aliàs quomodolibet suum non sortiantur effectum.

ARGUMENTUM.

De combinatione statutorum utriusque loci personarum, & bonorum, an locum habere debeat, & quando.

SUMMARIUM.

1 *Quod denegare combinationem sit asperum, & irrationabile.*
2 *De ratione dubitandi quando statutum viget in uno loco, & non in altero.*
3 *De ratione, cui innititur opinio negantium combinationem.*
4 *Cui rationi tribuenda sit operatio statutorum.*
5 *De combinatione quomodo attendi debeat.*
6 *De Statuto de duabus conformibus.*
7 *Parificantur non existentia, vel existentia sine effectu.*
8 *Quando repetitio non sit vitiosa.*
9 *Statutum personarum magis attendendum.*
10 *Cum qua regula procedendum sit in casibus non expressis, & non consideratis.*

§. XIV.

INter asperitates, ac indiscretos, & irrationabiles rigores, qui apud Pragmaticos in ista materia dignoscuntur, videtur nimiùm considerandus iste denegandi unionem, seu combinationem statutorum deferentium intestatas successiones agnatis masculis, cum exclusione fœminarum, & cognatorum, quando vigeant pariformiter in utroque loco personarum, & bonorum, adeòut in omnibus verificetur utrumque extremum, cum tunc nulla probabilis ratio dignosci videatur, cur statutaria dispositio effectum sortiri non debeat; Quandò enim hujusmodi statutum viget solùm in loco bonorum, non autem 2 in illo personarum, in quo servetur ordo juris communis, tunc intrare potest consideratio, quod personæ, tamquam principales, trahunt bona tamquam accessoria, quòdque verisimilis voluntas assistat illi juri, cum quo personæ vivunt, ut supra in §. IX. de clericis, aliisque ecclesiasticis decedentibus habetur, licèt neque in illis verè ista voluntas præsumenda sit, ut ibi; Et quando econversò statutum viget in loco personarum, non autem bonorum, tunc intrare potest ratio assignata in nostra Constitutione infrà in §. XVII. & XVIII. quòd scilicet illi, qui in diverso loco acquirunt, & retinent bona, censentur habuisse in animo ut illa bona regulentur juxtà leges, & mores loci, in quo sita sunt. Sed quando in utroque loco conformis est lex, atque conformes sunt mores, tunc non videtur subesse congrua ratio, cur ab hujusmodi legibus, & moribus recedendum sit, adeòut verè ista dici mereatur legalis superstitio, omni probabili ratione destituta.

Et quamvis tenentes opinionem negantem istam combi- 3 nationem in eo se fundent, quòd cum ambo statuta sint in suo genere imperfecta, & inefficacia ob deficientem in utroque necessariam subjectionem copulativam personarú, & bonorum, undè propterea intret regula, in suis casibus de jure vera, quòd conjunctio exigit habilitatem extremorum, ideòque non detur ubi ambo sunt imperfecta, ac habenda pro non extantibus, ex iis, quæ plenè super hoc puncto comprobando habentur, præsertim in famosis decisionibus a quæ apud Pragmaticos magistrales reputantur, & cum quibus in aliis proceditur, ex insinuatis *disc.4. de succes.* & alibi; Nihilominus regula quidem est vera, sed fallacia est in applicatione, ratione pluries enunciati falsi præsuppositi, ut hic succedendi ordo totus proveniat à sola potestate statuentiú, 4 ex quo præsuppositio manat requisitum utriusque subjectionis, dum pro meo judicio omninò verius videtur, ut operatio tribuenda sit verisimili decedentium voluntati, ità præsumptæ, vel explicatæ per statuentes, tamquam rectè cõscios morum, & intentionis populorum inibi viventium, ut frequenter advertitur, præsertim latiùs in §. XI. Atque, ut præmissum est, eatenus intrat probabilis ratio dubitandi, quando hujusmodi statutum vigeat in uno loco, & non in altero, quatenus intrare valeat ratio voluntatis, ut suprà. Verùm omnem sustulit dubitationem nostra Constitutio, per quam talem unionem, & combinationem attendi, ac servari debere decernitur, ad dirimendam omnẽ litium, & controversiarú occasionẽ, qualis fuit præcipuus ejusdẽ Constitutionis finis.

Unio autem, sive combinatio, quam Constitutio attendi 5 man-

mandat, non ſolùm procedit, quando utriuſque ſtatuti diſpoſitio eſt in omnibus conformis, ſed etiam quando ſtatuta ſunt quidem in aliquibus conformia, ſed in aliquibus difformia, quia nempè unum ſe extèdat ultrà plures gradus, quàm alterum, ſive quod vnum excludat aliquas perſonas, quas alterum non excludit; Adhuc tamen attendi debeat in illis partibus, in quibus concordent, & ſint conformia, procedendo cum ſæpius enunciata propoſitione, quæ debet eſſe totius materiæ regulatrix, ut ſcilicet non cortex, & formalitas verborum, ſed ſubſtantia veritatis, aut finis, vel effectus à ſtatuentibus conſideratus attendi debeat; Adinſtar eorum, quæ habentur in jure communi, ac etiam in ſtatutis de duabus,
6 vel pluribus conformibus ſententiis exequendis, & non admittentibus ulteriorem appellationem; quoniam adhuc juris communis, vel municipalis diſpoſitio attendi debet, & locum habere in illis partibus, in quibus ſunt conformes, quamvis in aliis diſcordent, & ſint difformes, ex deductis *diſc.* 37. *de iudic.* cum ſimilibus.

Prout non ſolùm conſiderandus eſt caſus exiſtentiæ ſtatuti in uno loco, & non exiſtentiæ in altero, in quo vivatur juxtà diſpoſitionem juris communis; ſed etiam (ut benè in Conſtitutione advertitur, ac diſponitur) quando adſunt quidem in utroque loco ſtatuta conformia in ea parte, vel ſpecie, ſuper qua cadit controverſia, ſed illud loci perſonarum per accidens habendum eſt pro non extante, quia nempè, per ea, quæ in antecedenti §. inſinuata ſunt, ſuum non ſortiantur effectum, cum paria ſint non extare, ac extare
7 ſine effectu, quod de facili, quinimò penè ſemper eſt contingibile, ob tot reſtrictiones, & limitationes, quas Juriſtarum ſophiſmata excogitarunt; ideòque prudentes utrique caſus explicatus fuit non exiſtentiæ, vel exiſtentiæ ſine effectu, qui principaliter attendi debet, ut pluries non tamen cum vitioſa repetitione animadverſum eſt, quoniam
8 ſi millies repeteretur, ſemper utile, & opportunum eſſet ad imprimendam hanc veritatem.

Proviſum eſt autem in caſu non exiſtentiæ, vel non effectuationis ſtatuti loci perſonarum, ut attendi debeat ſtatu-
9 tum loci bonorum, non autem in caſu converſo exiſtentiæ ſtatuti loci perſonarum, & non exiſtentiæ ſtatuti loci bonorum; quoniam iſto caſu proviſum eſt jam in §. VIII. ut ſtatutum perſonarum capiat omnia bona, etiam extra territorium exiſtentia, ut propterea bona tamquam acceſſoria ſequantur perſonam, tamquam ſuum principale, ut ita unicum, ac uniforme ſit jus ſucceſſorium, atque non detur illa monſtruoſa difformitas hæredum, & patrimoniorum, quæ eodem §. VIII. & in aliis ſequentibus conſiderata eſt, & quam tollere in animo fuit legislatoris, ut apertè ſe declarat in §. VII. ibi: *Adeò ut unicum, uniforme, ac univerſale ſit*
10 *ius, & ordo ſucceſſionis*; ideòque iſte finis in aliis caſibus non conſideratis, neque determinatis debet ſpectari, taliſque ſemper fieri debebit interpretatio, dum non verſamur in ſtatuto loci ſubditi regulando juxtà naturam juris municipalis, ſed in Conſtitutione ſupremi Principis, quæ primarium, magiſque favorabile jus commune inducit, ideòque ad inſtar juris communis cum favorabili interpretatione, etiam per inductiones, & argumenta attendi debet.

a *Narnien. coram Merlino inter ſuas deciſ.* 353. 390. & 429.

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Tunc ſublata (ut præmiſſum eſt) omni differentia exemptionis, & ſubjectionis perſonarum, & bonorum reſpectivè, generaliter, & prout jacent, attendi, ac ſervari volumus, decernimus, & mandamus Statuta locorum, in quibus bona exiſtunt, ac poſſidentur.

ARGUMENTUM.

De loco exiſtentiæ bonorum qualis dicatur, & quare ultrà verbum *exiſtere* adjiciatur verbum *poſſidere*, & qualis poſſeſſio ſufficiat.

SUMMARIUM.

1 *Quare repetatur, ut ſublata ſit omnis differentia exemptionis, vel ſubiectionis.*
2 *Quando ſuperfluitatis vitium non adſit.*
3 *Quare ultrà verbum* exiſtunt *adiiciatur verbum* poſſidentur.
4 *Quòd ſufficiat poſſeſſio defuncti abſque iuſtificatione dominii.*

§. XV.

NOn videbatur opus repetere, ut ſublata omni differen- 1
tia exemptionis, & ſubjectionis perſonarum, & bonorum reſpectivè, generaliter, & prout jacent ſervari debeant ſtatuta locorum, in quibus exiſtunt, ex ratione, de qua infrà in §. XVII. dum jam in antecedentibus §§. VIII. & ſeqq. proviſum fuerat, ut hujuſmodi differentia ſublata, indefinitè, ac generaliter ſtatuta ſeruari, atque effectum ſortiri deberent; Sed quoniam ſuperfluitatis vi- 2
tium adeſſe non dicitur in iis, quæ gratia majoris declarationis repetuntur, ad omnem dubiorum, & quæſtionum 1
occaſionem tollendam *a* Atque pro conſuetis Juriſtarum ſubtilitatibus, vel ſuperſtitionibus excitari poſſet dubium, quòd diſpoſita in dictis §§. percuterent ſtatuta perſonarum, tamquam principalia, ideòque trahenda non eſſent ad ſtatuta bonorum, quæ ſine ſtatutis perſonarum, acceſſoria potiùs eſſe dicuntur, ac minoris operationis, idcircò ad hunc effectum iſta declaratio non inutiliter, nec ſuperfluè facta fuit.

Miſteriosè item verbo *exiſtunt* adjicitur quoque verbum 3
poſſidentur, ad aliud dubium tollendum, an diſpoſitio intelligenda ſolùm ſit de iis bonis, quæ obtineantur per decedentem jure dominii, ſuper cujus verificatione diſputare oporteat, atque lites ſuſtinere; ideòque ad inſtar eorum, quæ habentur ad materiam remedii text. *in l. fin. C. de edict. Divi Adriani tollen.* favore venientium ex teſtamentaria immediata, vel mediata diſpoſitione, vel quæ habentur in interdicto *Quorum bonorum* ad favorem ſuccedentium ab inteſtato, ex deductis *diſc.* 44. *de indic.* & alibi pluries, abſque neceſſitate inquirendi de dominio, illud- 4
que juſtificandi, ſufficit quòd bona, vel jura poſſiderentur per decedentem de tempore mortis, ſive jure dominii, ſive ex alio jure, vel titulo, etiam illo hypothecæ, vel ſervitutis; Quoniam, licet his caſibus non verificetur vera, & propria poſſeſſio, prout juris eſt, ſed potiùs poſſeſſio impropria, & de facto, quæ detentio, vel detentatio, ſeu tenuta dici ſolet; Nihilominus cum agatur de ſucceſſione in locum, & jus defuncti, inquirendæ non ſunt hujuſmodi ſubtilitates, ſed attendendum eſt nudum factum, ideſt quòd ſucceſſor occupet locum defuncti, atque in illum ſubintret, fingendo ac ſi ille viveret, tamquam per ſubrogationem in illud jus, & factum, tale quale ſit, atque ad hunc effectum Conſtitutio non fuit contenta diſponere de exiſtentia, ſed adjicere quoque voluit caſum ſimplicis poſſeſſionis, etiam de facto, quæ penes decedentem eſſet, iſteque ad omnes quæſtiones dirimendas fuit ſenſus Legislatoris.

a *Vt apud Otthobon. deciſ.* 244. *num.* 24. *& ſæpius in Theatr. præſertim diſc.* 1. *de feud. & diſc.* 47. *de credit. & alibi.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Sive agatur de bonis ſtabilibus, ſive de mobilibus, cenſibus, locis montium, officiis vacabilibus, nominibus debitorum, juribus, & actionibus, & aliis, quamvis de illis eſſe dignoſcatur, quæ loco non circumſcribuntur, ſed perſona ſequuntur.

ARGUMENTUM.

De eodem, de quo in §. præcedenti ſuper exiſtentia bonorum in loco, & quando illa in uno, vel in altero loco eſſe dicantur.

SVMMARIVM.

1 *Quare necessaria fuerit præsentis, §. dispositio.*
2 *Quæ sint bona, quæ loco circumscribuntur.*
3 *De mobilibus, vel semoventibus quando censeantur de prædiis, & stabilibus.*
4 *Mobilia, & semoventia, & iura, & actiones non circumscribuntur loco.*
5 *Quid de constituentibus tertiam speciem, ut sunt census, & loca montium.*
6 *In claris, & expressis non cadunt glossæ, & interpretationes, vel quæstiones.*
7 *Neque in eis intrat observantia interpretativa.*
8 *Quando bona de facto existentia in uno loco censenda sint de loco diverso.*
9 *Quare isto casu non curetur inconveniens diversorum hæredum.*
10 *Roma, ad hunc effectum, communis patria.*

§. XVI.

1 NEcessaria erat ista declaratio, ut statutum loci attendi debeat in omnibus, & quibuscumque bonis, quæ in eo existunt, & possidentur, sive sint stabilia per veritatem, sive per fictionem, aut mobilia, & alia, quæ loco non circumscribuntur, sed personam sequuntur, illique inhærere dicuntur, quoniam aliàs, ubi simpliciter dictum esset, id, quod in præcedenti §. continetur, ut attendi deberet statutum loci bonorum, citrà omnem dubitationem non venirent, nisi illa bona, quæ verè loco circumscribuntur, qua-
2 lia propriè, & verè sunt stabilia soli, consistentia in fundis, & prædiis rusticis, & urbanis, solùmque venire possent illa mobilia, vel semoventia, quæ destinata sunt, ut ibi perpetuò maneant, eisdemque prædiis affixa sint, tamquam eorum instrumenta; secus autem ubi accidentaliter, & ad alium finem, ut occasione præsertim spolii Episcoporum, & beneficiatorum disputari solet in animalibus, quæ sint in
3 fundis, & prædiis Ecclesiæ, vel beneficii, ut alia sint, quæ eis sunt perpetuò addicta, tamquam instrumenta, & alia sint, quæ accidentaliter in eis existunt pro pascuis sumendis, aut pro quadam majori stercoratione, vel majori cultura, aliavè industria insolita *a* Ac etiam à simili disputari solet inter proprietarium, & hæredem usufructuarii finito usufructu, sive inter successorem in feudo, & hæredem allodialē feudatarii defuncti, inter quos frequenter disputari contingit, sive etiam inter eumdem hæredem allodialem, & dominum directum in casu devolutionis feudi super melioramētis, & additationibus, quando scilicet, transeant cum feudo, vel potiùs detrahi possint ac debeant *b* sed isto casu excepto,
4 mobilia, & semoventia, ac nomina debitorum, aliaque jura,
& actiones certum est non circumscribi loco, sed inhærere
5 personæ, illamque sequi; Cadente solùm quæstione in illis rebus, quæ tertiam quamdam speciem constituere videntur, atque non per veritatem, sed per legis fictionem ad quosdam effectus pro stabilibus reputari solent, qualia sunt loca montium, aliaquæ similia jura cum Principe, vel cum Republica, ac etiam sunt census, tam reservativi, quàm consignativi, aliavè annuæ præstationes, ex iis, quæ habentur jam superius insinuata in §. VIII. Quare ad omnes hujusmodi quæstiones, & dubitationes dirimendas, prudenter ista declaratio adjecta est, quoniam licet virtualiter illa ineesset, stantibus dispositis in §. §. præcedentibus, ut sublata omni differentia bonorum, universalis, ac uniformis esse deberet ordo succedendi, tamquam in unico, eodemque patrimonio; nihilominus adhuc citra vitium superfluitatis, prudenter, & opportunè ista declaratio adjecta fuit, ex eadem ratione insinuata in §. præcedenti, ad tollendam scilicet dubitationem, quæ excitari posset, ut antecedenter dispositā (cum præsuppositō, quòd ageretur de statutō personæ) non procederent in isto casu, in quo agitur de statuto loci bonorum.

6 Stante autem ista declaratione, non videtur, quòd huic §. congruat aliqua glossa, vel adnotatio, cum ità intrare videatur nimis vulgata regula text. *in l. ille aut ille, ff. de legat. 3.* per ora Pragmaticorum frequenter volitare solita (quandoque tamen extra propositum, & malè) ut in facti contingentia praxis docuit in quadam decisione *c* quòd in claris, & expressis non intrant glossæ, & interpretationes, aut quæstiones, & argumenta; undè propterea habemus in terminis observantiæ, cui adeò deferri solet tamquam optimæ interpreti, interpretationum reginæ, ut rectè id procedat in dubiis, & ambiguis, in quibus intrat terminus interpretationis, non autem in claris, & expressis. *d* 7

Adhuc tamen aliqua adnotatio, nedum opportuna, & à superfluitatis vitio aliena, sed etiam necessaria videtur; quoniam licet in §. præcedenti advertatur, misteriosè post verbum *existere* adjectum esse verbum *possideri* ad denotandum sub hac dispositione venire omnia bona, quæ qnomodolibet per decedentem in eo loco possideātur, vel detineantur, absque necessitate inquirendi de dominio; nihilominus non omne, quòd de facto in aliquo loco possidetur, dicitur ibi possideri, atque sub genere bonorum in eo existentium ve- 8
nire, cum quandoque censenda sint diversi loci, & econversò illa, quæ in alio loco reperiuntur, censenda sunt de loco, in quo naturaliter, & de facto non existunt; cum in hac materia totum faciat voluntas, & destinatio domini, seu possessoris, juxtà ea, quæ habentur pluries in hac materia existentiæ, vel pertinentiæ bonorum unius, vel alterius loci *sub tit. de Legat. disc. 4. cum plurib. seqq.* occasione agendi de legato mobilium, aliorumque bonorum domus, vel existentium in aliquo loco, quando de illo esse censeantur, necne; Possunt enim juxtà leges, & auctoritates ibidem deductas, frustrà transcribendas, cum ibidem videri possint, stare simul, quòd bona extent, & reperiantur in uno loco, & tamen quòd ob destinationem domini, censeantur alterius loci; ideòque sola existentia materialis, & de facto non sufficit sine destinatione, quæ tamen, non constito de contrario ex facti circumstantiis, præsumitur in loco, ubi reperiuntur. Et quamvis ex dispositis in præsenti §. & in antecedentibus dignoscatur quoque inconveniens diversitatis hæredum, & patrimoniorum, dum ità alii erunt hæredes, & successores 9
in loco personarum, & alii erunt in loco bonorum, quando in loco personarum non adest statutum, vel si adest, non potest effectum sortiri; attamen ex justis, & rationabilibus quidem motivis ab experientia inductis, ità legislatori visum est, & placuit, ob rationem assignatam in §. sequenti, ità, & taliter, quòd ista provisio, & ratio respectivè fuerit originaria, & potissima causa præsentis Constitutionis, respectu præsertim bonorum & jurium, quæ per exteros in Urbe, tam- 10
quam in quadam patria communi (qualem in proposito expressè declarat Sixtus V. *Constitut. 3. §. 7.*) acquiri, & retineri solent, ut ad removendas lites, quando vel deest, vel effectum non sortitur proprium, ac patrium statutum, attendi debeat illud Urbis; ideòque supremi Legislatoris sensibus, & voluntati deferendum est, etiam ubi ratio non omninò assisteret, ad vulgatum text. *in l. non omnium, ff. de legibus*, quamvis id dici non valeat, cum adsit assistentia dictæ rationis, ex qua resultat clara probatio ejus, quod superiùs dictum est, ut non sufficiat sola existentia in loco materialis, & de facto, sed verificari quoque debeat destinatio, & voluntas, in cujus præsumptione ista dispositio fundata est, ut in sequenti §. declaratur.

a *iuxta ea, quæ habentur sub tit. de Benefic. disc. 82. num. 8. & alibi.* b *Ex deductis in sua sede sub tit. de Feud. disc. 2. & 27. & habetur quoque sub tit. de Legat. disc. 9. ubi de animalibus, & segetibus, ac mobilibus existentibus in fundis, & prædiis, an veniant sub legato bonorum stabilium, cum similibus.* c *Romana prætii officiorum coram Albergato, de qua in tract. de Offic.* d *Ex deductis disc. 21. de iudic. & alibi frequenter.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Et quamvis tam decedentes, quàm excludentes, & excluſi exteri ſint, Nobis, & Sedi Apoſtolicæ in temporalibus non ſubditi, dum etiam exteri acquirentes, ac retinentes præfata bona, & jura in prædictis Urbe, & Statu, cenſentur (contraria voluntate expreſsè non declarata) in animo habuiſſe hujuſmodi bonorum, & jurium ſucceſſionem regulari debere, juxta leges, & ordinationes locorum, in quibus exiſtunt, ac retinentur.

ARGUMENTUM.

De exæquutione forenſium, & non ſubditorum civibus, & ſubditis, qualem rationem habeat, & an commendatione, vel reprobatione digna ſit.

SVMMARIVM.

1 *De ratione dubitandi de præſenti diſpoſitione ad favorem exterorum.*
2 *Sufficit ſubiectio excludentium, non curato, quod excluſi ſint exteri.*
3 *De Apoſtolicis Conſtitutionibus, & ſtatutis contra forenſes, & an ſint odioſa, vel favorabilia.*
4 *Qualis via eligenda ſit in rebus Mundi.*
5 *De motivis, quibus innixa eſt præſens diſpoſitio ad favorem forenſium.*
6 *Quòd per omnes Principes in toto Orbe Chriſtiano uniformes leges deſuper ferri deberent.*
7 *De libertate forenſium in Vrbe, tamquam cõmuni patria.*
8 *De vera ratione, cui innixa ſint ſtatuta.*

§. XVII.

1 ISta pars Conſtitutionis majorem, fortèque unicam habuit contradictionem aliquorum ſapientum ex illis qui deſuper, juxtà inſinuata in præfatione, conſulti fuerunt; non laudabant enim, quòd ſublata differentia ſubditorum, & non ſubditorum, hujuſmodi ſtatuta, indefinitè, ac generaliter attendi, & ſervari deberent, utpotè contra veriſimilem voluntatem, & intentionem ſtatuentium, qui in graviam propriorum ſubditorum ita ſtatuere voluerint, non autem exterorum, & non ſubditorum; Ac etiam quia ita dari poteſt inconveniens, quòd maſculi agnati exteri, & ſubditi aliorum Principum excludere poterunt fœminas, & cognatos ſubditos, ita à principatu extrahendo divitias, & bona, illaque trahendo in alias ditiones, quod videtur contra magis communem, magiſque receptum ſenſum Doctorum, & Tribunalium, quo attento inſpicitur civilitas, & ſubjectio excludentium, non curata forenſitate, vel non ſubjectione excluſorum *a* Conſiderando potiſſimè, quòd in hoc præſertim principatu ex ejus legibus inhabilitati ſunt exteri alibi viventes, ad poſſidendum in eo bona ſtabilia, tam ex Apoſtolicis Conſtitutionibus Sixti V. Clementis VIII. Pauli V. Urbani VIII. & Innocenti X. de quibus *diſc. 37. de præemin.* & in aliis locis, de quibus proximè infrà; Tùm etiam à pleriſque localibus legibus, & ſtatutis eamdem continentibus inhabilitationem, ſive majus gravamen, de quibus in ſuis ſedibus *b* Undè patet, quòd licet non deſint volentes hujuſmodi ſtatuta cenſenda eſſe odioſa; & à jure exorbitantia; nihilominus probabilius eſt oppoſitum, ut rationabilia, æqua, & favorabilia cenſeri debeant, naturali aſſiſtente ratione, ad vulgarem regulam *ſecundum naturam &c.* ut eum ſequantur commoda, quem ſequuntur incommoda, & econverſò; ideòque cum cives, & incolæ ſupportent onera, quibus non ſubjacent forenſes, juſtum, & æquum eſt, ut illi, non autem iſti potiri debeant illis beneficiis, quæ in eo loco per naturã diſpenſantur; ac etiam ob aliam rationem publici favoris conſideratam per text. latiſſimè in hoc propoſito exornatum, cum magnis illationibus hanc materiam percutientibus per Petr. Barboſ. *in l. fin. ff. ſolut. matrim.* ut civitates, & loca hominibus, & habitatoribus repleantur, dum, ut alibi ſuperius dictum eſt, in hoc propriè conſiſtunt magis æſtimabiles Principis, & Reipublicæ divitiæ, potentia, & exiſtimatio.

2 3

Sed quoniam in Mundo non datur perfectum bonum, quod aliquam mali mixturam non habeat, cum hæc perfecta bonitas cœleſtibus, ac Divinis reſervata ſit, ſive iis ſpiritualibus rebus, quæ ad cœleſtem, ac beatam vitam directæ, & ordinatæ ſint; undè propterea, libram in manibus tenendo, eligenda eſt illa pars, quæ videatur majorem boni præponderantiam habere, non curato illo minori malo, quod dignoſcatur; quoties iſtud non ſit intrinſecè, & naturaliter malum, & peccaminoſum, quod in ſubjecta materia dici non poteſt; idcircò maturè penſatis omnibus, quæ hinc inde ſuper hoc puncto urgerent, viſum eſt noſtro prudentiſſimo, ac zelantiſſimo Legislatori hanc viam eligere, ex pluribus motivis.

4

5 Primò nempè, ut ita ſe oſtenderet Patrem univerſalem, quòdque apud eum, tamquam Dei Vicarium, non ſit acceptio perſonarum; Quamvis enim (ut initio præmiſſum eſt) in hac parte principaliter ſe gerat potiùs tamquam Princeps, quàm uti Pontifex, utendo ſolùm Pontificali poteſtate pro comprehenſione Eccleſiaſticorum, ut advertitur in §. IX. & alibi; nihilominus hujuſmodi perſonæ formales non ſunt adeò invicem ſeparabiles, ut in iis, quæ ad unam pertinent, aliqua ratio, vel conſideratio alterius non habeatur.

Secundò, ut cum ejus exemplo alii Principes allicerentur ad idem ſtatuendum, ut ita melius humana ſocietas practicetur, atque ſublatis tot ambagibus, & diverſitatibus, ubique uniformis introduceretur ordo ſuccedendi; quoniam licèt id, quod per Pontificem in præſenti Conſtitutione practicatum eſt, non poſſit expreſsè, & directè practicari per alios Principes circa comprehenſionem perſonarum, & rerum Eccleſiaſticarum (quidquid ſit de comprehenſione indirecta, juxtà inſinuata §. XI. & in aliis) attamen, ut pariter ibidem, & alibi dictum eſt, quando Apoſtolicæ auctoritatis interpoſitio peteretur, probabiliter deneganda non foret, dummodo particulares facti circumſtantiæ diverſimodè non ſuaderent. Et quidem ſancta, nimiumque proficua, & prudens res eſſet, quòd omnes Principes Chriſtiani vitam civilem, & legum uſum profitentes uniti procederent, ſtatuendo in majoribus materiis certas, & uniformes regulas ubique pariformiter tenendas, & practicandas, cùm ita ceſſarent adeò magna jurgia, & contentiones, cum omnimoda incertitudine veritatis, atque tolleretur illud inconveniens, quod adeò frequenter in praxi experimur, ut illa juſtitia, quæ ubique eadem conſtans, & perpetua eſſe debet, ſit adeò diffornis, ut quod in uno Principatu eſt album, in altero ſit nigrum, & econverſò.

6

Tertiò ob non improbabilem præſumptionem voluntatis à noſtra Conſtitutione inductam, ut ſcilicet ii, qui extra patrios lares, propriumque Principatum bona acquirunt, ac retinent, ita quodammodo ſibi conſtituere velint tot diverſa patrimonia, quot ſunt Principatus, aut loca, juxtà illam diverſitatem, quæ conſideratur *diſc. 9. de ſucceſſion. diſc. 90. de iuriſdict. diſc. 11. de credit. & alibi;* & per conſequens ut quodlibet patrimonium regulari debeat juxtà leges, vel mores illius Principatus, aut loci, in quo eſt conſtitutum, & de qua præſumptione, non conſtito de diverſa voluntate, in hoc Principatu, ejuſque Tribunalibus non eſt dubitandum, utpotè jam canonizata, & firmata per hanc legem.

Et quartò demum, ultrà alias conſiderationes, quæ fieri poſſent, quòd ſtantibus jam enunciatis Apoſtolicis Conſtitutionibus inhabilitantibus forenſes ad acquirendum, & retinendum bona ſtabilia in hoc Principatu, niſi veniant ad habitandum in eo, ita conſiderationes, quæ in contrarium ſuperius habentur, potiùs retorqueri videntur, quoniam ita forenſes alliciuntur, ad veniendum in hunc Principatum, ibique habitandum, undè adimpletur *ille favor publicus*, ut civitates, & loca habitatoribus repleantur.

Et quamvis hæc ultima ratio non verificetur in bonis mobilibus & mercibus, quinimò in Urbe, ejuſque magis reſtricto ambitu quatuor milliarium, ſtatuto per Innocentium X. per ejus Conſtitutionem 24. cum prius eſſet decem milliarium, neque procedat in ſtabilibus veris, vel fictis, adeòut omnibus libertas concedatur in ea acquirendi, & retinendi bona, quantùmvis forenſibus, & alibi habitantibus; Attamen ad inſtar illorum, quæ ſub Imperio profano dicebantur de hac Urbe, quod eſſet omnium communis Patria, ex inſinuatis ſupra §. II. ad effectum, de quo agitur id quoque congruere videtur modernæ Romæ ob metropoliticã qualitatem in ſpiritualibus reſultantem à reſidentia Papæ, & Sedis Apoſtolicæ, & ſic quòd iſta Civitas habeat quamdam peculiarem, & diverſam qualitatem, dum Sixtus V. *Conſtitutione* 3. §. 7. ad hunc effectum communem patriam appellat; Sive quod in ea urgeat quædam diverſa ratio, atque faciliùs intret dicta præſumptio, ut exteri bona *in ea* acquirentes, & retinentes non accidentaliter, *ſed animo* retinendi, prout *in* §. antecedenti advertitur; *cum iſtius* legibus, & moribus eorum ſucceſſionem inteſtatam regulari velint.

7

Conſiderando quoque idem, quod pluries inſinuatum, ac repetitum eſt, & quæ conſideratio revera cenſenda eſt principalis, ac omnimoda *iſtius materiæ* regulatrix, quòd ſcilicet perſcrutanda non eſt *voluntas* ſtatuentium, à quorum poteſtate tantùm *iſte* ſucceſſionis ordo pendeat, ut magis communiter noſtri opinantur, ſed malè, quoniam potiùs perſcrutanda eſt veriſimilis voluntas decedentium, quo-

8

rum implicitum teſtamentum inteſtata ſucceſſio redolere videtur, & quæ voluntas ob regionis mores ad favorem agnatorum adeſſe videtur, maximè ubi proximè conjuncti ſunt, ut ſtatuta frequentiùs diſponere videntur, quoniam hanc naturalem affectionem erga propriam familiam, & agnationem non tollit accidentale domicilium magis in uno, quàm in altero loco, iſtaque conſideratio mihi magnam vim facere conſuevit, fortiùs verò in idem concurrentibus dictis Apoſtolicis Conſtitutionibus domicilii reſtrictionem præcipientibus.

a *Ex relatis in deciſ.364. & 582. part.5. recent. & diſc.5. num.7. diſc.19. num.3. & diſc.23. num.5. de Succeſſion. & alibi.*

b *diſc.77. & diſc.83. de regal. diſc.39. & 69. & de alien. & contract. prohibit. diſc.25. de ſucceſſ. diſc.149. de dot. & alibi pluries.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Prout hunc animum præſumendum eſſe decernimus, ſtatuimus, & declaramus.

ARGUMENTUM.

An, & quando lex inducere poſſit præſumptionem, ex qua reſultet præjudicium non ſubditis.

SUMMARIUM.

1 *DE operatione verbi* declaramus.
2 *Declaratio fieri poteſt per illum, qui non poteſt actum revocare, vel impugnare.*
3 *An præſumptio, quam lex inducit, attendatur in præiudicium non ſubditorum per accidens.*
4 *Quid reſpectu non ſubditorum per naturam, quia nempè ſint forenſes.*
5 *Diſtinguitur, & quando forenſes huic legi voluntatem accommodare cenſeantur.*
6 *De voluntaria ſubiectione legibus aliorum locorum, quibus alias non ſubiaceant.*
7 *De differentia inter leges locales conditas à Principe Supremo, & conditas à Communitate ſubdita.*
8 *Quod modicum præiudicium cauſet præſumptio inducta per Conſtitutionem, & quare.*

§. XVIII.

1 IN hac parte utitur Conſtitutio verbo *declaramus*, quod in aliis partibus miſteriosè adhibitum non fuit, ne aliàs prætendi poſſet retrotractio ad caſus præteritos, ut advertitur ſupra in §. 7. In præſenti autem illud adhibetur ad firmiorem inductionem hujus præſumptionis, quaſi quod iſta non proveniat ex ſola potentia legis, quæ id inducat de novo, ſed ex ipſa naturali veritate, quæ jam adeſſet; undè propterea habetur concluſio recepta, *a* ut qui non po-
2 teſt actum revocare, vel impugnare, poſſit tamen illum ambiguum declarare, quoniam qui declarat non diſponit, neque actum de novo facit, ſed ſolum aperit id, quod jam ineſt, ad inſtar excutientis grana à ſpicis, quo exemplo utitur text. *in l. adeo 7. ff. de acquir. rer. domin.* cum concordantibus.

Iſta itaque diſpoſitio nullam patitur difficultatem ex capite voluntatis, cum iſta ſit nimium clara, ideòque nulla indiget gloſſa, ad jam inſinuatam vulgarem regulam text. *in l. ille aut ille, ff. de legat.3.* Cumque agatur de lege Summi Pontificis, qui jam expreſsè declaravit Pontificiam, & Apoſtolicam quoque auctoritatem adhibere voluiſſe hinc ſequitur, quod nullam pariter difficultatem patitur ex capite poteſtatis reſpectu Eccleſiaſticorum, & aliorum, qui à Legiſlatoris poteſtate, & juriſdictione eſſent exempti, in ipſius tamen ditione, ſeu territorio viverent, adeòut exemptio eſſet accidentalis, ut advertitur ſuprà in §. XI. atque ibi adnotata deſerviunt quoque pro iſta parte diſpoſitionis,
3 quatenus ageretur de lege Principis ſæcularis, aut etiam Papæ tamquam Principis, quatenus Pontificia ſpirituali uti noluiſſet, an ſcilicet poſſit ejus lex iſtius voluntatis præſumptionem inducere in illis, qui ejus foro, & poteſtati non ſubjaceant, ſed accidentaliter, non autem inſpecta naturali, & originaria qualitate, quales ſunt illi, qui orientes in territorio, vel Principatu ſunt naturaliter ſæculares, & ſubditi, accidentaliter poſteà ob ſuperventam qualitatem clericatus, vel ſtatus religioſi efficiuntur exempti; atque in hoc ſufficere videtur relatio ad ea, quæ habentur ſuprà in §. XI. *& diſc.5. de ſucceſſion.* quòd ſcilicet lex inducat præſumptionem rei naturalis inſitæ ab inſtanti nativitatis, vel ſaltem ex tempore, quo incipit haberi diſcurſus, & uſus rationis cum capacitate apprehendendi mores populi, & traditiones majorum; undè propterea iſtam jam de tempore habili impreſſam naturalem qualitatem non tollat, neque ceſſare faciat ſuperveniens qualitas accidentalis, exemptionis inductiva, ut locis citatis latiùs.

Difficultas verò major cadere videtur in forenſibus, qui 4
orti, & educati ſunt in diverſis regionibus, & Principatibus, adeòut dici non valeat quòd legislator ſit informatus, benè que conſcius de populorum, ac regionis naturalibus, & univerſalibus moribus, ut in caſu præcedenti verificatur; minùſque dici poteſt, quòd præſumptio per legem inducta in aliquo tempore habili jam ſuam fecerit operationem, & quod effectus conſumatus non ceſſet per ſupervenientem accidentalem ceſſationem cauſæ, dum talium forenſium exemptio non eſt dativa, & accidentalis, ſed eſt nativa, adeòut numquam ſub legislatoris juriſdictione, & poteſtate illorum perſonæ fuerint, quidquid ſit de illa impropria, & accidentali, & conſequutiva ſubjectione, quam ſecum ferant bona, quæ in eo Principatu poſſidentur.

Atque in hoc diſtinguenda videntur tempora; ubi enim 5
caſus contingeret de recenti, & intra brevem terminum, prius quàm iſta lex de facto ita publica fiat, ut probabiliter deveniat ad notitiam univerſalem populorum degentium in illis regionibus, & locis, in quibus degunt hujuſmodi bonorum poſſeſſores; & tunc videtur, quòd difficultas quidem urgeat, ideòque ubi caſus accideret, maturiùs eſſet cogitandum; ſed ubi econverſò tale intercedit intervallum temporis, ut iſta notitia probabiliter ibi habeatur, & tunc videtur, quòd difficultas non intret; non quidem, ex potentia legis, quæ cum forenſi naturaliter non ſubdito talem exerceat juriſdictionem, vel operetur effectum; ſed ex ratihabitione eorumdem forenſium bona in locis legislatoris poſſidentium; quoniam ſcientes legem hujus præſumptionis inductivam, & non contradicentes, neque contrariam animi facientes declarationem, ſed perſeverantes in bonorum retentione in eo loco, ità illam legem approbare videntur, eique acquieſcere, atque implicitè declarare, quòd talis eſſet eorum voluntas, qualem lex præſumit.

Clariùs verò, & cum minori ratione dubitandi in acquiſitionibus futuris, & impoſterum faciendis, quoniam tunc forenſes hujus legis conſcii, ſive illam ſcire debentes, bona acquirere dicuntur eidem legi obnoxia, atque illi ſe conformare videntur ex voluntaria ſubjectione, eo ipſo, quod contrariam eorum animi, & voluntatis non faciunt declarationem, ab eadem lege præſervatam, ad inſtar eorum, quæ in ſuis ſedibus habentur *b* quòd forenſes, vel aliàs exempti 6
voluntariè ſe ſupponant alicui legi, cui non ſubjacent, ſive juxtà ea, quæ in praxi habemus in hoc Principatu in prohibitione alienandi, vel obligandi bona juriſdictionalia, etiam in ſubditos, vel ſuper impedita libertate diſponendi cum exteris, juxtà ea, quæ habentur infrà in §. XX. quoniam ſi forenſis acquirit, & retinet in hoc Principatu bona juriſdictionalia, ita dicitur ſe ſupponere legibus, & Conſtitutionibus, dictam prohibitionem continentibus; neque ex eo, quod ipſe non ſit naturaliter ſubditus iſtius Principatus, & non ſubjectus dictis legibus, prætendere poteſt exemptionem ab hac reſtrictione, & ſervitute, quod generaliter congruit feudis regulandis juxtà jus commune feudale. 6
Quoniam non ex eo, quòd forenſes, qui acquirunt, & retinent feuda non ſint naturaliter hujuſmodi legibus obnoxii, & legislatorum ſubditi, prætendere poſſunt exemptionem ab hac ſervitute, & prohibitione, cum ſimilibus. Cumque præſupponatur in Gallia ex lege, vel conſuetudine forenſes in ea regione acquirentes bona, quamvis privata, & indifferentia, non poſſe de illis diſponere ſine licentia Regis, qua deficiente fiſcus in eis ſuccedit; utique non poterunt forenſes conqueri, vel prætendere ab hujuſmodi lege, vel conſuetudine ſe exemptos, dum acquirendo ita ſe illi ſupponere implicitè videntur, quaſi quod dicatur onus, vel qualitas ipſis bonis inſita.

Atque in idem intrat ſæpius inſinuata conſideratio differentiæ conſtituendæ inter ſtatuta inferiora condita per ſub- 7
ditas Communitates, cadentia ſub genere juris municipalis exorbitantis ab illo jure, quod in eo Principatu eſt commune, & illas leges quæ pro toto Principatu conditæ ſunt per Su-

Supremum Principem, & quæ verum, ac primarium jus commune in eo Principatu efformant, quoniam ſupremus Princeps habere dicitur bonorum in ſuo Principatu exiſtentium directum, ac habituale dominium univerſale juriſdictionale cujus ratione imprimere poteſt ipſis bonis certam qualitatem, cum qua in quaſcumque manus tranſire debent, ac etiam tamquam lex viva, & animata poteſtatem habent derogandi, vel diſpenſandi legi ſcriptæ, vel mortuæ, ideò intervertere, vel immutare poteſt illum ſucceſſionis ordinem, quem præſcripſit alia lex poſitiva, à cujus proviſione iſtud ſucceſſionis beneficium recognoſcitur, quod ab eadem tolli, vel immutari poteſt; quæ omnia non congruunt Communitatibus, vel Domicellis ſubditis, à quibus condita ſunt inferiora ſtatuta localia, ſub juris municipalis genere venientia; ideòque magna dignoſcitur differentia inter unã ſpeciem legis, & alteram, atque ad hanc differentiam, utpotè iſtius materiæ veram, & principalem regulatricem, omninò reflectendum eſt in omnibus caſibus, & quæſtionibus pro illarum congrua determinatione.

8 Conſiderando quoque; quòd iſtud eſt modicum præjudicium, cui de facili per quemlibet occurri poteſt, faciendo diverſæ ejus voluntatis declarationem à Conſtitutione præſervatam, ideòque non meretur dici lex, quæ liget, atque invitos afficiat, & per conſequens non intrant illæ difficultates, quæ cadunt in legibus arctatoriis, & obligativis, ad quod pariter eſt reflectendum.

a *De qua pluries in Theatro, præſertim diſc.* 15. *num.* 8. *de Regal. diſc.* 21. *num.* 16. *de Teſtament. & alibi.*

b *Diſc.* 102. *de dot. & diſc.* 26. *de ſucceſſion. & diſc.* 116. *de credit.*

c *In cap. Imperialem de prohibit. feudi alienation. per Fridericum; ſive in utriuſque Siciliæ Regnis per Conſtitutionem, quæ incipit Conſtitutionem Divæ memoriæ ex deductis in ſua ſede ſub tit. de feud. diſc.* 3. *&* 135. *& alibi.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Quæ verò de inteſtatis ſucceſſionibus hactenus, ut ſuprà, ſtatuta, & diſpoſita ſunt, in teſtamentariis quoque ſucceſſionibus attendi, & obſervari debere volumus, ac ſtatuimus, quacumque pariter bonorum, & perſonarum differentia, & conſideratione, ut ſuprà, ſublatis, iniis caſibus, in quibus eadem ſtatuta, & leges locales in hac ſpecie teſtatæ ſucceſſionis maſculorum de agnatione favore diſponunt, quoties decedentium contraria expreſſa voluntas non adverſetur.

ARGUMENTUM.

Statutum excluſivum fœminarum an ceſſet, ubi defunctus decedit condito teſtamento, & de ſtatuti operatione in caſu teſtatæ ſucceſſionis.

SUMMARIUM.

1 *De rationibus, ob quas iſtius Conſtitutionis editio non approbatur.*
2 *An proſit, nec ne remedium renunciationum.*
3 *Lex debet providere imperitis, & imbecillibus, non autem peritis, & ſagacibus.*
4 *Quare frequentius homines decedere ſolent inteſtati.*
5 *Ceſſante ſtatuto etiam ſi fiat teſtamentum, decedens non eximitur ab onere legitimæ.*
6 *De legitimæ privilegiis.*
7 *Quando iſta non ſit in quarta, ſed in toto.*
8 *Quare opportunum fuit providere etiam in ſucceſſionibus teſtamentariis.*
9 *Statutaria diſpoſitio ceſſat ex contraria diſpoſitione decedentis.*
10 *An fœminæ, vel alii excluſi cenſeantur agniti in ſuos, ita ut ceſſet ſtatutum, ſi teſtator aliquid eis relinquat.*
11 *Quod teſtamentaria ſucceſſio latiùs pateat, quàm inteſtata, & de ratione.*
12 *De Statuto Vrbis* 141. *in quo differat à* 145.
13 *De ſucceſſione feudorum in Regno Neapolitano, & quomodo feudatarius poſſit excludere fœminam proximiorem favore agnati.*
14 *Quando gravatus decedens alterare poſsit ſucceſsionem fideicommiſſariam.*
15 *De facultate parentis binubi diſponendi inter liberos.*
16 *De quæſtionibus, quæ cadunt in ſtatutis diſponentibus de teſtamentis, & teſtamentaria ſucceſsione.*

§. XIX.

IN primo congreſſu habito ſuper iſtius edendæ, nec ne Conſtitutionis conſultatione, antequam populorum vota exquirerentur, juxtà ſeriem, de qua in præfatione, per quamplures ex iis, qui fuerunt in ſenſu, ut continuari deberet cum jam receptis reſtrictionibus, & concluſionibus, reſpondendo ad inconvenientia, quæ per me, & alios meæ opinionis ſequaces proponebantur, dicebatur poſſe de facili eis occurri, teſtando, vel procurando profitentium in Religione, vel monaſteriis renunciationes, præſertim à puellis, quæ moniales fiunt, juxtà providorum virorum conſuetudinem; Non habuit tamen plauſum iſtud votum, & meritò; ſi quidem quoad cautelam renũciationis, non omnes poſſunt, 2 & ſolent eſſe ità prudentes, & providi, quorum in hoc mundo longè minor eſt numerus, quàm imperitorum, & ſegniorum; Ac etiam quia ſæpè contingit, ut illi maſculi, quibus providere voluerunt ſtatuta, ità penè annihilata, reperiri ſolent in pupillari, vel minori ætate, neque omnes fœminæ ſunt eorumdem ſenſuum, ejuſdemque facilitatis in hujuſmodi renunciationibus faciendis. Et quod magis eſt, quando ſucceſſio jam delata fuit, de facili ſolent iſtæ renunciationes impugnari ex capite læſionis, aut vis, doli, & circumventionis, vel ex capite reſtitutionis in integrum, ratione ignorãtiæ, vel falſæ cauſæ, aut ſub prætextu ceſſantis præſuppoſiti, ſive quòd eſſet perſonalis, ut propterea deficientibus aliquibus perſonis ceſſet, vel illam impugnando ex capite nullitatis, ob non adhibitas, vel malè aliquas ſolemnitates, ut videre eſt ex tot caſibus recenſitis in Theatro in ſua ſede ſub *tit. de renunciat.* magis verò in voluminibus deciſionũ Rotæ, & apud tot Conſulentes, adeòut magnum videantur hujuſmodi renunciationes conſtituere ſeminarium litium, & perturbationum, quodque medicina in venenum potius convertatur. Ideòque lex imperitis potiùs, & inhabilibus, 3 qui facta propria benè, & providè explicare neſciunt, vel non poſſunt, occurrere, & providere debet, eorumque imperfectionem ſupplere, cum ſagaces, providi, & cautelati, legis auxilio, & providentia non egeant.

Quo verò ad aliud, inſipidum quidem, conſilium teſtandi, ubi etiam de teſtabilibus agatur, non de facili teſtatio ad 4 actum reduci ſolet ob perhorreſcentiam haberi ſolitam mortis, quam naturaliter homines aſpicere ſolent à longè; undè propterea à morte improviſa, vel à gravi morbo, aut à mentis infirmitate, ſive à morte violenta inopinatè præoccupati hoc votum explere impediuntur. Ac etiam quoniam magna pars decedentium eſſe ſolet de genere inteſtabilium ratione pupillaris ætatis, vel non ſanæ mentis, aut quia ſunt filii familias, cum ſimilibus impedimentis.

Et quod magis eſt, ubi etiam teſtamentum fiat, quodque illud perfectum, & validum ſit, ſuumque ſortiatur effectum, adeòut non inſurgant illæ tam frequentes quæſtiones, & impugnationes, quæ recenſentur etiam in Theatro in ſua ſede *ſub tit. de teſtament.* undè propterea contingit, quod frequentiſſimè, etiam illi, qui teſtati ſunt, inteſtati decedant.

Adhuc verò id non ſufficit, quando illæ perſonæ, quæ ſunt excluſæ per ſtatutum ſunt tales, quod ceſſante ſtatutaria excluſione, attentaque diſpoſitione noviſſimi juris communis, cum quo vivitur, ſit eis debita legitima, quam debitores neque volentes adimere poſſunt, nec in toto, nec 5 in parte; quinimò ubi adimant prætereundo, vel etiam non prætereundo, ſed non adhibendo honorabilem titulum inſtitutionis, ſe exponunt periculo invaliditatis teſtamenti, quod ſuſtinere curant Doctores cum clauſula codicillari, vel cum illa *Omni meliori modo*, aliiſque adinventis cautelis, ac etiam quòd neque hujuſmodi debitores liberatè habent illam relinquendi in una, vel in altera bonorũ ſpecie, puta in pecunia, vel in mobilibus, aut in fructibus, quoniã cum dicatur quota bonorũ detrahenda ex ſingulis bonis, & corporibus, in eis relinquenda, vel aſſignanda eſt, quando 6

tales non concurrant facti circumſtantiæ, quod intret æquitativum Judicis arbitrium; magna deſuper cadere ſolita quæſtione inter noſtros cum conſuetis formalitatibus per claſſes diſputari ſolita, an hæc legitimæ privilegia, illud præſertim, ut relinqui non poſſit in fructibus, vel in pecunia, ſive alterum annullationis teſtamenti ipſo jure, ob eam non relictam titulo honorabilis inſtitutionis, vel eam liberè non relictam, procedant ſolùm in filiis, aliiſque deſcendentibus, vel etiam in aſcendentibus, cum ſimilibus quæſtionibus, ex quibus liquet reſtrictam eſſe in hoc voluntatem, ac libertatem decedentium, adeòut etiam teſtando, non poſſint huic malo occurrere; Illudque aliquando non eſt in ſola quota per jus commune ſtatuta, puta in triente, quando liberi non ſunt ultra quatuor, vel in ſemiſſe, quando
7 ſunt ultrà quatuor, ſed etiam in toto, ut contingit in illis ſucceſſionibus neceſſariis, quæ aliquibus perſonis debitæ ſunt, adeòut decedentes non poſſint earum ordinem alterare, aut onus, & vinculum adjicere, ut ex: gr: contingit in dote materna, quæ in pleriſque locis, ex eorum legibus, & ſtatutis, vel conſuetudinibus, debita eſt filiis ſuperſtitibus, undè matres decedentes nequeunt aliter teſtari *a* vel contingit in iis bonis, quæ in parentem binubum obveniunt ex ſubſtantia conjugis prædefunctæ, vel ex ſucceſſione alicujus ex liberis primi matrimonii *b* atque contingit in ſucceſſione feudi, vel emphyteuſis pacti, & providentiæ, aut in ſucceſſione fideicommiſſaria, cum ſimilibus; quoniam decedentes teſtando nō poſſunt illius ordinem alterare, & per conſequens ubi fœminæ, aliæque perſonę per ſtatutum excluſæ ex ceſſante ſtatutaria diſpoſitione, æqualem, vel majorem concurſū habeant cum maſculis, aliiſque à ſtatuto vocatis, & prædilectis, iſta cautela inanis, ac nullius operationis remanet, undè propterea opportunum fuit ita providere, ut ſcilicet ea, quæ in teſtatis ſucceſſionibus dicta ſunt, in teſtamentariis quo-
8 que procedant, tamquam in caſu minus dubitabili, quoniam ſi in caſu ſucceſſionis ab inteſtato, hujuſmodi ſtatutorū operatio provenit, juxtà veriorem ſententiam, à præſumpta, vel ſubintellecta, & ſuppleta decedentium voluntate, cui deferendum eſt, multò magis, & cum minori dubitandi ratione deferri debet, quando habetur eorumdem decedentium expreſſa, & ſpecialis voluntas per eos declarata.

Magis verò, ne dum opportuna, ſed neceſſaria fuit diſpoſitio in præſenti §. contenta, ad occurrendum cuidam Pragmaticorum credulitati recenſitæ in aliàs citato *Conflictu legis, & rationis obſerv.* 58. Cum enim recepta ſit, & rectè quidem, ac rationabiliter, propoſitio, per noſtram Conſtitutionem in præſenti §. expreſsè canonizata, ut hujuſmodi ſtatu-
9 tariæ excluſiones fœminarum, & cognatorum, favore maſculorum de agnatione, ceſſent ex contraria voluntate decedentis quæ in teſtamento, vel in alia diſpoſitione declarata ſit, quoniam cum inteſtata ſucceſſio, ſive à jure communi, ſive à ſtatutario, & locali ordinata dicatur teſtamentum legis, quod per illam fiat vice, & nomine decedentis ab inteſtato; ità ejus præſumptam, ac veriſimilem ſupplendo voluntatem, quam ipſe decedens inopinata, & inſperata morte præoccupatus, vel aliàs inteſtabilis, & impeditus explicare non potuit, iſta præſumptio, vel fictio cedere debeat veritati, & expreſſæ declarationi in contrarium.

Ex iſta autem propoſitione, vera quidem, rationabili, & recepta, ut ſtatutum ceſſare debeat in caſu teſtamenti, reſultavit inſinuata ineptia, cui opus fuit occurrere; quoniam cum decedentes cum teſtamento, atque ſe conformare vo-
10 lentes cum ſtatuto, excludendo fœminas, aliosque deſcendē-tes, vel aſcendentes à ſtatuto excluſos, de jure autem communi neceſſariò inſtituendos, ut ſuprà; timentes verò ne eorum præteritio nullitatem teſtamenti, vel aliud præjudicium eorum diſpoſitioni cauſare valeat, ad majorem firmitatem, & cautelam, & quandoque ex conſilio alicujus parū experti Juris profeſſoris curant, & ſolliciti ſunt filias fœminas, aliaſque perſonas excluſas, in teſtamento, etiam cum honorabili titulo inſtitutionis vocare, & honorare in aliqua modica re, vel ſumma, & quandoque etiam ex motivo benevolentiæ, & naturalis amoris, cum expreſſione, ut id relictū cenſeatur pro omni, & toto eo, quod pro omni, & quocumque ejus jure, & portione, etiam legitimæ prætendere, & cōſequi poſſent, adeòut deberent de hoc eſſe contentæ, exindè inferri ſolet ad agnitionem in ſuas illarum perſonarum, quæ per ſtatutum earum excluſivum extraneæ effectæ eſſent, ut propterea competat jus petendi ſupplementum legitimæ, quodque in reliquis ceſſare debeat ſtatutaria diſpoſitio cum reverſione ad jus commune, ex contraria voluntate illius, de cujus agitur ſucceſſione *c* Id autem apertam redolet ineptiam, & irrationabilitatem contra omnes ſcripti, & naturalis juris regulas, ut quod favore introductum, & ordinatum eſt in odium retorqueatur; quòdque effectus diverſus eſſe debeat à cauſa; vel quòd voluntas trahatur ad oppoſitum ejus, quod volitum fuit; quòdque ordinata ad ædificandū, & ad majorem firmitatem, deſerviant ad deſtructionem, cum ſimilibus; dum hujuſmodi cautelæ adhiberi ſolent ad majorem firmitatem, ac majorem obſervantiam ſtatutariæ diſpoſitionis, quam eatenus ceſſare facit teſtamentaria diſpoſitio, quatenus iſta illam deſtruat, eique contraria ſit, non autem ubi conformis eſſe dignoſcitur, ut locis citatis advertitur.

Teſtatæ ſiquidem diſpoſitiones latiùs patere ſolent favore 11
agnationis, magiſque ampliare ſtatuta de inteſtatis ſucceſſionibus diſponentia, ut ex. gr, dignoſcitur in ſtatutis Urbis, quoniam decedente patre ab inteſtato, ex ſtatuto 145. ſuccedunt quidem liberi maſculi, excluſis fœminis, ſed ſi iſtæ tantùm ſuperſint, eas non excludunt decedentis fratres, vel alii tranſverſales agnati; & tamen ſi decedens, qui ſolùm filias fœminas habeat teſtetur, eas excludere poteſt, etiam ab illo ſupplemento legitimæ, quod ſuperſit ultrà dotem de paragio, ut bona relinquat agnatis collateralibus ex ſtatut. 141.

Non deſunt tamen in hoc ineptiæ, magnas retexendo 12
quæſtiones, cum deciſionum quoque varietate, ut ſub agnatorum nomine venirent etiam filiæ fœminæ, quas decedens teſtando gratificari velit, ut ob iſtas, alias ex hoc ſtatuto excludere valeat, quod tamen falſum eſt, idque ultimo loco tamquam verius agnitum. *d*

Prout etiam in ſucceſſione feudorum Regni Neapolitani 13
juris Francorum, quæ cum ordine primogenituræ defertur, ob fœminarum capacitatem, & habilitatem, illud quidem exorbitans, nimiumque aſperum, & irrationabile receptum eſt, quòd ſi ex primogenito prædefuncto ſuperſit fœmina feudatarii morientis neptis, iſta excludat patruos, qui maſculi ſint, & morientis primi gradus filii, ut in ſua ſede *ſub tit. de feud. diſc.* 13. undè propterea meritò id regiſtratum eſt in ſæpius citato *Conflictu legis, & rationis obſ.* 205. Huic autem abſurdo conſulere poteſt teſtamentaria diſpoſitio, ex beneficio *pragm. final. de feud.* per quam feudatario morienti facultas tribuitur excludendi fœminam, cujus proxima ſit ſucceſſio, ad favorem illius agnati maſculi, qui, dicta fœmina non extante, eſſet proximè ſucceſſurus; idque noſtra ætate juſtè declaratum fuit in ſucceſſione Ducatus Andriæ fieri poſſe cum pupillari ſubſtitutione; Cùm enim juvenis Dux Andriæ decedens relinqueret filium in faſciis, ſororem, & patruum, prudenter quidem diſpoſuit, ut filio in pupillari ætate decedente, patruus, non autem ſoror ſuccedere debeat; Undè dubitatum fuit, an intraret beneficium Pragmaticæ, ex eo, quod non de ipſius diſponentis, ſed alterius feudali ſucceſſione ageretur; Contrarium autem juſtè cum ſubſequuto effectu deciſum fuit, vel quia ſubſtitutio pupillaris continere dicitur teſtamentum pupilli, quod ejus vice, & nomine faciat pater, quaſi quod ita ipſe pupillus diſpoſuerit, quæ tamen ratio periculoſa videbatur, dum ultrà tertium gradum civilem in eo Regno non datur feudorum ſucceſſio, atque gratia extenſiva ad quartum gradum intelligitur de illis gradus æqualis, vel inferioris, non autem de illis lineæ ſuperioris. Vel, & probabiliùs, quoniam decedentes in pupillari ætate lex habet, & fingit pro non extantibus, ideòque habetur, ac ſi pater ità diſponendo decederet ſine illis filiis, qui in pupillari ætate decedunt.

Habemus quoque idem in ſucceſſione fideicommiſſaria, 14
in qua teſtamentaria diſpoſitio gravati decedentis latiùs patet, quàm inteſtata, quoniam ſi gravatus reſtituere uni, vel pluribus de familia, vel de certo genere, inteſtatus, & abſque alia diſpoſitione decedit, ſuccedunt omnes proximiores illius generis, juxtà ordinem inteſtatæ ſucceſſionis, & tamen teſtando gratificari aliquando poteſt inter eos, aliquos præeligendo, alios verò negligendo. *e*

Quod etiam in parente binubo habemus, prohibito diſ- 15
ponere extrà liberos primi matrimonii de bonis lucrativo titulo in eum obventis ex ſubſtantia, & bonis primi conjugis, ideòque ubi non diſponat, omnes primi matrimonii liberi ſuperſtites in illis bonis ſuccedunt juxtà ordinē juris, & tamē inter eos inæqualiter diſponere poteſt, cum pleriſq; ſimilibus in idem tendentibus; Ex quibus patet quòd latior, & favorabilior videtur cauſa teſtamenti, quàm inteſtati, ergo prorſus erroneum, & irrationabile eſt, ut ſtatutaria diſpoſitio, agnationis favore prodita, latiùs patere debeat, quàm teſta-

men-

mentaria, quoties iſta eumdem reſpicit finem, ipſique ſtatuto eſt conformis, cùm ſolùm receſſus à ſtatuto, ejuſque ceſſatio intret, quando conſtat de decedentis contraria, vel diverſa voluntate; Et per conſequens rationabilis, beneque fundata eſt noſtræ Conſtitutionis diſpoſitio in præſenti §. ut omnes reſtrictiones, quæ in inteſtatis ſucceſſionibus ſublatæ ſunt, in his quoque teſtamentariis ſublatæ cenſeantur.

In ſtatutis item quę de teſtamentis diſponunt, adhuc eædem reſtrictiones, aut verius ſuperſtitiones, & frigiditates dignoſcuntur, cùm diſtinctionibus, an intrà, vel extrà territorium, & ſimilibus, ut ex. gr. habetur in illis ſtatutis, quæ prohibent mulieribus, vel aliis teſtari abſque certis majoribus ſolemnitatibus, vel ſine aliquorum conſenſu, quoniam ultra difficultatem ſuper eorum validitate, quaſi quod ſtatui non poſſit, ut ultimæ voluntates ab alieno pendeant arbitrio, ſeu non poſſit libera teſtandi facultas adimi, ſuper quo adeò magna dignoſcitur inter Doctores ſciſſura, & in ipſiſmet Tribunalibus variatio cum non modica quidem riſus provocatione, adhuc dubitari ſolet, an condito teſtamento in eccleſia, vel in loco alias exempto à juriſdictione, & poteſtate ſtatuentium, obſtare debeat, necne ſtatuti diſpoſitio, ex deductis in ſua ſede *ſub tit. de teſtam. diſc. 29. & ſeqq.* cum ſimilibus, quæ in hoc propoſito conſiderari poſſunt.

a *Ex deductis ſub tit. de dot. diſc. 102. cum pluribus ſeqq. & diſc. 26. de ſucceſſion. & alibi*; b *Ad textum in l. fœmina, & in l. hac edictali C. de ſecund. nupt. ex iis, qua habentur diſc. 24. de ſucceſſion. & alibi.*

c *Ex deductis diſc. 3. num. 16. & ſeqq. ad fin. de legitim. & diſc. 22. de ſucceſſion. & alibi.* d *Vt in diſc. 267. & 383. part. 9. recent. & agitur diſc. 40. de ſucceſſ.*

e *Ex deductis in ſua ſede ſub tit. de fideicomm. diſc. 55. cum ſequen.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Non intendimus autem per præſentem Conſtitutionem, atque in ea diſpoſita, in aliquo derogare, & præjudicare Conſtitutionibus Apoſtolicis recol. memoriæ Noſtrorum Prædeceſſorum, Sixti Papæ Quinti, Clementis Papæ Octavi, Pauli Papæ Quinti, Urbani Papæ Octavi, Innocentii Papæ Decimi, & Alexandri Papæ Septimi, & aliorum, ſi quæ adſunt, ſuper inhabilitatione forenſium dicto noſtro, & Apoſtolicæ Sedis dominio in temporalibus non ſubjectorum, qui ſtatutis temporibus ad habitandum non veniant, & non obſervent ea, quæ in eiſdem Conſtitutionibus diſponuntur, ac demandantur, ſed illæ ſalvæ, integræ, & in ſuo robore, ac firmitate permaneant.

ARGUMENTUM.

De Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac etiam de ſtatutis particularibus inhabilitatibus forenſes ad acquirendum, & retinendum bona juriſdictionalia, & alia ſtabilia; & de materia civilitatis, & quando hæc verificari dicatur.

SUMMARIUM.

1 *Quod adhuc ſit incerta diſpoſitio iſtarum Conſtitutionum.*
2 *In ſtatu Eccleſiaſtico antè Conſtitutionem Sixti V. non aderat prohibitio contra forenſes.*
3 *De Bulla Pii V. de non infeudando.*
4 *De legibus feudalibus prohibentibus alienationem feudorum, an locum habeant in Statu Eccleſiaſtico, & quomodo attendantur, & nu. 24.*
5 *De natura bonorum juriſdictionalium in Statu Eccleſiaſtico, & an ſint feudalia, vel allodialia.*
6 *Explicatur allodium iſtorum bonorum quale ſit.*
7 *Illa, quæ obtinentur cum expreſſo titulo feudali, quam naturam habeant.*
8 *De renovatione petenda per novum feudi ſucceſſorem.*
9 *Quid diſponat Conſtitutio Sixti V. contra forenſes.*
10 *De validitate ſtatutorum localium prohibentium alienationes in forenſes.*
11 *An hæc ſtatuta afficiant clericos.*
12 *De exceptuatione Vrbis, & ambitus decem milliarium circumcirca, & locorum montium, ac cenſuum, & dotium.*
13 *Quare ſine ſuperfluitate fiat exceptuatio locorum montium.*
14 *De Conſtitut. Clement. VIII. quid contineat.*
15 *De imperfectione humanorum operum.*
16 *Diſpoſitio dictæ Conſtit. Clementis circa ultimas voluntates, de quibus loquatur.*
17 *Quod aſperum ſit excludere forenſes per ultimam voluntatem.*
18 *Vnde proveniat extenſio ad omnes contractus ultra tres contentos in Bulla Sixti V.*
19 *Enarratur diſpoſitio Conſtitutionum Pauli V. & Vrbani Octavi.*
20 *De prohibitione bonorum in confinio.*
21 *De cautela præſervativa iurium Cameræ in licentiis dari ſolitis.*
22 *Prohibitio etiam in cauſam dotis.*
23 *De Conſtitutionibus Innocentii Decimi, & Alexandri VII.*
24 *De dictis prohibitionibus, earumque materia, & quod attendantur leges feudales.*
25 *Quod dictæ Conſtitutiones non tollant inteſtatam ſucceſſionem.*
26 *Ad quid præſervativa dictarum Conſtitutionum in hoc §. adiecta ſit.*
27 *An per Iſtam Conſtitutionem in §. XVII. ſublata ſint ſtatuta localia contra forenſes.*
28 *De civilitate, per quam forenſes contradiſtinguuntur, & de variis ſpeciebus civilitatis.*
29 *In qua ſpecie civilitatis cadat dubium, necnè ſuper comprehenſione ſub dictis Conſtitutionibus.*
30 *De compatibili civilitate plurium locorum.*
31 *Diſtinguitur civilitas, ad effectum iſtarum Conſtitutionum, & ad effectum ſtatutorum localium.*
32 *Civilitas ficta an ſufficiat in ſtatutis.*
33 *Certum eſt non ſufficere ad effectum iſtarum Conſtitutionum.*
34 *Quare in caſu civilitatis, quomodolibet dubiæ, non ſoleat diſputari.*
35 *Fiſcus durus adverſarius.*
36 *Quod licentia facilè concedi ſoleat.*
37 *Licentia obtenta ad maiorem cautelam non præiudicat.*
38 *Ideoque exindè inferri non poteſt ad obſervantiam.*
39 *De errore procedentium cum propoſitionibus generalibus.*
40 *Quæ regula in hoc teneri debeat.*
41 *De diſtinctione inter acquiſitionem civilitatis, & amiſſionem iam quæſitæ.*
42 *Aliud eſt repellere à quærendo, aliud verò eſt privare eo, quod iam quæſitum eſt.*
43 *De eadem differentia inter novam acquiſitionem, & privationem iam quæſitorum.*
44 *Quando diſceſſus à loco, & mora in alio non interrumpat civilitatem.*
45 *De civilitate per ſolam accidentalem nativitatem in loco, abſque alio requiſito, ad quid proſit.*
46 *Quod non ſufficiat ad ſatisfaciendum his Conſtitutionibus.*
47 *Quod illa mora in loco, quæ ad alios effectus non cauſat civilitatem, pro ſit ad iſtam Conſtitutionem.*
48 *Mora occaſionalis etiam diuturna non inducit domicilium.*
49 *De differentia effectuum reſultantium ex mora, & incolatu in loco.*

50 *Nati casualiter extra patriam, adhuc in patria originaria sunt veri cives.*
51 *De civilitate domiciliaria quando acquiratur, eiusque effectibus.*
52 *De civilitate originaria remota, originis scilicet patris, vel avi.*
53 *De civilitate ex mero privilegio.*
54 *A quibus hoc privilegium concedi possit.*
55 *An ista concessio facta per Principem sæcularem præiudicet ecclesiasticis, & exemptis.*
56 *De civilitate, quam acquirunt Feudatarii, & Barones, & Senatores, ac etiam Episcopus, & Canonici cathedralis, & similes.*

§. XX.

ADhuc incertum, involutumque remanere videtur, quidnam Apostolicæ Constitutiones, in præsenti §. enunciatæ, contineant, ac disponant, ut præsertim praxis docuit in casu, de quo agitur *disc.* 161. *de Regal. & dec.* 536. *par.* 14. *rec.* quæ privatum votum potius continet, in eodem casu, ac etiam in casu, de quo *disc.* 69. *de alien. & contract. prohibit.* Pro aliquali tamen materiæ notitia, ad rem nostram advertendum videtur, quod antequam dictæ Constitutiones ederentur, in hoc Principatu nulla aderat lex universalis, à proprio Principe condita, quę aliquam alienandi prohibitionem in forenses, vel alios contineret, exceptis Canonibus, & Constitutionibus generaliter pro toto Orbe catholico prohibentibus alienationem bonorum ecclesiæ, & specialiter in hoc Principatu, ultra antiquas Constitutiones Symmachi, aliorumque Pontificum, de
3 de quibus præsertim *sub tit. de feud. disc.* 4. illa B. Pii V. de de non infeudandis Civitatibus, Terris, Castris, & Locis ad Romanam Ecclesiam pertinentibus, & de qua Constituti one *eod. disc.* 4. *de feud.* & in aliis frequenter; & quæ Constitutio continet prohibitionem, ne Pontifex infeudaret, vel alienaret ea, quæ per Ecclesiam Romanam, & Sedem Apostolicam liberè, & pleno jure possideantur, sive ne fierent investiturarum prorogationes, aut linearum mutationes, juxta superventas aliorum Pontificum Constitutiones, dictæ Bullæ Pianæ confirmatorias, & declarativas, vel extensivas; nullatenus verò disponit de bonis jam possessis per Barones, & Domicellos, & per privatos, etiam feudalibus, & jurisdictionalibus, multò verò minus de bonis privatis indifferentibus, quæ ad differentiam feudalium, ac etiam jurisdictionalium allodialia vulgò dici solent.

Et quamvis adessent leges feudales, prohibentes alienationes bonorum feudalium, absque assensu domini directi, qualis præsertim est constitutio Friderici Imperatoris *In cap. Imperialem de prohibit. feud. alienation. per Fridericum*, quæ aliis latius patet, ideoque sola circumferri solet, quasi suffocando prohibitiones Lotharii, & aliorum; Nihilo-
4 minus in meo sensu omninò verius videtur, ut hujusmodi leges in isto Principatu usu receptæ non essent, dum earum vis, & operatio non pendet à potestate, & jurisdictione legislatoris, sed potius ab usu, cùm ille consuetudines potius, quàm leges veræ sint in illis ditionibus, quæ dicto legislatori immediatè non subjacerent, ut plenè materiam radicitus, & ab alto examinando habetur *disc.* 135. *de feud.* ubi curiosus poterit sibi abundè satisfacere.

Idque, ultrà quàmplures alias rationes ibi ponderatas, ex eo præsertim probatur, quod Civitates, Oppida, Castra, & Loca inhabitata, quæ cum baronali imperio, & jurisdictione in hoc Principatu possidentur per Barones, & Domicellos, contradistinctos à feudatariis majoribus veræ dignitatis, qui Principum potius, quàm Baronum figuram faciunt, juxtà distinctionem, de qua supra in §.
5 2. & alibi, pro majori parte non possidentur cum investitura feudali, & ex titulo veri, & proprii feudi, unde propterea subjaceant legibus, servitiis, & oneribus feudalibus, sed potius possidentur ex titulo allodii, ad instar aliorum bonorum indifferentium, adeout nullum præstetur fidelitatis juramentum, neque præstetur aliquod servitium personale, vel reale, vel aliqua adsit investitura, ejusque renovationis obligatio, neque successio restricta est ad agnatos intra certos gradus, cùm aliis oneribus, & servitutibus, quibus feuda suajaceant; ideoque majoris reputantur valoris, longèque magis æstimantur, ut pluries advertitur in dicta sua sede de *feud. præsertim disc.* 19. & *in aliis.*

Et quamvis istud non sit verum, & proprium allodium, quale propriè dicitur illud, quod præsefert liberum, 6
plenum, & absolutum dominium, adeout alter superior non recognoscatur, nisi solus Deus, cùm in his locis Papa sit plenus dominus cum alto dominio, & superioritate, etiam actuali, & in exercitio, & cum libero subditorum recursu, ac etiam cum jure præveniendi, & cum regalibus, quæ penes Papam residen, undè propterea inesse dicitur implicita feudalitas, & implicita obligatio fidelitatis, & servitii, quando necessitas, vel opportunitas exigat, juxta celebre *cons.* 1. *Spadæ*, atque pluries advertitur in dicta sua sede *sub tit. de feud.* & in alias enunciato opusculo Italici idiomatis, cui titulus est, *Il Prencipe prattico, c.* 47. *& alibi.* Nihilominus ista est quædam feudalitas impropria, & remota, considerabilis ad præfatos, alioque similes effectus; in reliquis autem hujusmodi bona jurisdictionalia non regulantur cum legibus, & consuetudinibus feudalibus, tamquam feuda recta, & vera, sed potius tamquam feuda corrupta, & redacta ad instar allodialium, regulantur jure aliorum bonorum privatorum indifferentium.

Quinimò licet pleræque ex hujusmodi Civitatibus, Terris, Castris, & Locis jurisdictionalibus quæ possidentur in hoc Principatu per Barones, & Domicellos, quam- 7
vis comparativè in modica quantitate, possideantur cum investitura feudali restricta ad hæredes sanguinis, vel ad certas generationes, & cum onere servitii realis, consistentis in aliqua annua præstatione, facienda de more in Vigilia, vel in Festo B. Petri, juxta casus, de quibus *disc.* 4. *& 5. de feud. & in aliis eod. tit.* Nihilominus iis exceptis, quæ in investitura continentur, vel ad quę obsevantia obligaret, dici quoque merentur feuda corrupta, & impropriata, dum usque ad tempora Sixti V. nulla desuper habetur lex prohibitiva alienationis, neque practicatur id, quod in veris feudis dispositum est, ut moriente feudatario, aliqua pars fructuum illius anni Domino debita sit, quod- 8
que novus feudatarius teneatur investituræ renovationem petere, ex iis, quæ habentur *eod. tit. de feud. disc.* 59. Et prout in hoc eodem Principatu practicatur in feudo majori, & Regali Regni Neapolitani, quod ad præscriptum investituræ, ita expresse disponentis, id servatur, etiam cum majori rigore, quàm leges feudales disponant, dum istæ statuunt terminum anni, & diei, in hoc autem feudo petenda est nova investitura infra sex menses; ut habetur apud A Ponte *disc.* 1. ubi de restitutione in integrum concedenda adversus hanc novam investituram, in tempore non petitam, ex capite minoris ætatis, quod in aliis feudis minoribus, & baronalibus generaliter non practicatur.

Prima itaque lex, quæ desuper habetur, est Constitu- 9
tio III. Sixti V. Pontificatus initio condita, quæ plures continet partes. Primò enim in §. I. & II. narrat statuta in plerisque Civitatibus, & Locis Ecclesiastici Status existentia, per quæ, ad conservandum bona in civilibus, & incolis, prohibetur alienatio bonorum stabilium in forenses, vel quod isti majori graventur onere, juxta casus recensitos *disc.* 75. *de regal. disc.* 39. *& 69. de alien. & contract. prohibit. & alibi* pluries, istaque statuta commendando tamquam utilia, & favorabilia, illa approbat, atque Apostolica auctoritate servari mandat; unde propterea in hoc Principatu cessat illa dubitatio, quæ per Doctores excitatur super hujusmodi statutorum validitate, ex relatis *dict.* *disc.* 39. *de alienation. n.* 10. *& seqq. & dict. disc.* 77. *& 83. de* 10
regal. Ideoque mirandum est quomodo Gratianus Doctor Romanus, qui post istam Constitutionem scripsit *in discept.* 245. super hoc dubio adeò insistat, nisi collectorem potius, quàm Doctorem, ex proprio sensu, & discursu loquentem, illum dicamus, ut revera dici meretur, dum dicta Constitutio non solùm expresse mandat hæc statuta observari ex auctoritate Apostolica, undè propterea intrant ea, quę superius in §. XI. ob ista verba insinuata sunt, sed etiam illa declarantur utilia, & favorabilia; ideoque ita cessant omnia argumenta in contrarium, fundata in eorum exorbitantia, & odibilitate.

Quinimò, quidquid sit in aliis ditionibus, & Principatibus de quæstione *a*. An hujusmodi statuta afficiant cle- 11
ricos, & personas ecclesiasticas, in qua Rota negati-

vam

vam ſequitur, & firmat, ſuper quo integer locus veritati relinquitur. In hoc tamen Principatu, ob iſtam Conſtitutionem, probabilior videtur opinio Cyriaci, & ſequacium, non quidem ex potentia, & operatione ipſorum ſtatutorum, vel ſtatuentium, ſed ex auctoritate Apoſtolica, dum iſte terminus Apoſtolicæ auctoritatis magis, & propriè convenit auctoritati Pontificis uti Pontificis, quàm induendo ſolùm perſonam Principis temporalis, adeout intrent eædem conſiderationes, de quibus ſupra in dicto §. XI. Potiſſimè quia ex toto contextu Conſtitutionis liquet, quod Pontificia poteſtas quoque adhibita fuit, dum etiam de perſonis eccleſiaſticis fit pluries mentio, eorumque comprehenſio demandatur, atque ita ceſſat omne dubium, quod cadere poſſet circa præjudicium Eccleſiaſticæ immunitatis, ratione auctoritatis Apoſtolicæ.

Deinde in §. III. prohibetur, ut tam Civitates, Caſtra, & Loca juriſdictionalia, quàm etiam alia bona ſtabilia non poſſint forenſibus vendi, aut permutari, ſeu in feudum, emphyteuſim, livellum, vel pignus, aut locationem concedi ultra triennium. In ſequenti autem §. IV. prohibentur Civitates, Oppida, & Caſtra, magis verò Fortalitia generaliter, etiam in ſubditos vendi, permutari, vel donari. Et ſi cives, vel incolæ à Statu diſcedant non reverſuri, teneantur infrà biennium dicta bona aliis vendere vel permutare; ut in §. V. Atque in §. VI. diſponitur ut præter dictos tres contractus prohibitos venditionis, permutationis, & donationis, liceat de bonis ſuis diſponere in quoſcumque, vel ab inteſtato venientibus relinquere dummodò forerenſes infrà triennium veniant ad habitandum in Statu Eccleſiaſtico.

Demum in §. VII. declaratur, ſub hujuſmodi bonis, & reſpectivè prohibitionibus non comprehendi loca mon-
12 tium, neque cenſus, nec mulierum dotes; ita tamen quod ſoluto matrimonio, mulieris defunctę hæredes, ſi exteri fuerint, ad habitandum venire debeant, ſeu bona vendere, aut permutare, ut ſupra. Et generaliter excipiuntur omnia, & quæcumque bona cujuslibet ſpeciei, & qualitatis exiſtentia in Urbe, quæ communis patria dicitur, & in ejus ambitu per ſpatium decem milliarium circumcirca, ut abſque perſonarum exceptione, omninò liberum ſit commercium, ut ſupra in §. XVII. quoque animadverſum eſt; ibique aſſignata fuit aliqua peculiaris ratio, cui hæc proviſio innixa eſt, declarando perſonas ita prohibitas omninò incapaces, ac annullando quoſcumque contractus, & ſcripturas deſuper faciendas, ut in ſequenti §. VIII.

Neque ſuperflua dici meretur exceptuatio locorum
13 montium, quæ receptum eſt circumſcribi loco Urbis, ex inſinuatis ſupra §. VIII. unde propterea ſufficere debuiſſet ſola exceptuatio ejuſdem Urbis, quoniam de tempore, quo prodiit iſta Conſtitutio, & altera Clementis VIII. quæ idem repetit, adhuc id erat in quæſtione, dum id determinatum fuit in Viterbien. coram Rojas ab anno 1640. circiter, ut patet ex deciſionibus, & auctoritatibus relatis in *diſc. 41. de ſucceſſion. num.* 114. ubi allegatur Rovitus, & alii loquentes de fiſcalibus, & arrendamentis Regni Neapolitani.

Supervenit poſtmodum Conſtitutio LXXVIII. Clementis VIII. qui in animo habuit; ut expreſsè ſe declarat, &
14 profitetur, præfatam Sixti Conſtitutionem apertius declarare, omneſque ambages, & dubitandi occaſiones tollere, atque reverà Conſtitutio non videtur obſcura; adhuc tamen tota hujus materiæ dubietas, & involutio ab iſta pendet Conſtitutione, ut præſertim docuit praxis in jam inſinuata controverſia, per concordiam poſtmodùm ſopita, de qua agitur in allegato *diſc. 161. de Regal.* quoniam ſuper puncto, an fideicommiſſum ordinari potuerit in Caſtro Nemi, aliiſque bonis ultra quatuor milliaria ab Urbe, ad favorem exterorum, abſque præcedente licentia Apoſtolica, tota quæſtio erat ſuper intelligentia iſtius Clementinæ Conſtitutionis, cui ſcribentes hinc inde varios, imò oppoſitos tribuebant intellectus, dum Camerales illam uno modo interpretabantur,
15 defenſores verò Frangipanii diverſam, imò oppoſitam dabant interpretationem, unde in dies cognoſcimus, & experimur humanorum intellectuum imbecillitatem, ac imperfectionem, quodque in hoc mundo non datur vera, & perfecta prudentia, dum quò magis ſtudemus, & credimus opera perfecta facere, eò magis illa imperfecta eſſe dignoſcuntur, & quo magis curatur facere leges claras, ut omnes ambages, & litium occaſione tollantur, eo magis exitus illas detegit obſcuras, ambiguas, & litium productivas.

In hac igitur Clementina Conſtitutione in §. II. proœmiali, narrato tenore *dictæ* Conſtitutionis Sixti in ea parte, in qua, exceptis dictis tribus contractibus venditionis, permutationis, & donationis, datur libera facultas diſponendi, quodque ita aliqui abuterentur pro tranſitu bonorum in Communitates, Univerſitates, Collegia, & principes ſeculares, ac alios, qui in propriis ditionibus reſidentes, ad habitandum in Statu Eccleſiaſtico venire non poſſunt, ſeu veriſimiliter venturi non ſunt, declarat, dictam Iuntatem, intelligendam eſſe ſolùm ad favorem eorum, qui venire poſſunt, ac veriſimiliter venturi ſunt ad habitandum, nullo facto verbo de perſonis privatis, niſi quatenus fiduciariè interveniant pro eadem Conſtitutione fraudanda, & pro dicto tranſitu bonorum ad Principes, & alios, qui, ut ſupra, venire non poſſunt, ſeu venturi non ſunt, atque, eodem themate retento, profitetur in §. III. declarare dictam Conſtitutionem, illamque innovare; & ſucceſſivè in §. IV. deveniendo ad partem diſpoſitivam, ne in dictas perſonas bona deveniant, prohibet, ut tam inter vivos, quàm per quamcumque ultimam voluntatem, & per impoſitionem cenſuum id ſequi non poſſit, exceptuando ſolum officia, loca montium, & dotes, & ſic ſemper cum reſtrictione ad prædictas materiales, vel intellectuales perſonas potentes, & ſuſpectas, quæ venire non poſſunt, nec veriſimiliter venturæ ſunt ad habitandum, & quatenus venirent, non ſunt permanſuræ; deindeque in ſequenti §. V. incipien. *Et nihilominus* abſque reſtrictione ad dictas perſonas, ſimpliciter, ac generaliter eadem Sixtina Conſtitutio extenditur ad omnes, & quoſcumque contractus exceptа dote, omneſque ultimarum voluntatum ſpecies; atque ex hoc §. oritur quæſtio, an hęc generalis, & indefinita extenſio intelligenda ſit eodem themate retento, & cum
16 reſtrictione ad dictas perſonas, vel potius complectatur omnes, etiam privatas, & ſubditas in juriſdictionalibus, ut prætendunt Camerales, vel intelligi debeat ad limites præcedenter diſpoſitorum. Informantes enim pro Frangipanio contra Cameram, eorum jura deducebant non ſolùm ex parte proœmiali, quæ declarat totam diſpoſitionem ſed ex aliis ſubſequentibus partibus in §. III. & IV. ac etiam in omnibus aliis §§. ſequentibus, totoque ipſius Conſtitutionis tenore attento, dum in §. VI. & VII. ſuper annullatione actuum, ac pœnis Notariorum, & alienantium, ac etiam ſuper inhabilitatione acquirendi, idem continuatur thema, in Communitatibus, Univerſitatibus, Collegiis, Principibus, & aliis, qui venire non poſſunt, nec venturi ſunt, nulla penitus mentione habita de perſonis privatis; & clarius in §. VIII. ubi declaratur, non comprehendi ſub prohibitione Reſpublicas, Communitates, Univerſitates, Collegia, & Principes, ubi diſpoſitio eſſet de eo, in quo ab inteſtato eſſent ſucceſſuri; dummodò facto caſu obventionis bonorum in eos, illa transferantur in ſubditos infra triennium; Et in ſequenti §. IX. concedendo eamdem libertatem à Sixto conceſſam in Urbe, tamquam communi patria, ejuſque circuitu infra decem milliaria, prohibetur ſubditis, ne dent eorum bona prædictarum perſonarum potentium protectioni, defenſioni, commendationi, ſalvaguardiæ, confœderationi, vel cuſtodiæ; Ac demum in §. X. ſubdiciant, vel bona pro eis obligare, & hypotecare valeant, ſivè Commendas erigere in illis Religionibus, vel Militiis, quarum Reges, & Principes ſint magiſtri, & adminiſtratores, Unde dicebant iidem informantes pro Frangipanio iſtam Conſtitutionem ad prefatas perſonas potentes, quæ venire non poſſunt ad habitandum, aut veriſimiliter non eſſent venturæ, ſeu veniendo non eſſent permanſuræ, reſtrictam eſſe; nullatenus autem agere de perſonis privatis, quarum reſpectu, tamquam in caſu omiſſo, remaneret Conſtitutio Sixtina in ſuo eſſe, niſi aliæ ſuperveniſſent Conſtitutiones.

His addebant, quod ſecluſo dicto caſu perſonarum po-
17 tentium, nimium durum, & aſperum, ac veriſimiliter à mente adeò docti, & pii Pontificis alienum videtur, ut ſubditi, ita redditi eſſent inteſtabiles erga illos agnatos, alioſque conjunctos, vel benevolos, erga quos ratio naturæ, vel convenientiæ ita exigeret, quodque diſponi potius deberet erga fœminas, vel cognatos, aut extraneos,

ex

ex eo, quod illi habitarent extra Statum, venire tamen poſſint, ac veriſimiliter venturi eſſent, dum, ut in § XVII. advertitur, etiam ipſa ratio politica, & boni regiminis exigit ita allicere exteros ad habitandum, propriumque Principatum magis populatum reddere; Undè propterea quamvis per ora forenſium volitare ſoleat, quod hæc ge-
18 neralis ampliatio ad omnes contractus, ultra tres in Sixtina prohibitos, proveniat ab iſta Conſtitutione Clementis VIII. Nihilominus, attentè conſiderata iſta Conſtitutione, id non continet, ſed benè in ſuis caſibus reſpectivè id continetur in Conſtitutionibus Succeſſorum Pontificum Pauli V. Urbani VIII. Innocentii X. & Alexandri VII. Illa ſiquidem Pauli V. 24. Decembris 1617. *in Bullar. tom. 4. conſtit.* 10. generaliter in §. IV. approbando, & confirmando dictas Conſtitutiones Sixti, & Clementis, deinde in §. V. ſe reſtringit ad Civitates, Oppida, Caſtra, & Loca juriſdictionalia, magis verò ad Fortalitia, quæ prohibentur alienari, etiam in ſubditos, ſub cujuſcumque contractus nomine; Iſtaque Conſtitutio verè continet dictam extenſionem ad quoſcumq; contractus, & quaſcumq; ſpecies alienationis, nullum autem verbum continet de diſpoſitionibus per ultimam voluntatem. Et quod in juriſdictionalibus Pau-
19 lus fecerit extenſionem ad omnes contractus, declarat Conſtitutio Urbani VIII. edita de anno 1627. in ordine 65. in §. 3. per quam approbatis, & innovatis prefatis Conſtitutionibus Sixti, Clementis, & Pauli, diſponentibus de Civitatibus, Oppidis, Caſtris, & Locis juriſdictionalibus, in §. V. & VI. fit extenſio etiam ad Caſtra diruta, vel tenutas, quibus aliqua juriſdictio annexa ſit, & competat, prohibendo etiam impoſitiones cenſuum, ac ſimiliter ad caſalia, & tenutas, etiam ſine juriſdictione, quæ ſint in confinio, quamvis ab uno latere tantùm, aliarum Civitatum, Oppidorum, Caſtrorum, & Locorum juriſdictionalium: Et rationabiliter quidem, quoniam, ut praxis quandoque docuit, & forſan in dies docet, quando Civitates, Oppi-
20 da, vel Caſtra, ſive eorum Domini acquirunt dominium hujuſmodi caſalium, vel tenutarum, illa confundunt cum eorum territoriis, atque progreſſu temporis prætendunt, quod ſint de territorio proprio, cum juriſdictione ibi competente; Undè propterea Urbanus de eodem anno 1627. aliam edidit Conſtitutionem in *Bullario* 72. per quam concedit quemdam terminum ad retractandum infra certum tempus hujuſmodi alienationes, adiiciendo in iſta Conſtitutione illam cautelam, quæ in hujuſmodi licentiis paſſim apponi ſolet, ut intelligantur conceſſæ pro ſola validitate actus, & remotione obſtaculi prohibitionis, abſque aliquo
21 Cameræ præjudicio de præterito, de præſenti, vel de futuro, & de qua cautela, ejuſque effectibus agitur in enunciato *diſc.* 161. *de Regal. num.* 56. *& ſeqq.* Et demum idem Urbanus de anno 1637. per aliam ejus *Conſtitutionem* 151. dictas prohibitiones in Civitatibus, Oppidis, Caſtris, & Locis juriſdictionalibus, vel ſtabilibus non juriſdictionalibus, exiſtentibus in confinio, extendit etiam ad contra-
22 ctum, uſque ad præſens exceptuatum, & licitum, dotis; ſcilicet in juriſdictionalibus, & exiſtentibus in confinio, etiam in ſubditis; in ſtabilibus verò non juriſdictionalibus, cum ſolis forenſibus, ut de hac prohibitione, etiam in cauſam dotis, ſit mentio *diſc.* 20. *de feud. diſc.* 146. *de dot. ac etiam diſc.* 72. *de teſtament.* & alibi, reſpondendo ad objectum fieri ſolitum adverſus leges prohibentes dari feuda, vel alia qualificata bona in dotem ſine licentia, quaſi quod eſſent præjudiciales libertati matrimonii. Sed ſemper in his Conſtitutionibus agitur de contractibus, aliiſque ſpeciebus alienationis inter vivos, nullatenus verò de diſpoſitionibus per ultimam voluntatem, niſi implicitè, & relativè ad Conſtitutionem Clementis VIII. quæ, (ut dicebant iidem Informantes pro Frangipanio,) reſtringitur ad perſonas porentes, in quibus non ſit verificabilis acceſſus ad habitandum, & nihilominus neque in iſtis prohibetur ſucceſſio ab inteſtato, vel teſtamentaria in eo, in quo eſſent alias ſucceſſuri, cum obligatione transferendi bona in ſubditos, ut ſupra.

Conſtitutio verò Innocentii X. edita de anno 1650. aliud novi in effectu continere non videtur, niſi reſtrictionem ambitus Urbis à decem ad quatuor milliaria, & remotio-
23 nem aliquarum cautelarum, quæ adhiberi ſolebant, faciendo alienationes cum clauſulis præſervativis, ac præſcribendo modum adhibendum in licentiis deſuper concedendis, ac revocando fictas, & privilegiatas civilitates; ſed ſemper eodem themate retento, quod ageretur de alienationibus directis, vel indirectis per contractus, aliiſque actibus inter vivos, nulla facta diſpoſitione de teſtamentis, aliiſque actibus per ultimam voluntatem; minuſque agendo de ſucceſſionibus ab inteſtato, niſi implicitè, ob relationem ad Conſtitutiones Sixti V. & Clementis VIII. & alias ſubſequentes, earumque approbationem, & innovationem; Idemque continetur in ultima Conſtitutione Alexandri VII. edita de anno 1660. *Conſtitutione* 107. quod ſcilicet reaſſumuntur omnia in præfatis antecedentibus Conſtitutionibus diſpoſita, quæ innovantur, earum obſervantiam demandando, idemque præſupponendo thema, qnod ageretur de actibus inter vivos; de illis verò per ultimam voluntatem nonniſi reſpectu Communitatum, Univerſitatum, Collegiorum, Principum, & aliorum, in quibus non poſſit, ſeu veriſimiliter non debeat verificari verus, & effectivus acceſſus ad habitandum cum perſeverantia.

Informantes autem pro Camera, cui adhærebant Aſtallii, inſiſtebant in eo, quod dicta Conſtitutio Clementis VIII. quæ in §. 5. extendit, & ampliat præcedentem Conſtitutionem Sixti ad quæcumque alia genera diſpoſitionum, & ultimarum voluntatum, generaliter ſit intelligenda etiam de iis, qui venire poſſunt ad habitandum in Statu Eccleſiaſtico, alioquim ampliatio ſuperflua foret, dum reſpectu eorum, qui venire non poſſunt, aut venturi non ſunt, jam erat prohibita diſpoſitio ex ſola Conſtitutione Sixti. Et ultra alia motiva deducebant, quod ita declaraverunt Succeſſores Pontifices, ut latè videri poteſt in reſtrictu ſcripturarum, ſuper tertio articulo, impreſſo penes Manſ. *conſult.* 358. *numer.* 27. *cum ſeqq.* Atque ita etiam comprobavit obſervantia, dum forenſes, licet ſint talis qualitatis, ut venire poſſint ad habitandum, obtinere ſolent indultum ſuccedendi, quod præſupponit inhabilitatem, ut conſiderat Manſ. *ubi ſup. nu.* 28. *verſ.* Nec ullum obſtaculum, in fine.

Ad iſtum autem ſolum, & præciſum effectum inteſtatæ, vel etiam teſtamentariæ ſucceſſionis hæc omnia conſiderabantur per eoſdem Informantes, & à me referuntur in ſola forma narrativa, ſeu diſcurſiva, nihil deſuper firmando.

Et de his Conſtitutionibus, earumque reſpectivè temporibus pro regulanda validitate alienationum, aliorumque actuum, qui geſti fuerint, antequam prohibitiones ſupervenirent, vel extenderentur, agitur in *tit. de feud. diſc.* 66. *cum pluribus ſeqq.* ubi præſertim *diſc.* 68. habetur, an hujuſmodi prohibitiones percutiant diſpoſitiones gene- 24
rales, etiam per contractus, puta renunciationis, vel ſucceſſionis, aut donationis hæreditatis, & ſucceſſionis, vel alterius juris univerſalis, ſub quo acceſſoriè venirent bona juriſdictionalia, vel alias prohibita; ac etiam agitur *eodem tit. de feud. diſc.* 105. *in appendice, & diſc.* 117. in quo examinatur, an prohibitio alienationis bonorum juriſdictionalium, quæ æque percutit ſubditos, ac forenſes, capiat tenutas, caſalia, & prædia, quæ per Baronem, ſeu Domicellum, ex privatis titulis acquiſita ſint, & poſſideantur intra fines ejus Oppidi, vel Caſtri juriſdictionalis, pro libertate alienandi in ſubditos, vel ut cadant ſub obligationibus, & hypothecis, ut ibi videri poteſt; Sicuti etiam, occaſione agendi de validitate refutationis tractatur *diſcur.* 116. *eod. tit. de feud.* ubi de materia Bullæ Baronum, atque in dictis locis advertitur, quod licet, juxta inſinuata num. 4. leges feudales communes *in cap. Imperialem de prohibita feudi alienatione* per Fridericum, & aliæ, ac etiam Conſtitutio Regnorum utriuſque Siciliæ, quæ incipit Conſtitutionem Divæ memoriæ, ac ea, quæ ſuper eiſdem ſcribunt Feudiſtę, non habeant locum in Statu Eccleſiaſtico, tamquam leges, vel auctoritates; Attamen ex rationis identitate, poſt inductas dictas prohibitiones, attendendæ veniunt, atque ab iis arguere licet, quamvis agatur de bonis juriſdictionalibus allodialibus, cum ita adhunc effectum alienationis exæquata ſint feudis.

Certum autem eſt, quod iſtę Conſtitutiones nullum prę- 25
ſtant obſtaculum forenſibus, quoad inteſtatam ſucceſſionem, ſive ſit juxta ordinem ſtatutorum, & legum localium, dum per Conſtitutionem Clementinam, etiam in Communitatibus, Univerſitatibus, Collegiis, Principibus, & aliis prohibitis, illa præſervatur cum obligatione transferendi bona in ſubditos intra terminum præfixum, ideoque iſtarum Conſtitutionum præſervatio in hac mate- 26
ria

ria ſtatutarię ſucceſſionis illum ſolum finem percutit, ne alias forenſes per eamdem Conſtitutionem habilitati ad gaudendum hujuſmodi ſtatutorum beneficio, prætendere poſſent ſe ſimpliciter habilitatos, & diſpenſatos ad obtinendum, ac poſſidendum bona ex ſucceſſionibus obvenientia, abſque neceſſitate accedendi infra terminum præfixum ad habitandum, cùm ſubſequuta effectuatione, & continuatione, vel ad earumdem Conſtitutionum præſcriptum reponendi eadem bona penes ſubditos, & perſonas capaces, ad inſtar eorum, quæ in ſua ſede *ſub tit. de emphyt.* habentur circa obligationem manus mortuæ reponendi penes manus non mortuas bona emphyteutica, quæ ex legitimo titulo in eam obveniant, cum ſimilibus.

Et quoniam in hoc Principatu (ut præmiſſum eſt) forenſes duo patiuntur obſtacula, unum ſcilicet, quod reſultat ex his Conſtitutionibus, quæ propterea non obſtant
27 ſubditis Principatus in univerſum, quamvis non habeant civilitatem illarum Civitatum, ſeu Locorum, in quibus fit caſus ſucceſſionis, vel ſita ſunt bona: & alterum, quod reſultat à ſtatutis, aliiſque legibus particularibus, & localibus ſingularum Civitatum, & Locorum, undè propterea, iſtis attentis, forenſes dicuntur, non ſolùm illi, qui non ſunt de Statu Eccleſiaſtico, atque in temporalibus ſubditi Papæ, & Sedis Apoſtolicæ; ſed etiam illi, qui ſunt de Statu, & ſubditi, ſed non ſunt cives illorum locorum, de quibus agitur, ubi propterea dicuntur forenſes; Idcircò intrat dubium, an adhuc, iſta Conſtitutione non obſtante, dicta ſtatuta localia contra forenſes attendi, & ſervari debeant; Atque affirmativè reſpondendum videtur, quoniam ratio dubitandi caderet, quando ageretur de ſtatutis non habentibus confirmationem Apoſtolicam in forma ſpecifica, ob difficultatem à pleriſque excitatam in locis ſupra allegatis, quod in hujuſmodi ſtatutis, utpotè odioſis, & exorbitantibus, non ſufficiat confirmatio in forma communi, etiam expreſſa, multò verò minus tacita, vel præſumpta, quæ majorem vim non habet, quàm illa in forma communi, ut pluries inſinuatum eſt. Et nihilominus etiam iſto caſu difficultas non intraret, vel quia verius ſit, vt hęc ſtatuta non mereantur dici odioſa, & exorbitantia, ut ſuperius advertitur, vel (& magis ad rem,) quod ad effectum, de quo agitur, non intrat inſpectio, an hæc ſtatuta, de per ſe conſiderata, ſint valida, vel invalida, & an odioſa, vel favorabilia, cum de hoc in caſibus particularibus pertineant ad Judices inſpicere, juxta ſingulorum caſuum circumſtantias; ſed punctus eſt, an per diſpoſitionem contentam in §. XVII. ad favorem forenſium, derogatum cenſeatur hujuſmodi ſtatutis, atque in hoc, citra omnem dubitandi rationem negative reſpondendum venit, quoniam ex tenore Conſtitutionis liquet, Legislatorem ad iſtum caſum non cogitaſſe, neque hujuſmodi ſtatutorum notitiam habuiſſe, vel ſe habere profeſſum eſſe, ut fecit de ſtatutis excluſivis fœminarum, ſuper quibus adjecit clauſulam *quorum tenores*, ut advertitur ſupra §. VI. ideoque nihil aliud in dicto §. XVII. volitum fuit, niſi tollere generaliter difficultatem excitatam per Doctores, an hujuſmodi ſtatuta ſuffragari ſolùm debeant ſubditis, & civibus, non autem forenſibus, & ſic providere ſuper obſtaculo generali reſultante à propoſitionibus firmatis per Doctores, non autem ſuper caſibus particularibus, in quibus aliqui populi ita ipſis, eorumque indemnitati providere voluerunt, atque de his ſenſis, tamquam miniſter, & operarius Legislatoris, tutè atteſtari poſſum.

Verùm in hoc ceſſat omne dubium, ex eo quod, ut ſuperius advertitur, ex Conſtitutione Sixti V. iſta ſtatuta majus robur acceperunt, illaque obſervanda ſunt ex auctoritate Apoſtolica magis quàm ex illa ſtatuentium, atque in vim ejuſdem Sixtinæ Conſtitutionis; ideoque cum iſtius diſpoſitio expreſsè in præſenti §. reſervata fuerit, ita videmur eſſe in claris, & expreſſis, in quibus non intrant quæſtiones, & argumenta.

Remanet itaque pro complemento materiæ contentæ in
28 præſenti §. inſpicere de puncto civilitatis, & forenſitatis reſpectivè, & quænam civilitas ſufficiat, ad effectum, ut non obſtent præfatæ Conſtitutiones, quoniam ex cognitione civilitatis rectè deveniri poteſt ad cognitionem alterius termini oppoſiti forenſitatis, ex regula contrariorum, ut ille, qui eſt civis, non ſit forenſis, & è converſò qui non eſt civis, ſit forenſis, juxta quæſtionem obiter, & remiſſivè (ut in pleriſque aliis quæſtionibus factum eſt) habitam ſupra in §. XIII. nu. 40.

In hoc autem puncto reflectendum eſt ad diverſas ſpecies civilitatis, quæ plures ſunt, quamvis magis communiter Doctores tres tantùm conſiderent, confundendo inſimul aliquas earum ſpecies. Prima namque ſpecies civilitatis eſt illa magis vera, & naturalis, tam de jure, quàm de facto, & per naturam, atque in communi hominum ſenſu, ac opinione, quando ſcilicet conjunguntur origo propria naturalis, quia ibi de facto perſona ſit nata, & origo patris, ratione nativitatis, vel ratione domicilii, & ejuſdem in eo loco natæ perſonæ vera, & continuata habitatio, ut pro majori parte verificatur in Civitatum, & locorum incolis, & habitatoribus. Altera eſt ſpecies civilitatis originariæ, per ſolam naturam, non autem omninò per legem, quia nempè naturaliter, & de facto illa perſona in eo loco nata ſit, ſed ex legis fictione habeatur pro cive alterius loci, ob nativitatem accidentalem, ſive occaſionalem in eo loco ſequutam, quia nempè parentes, vel per tranſitum, vel occaſione feudi, aut officii, vel alterius muneris, aut rurandi gratia, vel ob aeris ſalubritatem ibi tunc morarentur, alia verò eſſet eorum patria: Tertia eſt ſpecies civilitatis originariæ fictæ, non per veritatem naturalem, ſed ex legis diſpoſitione, vel fictione, comitante etiam natura, puta quia perſona in alio loco de facto nata ſit accidentaliter, vel occaſionaliter, juxta ſpeciem proximè præcedentem, quia diverſa ſit parentum patria, in qua poſtmodum corpore, vel reſpectivè animo vivat, eamque ſuam reputet patriam: Quarta eſt ſpecies civilitatis actualis, & perſonalis, ſed pariter fictæ, & ex legis fictione, cum aliquo tamen naturæ magis remoto concurſu, ratione animi, & deſtinationis, qualis eſt domiciliaria, quia nempè illa perſona, quæ naturaliter, atque tam de facto, quam de jure ſit civis alicujus loci, in quo nata ſit, atque habuerit parentum, & propriam incolatum, deinde in alio loco vivat, animo ibi perpetuò permanendi, ideoque verum domicilium, ſive incolatum contrahat, ejuſque loci domiciliarius civis efficiatur: Quinta eſt ſpecies civilitatis pariter fictæ, & legalis cum aliquo primordiali naturæ concurſu, & beneficio, qualis eſt illa, quæ originis tantùm dicitur, quia nempè in uno loco perſona ſit nata, ibique vivat, atque domicilium fixum habeat, adeout illam habeat veram, & propriam ejus patriam, ejus tamen pater, vel juxta aliam laxiorem opinionem, etiam avus paternus eſſet civis alte-
29 rius loci, cujus proindè, ratione paternæ, vel avitę originis civis originarius dicitur: Sexta eſt civilitas omnium magis ficta & legalis, utpotè ſolum verbalis, abſque aliquo naturę, vel facti fomento, quia nempè competat ex privilegio, ſeu verbali aggregatione, abſque tamen qualitate originis, vel domicilii, juxta hujuſmodi civilitatum ex privilegio vel aggregatione frequentem praxim: Et ſeptima demum eſt illa civilitas pariter ficta, & legalis, ſed cum aliquo naturæ, vel facti fomento, qualis ex. gr. eſt illa, quæ concurrere dicitur in Barone, vel Domicello, in ea Civitate, vel Oppido, & Loco, qui, ſive in feudum verum, & proprium, ſive in illud feudum improprium, & corruptum, quod allodiale dici ſolet, ut initio præſentis §. dictum eſt, ab ipſo poſſideatur, cùm in eo loco dicatur primus civis, ut advertitur *diſc.* 85. *de feud.* Ac etiam eſt Epiſcopus in ejus diœceſi, & ſunt Canonici Cathedralis, vel reſpectivè Collegiatæ in Civitate, ſeu loco reſidentiæ, ex deductis *diſc.* 35. *de præeminent. & alibi*, cum ſimilibus.

In prima ſpecie verę, & omnimodæ civilitatis, tam per naturam, quàm per originem, & domicilium, nulla cadit quęſtio, ſeu ratio dubitandi, quando adhuc de facto in eodem ſtatu continuetur, adeout nulla interverſionis, vel deſertionis cadat dubitatio, quę tunc intrat, quando ille, qui verus eſt unius loci civis, ut ſupra, naturaliter, & de facto alibi vivat, atque materiale, ſeu naturale habeat domicilium, iſtoque caſu, quamvis Doctores procedere ſoleant cum regula generali, ut attendi debeat animus perſonæ, quoniam non implicat quem eſſe verum plurium locorum civem, ob non prohibiram, ſed potius à jure permiſſam plurium civilitatum comperentiam, & retentionem, ex deductis *diſc.* 83. *de Regal. num.* 11, & 12. *diſc.*
37. *de præeminent. num.* 5. *diſc.* 19. & 20. *de ſucceſſion. & diſc.* 30
14. *de matrim.* in quibus locis ad diverſos effectus, & juxtà varias caſuum circumſtantias de iſta civilitatis materia agi-

tur,

tur ac etiam alibi. Nihilominus quidquid ſit ad alios effectus, putà aliquorum privilegiorum, & præeminentiarum, ac etiam ad effectum ſubjectionis alicui Epiſcopo pro ſuſceptione ordinum, cum ſimilibus; Ad præciſum tamen effectum de quo agitur diſtinguendum videtur inter illam civi-
31 litatem, quæ requiritur ad ſatisfaciendum ſtatutis, & legibus particularibus, inferiorum Civitatum, & locorum ſubditorum, ut ſupra, & illam civilitatem, quæ requiritur ad effectum ſatisfaciendi præſentibus Conſtitutionibus. Ad primum enim effectum latius proceditur, dum plurium
32 ſententia eſt, etiam ſolam fictam, & privilegiativam civilitatem, juxta ſextam ſpeciem, ſufficere, quamvis non deſint negantes, alii verò diſtinguant, & conciliare curent, ex relatis locis citatis, & præſertim *d. diſc.37. de præeminent. num.2.* E converſò autem ad effectum præſentium
33 Conſtitutionum dicta civilitas ficta, & privilegiativa non ſufficit, ob expreſſam, & claram determinationem earumdem Conſtitutionum, & præſertim noviſſimarum Innocentii X. & Alexandri VII. Quare ubi agitur de iſto poſteriori caſu, vel effectu, quoties vera, & effectiva civilitas non ſit omninò certa, clara, & incontrovertibilis, ſed quale dubium ſuper illa cadere poſſit, vel in ejus initio, & acquiſitione, vel in ejuſdem jam competentis, & acquiſitæ deſertione, ſeu amiſſione, & tunc non de facili datur caſus, ut ſub diſputationum juris, ſemper incerta, & va-
34 ria trutina iſte punctus cadat, quoniam malum, ac imprudens conſilium reputatur in materia adeo rigorosè prohibita, & graviter pœnali ſe exponere illi periculo, quod ſemper ineſt in articulis, & diſputationibus juris, potiſſimè verò, ubi contentio eſt cum Fiſco, quem notorium
35 eſt ubique durum eſſe adverſarium, ut pluries ſub diverſis materiis advertitur, & præſertim ſub *tit. de feud. diſc.* 35. & 56. occaſione quæſtionum, quas inter fiſcum, & privatos producere ſolent feudorum devolutiones; Et per conſequens ubi quælibet dubitandi umbra cadat, tunc abundari ſolet in cautelis, obtinendo licentiam, in cujus conceſſione, quoties nimia potentia acquirere, vel retinere volentis, aut aliæ facti circumſtantiæ rationabiliter contrarium non ſuadeant, benignè procedi ſolet, ut conſului
36 in caſu, de quo *eod. diſc.* 35. *de præeminent. num. final.* & in aliis, ac etiam practicatum fuit in caſu, de quo agitur in ſæpius relato *diſc.* 161. *de regal.* quoniam licet Conſtitutiones non prohibeant acquiſitionem per ultimam voluntatem cùm obligatione tamen veniendi ad habitandum cum vera, & effectiva perſeverantia, quoties non agatur de illis perſonis potentibus, & ſuſpectis, quæ reverà dictum requiſitum habitationis adimplere non poſſunt; nihilominus adhuc obtenta fuit licentia, quam tamen, utpotè non neceſſariam, ſed obtentam ad majorem cautelam, non produ-
37 cere illos effectus præjudiciales, quas produceret, ubi præciſè neceſſaria eſſet, advertitur *eod. diſc.* 161. *num.* 57. & *ſeq.* Exindeque reſultat, quod ex hujuſmodi obſervantia inferri non poteſt ad dictarum Conſtiturionum interpretationem, & ad agnitionem comprehenſionis iſtius caſus ſub
38 eis, dum notorium eſt; iſtam eſſe ſuperabbundantem cautelam, ut *eod. diſc.* 161. *num.* 61. advertitur.

Atque hinc ad evidentiam convincitur conſuetus ſuperficialium Pragmaticorum error procedendi in materia iſtarum Conſtitutionum cum generalitatibus, & cum illis au-
39 ctoritatibus exteris, vel etiam noſtris, quæ loquuntur de iſta civilitatis materia ad alios effectus, ac etiam ad iſtum capacitatis aſſequendi, & retinendi bona, ut ſatisfieret ſtatutis, & legibus municipalibus, exigentibus ſimpliciter civilitatem, non autem requirentibus civilitatem veram, & effectivam, ac expreſsè reprobantibus privilegiativam, vel alias fictam, & legalem.

Ex iſta verò diſtinctione, vel theorica reſultat regulatio aliarum ſpecierum civilitatis, de quibus ſupra, ut ſcilicet
40 non cortex, & formula verborum attendi debeat, minuſque procedendum ſit cum propoſitionibus generalibus, ſed attendi debeat ſubſtantia veritatis deſideratæ per dictas Conſtitutiones, principaliter inſpiciendo, an adimpleatur finis, vel effectus per eas volitus, atque exoptatus, ad occurrendum fraudibus, & coloratis prætextibus.

Ad illam quoque præſertim reflectendo diſtinctionem inter caſum, in quo agatur de civilitate acquirenda, iſta-
41 que de novo imprimenda qualitate, & caſum, in quo, poſita vera, naturali, & effectiva civilitate, agatur de ejus amiſſione, ut advertitur *eod. diſc.* 37. *de præeminent. & dict. diſc.* 19. & 20. *de ſucceſſion. & diſc.* 14. *de matrimon. & alibi*, ut ſcilicet priori caſu rigoroſius, & difficilius procedatur, quàm in poſteriori; Siquidem aliud eſt arcere ab acquiſitione, & commodo, aliud verò privare juribus, & bonis 42
quæſitis, & quæ jam effecta propria ſint, juxta diſtinctionem, de qua latè *diſc.* 73. *de teſtament. & d. diſc.* 14. *de matrimon.* ac etiam *diſc.* 70. & 71. *de benefic.* & alibi pluries, dum poſteriori caſu dicitur pœna formalis, à qua excuſare debet quælibet cauſa probabiliter opinata, imò, (ut noſtri dicere ſolent) etiam fatua, & beſtialis.

Prout etiam, ex eadem ratione, vel proportione, no- 43
tabilis differentia conſtituenda eſt inter caſum novarum acquiſitionum, & caſum retentionis bonorum, jam legitimè, & in ſtatu veræ civilitatis acquiſitorum, ubi præſertim agatur de illis, qui non ex voluntaria electione mutant domicilium, illudque alio transferunt, adeout cadere poſſit dubium deſertionis patriæ, ſed alia loca accedunt, ibi oc-
caſionaliter morantes, ratione feudi vel officii, adhuc ta- 44
men in patria originaria domum apertam retinentes, ut frequenter contingit in Magnatibus, & Baronibus Urbis, juxta caſus, de quibus *diſc.* 90. *de iuriſdiction. & alibi*, quod ſcilicet Barones, & Magnates iſtius Principatus poſſidentes etiam feuda, & baronias in aliis Principatibus, ibi quandoque reſideant, & moram trahant, adhuc tamen domum apertam cum eorum ſubſtantia continuantes in Urbe, vel in eorum locis jnriſdictionalibus, quoniam non per hoc diſcedere, atque civilitatem amittere dicuntur, dum illa mora in alio loco dicitur occaſionalis, vel accidentalis, quæ non cauſat deſertionem patriæ originariæ, vel domiciliariæ, ut advertitur *in cit. diſc.* 37. *de præeminent.* ubi de diſceſſu occaſione exercendi munus Senatoris in patria originaria, ac etiam habetur *diſc.* 104. *de Regal.* ubi dantur exempla, & alibi.

Hinc non videtur opus expendere ſingulariter alias ſex civilitatis ſpecies ſuperius diſtinctas, dum ex prædicta theorica deveniri poteſt ad notitiam, & regulationem effectuum, & operationum earumdem civilitatum, pro implemento Conſtitutionum, de quibus agitur. Adhuc tamen ad ſuperabbundantiam de ſingulis agendo ſummatim.

Quatenus pertinet ad ſecundam ſpeciem illius civilitatis 45
originariæ, quæ per naturam de facto acquiratur per accidentalem, vel occaſionalem nativitatem in loco, abſque eo quod parentes ibi civicum domicilium habeant, minuſque perſona ibi nata illud contrahat, vel continuet, ut ex. gr. contingit in caſibus exemplificatis *d. diſc.* 104. *de Regal.* & tunc iſta ſpecies civilitatis prodeſſe ſolet pro illis privilegiis, & prærogativis, quæ competant natis in loco, puta pro aggregatione, vel admiſſione ad aliquod Collegium profeſſorum, juxta caſum, de quo, agendo de Collegio Doctorum in Civitate Neapolis, habetur apud Capic. Latr. *conſult at.* 87. ubi de quæſtione, quando locus conceptionis diverſus eſſet ab illo nativitatis; & de Collegio Medicorum Bononiæ apud Merlin. *deciſ.* 882. ſive de aggregatione ad aliquod Capitulum, vel conſortium in Eccleſia, juxta caſum, de quo in Rhegien. conſortii *ſub tit. de Canonic. & Capitul. diſc.* 21. in quo loco Rota variavit; aut pro capacitate illorum beneficiorum, quæ loci nativis, ſeu naturalibus debita ſunt, juxta caſum, de quo in Sipontina Archipresbyteratus *ſub tit. de beneficiis diſc.* 12. Aut ad effectum, ut Ordinarius loci nativitatis ſit Ordinarius pro collatione ordinum, juxta collecta per Barboſ. *de Epiſcop. alleg.* 4. *nu.* 2. & 3. & *in annotat. ad Concil. Tridentin. diſc.* 14. & magis ex profeſſo inter varia vota in obſcuro adhuc remanentia cum ſimilibus, ſuper quibus certa regula ſtatui non poteſt, cū deciſio in magna parte pendeat à conſuetudine, vel obſervantia, aliiſque facti circumſtantiis, quando verificatur ſola qualitas naturalis nativitatis in eo loco, abſque tamen precedenti, & ſubſequenti domicilio parentum, ejuſdemque perſonæ, quia nempè poſtea ad propriam redierint patriam; & quo caſu certum eſt non ſufficere iſtam ſpeciem civilitatis ad ſatisfaciendum his Conſtitutionibus, dum illæ (ut præmiſſum eſt) damnant fictiones, vel ſubtilita- 46
tes juris, atque principaliter attendunt ſubſtantiam veritatis, vel effectum ab eis contemplatum, ut ſcilicet bona ſint penes ſubditos, & incolas iſtius Principatus, adeout in Conſtitutione Sixti, ab omnibus aliis ſubſequentibus innovata, & confirmata, diſponatur quod ſi veri cives, tam ratione originis, quàm domicilii, & qui jam legitimè, & in ſtatu habili acquiſiverunt bona in Statu Eccleſiaſtico, à

quo

quo poſteà diſcedant, teneatur illa in alios alienare, atque eorum retentionis incapaces reputantur, quoties, ut præmiſſum eſt, diſceſſus non ſit cauſativus, vel occaſionalis, domicilio adhuc retento, ut ſuperius exemplificatum fuit. Igitur multò minus adhunc effectum ſufficere debet iſta accidentalis nativitas in loco, cùm diſceſſu, & abſque alia civilitate retentione.

E converſò autem, ad effectum ſatisfaciendi his Conſti-
47 tutionibus ſufficere videtur nativitas, & reſpectivè permanentia in Principatu, quamvis ad alios effectus in puncto juris vera civilitas loci habitationis adeſſe non dicatur, ut puta naſcitur quis in loco occaſionaliter, ut ſupra, ratione moræ, quam ibi occaſione feudi, vel officii, ſeu mercaturæ, aut alterius exercitii parentes traxerunt, atque in eodem loco ex eadem occaſione mor ir, & de facto vivit; quoniam niſi verbis, vel factis de et animum contrahendi ibi verum domicilium, atque effici illius loci domiciliarius civis, ſupportando onera, & faciendo ea, quæ alii cives faciunt, etiam adhuc retinendo primævam, & originariam civilitatem, ob compatibilem retentionem,
48 & concurſum utriuſque civilitatis, ut ſupra; tunc utique in eo loco pro publicis muneribus, ac honoribus, & oneribus, atque pro ſubjectione ſtatutorum, aliiſque ſimilibus effectibus non habebitur tamquam civis, ſed tamquam exterus, cùm ſit verus civis patriæ originariæ, iſtaque accidentalis, vel occaſionalis mora verum non inducat domicilium, juxta celebres deciſiones in Firmana codicillorum cum concordantibus *eod. diſc.* 37. *de præeminent. num.* 6. *& d. diſc.* 104. *de Regal.* ubi de exemplo Januenſium, aliarumque ſimilium nationum mercantilium, quæ in variis locis, etiam nimium remotis, occaſione negociationis, & mercaturæ diuturnam habent moram, & incolatum de facto, etiam de filio in patrem, & de avo in nepotem, vel pronepotem, quod etiam occaſione reſidentiæ in feudis ſequitur in nobilibus Neapolitanis; Et tamen ad effectum præſentium Conſtitutionum, iſte incolatus de facto quando ſit continuus, & diuturnus cum familia, & cum retentione ſubſtantiæ in toto, vel in parte notabili, ſufficere videtur, quoniam aliud eſt, quem eſſe verum civem alicujus loci particularis, pro illius muneribus, honoribus,
49 & oneribus, ac ſtatutis, aliud verò eſt eſſe ſubditum Principis, & Principatus, ejuſque juriſdictioni, poteſtati, & legibus ſubjacere, atque ibi de facto vivere, qualis eſt finis hujuſmodi legum, ac effectus ab eis conſideratus, quoties permanentia ſit fixa, & continuata, ideoque vera, & naturalis de facto, licet ex juris ſubtilitate non ſit talis.

Quoad tertiam ſpeciem civilitatis quidem fictæ, & legalis, non autem per veritatem naturæ, quæ tamen ratione originis, & animi legis fictionem comitari, ſeu corro-
50 borare videtur, illa verificatur in iis, qui juxta ſpeciem præcedentem, de facto naſcuntur in uno loco, ſed per accidens, & occaſionaliter, quia parentes ibi de tempore nativitatis reperiantur occaſione feudi, vel officii, ſive exercitii, aut mercaturæ, vel aulæ &c. animo tamen retineatur originaria, & propria patria, cujus reſpectu dicuntur veri, & proprii cives, perinde ac ſi ibi verè nati eſſent, juxta doctrinam Felini loquentis de ſe ipſo, ex deductis *d. diſc.* 37. *de præeminent. num.* 9. *d. diſc.* 104. *de Regal. diſc.* 19. *&* 20. *de ſucceſſion. diſc.* 62. *de beneficiis. diſc.* 14. *de matrim. diſc.* 21 *de Canonic. & Dignitat. & alibi.* Quod tamen ad effectum iſtarum Conſtitutionum intelligendum venit eodem modo quo ſuperius dictum eſt, ut ſcilicet tam nativitas, quàm vita, & permanentia in alio loco, tam de jure, quàm de facto non faciat ceſſare continuationem civilitatis, & ſubjectionis, adeout fictio legis habeat concomitantiam facti, & veritatis; non autem, ut hæc ſola idealis, & intellectualis civilitas debeat ſufficere, ſemper (ut præmiſſum eſt) ſpectando ſubſtantiam veritatis, ac finem, vel effectum à legibus conſideratum.

Super quarta ſpecie civilitatis domiciliariæ, quæſtiones facti potius, quàm juris eſſe videntur, quoniam poſito
51 domicilio, verè contracto, non dubitatur contrahi veram, & plenam civilitatem quæ originariæ aſſimilatur, ad omnes effectus, juxta auctoritates relatas in locis proximè citatis, & præſertim *d. diſc.* 37. *de præeminent. num.* 3. quoties ex diſpoſitione legis, vel hominis neceſſaria non ſit qualitas originaria, juxta *conſil.* 93. *Marant. cum aliis dict. diſc.* 62. *de benefic. & diſc.* 21. *de Canonic. & Capitul. & alibi*; ſed cadere ſolet difficultas, quando iſtud domicilium dicatur perfectum, & legitimè contractum, adeout ſit præfati effectus productivum; Atque in hoc ſe involvere videntur Doctores, cum ſolita opinionum varietate, ex relatis per Barboſ. *de Epiſcop. allegat.* 4. Giurb. *obſerv.* 75. & 76. & alios, de quibus in locis citatis; Alii namque volunt requiri decennalem habitationem, adeout minor non ſufficiat, & major neceſſaria non ſit, quaſi quod ſit operatio iſtius ſpatii tamquam ſpecies formæ; Alii verò, ut requiratur ducere in loco uxorem, & acquirere bona ſtabilia; Et alii ut requiratur diuturna ſupportatio onerum, cùm aliis ſimilibus formalitatibus; Verior tamen ſententia videtur illa, ut iſta ſit quæſtio facti potius, quàm juris, decidenda ex ſingulorum caſuum particularibus circumſtantiis, ex quibus benè inferatur ad animum, à quo totum pendet; Stant enim ſimul, quod quis cum modico ſpatio temporis, verum, & perfectum contrahat domicilium, & è converſò, ut per longiſſimum, diuturnum, & continuatum de patre in filium, ac etiam de avo in nepotem non contrahat, quia incolatus fuerit cauſativus, vel occaſionalis, ut ſupra, ideoque non eſt materia capax regulæ certæ, & generalis, cuicumque caſui applicabilis, atque in hoc puncto præſertim dignoſcitur pluries inſinuatus ſuperficialis Pragmaticorum error procedendi cum generalitatibus; Inter facti autem circumſtantias, illa præſertim videtur nimium attendenda, conſuetudinis loci, & communis ſenſus, vel opinionis, cum qua ibi vivatur. Non tamen, ut alias jam obſervatum eſt, ad effectum iſtarum Conſtitutionum de facili datur caſus iſtius quæſtionis, quoniam ubi aliquod dubium cadat, abbundari ſolet in cautelis, obtinendo licentiam, ad evitandum periculum pœnarum, vel moleſtiarum, quæ per fiſcales inferri ſolent.

Quinta ſpecies eſt cujuſdam potius intellectualis, & mera phyſicè civilitatis originariæ mediatæ, ſeu remotæ, ex eo ſolùm deducta, quod pater, vel avus eſſet illius loci ci- 52
vis, abſque aliquo facto proprio ipſius perſonæ, ex quo ejus animus inferri poſſit, diſputantibus quoque DD. an ſufficiat ſolum origo patris, vel potius attendatur etiam illa avi, ex relatis præſertim *dict. diſc.* 14. *de matrimon.* quid quid autem ſit de iſta civilitate ad alios effectus, certum eſt, quod non ſufficit ad illum, de quo agitur iſtarum Conſtitutionum, dum, ut pluries dictum eſt, in illis potius, ac principaliter attendenda venit ſubſtantia veritatis de facto, quàm ſubtilitas, vel fictio juris, ſpectato ſcilicet fine, vel effectu per eas conſiderato, & volito, vel ſpectata ratione, cui earum diſpoſitio innixa eſt.

De ſexta ſpecie civilitatis etiam fictæ, & legalis, abſque ullo primordio, vel fomento naturæ, puta comperentis ex ſolo privilegio, vel aggregatione, jam dictum eſt ſupra ad alios effectus eſſe ſub quæſtione, an iſta dicatur vera civilitas, aliis affirmantibus, aliis negantibus, & aliis diſtinguentibus, an ſupportentur onera, necne, ex relatis *dict. diſc.* 37. *de præeminent. num.* 2. atque in hoc pariter nimium deferendum eſt locorum conſuetudini, & ſtylis verò. Extrà controverſiam eſt, ut illa ad effectum, de quo agitur, non ſufficiat, ob expreſſam, & claram earumdem Conſtitutionum diſpoſitionem; Cadente in hac ſpecie ci- 53
vilitatis quæſtione, cùm conſueta opinionum ſciſſura, an ejus conceſſio dicenda ſit de regalibus, ut propterea nonniſi per Principem ſupremum fieri valeat, ſive per Civita- 54
tem non recognoſcentem ſuperiorem, ac habentem jura imperii, & ſupremi Principatus; vel potius fieri valeat per Communitatem Ciuitatum ſubditarum, earumque, Barones, vel Domicellos, pariter ſubditos, & ſubordinatos, qui jura Imperii, & Supremi Principatus non habeant, adeout non habeant illam poteſtatem, quam habet Princeps Supremus diſpenſandi legibus, atque ficto tribuendi vim ueri; Illaque uidetur probabilior, magiſque recepta diſtinctio, ut in iis, quæ ipſi Communitati, uel Baroni præjudicant, ejuſque jus, uel intereſſe concernunt, adeout non præjudicetur tertio, ejuſque aliquod jus tollatur, id fieri ualeat, ita quoque docente uſu communi, quod Communitates concedunt paſſim hęc priuilegia ciuilitatis ad honores, & aliquas prærogatiuas, non autem ut jus tertii tollatur; Ideoque in facti contingentia, cum in aliquibus Collegiis, ex fundatorum diſpoſitione recipiendi eſſent ciues aliquorum locorum, exteri autem peterent diſpenſationem pro admiſſione ad Collegium, tamquam ciues creati per Communitatem

loci,

loci, cujus ciuibus admiſſio debita eſſet, adhibitæ fuerunt diligentiæ, an in eodem loco adeſſent cives veri, & naturales ad id habiles, & idonei, ut iſtis exiſtentibus nullo modo admitti deberent cives ex privilegio, ſecus autem eis non extantibus, cùm tunc nemini fiat præjudicium; Ubi verò deſideretur plena civilitas ad omnes effectus, etiam præjudiciales tertio, tunc id dicitur de regalibus, taliſque conceſſio fieri non poteſt niſi per Principem ſupremum habentem jura Imperii, & Regalium, dum ita eſt tribuere fictioni vim veritatis, quod nonniſi Principi competit, ut de his agitur in alias allegato Opuſculo Italici idiomatis de *Principe prattico cap.* 27.

Illa quoque iſto caſu cadente quæſtione, an hæc diſpenſatio, vel conceſſio facta per Principem ſæcularem operetur ejus conſuetos effectus, in præjudicium Eccleſiaſticorum, & clericorum, aliarumque perſonarum Eccleſiaſticarum, à juriſdictione, & poteſtate Principis concedentis exemptarum; ſed quoniam hæc eſſet nimia digreſſio, idcircò ſufficit ſe referre ad ea, quæ generaliter habentur in *Theatro diſc.* 46. *de iuriſdict. in fine & diſc.* 13. *numer.* 26. *& ſeq. & num.* 31. *de præeminent.* ſuper puncto, an diſpenſationes, & habilitationes conceſſæ per Principem, vel Magiſtratum ſæcularem ſuffragentur, ſuoſque operentur effectus in præjudicium exemptorum, vel ſuper altero puncto, An conceſſa per Principem ſuffragentur extra ejus ditionem in alienis territoriis, de quo in Mutinen. *in tit. de Regal. diſc.* 193.

Demum quoad ſeptimam ſpeciem civilitatis etiam fictæ, & legalis, non tamen merè privilegiativæ, & pendentis à ſola verbali conceſſione Principis, vel Communitatis, ſed cum fundamento facti, ratione qualitatis, vel dignitatis, quæ in eo reſideat, juxta exempla ſuperius inſinuata Feudatarii, ſeu Baronis, qui eſt primus civis in feudo, ſeu loco Baroniæ, ac etiam ſunt Senatores Principatus ſæcularis, necnon Epiſcopus in univerſa Diœceſi, & Canonici Cathedralis, vel reſpectivè Collegiatarum, cùm illa differentia inter iſtos, quod Canonici Cathedralis juridicè ad inſtar Epiſcopi ſunt cives, non ſolùm Civitatis, in qua eſt Eccleſia Cathedralis, ſed etiam Oppidorum, Caſtrorum, & Locorum Diœceſis, eo quia in ſpiritualibus, ut pluries advertitur *ſub tit. de iuriſdictione*, tota Diœceſis efformat, & conſtituit unum corpus, unumq, territorium, ideoque territoriorum diviſiones in temporalibus non attenduntur, quoniam à finibus ſpiritualibus non infertur ad temporales, nec è converſò; Canonici verò Eccleſiarum Collegiatarum, ac etiam Parochi dicuntur cives illius loci tantùm, in quo neceſſariam habent reſidentiam, & cujus loci Eccleſiæ inſerviunt. Verum quidquid ſit de iſta ſpecie civilitatis ad alios effectus, pro quibus obſervantiæ, & ſtylis locorum principaliter deferendum videtur, ad effectum tamen, de quo agitur, prædictarum Apoſtolicarum Conſtitutionum, non videtur, quod iſta ſola legalis, & privilegiativa civilitas ſufficiat in acquiſitionibus, vel retentionibus privatis, & perſonalibus faciendis per Epiſcopum, vel Canonicum, vel ſimilem, niſi verè habitent, ſolumque in feudatariis, & Baronibus, ac etiam in Senatoribus probabiliter dici poſſe videtur, ut ita per habilitationem ad obtinendum feudum, ſeu Baroniam in eo Principatu, aut ad obtinendam, & retinendam Senatoriam dignitatem dicantur implicitè per Principem declarati primarii cives, non quidem unius, vel alterius loci particularis, ſed totius Principatus; atque ſicuti habilitati ſunt ad obtinendum unum, vel plura feuda in eo Principatu, ita habilitati videantur ad alia bona in eodem Principatu obtinenda, & retinenda; adhuc tamen obſervantię multum in hoc quoque deferendum venit.

a *Inſinuata dict. diſcur.* 39. *de alienation. diſcur.* 71. *numer.* 5. *de ſervitut. dict. diſc.* 77. *de Regal. & alibi.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & Commiſſarios, quavis authoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ſeu Vicelegatos, aut Cameræ Apoſtolicæ Præſidentes, & Clericos, & quoſcumque alios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique locorum judicari, & definiri, ac ſententiari debere, nec non quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

ARGUMENTUM.

De operationibus, & effectibus clauſulæ *ſublata, & decreti irritantis*, quæ in hoc §. continetur, an procedant in legibus, & conſtitutionibus univerſalibus, & de materia aperitionis oris adverſus hujuſmodi clauſulas.

SUMMARIUM.

1 *Quare iſtæ clauſulæ videantur ſuperfluæ.*
2 *De operatione clauſulæ* ſublata.
3 *De aperitione oris adverſus eam.*
4 *De operatione* decreti irritantis.
5 *Quare clauſula* ſublata *non ſit neceſſaria in legibus univerſalibus.*
6 *Legum auctoritas eſt neceſſaria, illa verò Doctorum eſt probabilis.*
7 *Prohibita appellatione non eſt prohibitum dicere de nullitate.*
8 *Iniuſtitia notoria cauſat nullitatem.*
9 *Sententia contra expreſſum caſum legis dicitur nulla.*
10 *Quare dictæ clauſulæ non ſint ſuperfluæ, ſed operativæ, etiam in legibus.*
11 *Quod legum varia interpratatio magnas induxit confuſiones in legali facultate.*
12 *Quod adverſus leges, & conſtitutiones univerſales non ſoleat opponi de clauſulis præiudicialibus.*
13 *Quando lex univerſalis contineat præiudicium particulare, cuius ratione obiici ſolet de dictis clauſulis.*
14 *An translatio penſionis cenſenda ſit odioſa, & præiudicialis.*
15 *In futuris incertis actus regulari debet à frequentiori contingentia.*
16 *Quod dictæ clauſulæ impediunt, ne poſſit dari de non uſu, vel uſu contrario.*
17 *An, & quomodo in legibus Papalibus dari poſſit de non uſu, vel uſu contrario.*
18 *Damnatur allegatio non uſus, vel contrarii uſus legum per viam præſcriptionis, ſed debet allegari tamquam præſumpta revocatio.*
19 *Quod dictæ clauſulæ non impediunt dari de non comprehenſione, vel defectu intentionis.*
20 *Adhuc tamen Iudices abſtinere ſolent ob reverentiam, ut habeatur recurſus ad Papam.*
21 *Quod ſuper conceſſione aperitionis oris non poſſit dari certa, & univerſalis regula.*
22 *De duplici ſpecie aperitionis oris, diverſaque operatione.*

§. XXI.

1 IDem, quod dictum eſt in §. VI. circa clauſulas *motu proprio*, *ex certa ſcientia*, *& de plenitudine poteſtatis*, adaptari videtur clauſulis contentis in præſenti §. quæ licet latiùs extenſæ, juxtà communem Forenſium loquendi uſum, brevius explicari ſolent ſub nomine clauſulæ *ſublata*, *& decreti irritantis*, ut ſcilicet ſuperfluæ, atque ad ſatisfaciendum ſtylo potius adjectæ cenſeantur, quàm quod neceſſariæ ſint, ſive quod aliquam faciant peculiarem operationem, quæ aliàs non ſequeretur, ſi illæ non adeſſent, ut ſequitur in gratiis, & proviſionibus particularibus, & quæ privatorum beneficium, ac reſpectivè præjudicium concernunt. Magna ſiquidem eſt iſtarum clauſularum virtus, & operatio; quatenus enim perti-
2 net ad clauſulam *ſublata*, illa adimit juriſdictionem Judicibus, ne poſſint in contrarium judicare, vel interpretari, ac etiam impedit partes intereſſatas, ne poſſint ſe opponere, & quidquam in contrarium deducere, ideòque circumferri ſolet propoſitio, quòd ligat manus, & claudit os Judici, & parti. *a* Exindèque prodiit terminus aperitionis oris, quæ adverſus proviſiones, & gratias iſta clauſula munitas peti, & obtineri ſolet à Papa frequentius in
3 Signatura Gratiæ, juxtà ea, quæ, circa operationem aperitionis oris, ejuſque diverſas ſpecies, & formulas, in ſuis ſedibus habentur. *b*

4 Et quoad *decretum irritans*, illud operatur quamplures effectus, illum præſertim nullitatis geſtorum in contrarium, quæ ex ſola clauſula *ſublata* quoque reſultat ob defectum juriſdictionis, magis verò operatur alium effectum infectionis cujuſcumque poſſeſſionis, vel obſervantiæ in contrarium, unde reſultat, quod allegari non poteſt præſcriptio, vel conſuetudo in contrarium, quoniam una, vel altera dari non poteſt ſine poſſeſſione, quæ ita deeſſe dicitur, utpotè infecta, & habenda, ac ſi non adeſſet. *c*

5 Ambæ iſtæ clauſulæ nimium operativæ ſunt in gratiis, & proviſionibus particularibus, quæ habeant oppoſitores, vel impugnatores ratione eorum intereſſe, & præjudicii, non autem in legibus univerſalibus, quoniam iſtæ non indigent clauſula *ſublata*, per quam adimatur poteſtas Judicibus, & Magiſtratibus aliter judicandi, dum eo ipſo, quod eſt lex valida, perfecta, & obligatoria Judicum, & partium, eo ipſo, abſque iſta clauſula, præfatum operatur effectum, cum legis auctoritas dicatur ne-
6 ceſſaria, contra cujus diſpoſitionem Judices, & Tribunalia judicare non poſſunt. In hoc etenim differunt leges, & doctrinæ, quod iſtæ faciunt auctoritatem probabilem, illæ autem faciunt neceſſariam, adeòut judicium contra earum diſpoſitionem prolatum, irritum, & invalidum cenſendum ſit. Unde propterea docet praxis Regni Neapolitani, quod cum a ſententiis illius ſacri Regii Conſilii, quod Capuane, vel Sanctæ Claræ dicitur, tamquam à ſententia Præfecti Prætorio non detur appellatio, ſed ſolùm ſupplicatio, juxtà terminos textus *in Authentic. Contra quæ ſupplicatio*, ut de iſto Tribunali, ejuſque origine, & ſtatu fit mentio, occaſione agendi de Auditorio Rotæ *in relatione Curiæ diſc.* 32. *& alibi*;
7 adhuc tamen remanet facultas dicendi de nullitate, & meritò, quoniam ſententia nulla non eſt ſententia, ejuſque nomine, eſſentia, & effectibus indigna eſt, ſed quoniam receptum eſt, quòd nullitas non provenit ſolùm ex defectu ordinis judiciarii in ſubſtantialibus malè ſervati, puta ob defectum juriſdictionis, citationis, mandati, & ſimilium; ſed etiam ex capite notoriæ injuſtitiæ, quæ nullitati
8 æquipollet, ut in Curia habemus quotidianum, non ſolùm adverſus tres conformes, vel rem judicatam, ad effectum impediendi exequutionem, ſed etiam ad effectum retractandi eamdem exequutionem cum remedio reintegratorio, quinimmò etiam cum illo retinendæ, quod vulgò manutentionis dicitur, ex iis, quæ habentur *diſcurſ.* 44. *de indic. & alibi*; atque propterea ſub hoc prætextu injuſtitiæ notoriæ, ex qua nullitas reſultaret, deduci ſolebant omnia reſpicientia merita cauſæ, eodem modo, quo in gradu appellationis, idcircò ad reſecandas calumnias prodierunt aliquæ Pragmaticæ regiſtratæ *ſub titul. de off. Sacr. Regii Conſilii*, determinantes quando adeſſe dicatur talis nullitas, atque illa reſtringitur ad duos caſus: unum nempè quando ſententia eſſet contra inſtrumentum publicum in actis exhibitum, & alterum 9
ad rem noſtram; quando eſſet contra expreſſum caſum legis; ideòque dicta clauſula *ſublata* ſuperflua videtur. Atque hinc reſultat, quod ſuperflua quoque videatur altera clauſula *decreti irritantis*, dum ſine illa hic effectus reſultat, eo ipſo, quod judicium profertur contrà legis diſpoſitionem.

Adhuc tamen dici poſſunt iſtæ clauſulæ operativæ, 10
unde propterea excluſum remaneat vitium ſuperfluitatis, quoniam illis ceſſantibus, & attenta ſolùm diſpoſitione juris, prohibita non eſt legum aliqualiter ambiguarum interpretatio, cujus ratione, vel prætextu praxis docet, quòd ipſarum legum peritia, & uſus ab aula penè receſſerint, neque amplius in foro audiantur, dum ſuper illarum, quantumvis expreſſarum, ſenſu, vel intrepretatione adeò 11
magna inolevit opinionum diverſitas, quæ confuſionem non modicam in legali facultate induxit, ut advertitur *diſcurſ.* 35. *de indic. & alibi*, ita enim per interpretandi quoque ademptam facultatem, huic malo occurſum eſſe deberet, quodque ſaltem in hoc dictæ clauſulæ proficuæ, & operativæ remaneant. Verùm iſtud remedium in Conſtitutionibus, & legibus univerſalibus nil proficere praxis docet, quoniam in gratiis quidem, & proviſionibus particularibus, quæ certos habeant intereſſatos, & oppoſitores, de iſtis clauſulis, quæ præjudiciales appel- 12
lantur, obiici ſolet, ut claudant os, & ligent manus tam Judici, quàm parti, etiam circa interpretationem, quando etiam interpretandi facultas adempta ſit; unde propterea, ut eſt inſinuatum, haberi ſolent recurſus pro aperitione oris, ſuper cujus conceſſione, vel denegatione habentur diſputationes. *d* Non autem quando agitur de hujuſmodi legibus, & conſtitutionibus univerſalibus, dum in diuturna mea vita forenſi in Curia nunquam id practicavi, ſeu practicatum audivi, exceptis illis caſibus, in qui-
bus prodierit quidem Apoſtolica Conſtitutio per viam 13
legis univerſalis, & perpetuæ, ſed illi cauſam dederit aliqua controverſia particularis, ut non ſemel id contingere ſolet; atque iſta diſputatio ſuper aperitione oris adverſus hujuſmodi clauſulas præjudiciales contentas in Apoſtolica Conſtitutione, condita per viam legis univerſalis, habita præſertim fuit in Ferrarien. penſionis adverſus Conſtitutionem 112. Urbani Octavi, quòd indulta transferendi non ſuffragarentur in illis penſionibus, quæ impoſitæ eſſent ſuper Eccleſiis poſſeſſis per Cardinales, abſque ſpeciali mentione, quoniam Cardinales Montaltis Junior, & Urſinus, dum eſſent in minoribus translatarii Principis Peretti quamdam obtinentis penſionem ſuper Eccleſia Ferrariæ, poſſeſſa per Cardinalem Macchiavellum, defuncto Pontifice, juxtà Curiæ uſum, circa initia novi Pontificatus Innocentii Decimi Succeſſoris, adierunt Signaturam gratiæ, & obtinuerunt commiſſionem cauſæ in Rota, cum aperitione oris, quinimmò cum clauſula *ac ſi dicta Conſtitutio non emanaſſet* pro dicto jam antecedenti caſu, illa ſalva in aliis caſibus in futurum; unde propterea iſta Conſtitutio in aliis firma remanet, & eſt in praxi recepta, ut de illa pluries habetur in ſua ſede *ſub titul. de penſion. præſertim diſcurſ.* 54. *&* 63. ubi fit mentio de deciſionibus Rotæ, poſtmodum proditis in dicta cauſa Ferrarien. penſionis coram Dunozetto, & aliis, in qua diſputationes fuerunt potiùs in facto, quàm in jure, ſuper juſtificatione ſcilicet fructuum, & valoris Eccleſiæ, ad quem effectum adeò diſputatum fuit de obligatione exhibendi libros menſæ Epiſcopalis, eorumque fide; Atque per iſtam conſtitutionem Pragmatici dicere 14
ſolent

ſolent deciſam eſſe quæſtionem, quæ prius ab eis credebatur ambigua, & diſputabilis, quamvis revera diſputatione adhuc indigna eſſet, an facultates transferendi, ipſæque translationes reſpectivè cenſendæ veniant odioſæ, & præjudiciales, nec ne, quaſi quod odium, & præjudicium ceſſaret ob frigidum adagium, per eorum ora volitare ſolitum, quòd prius quandoque mori ſolent agni, quàm oves, non reflectendo, quòd leges adaptari ſolent ad ea, quæ frequentiùs accidunt, quodque omnes humani actus, vel determinationes ſuper futuris, & contingibilibus rebus normam recipere debent à
15 veriſimilitudine deducta à frequentiori praxi, & contingentia, ſive à naturali, & ſolito rerum curſu, non autem ab inſolitis, & accidentalibus, raròque contingibilibus caſibus, ut ex. gr. habemus in materia regulationis vitæ hominis *e* ac etiam in materia uſuraria ſuper regulatione pretii conventi inter partes frumenti, aliarumque frugum futuræ recollectionis. *f*

16 Operativæ quoque iſtæ clauſulæ, præſertim illa *decreti irritantis* in legibus, & conſtitutionibus univerſalibus, reputari ſolent in eo effectu, qui ſuperius jam inſinuatus eſt, ut adverſus eas allegari non poſſit conſuetudo, vel præſcriptio deducta à non uſu, vel à contrario uſu, ut adverſus leges allegari regulariter poteſt. *g* Quoniam, ut jam inſinuatum eſt, cum eſſentiale, ac principale præſcriptionis, vel conſuetudinis requiſitum ſit longæva pacifica poſſeſſio, vel quaſi, *ex deductis diſcurſ.* 21. *de iudic.* ubi de materia præſcriptionis, & conſuetudinis, vel obſervantiæ, cum diſtinctione inter interpretativam, & præſcriptivam, ita ceſſare dicitur iſtud requiſitum, dum per hujuſmodi clauſulas infecta remanet omnis poſſeſſio habenda, ac ſi nullatenus adeſſet; ideòque noſtri dicere ſolent, quòd iſtæ clauſulæ non inficiunt, & annullant ipſam conſuetudinem, ſed impediunt ejus nativitatem, ac progreſſum, & perfectionem, ne unquam deducatur ad eſſe ob infectionem poſſeſſionis, ſine qua illa nec incipere, neque perfici poteſt, *ut eod. diſc.* 21. *de iudic.*

17 Et quamvis aliqui obſervent, quòd hæc operatio procedat in legibus Principum ſecularium, quæ ſubjacent reſolutioni, & inefficaciæ ob non uſum, vel contrarium uſum, non autem in legibus, & conſtitutionibus Pontificiis, quæ talem non patiuntur ſubjectionem, ex illa pluries inſinuata differentiæ ratione inter leges Summi Pontificis, & illas aliorum Principum, quòd iſti habere dicuntur poteſtatem à populo, penes quem illa remanet habitualis, & de qua populi habituali poteſtate ſupra Principem agitur in pluries enunciato Italici idiomatis Opuſculo *de Principe practico capit.* 48. ideòque ubi populus per non uſum, vel contrarium uſum legem non ſervat, ſignum eſt quod illam recipere noluit, ſive receptam abolire; ſecus autem in Papa, quoniam iſte non recognoſcit ejus auctoritatem à populo, ſed immediatè à Deo; Nihilominus id procedit in legibus Papalibus concernentibus uſum clavium, & Pontificiam ſpiritualem poteſtatem in tota Eccleſia; non autem in legibus ab eodem conditis tamquam Principe temporali, pro regimine Status Eccleſiaſtici, & illorum populorum, qui etiam in temporalibus ſibi commiſſi ſunt, ut advertitur pluries ſuprà, præſertim in §. I. ideòque in hac temporalium legum ſpecie, de qua eſt præſes Conſtitutio, hujuſmodi clauſularum operatio proficua, & opportuna remanet, unde excluditur vitium ſuperfluitatis.

18 Verum quidem eſt quòd tunc hujuſmodi difficultates, & quæſtiones intrant, quando illud imprudens, per ſuperficiales adhiberi ſolitum, adhibeatur conſilium pluries damnatum. *h* Allegandi ſcilicet præſcriptionem, vel conſuetudinem præſcriptivam; ſecus autem ubi cum eo prudenti, ac meliori procedatur conſilio, iiſdem mox citatis locis inſinuato, allegandi præſumptam revocationem, ſaltem tacitam, & implicitam, deductam ab ejuſdem Legislatoris, eorumque ſucceſſorum conſenſu, reſultante à patientia, quod lex non eſſet in uſu, ſive contrarium uſum haberet, dum tunc ceſſatio legis non provenit à facto negativo, vel poſitivo contrario ſubditorum, ſed à facto ipſius ſuperioris, & Legislatoris, qui ſicuti expreſsè potuit legem revocare, vel moderari, ita potuit tacitè, & implicitè cum tali patientia, conjuncta cum ſcientia, quæ ex temporis diuturnitate præſumitur, ob ſcientiam ejus Officialium, & Miniſtrorum; Adhuc tamen quando id ambiguum eſt, nimium prodeſt hujuſmodi clauſulas adeſſe, cum per eas tollatur omne dubium.

Cum itaque iſtæ clauſulæ non veniant cenſendæ omninò ſuperfluæ, ſed in aliquibus operativæ ſint, etiam in legibus, & conſtitutionibus univerſalibus, quodque propterea de illarum obſtantia diſputari ſoleat, idcircò à noſtro propoſito extranea non remanent ea, quæ ſuperius inſinuata ſunt circa earum obſtantiam. Et licet hæc obſtantia, de ſtricta juris cenſura evitabilis videatur, quando prætenditur non 19
comprehenſio, quoniam non dicitur non obedire, vel impugnare qui non comprehenſionem allegat, ac etiam quod non exindè prohibitum ſit opponere de defectu intentionis, ratione obreptionis, vel ſubreptionis, & ſimilium; Attamen ex commendabili qui- 20
dem, & rationabili Curiæ ſtylo, dum Pontifex eſt præſens, atque facilis eſt ad eum recurſus, idcircò Judices ob reverentiam abſtinere ſolent, remittendo partes ad Sanctiſſimum pro aperitione oris, unde propterea ſuper iſtius conceſſione, vel denegatione diſputari ſolet in Signatura Gratiæ, atque ſu- 21
per hujuſmodi quæſtionibus certa, & generalis regula ſtatui non poteſt, cuicumque caſui applicabilis, dum reſolutio pendet à ſingulorum caſuum qualitate, & circumſtantiis, ex quibus inſpiciendum eſt, an adſit talis læſio, & parum rationabile præjudicium, ut propterea petitæ conceſſioni locus eſſe debeat, juxtà ea, quæ plenè ad materiam poteſtatis Principis tollendi jus tertii, & quando gratiæ, & proviſiones tertio præjudiciales revocari, vel moderari debeant, habentur *diſc.* 148. 177. 185. *&* 193. *de Regal. & alibi.*

Duplicis autem ſpeciei ſunt hujuſmodi conceſſio- 22
nes aperitionis oris, juxtà inſinuata *dict. diſc.* 20. *de iudic. & diſcurſ.* 30. *in relation. Curiæ & alibi*, una ſcilicet, quæ non percutit ſubſtantiam gratiæ, neque illius revocationem, aut moderationem concernit, ſed illa firma remanente, quatenus valida, & legitima ſit, habilitatur ſolùm oppoſitor ad deducendum illius intrinſecos, & naturales defectus, qui jam inſunt, ſubreptionis, vel obreptionis, aut defectus intentionis, removendo ſolùm obſtaculum, quod dictæ clauſulæ præſtant, atque in iſta ſpecie facilis ſolet eſſe conceſſio, utpotè rationabilis, & modici præjudicii, quoties in promptu non conſtet petitionem eſſe injuſtam, & ad excitandam, vel promovendam litem calumnioſam; Quando verò aliquod dubium deſuper oritur, adeòut non de facili in eo modico temporis intervallo qui deſcriptus eſt in *dict. diſcurſ.* 30. *in relation. Curiæ* maturè ſumi valeat reſolutio, an gratia ſit concedenda, vel deneganda, tunc reſcribi ſolet illi Tribunali, cui cauſa aliàs committenda eſſet, cum clauſula *arbitrio*, unde propterea in illo Tribunali, cui reſcriptum eſt, ſuper dubio, an intret arbitrium, de cauſis conceſſionis, vel denegationis maturius diſputatur, juxtà deciſiones inſinuatas *dict. diſc.* 30. *in relation. Cur. diſc.* 20. *de iudic. diſc.* 50. *de penſion. & alibi.*

Altera verò ſpecies eſt major, quia tangit ſubſtantiam gratiæ, illamque enervat, ac de medio tollit, atque tunc non reſcribitur ſimpliciter *de aperitione oris*, cum iſtud reſcriptum intelligendum veniat juxtà primam ſpeciem, ſed adiicitur ſuperius inſinuata clauſula *de reductione ac, ſi non emanaſſet*, quod tamen rarius, ac difficiliùs concedi ſolet, atque nonniſi in caſu pluſquam claræ læſionis, & exorbitantiæ; ideòque, ut præmiſſum eſt, materia non eſt capax regulæ certæ, & generalis, quibuſcumque caſibus applicabilis, ſed tota pen-

det

det à ſingulorum caſuum qualitate, & circumſtantiis, ideòque arbitraria dici meretur.

a *Ex deductis diſc.20. de iudic. n.10. diſc.50. de penſion. n.4. & alibi pluries.*
b *d. diſc.20. de iudic. d. diſc.50. de penſion. & diſc.30. in relat. Curiæ, ubi concordantes.*
c *Ex deductis diſcurſ. 21. de iudic. & alibi pluries.*
d *Ex inſinuatis in ſuperiùs allegatis diſcurſ.20. de iudic. num.10. & ſeqq. diſcurſ.30. in relatione Curiæ agendo de Tribunali Signaturæ gratiæ diſc.50. de penſion. & alibi, ubi concordantes.*
e *Ex deductis diſcurſ.30. de regal. & diſcurſ.54. de donation.*
f *Ex traditis in ſua ſede ſub tit. de uſur. & diſcurſ.14. de empt. cum ſimilibus.*
g *Ex notatis diſcurſ.22. de camb. & diſcurſ.35. de iudic. num.58.*
h *d. diſc.21. de iudic. & diſc.2. de alienat. & contract. prohibit. & alibi.*

TEXTUS CONSTITUTIONIS.

Ut autem præſentes ad notitiam omnium deducantur; Volumus, & eadem authoritate Apoſtolica ſtatuimus, & ordinamus, quòd illarum Tranſumptis, etiam per remiſſionem factis, manu alicujus Judicis, ſeu Prælati, aut alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Notarii publici munitis, quemadmodum adhiberetur originali, ſi præſentaretur, ubique adhibeatur tam in judicio, quàm extra illud, plena, & indubitata fides. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ M. DC. LXXX. Sexto decimo Kalend. Decembris Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

Placet Motu proprio B.

ARGUMENTUM.

Quod notitia legis neceſſaria ſit ad hoc ut obliget, & de regulatione anni, & quare ejus, ac menſis, & diei expreſſio requiratur, & de forma ſubſcriptionum Pontificiarum.

SVMMARIVM.

1 *Quod notitia legis neceſſaria ſit ad hoc ut obliget.*
2 *De ſtylo Auctoris non agendi de foro interno.*
3 *Quomodo procedat propoſitio, ignorantia iuris non excuſat, ut ſcilicet intelligatur in iure communi.*
4 *Quid de iure particulari, ſeu locali, diſtinguuntur plures caſus.*
5 *Statuta redacta in volumen publicum, & authenticum non ſunt iuſtificanda, ſed ſufficit allegare.*
6 *Atque præſumuntur eſſe in uſu, donec doceatur de non uſu.*
7 *Non defertur Doctoribus atteſtantibus de aliqua lege, de qua aliundè non conſtet.*
8 *Moriens per manus iuſtitiæ ex delicto dicitur voluntariè mori.*
9 *Quod iſta materia excuſationis à pœna ob ignorantiam legis particularis arbitraria ſit, & non habeat regulas certa.*
10 *Quare nullæ, vel nimium raræ ſint quæſtiones ſuper tranſumptis Conſtitutionum univerſalium, bene tamen Bullarum particularium, & de nova forma.*
11 *Quomodo ſequatur Conſtitutionum publicatio.*
12 *An ille, qui ſcit, quod de proximo lex, vel proviſio edenda ſit, poſſit contra illius diſpoſitionem contrahere, aliaſque contrafere.*
13 *Quare opportuna ſit Data anni, diei, & menſis.*
14 *Gratia anterior aliis prævalet.*
15 *De origine, & etymologia Datarii.*
16 *Supplicationes ſignatæ manu Papæ ante regiſtrationem non tribuunt ius, & poſſunt lacerari per Datarium.*
17 *De ſtylo Datariæ, & Cancellariæ computandi annos ab Incarnatione.*
18 *De aliis computationibus à Nativitate, vel Circumciſione.*
19 *De differentia inter unam, & alteram ſpeciem computationis.*
20 *Quare computando ab Incarnatione adſit potius præpoſteratio.*
21 *De variis computationibus, & initiis annorum remiſſivè.*
22 *De anno legali pro diviſione, & regulatione fructuum.*
23 *De reductione Kalendarii facta per Gregorium Decimumtertium quomodo attendatur pro terminis ſolutionis.*
24 *De ſubſcriptione Pontificis an ſit neceſſaria, & de variis eius ſpeciebus, vel formulis.*

§. XXII.

JUſtum, ac rationabile eſt providere, ut leges, quæ fiunt, ad omnium deducantur notitiam, ſine qua illarum contraventio pœnas, ac præjudicia inferre non debere, omnis juſtitiæ, & æquitatis naturalis ratio exigit, unde propterea dicit Apoſtolus *Si non cognoſcerem legem, non haberem peccatum*; atque Morales, de interno foro agentes, ignorantes excuſant, quoties tamen non ſit ignorantia affectata, & culpoſa, quam alii craſſam, & ſupinam appellant; ſuper quo tamen aliquid non affirmatur, in hærendo ſtylo in omnibus utriuſque Latini, & Italici idiomatis operibus inconcuſsè tento, non ſe ingerendi in iis, quæ ad præfatum internum pertinent forum congruit enim, ut tractent fabrilia fabri, atque Profeſſores propriam, non autem alienam agant profeſſionem; ideòque nunquam placuit, quòd Theologi in iis, quæ ad externum ſpectant forum ſe ingerant, atque in omnibus extra eorum profeſſionem manus apponant, quod non modica producit inconvenientia; magis verò diſplicuit, ac diſplicet, quòd Juriſtæ judicialis, & externi profeſſores, præfatorum Theologorum deferant auctoritatibus, quando majorum noſtrorum profeſſorum habemus auctoritatem. 1 2

Et quamvis in enunciato externo judiciali foro propoſitionem receptam habeamus, de qua *diſcurſ. 35. de iudic. numer.58. & ſeq. & alibi ſæpius*, quòd ignorantia juris non admittitur, neque excuſat; Nihilominus id procedit in jure communi, quod in volumina jam à ſæculis redactum, atque ab Interpretibus explicatum (niſi dicamus potius confuſim, & involutum) omnibus patet, atque ab omnibus ſciri debet, adeòut ignorantia, craſſa, & ſupina dicenda ſit, quæ non excuſat, quamvis de ruſticis, & mulieribus, aliiſque idiotis agatur, qui juxtà naturalem 3

talem veritatem illius ignari ſint, quoniam eis imputandum eſt, cur peritos, & ſapientes non conſuluerint, atque aliàs eſſet mundum involuere, neque Reipublicæ regimen eſſet practicabile in criminum punitione, & in contractum, ac ultimarum voluntatum obſervantia, & regulatione.

4 Quæſtio itaque in hoc propoſito ignorantiæ juris cadit in illo jure, quod commune non eſt, ſed locale, ac particulare, an excuſet, vel reſpectivè ſuffragetur ignorantia, illaque vera, magiſque recepta diſtinctio eſt, quòd aut agitur de civibus, & incolis loci, & non excuſet eo ipſo, quod juxtà ejuſdem loci legem, vel ſtylum publicata fuit, magis verò ubi redacta ſit in volumen, quod omnibus pateat, ſuoſque habeat Gloſſatores, & Interpretes, atque non ſit omninò recens, ſed diuturnam habeat obſervantiam, cum tunc intrent adamuſſim eædem rationes, quæ juri communi congruunt;
5 exindèque reſultat recepta propoſitio, quòd quando ſtatuta, aliæque leges locales, & particulares redactæ ſunt in volumen impreſſum, quod omnibus pateat tunc opus non eſt de illis docere in actis in forma authentica, ſed ſufficit allegare; minuſque opus eſt docere, quod lex
6 ſit in uſu, quoniam iſte præſumitur, dum regiſtrata eſt in volumine authentico, & probato aliarum legum, adeòut alleganti non uſum incumbat onus probationis, ut advertitur *eodem diſcurſ.35. de iudic. numer.60. & alibi*. Tunc autem intrat ſuper legis, aut ſtatuti veritate, & uſu quæſtio, acriter diſputata in Perufina Reintegrationis, *quæ eſt deciſ.243.* coram Royas, & in aliis, quando ipſum volumen non eſt authenticum, & receptum, ideòque de ejus veritate, & fide probanti dubitari poteſt, ut in eo caſu contingebat, cum ſimilibus.

7 Atque ubi lex, quæ allegatur, non eſt in publico, authentico, & recepto volumine, opus de illa docere in forma probanti, & non ſufficit auctoritas unius, vel plurium Doctorum, qui de illa teſtentur, quoniam in iis, quæ facti ſunt, Doctorum teſtimonio non defertur. *a*

Ubi verò agitur de exteris, in quibus veriſimilis eſt ignorantia legis particularis loci, in quo ipſe non vixerit, ſed accidentaliter ad modicum tempus ibi reperiatur, ac moretur; & tunc aut agitur ad effectum lucri, & commodi, de quo contendat ille, qui ignorantiam allegat, & iſta non ſuffragatur; aut verò ad effectum evitandi damnum, magis autem pœnam, ex contraventione reſultantem, & tunc diſtinctio eſt, quod aut id, quod prohibetur eſt naturaliter, & intrinſecè malum, adeòut ſit prohibitum, quia malum ubique, ut ſunt ex. gr. homicidium, furtum, rapina, craſſatio, ſacrilegium, ſodomia, adulterium, ſtuprum, inceſtus, & ſimilia crimina, quæ univerſaliter, & ubique ſunt mala, & prohibita, & tunc ignorantia, quamvis probabilis, non excuſet; Adhuc tamen intrat aliquod rationabile, benèque regulatum Judicis arbitrium pro aliqua temperatione, ſeu minoratione illius gravioris pœnæ, quæ per legem localem impoſita eſt, quàm ſit illa juris communis, vel illa patriæ exteri delinquentis; quoniam cum etiam in delictis conſideretur quidam implicitus contractus, qui iniri dicitur inter Rempublicam, vel juſtitiam ex una, & delinquentem ex alte-
8 ra, qui propterea quando criminis pœnam luit, ex voluntate propria id agere videtur, & per conſequens ille, qui patitur pœnam capitis, dicitur voluntariè mori, ex deductis *diſcurſ.69 numer.9. de penſion.* idcircò habenda videtur aliqua ratio opinionis, vel credulitatis delinquentis, quem ad pœnam à jure communi ſtatutam, vel in ejus patria inductam, & practicatam cogitaſſe præſumendum venit, non ut præcisè ad hanc pœnam tantum tale arbitrium reſtrictum ſit, ſed ut iſta conſideratio inducere debeat aliquam moderationem gravioris, ac ſeverioris pœnæ, veriſimiliter non cogitatæ per exterum ignarum legis localis, quæ illam induxit.

Si autem agitur de illis actibus, qui non ſint naturaliter, & intrinſecè mali, & criminoſi, talés verò ſint quia prohibiti per legem particularem, ſeu localem, ideòque non ſint mali quia mali, ſed quia prohibiti, ut frequenter contingit in delatione, & retentione aliquorum armorum, aliorumque inſtrumentorum, ſeu veſtium, aut in aliquibus ludis, cum ſimilibus; Et tunc reflectendum eſt in primis ad legum combinationem, an verificetur, an ſcilicet in patria delinquentis eadem adſit prohibitio ſub eadem, vel graviori pœna, & tunc de rigore ignorantia non debet excuſare; aut verò in patria nulla adſit prohibitio, vel ſi adſit, contineat pœnam minorem, ſive etiam æqualem, adhuc tamen illa non ſit in uſu, & tunc difficile quidem eſt, ut id in praxi ſufficiat ad omnimodam excuſationem, benè tamen ſufficere debet ad notabilem moderationem, majorem, vel minorem, ut ſingulorum caſuum exigunt circumſtantiæ, reddentes illum contraventorem majori, vel minori æquitate dignum; Ideòque materia non eſt 9
capax regulæ certæ, & generalis, cum tota pendere videatur à prudenti, benèque regulato Judicis arbitrio, & per conſequens prorſus erroneum eſt cum regulis, & propoſitionibus generalibus in omni caſu pariformiter procedere; idque generaliter in omnibus aliis materiis verificari videtur.

Rari autem, penèque nulli ſunt caſus, in quibus, 10
ubi agitur de Conſtitutione edita per viam legis univerſalis, diſputari contingat ſuper fide probanti alicujus ejus tranſumpti, de quo in præſenti §. agitur, adeòut inſpiciendum ſit, an, & quando adimpleta dicatur forma ibidem præſcripta, quoniam hujuſmodi Conſtitutiones poſt aliquod tempus redigi ſolent in volumen, ut docent ſex volumina Bullarii, jam edita, & priuſquam id ſequatur, illicò ſolent imprimi, & publicari per Impreſſorem Cameralem, ut in iſta Conſtitutione ſequutum eſt; idque ſufficit ob Conſtitutionem, ſeu motum proprium Sixti Quinti diſponentem, ut legibus, decretis, edictis, vel bannimentis, aliiſque ſcripturis ab iſto Impreſſore, tamquam publico officiali, ad id deputato, impreſſis, & publicatis fides adhiberi debeat; taliſque eſt recepta praxis, fundata tamen in ea probatione, quæ reſultat à præſumptione juris in dubio attendenda, donec de contrario doceatur, eodem modo, quo de fide, vel atteſtatione publici notarii, vel alterius officialis habetur. In tranſumptis autem Bullarum Apoſtolicarum ſuper gratiis, & proviſionibus particularibus, ob aliqua inconvenientia, quæ ſequuta fuerunt ſub Innocentio Decimo per ejus Conſtitutionem 50. ſtatuta fuit quædam nova forma, qua non ſervata, eis fides non præſtatur, quinimò utentes illis tranſumptis, quæ talem formam non habeant, pluribus ſubjacent pœnis, illi præſertim privationis beneficii, de quo agitur. *b*

In propoſito autem hujuſmodi legum, ſeu bannimen- 11
torum, & edictorum, aliarumve proviſionum publicationis, ut omnibus pateat, ejuſque ignorantia non excuſet, ea dupliciter ſequi ſolet; Primò, nempè cum affixione per publicum Curſorem, juxtà ſtylum, in acie Campi Floræ, ut in iſta Conſtitutione ſequutum eſſe liquet, & Secundò per impreſſionem, & publicationem per Impreſſorem Cameralem; diſputari ſolet per Juriſtas, magis autem per Morales pro foro interno, (cum in externo, de quo ad Juriſtas agere pertinet, nimium rari, penèque nulli ſint caſus, in quibus talem diſputationem haberi contingat,) an ſcilicet illi, qui hujuſmodi legum, vel bannimentorum publicandorum notitiam jam habeant, vel quia ſint miniſtri, & officiales Legislatoris, vel quia ſint aulici, & familiares, 12
aut aliàs arcanorum indagatores, licitè poſſint gerere illos actus, quos ſciunt jam prohibendos, cum damno, & præjudicio eorum, qui talis legis, vel proviſionis ignari, bona fide illos actus, juxtà currentem rerum ſtatum geſſerunt, ut ex: gr: contingere ſolet in legibus, vel edictis jam determinatis, & publicandis ſuper reprobatione, aut reformatione alicujus monetæ, an ſcienter expendi poſſit juxtà currentem valorem, ſive in edictis publicandis ſuper pretio frumenti, aliorumque victualium, ut benè cum ſimilibus, Atque noſtra ætate in Urbe vidimus practicatum in venditione locorum montium pro illo majori pretio extrinſeco, de quo frequenter agitur in ſua ſede *in tract. de locis montium*, ac etiam in Theatro *ſub tit. de Regal.* cum jam ſciretur im-

minere

minere illorum extractionem, vel reductionem, ob quam dictum majus extrinſecum pretium ceſſabat. In hoc autem cum nimium ſe involuere videantur ſcriptores, adeòut pro eruenda veritate penè integer tractatus neceſſarius videatur; idcircò iſta non aſſumitur provincia, dum, ut pluries dictum eſt, magna habetur penuria temporis, & librorum in aula, in qua vivitur; potiſſimè quia in foro externo, & judiciali, nimium rari, peneque nulli ſunt caſus, in quibus iſta ſcientia juſtificari valeat; de interno autem meum non eſt agere, videri itaque poterunt de iſta quæſtione agentes. *c*

13 Demum quoad datam diei, menſis, & anni, quæ in Conſtitutione legitur, illa commendabilis quidem eſt, non autem neceſſaria ad validitatem, & perfectionem legis, dum tot Apoſtolicæ Conſtitutiones, quæ habentur in utroque novo, & antiquo Bullario, nec diem, nec menſem, neque annum currentem continent, ſed ſolùm annum Pontificatus; ut etiam legitur in legibus, & Conſtitutionibus Imperialibus regiſtratis in Codice, quæ ſub Conſulibus emanarunt; expreſſio namque, ſive data ſpeciali etiam diei, prodeſt, imò neceſſaria eſt in gratiis, & proviſionibus particularibus ad duplicem effectum; Primò nempè, ut in concurſu plurium gratiarum,
14 quæ de eodem beneficio, vel alia re factæ ſint pluribus, ac diverſis perſonis, ita dignoſcatur quænam ſit prima, ſive anterior, quæ attendi debet, ac aliis
15 prævalet; atque ad hunc effectum introductum fuit officium Datarii, qui ab hac data denominationem deſumptis, ut advertitur *in relation. Curiæ diſcurſ. 9. numer. 1. & 17.* & ſecundò quoniam licet ſola ſupplica-
16 catio ſignata manu Papæ importat gratiam perfectam, nihilominus donec illa regiſtretur, nullum jus tribuit, vel firmat, ſed ad libitum Datarii lacerari poteſt, ut advertitur *diſcurſ. 42. numer. 3. de benef. & diſc. 51. num. 10. in relation. Cur.* dictaque regiſtratio non poteſt, nec ſolet ſequi, niſi præcedat data, quæ apponitur ab eodem Datario.

Computatio autem annorum noſtræ Redemptionis per Datariam, & Cancellariam Apoſtolicam fieri ſolet
17 de ſtylo ab Incarnatione, ideſt à die 25. Martii, quod in Curia eſt ſingulare, licet in aliquibus Etruriæ partibus, idem ſervetur, quoniam ut plurimum Notarii tam in actibus judicialibus, quàm in publicis inſtrumentis facere ſolent computationem à Nativitate, ideſt à die
18 25. Decembris; pro communi verò uſu in epiſtolis familiaribus, ac etiam in apocis, & ſcripturis privatis, juxtà ſtylum, qui videtur generalis, computatio fit à Circumciſione, ideſt à die 1. Januarii, quod in Regno Neapolitano ſervatur, etiam in actibus judicialibus, & in publicis inſtrumentis, ex lege, ſeu Pragmatica particulari; Cùm enim in Provinciis, & Regionibus, quæ illud modernum Regnum conſtituunt, utpotè antea quàmplures, poſt ſciſſum Romanum Imperium, efformantibus Principatus, nimium diſcordes eſſent ſtyli, quoniam alicubi anni computatio fieri ſolebat ab Incarnatione, vel reſpectivè à Nativitate, vel Circumciſio-
19 ne, alicubi verò à Kalendis Martii, vel Septembris, cum ſimilibus diverſitatibus, quæ in uno, eodemque Principatu magnam confuſionem, & inconvenientia producebat, idcircò prudenter cum dicta lege ita ſtatutum fuit

Primò, verò aſpectu cuilibet videri deberet, quod computatio ab Incarnatione, utpotè redolens anticipationem novem menſium, importet majorem lapſum temporis, & ſic quod quando, ex magis communi uſu, faciendo computationem à Nativitate, vel Circumciſione currit ex: gr: annus 1680. qualis eſt ille noſtræ Conſtitutionis, novem menſes anteà dici debeat annus 1681. & tamen res eſt in oppoſitum, quoniam potius id importat retardationem, ac ordinem retrogradum,
20 adeòut à Kalendis Januarii uſque ad 25. Martii, ex quo tempore juxtà communem uſum dicitur annus 1680. ubi fit computatio ab Incarnatione, adhuc dicitur annus 1679. quod inſpicere refert ad plures effectus in praxi, & præſertim pro regulatione penſionum eccleſiaſticarum, aliarumque annuarum præſtationum, ut advertitur *diſcurſ. 26. ex numer. 5. de penſion.* ubi ex Covarruv. & aliis ibi relatis aſſignatur hujus præpoſitionis ratio, quòd ſcilicet attenta computatione ab Incarnatione, incipit & computari debet primus annus poſt illum jam completum; E converſò autem attenta computatione à Nativitate, vel à Circumciſione incipit numerari annus ab ipſo initio, ſive die Nativitatis, vel Circumciſionis, & ſic adeſt dicta anticipatio, quæ aliàs impropria, & exorbitans viderur. Et hæc quoad annum naturalem, ſive ſolarem, qui juxta curſum, & ordinem naturæ, ut comprobant murationes, & reverſiones temporum, ac operationes frequentiores terræ, ubique eſt idem, & conſtat ex 365. diebus, ac noctibus reſpectivè, quamvis circa initium, & diviſionem in 21
menſes, vel hebdomadas, aliaque ſpatia diverſi ſint nationum mores, elaboratè, ac diligenter, ſumma eruditione collecti, & relati per Modernus Ricciolium in Chronologia reformata *lib. 1. de menſibus, & annis.*

Habetur quoque apud forenſes annus legalis pro 22
regulatione, & diviſione fructuum merè naturalium, ſive mixtorum, ideſt habentium mixturam naturæ, & artis, vel induſtriæ humanæ, iſteque regulariter, atque pro frequentiori contingentia eſt idem ac ſuperius inſinuatus naturalis, vel ſolaris, quoniam frequentius triticum, aliæque fruges, ac vinum, oleum, fructus, & herbæ habent regulationem à curſu ſolis completo, ideòque ſola differentia conſiſtit in computatione, vel initio; atque receptum eſt id pendere à diverſa qualitate fructuum, ut poſtquam collecti ſunt, & à ſolo ſeparati jam maturi, terminari dicatur illorum annus, atque illicò incipere novus, quoniam illicò natura incipit concipere, & præparare novos fructus alterius recollectæ; ideòque ſumendo regulam à frequentiori contingentia in frumento, aliiſque frugibus, annus novus incipit calculari à Kalendis Septembris, in vino à Kalendis Octobris, in oleo à Kalendis Novembris, & ſic ſimiliter ex relatis *diſc. 27. & ſeqq. de penſion. & alibi.* Ubi verò agitur de illis fructibus, qui irregularem, & inſolitam, non autem dictam conſuetam ſolarem habeant regulationem, quia nempè percipiantur ſingulo quoque biennio, vel triennio, ſeu decennio &c. aut è converſò bis, vel ter in anno, tunc quælibet perceptio, ſeu recollecta habetur pro uno anno. *d*

In fructibus autem merè induſtrialibus, qui civiles 23
dicuntur, & conſiſtunt in annuis cenſibus, vel penſionibus, aliiſque præſtationibus, regulariter attenditur annus naturalis, vel ſolaris regulandus ex tempore conventionis, atque in decurſo ſæculo quæſtionem produxit reductio Kalendarii facta per Gregorium Decimumtertium, quod reciſi fuerunt decem dies, adeòut cum dici debuiſſet prima menſis, dictum fuit die 10. ideòque orta fuit quæſtio, quomodo termini ſolutionum eſſent regulandi, atque reſolutum fuit (& benè) attendi debere priorem curſum, præfata reſecatione neglecta, *ut deciſ. 182. part. 4. diverſ. & alibi.*

Tandem quoad ſubſcriptionem Pontificis, iſta non 24
videtur præcisè neceſſaria in legibus, & proviſionibus Pontificiis, dum iſtæ ſolent quandoque emanare per viam oraculi explicati per Datarium, vel alium Officialem, ut liquet ex Bullario, in quo multæ leguntur proviſiones juxta hanc formam conceptæ, quæ Apoſtolicæ Conſtitutiones quoque dicuntur, atque tanquam tales receptæ ſunt, pro frequentiori verò praxi adhibetur ſubſcriptio, quæ duplicem formam, ſeu modum habere ſolet; unam magis ſolemnem, quia Cardinalium in Curia præſentium ſubſcriptio quoque accedat, & tunc Papa ſe ſubſcribit tanquam Epiſcopus Eccleſiæ univerſalis ſub eo nomine, quod tanquam Papa immediatè poſt electionem aſſumpſit, ex: gr: Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus, ac ulterius adiicit ſignum Crucis cum aliquo verſiculo ſeu lemmate ex Sacra ſcriptura deſumpto, ut ex eodem Bullario liquet. Alteram verò minus ſolemnem, qualis eſt iſta in motibus propriis adhiberi ſolita, in qua cum verbo

placet adiicitur pro ſubſcriptione prima littera proprii antiqui nominis ; ideòque cum noſter Pontifex ante Pontificatum appellaretur Benedictus , apponitur ſolùm littera B. Idemque practicatur in ſupplicationibus Datariæ, ac etiam in commiſſionibus judicialibus , cum ea differentia , quod commiſſiones judiciales præſentandæ in Curia ſignantur per verbum *placet* ; illæ verò, ſuper quibus expediendæ ſunt litteræ extra Curiam ſignantur per verbum *fiat*, quod generaliter adhibetur in negotiis Datariæ , & Cancellariæ ex eadem ratione , quoniam deſuper expediendæ ſunt litteræ ; hæc autem diverſitas certam non habet rationem, quæ non de facili in ſtylis, & conſuetudinibus aſſignari poteſt clara, & concludens ; In Chirographis autem , quæ in materno Italico idiomate concepi cum nimia frequentia ſolent , in concernentibus potius negotia principatus temporalis, fit ſubſcriptio ſub nomine Papali, videlicet Innocentius Papa XI. quod pariter congruam , & concludentem non habet rationem , ſed totum pendet ex ſtylo , qui nimium attendi debet, utpotè regulator voluntatis, & comprobator veritatis actus, ut advertitur *diſc.3. num.20. de indic.* & alibi pluries ,

a *Vt eod. diſc.35. de iudic. diſc.38. de regular. num.9. & diſc.12. de Canon. & Dignit. & alibi.*

b *De iſta pœna tractatur per Rot. deciſ.69. & deciſ.123. part.12. recent. & diſc.76. de benefic.*

c *Giurb. obſervat.1. Larrea deciſ. Granaten. diſp.16. & 17. & in Theatro diſc.12. num.10. de empt. ubi alii referuntur .*

d *Ex relatis diſc.1. de alienat. & contract. prohib. diſc. 157. n.6. de regal. & alibi pluries .*

FINIS.



PAR-

PARTICULÆ

STATUTORUM, ET LEGUM

Excludentium ab inteſtatis Succeſsionibus Fœminas propter Maſculos, in Civitatibus, Oppidis, & Locis Status Eccleſiaſtici;

Necnon Particulæ Statutorum, & Legum aliquarum notabilium Civitatum, & Ditionum Italiæ, extra dictum Statum,

Ex commiſſione

EMINENTISSIMI AUCTORIS

Collectæ, & ordine Alphabetico diſpoſitæ

PER ÆMILIANUM TRAVAGLINUM

J. C. SPOLETANUM,

Tum ad publicam utilitatem, & Studioſorum commoditatem, tum etiam ut ita dignoſcantur mores Regionis, ac etiam mens, & intentio Populorum; non excluſis aliis Statutis, ac Legibus, quorum notitia, vel reſpectivè particulæ haberi non potuerunt.

PARTICULAE

STATUTORUM, ET LECUM

INDEX PARTICULARUM

Intra Statum Eccleſiaſticum.

A

Æ Sinæ Civitatis fol. 75.
Agliani ibid.
Amandulæ ibid.
Amerinæ Civitatis fol. 76.
Anconitanæ Civitatis fol. 77.
Anguillariæ fol. 78.
Appiri ibid.
Appignani fol. 79.
Apugni fol. 80.
Aquipendianæ Civitatis ibid.
Arcis maximorum ibid.
Argentæ ibid.
Ariminenſis Civitatis fol. 81.
Arquatæ ibid.
Arronis ibid.
Aſculanæ Civitatis ibid.
Aſſiſienſis Civitatis ibid.
Auximanæ Civitatis ibid.

B

B Agnacaballi fol. 82.
Balneariæ ibid.
Baſſanelli ibid.
Baſtiæ ibid.
Belfortis fol. 83.
Beneventanæ Civitatis ibid.
Bictonii ibid.
Bolſeni, aliàs Vulſinii fol. 143.
Bonaquiſti fol. 84.
Bononienſis Civitatis ibid.
Bracchiani fol. 85.
Briſighellæ ibid.
Britinorienſis Civitatis fol. 86.

C

C Aldarolæ ibid.
Callienſis Civitatis fol. 87.
Camerinenſis Civitatis fol. 88.
Cammori fol. 90.
Campagnani ibid.
Campelli ibid.
Cannariæ ibid.
Capranicæ ibid.
Carboniani fol. 91.
Carpineti ibid.
Caſtilionis Lacus ibid.
Caſtilionis Tyberinæ fol. 92.
Caſtri, & Roncilionis ibid.
Caſtri Fidardi ibid.
Caſtri Lacus fol. 93.
Caſtri Ritaldi ibid.
Caſtri Rivi fol. 94.
Celleni ibid.
Centi ibid.
Cerreti fol. 95.
Cerveteris fol. 96.
Cervienſis Civitatis ibid.
Cæſenatenſis Civitatis ibid.
Cinguli fol. 97.
Citernæ ibid.
Civitatis Caſtelli, ſive Tiphernatenſis Civitatis fol. 98.
Civitatis novæ ibid.
Civitatis plebis fol. 99.
Civitatis vetulæ fol. 100.
Collis Marcheſii ibid.
Colleſtattis ibid.
Coranæ Civitatis ibid.
Corinaldi fol. 101.
Cornetanæ Civitatis ibid.
Cotignolæ ibid.

E

E Ugubinæ Civitatis ibid.

F

F Abriani fol. 102.
Fanenſis Civitatis ibid.
Faventinæ Civitatis fol. 103.
Ferrarienſis Civitatis ibid.
Firmanæ Civitatis fol. 104.
Formelli ibid.
Forolivienſis Civitatis ibid.
Foripompilii fol. 105.
Foroſempronienſis Civitatis ibid.
Foſſignani ibid.
Fulginatenſis Civitatis fol. 106.

G

G Ragioli ibid.
Gryptarum ibid.
Gualdi ibid.

H

H Yſpelli ibid.
Hortanæ Civitatis fol. 107.

I

I Molenſis Civitatis fol. 108.
Interamnenſis Civitatis ibid.

L

L Ateræ, & Farnèſii ibid.
Licentiæ fol. 109.
Lugnani in diſtrictu Urbis ibid.
Lugnani in Patrimonio ibid.
Lugi fol. 110.

M

Maceratenſis Civitatis ibid.
Maſſæ fol. 111.
Maſſæ Longobardorum fol. 112.
Meldulæ ibid.
Mercati Saraceni fol. 113.
Meſſenani ibid.
Mevaniæ ibid.
Mondaini ibid.
Montecchii ibid.
Monticellorum fol. 114.
Montis Bodii ibid.
Montis Caſſiani ibid.
Montis Caſtelli fol. 115.
Montis Falchi ibid.
Montis Faliſci Civitatis fol. 116.
Montis Fani ibid.
Montis Filatrani ibid.
Montis Floris fol. 117.
Montis Georgii ibid.
Montis Granarii ibid.
Montis Leonis fol. 118.
Montis Milonis ibid.
Montis Novi fol. 119.
Montis Sancti ibid.
Montis S. Martini ibid.
Montis S. Petri fol. 120.
Montis Scudoli ibid.
Montis Ulmi ibid.
Morcicchiæ, & Moriani fol. 121.
Moriconis ibid.
Morlupi ibid.
Mugnani ibid.
Murri Vallium ibid.

N

Narnienſis Civitatis fol. 122.
Nucerinæ Civitatis fol. 123.
Nurſiæ ibid.

O

Orzani ibid.

P

Palumbariæ ibid.
Peruſinæ Civitatis ibid.
Pinnæ fol. 125.
Piſaurienſis Civitatis fol. 126.
Piſſignani ibid.
Plebis Centi ibid.
Podii nativi, ſeu Donadei fol. 128.
Pontis Caſtri ibid.
Poſtignani ibid.

R

Ravennaten. Civitatis ibid.
Reatinæ Civitatis fol. 129.
Recineten. Civitatis ibid.
Roccæ Contradæ ibid.
Rocchettæ fol. 130.
ROMÆ Urbis fol. 142.
Roncilionis, & Caſtri fol. 92.
Roncofreddi fol. 130.

S

S. Agathæ ibid.
S. Anatoliæ ibid.
S. Archangeli fol. 131.
S. Lupidii, ſeu Elpidii ibid.
S. Gineſii fol. 132.
S. Juſti fol. 133.
S. Oreſti ibid.
S. Severini Civitatis fol. 134.
Sarnani ibid.
Sarſinatenſis Civitatis ibid.
Saxoferrati ibid.
Scrofani fol. 135.
Sefrii ibid.
Senogallienſis Civitatis ibid.
Serræ Comitum ibid.
Serræ S. Quirici fol. 136.
Sillani ibid.
Soriani ibid.
Spinæ ibid.
Spoletanæ Civitatis ibid.
Stronconii ibid.
Sutrinæ Civitatis ibid.

T

Tiphernatenſis Civ. aliàs Civitatis Caſtelli fol. 98
Tolentinatis Civitatis fol. 137.
Trebii ibid.
Trivignani ibid.
Tudertinæ Civitatis fol. 138.
Tulphæ fol. 139.
Tiburtinæ Civitatis ibid.

V

Vallis Petræ ibid.
Vallis Tupinæ ibid.
Veliternæ Civitatis ibid.
Vetrallæ fol. 140.
Viani ibid.
Vignanelli ibid.
Villæ Paganicæ ibid.
Viſſii ibid.
Viterbienſis Civitatis fol. 141.
Urbinatenſis Civitatis ibid.
Urbis ROMÆ fol. 142.
Urbiſaliæ ibid.
Urbis veteris, aliàs Urbevetanæ Civitatis fol. 143.
Vulſinii, aliàs Bolſeni ibid.

INDEX PARTICULARUM

Extra Statum Eccleſiaſticum.

Aretinæ Civitatis fol. 144.
Barenſis Conſuetudo ibid.
Florentinæ Civitatis fol. 145.
Januenſis Civitatis fol. 147.
Lucenſis Civitatis fol. 148.
Mantuanæ Civitatis fol. 149.
Mediolanenſis Civitatis fol. 150.
Neapolitanæ Conſuetudines fol. 151.
Papien. Civitatis fol. 152.
Piſanæ Civitatis ibid.
Senenſis Civitatis ibid.
Conſtitutiones Utriuſque Regni Siciliæ fol. 153.

PARTICULÆ STATUTORUM.

ÆSINÆ

Civitatis.

PARTICULA I.

De filiis, & filiabus simul remanentibus, Patre ab intestato defuncto Rubr. 119. lib. 2.

PAtre ab intestato defuncto, de bonis suis nullatenus disponente, & filiis cum filiabus simul relictis, fratres teneantur sorores dotare dote idonea, inspecta qualitate, & conditione personarum, & quantitate patrimonii, dote constituta cum consensu duorum proximiorum consanguineorum dictæ sororis, seu pupillæ in 12. anno, cum tunc dicatur esse viri potens, juris præsumptione, hoc tamen, an sit ætatis nubilis, arbitrio Judicis relinquendo; Si autem pater aliquid reliquisset pro dote certa, vel aliquid simpliciter, & jusserit eas esse contentas, ipso relicto sint contentæ, nec ulterius ad bona paterna, vel materna tam ipse, quàm successores earum in utroque casu præmisso possint habere regressum; sed ipsi filii masculi in bonis patris, & matris universales hæredes existant. Et si contigerit aliquem ex dictis fratribus esse absentem, dotes per alios fratres constitutas teneantur omninò ratificare, & stare constitutionibus dotium factarum per fratres; Et si aliqua ipsarum filiarum, tempore mortis patris, esset ætatis annorum 12. infra biennium fratres studeant maritare, alias ipsa se maritare possit, fratribus etiam ignorantibus, & invitis, quibus necessitas immineat ipsas dotare, ut superius est expressum.

Eiusdem statuti de successione ab Intestato, Rubr. 110. lib. 2.

SI quis ab intestato decesserit, filiis, vel filiabus, neptibus, seu nepotibus ex filio non relictis, patre, vel matre non subsistentibus, & fratres carnales subsint soli, vel filii alterius fratris, in stirpem succedant; si autem remanserit soror tantum, illa succedat, si filii, vel filiæ sororis; tantum masculi succedant; dein in antea proximior gradu succedat, quod locum habere volumus in præteritis, & futuris.

Eiusdem statuti; quod filiæ dotatæ stent contentæ, & non possint ad bona paterna habere regressum Rubr. 111. lib. 2.

FIlia, seu filiæ à patre, matre, sive fratre carnale, avo, vel avia dote sibi data sint contentæ; nec possint patre, vel matre, avo, vel avia defuncto, fratre, vel fratribus, seu eorum liberis viventibus ad bona paterna, vel materna, avi, vel aviæ ipsæ filiæ, vel successores earum habere regressum, vel aliquid petere occasione hereditatis alicujus dictarum personarum, vel alia quacumque causa, sive renunciaverint, sive non. Si autem quis relictis pluribus filiabus, vel nepotibus, tamen quælibet in virili, seu æqualitate succedat; sed si ex ipsis aliquæ fuerunt nuptæ, tantum minus accipiant, quantum fuerit quantitas suæ dotis. Cæterum si pater, vel mater, avus, vel avia ipsis filiabus, vel nepotibus nuptis aliquid reliquerit ultra dotem, ultra petere non possit occasione legitimæ, vel alia quacumque causa, viventibus fratribus masculis paternis, uel eorum liberis. Quibus fratribus deficientibus post aditam hereditatem sine filiis masculis, cum filiabus tamen fœminis, ipsæ filiæ, uel successores earum reintegrentur ad successionem bonorum olim earum patris, uel aui in stirpem, non in capita, ad hoc ut filiæ fœminæ, & earum descendentes non sint deterioris conditionis, quam neptes, conferendo tamen dotes.

AGLIANI

Quod est Castrum sub Gubernio Spoleti.

PARTICULA II.

Quod nulla mulier dotata possit succedere ab intestato cap. 11. lib. 3.

NUlla mulier dotata à patre, matre, avo, vel avia, aliisque ascendentibus possit succedere ab intestato in bonis alicujus ascendentis dotantis, uel non dotantis, superstite masculo in pari gradu, uel qui cum ipsa alias ab intestato ad successionem veniret, & satis sit, ut dicta mulier dotem consequatur ab uno ex supranominatis, ad effectum ut ab hæreditate omnium supradictorum excludatur, sed debeat contenta sua dote esse, ita quod aliud ulterius habere non possit, etiam prætextu supplementi legitimæ; & quatenus non esset dotata, possit à dicto masculo dotari, si aliunde dotem non haberet, & si haberet in dotem sibi computetur, & masculus ad aliam dotationem non teneatur, & dotata intelligatur ad dictum effectum, etiam quod dotaretur de bonis ipsius mulieris eidem proventis ex hæreditate paterna, materna uel avita, & nullo superstite masculo, qui pariter ad successionem cum ipsa muliere ueniret, talis mulier possit, ac debeat ab intestato pleno jure succedere in bonis suorum ascendentium; & ueniente casu, quod decedat ab intestato aliquis frater, soror, patruus, uel auunculus, uel deinceps supra, & infra sine aliquibus descendentibus, tunc & eo casu sic ab intestato decedenti succedat, & succedere debeat masculus in pari gradu, uel qui aliascum ipsa muliere ad successionem uocaretur, excluſa penitus ipsa muliere dotata, uel non dotata, & non existente masculo ut supra, possit, & debet libenè succedere una, uel plures mulieres superstites quæ alias de jure ad talem successionem uocaretur, seu uocarentur, & prædicta locum habeant in præteritis, præsentibus non decisis, & futuris.

AMANDULÆ

Quæ est Terra sub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA III.

De Testamentis, substitutionibus, de successionibus ab intestato, & quod mulier dotata non succedat Rubr. 20. lib. 2.

TEstamentum, & quælibet alia ultima voluntas non valeat ipso jure, etiam quoad legata, & fideicommissa etiam minima, si in aliquo prædictorum non fieret expressa mentio de debente de jure institui, vel exhæredari, quamvis in eis fuerint juris solemnitates servatæ, & præsumatur de jure testantem, vel aliam ultimam voluntatem facientem, institutionem hæredis, relicta, & fideicommissa non fecisse, si memor fuisset de debente per ipsum institui, vel exhæredari; & sit præsumptio juris, & de jure, nisi esset filia, vel posthuma, & descendens ex aliqua prædictarum dotata, vel non dotata, de quibus non fieret mentio in dicto testamento, vel in alia ultima voluntate, extantibus filiis masculis, & descendentibus masculis ex eis, vel aliis agnatis masculis institutis, in aliqua parte, vel in totum, capacibus, & adeuntibus, vel se immiscentibus, quo casu valeant, etiam si de dicta muliere, & de dicta posthuma, & descendentibus ex iis non fieret expressa mentio. Et mulier etiam major septem annis, vel descendentes ex ea, vel posthuma dotata, vel cui in quacumque ultima voluntate esset relicta dos, vel per confessionem, vel alio quocumque modo constituta in totum, vel in partem à patre, matre, avo, avia, fratre, sorore, vel ab alia quacumque persona, sint contentæ dicta dote ipsæ, & ipsarum descendentes, & non succedant ab intesta-

teſtato, ſi dotanti extarent filii maſculi, vel deſcendentes maſculi ex eis, vel poſthumus maſculus, qui ſint capaces dicta hæreditate, & eam adiverint, alias alii agnati maſculi, uſque in ſecundum gradum perſonæ dotantis admittantur, ſecundum juris diſpoſitionem ad dictam ſucceſſionem, in bonis dotantis, ſi ſunt capaces, & dictam hæreditatem adierint, alioquin ſuccedant eidem dicta mulier, deſcendentes ex ea, & dicta poſthuma, ſecundum juris diſpoſitionem. Et filii maſculi, & deſcendentes maſculi ex eis, & alii agnati maſculi, uſque in ſecundum gradum, in ſucceſſionibus ab inteſtato propriè, vel impropriè, ſecundum juris diſpoſitionem, præferantur cognatis, & fœminis, & ipſarum deſcendentibus, ac ſi dicti cognati, vel fœminæ, & ipſarum deſcendentes non extarent, dummodo dicti filii maſculi, & deſcendentes maſculi ex eis, vel dicti agnati maſculi, infra dictum gradum, ſint capaces, & dictam hæreditatem adeant, vel ſe immiſceant; Alioquin dictæ perſonæ excluſæ à dicta ſucceſſione habeantur pro non excluſis. Sed ſi ab inteſtato decederet mulier, ſuperſtitibus ſibi filiis maſculis, vel deſcendentibus maſculis ex dictis filiis maſculis, qui ſecundum juris ordinem in ſucceſſione dictæ mulieris præferantur dictis cognatis, & fœminis, dummodo ſint capaces, & dictam hæreditatem adeant; Si autem ex dicta muliere extarent dumtaxat deſcendentes fœminæ, tunc eidem mulieri ab inteſtato decedenti ſuccedant ſecundum ordinem juris civilis, & præferantur in ſucceſſione dictis agnatis. Ubi autem de jure civili dictis perſonis excluſis à dictis ſucceſſionibus deberetur legitima, & non exiſtentibus dotatis ipſis, vel ejus deſcendentibus, ipſæ, vel ejus deſcendentes ad legitimam infra declarandam admittantur, dividendam tamen inter liberos, ſecundum jus civile, computato tamen in ea omni eo, quod ipſæ, vel deſcendentes ex eis habuerunt quocumque modo à dictis perſonis, à quarum ſucceſſionibus excludantur. Legitima verò intelligatur ſexta pars hæreditatis, deducto ære alieno, & funeris impenſa; & ſi dicta legitima non ſufficeret dictis perſonis excluſis pro dote, vel pro alimentis, & dictæ perſonæ excluſæ non haberent unde poſſent dotari, vel alimentari, debeat tamen eis ſuppleri de bonis illius, à cujus ſucceſſione excluduntur, quod eis condecenter ſufficiat pro dote, vel pro alimentis, ſecundum qualitatem perſonarum, & bonorum, arbitrio Judicis, vel Rectoris declarandis, unà cum duobus aliis viris conſanguineis proximioribus non ſuccedentibus defuncto, quibus non ſtantibus, cum duobus aliis viris per eundem Judicem eligendis, etiam ſine aliqua ſcriptura, omni juris ſubſtantialitate, & ſolemnitate ommiſſis, ac etiam diebus feriatis in honorem Dei; quorum declarationi dicti hæredes ſtare teneantur, alioquin dictæ perſonæ, ad dictam ſucceſſionem, à qua ſunt excluſæ admittantur, non obſtante dicto ſtatuto. Inſuper quælibet ſubſtitutio intelligatur pupillaris directa, etiam ſi fiat per verba obliqua durante pupillari ætate illius, cui fit ſubſtitutio, ſi fiat à potente dictam ſubſtitutionem facere; & poſtea intelligatur fideicommiſſaria perpetuò, niſi Teſtator in ea limitaverit tempus. Relicta autem facta, vel alia quæcumque inſtitutio, vel ſubſtitutio in aliqua ultima voluntate facta dictis perſonis excluſis debeantur, niſi alirer per jus commune fuiſſet diſpoſitum.

AMERINÆ
Civitatis.
PARTICULA IV.

Quod filiæ fœminæ, ſuperſtite maſculo, non ſuccedant ab inteſtato, & qualiter tunc dotentur
Rubr. 20.

STatuimus quod nulla filia, neptis, proneptis, vel abneptis alicujus infraſcriptarum perſonarum, de cujus ſucceſſione tractaretur, nec aliqua perſona, cujuſcumque ſexus, vel gradus exiſtat, deſcendens ex tali defuncta perſona per lineam fœmininam ſuccedere poſſit ab inteſtato in aliquo ejus patri, matri, avo, aviæ, proavo, proaviæ, abavo, vel abaviæ ab inteſtato defuncto, ſeu defunctæ, nec in dicta ejus ſucceſſione audiatur agendo, vel excipiendo, ſuperſtite alicui dictarum perſonarum taliter defunctarum aliquo ejus filio legitimo, & naturali inferioris gradus, deſcendente per lineam maſculinam, & naturalem, & ex tali perſona defuncta, de cujus ſucceſſione pariter tractaretur, & ipſam ſucceſſionem acceptante, ſeu acceptare volente, etiam ſi tenutam, vel poſſeſſionem de bonis hæreditariis talis perſonæ defunctæ, ſeu aliquibus, ſeu aliquo ipſorum bonorum, vel aliqua eorum, ſive alicujus eorum partem haberet, ipſam tenutam, ſive poſſeſſionem relinquere, & dimittere teneatur dicto legitimo ſucceſſori talis defunctæ perſonæ ad ipſius petitionem, ita tamen quod talis filia, ſive neptis, & alia quælibet perſona inferioris gradus, deſcendens ex maſculo legitimo, & naturali deſcendente per dictam lineam maſculinam, etiam ipſa defuncta perſona, de cujus prædicta ſucceſſione tractaretur, ſi dotata non eſſet, debeat decenter dotari de bonis hæreditatis talis perſonæ defunctæ per ejus ſucceſſorem prædictum, conſiderata conditione ſuæ perſonæ, & qualitate, & quantitate bonorum hæreditariorum hæreditatis prædictæ, ac etiam de eiſdem bonis debeat (donec fuerit maritata, & dotes prædictas habuerit cum effectu, ſive donec monaſterium intraverit) alimentari, vel in domo dictæ defunctæ perſonæ, vel alibi, ubi ſtare, vel morari voluerit honeſtè; & quod dictus ſucceſſor ad ſic dotandam, & alimentandam teneatur, & cogi poſſit, & debeat cum effectu, & pro dictis alimentis, & dotibus poſt mortem talis defunctæ perſonæ, & ex tempore ipſius mortis, etiam antequam nubat, ex auctoritate præſentis capituli omnia prædicta bona hæreditaria tali mulieri obnoxia, & obligata exiſtant, & ipſa mulier ſic dotata de ipſis dotibus ſit, & intelligatur eſſe contenta, pro omni ſuo jure, adeò quod contra bona, & hæreditates præmiſſarum perſonarum omnium, & cujuslibet earum nullum habeant, vel habere poſſint recurſum, ſed ab eis eſſe debeant penitus excluſæ auctoritate præſentis legis. Et ex teſtamento verò, & qualibet alia ultima voluntate talis defunctæ perſonæ ſuccedatur, & ſuccedere poſſint, & poſſit eidem prædictæ perſonæ quælibet earum, & legata, & fideicommiſſa, & omne, & quidquid in tali ultimo teſtamento, & ultima voluntate eis, vel alicui earum, relictum etiam capere, & habere poſſint, & poſſit juxta tenorem, & formam ipſius Teſtamenti, ſive ultimæ voluntatis, ſi aliud eis, ſive ei impedimentum non obſiſtat; ita tamen quod ipſa mulier, & quælibet earum &c. quibus, vel cui bona talis defunctæ perſonæ taliter obvenirent, ea ſibi computent, & computare teneantur in ipſis dotibus ſuis. Et ſi aliqua de dictis mulieribus dotata fuerit ab aliqua de prædictis perſonis in ejus vita, vel per ipſius ultimam voluntatem, eo caſu talis mulier ipſius dotibus ſit, & eſſe debet contenta, ita quod nihil ultra quantitatem in ipſa hæreditate, vel de hæreditate alicujus prædictarum perſonarum petere valeat, vel habere, niſi ſecundum expreſſam diſpoſitionem talium perſonarum; Et ſi, poſtquam aliqua de prædictis perſonis nupſerit, vidua remanſerit, poſſit ad domum hæredis talis defunctæ perſonæ redire, & ibi ſtare, ac de ipſis bonis hæreditariis modo prædicto alimentari debeat, donec iterum maritetur, vel monaſterium intret, dummodo fructus ſuę dotis, quos haberet, vel aliorum ſuorum bonorum, ſi quæ tunc haberet, converti debeant in alimenta prędicta. Inſuper volumus ſtatuentes, quod ſi aliqua ex prędictis perſonis, de cujus ſucceſſione tractaretur in ſua ultima voluntate aliquid alicui de dictis mulieribus reliquerit pro ea dotanda, vel alia ratione, vel modo, & poſtea antequam deceſſerit eam dotaverit, vel alius ejus nomine, vel ejus negotia gerens, & deindè non revocata ipſa ſua ultima voluntate, in parte prædicta, deceſſerit, dictum relictum evaneſcat, & evanuiſſe ipſo jure intelligatur, pro non facto penitus habeatur, & ſi poſt mortem dicti Teſtatoris ſucceſſor ejus, vel alius ejus nomine dictam mulierem dotaverit, non facta mentione de dote relicta eidem in dicto teſtamento, vel ultima voluntate, ſeu ipſam dotem promiſerit uſque ad quantitatem dotis ſic relictæ in teſtamento patris, dictum relictum factum in dicto teſtamento, vel ultima voluntate prædicta pro ipſa dote, ſit, & intelligatur revocatum, & annullatum, & compenſatum in dicta promiſſione, vel dote, poſtquam fuerit ſibi ſatisfactum de dote ſic promiſſa poſt mortem dicti teſtatoris, ut ſupra;

Et

Et de prædictis, & quolibet prædictorum ſi de eis, vel eorum aliquo, ſeu eorum, vel alicujus eorum occaſione, aliqualis quæſtio, vel controverſia oriretur, vel eſſe poſſit, teneatur, & debeat Judex Curiæ Civitatis Ameriæ cognoſcere, providere, pronunciare, definire, & exequi breviter, ſummariè, & de plano, & ſine ſtrepitu, & judicii figura, ad pœnam Poteſtatis, vel Judici contrafacienti, vel negligenti in prædictis, vel aliquo prædictorum 30. florenorum auri pro quolibet, & qualibet vice.

Eiuſdem Statuti de ſucceſſione decedentium ab inteſtato Rubr. 21.

DEcedente ab inteſtato, ſive fuerit talis decedens habilis ad teſtandum, ſive non, ſive fuerit maſculus, ſive fœmina ſic ab inteſtato decedens cum liberis, liberi ejus legitimi, & tales maſculi, hoc eſt filius, nepos, pronepos, & alius, ſive alii deſcendentes maſculi tantum ſuccedant in tota hæreditate prædicti decedentis ab inteſtato, ſecundum gradus prærogativam, & ſi ex dicto tali decedente ab inteſtato remanſerunt filiæ fœminæ, una, vel plures ſine filiis maſculis, ſtantibus fratribus carnalibus dicti defuncti, vel eorum filiis maſculis, quod tunc dictæ filiæ fœminæ una, vel plures natæ ex dicto decedente ab inteſtato, non obſtantibus dictis maſculis ſuccedant, & ſuccedere debeant in tota hæreditate ipſius defuncti ſine maſculis, deſcendentibus ex eo, & ex maſculina linea, dummodo quod ſi dictæ filiæ fœminæ una, vel plures poſtea deceſſerint ſine filiis, quod tunc dicta hæreditas olim ipſius Patris dictæ fœminæ ſic ab inteſtato defunctæ, & ejus bona hæreditaria prædicta devolvantur, & convertantur, ſpectent, & pertineant, detracta legitima debita jure naturæ, quæ debeatur quidem hæredibus dictæ filiæ fœminæ, ſeu fœminarum defunctarum ſine filiis, ad fratres carnales, unum, vel plures prædictos ipſius defuncti ab inteſtato, vel ad filios dictorum fratrum carnalium, ſeu fratris. Sin autem ex dicto ab inteſtato decedente ſine filiis maſculis, vel aliis decedentibus ex linea maſculina, vel filiabus fœminis primi gradus, extarent, vel ſuperviverent neptes fœminæ, vel aliæ inferioris gradus deſcendentes per lineam fœminam, & ſtantibus fratribus carnalibus uno, vel pluribus dicti ab inteſtato defuncti, vel maſculus dictorum fratrum, quod tunc dictæ neptes fœminæ, vel aliæ inferioris gradus prædictæ in nullo ſuccedant dicto ab inteſtato decedenti, ſed ipſi fratres carnales unus, vel plures ſi extarent, vel eorum filii maſculi ſuccedant, & ſuccedere debeant in tota hæreditate dicti ab inteſtato defuncti. Si verò ex dicto ab inteſtato defuncto ſine maſculis deſcendentibus ex eo, tempore mortis ſuæ, extarent neptes ipſius defuncti una, vel plures natæ ex filio maſculo prædefuncto, quod tunc dictæ neptes ſuccedant, & ſuccedere poſſint, & debeant in tota hæreditate prædicta, ſive una, ſive plures fuerint, & poſt obitum ipſarum neptum habeat locum, & ſervetur illud, quod in filiabus primi gradus poſt ejus obitum ſuperius ordinatum, & ſtatutum eſt. Sed ſi poſt mortem dicti defuncti ab inteſtato extarent, & concurrerent filiæ fœminæ primi gradus ipſius defuncti ab inteſtato una, vel plures, & neptes una, vel plures, quæ extarent ex ipſo filio defuncto, tunc volumus, & ſtatuimus, quod prædictæ filiæ, & neptes una, vel plures pariter ſuccedant pro æquali portione in hæreditate prædicta, collatis, & remiſſis dotibus in ipſa hæreditate, & contributis, ſi aliqua prædictarum fuiſſet primitus dotata, ita quod computatis dotibus prædictis, pares ſint, & eſſe debeant in dicta ſucceſſione. Sed ſi aliqua perſona de Civitate, & Comitatu Ameriæ ab inteſtato deceſſerit ſine liberis ſuperſtitibus, ſed ſuperſtitibus ſibi aliquibus, ſeu aliqua perſona, uſque in tertium gradum ſuæ agnationis incluſivè, intelligendo ipſum gradum ſecundum jus Canonicum, ſuccedat ſibi proximior de dicta ſua agnatione, hoc intellecto, & declarato, quod in dicta ſucceſſione non habeatur, nec haberi debeat diſtinctio, ſeu conſideratio, vel reſpectus an talis proximior conjungebatur tali defunctæ perſonæ ex utroque parente, ſive per lineam utriuſque parentis, ſive ex uno, vel unius tantum, dummodo ex patre ipſius defunctæ perſonæ, ſeu ex ejus paterna linea ſaltem eidem conjunctus extiterit. Prætereà volumus quod neptes ex fratre carnali quæ talis defunctæ perſonæ ſuccedant, eidem, una cum eorum patruo, eodemque fratre quæ talis defunctæ perſonæ in ſtirpem, & non in capita; Mater verò ipſius quæ defuncti in dicto caſu in ſola octava parte bonorum ipſius quæ ſui filii, ſeu filiæ ſuccedat, & ſuccedere poſſit eidem; & ipſa octava parte ipſa mater dicto caſu contenta ſit, & eſſe debeat, adeò quod nil amplius jure ſucceſſionis petere, vel habere poſſit de hæreditate prædicta. Matre verò non extante ſuccedat eidem ab inteſtato avia ſua materna in octava prædicta, & ipſis matre, & avia non extantibus ſimili modo ſuccedat ei proavia ejus paterna, videlicet mater Avi ſui patrui; Avia verò materna, videlicet mater matris, & proavia materna, videlicet avia matris dictæ defunctæ perſonæ, ſeu aliqua perſona de cognatitia prole ipſius defunctæ perſonæ, ſive patris ejuſdem in dicto caſu ad dictam ſucceſſionem nullatenus admittatur; ita tamen quod in dicta agnatitia prole non includatur, nec intelligatur ineludi aliqua alia fœmina, excepta ſorore carnali, ſive nepte, videlicet filia fratris carnalis, & amita fratris perſonæ defunctæ, quæ ſolę, ſcilicet ſoror, neptis, & amita in dicta prole agnatitia, & in ejus numero comprehendatur, & comprehendi valeat in caſu prædicto, ſi, & in quantum caſu tali defunctæ perſonę non ſupervivat aliquis ejus frater carnalis legitimus, & naturalis, ſive nepos legitimus, & naturalis, natus ex fratre carnali, & nepote, vel aliquo eorum, non extantibus, & ſuperviventibus, ſeu extantibus, & ſuperviventibus dictis ſorore, & nepte, & amita talis defunctæ, à dicta ejus ſucceſſione dictæ ſoror, neptis, & amira repellantur, & ad eam dicti ejus frater, & nepos admittantur, & admitti poſſint. Sed & ſi dictæ mater, avia, & proavia paterna, vel aliqua earum, quæ in dicta octava parte ordine præmiſſo ſuccederent, ſeu ſuccedere poſſent, ut dictum eſt, non extarent, ſuccedant nihilominus tali defunctæ perſonæ eidem proximiores de dicta ſua agnatitia prole, ut ſuperius dictum eſt. Verum ſi talis perſona deceſſerit condito teſtamento, vel alia ultima voluntate, & in ipſo, vel in ipſa quocumque titulo, jure, vel modo aliquid reliquerit ipſi ſuæ matri, aviæ, vel proaviæ, eo caſu talis ejus mater, avia, vel proavia dicto relicto contenta ſit, & eſſe debeat, nec ultra in dicta, vel de dicta hæreditate jure ſucceſſionis petere poſſit.

ANCONITANÆ

Civitatis.

PARTICULA V.

Quod mulier dotata ſit contenta dote Rubr. 55. collation. 2.

STatutum, & ordinatum eſt, quod ſi aliqua mulier fuerit dotata, vel dotanda, vel corredanda à Patre, matre, vel fratre carnali, vel ab avo paterno, quod ſi pater, ſeu mater, vel frater carnalis, vel avus paternus prædictus deceſſerit ab inteſtato, ſuperſtitibus filiis maſculis, vel nepotibus maſculis natis ex filiis maſculis; illa talis mulier, nec ejus filii, vel hæredes poſſint aliquid petere in bonis alicujus prædictorum ab inteſtato defunctorum, ſed ſit, & eſſe debeat contenta dote ſua, ipſa, & ejus filii, & hęredes, & omnia bona ipſorum deveniant ad dictos filios, vel nepotes ex dictis filiis maſculis, intantum, ut talis mulier non admittatur ad hęreditatem ſupranominatorum, ſed ab hęreditate omnium ſupranominatorum excludatur. Si verò dictis patre, matre, fratre carnali, vel avo decedentibus ab inteſtato, relictis dictis filiis, vel nepotibus maſculis ex filiis, eſſet alia filia, vel neptis non dum maritata, ſeu dotata, dicti filii, ſeu nepotes maſculi ſuccedant in tota hęreditate; Teneantur tamen ipſam filiam, ſororem, vel neptem indotatam maritare, & dotare competenter, viribus hęreditatis, & conditione perſonarum attentis; Ad quod faciendum ſi dicti hęredes fuerint negligentes, Dominus Poteſtas, & ejus Judex cum conſenſu, & declaratione quatuor attinentium, vel affinium ipſius mulieris, bonę conditionis, & famę, vel quatuor bonorum virorum, ſi non habuerit conſanguineos, vel affines, eligendorum omnium prędicto-

dictorum per Dominos Antianos, & Regulatores, vel majorem partem ipſorum, teneantur, & debeant ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii ad hoc ipſos hæredes cum effectu, realiter, & perſonaliter compellere, & declarare quantitatem dictæ dotis. Si verò pater, vel mater, vel frater, vel avus paternus talis mulieris dotatæ deceſſerit cum teſtamento, & aliquid reliquerit tali mulieri dotatæ, vel filiis ipſius mulieris, relictis filiis maſculis hæredibus, vel nepotibus maſculis natis ex filiis maſculis; Iſta talis mulier, & ejus filii, & hæredes debeant ſtare contenti de eo, quod eis eſt relictum, quocumque titulo ſit relictum, nec poſſint plus petere, quàm quod ſibi eſt relictum, ratione debiti juris naturæ. Et ſimiliter filiæ fœminæ debeant eſſe contentæ dote eis relicta in teſtamento patris, vel matris, vel avi, nec poſſint plus petere in bonis eorum, vel alicujus eorum ratione debiti juris naturæ: Nec poſſint teſtamentum nullum dicere pro eo, quod non fuerit eis jure inſtitutionis relictum, nec dictum teſtamentum per querelam inofficioſi teſtamenti expugnare aliqualiter; & in omnibus, & ſingulis ſupradictis caſibus intelligatur, & præſumatur dicta mulier congruè dotata, etiam ſi de dote non appareat, ſi nupta ſteterit cum ſuo viro in matrimonio in una domo per quinque annos continuos, omnibus aliis ſtatutis, & juribus in contrarium loquentibus non obſtantibus; Quibus per præſens ſtatutum intelligatur totaliter derogatum: pœna centum librarum imminente Judicibus contra prædictum ſtatutum jura reddentibus, pro quolibet, & qualibet vice; & quod per eos contrafactum fuerit non valeat ipſo jure; Et idem intelligatur in aliis quibuſcumque perſonis dotantibus aliquam mulierem: Hoc addito præſenti ſtatuti, quod nulla dos poſſit alicui mulieri dotatæ (per quamcumque perſonam ſit dotata) auferri per ipſum dotantem, vel ejus hæredes, donec vixerit ipſa mulier, non obſtante aliqua ſtipulatione, vel pacto in contrarium loquente, etiam ſi eſſet de voluntate mulieris celebratum; Debeat tamen dicta dos ſtipulari dotanti in ſecundis matrimoniis, ſecundum conventionem inſtrumenti talis primæ conſtitutionis dictæ dotis.

Eiuſdem ſtatuti de ſucceſſionibus ab inteſtato Rubr. 102. d. Collat. 2.

STatutum, & ordinatum eſt, quod ſi aliqua perſona major, vel minor in poſterum deceſſerit ab inteſtato, etiam ſi non haberet facultatem teſtandi, ſine filio, vel filiis, nepote, vel nepotibus, nato ex filio, vel filiis maſculis, ſuperviventibus patre, vel fratre, vel ſororibus utrinque conjunctis, vel ex latere patris tantum, vel filiis fratrum, vel avo paterno; quod hæreditas, vel bona talis ab inteſtato defuncti, undecumque ſibi obvenerint, deveniat, & devenire debeant, & in ipſis bonis, & hæreditate ſuccedere debeat pater, vel avus paternus, ſi patrem, vel avum habuerit; Si verò non habuerit patrem, vel avum paternum, quod tali ab inteſtato defuncto ſine filiis, vel nepotibus natis ex filiis maſculis ſuccedat frater, vel fratres utrinque conjuncti, vel ex latere patris tantum: Quibus fratribus exiſtentibus ſorores non ſuccedant, ſi dotatæ fuerint à patre, avo, vel fratribus, vel filiis fratrum; ſi verò dotatæ non fuerint à prædictis, vel aliquo prædictorum, eo caſu congruè debeant dotari ſecundum facultatem bonorum, & amplius petere non poſſint in bonis talis defuncti ab inteſtato, ſalva ſemper matri defuncti, ſi ſupervixerit, legitima juris naturæ; Prædictis autem fratribus, vel filius fratrum non exiſtentibus, tunc ſuccedere poſſint, & ſuccedant ſorores prædictæ, excluſis omnibus aliis à dictis bonis, & hæreditate, ac ſucceſſione, præter matrem, quæ in dicto caſu ſuccedat cum dictis ſororibus, ut viriles inter eas faciant portiones; Quibus omnibus deficientibus ſuccedant patrui carnales, & eorum filii in ſtirpes, & non in capita, & mater unà cum eis, & in eorum defectu ſuccedant fratres, ſeu ſorores ex latere matris tantum, & ipſis deficientibus ſuccedant amitæ, & cum ipſis ſuccedat mater pro dimidia, ſi ſupervixerit: Si verò contingat matrem concurrere cum dictis fratribus, ſeu ſororibus ex latere matris tantum, vel eorum filiis, tunc mater ſuccedat pro dimidia ipſi defuncto; cæteris fratribus, ſeu ſororibus in alia dimidia vocatis. Ut tamen prædicti filii dictorum fratrum, & ſororum in ſtirpes vocentur, & non in capita. Non extantibus autem prædictis, vel aliquo prædictorum in præſenti ſtatuto nominatorum, tali defuncto ab inteſtato ſuccedant illi, qui vocantur ex diſpoſitione juris communis: Et prædicta locum habeant in futuris tantum quæſtionibus, ſeu cauſis. Hoc addito quod ſupradictæ ſorores defuncti dotatæ, vel dotandæ, ſi remanſerint viduæ ſine filiis, quod licitum ſit eis, ut poſſint redire ad habitandum in domo ſui fratris, ſeu fratrum, hæredis, vel hæredum talis ab inteſtato defuncti: Et quod dicti fratres cogantur eas recipere, & receptare in domo prædicta, ut poſſint in dicta domo commodè habitare, & ipſas regere, & gubernare de bonis hæreditatis, ut feciſſent ſi tales ſorores non fuiſſent maritatæ; Dummodo viduæ fructus ipſarum dotium in dicta domo fratris, vel fratrum reponant, & cum eis conſumant, & idem fiat de fructibus aliorum bonorum ipſarum viduarum, ſi alia bona habeant, quàm dotem.

ANGUILLARIÆ

Quæ eſt Terra Baronalis in diſtrictu Urbis.

PARTICULA VI.

De modo, & ordine ſuccedendi ab inteſtato Rubr. 238.

ITem ſtatuendum eſt, quod inteſtatus decedit qui omninò teſtamentum non fecit, aut non jure fecit, aut id, quod fecerat, ruptum, irritumve factum eſt; aut in eo, quod fecerat nemo hæres inſtitutus fuit; quibus ſic præmiſſis, ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi quis in Caſtro Anguillariæ inteſtatus, vel inteſtata moriatur, relictis filiis, vel filiabus, nepotibus, vel neptibus, proneptibus, abneptibus, & deinceps, ex directa linea deſcendentibus, uſque in infinitum eodem in gradu exiſtentibus, qui propriè ſui hæredes dicuntur, inter quos filios, & nepotes ex directa linea provocatos, ſi quid teſtator ordinaverit, vel diſpoſuerit agendum, faciendum, & exequendum, prælegaverit, donaverit, vel quomodolibet reliquerit uni plus aliis, vel aliis plus uni pro ea parte, qua diſpoſitum fuerit, & ordinatum, & dicta ordinatio, & diſpoſitio per duos teſtes idoneos, omni exceptione majores, probetur, vel ad minus per quinque fœminas non ſuſpectas; hujuſmodi diſpoſitio inter prædictos tantum valeat, & teneat, ac ſi ſolenniter teſtatus fuiſſet pro ea tamen parte: In reſiduo verò ſuccedant venientes ab inteſtato.

Adeſt alia Rubrica ejuſdem ſtatuti, quæ eſt la 240. excludens fœminas dotatas ab inteſtata ſucceſſione dotantis, quam latè examinat Spada *conſ.* 318. *lib.* 3. & quæ eſt eadem ac illa Brachiani infra la 28.

APIRI

Terræ exiſtentis ſub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA VII.

Quod mulier dotata renunciet ſucceſſionibus, & ſi non renunciaverit habeatur pro renunciaſſe Rubr. 28.

SIqua filia, ſoror, vel neptis alicujus nupſerit, & dotem habuerit à patre, matre, fratre carnali, vel alio ſuo conjuncto, ſancimus, & ordinamus, quod teneatur ad petitionem dotantis, ſi fuerit pater, vel mater, ſive frater carnalis, renunciare omnibus, & ſingulis bonis paternis, & maternis, quæ dicto, vel facto petere poſſet occaſione ſucceſſionis, vel alia quacumque cauſa, & ſuper hujuſmodi renunciatione promiſſionem facere ſolemni obligatione vallatam; & ſi non renunciaverit, nec talem promiſſionem fecerit, auctoritate præſentis ſtatuti, talis renunciatio, aut promiſſio habeatur pro facta, ac ſi expreſsè factæ extitiſſent cum omni ſolemitate de jure requiſita, & ad bona prædicta nō poſſit habere regreſsū contra fratres exhis deſcendentes, & aliosquoſcumq; Declarantes quod nulla mulier nupta, & dotata poſſit venire ad ſuc-

ſucceſſionem bonorum alicujus conſanguinei ex parte patris mulieris ejuſdem ab inteſtato.

Eiuſdem ſtatuti, quod mulier dotata non poſſit ſuccedere Rubr. 8.

SI qua mulier fuerit dotata à patre, matre, fratre, vel nepte, ſtatuimus, & ordinamus, quod non poſſit, nec debeat exiſtentibus aliis, ſeu alio in eodem gradu petere, vel regreſſum habere ad bona paterna, materna, fraterna, vel nepotum; nec eis, vel alicui ipſorum ſuccedere ab inteſtato, niſi in tantum, in quantum ſibi relictum fuerit in teſtamento, vel in alia ultima voluntate.

Eiuſdem ſtatuti in qua parte bonorum filialium mater ſuccedat, & de ammiſſione ſucceſſionis dictorum bonorum, ac aliorum a marito relictorum Rubr. 30.

SI quis deceſſerit in pupillari ætate, vel poſtea quandocumque inteſtatus ſine filiis, vel filio maſculo, vel fœmina, præſenti ſtatuto firmamus quod ejus, vel eorum mater ad ſucceſſionem bonorum ipſius, vel ipſorum venire non poſſit, niſi in quartam partem hæreditatis dicti filii, filiæ, filiorum, & filiarum, & plus de dictis bonis dictæ hæreditatis nullis modis, vel modo petere poſſit; ſed talia bona, ultra dictam quartam partem, veniant ad illos, qui ſupervixerint ex latere paterno, uſque in tertium gradum incluſivè, ſecundum jus canonicum computandum; Et ſi hujuſmodi conſanguinei ex paterno latere non extarent, mater in omnibus dictis bonis ſuccedat; Matre verò non extante, & conſanguineis ex paterno latere non extantibus uſque ad dictum gradum, conſanguinei ex materno latere uſque in dictum gradum incluſivè ſuccedant. Addentes inſuper quod ſi aliqua mater vidua adminiſtrando bona mariti defuncti, & filiorum, ſeu filiarum ſuperviventium, & in illis bonis vivendo in eadem familia cum hæredibus mariti, adulterium, ſeu fornicationem, & rem luxurioſam cum aliquo commiſerit, perdat quidquid maritus in ejus ultima voluntate reliquiſſet, & ad ſucceſſionem hæreditatis filiorum, filiarum, filii, & filiæ nullo modo, vel quæſito colore venire poſſit in totum, vel in partem; ſed omnia, & ſingula dicta bona acquirantur illis, qui marito dictæ mulieris mortuo inteſtato ſuccedere debuiſſent.

APPIGNANI

Terra ſub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA VIII.

De muliere dotata, & ſucceſſionibus ab inteſtato Rub. 86. lib. 2.

STatuimus, & ordinamus, quod mulier dotata, ſeu cui dos relicta fuerit ab aliquo aſcendentium, ſeu à fratre carnali conſanguineo, vel utrinque conjuncto, ei eam dotanti, ſeu dotem relinquenti ab inteſtato non ſuccedat, nec alteri prædictorum, dummodo ab uno ex ipſis fuerit dotata, ſed ſua ſit dote contenta, ſi ex aſcendentibus, vel aſcendente dotante ſuperſit filius maſculus unus, vel plures, ſeu nepos, vel pronepos ex filio maſculo; quod ſi fuerit dotata à fratre carnali utrinque conjuncto, vel conſanguineo ipſius dotatæ, & ex fratribus ſuperſit, ut ſupra, filius maſculus, ſeu nepos, vel pronepos ex filio maſculo ipſius fratris; Similiter ab eorum, vel ejus hæreditate penitus excludatur, fratribus prædictis, vel fratre ab inteſtato decedente. Si verò aſcendentium filii non ſuperſint, ſed ipſorum aſcendentium fratres carnales utrinque conjuncti, vel conſanguinei; & ipſa mulier dotata, filia prædictorum aſcendentium mediam partem bonorum, & hæreditatis ipſorum aſcendentium capiant, & habere debeant, computata ipſarum dote, ſeu ipſius mulieris dote, ſi unica fuerit; alia verò medietas debeatur, & ſit fratrum prædictorum, & ſic patruorum dictæ mulieris dotatæ, ſalvo quod ſi medietas dictarum filiarum, ſeu filiæ non eſſet ſufficiens pro ipſa, vel ipſis dotandis, ex eo quod eſſent pauperes, ita quod attenta ipſarum qualitate, & conditione non poſſent commodè, & cum honore nuptui tradi; tunc de parte patruorum, & eorum filiorum defalcetur tantum, quod ſufficiat, ut ſupra, & ſi opus eſſet totam patruorum medietatem auferre, arbitrio tamen Domini Poteſtatis, & Priorum, dummodo non ſuſpectorum, ſtetur in judicando ſufficientiam prædictam, & ſimiliter qualitatem, & conditionem ut ſupra, præſtito prius ipſis juramento corporali de rectè judicando. Quod ſi neque fratres prædicti aſcendentium ſuperſint, ſed patruorum ipſorum filii maſculi, illi in dicta medietate ſuccedant, & in eadem medietate filiorum filii, ſcilicet patruorum nepotes; Quod ſi nulli ex prædictis omnibus remanſerint, neque aliquis aſcendentium, ſed ſola, ſeu ſolæ ipſæ filiæ dotatæ, vel dotandæ; tunc ipſæ omnes pro virili ſuccedant in ſingulis caſibus prædictis in bonis, & hæreditate prædictorum; quod ſi cum ipſis filiabus, & ſic mulieribus dotatis remanſerit mater ſua, qua vivente unà cum dicta filia, ſeu filiabus dotatis, filii ipſius, & ſic fratres dotatæ, vel dotandæ deceſſerunt; tunc mater una cum filiabus dictis dotatis, vel non dotatis æqualiter ſuccedat in bonis, & hæreditate prædictorum filiorum ſuorum ab inteſtato decedentium, etiam quod facultatem teſtandi non habuerint. Quod ſi mater ſola ſuperſtiterit omnibus filiis, & filiabus defunctis uno, vel pluribus in pupillari ætate, vel poſtea quandocumque inteſtatis decedentibus, nec alii ex ſupradictis patruis, vel alii ſuperſunt, de quibus ſupra, ipſa in omnibus ſuccedat, præter quamquod ſi ſupervenerit etiam amita filiorum, & filiarum ipſius matris unà cum ipſa matre, quod tunc dictæ amitæ de dictis bonis quarta pars debeatur, omnibus aliis reſervatis pro dicta matre. Poſteà verò quàm dicta mater ſuccedit, ut ſupra, & ipſa teſtata, vel inteſtata deceſſerit, tunc medietas dictorum bonorum applicetur aliis proximioribus agnatis filiorum, & filiarum ipſius matris. Alia verò medietas proximioribus ipſius matris, ſeu prout ipſa mater diſpoſuerit, nec valeat ullo modo matris teſtamentum in ea dimidia relinquenda prædictis proximioribus filiorum, & filiarum ipſius matris, quatenus dictam medietatem aliis relinqueret. Et ſi tempore mortis mariti ſui ſupervixerit ipſa mater unà cum filiis pluribus, & filiabus, & aliquis ex dictis filiis maſculis deceſſerit, ſuperſtitibus aliis fratribus, ipſa matre, & ſororibus; Tunc nec ipſa mater, neque ſorores ſuccedere poſſint, & debeant in parte illius filii ſic decedentis, ſed tota deveniat in ſuperſtites, vel ſuperſtitem fratrem ab inteſtato quomodocumque decedente, ſeu eorum nepotes, & pronepotes; quod ſi mater ipſa ſuperſtiterit tempore, quo ſuperſunt prædicti patrui, ſeu illorum filii, & nepotes unà cum filiabus ſuis, quo caſu hæreditas cuilibet pro dimidia attribuitur; videlicet dimidia filiæ, ſeu filiabus, & alia ipſis patruis, & filiis, & nepotibus; tunc in nihilo ſuccedat, dote excepta. Quod ſi caſus evenerit, quod quis deceſſerit relictis tantummodo avo paterno, & materno, & non aliis; tunc, & eo caſu ad avum maternum omnia bona, quæ pervenerunt ad ipſum defunctum ex parte matris applicentur: alia verò bona deveniant ad avum paternum. Addimus inſuper, quod ſi filia, ſeu filiæ non fuerint dotatæ, vel ei, ſeu eis relictæ dotes, poſſint, & debeant dotari à fratre, vel fratribus, & eorum filiis, & nepotibus dote alias conſueta, vel prout illarum qualitas, & perſonæ, & temporis conditio requirit, & attenta domus, & mariti qualitate, & bonorum quantitate; Quæ dos arbitrio Poteſtatis, ſeu ejus Vicarii, Dominorum Priorum, & duorum proximiorum conſanguineorum, ſeu eorum omnium majoris partis ſtatui, decerni, & conſtitui poſſit, & debeat. Volumus autem, quod ſi caſus evenerit quod defuncto ſuperſint tantum avia paterna, & materna, & non alii reſervetur, idemque in avo paterno, et materno. Quod ſi caſus evenerit, quod defuncto ſuperſint pater, et mater, ſeu alter ipſorum, ac etiam avus paternus, et maternus, ſeu paterna, vel materna avia, pater et mater, ſeu alter ipſorum ſuccedant, excluſis avis prędictis in totum. Inſuper ordinamus, quod fœminæ ut ſupra dotatæ, vel dotandæ remanentes viduæ poſſint redire in domum parentum, vel fratrum, et ab eis, vel eorum hæredibus habere debeant victum, et veſtitum condecenter, dummodo fructus dotium, et opera manuum ſuarum cadant ad utilitatem domus, ad quam redierint, et ubi aluntur.

APU-

APUGNI

Quod eſt Caſtrum ſub Gubernio Spoleti.

PARTICULA IX.

Mulier dotata ſuccedere non debeat ab inteſtato cap. 11. lib. 3.

MUlier aliqua de dicta Univerſitate, vel ejus diſtrictu dotata à patre, matre, avo, avia, fratre, nepote, vel quocumque alio, non poſſit, nec valeat ſuccedere, vel regreſſum habere ab inteſtato in bonis dotantis, & fratrum ſuorum, nepotum, neptuum, & aliorum quorumcumque, & quomodolibet attinentium in aliquo gradu ipſis dotantibus, ob aliquam rem, vel cauſam, ſed dotibus datis, vel promiſſis ſtare debeat, & ſit contenta, ita quod aliquid ultra dotes prædictas petere, vel habere non poſſit jure legitimæ, Trebellianicæ, & ſupplementi legitimæ, vel cujuſcumque alterius, à quibus penitus excluſa, & dotes prædictas in locum legitimæ, vel ejus ſupplementi dictæ mulieri debitæ, & aliorum prædictorum jurium ſuccedere, & venire intelligatur, etiamſi dictæ dotes ad congruam, & debitam legitimæ quantitatem aſcenderent, & ſuperſtite ei aliquo maſculo ex linea paterna, uſque in tertium gradum inclusivè, ſecundum jus Canonicum computandum. Et præſens ſtatutum habeat locum in præſentibus, præteritis, & futuris.

AQUIPENDIANÆ

Civitatis.

PARTICULA X.

Che le donne dotate non ſuccedano, ſtanti i maſchi Rubr. 37. lib. 2.

FEmina dotata, ò da dotarſi havendo fratelli carnali non ſucceda *ab inteſtato* in beni paterni, ò materni, mà privar non ſi poſſa di alcuna raſcione à lei delata per raſcione di natura, e le doti ſue ſiano tenuti li fratelli à darli, e dotarle, ſe dotate non foſſero, e la ſpeſa, e veſtimenti preſtarli, finche anderanno à marito, ſecondo le loro facoltà, & le loro entrate, e ſia nientedimeno lecito al padre, & alla madre laſſare, e donare alle figliole come à loro parerà, e piacerà, e ricuſando dette femine volere, debbino ricevere le doti ſecondo le facoltà de beni della heredità, *& ultra* non poſſino adomandare, mà tutto quello haveranno in dote predette ſi preſumino havere havuto per ogni legitima, e parte, che li toccaſſe de beni paterni, e materni; e ſtante li fratelli carnali, ò loro figlioli più adomandare non poſſino per alcum modo, alcuna legge Canonica, ò civile in contrario diſponente non oſtante, e queſto medeſimo dicemo di ogni heredità, ò robba, che remaneſſe di alcun ziano, ò altri parenti, che moriſſero ſenza teſtamento, che ſempre li maſchi del Ceppo della Caſa in uno medeſimo grado ſuccedino ne detti beni, ab inteſtato, e non le femine dotate, ò da dotarſi, come è detto di ſopra.

ARCIS MAXIMORUM

Quæ eſt Caſtrum B. in Diſtrictu Urbis.

PARTICULA XI.

Quod filiæ fœminæ, non extantibus maſculis, ſuccedant infeudis cap. 90.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod filiæ fœminæ, non exrantibus filiis maſculis, ſuccedant, & ſuccedere poſſint eorum parentibus utriuſque ſexus, & eorum cuilibet in feudis, quæ eſſent in dicto Caſtro, & Territorio, ita tamen, quod filiæ fœminæ ſuccedentes teneantur ad omnia onera, redditus, & alia quæcumque, ad quæ ipſi maſculi ſuccedentes in feudis tenerentur.

Eiuſdem Statuti; quod mulieres nuptæ non poſſint habere regreſſum ad bona Parentum cap. 91.

ITem quod fœmina dotata dote ſibi ſoluta, ſine aliqua fictione, non poſſit habere regreſſum ad bona parentum, hoc eſt patris, & matris decedentium ab inteſtato, exiſtentibus ex eodem patre, vel matre filiis, vel filiabus legitimis, cum quibus in nulla dicta filia dotata ab inteſtato ſuccedere valeat, etiam ſi à fratre fuerit dotata, vel maritata.

ARGENTÆ,

Quæ eſt Terra ſub Legatione Ferrariæ.

PARTICULA XII.

De mulieribus non ſuccedentibus in bonis paternis.

COadunatis ſapientibus in Camera Vicarii, ut moris eſt, ſapiens Vir Dominus Henricus Adigito de Vicentia Judex, & Vicarius Nobiles Viri Domini Nicolai de Macharuffis pro Magnificis Dominis, Dominis Rainaldo, & Obizone Dei gratia Eſten. & Archon. & Marchion. Vicecomitis Terræ Argentæ; Propoſuit inter ipſos ſapientes de voluntate, & mandato ipſius Domini Vicecomitis quandam petitionem, & ſupplicationem infraſcripti tenoris, videlicet; Quod juſtum, & æquum eſt; & etiam ſalutare, quod Rectores ad regimina deputati ſollicitè, & vigili cura intendant, & intendere debeant ad ea videlicet, quæ ad utilitatem, & honorem, & ſtatum ſui regiminis, & univerſitatis hominum, qui per ipſum reguntur, & ſuo ſubſiſtunt regimini omnimodè pertinere noſcuntur; Et ſi quid in contrarium pullulare, & de novo emergere in contrarium viderentur, eis totis viribus obviare. Unde cum quædam ſiniſtra novitas in Terra Argentæ de novo videatur emergere, quæ nunquam temporibus retroactis per aliquos mota fuit, cujus prætextu, & occaſione poſſet in Argenta, & ejus diſtrictu magnum ſcandalum, & diſſentionis materia exoriri in turbationem ſtatus ipſius Terræ, & in dedecus ejus dominii; Videlicet, quod ſorores, ſeu mulieres nuptæ à patribus, & avis, & dotatæ ab ipſis, & etiam inſtitutæ à dictis eorum patribus, & avis, in eorum teſtamentis in dotibus ſibi datis velint ipſos fratres, & conſanguineos moleſtare, & inquietare ultra id, quod dictorum eorum patrum, & avorum voluntas fuit in earum dotes, & teſtamentum ſibi reliquerunt, & dederunt. Quapropter ſupplicatum fuit ipſi Domino Vicecomiti pro parte Communis, & Univerſitatis hominum Terræ Argentæ, quatenus ſibi placere velit honore ſui, & evidenti cauſa ſtatus pacifici ipſius Terræ, quod fiat quædam proviſio, & reformatio per Conſilium generale, & homines de Argenta ſic, & taliter quod omnis in hac parte diſſentionis, & ſcandali materia tollatur. Videlicet, quod quælibet mulier nupta, & non nupta contentari debeat de omni dote ſibi data, & tradita tempore earum matrimonii à dictis earum patribus, ſive avis, vel de eo, quod ſibi relictum fuerit ab eiſdem in eorum teſtamentis, & ultra id, quod ſibi datum, vel relictum fuerit à fratribus, vel conſanguineis nullatenus petere poſſint; Et ſi ſecus facere vellent non audiantur; & ſi quis ab inteſtato deceſſerit, relictis filiis, & filiabus, quod dictæ filiæ nubere debeant per fratres, & dotari, de conſilio tamen duorum, vel trium de linea paterna; & quod non poſſint petere ultra id, quod dare voluerint occaſione Falcidiæ, non obſtantibus aliquibus legibus Imperatorum, vel conſultorum Legum, licet expreſsè non nominentur quæ in contrarium dicere poſſent, nec etiam aliquo ſtatuto Terræ Argentæ loquente, dum tamen minus Falcida non habeant. Salvo tamen ipſis mulieribus nuptis, & nubendis omni ſuo jure, quod habent in bonis avorum, patrum, & aviarum, ſi contigerit ipſos mori abſque filiis, & etiam in bonis fratrum relictorum hæredum, ſi contigerit ipſos mori abſque filiis, vel filiabus. Et hæc locum habeant in præteritis temporibus, & futuris, præſentibus, & quæſtionibus motis non deciſis.

ARIMINENSIS CIVITATIS.

PARTICULA XIII.

IN Cathalogo Civitatum exiſtentium ſub Legationes Romandiolæ, de quibus §. 2. num. 26. fuit præſuppoſitum, quod in Civitate Arimini adeſſet ſtatutum fœminarum excluſivum, ſed quia adhibitis poſtea diligentiis compertum fuit non extare, ideò opportunum viſum eſt hoc in loco adnotare errorem dicti præſuppoſiti.

ARQUATÆ,

Quæ eſt Terra ſub Præfectura Nurſiæ.

PARTICULA XIV.

Che le donne dotate, e da dotarſi non ſuccedano ab inteſtato, cap. 59.

STatuimo, & ordiniamo, che le donne non ſuccedano nelli beni paterni, ò materni ſtante alcun fratello, uno, ò più carnali, e figlioli maſchi di detti fratelli, li quali volemo ſiano patroni, e dette donne ò che ſiano dotate, ò non dotate, al tempo della morte d'eſſo padre, ò madre non poſſano ſuccedere, ne conſeguire legitima, ò ſupplemento di legitima, ne per altra cauſa, mà ſiano perpetuamente eſcluſe, e ſi debbiano contentare d'una dote conveniente, ſecondo la conſuetudine del paeſe, ordinata, ò da ordinargleſi per detto padre, madre, fratello, ò fratelli carnali, nella quale debbia ſtare tacita, e contenta, e li beni tutti rimangano alli detti figlioli, e nepoti maſchi, e ſe accaderà morire alcun fratello ſenza figli maſchi, ò femina, e ſenza teſtamento, gli ſucceda l'altro, ò altri fratelli, ò loro figlioli in ſtirpes, mà ſe morirà detto fratello con li figlioli maſchi, ò femine, eſſi ſuccedano nelli beni paterni, come di ſopra, eſcluſo il zio, e ſuoi figlioli; e ſe veniſſe il caſo, che tutti moriſſero poi ſenza figlioli maſchi, le femine dotate, e non dotate, inſieme ſuccedano ſecondo la diſpoſitione della legge commune; e ſe accaderà il caſo, che morirà alcuna madre, la quale habbia figlioli di diverſi matrimonii, all'hora, & in tal caſo volemo, che le donne predette, ò che ſiano dotate, ò non dotate, e loro figlioli maſchi, ò femine ſuccedano con li fratelli, e ſorelle uterine, ò più, e con li loro figlioli maſchi, ò femine, ſecondo la diſpoſitione della ragion commune, come di ſopra.

ARRONIS,

Quod eſt caſtrum ſub Gubernio Spoleti.

PARTICULA XV.

De mulieribus dotatis excludendis ab hæreditate Rubr. 63.

ITem ſtatuimus, volumus, & ordinamus, quod mulier dotata à patre, avo, avia, fratre, aut patruis, & aliis ſuis conſanguineis, & conjunctis perſonis, ſtantibus, & ſuperſtitibus maribus, videlicet fratribus, aut deſcendentibus maſculis à fratribus, aut à patruis, non poſſit, nec debeat ſuccedere in hæreditate, & bonis omnium præfatarum perſonarum; Et caſu, quo fœminæ non eſſent dotatæ ab aliquo prænominatorum, debeant in tali caſu dotari ab laiis ſuperſtitibus dictarum perſonarum, aut ab aliqua ipſarum, juxta conſuetudinem ſuorum antiquorum, & ſupradictæ fœminæ dotatæ, vel dotandæ debeant ſtare, & acquieſcere dotibus eis conſtitutis, & plus non poſſint aliquo modo petere, nec conſequi, etiam cauſa, & occaſione legitimæ, aut ſupplementi illius, quam reducimus virtute præſentis ſtatuti ad quantitatem dotis ſibi conſtitutæ, & paraſernalium ſuorum, ſeu mobilis, ut vulgò dicitur. Et ſi aliqua mulier, aut filia, aut ſoror, aut neptis, aut alia conjuncta perſona ab aliquo nuberet alicui, & cum eo, cui nupta eſſet non feciſſet conventionem, aut nomen dotis: Virtalis nuptæ, aut alius pro ipſo viro non poſſit, nec debeat petere, nec habere pro dote plus, quàm quinquaginta florenos de Marchia, & pro paraphernalibus, ſeu mobile florenos viginti, & ſi plus peteret, non teneatur ei dari à quo peteretur, nec pro legitima, nec pro ejus ſupplemento, quam legitimam reducimus vigore præſentis ſtatuti ad dictam quantitatem 70. florenorum, computatis paraphernalibus, ſeu mobilibus.

Card. de Luca de Statut. Succeſſ.

ASCULANÆ CIVITATIS.

PARTICULA XVI.

De filiabus dotatis non admittendis ad hæreditatem patriam Rubr. 5. lib. 1.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod ſorores, & filiæ dotatæ à patre, vel ab aliquo alio de bonis patris, vel fratris, vel ſi eſſet in teſtamento, vel ultima voluntate relictum aliquid pro dote, ipſæ, vel earum filii ad ſucceſſionem patris, vel fratris mortui ab inteſtato venire non poſſint, niſi ad ſupplementum legitimæ, & ſi dotatæ non fuerint, dotentur à fratribus, vel eorum filiis, & nuptui tradantur, conſiderata qualitate mulieris, viri, & patrimonii; & idem dicimus in nepte ex filio, vel filia ex ſorore, vel fratre, quorum, vel quarum matres non fuerunt dotatæ, ut dotentur ſecundum quod dictum eſt; Et ſi non extarent filii maſculi ex patre, vel ex filiis, vel ex fratre remanentes poſt mortem patris, tunc filiæ, & ſorores nuptæ cum non nuptis dotem conferendo æqualiter ad ſucceſſionem admittantur.

ASSISIENSIS CIVITATIS.

PARTICULA XVII.

Quod mulier dotata, vel dotanda non poſſit venire ad hæreditatem Rubr. 21. lib. 2.

AD conſervationem jurium cujuslibet de Civitate, vel Comitatu Aſſiſii, & ne hæreditates, & ſucceſſiones ad alios, qui non eſſent de domo ex linea maſculina perveniant; Statuerunt, & ordinaverunt, quod ſi qua mulier dotata, vel dotanda à patre, vel à matre, fratre, vel fratribus, avo, vel avia, vel à quocumque, non poſſit, nec debeat ipſe, nec ejus filii ex ea deſcendentes recurrere, vel venire ad hæreditatem, vel ſucceſſionem alicujus prædictorum dotantium, nec aliquid petere, vel habere de bonis, & ſuper bonis cujuslibet prædictorum quoquomodo, quouſque ex prædictis, vel aliquo prædictorum fuerit, vel remanſerit filius, nepos, vel pronepos, vel hæres maſculus, ex legitimo matrimonio natus, deſcendens ex eo, vel ea, veniens in ſucceſſione prædicta cum tali muliere dotata, vel dotanda, ſed eſſe debeat ſua dote contenta. Declarantes, quod etiam mulier dotata, ſive dotanda non poſſit ſuccedere fratri, vel fratribus decedenti, vel decedentibus, donec & quouſque ſuperſtiterint frater, vel fratres, nepotes, vel pronepotes ex linea maſculina deſcendentes; Et ipſa nec aliquis ex ea proveniens, vel ſuccedens in bonis alicujus prædictorum non poſſit aliquid petere, vel habere ex teſtamentis, vel ultimis voluntatibus, donationibus, vel conceſſionibus, & alienationibus in talem mulierem, pro ea, vel ex ea venientibus, & deſcendentibus factis, & fiendis ſemper ſalvis.

AUXIMANÆ CIVITATIS.

PARTICULA XVIII.

De mulieribus dotatis, vel non dotatis excludendis à ſucceſſione, ſtantibus maſculis Rubr. 36. lib. 3.

STatuimus, atque decernimus, quod filia, ſeu neptis, vel proneptis, & quævis alia dotata à patre, matre, avo, avia, proavo, vel proavia, vel ab aliis, ſtantibus liberis maſculis in bonis dotantis, & alicujus prædictorum, ipſa, & deſcendentes ex ea ab inteſtato non ſuccedant, ſed ſint dote contenti, & amplius de ipſius dotantis bonis petere non poſſint occaſione legitimæ, vel ejus ſupplementi, ſeu ſucceſſionis, & dotata intelligatur

etiam ea, cui licet adhuc impuberi, vel infanti fuerit per parentem in teſtamento, codicillis, vel alia ultima voluntate dos relicta, vel cui inter vivos fuit dos conſtituta, ſeu ſibi, vel alteri pro ea data, vel promiſſa, ſeu aliter confeſſata. Si autem tempore mortis parentis, cui onus eam dotandi incumbebat, & delatæ ſucceſſionis non reperiretur dotata, tunc ſtantibus liberis maſculis in bonis ejuſdem aſcendentis (ut ſupra) non ſuccedat, ſed per ipſos liberos congruè dotari debeat, juxta qualitatem perſonæ, & pro modo facultatum defuncti; & ſi in conſtituenda dote mulier, & liberi non concordarent, tunc eidem, attentis præmiſſis, dos conſtituatur per duos proximiores conſanguineos ſuos, ſi extant, & ſi non extant, affines; Unum pro parte mulieris, & alterum pro parte liberorum deputan. Si in dote conſtituenda erunt concordes, & eis diſcordantibus tertius per magnum generale Conſilium Civitatis Auximi deputetur, & provt per dictos conſanguineos, ſeu affines concordes, ſive tertio, vel eis diſcordantibus per alterum eorum, cum quo tertius, ut ſupra, eligendus, ſeu electus concordaverit, & tertium prædictum dos conſtituta fuerit, liberi ſatisfacere teneantur, & mulier à reſiduo bonorum ejus, de cujus bonis conſtituta dos fuerit, penitus intelligatur, & ſit excluſa, perindè ac ſi ab ipſo aſcendente dotata extitiſſet. Et ſi in caſibus prædictis deficerent, nec reperirentur conſanguinei, ſeu affines dictorum liberorum, & mulieris, tunc & eo caſu eligantur per dictum magnum generale Conſilium dictæ Civitatis Auximi duo probi viri ejuſdem Civitatis, & ſucceſſivè tertius, modo, & forma præmiſſis. Volumus autem, quod bona ipſius aſcendentis cenſeantur etiam expreſsè obligata poſt ejus mortem pro dote dictæ mulieris conſtituenda, quas dotes dicti liberi ſolvere teneantur eo tempore, quo mulier nuptui tradita fuerit, vel Monaſterium intraverit, & non ante, interim autem donec nupſerit, & etiam poſteà quandocumque vidua remanſerit, dicta durante viduitate, & ea honeſtè, & caſtè vivente, ſibi alimenta condecentia debeantur in domo paterna, vel avita, ſecundum vires patrimonii ipſius defuncti, conferendo fructus dotis, & ibidem operas, quas poterit præſtando, attenta qualitate, & conditione ſuæ perſonæ. Et ad prædicta omnia, & ſingula peragenda, & exequenda Magnificus Dominus Poteſtas noſtræ Civitatis, qui pro tempore fuerit, dictas partes ſimpliciter, de plano, & ſine ſtrepitu, & figura judicii, ac ſola facti veritate inſpecta cogat, & de jure compellat. Declarantes, & volentes prædictum ſtatutum locum habere in futuris tantummodò caſibus, in præteritis, & præſentibus antiqua ſtatuta in robore ſuo permanere, & ſecundum ea decidi, & terminari decernimus, & mandamus.

BAGNACABALLI,

Quæ eſt Terra ſub Legatione Ferrariæ,

PARTICULA XIX.

De ſucceſſionibus ab inteſtato Rubr. 31. lib. 2.

ORdinamus, & ſtatuimus, quod ſi quis pupillus, vel pupilla, adultus, vel adulta ab inteſtato deceſſerit in Terra Bagnacaballi, vel ejus diſtrictu, mater, avia, vel proavia pupilli, vel adulti, pupillæ, vel adultæ ſic defuncti, vel defunctæ habeant, & habere debeant de bonis ipſius filii ſui pupilli defuncti, vel adulti ſolùm legitimam debitam jure naturæ, & non ultrà; Agnati verò maſculi proximiores defuncti totum habeant ſuperfluum, & quod ante dictum eſt in adultis, & pupillis, locum habeat ſi ab inteſtato deceſſerint, quod ſtatutum in omnibus ſuis partibus ſit præciſum, ut tolli, vel mutari non poſſit in aliquo. Item addendo ſtatuimus, & ordinamus, quod filiæ fœminæ non ſuccedant cum fratribus maſculis, nec cum filiis fratrum, ſed tantùm debeant dotari ſecundum qualitatem perſonarum, & facultatem hæreditatum dote non minore legitima, & dotibus ſuis debeant eſſe contentæ, per quod non poſſint fratres maſculos, aut filios fratrum inquietare deinceps, & hæc locum habeant in deſcendentibus ab inteſtato, aliàs provt fuerit per parentes quomodocumque, & qualitercumque relictum habeant, & hæc locum habeant uſque ad quartum gradum incluſivè.

BALNEARIÆ,

Quæ eſt Terra Diſtrictualis Urbis.

PARTICULA XX.

Quod mulier nupta à patre, vel fratre ab eis præſumatur dotata, & ſit contenta de dote ſibi data, & non ſuccedat.

MUlier nupta à patre, vel fratre ab eis præſumatur dotata, & mulier nupta, vel non nupta, & deſcendentes ab ea patri, vel matri, vel aviæ, fratri, vel alicui ipſorum non ſuccedat ab inteſtato exiſtente maſculo ex linea maſculina uno, aut pluribus, ex qua ipſa mulier deſcendat; Sed ſi non ſit nupta, & dotata, maritetur, & dotetur arbitrio per trium proximiorum, & conſanguineorum ex parte patris ſi extarent, & ſi non extarent, ex parte matris, ſecundum conditionem perſonæ, aut facultatem, & unica dote ſit contenta, ex quibuſcumque bonis proceſſerit, & ſi maritare ſe nollet, & aliam viam veller eligere, habeat tantùm, & non plus, quantum haberet illa, quæ maritaretur, & ſi pater ei reliquerit dotem, relicto patris ſit contenta, dummodò dos per patrem relicta ſit congrua tempore, quo maritaretur, aliàs poſſet augeri ſecundum formam præſentis ſtatuti infrà de dotibus promittendis, & plus petere non poſſit in hæreditate paterna, vel materna ſi ſint fratres ex utroque parente conjuncti. Verumtamen ſi contigerit talem fratrem, vel fratres, qui ſororem à ſupradictis bonis excluſerunt, mori ſine filiis legitimis, & naturalibus, vel deſcendentibus ab eis, vivente tali ſorore excluſa, tunc & in tali caſu illa pars, à qua talis fuit excluſa reverratur ſine diminutione ipſo jure ad talem ſororem excluſam, ac ſi à dicta parte nunquam fuiſſet excluſa, computata tamen in ea parte dotis per eam habitæ; & ſi ſunt frater, aut fratres, ſoror, aut ſorores ex eodem patre, ſed ex diverſa matre, in paterna hæreditate fœmina non ſuccedat, ſed fratres teneantur ei dare dotem, aut partem contingentem. In bonis verò maternis, ſi non extant fratres nati ex eadem matre, ſuccedat ſola fœmina, ſed ſi ex eadem matre extant maſculi, ipſi maſculi teneantur talem ſororem dotare, aut partem contingentem ex dictis bonis maternis aſſignare.

BASSANELLI,

Quod eſt Caſtrum Baronale in diſtrictu Urbis,

PARTICULA XXI.

Che la femina dotata non ſucceda Rubr. 22.

STatuimo, & ordinamo, che femina dotata, ò da dotarſi da padre, e madre, avo, ò ava, fratre carnale, ò nepote maſchio non ſucceda nelli beni, & eredità paterna, e materna dell'avo, & ava, & eſcluſa una volta s'intenda perpetuo eſcluſa, e non temporale, *& ſimiliter* à i beni fraterni eſiſtente l'altro fratello, ò più maſchi morendo uno delli fratelli, mà ſucceda l'altro fratello uno, e più; *e ſimiliter* li figlioli, e nepoti, mà ſia ſolo contenta della dote promeſſa, e da prometterſeli per li prenominati, e più non poſſa domandare, e la dote come di ſopra promeſſa, ò data, e da darſi s'intenda eſſere in luogo della legitima, e queſto habbia luogo in preſente, & in futuro.

BASTIÆ,

Quæ eſt Terra ſub Gubernio Umbriæ.

PARTICULA XXII.

FUit à Conſiliariis hujus Terræ convocatum conſilium, & nemine diſcrepante determinatum, quod in ſucceſſionibus inteſtatis filii maſculi admittantur, excluſis fœminis.

BELFORTIS,

Quæ eſt Terra ſub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA XXIII.

De mulieribus dotatis, vel non dotatis excludendis à ſucceſſione, extantibus maſculis Rubr. 47.

ITem ſtatuimus, atque decernimus, quod filia, ſeu neptis, vel proneptis dotata à patre, matre, avo, proavo, vel aliis eorum nomine, extantibus liberis maſculis, ſeu nepotibus, vel aliis deſcendentibus ab eis, ad ſucceſſionem habilibus, in bonis dotantis ipſa, & deſcendentes ex ea ab inteſtato non ſuccedant, ſed ſint dote contentæ, & amplius de ipſis bonis petere non poſſint occaſione legitimæ, vel ejus ſupplementi, dotis congruæ, vel ſucceſſionis, ita ut penitus cenſeantur, & ſint excluſæ ab eiſdem, & dotata intelligatur etiam illa, cui adhuc impuberi, vel infanti, vel naſcituræ fuerit per parentem in teſtamento, codicillis, vel alia ultima voluntate dos relicta, vel aliter inter vivos conſtituta, ſeu ſibi, vel alteri pro ea data, promiſſa, vel aliter confeſſata. Si autem tempore mortis parentis, cui onus dotandi eamdem incumbebat, ſeu delatæ ſucceſſionis, filia, neptis, vel proneptis non reperiretur dotata, tunc extantibus liberis maſculis, ut ſuprà, in bonis ejuſdem aſcendentis non ſuccedat quoquomodo, pariter ut ſupra, nec aliquid poſſit petere cauſis, & rationibus ſupradictis, ſed debeat per ipſos liberos unum, vel plures congruè dotari, attenta qualitate perſonæ, numero liberorum, & pro modo facultatum defuncti. Et ſi in conſtituenda dote prædicta mulier, & liberi non concordarent, tunc eidem dos, attentis præmiſſis, conſtituatur per duos proximiores conſanguineos; unum pro parte mulieris, & alterum pro parte liberorum deputandos, & eis diſcordantibus eligatur tertius per ipſas partes; Ad quam deputationem dictis caſibus fiendam Rector, ſeu Judex de facto compellat partes, & provt per dictos conſanguineos, vel alterum cum tertio reſpectivè dos conſtituta fuerit, dos congrua cenſeatur, & liberi eamdem tradere, & ſolvere teneantur; & mulier à reſiduo bonorum, de cujus bonis conſtituta dos fuerit, ſit, & penitus intelligatur excluſa, perindè ac ſi ab ipſo aſcendente dotata extitiſſet. Volumus autem, quod bona ipſius aſcendentis, ſeu dotare debentis cenſeantur etiam expreſsè obligata poſt ejus mortem pro dote dictæ mulieri conſtituenda, quas dotes dicti liberi teneantur ſolvere eo tempore, quo mulier nuptui tradita fuerit, vel Monaſterium intraverit, & non anteà. Interim tamen, & etiam poſteà quandocumque vidua remanſerit, ipſa durante viduitate, & ea honeſtè, & caſtè vivente ſibi alimenta condecentia præſtentur in domo patria, vel avita, ſecundum vires patrimonii, & quantitatem reddituum, conferendo fructus dotis, & operas ſuas juxta perſonæ qualitatem. Fœminæ autem non dotatæ à matre, avia materna, vel paterna, ſeu aliis, ut permanentibus extra caſum oneris ad dotandum in bonis matris, aviæ, aliorumque ſupradictorum nullo modo ſuccedant, ſuperſtitibus filiis maſculis, ſeu nepotibus, ut ſupra, nec de dictis bonis aliquid petere quacumque occaſione poſſint, ſed ad utilitatem maſculorum ſint, & penitus cenſeantur excluſæ; & hoc intelligatur ſi ab inteſtato deceſſerint, ut prædictum eſt, ſalvo ſemper, & reſervato in omnibus, & ſingulis dictis caſibus in præſenti ſtatuto contentis, & quolibet eorum, teſtamento, & ultima voluntate prædictorum; filiis verò maſculis, ſeu nepotibus, vel pronepotibus, vel aliis deſcendentibus ab eis ad ſucceſſionem habilibus, ut ſupra non exiſtentibus, volumus prædictas fœminas dotatas, vel non dotatas admitti in ſucceſſione ſecundum juris diſpoſitionem, & ſtatutum præmiſſum in quolibet, & ſingulo capite præciſum eſſe volumus, & inviolabiliter obſervari mandamus in præſentibus pendentibus, & futuris; ſtatutis autem, reformationibus, decretis, legibus, & aliis quibuſcumque in contrarium non obſtantibus. Volumus etiam præfatum ſtatutum, ut ſupra poſſe allegari, procedere, & robur habere ad executionem, & efficaciam teſtamentorum, & eorum interpretationem pro decedentibus cum teſtamento in caſibus præmiſſis,

Eiuſdem ſtatuti de decedentibus ab inteſtato ſine filiis Rubr. 48.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi aliquis, vel aliqua de Terra Belfortis, & ejus territorio, & diſtrictu decedat inteſtatus, vel inteſtata ſine filiis legitimis, quod bona omnia, & jura ſic ab inteſtato decedentis deveniant, & devoluantur in ſic decedentis ab inteſtato propinquiores conſanguineos ex paterna, vel avi paterni linea deſcendentes; Cùm ſatis ſit convenies rationi, quod talia bona revertantur ad eum ſtatum, unde principium habuiſſe noſcuntur; & in omnibus, & ſingulis caſibus ſtatuti hujus auctoritate inteſtatus, ſeu ab inteſtato dicatur quis mortuus, etiam ſi ſit pupillus, cui non eſt facta idonea ſubſtitutio, vel etiam quivis alius inhabilis ad teſtandum de jure communi. Et ſi contingeret matrem, ſeu aviam ſic decedentis ab inteſtato ſupereſſe, debeat ipſa mater, ſeu avia in bonis filii, ſeu filiæ, vel aliorum deſcendentium ſine filiis, ut ſuprà, admitti ad legitimam, caſu quo de jure deberetur. Ex teſtamento verò filii, ſeu filiæ, ſeu aliorum, ut ſupra, & ubi cauſa vertitur teſtamenti, in aliquo non admittatur: niſi quatenus de ipſius filii, ſeu filiæ, vel aliorum, ut ſupra proceſſerit voluntate: Statutis, decretis, reformationibus, legibus, & aliis quibuſcumque in contrarium facientibus minimè obſtantibus. Volumus tamen, quod fœminæ à quibuſcumque dotatæ, vel non dotatæ ſuccedant in bonis fratrum, vel ſororum carnalium unius, vel plurium ex utroque parente, vel ex latere patris tantùm conjunctorum, vel conjunctarum ab inteſtato decedentium ſine filiis legitimis: dummodò omnes, & ſinguli ſupradicti fratres deceſſerint ſine filiis, aliàs ad fratris, vel fratrum filias, & ab eis deſcendentes per lineam maſculinam prædicta bona omnia devoluantur. Si verò dictæ fœminæ deceſſerint ſine filiis legitimis, vel cum filiis, qui decederent in ſtatu, vel ætate, in quo, vel qua de jure eſſent inhabiles ad teſtandum; tunc, & eo caſu prædicta bona omnia, in quibus, ut præmittitur ipſæ ſorores ſucceſſerint, deveniant, & devoluantur in ſic decedentis, vel decedentium fratrum, vel ſororum propinquiores conſanguineos ex paterna, vel avi paterni linea, ut ſupra deſcendentes. Statuto ſub præcedenti rubrica de mulieribus dotatis, &c. quoad hunc caſum tantùm; necnon aliis quibuſcumque in contrarium minimè obſtantibus.

BENEVENTATÆ CIVITATIS.

PARTICULA XXIV.

De matrimonio contrahendo, & dotium conſtitutione lib. 2.

STatuimus, & ordinamus, quod fœminæ, qnæ matrimonio copulantur juxta ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ de paragio dotentur, etiam ultra legitimam arbitrio dicti dotantis, & taliter dotatæ non ſuccedant in bonis paternis, vel fraternis, ſed ſint, & eſſe debeant, propter agnationem, & familiam conſervandam ſtantibus maſculis, contentæ dote eis conſtituta, nec ulterius ab inteſtato aliquid petere poſſint, modò tamen dos non fuerit minus legitima, quo caſu liceat eis petere ſupplementum; Ex teſtamento verò capere poſſint quidquid relinquatur, & monialis ſit contenta dote ſolita dari, nec poſſit aliud ab inteſtato petere.

BICTONII,

Terræ ſub Gubernio Umbriæ.

PARTICULA XXV.

Quod mulier, & eius deſcendentes, maſculis deficientibus, redeant ad ſucceſſionem aſcendentium Rubr. 48. lib. 2.

STatuimus etiam, quod mulier, ut ſupra dotata, & excluſa à ſucceſſione aſcendentium propter aſcendentiam maſculorum, ipſis maſculis deficientibus, & ejus filii, & nepotes quandocumque concepti, vel nati, poſſint redire ad ſucceſſionem parentum, & aliarum per-

ſonarum, ad quarum perſonarum ſucceſſionem de jure communi vocantur, ſi deſcendentes per lineam maſculinam maſculi non ſuperſint, conferendo dotes habitas, vel promiſſas.

Ex lectura huius particulæ conſtat aliam adeſſe particulam excludentem fœminas dotatas à ſucceſſionibus propter maſculos, ſed quia iſta ſolum fuit tranſmiſſa, iſta etiam ſolum fuit hic impreſſa.

BONACQUISTI,

Quod eſt caſtrum ſub Gubernio Spoleti.

PARTICULA XXVI.

Quod mulier dotata non poſſit ſuccedere ab inteſtato Rubr. 4.

STatuimus, & ordinamus, quod mulier dotata à patre, vel matre, exiſtente maſculo, vel exiſtentibus maſculis, non poſſit ſuccedere ab inteſtato in bonis dotantis, ſed ſua dote debeat ſtare tacita, & contenta, & plus petere non poſſit, nec cum dictis maſculo, vel maſculis ſuccedere.

BONONIENSIS CIVITATIS.

PARTICULA XXVII.

De ſucceſſione liberorum, patre, vel matre, vel aliis aſcendentibus morientibus ab inteſtato lib. 4.

STatuimus, & ordinamus, quod ſi quis propriè, vel improprièſumpto vocabulo, inteſtatus deceſſerit relictis filiis, vel aliis liberis maſculis legitimis, & naturalibus per maſculum deſcendentibus, uno, vel pluribus laicis, vel clericis in ſacris ordinibus non conſtitutis, qui non ſint profeſſi alicujus Ordinis; & filia, vel filiabus, vel aliis fœminis per maſculum deſcendentibus legitimis, & naturalibus, una, vel pluribus; ſi filia, vel filiæ, ſeu aliæ fœminæ prædictæ, quæ remanſerint, dotata, vel dotatæ fuerint à patre, avo, vel proavo, vel matre, fratre, vel fratribus ſuis, vel patruo ſuo, & ſi ille, qui dotavit non ſit ille, de cujus hæreditate ageretur, filia vel filiæ, & aliæ prædictæ quæ dotatæ ſunt, ſint contentæ de ipſa dote, ſeu dotibus, & in bonis paternis, vel maternis, avitis, vel proavitis paternis amplius non petant, nec petere poſſint ſi tales maſculi ſuperſtites, vel alter eorum hæreditatem defuncti adjuerint, vel in ea ſe immiſcuerint ipſi, vel eorum aſcendentes maſculi, & per maſculum per ſe, vel legitimam perſonam pro eis. Nemine verò ex ſupradictis adeunte, vel ſe immiſcente ſuccedant dictæ fœminæ de jure communi. Extantibus verò ſolum filiis, & aliis liberis maſculis ut ſupra, uno, vel pluribus in ſacris ordinibus conſtitutis, vel religioſis profeſſis alicujus ordinis, & fœminis prædictis, tunc & eo caſu dictæ fœminæ cum dictis maſculis in ſacris ordinibus conſtitutis, vel religioſis, & profeſſis ſuccedant cum eo, vel eis de jure communi. Si autem ſuperſint dicti filii, vel alii liberi maſculi ut ſupra, quorum aliquis, ſeu aliqui ſint laici, ſeu clerici in ſacris ordinibus non conſtituti, & alii unus, vel plures ſint in ſacris ordinibus conſtituti, vel profeſſi, ut ſupra, & ſuperſint etiam dictæ fœminæ una, vel plures cum eis, tunc in eo caſu dictæ fœminæ cum dictis omnibus ſpecificatis ſupra ſuccedant de jure communi. Sed tamen ipſarum fœminarum unius, vel plurium portio dictis maſculis laicis, vel clericis non conſtitutis in ſacris, & qui non ſint profeſſi, ut ſupra authoritate præſentis ſtatuti totaliter acquiratur, & ab eis dotari debeant, ſecundum formam noſtrorum ſtatutorum. Volumus tamen, quod mulieri decedenti ab inteſtato, quæ contraxit plura matrimonia, & ex uno ex illis extent filii maſculis unus, vel plures dictæ mulieris, vel liberi alii maſculi ex filio deſcendentes, & ex alio matrimonio extent filiæ fœminæ tantùm una, vel plures, vel alii liberi deſcendentes ex filia, filiæ fœminæ, & deſcendentes ex filia ſuccedant in non dotalibus in quadrante tantùm, ſive una, ſive plures ſint dictæ filiæ, vel deſcendentes ex filia. Et in reſiduo ſuccedant dicti filii maſculi, & alii liberi maſculi deſcendentes ex filio, ſive unus, ſive plures ſint, non obſtantibus diſpoſitis in hoc ſtatuto. Salvo ſemper in bonis dotalibus id, quod diſpoſitum eſt in ſtatuto poſito infra ſub rubrica de dotibus reſtituendis. Et in caſibus prædictis dictæ fœminæ, una, vel plures intelligantur eſſe dotatæ, ſive data ſit dos ab aliquo de prædictis, ſive in ultima voluntate eiſdem, vel eidem relicta fuerit pro ea, ſeu eis dotandis; Et ipſi mulieri uni, vel pluribus, vel alteri pro ea, ſeu eis fuerit ſoluta, & per mulierem, vel ejus nomine viro dos data fuerit. Et ſi plures ſint fœminæ extantibus maſculis ſupradictis, & una, vel plures dotatæ fuerint ab aliquo de prædictis, & aliæ indotatæ; tunc illæ, quæ dotatæ fuerint in bonis amplius petere non poſſint, & ſint de ipſa dote contentæ, ut ſupra dictum eſt; Illæ verò, quæ dotatæ non fuerint, dotari debeant, ſive maritentur, ſive religionem intraverint, vel monaſterium, vel religionem ingredi velint, in ea quantitate, in qua fuerint reliquæ ſorores dotatæ pro qualibet, niſi bona patrimonialia eſſent diminuta, quòd legitimis probationibus conſtare debeat Domino Poteſtati Bononiæ, vel ejus Vicario, vel alteri Judici, coram quo cauſa penderet, dummodò dos conſtituenda virilem patrimonii portionem non excedat, ſed filio virilis remaneat. Et ſi plures filii ſint, ſimiliter cuilibet filio debeat virilis remanere; & ſi diminutæ eſſent vires patrimonii, habeatur ratio diminutionis in dote conſtituenda à die ultimæ dotis datæ. Si verò aliqua prædictarum filiarum non fuerit dotata ab aliquo de prædictis, conſtituatur, & detur ei, vel eis dos in bonis patris, matris, avi, vel proavi, de cujus hæreditate ageretur, vel poſſeſſis per eos, vel eorum alterum tempore mortis eorum, vel alterius eorum, de cujus hæreditate ageretur, arbitrio quatuor bonorum virorum conjunctorum ex parte patris, qui ſint ſaltem ætatis viginti annorum &c. & infra. Item, quod dictum eſt de filiabus, & maſculis remanentibus ut ſupra, patre, vel matre decedentibus ab inteſtato, obtineat per omnia in nepte ex filio, & aliis fœminis deſcendentibus per maſculum extantibus dictis maſculis, dum tamen dotes conſtituendæ non excedant portionem, quæ à patre deberetur, ſi ipſe viveret. Neptes autem, vel nepotes ex filia, & cæteri alii maſculi, & fœminæ deſcendentes per fœminam, remanentibus filiis, & aliis liberis maſculis, deſcendentibus per maſculum ex defuncto, vel defuncta ab inteſtato, à ſucceſſione paterna, materna, auita, vel proauita per dictos maſculos penitus excludantur. Filiabus autem, vel aliis fœminis per maſculum deſcendentibus extantibus, & nullis extantibus filiis, vel aliis maſculis per maſculum deſcendentibus, inter eos ſuccedant, & ſucceſſio procedat de jure communi. Declarantes inſuper, quod ubicumque in aliquo caſuum prædictorum in hoc, vel præcedenti ſtatuto contentorum, mulier à ſucceſſione ab inteſtato, vel ex teſtamento repellitur, ſi inter maſculos ad invicem, vel cum aliis quæſtio oriatur ſuper debita jure naturæ quota, ſeu quanta intelligatur propter numerum liberorum, tales fœminæ quoad ipſam legitimam in numero liberorum non contineantur, ſeu computentur. Item dicimus, quod ſi quis promittens, vel ſoluens dotem eſſe debitor mulieris, pro qua promiſerit, ſeu ſoluerit, intelligatur promiſiſſe, vel ſoluiſſe de eo, in quo eſſet debitor ipſius mulieris uſque ad concurrentem quantitatem. Et hoc non vindicet ſibi locum in aſcendentibus maſculis, vel fratres, ſeu filio fratris talis mulieris, qui intelligatur de ſuo doraſſe, niſi contrarium appareat.

Eiuſdem Statuti de ſucceſſione ab inteſtato Aſcendentium, & Collateralium.

STatuimus, quod ſi quis, vel ſi qua inteſtatus, vel inteſtata in quacumque ætate, ſive teſtabilis fuerit, ſive non deceſſerit, quod in ſuccedendo ſeruentur ſibi jura communia, ſaluo ſuperiori ſtatuto & ſaluo quàm in caſibus infraſcriptis, videlicet, quod aſcendentes maſculi, & per maſculum præferantur in ſuccedendo omnibus aliis aſcendentibus perſonæ defunctæ fœminis, & etiam maſculis per fœminam, excepta matre, vel auia paterna, vel deinceps ſimiliter paterna, vidua ex eo matrimonio, ex quo talem filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, vel deinceps, de cujus ſucceſſione ageretur, habuerit, quæ vidua, ut ſupra, extantibus aſcendentibus prædictis maſculis, & per maſculum, vel altero eorum habeat ſolum uſumfructum

ctum ejus, quod ſibi à jure communi deferretur, donec vixerit, vel ad alia vota tranſiverit, vel uſusfructus aliter fuerit extinctus, ita quod ſatisdare teneatur infra menſem à die, quo, vel qua fuerit requiſita per publicum inſtrumentum, cujus copia dimitti, & dari debeat dictæ mulieri, vel ad domum ejus ſolitæ habitationis; ſalvo tamen jure cuicumque perſonæ, cui quæſitus eſſet uſusfructus prædictus jure patriæ poteſtatis, vel alia quacumque de cauſa. Item præferantur prædicti aſcendentes maſculi, & per maſculum deſcendentibus defunctæ perſonæ per fœminam; ſalvo quod omne id, quod alias de jure ipſis deſcendentibus per fœminam obvenire deberet, reſervare teneantur dictis per fœminam poſt eorum aſcendentium mortem ſi deceſſerint ſine liberis maſculis, & per maſculum, vel cum liberis maſculis, & repudiantibus, ſeu abſtinentibus, vel minimè adeuntibus, ſeu immiſcentibus. Nec non fratres mares perſonæ defunctæ ex utroque parente, vel ex patre tantùm conjuncti, & filii maſculi talium fratrum, ſeu alter ex eis præferantur dicti deſcendentibus defunctæ perſonæ per fœminam in totum, & ſimiliter deſcendentibus prædictis per fœminam præferantur patrui defunctæ perſonæ, & etiam filii maſculi eorum, vel alter ex dictis patruis, vel filii eorum, vel alterius eorum, niſi in legitima eis debita jure naturæ, dote tamen ſua, vel materna, ſive avita, vel deinceps in ea non computata. Ipſi quidem fratres, eorumque filii maſculi, patrui, eorumque filii maſculi, ſeu ex eis alter, præferantur prædictis aſcendentibus defunctæ perſonæ fœminis, & etiam maſculis per fœminam, niſi matri, vel aviæ paternæ, matre non extante, ſeu extante, & repudiante, vel non adeunte, vel proaviæ paternæ, matre, & avia paterna non extantibus repudiantibus, vel non adeuntibus, viduis ex eo matrimonio immediatè, ex quo talem filium, nepotem, vel neptem, pronepotem, vel proneptem, de cujus ſucceſſione ageretur habuerit, quæ tunc habeat uſumfructum ſolum virilis partis, ſi cum dictis fratribus concurrat; & ſi cum filiis eorum concurrat, ipſi filii fratrum in ſtirpem, & ſi cum patruis, vel eorum filiis maſculis, tunc uſumfructum habeat totius hæreditatis donec vixerit, vel ad alia vota tranſiverit, vel uſusfructus aliter fuerit extinctus, ita quod ſatisdare teneatur, provt, & ſicut ſupra; Ac etiam ſubire pro rata parte, ſeu toto quod habuerit, ut ſupra, omnia onera, & gravamina Communis Bononiæ ipſi hæreditatis, vel bonis impoſita, vel imponenda, quatenus patiatur uſusfructus, & non ultra, donec ipſe uſusfructus duraverit. Aſcendenteſque præfati maſculi, & per maſculum etiam præferantur ſororibus defunctæ perſonæ, earumque deſcendentibus etiam maſculis, & filiabus fratrum defunctæ perſonæ, & deſcendentibus etiam maſculis ex ipſis filiabus, exceptis bonis, quæ ad perſonam defunctam pervenerint ex dote, vel titulo lucrativo à matre, vel conjuncto per matrem defunctæ perſonæ, in quibus inter eos jus commune ſervetur. Dicti verò fratres mares ex utroque parente, vel ex patre tantùm conjuncti, filiique maſculi eorum, ſeu alter ex eis præferantur ſororibus defunctæ perſonæ, etiam utrinque conjunctis, eorumque liberis etiam maſculis, ac filiabus fratrum maſculorum, & earum liberis etiam maſculis, & etiam fratribus, & ſororibus uterinis tantùm, & eorum, & earum liberis etiam maſculis, exceptis bonis, quæ ad defunctam perſonam pervenerint ex dote titulo lucrativo, ut ſupra, à matre, vel conjuncta perſona per matrem dictarum ſororum, vel uterinorum, in quibus talibus bonis jus commune ſervetur. Agnati namque maſculi tranſverſales, ſeu alter ex illis uſque ad quartum gradum incluſivè, (gradum numerando in qualiber parte noſtrorum ſtatutorum ſecundum jus civile) præferantur omnibus fœminis tranſverſalibus agnatis, etiam infrà dictum gradum exiſtentibus, præterquam ſororibus perſonæ defunctæ utrinque conjunctis, vel ex patre tantùm, vel filiabus fratrum maſculorum perſonæ defunctæ ſimiliter conjunctorum, ſalvis diſpoſitis in hoc ſtatuto, & ſalvo, ſi ipſæ, vel aliqua earum concurrerent cum patruo, ſeu patruis defunctæ perſonæ, quo caſu cum eo, ſeu eis pariter admittantur, niſi in bonis perventis, ut ſuprà, ad defunctam perſonam à matre, vel à conjuncta perſona per matrem dictarum ſororum, vel filiarum, in quibus jus commune ſerveturr. Et etiam prædicti agnati præferantur omnibus tranſverſalibus cognatis etiam maſculis, & etiam in jus agnationis translatis, ut puta natis ex ſorore, vel amita defuncti, & aliis à jure declaratis, & expreſſis, exceptis bonis, quæ ad defunctam perſonam pervenerint ex dote, vel titulo lucrativo, ut dictum eſt, à matre, vel à conjuncta perſona per matrem defunctæ perſonæ, in quibus jus commune ſervetur, niſi filii maſculi, vel fœminæ, vel alii liberi ſororum utrinque conjunctarum concurrerent cum fratribus maribus defunctæ perſonæ utrinque conjunctis, ſeu eorum liberis maſculis, vel altero eorum, quo caſu ipſi fratres, vel liberi etiam in dictis bonis præferantur. Volentes, quod naturalibus tantùm, & etiam ſpuriis ſuccedatur, & ſuccedi poſſit ab inteſtato per quoſcumque, perindè ac ſi forent legitimi, & naturales, ſecundum tamen ſuprascriptam, & infraſcriptam diſpoſitionem, in quantum adaptari poteſt. Et quoad ipſam ſucceſſionem eis faciendam legitimi, & naturales cenſeantur, niſi extent ex ipſis naturalibus tantùm, vel ſpuriis, ut ſupra, liberi etiam naturales tantùm, ut ſupra, qui tunc admittantur, & omnibus præferantur, præterquam liberis legitimis, & naturalibus, quo caſu inter eos jus commune, & noſtra ſtatuta ſerventur. Declarantes, quod leges de ſecundis nuptiis loquentes, ſeu tractantes in ſupradictis, & infraſcriptis omnibus vendicent ſibi locum, niſi in ſupradictis, & infraſcriptis caſibus aliud ſpecialiter ſit proviſum. Inſuper ſtatuimus, quod quilibet homicida, ſeu ille, cuius dolo malo aliqua perſona deceſſerit, non ſuccedat, nec ſuccedere poſſit ex teſtamento, vel ab inteſtato ipſi defunctæ perſonæ, nec alicui eius aſcendenti, vel deſcendenti, niſi ex teſtamento poſteà confecto, nec aliquid de bonis talium capere poſſit ex teſtamento eorum, niſi poſteà confecto, ut ſupra, vel ab inteſtato propriè, vel impropriè ſumpto vocabulo. Item uxor, filii, vel nepotes talis homicidæ, ſeu cujus dolo malo aliquis deceſſerit, eodem modo prædictis non ſuccedant, nec capere poſſint de bonis prædictorum, ut ſupra, donec vixerit ille talis homicida, ſeu cujus dolo malo deceſſerit. Et infrà. Volentes inſuper, & declarantes, quod omnia contenta in præſenti ſtatuto, & diſpoſita in caſibus ſupraſcriptis, ſi ſeparatim, ſeu disjunctim contingant, locum habeant in dictis caſibus, etiam ſi ſimul, vel conjunctim contingant quocumque ſint caſus inſimul, vel conjunctim contingentes, quatenus poſſint adaptari, &c.

BRACCHIANI,

Quod eſt Oppidum Baronale intra diſtrictum Urbis.

PARTICULA XXVIII.

De non ſuccedendo per filiam maritatam, vel maritandam Cap. 242. fol. 34.

QUod filia maritata, vel maritanda à patre, avo, matre, avia, aliiſque ſuperioribus, vel collateralibus fratre, patruo, avunculo, neporibus, aliiſvè conſanguineis, affinibus, conjunctis, vel extraneis perſonis, dote ſua contenta eſſe debeat, nec de bonis paternis, maternis, avi, aviæ, aliorumque ſuperiorum, vel collateralium fratris, patrui, neporum, aliorumque conſanguineorum ſucceſſionis, ſive ab inteſtato, ultra dictam dotem habere poſſit, nec jure legitimæ, falcidiæ, vel trebellianicæ, ſed dote ſua contenta eſſe debeat ſibi data, vel promiſſa, ſive danda de paragio, ut ſupra ſtatutum fuit. Ad quam dotem de paragio promittendam, & dandam juxta poſſibilitatem facultatum ſuorum, & ſuarum fratres conſanguinei, vel affines, ad quos illam tradere nuptui ſpectat, & pertinet aſtringantur, & compellantur per Officialem, & Maſſarios Terræ Bracchiani, cum honeſtè expediat habere mulieres dotatas, & maritatas, necnon familias, ac ſtirpem conſervare.

BRISIGHELLÆ,

Terræ ſub Legatione Romandiolæ.

PARTICULA XXXIX.

De ſucceſſionibus ab inteſtato tam aſcendentium, quam deſcendentium Rubr. 24. lib. 2.

STatuimus, & ordinamus, quod mortuo patre, vel aſcendente ab inteſtato, qui habet filium, vel filios maſcu-

culos, aut nepotes, vel deinceps ex filio, vel descendentibus tenentibus primum locum, & cum eis filiam, vel filias, aut nepotem, neptes, vel deinceps etiam tenentes primum gradum, tota hæreditas talis morientis in totum, & universaliter pertineat ad masculum, vel masculos, dictis ipsis fœminis ab hæreditate exclusis. Tales tamen hæredes masculi ipsam filiam, vel filias, neptem, aut neptes, & deinceps dotare per dictum D. Vice Comitem compellantur sine strepitu, & figura judicii, & talis dos constituatur, & constitui debeat secundum qualitatem patrimonii decedentis, vocatis duobus proximioribus agnatis, vel saltem cognatis, aut vicinis in defectum agnatorum, & cognatorum per dictum D. V. Comitem ad talem dotis constitutionem, dum tamen ipsa dos non possit esse minor legitima, seu debito jure naturæ ipsi mulieri competenti in bonis talis defuncti, & talis dotis constitutionem possit semel quælibet talis filia, aut neptis, filiæ, vel etiam deinceps neptes in dictis bonis, & taliter petere, sive velit nubere, aut de per se stare, aut Religionem, vel Monasterium intrare.

BRITINORIENSIS CIVITATIS.

PARTICULA XXX.

Depromptâ ex Breve sanctæ memoriæ Gregorii XIII. sub datum 16. Februarii 1579.

NEcnon ad effectum, ut agnatio familiarum vestrarum per masculos conservetur, volumus, quod extantibus masculis in pari gradu cum fœminis, fœminæ succedere non possint in bonis ascendentium, transversalium, & descendentium qualitercumque acquisitis, dummodò congruè sint dotatæ, & si dotatæ non fuerint ex bonis, in quibus succedere deberent ab intestato, secundum qualitatem, & conditionem familiæ congruè dotentur, provt aliàs per piæ memoriæ Julium II. Prædecessorem nostrum statutum fuit.

Alia Particula Brevis Julii II. sub datum 14. Junii 1504. de quo fit mentio in Breve Gregorii XIII.

VOlentes insuper providere vestris familiis, aut domibus, in quibus masculi sint superstites, ne ex mulierum successione depauperentur; Præsentium tenore decernimus, & statuimus, quod fœminæ in bonis ascendentium, & transversalium qualitercumque acquisitis succedere non possint, dummodò congruè sint dotatæ ex dictis bonis, in quibus ab intestato succederent.

CALDAROLÆ,

Quod est Terra sub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA XXXI.

De mulieribus dotatis, ad intestato exclusis, masculis existentibus Rubr. 47.

PRoculdubio sine divitiis familia sine decore, & ornamento est, tamquam alga vilescit, & uti flos sine pluvia languet, pauperratisque fluctibus agitata, & ventorum impetu concussa collabitur; At divitiis munita, uti turris inexpugnabilis ab omnibus circumspicitur; Maximè igitur utile (hisque præsertim temporibus) decorum apprimè, & admodum necessarium est fortunæ bonis stabilire, ac præcavere ne in alienam transeant familiam: Quare præsenti statuto jubemus, & ordinamus, quod unaquæque mulier de Terra Caldarolæ, vel ejus districtu, cujuscumque ætatis, etiam non nubilis existat, fuerit in præteritum, aut sit in futurum dotata à patre, vel avo paterno, aut ab avo, vel zio carnali, aut à cæteris ascendentibus ex linea paterna, vel à matre, avo materno, aut zio carnali, aut à cæteris ascendentibus ex linea materna, vel à fratre germano, seu fratribus, aut filiis fratrum; talis mulier sic dotata, vel descendentes ex ea non possit, vel possint habere recursum, nec venire ad successionem, & bona supradictorum dotantium, vel non dotantium, vel descendentium ab eisdem per lineam masculinam, filiis, vel nepotibus masculis hæredibus remanentibus, vel quousque supervixerit aliquis filius, vel nepos ex prædictis, qui non impediantur hæres esse, vel successor, juris communis dispositione, vel statuti, aut Judicis sententia, vel testatoris voluntate, vel pacto, vel voluntate ipsius, seu quovis alio modo succedere impediatur, & ab uno ex his, seu pluribus sufficiat esse dotatam, ut ab omnium prædictorum successione cum descendentibus excludatur, etiam si in ipsius dote non contribuerint.

Defunctis autem supradictis, vel aliquo ex eis ultimo superstite sine filiis, vel nepotibus masculis legitimis, & naturalibus; tunc, & eo casu mulier ipsa etiam dotata admittatur ad successionem, & bona sic decedentium, vel decedentis pro portione sibi à jure debita, ac si dotata non esset, collata dote in casu, quo veniret conferenda.

Et mulier dotata intelligatur, cui per supradictos dos soluta erit realiter, vel promissa, aut confessata; dummodò per eos, vel descendentes ex eis postea integrè persolvatur sine aliqua lite, & controversia.

Declarantes etiam, quod si in præteritum, vel in futurum contingat mulierem aliquam dotatam fuisse, vel esse à fratre, seu fratribus germanis, sive de bonis paternis, vel aliorum ascendentium, vel transversalium, vel quocumque alio modo, & aliquis ex dictis fratribus moriatur sine filiis masculis, vel nepotibus, cæteri fratres, & filii masculi ipsorum fratrum succedant in stirpem, & prædictæ mulieres dotaræ, & descendentes ex eis excludantur à successione prædictorum, prælatis fratribus, & eorundem filiis masculis, ut supra.

Et omnia præmissa in omnibus, & singulis casibus præmissis intelligantur, & locum vindicet in successionibus, & bonis decedentium ab intestato, sive intestati decesserint impotentia facti, sive juris, uti minores 14. annis, & alii hujusmodi.

Si verò prædicti cum testamento decesserint, omnia in testamento disposita serventur plenissimè, nec tale testamentum, ut supra conditum, possit dici nullum, rumpi, infringi, vel querelari, aut aliquo modo impugnari per supradictas mulieres, vel descendentes ex eis.

Addentes quoque, quod si aliquis ex prædictis decesserit intestatus, & sine ascendentibus, vel descendentibus, superstitibus sorore carnali etiam utrinque conjuncta, & nepote masculo, ex fratre germano utrinque coniuncto, & fratre patruele, & dicta soror utrinque conjuncta fuerit, ut jam dictum est, dotata ab aliquo ex præmissis ascendentibus, vel fratre germano; bona sic ab intestato decedentis devoluantur pleno jure in dictum nepotem, dictis sorores, & fratre patruele prorsus exclusis.

Sed si post mortem talis decedentis supereessent soror carnalis utrinque conjuncta, & frater patruelis præmissi ab intestato decedentis, sine ascendentibus, vel descendentibus, bona æqualiter devoluantur ad prædictos sororem, & fratrem pro domus conservatione, & cippi.

Et quoniam aliquando evenit supradictas dotatas mulieres matrimonio dissoluto, vel etiam constante, aliquo casu, viros inopes fieri, sic ut vivere non possint, nec seipsas substentare, ne paupertate oppressæ in muliebris fragilitatis scopulos incidentes corruant, quadam pietate, ac benignitate utentes, statuimus, quod in præmissis casibus, vel aliquo ipsorum, si mulier sit non levi pauperta-te oppressa, & gravi in necessitate constituta, sic ut vivere nequeat, possit tunc petere victum, & vestitum in hæreditate sic decedentis, secundum vires patrimonii, & personæ ipsius conditionem, dummodò cum successoribus suas conferat dotes, aut jus easdem repetendi cedat ipsis.

Veruntamen si mulier non fuerit dotata ab avo, patre, vel alio ex prænominatis in vita, nec in morte ab intestato decedentibus, & fratres ipsius mulieris, vel descendentes ex eis masculos reliquerit decedens; dicto casu superstites masculi teneantur, & debeant dotare ipsam mulierem unam, vel plures, & congruam consignare dotem, juxta vires patrimonii, numerum filiorum, domus conditionem, & communem Terræ Caldarolæ consuetudinem, & dotem ipsam effectualiter tradere ipsi mulieri, aut ejus marito, vel socero, vel cui mulier voluerit, vel jura disponerent ad mulieris utilitatem servandam;

dam, qua dote ſoluta, vel formiter promiſſa, & cauta, dicta mulier à prædictorum ſucceſſione penitus excluſa intelligatur.

Addentes, quod dos data, ſeu danda ipſi mulieri, an ſit competens, & congrua, conſideratis jam dictis conditionibus, ſtetur declarationi duorum proximiorum conſanguineorum mulieris, cum auctoritate D. Poteſtatis, vel Vicarii, ſive Officialis Caldarolæ, dummodò per prædictos legitima, jure naturæ debita, non fraudetur prædicta mulier, taleſque conſanguinei ad prædicta cogantur per D. Poteſtatem, vel alium jus dicentem ad petentis petitionem; Et ſi duo concordes non fuerint in dotis declaratione, & conſtitutione, tertius ad id per Judicem eligatur.

Quæ dotis conſignatio, vel promiſſio fieri debeat infra ſex menſes computandos à die mortis avi, patris, vel aliorum ſupradictorum.

Si quæ mulier dotanda non fuerit nubilis ætatis, id eſt major duodecim annorum, ſed erit minor, & non apta ad matrimonium contrahendum, vel ſponſalia, tunc frater, ſeu alter, qui virtute præſentis ſtatuti dotare tenetur, coram Judice, & ad bancum juris compareat, & ſub Notarii rogitu conſtituat infrà dictum tempus ſex menſium congruam dotem modo ſupradicto ipſi mulieri, offeratque tempore legitimo ſolvere, quantitatem exprimendo pecuniarum, vel bonorum, quæ conſignare intendit, & tunc pro dotata habeatur mulier quoad ipſius excluſionem à ſucceſſione.

Quæ omnia ſi facta non fuerint infrà dictos ſex menſes currentes dicta mulier admittatur ad ſucceſſionem cum cæteris hæredibus, vel ſola, juxta juris communis diſpoſitionem, ſi alii non ſuperſint omnium præmiſſorum.

Decernimus adhuc, quod ſi qua perſona extranea, exceptis patre, avo, matre, avia, zio carnali, vel zia, aut fratre germano, vel ſobrino dederit in futurum, vel promiſerit dotem pro muliere de bonis ipſius dotantis, ſive in pecunia, ſive in alia re, & hoc conſtet ſic eſſe, & ſoluto matrimonio morte mulieris ſine liberis tempore traditionis, vel promiſſionis ſtipulatus fuit ſibi dotem ipſam reſtitui, caſu eveniente ſibi, vel ſuis hæredibus reſtituatur, quarta retenta à viro ex forma præſentium ſtatutorum, vel alteri, cui dotans reſtitui ſtipulatus fuerit, ſed ſi ſibi, vel alteri reſtitui non fuerit ſtipulatus, tunc ad mulieris hæredes tranſmittatur.

At ſi de bonis mulieris dicta dos data, vel promiſſa fuerit, etiam ſi dotans ſibi reddi ſtipulatus fuerit, actio non ſibi, ſed mulieri, ejuſque hæredibus, & ſucceſſoribus quæratur ad reperendam, ſoluto matrimonio, vel alio caſu de jure permiſſo, ſemperque dotans ſimpliciter mulierem, ſive ſit extraneus, ſive ſanguine conjunctus; intelligatur de bonis propriis mulieris dotaſſe, ſi habeat hæreditaria, vel adventitia, aut alio modo quæſita, & dotans tanquam procurator id feciſſe præſumatur; & ſi majorem quantitatem promiſerit, quàm ſint bona mulieris, tunc promittens de propriis bonis ſupplere teneatur.

Et cum ſæpiùs fratres detrectent proprias ſorores matrimonio, debito tempore collocare, ut interim promiſſa, ſeu conſtituta dote, ut ſupra fruantur. Statuimus quod fratres, qui poſt vigeſimum annum ſorores nuptui non tradiderint, ſi matrimonio ſint aptæ, & non impeditæ aliquo morbo, vel naturæ impedimento, poſt dictum tempus, ultra alimenta ipſis ſororibus præſtanda pro interviurio promiſſæ dotis, vel conſtitutæ, teneantur ſolvere ad rationem quatuor pro quolibet centenario dotis conſtitutæ, aut promiſſæ.

Addentes propterea, quod ſi avus, vel pater, aut frater dotando neptem, filiam, & ſororem reſpectivè certam promiſerint quantitatem, computatis bonis maternis, vel adventitiis, aut aliundè quæſitis ipſius neptis, filiæ, vel ſororis, ſi avus, vel pater habiles ſint ad promiſſam dotem præſtandam, vel ſi à fratre fuerit facta promiſſio, & quantitas de paternis bonis ſibi debeatur, tunc, & eo caſu dos promiſſa, à patre, vel avo, de propriis bonis ipſorum præſtetur, & ultra materna bona, vel aliundè quæſita conſignent ſimiliter, & frater paterna, vel avita, & ultra aliundè quæſita.

Inſuper ſi paterna bona non ſufficiant, & materna, vel avita ad congruam dotem ſorori conſtituendam, fratres tunc de propriis bonis addere ad competentem dotem compellantur, ſi habiles ſint ad dotem præſtandam, quæ habilitas Judicis arbitrio, qui pro tempore fuerit, reponatur.

In omnibus verò caſibus præmiſſis mulier dotata excluſa intelligatur à ſucceſſione prædictarum perſonarum, non autem à legitima non dotantium ipſi debita, quam integram conſequi mandamus, & ea non fraudari, præſenſque ſtatutum locum vindicet in præteritis, præſentibus, & futuris.

Eiuſdem ſtatuti; Quod bona decedentis ab inteſtato devoluantur ad proximiores conſanguineos Rubr. 48.

IVra ſanguinis ſuadent, & omnes leges dictant, ut decedentium ab inteſtato bona ad proximiores agnatos devoluantur, ne familiæ dignitas inopia pereat, ſtatuimus igitur, & præſenti ſtatuto firmamus, quod ſi aliquis, vel aliqua de Terra Caldarolæ, ejuſque diſtrictu deceſſerit inteſtatus, ſeu inteſtata, nulloque condito teſtamento ſine filiis maſculis legitimis, & naturalibus, vel deſcendentibus ex eis, bona omnia cujuſcumque generis, & jura ſic ab inteſtato decedentis devoluantur, & deveniant in proximiores conſanguineos deſcendentes ex paterna, vel avi paterni linea, videlicet bona paterna, vel avita ad proximiorem conſanguineum ſic ab inteſtato decedentis uſque in tertium gradum incluſivè, ſecundùm gradus, & lineæ prærogativam.

Bona verò materna in proximiores conſanguineos ex linea materna, vel avi materni linea deſcendentes uſque in tertium gradum, ut ſupra, cum rationi conſonum ſit, quod talia bona ad ſtatum revertantur, unde principium habuiſſe noſcuntur.

Declarantes præſens ſtatutum locum non vindicare in decedente ab inteſtato patrem habente; eo enim caſu patrem ſuccedere volumus, cæteris proximioribus ex linea tranſverſali excluſis.

Si autem ſic ab inteſtato decedens matrem relinquat tantùm mortuo patre, tunc mater ſuperſtes habeat legitimam portionem ſibi jure naturæ debitam; cætera verò bona devoluantur ad proximiores de cippo, modo prædicto.

Declarantes etiam, quod conſanguineorum appellatione non veniant deſcendentes maſculi, vel fœminæ ex filiabus dotatis, ut in precedenti ſtatuto cautum eſt, ſed intelligantur ſolummodò deſcendentes conſanguinei ex maſculis.

Filiæ fœminæ legitimæ, & naturales ſic ab inteſtato decedentis per præſens ſtatutum excluſæ intelligantur, quoties congruo tempore, & modo fuerint dotatæ, ut in præcedenti ſtatuto, aliàs ſuccedant, juxta juris communis diſpoſitionem.

Si concurrant in hæreditate ſic ab inteſtato decedentis avus paternus, & maternus; in bonis paternis præferatur paternus, in maternis maternus, ſi concurrant avus paternus, avia paterna, ac materna, his omnibus paternus præferatur.

Adiicientes, quod inteſtatus intelligatur præſenti ſtatuto, qui teſtamentum condere noluit, vel non potuit facti, vel juris impedimento, aut ratione ætatis, uti pupillus, & infans, vel rationis imperfectione, uti furioſus, & mentecaptus.

CALLIENSIS CIVITATIS.

PARTICULA XXXII.

De ſucceſſione ab inteſtato, quod ſtantibus maſculis, &c. Rubr. 64. lib. 2.

Decretum Federici Urbini Ducis.

NOs Federicus, &c. ſtatuimus, & præſenti lege, & decreto decernimus, & firmamus ad confirmationem familiarum, & agnationum cipporum domus, quantum dignitas, & honor per maſculos conſervetur intendentes, quod communiter per Italiam in aliis Civitatibus, & locis noſtræ juriſdictionis, & diſtrictui noſtro ſubjectis conſervantes pro communi, ac publico utili, ac honeſto moti, & inclinati conſenſu, & voluntate populi noſtræ Civitatis Callii, provt in Conſilio Civitatis prædictæ aliàs fuit obtentum, quod de cætero filiæ fœminæ, & deſcendentes ex eis per lineam fœmininam, ad ſucceſſionem patris, matris, ac collateralium maſcu-

lorum, & eorum filiorum, necnon aliorum descendentium tam per lineam paternam, quàm maternam ab intestato defunctorum non admittantur, existentibus filiis masculis, vel nepotibus per lineam masculinam descendentibus ex eisdem, & aliis collateralibus masculis, & eorum filiis, quibus ipsi solum succedant, dummodò ipsæ filiæ dotatæ fuerint, aut dotentur à quocumque prædictorum de bonis, rebus, & pecuniis cujuscumque ipsorum, usque ad quantitatem legitimæ dictis filiabus debitæ jure naturæ in bonis patris, aut aliorum ascendentium per lineam masculinam, ut supra, & ultra quantitatem legitimæ.

Sin verò dotatæ fuerint in minori quantitate ipsius legitimæ à quocumque prænominatorum, tunc solùm excludantur, & sint exclusæ dictæ filiæ dotatæ à successione, & hæreditate ipsius dotantis, & non aliorum existentibus filiis masculis, ut supra; Et prædicta locum habeant in præteritis, præsentibus, & futuris, sive reservatione, sive præsumptione non decisis.

Eiusdem Statuti Rubr. 65. lib. 2.

Decretum Guidobaldi Primi Urbini Ducis.

COnvenit, quantum fieri potest, familiarum dignitatum bona conservari, & perpetuari, ut mulierum translatione in alienas familias, quibus nulla conservatur dignitas paternæ domus, sive stirpes, ad extraneos non transeant familiarum facultates, quibus deficientibus cædem obscurantur familiæ. Igitur non sine ratione ad hanc devenitur constitutionem in perpetuum valituram, saluberrimo remedio occurrendo, provt decet, omnium suffragio.

Hoc igitur perpetuo Edicto firmatur, quod filię fœminæ, & descendentes ab eis non succedant ab intestato ad bona, seu in bonis paternis, vel maternis, donec, & quovsque filii masculi, sive nepotes descendentes ab eis per lineam masculinam in infinitum supervixerint unus, vel plures, dum tamen sint dotatæ, sive dotentur; Quibus quidem filiis, nepotibus, & cæteris, de quibus supra existentibus, hoc est, donec superfuerint, & quoad supervixerint dictæ mulieres dotatæ, sive dotandæ, intelligantur exclusæ ab intestato, etiam à jure rumpendi, & agendi ad supplementum legitimæ in bonis, sive hæreditate dotantis; Quod quidem intelligatur non modò in transeuntibus in matrimonium carnale, verum etiam ad matrimonium spirituale, seu aliter quovis modo in sæculo, vel Religione intrantibus, quibus dotem congruam præstandi decernitur, provt supra, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus, & prædicta locum habeant in præteritis, quibus nullum jus quæsitum per sententiam, & in præsentibus, & futuris.

Decretum Guidobaldi Secundi Urbini Ducis
Rubr. 66. lib. 2.

VOlentes, sicut est cura, & sollicitudo nostra, commodis, & opportunitatibus subditorum nostrorum providere, ac in familias masculinas opes, & divitias, per quas hominum dignitates manutenentur, & conservantur, recolentes, & animo revoluentes Illustrissimorum, & Excellentissimorum Ducum sel. mem. Federici Proavi nostri, Guidobaldi Avi nostri adoptivi in Statu Urbini, necnon Joannis de Ruvere Urbis Præfecti, Soræ, Arcisque Ducis, Avi nostri paterni in Statu Senogallię, & Vicariatus, Constitutiones, & Decreta ad exclusionem fœminarum in favorem masculorum edita, quæ tamen, quia partim in desuetudinem abierunt, & hactenus neglecta, non fuerunt observata, & partim quia suppletoriam additionem requirere videbantur, eisdem constitutionibus, & decretis inhærentes illas, & illa nedum confirmare, sed quantum ad communem populorum nostrorum utilitatem nobis pro universali concessione agnationum, visum fuerit expedire easdem Constitutiones, & Decreta in hac parte loquentia omnium, & singulorum locorum jurisdictioni nostri status subditorum corroborare, ampliare, & extendere inrendentes.

Nos Guidobaldus Secundus Feltrius de Ruvere Urbini Dux IV. Hac nostra præsenti lege inviolabiliter observanda, & perpetuò duratura decernimus, & sancimus, quod fœminæ quorumcumque locorum totius nostri status, dotatę ab Avo, Avia, Patre, Matre, vel à Fratre, à quocumque, vel ab altero ipsorum, donec, & quovsque masculi superfuerint, per lineam directam descendentibus, in infinitum, ab intestato succedere non possint, nec agere ad jus aliquod legitimæ, vel ejus supplementi, aut congruæ dotis, vel aliquo alio quæsito colore possint, & debeant habere regressum ad bona, & hæreditatem patris, matris, avi, aviæ, seu fratris, vel alterius ipsorum, vel ipsarum; ita quod ab uno ipsorum tantùm dotatæ, censeantur exclusæ ab omnium supranominatarum personarum hæreditatibus, sed dotibus sibi relictis, constitutis, traditis, vel promissis à quocumque ipsorum, vel altero eorum, stare debeant tacitæ, & nulla unquam ratione reclamare, & contravenire, & perpetuò censeantur exclusæ, donec, & quovsque, ut supra dictum est, masculi in infinitum per lineam directam descendentes superfuerint.

Teneantur tamen dicti filii masculi, quarenus filiæ fœminę ab avo, avia, patre, aut matre dotatæ non fuerint, illas, vel quaslibet ipsarum condecenter, & congruè dotare, inspecta qualitate personarum, patrimonii, & consuetudine eorum domus, & casatæ sub judicio, consensu, & declaratione duorum propinquorum proximiorum, non habentium interesse in hujusmodi hæreditatibus, & in eventu discordiæ, & dissensus eorum consanguineorum, arbitrio, & declaratione Judicis ordinarii locorum. Et filiæ fœminæ ultra dotes, sicut supra, eis traditas, aut quoquomodo constitutas, traditas, vel promissas à quocumque prædictorum, aut ab eorum altero, nihil ultra petere possint in dictis bonis avitis, maternis, paternis, & fraternis, sed in illis tantum, sicut supra descendentes, integrè, & plenè succedant, & succedere debeant.

Volentes, & providentes, quod si plures dotatæ fuerint sorores, vel non dotatæ, una, vel pluribus decedentibus sine filiis, quod cæterę sorores in eis, vel earum bonis, & hereditate censeantur exclusæ, & filii masculi, vel eorum filii descendentes, & proximiores in earum successionibus admittantur, & admitti debeant.

Addentes, quod veniente casu viduitatis, dictæ filiæ fœminæ redire debeant, & possint ad domum avitam, maternam, paternam, vel fraternam, vel eorum, à quibus fuerint exclusæ, seu hæredum ipsorum, & ibidem, suas dotes conferendo, habere debeant alimenta necessaria cum vestitu, secundum avitas, paternas, maternas, vel fraternas facultates.

Supplentes, & declarantes, quod ubi in locis nostræ jurisdictioni subjectis extarent statuta, reformationes, seu constitutiones, quæ magis plenos, latos, seu largos casus amplecterentur, & ad alias personas ulteriores in favorem masculorum se magis extenderent, quàm in præsenti lege, & decreto fuerit expressum, non intendentes eis statutis, reformationibus, seu constitutionibus præjudicare, volumus, & decernimus, hoc nostro decreto nil obstante, eadem statuta, reformationes, vel constitutiones observari, volentes, & mandantes hanc nostram legem, sive decretum per omnia loca jurisdictioni nostræ subjecta publicari, & in publico registrari, ac perpetuò manuteneri, & observari, sub pœnis, arbitrio nostro imponendis, nullis aliis legibus, decretis, constitutionibus, reformationibus, seu consuetudinibus aliàs factis, in contrarium facientibus non obstantibus, quibus, & cuilibet ipsarum, ut ipsorum in hac parte derogari volumus, & expressè derogamus.

CAMERINENSIS CIVITATIS.
PARTICULA XXXIII.

De dotibus, & dotatis mulieribus Rubr. 119. lib. 2.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si qua mulier nata, vel nascitura, fuerit, vel erit dotata à patre, vel avo paterno, vel fratre carnali, vel patruo carnali, non possit ipsa mulier, nec descendentes ex ea succedere in bonis, & hæreditate, vel successione prædictorum, vel alicujus eorum dotantium, vel non dotantium, vel descendentium ab eisdem, vel aliquo prædictorum per lineam masculinam, quousque supervixerit aliquis de prædictis avo paterno, patre, fratre carnali, vel patruo carnali, vel aliquis masculus legitimus, & naturalis de prædictis proximè nominatis, vel aliquo prædictorum, vel masculus, seu masculi ex descendentibus ab eisdem, vel aliquo ipsorum per lineam masculinam, dummodò dicta persona sit successibilis, §. Si verò fuerit dotata à matre, vel avo materno,

vel

vel avia materna, vel paterna, non poſſit ipſa mulier dotata, nec deſcendentes ex ea ſuccedere in hæreditate, & ſucceſſione ipſorum matris, avi, vel aviæ paternorum, & maternorum dotantium, vel non dotantium, quoad ſupervixerit aliquis maſculus legitimus, & naturalis ipſorum, vel alicujus eorum, de cujus hæreditate agitur, vel maſculus, & maſculi legitimus, & naturalis, vel legitimi, & naturales, deſcendens, vel deſcendentes ex ipſis, vel aliquo ipſorum, vel ipſarum, de quorum hæreditate agitur, ut præmittitur, §. Etſi mulier plures habuerit frater carnales, & fuerit ab uno ex fratribus dotata, non poſſit dicta mulier reverti, nec recurſum habere ad hæreditatem fratris dotantis ſine liberis ex matrimonio decedentis, vel ad hæreditatem alicujus ex fratribus ipſius dotantis utrinque conjunctis, vel conſanguineis tantùm, nec ipſi fratri dotanti, vel alicui ex talibus ſuis fratribus ab inteſtato ſuccedere, quouſque ſuperuixerit aliquis frater vtrinque conjunctus, vel conſanguineus tam ipſius fratris ab inteſtato mortui ſine liberis ex matrimonio natis, vel aliquis ex deſcendentibus per lineam maſculinam à fratre, vel fratribus utrinque conjuncto, vel conjunctis ipſi fratri dotanti, vel à fratre, vel fratribus conſanguineo, vel conſanguineis, quàm ipſius fratris dotantis, §. Item dicimus, quod ſi qua mulier fuerit, vel erit dotata à fratre, vel fratribus omnibus carnalibus, & aliquis illorum fratrum decederet ſine filiis, alii fratres maſculi utrinque conjuncti, ſi ſoli ſuperſint, vel conſangulnei tantùm, ſi ſoli ſuperſint fratri mortuo ab inteſtato ſuccedant cum nepotibus ex aliis præmortuis fratribus, qui fuerunt fratres utrinque conjuncti mortuo, vel conſanguinei, & ſi non ſupereſſent tales fratres talis mortui, ſed ſupereſſent tales nepotes, ipſi nepotes ſuccedant ſoli, ipſa muliere dotata excluſa à dicta ſucceſſione, quouſque aliquis ex dictis maſculis exiterit, & hoc etiam locum habeat in patruis carnalibus, quibus ſuccedant filii maſculi aliorum fratrum, & non fœminæ dotatæ, ubi morerentur ab inteſtato, §. Et ſi dictæ mulieres dotatæ, vel non dotatæ morerentur ſine filiis ab inteſtato, etiam in pupillari ætate, matre ſuperſtite, vel ea non extante, ſuperſtite avia materna, vel avo materno, vel avia paterna, eo caſu in totum excludantur mater, avus maternus, vel avia materna, vel paterna, quouſque ſuperuixerit aliquis frater, vel ſoror carnalis utrinque conjunctus, vel conjuncta, vel aliquis filius, vel filia, unus, vel plures ipſorum fratris, vel ſororum, ſi ipſi ſuperſint ſecundum formam, & tenorem ſtatuti immediatè ſequentis: Ubi verò prædicti non ſupereſſent, & ſuperuiuerent frater, vel fratres, conſanguineus, vel conſanguinei tantùm, vel eorum, vel alicujus ipſorum filii maſculi legitimi, & naturales, vel patruus, vel patrui carnales, vel filii eorum, ſeu alicujus eorum maſculi legitimi, & naturales, & excluſa matre, auo, & auia paterna, & materna prædictis ſuccedant in aliis bonis, præterquam in legitima ordine ſucceſſivo, & eo caſu, quo filii maſculi remanerent ex dicto fratre dotante, & morerentur in pupillari ætate, ſimili modo ſuccedant fratres dotantis, ubi ſupereſſent fratres carnales etiam ex latere patris tantùm, & ubi non ſupereſſent tales fratres, ſuccedant patrui eorum, & filii maſculi, matre excluſa, & auo, & auia prædictis; Salvo in omnibus, & ſingulis dictis caſibus in præſenti ſtatuto contentis, & quolibet eorum teſtamento, & ultima voluntate prædictorum, §. Etſi aliquis ex dictis, mulieribus relinquerent aliquid, obſervetur, ſalvo, quod mulieres tempore neceſſitatis poſſint habere victum, & veſtitum in hæreditate ſecundum vires patrimonii, dotem ſuam conferendo, & refundendo, ſi poterit, vel jura cedendo repetendi dotem cauſa conferendi, & refundendi dotem prædictam, §. Ille autem, vel illi, qui ſimul cum aliqua muliere parentibus ſucceſſerit, vel ſucceſſerint ab inteſtato, qui dotem dederit, vel dederint pro ipſa muliere, ejus, ſeu eorum hæredes non poſſint, nec debeant repetere ipſam dotem, donec vixerit illa mulier dotata, vel ſui filii, unus, vel plures, nec petere poſſit ipſa mulier partem ipſius, vel ejus hæredibus contingentem de bonis ipſorum parentum uſque ad concurrentem quantitatem dotis receptæ, §. Item ſi aliquis receperit aliquam promiſſionem reſtitutionis dotis alicujus mulieris de bonis mulieris, ſiue nominata fuerit illa mulier in Inſtrumento promiſſionis de reſtitutione dotis, ſiue non, jus de dicta dote, & actionem pro ipſa dote repetenda, & dare, & reſtituere debeat ipſi mulieri, nec detentio talis Inſtrumenti ipſi mulieri, nec illi cui dimitteret, vel jus ſuum daret, & cederet obeſſe poſſit, aliquo jure communi, vel ſtatuto non obſtante, ſed illum, vel illos inſtrumentum, ſeu promiſſiones de reſtitutione dotis recipientem, ſeu recipientes Poteſtas, & Capitaneus, vel aliquis alius Officialis compellant ipſi mulieri, vel ſuis filiis, vel cui jus ſuum cederet, & dimitteret, ut dictum eſt reſtituere, §. Et intelligatur dos fuiſſe de bonis mulieris dotatæ eo ipſo, quod apparverit eamdem doratam fuiſſe ſemel, vel pluries à patre, matre, auia, vel zio, fratre carnali, vel conſobrino, ſorore carnali, vel conſobrina, etiamſi in inſtrumento dotali non diceretur, quod eſſent bona dictæ mulieris, ſeu ſimpliciter à prædictis daretur, ita quod non intelligatur de bonis propriis ejus, qui ſtipulatus fuerit dotem ſibi reſtitui, ſe dotem dediſſe, vel promiſiſſe de bonis dictæ dotatæ, niſi appareret evidenter dictum dotantem ſupradictam dotem dictæ mulieris ſe dare, ſeu promittere, quo caſu uſque ad concurrentem quantitatem, quam de ſuo ſolveret, poſſit ſibi cavere per ſtipulationem, vel alio modo, ut partes extiterint in concordia, §. Item ſi quis, vel qua (exceptis perſonis, de quibus in præcedenti §. qui incipit, ille autem, vel illi, aliquam dotauerint mulierem in totum, vel in partem de propriis bonis ipſius dotantis, ſiue pecuniam dederit, vel alias res, & ipſam dotem tempore promiſſionis, ſi promiſſio interuenerit, vel tempore ſolutionis, vel traditionis ſtipulatus fuerit, vel ſtipulata dotem ſibi reddi, & conſtiterit inſtrumento, aut documento publico, vel teſtibus fide dignis, matrimonio diſſoluto morte mulieris ſine filiis ex ea deſcendentibus inter illam mulierem, quam dotauit, & maritum, cui pro ea dotem dederit, vel dari fecerit: dotem, quam dederit, vel dari fecerit liberè poſſit repetere, & ſibi reſtitui debeat per eum, qui receperit talem dotem ab aliquo dante de ſuis bonis propriis, & teneantur reſtituere, & ei, cui voluerit, qui dotem dederit, facere inſtrumentum, & promiſſionem; nec compellatur ipſi mulieri, nec hæredibus, per quos dos data eſt, reſpondere de dicta dote, quod capitulum in negotiis præſentibus, præteritis, & futuris locum habeat in qualibet parte ſui, capitulo aliquo non obſtante, §. Salvo quod fœminæ poſſint venire ad ſucceſſionem parentum, & fratrum, & aliarum perſonarum, ad quarum ſucceſſionem de jure vocantur, ſi deſcendentes maſculi per lineam maſculinam non ſuperſint de prænominatis ſupra in præſenti ſtatuto, remittendo, vel cedendo, ut ſupra, dotes ſuas in hæreditate, §. Et intelligantur mulieres eſſe dotatæ, ſi pro dote mulieri aliquid in teſtamento, vel codicillis fuerit relictum per aliquem de perſonis prædictis, vel datum, vel promiſſum: dum tamen ſi minus congruè fuerit dotata, debeat ſuppleri congrua dos, ſecundum quod in capitulo proximo continetur, §. Item ſi aliquis pater, vel avus paternus alicujus mulieris non dotatæ deceſſerit inteſtatus, frater, vel fratres ipſius mulieris vtrinque conjunctus, vel conjuncti, vel conſanguineus, ſiue conſanguinei tantùm, vel alii maſculi deſcendentes ab ipſo fratre, vel fratribus per lineam maſculinam teneantur, & debeant de bonis ipſius patris, vel avi ipſam mulierem dotare, vel partem aſſignare, & dare competentem ſecundum condecentiam ſuæ perſonæ, & ſecundum facultatem hæreditatis patris, vel avi paterni, & conſuetudinem, & morem Civitatis, & habita dicta dote, vel promiſſione facta marito, vel patri mariti, vel ſibi aſſignata, & data, ex tunc excludatur à ſucceſſione prædictorum patris, & avi, quouſque ſuperuixerit, vel ſuperuixerint frater, vel fratres dotans, vel dotantes, vel eorum, ſeu alicujus eorum deſcendentes maſculi per lineam maſculinam, §. Et de competentia dotis dictæ mulieris ſtetur dicto, & declarationi duorum proximiorum conſanguineorum dictæ mulieris, qui ad prædicta declaranda cogantur per Poteſtatem, & Capitaneum, ſiue Iudicem appellationis dictæ Ciuitatis ad petitionem fratrum, ſiue proximiorum conſanguineorum dictæ mulieris, vel alterius ex ipſis; Et ſi dicti conſanguinei non fuerint in concordia, tertium eligere ad prædicta per dictum Poteſtatem, & Capitaneum, ſeu Judicem appellationis cogantur, & compellantur, & dicta aſſignatio, conſignatio, & declaratio fieri debeat infrà ſex menſes poſt mortem dicti patris, vel avi, §. Et ſi infrà dictos ſex menſes dicta aſſignatio, conſignatio, vel declaratio facta non fuerit, à ſucceſſione patris, vel avi non excludatur talis mulier, ſed ipſa mulier, dicto termino elapſo, ad ſucceſſionem prædictorum, vel alterius eorum admittatur, & poſſit petere

par-

partem, & diviſionem bonorum, tanquam communium, §. Inſuper volumus, quod facta declaratione, ſeu deputatione dictæ dotis, omnia bona hæreditaria dicti patris, vel avi remaneant, & ſint obligata ipſi mulieri, donec dictæ dotes ſolvantur, & dentur ipſi mulieri, vel patri mariti, quas dotes ſolvere teneantur dicti fratres, vel frater, & eorum deſcendentes, tempore, quo ipſa mulier fuerit nuptui tradita, vel Monaſterium intraverit, & non ante, §. Salvo, quod ſi ipſa mulier antequam ſe nuberet, ſeu Monaſterium intraret cum dictis ſuis fratribus, vel fratre, & eorum deſcendentibus ſtare, & cohabitare non poſſet, quod ipſi, vel frater, vel eorum deſcendentes teneantur dare ipſi mulieri dictas dotes, ut ex ipſis ipſa mulier ſe alere poſſit, §. Item ſi alicui mulieri eſſet dicta dos in teſtamento relicta, vel alia ultima voluntate prædictorum patris, vel matris, avi, ſeu aviæ paternorum, ſeu maternorum, ſeu aliquorum prædictorum, & in inſtrumento facto de dote ipſius mulieris, & promiſſione facta per aliquem, ſeu aliquos prædictorum, vel eorum deſcendentes de dote ipſius mulieris, non eſſet nominata ipſa dos, ſeu quantitas relicta, quod in ipſa promiſſione, & inſtrumento, & in quantitate promiſſa intelligatur, & includatur dictas dos, & quantitas relicta, ſeu quomodolibet pertinens, & ſpectans ipſi mulieri in bonis, & hæreditate prædictorum, ſeu alicujus eorum, ſive nominata fuerit, & computata ipſa quantitas in dote prædicta, ſive non, dummodò dicta dos traſcendat, & ſit major quantitas, quam ipſum legatum, vel relictum, §. Et idem dicimus debere fieri quando per aliquem prædictorum, qui in ejus ultima voluntate reliquerit dotem mulieri, & poſt dictum relictum factum, ipſemet relinquens promiſerit, ſeu ſoluerit dotem prædictam, quod dos relicta intelligatur eſſe illa dos promiſſa, ſeu ſoluta, §. Et ſi ſimiliter fuerit, vel erit dotata bis, vel pluries à patre, matre, avo, vel avia paternis, ſeu maternis, patruis, fratribus carnalibus, vel conſobrinis, vel deſcendentibus maſculis ab eiſdem, vel ipſorum altero, vel ſeipſam dotaverit ſemel, vel pluries ſe maritando, quod dos ſibi data, vel promiſſa in primo matrimonio, intelligatur data, & promiſſa, & computetur in dote ſecundi, & in aliis matrimoniis; & idem dicimus in monialibus reclauſis, religioſis, & ſpiritualibus perſonis, qui, & quæ non poſſint habere recurſum in bonis, & hæreditate prædictorum quoquo modo, vel cauſa, §. Salvo, & reſervato, quod religioſus maſculus ipſo vivente poſſit habere recurſum, & regreſſum ad legitimam tantùm, & aliter non, patre mortuo ab inteſtato, ex teſtamento autem debeant ſtare contenti relictis, & inſtitutionibus eis factis, omni exceptione remota.

CAMMORI,

Quod eſt Caſtrum ſub Gubernio Spoleti.

PARTICULA XXXIV.

Che le Donne dotate non ſuccedano nelli beni del Dotante Cap. 7. lib. 2.

PArendoci coſa ragionevole, e giuſta, che le Donne dotate una volta debbano contentarſi della lor dote, ſtatuimo, & ordiniamo, che ſe alcuna Donna del Caſtello di Cammoro, e ſuo diſtretto ſarà dotata dal padre, madre, avo, ava, ò altri parenti ſino in terzo grado, non poſſa detta donna havere regreſſo, ne venire à ſucceſſione nelli beni, & heredità di detti padre, madre, avo, ava, ò parenti ſuoi fino in terzo grado, che l'haveranno dotata, eccetto che detto dotante non moriſſe ſenza figlioli maſchi legitimi, e naturali, ò per teſtamento di detto dotante.

CAMPAGNANI,

Terræ B. in diſtrictu Urbis.

PARTICULA XXXV.

De non ſuccedendo per filiam maritatam, vel maritandam ab inteſtato.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod filia maritata, vel maritanda à patre, avo, matre, avia, aliiſvè ſuperioribus, vel collateralibus fratre, patruo, avunculo, nepotibus, aliiſvè conſanguineis, affinibus, & conjunctis, vel extraneis perſonis, dote ſua contenta eſſe debeat, nec de bonis paternis, maternis, avi, aviæ, aliorumque ſuperiorum, vel collateralium fratris, patrui, nepotum, aliorumque conſanguineorum, ſucceſſionis jure ab inteſtato, ultra dictam dotem habere poſſit, nec jure legitimæ, falcidiæ, vel trebellianicæ, ſed dote ſua contenta eſſe debeat ſibi data, vel promiſſa, ſive danda de paragio, ut ſupra ſtatutum fuit, ad quam dotem de paragio promittendam, & dandam juxta poſſibilitatem facultatum ſupradictorum, & ſuorum, fratres, conſanguinei, vel affines, ad quos illam tradere nuptui ſpectat, & pertinet, aſtringantur, & compellantur per Officialem, & Maſſarios Terræ Campagnani, cum honeſtati dictæ Terræ expediat habere mulieres dotatas, & maritatas, necnon familias, ac ſtirpem conſervare.

CAMPELLI,

Quod eſt Caſtrum ſub Gubernio Spoleti.

PARTICULA XXXVI.

Mulier dotata non ſuccedat in bonis dotantis Rubr. 11.

MUlier aliqua de Caſtro Campelli, vel ejus diſtrictu dotata à patre, matre, avo, avia, fratre, nepote, vel quocumque alio non poſſit, nec valeat ſuccedere, vel regreſſum habere ab inteſtato in bonis dotantis.

CANNARIÆ,

Terræ ſub Gubernio Umbriæ.

PARTICULA XXXVII.

Quibus perſonis ſit prohibita ſucceſſio hæreditatis decedentis ab inteſtato Rubr. 29.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod nulla mulier forenſis alicui de Cannaria, vel ejus diſtrictu hactenus maritata, vel quæ nupſerit in futurum poſſit in hæreditate alicujus de Cannaria ab inteſtato ſuccedere, aut ejuſdem decedentis ab inteſtato eidem bona remanere, aut cui eorumdem ejus hæreditas ſpectare. Si ex parte patris decedentis hujuſmodi aliquis, vel aliqua conſanguineus, vel conſanguinea uſque ad quartum gradum attinens decedenti ſupereſſet; Cui ſic ſuperſtiti, vel ſuperviventi ex parte patris talis decedentis uſque in dictum gradum, & lineam bona hæreditatis cujuslibet decedentis pleno jure pertineant, auctoritate præſentis ſtatuti capituli, atque ſpectent. Et hoc capitulum ſit præciſum, & præcisè intelligatur in qualibet parte ſui, hinc aliqua lege, conſtitutionibus, privilegiis, vel etiam ſtatutis loquentibus, ſeu loquente in contrarium ubicumque poſitum, aliqualiter non obſtantibus.

Et quoniam reduci in dubium videbatur, an ea, quæ in præallegato capitulo continentur locum haberent, & comprehenderent fœminas, & illarum deſcendentes, quæ tempore delatæ, & obvenientis hæreditatis prædictorum patris, matris, & aliorum in præallegato capitulo nominatorum dotatæ non erant, præſentibus declaramus, & ſtatuimus per talem donationem factam, vel faciendam quandocumque ante, vel poſt dictam delationem hæreditatis, ſemper intelligi dictas mulieres, & ex ea deſcendentes excluſam, & excluſas ab omni hæreditate, vel ſucceſſione, & durare, & eſſe eamdem facultatem donandi omni tempore, quo dicta mulier, vel ex ea deſcendentes vellent qualitercumque ad ſupradictorum hereditates venire, ſalvis tamen, quæ in §. *Salvo quod hoc capitulo*, continentur.

CAPRANICÆ,

Quæ eſt Terra diſtrictualis Urbis.

PARTICULA XXXVIII.

Quomodo diſponantur bona decedentium ab inteſtato Rubr. 41.

STatuimus, & ordinamus, quod omnia bona decedentium ab inteſtato remaneant filiis maſculis defuncti, & nepotibus, ex filio defuncto natis ſi habuerit, ſi autem non

non habuerit filios masculos, & nepotes paternos, deveniant ad filias fœminas, si habuerit maritatas, & si masculos, & fœminas simul habuerit, quod omnia bona deveniant ad masculos, qui teneantur maritare, & nuptui tradere suas sorores, & amitas respectivè, secundum eorum conditionem, & facultatem, & maritatæ, & dotatæ dote contentæ stare debeant, nec amplius de bonis paternis, & maternis petere possint; Si autem non habuerit filios, seu filias, bona dicti defuncti perveniant ad proximiores, salua gradus prærogativa.

CARBONIANI,

Quæ est Terra B. in districtu Urbis.

PARTICULA XXXIX.

Che la Donna dotata non succeda in beni paterni, nè materni Rubr. 59.

ORdiniamo, che la Donna dotata sia contenta della sua dote sola, e non possa succedere ne i beni paterni, nè materni, non che per questo si nieghi alli padri, & alle madri di far testamento, e di lasciare alle sue figliole, e che le figliole succedino nelli beni della madre solo che la legitima, qual legitima in nessun modo si possa togliere à loro, mà se non ci saranno figli maschi, e ci saranno solo le figlie femine, succedino, e possino succedere nelli beni del padre, e della madre, e se ci sarà un fratello, overo più, e le sorelle non fossero dotate, che il fratello, ò fratelli siano tenuti dotarle, & ad esse consegnare la dote, & appannamenti delli beni così del padre, come della madre, overo del sudore, e beni loro, quando li beni del padre, overo madre non ci fossero, e questo secondo il costume e consuetudine della Terra di Carbognano, à similitudine, e modo, che fossero padri, e simili à detti fratelli.

CARPINETI,

Terræ B. in districtu Urbis.

PARTICULA XL.

Quod mulier dotata, patri, & matri ab intestato decendentibus cum fratribus non succedat cap. 13.

ITem statuimus, quod filia fœmina dotata, patri, & matri ab intestato defunctis non succedat, nec succedere possit; sed ipsi tantùm filii masculi parentibus ab intestato defunctis succedant in omnibus eorum bonis. Et fœmina volumus, quòd sit contenta de dote sua, sive fuerit dotata à patre, sive ex bonis communibus utriusque, dummodò dos non sit minus legitima de jure tangenti; Et quatenus sit minus legitima, petere debeat supplementum, & non aliud. Et si non erunt filiæ fœminæ dotatæ, sint contentæ dote de paragio, quæ non sit minus legitima; & quod diximus de filia fœmina idem dicimus de eorum filiis ea defuncta, stantibus masculis supradictis. Ex testamento verò possit dicta filia fœmina, stantibus masculis, patri, & matri æqualiter succedere, vel inæqualiter jure institutionis, vel legati, prout ipsi parentes voluerint. Teneantur tamen cum fratribus dotem conferre, juxta formam juris, qui una cum eis succedit ex testamento, nisi in eorum testamentis contrarium senserint parentes tacitè, vel expressè: & ut latiùs in dicto statuto originali impresso, ad quod recurratur, quatenus opus sit.

CASTILIONIS LACUS

Terræ sub Gubernio Perusiæ.

PARTICULA XLI.

Delle successioni dove non è testamento. Rubr. 67.

VEnendo il caso della morte di alcuna persona senza testamento, & ultima sua volontà, restando da tal persona descendenti, all'hora, & in quel caso succedano li maschi descendenti per linea mascolina legitimi, e naturali, servando trà loro l'ordine della ragione commune, esclusi le femine dotate, ò se si dotaranno doppo, secondo è disposto nel seguente statuto; E se testaranno Ascendenti solamente essendovi il padre, e madre, il padre succeda in tutti li beni suoi, eccetto nella legitima, alla quale s'ammetta la madre, & il medesimo s'osservi, quanto à gl'altri ascendenti maschi, quali escludano gli ascendenti per via di madre, & anco avia, e proavia paterna, eccetto dalla legitima, quale detti ascendenti femine possano havere, secondo la prerogativa del grado tra loro; Se vi sarà la madre, & avia paterna solamente succedano egualmente, e così l'avia paterna, e materna, essendovi esse solamente.

Se vi saranno transversali soli, succedano prima li fratelli, loro descendenti maschi di Padre, e di madre egualmente, e non ce essendo questi, li fratelli di padre solamente, e loro descendenti maschi, servando tra di loro il grado, secondo la ragione commune, eccetto li beni di tal morto pervenutili d'altronde, che dalli suoi ascendenti, nelli quali le sorelle, e loro descendenti succedano per la terza parte, che li potesse venire ab intestato di ragione comune, e questa esclusione delle femine duri fin tanto, che sopraviverà descendente maschio legitimo, e naturale delli predetti fratelli.

Non vi essendo detti fratelli, e descendenti maschi di legitimo matrimonio, loro succedano le sorelle carnali di padre, e madre, e loro figlioli, e descendenti maschi di legitimo matrimonio nati; e dopò questi le sorelle consanguinee nate di padre solo, e loro descendenti, e con esse sorelle etiamdio congiunte di padre, e madre, e loro figlioli succedano egualmente li zii, altrimente fratelli del padre, e loro descendenti maschi in stirpe, e non in capite, esclusi le sorelle uterine, fratelli uterini auuncoli, overo zii materni, matertera, & amita.

Et essendovi ascendenti, & transversali insieme, succeda il padre, & ascendenti maschi, salva la prerogativa del grado trà di loro, & li fratelli, e loro descendenti legitimi, e naturali in stirpe, e non in capi, esclusa la madre, & sua linea ascendente, eccetto nella legitima, nella quale si servi la prerogativa del grado, come di sopra; e dopò li fratelli carnali, e loro descendenti, come di sopra, concorrano li fratelli consobrini, e loro descendenti maschi, e non estando questi, anche le sorelle congiunte di padre, e madre, & loro figli succedano egualmente con il padre, & ogni altro ascendente maschio per linea paterna, secondo l'ordine della ragione comune.

Mancando alcuno con la madre, avia, e proavia, ò descendenti materni soli, e con transversali, succedano à questi in prima li fratelli di padre, e madre, e loro descendenti maschi legitimi, e naturali, salva tra loro la prerogativa del grado, salva solo alli sudetti ascendenti la legitima, servando però tra essi la prerogativa del grado, come di sopra; non esistenti questi, succedano doppo le sorelle carnali, e figliole di esse egualmente con la madre, avia, proavia paterna, & altri ascendenti per linea materna, salva sempre la prerogativa del grado, e non vi essendo fratelli carnali, nè consanguinei, nè descendenti loro, nè sorelle, ò loro descendenti, come di sopra, ma solo zii, ò descendenti maschi di essi, succeda la madre, & avia paterna, overo ascendente per la madre, salua tra loro la prerogativa del grado in una meta, e nell'altra il zio, overo zii, e loro descendenti maschi in capi, e non in stirpe, esclusi gli uterini fratelli, e sorelle, & anco le materne, & amite.

Et anco se vi fossero le sorelle carnali, la madre, e zii, succedano tutti egualmente, volendo ancora, che li legitimati, ò dispensati possano succedere in pregiuditio delle figliole legitime, e naturali dotate, e descendenti di esse, & ad effetto della loro esclusione, come li legitimi, e naturali.

Ejusdem Statuti. *Che Femina dotata non possa succedere, durante la linea mascolina Rubr. 68.*

STatuimo, & ordinamo, che qualunque donna dotata da padre, e madre, ò qualche altro ascendente, delli beni, e cose di esso dotante, durante la linea mascolina, non possa essa, nè sua descendente succedere ab intestato nell'eredità, e beni di detto ascendente dotante, ò descendente di esso dotante nelli beni venuti à tale descendenti dal dotante, mà sia ammessa solo alla terza parte degl altri beni pervenuti, ò altrimenti acquistati, oltre à gl'altri beni hauuti dal dotante per successione, tanto ab intestato, quanto per Testamento, e di altre rate, e parte anche di detti beni, come sopra, pervenu-

venuti, & acquistati di detti descendenti, s'intenda, e sia in tutto esclusa, fin tanto, che sopraviverà alcun maschio descendente di essa persona dotante per linea mascolina.

Dichiarando, che li beni di tal descendente morto s'intendino, e presumino fino alla sua legitima de' beni degl'ascendenti, e non d'altronde pervenuti, e se la donna haverà più fratelli, e d alcun di loro, overo di tutti proprii beni loro, & di alcun di loro, overo communi sarà dotata, non possa tal donna tornare all'eredità di alcun di detti fratelli, tanto congiunti di padre, e madre, quanto consanguinei, che morranno ab intestato senza figli legitimi, e naturali, fin che sopraviverà alcun fratello, tanto dell'uno, quanto dell'altro lato congionto, overo consanguineo, ò alcun maschio descendente per linea mascolina d'alcun di detti fratelli respettivamente, come sopra, li quali fratelli, e descendenti maschi, come sopra respettivamente succedano à tal fratello, che morirà ab intestato, senza figli legitimi, e naturali, osservando fra di loro in tal successione, l'ordine di ragione, esclusa detta donna dotata, fin che vi sarà alcun di detti maschi; come sopra, salvo che la donna maritata nel tempo di sua necessità possa havere il vitto, e vestito nell'eredità di detti, secondo le forze del patrimonio, conferendo la dote, che haverà ricevuta, se potrà, overo cedendo le ragioni di potere repetere dette doti ad effetto di poterla conferire, come sopra, e s'intendi sempre à favore della donna dotata tutt'hora, che apparirà dal pagamento, ò promissione di detta dote essere de' beni di detta donna, benche apparischi essere stata dotata di padre, avo, à avia paterni, overo di zio, fratello carnale, cugino, over consubrino, sorella carnale, cugina, ò consubrina, ancorche non si dicesse, che dette doti fossero de' beni di detta donna, saluo sempre li patti, che si facessero, & interuenissero fra il dotante, & il marito di detta donna ricevente detta dote, con consenso però di detta donna dotata, e nell'altre persone estranee si osservi la dispositione della ragion comune, e li patti, che interverranno nel dar la dote.

Et se la Donna sarà dotata dal Padre semplicemente, si intenda dotata in tutto de' beni Paterni; mà se sarà dotata de' beni paterni, e materni s'intenda per la metà de' beni paterni, e per la metà de' beni materni, se altrimenti non sarà espressamente dichiarata la quantità dell'uni, e l'altri beni.

Dichiarando però che la madre, ò ava non siano tenuti in vita loro dare, e promettere alcuna parte della dote alla figlia, ò nipote; se non intanto, quanto gli parerà, mà se la Donna sarà dotata de' beni della madre, ò avia in tutto, ò parte, sia esclusa dell'heredità loro ab intestato, finche sopraviverà alcun maschio legitimo, e naturale, e descendente; come sopra.

E tutt'hora, che de' padri, avi, fratelli, & altre persone, alla successione de' quali di ragione detta donna dotata fosse chiamata, se descendenti maschi, come sopra, legitimi, e naturali per linea mascolina de' sopradetti non rimarranno, in tal caso la medema donna dotata, e loro figli, ò veri nipoti possono venire, & essere ammessi alle successioni de' sopradetti, overo reintegrate con gli altri coheredi, ò conferendo le loro doti, over cedendo le attioni di potere ripeterle, come si è detto di sopra &c.

CASTILIONIS TYBERRINÆ

Quod est Castrum Status Roncilionis.

PARTICULA XLII.

De successionibus ab intestato Rubr.35.

Hæc particula est eadem, Statuti Castri, & Roncilionis; unde ne frustrà repetatur, vide infra in particula sequenti 43.

CASRI, ET RONCILIONIS.

PARTICULA XLIII.

De successionibus ab intestato Rubr.35.

QUia publicè interest dignitatem, & amplitudinem in familiis conservare, statuimus, & ordinamus, quod si quis masculus; vel fœmina decesserit ab intestato, vel intestatus, sive intestata, etiam si fuerit infans, vel alias intestabilis, prima causa successionis sit filiorum, aut descendentium masculorum, ut filii, & successivè alii descendentes masculi succedant, exclusis filiabus, & omnibus aliis fœminis cujuscumque lineæ, & gradus, dotandis tamen ut infra disponitur; si autem nulli filii, aut descendentes masculi fuerint, succedant ascendentes masculi, salva graduum prærogativa; similiter exclusis filiabus, & aliis fœminis cujuscumque lineæ, & gradus, dotandis tamen, ut infra dicetur. Si verò nulli descendentes, aut ascendentes masculi fuerint, frater, & filii fratris personarum defunctæ, sive utrinque conjuncti, sive consanguinei tantùm, agnati tamen, succedant, & excludant filias, & omnes fœminas cujuscumque gradus, & lineæ, dotandas, ut infra dicetur: Si dotatæ non fuerint ab aliquo, cui incumberet onus dotandi. Si autem quis decedat nullis relictis filiis, vel descendentibus, vel ascendentibus masculis ex linea masculina, neque fratre, aut filiis masculis fratris, tunc agnati masculi ex linea masculina proximiores secundùm gradus prærogativam, usque ad tertium gradum inclusivè, connumerando gradus secundùm Jus canonicum, succedant, ac præferantur filiabus, & omnibus aliis fœminis cujuscumque lineæ, & gradus; Quæ tamen dotari debeant usque ad annos decem, & octo ætatis suæ inclusivè, aliàs ipsis debeatur dos duplicata, secundùm quod disponetur infra in statuto sub rubr. sequenti, constituta tamen ei mulieri dote, non minore quàm esset legitima, si sunt filiæ, vel descendentes non dotate; Si verò dotatæ essent, dote minore legitimæ, possint agere ad supplementum legitimæ: Aliæ verò fœminæ dotentur secundum quantitatem patrimonii, & personarum dignitatem, ac conditionem, si aliàs dotatæ non fuerint. Quibus omnibus prædicti salvis, volumus, quòd prædictæ fœminæ sic exclusæ non possint causa, & occasione alicujus legitimæ molestare, & inquietare masculos vocatos ad successionem per præsens statutum. Declarantes tamen, quod Agnati inter se succedant secundum dispositionem, & ordinationem Juris Civilis, exceptis tamen fratribus, in quibus serventur, ut supra disposita. Adiicientes etiam quod si aliqua mulier maritata fuerit, nulla dote constituta ante mortem personæ, cui incubuisset onus dotandi, possit petere dotem sibi constitui, non obstante etiam, quòd in matrimonio fuerit constituta ipsa mulier,

Ejusdem Statuti, *Quòd filia sit contenta dote à Patre data, promissa, vel relicta. Rubr.37.*

VT dubia, quæ oriri possent, circa successionem, vel exclusionem fœminarum tollantur. Statuimus, quòd filia, vel neptis, aut quælibet alia fœmina descendens sit contenta de eo quod Pater, vel avus, aut quilibet alius ascendens sibi dederit in dotem, vel dare promiserit, aut reliquerit, nec ultra illud occasione legitimæ, vel Juris debiti naturæ, etiam mortuo Patre, vel ascendente ab intestato, possit fratres suos, vel alios descendentes, aut etiam ascendentes inquietare, nec de hæreditate patris, avi, vel alterius ascendentis petere, nisi id, quod pater, vel avus, aut alius ascendens dederit, aut dare promiserit, vel reliquerit in ultima voluntate, donec erunt aliqui de descendentibus, vel ascendentibus, masculis, natis ex legitimo matrimonio, salvo, nisi fuerint legitimati de consensu, & voluntate patris, vel ascendentium prædictorum, de cujus, vel de quorum hæreditate ageretur, etiam si essent bona quæ recognoscerentur ab Ecclesiis, vel piis locis, vel personis.

CASTRI FIDARDI,

Quod est sub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA XLIV.

De Muliere dotata Rubr.40.

HAc nostra sanctione firmiter statuimus, & ordinamus, quod mulier dotata, seu cui dos relicta foret ab aliquo ascendentium, seu à fratre carnali consanguineo, vel utrinque conjuncto, ei eam dotanti, seu dotem relinquenti ab intestato non succedat, sed sua sit dote contenta, si ex ascendente dotante superfit filius masculus, seu nepos, vel pronepos ex filio masculo, vel frater carnalis consanguineus, seu utrinque conjunctus ex ipso ascendente, vel fratre dotante, seu frater carnalis consanguineus; Quæ dos mor-

mortuo dotante in dotatam conſolidetur, & ipſius dotatæ libera fiat, ſtipulatione pacto, conventione de dote reſtituenda, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque, ſi verò cum fratribus poſt mortem aſcendentium mulier remanſerit, & dotata non fuerit, ſeu ei dos relicta non ſit per ipſos aſcendentes, ſeu alterum eorum, ad cujus ſucceſſionem unà cum fratre, vel fratribus ipſa mulier vocaretur, frater, ſeu fratres ipſam dotare idoneè, ſecundùm facultates eorum, & ſecundum qualitatem perſonarum obligati ſint, & ſemper frater, ſeu fratres convenienter puellam, interim antequam nubat, nutrire, alereque teneantur, & in dote danda non poſſit apponi aliquod onus, & appoſitum non teneat circa dotem reſtituendam, vel aliter, ſed libera ſit, & eſſe intelligatur dos ipſius dotatæ, conventione, ſtipulatione, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque; Idem in filia, & nepte ex fratre, ſeu fratribus præmortuis ante mortem deſcendentis, & de cujus bonis agitur, & reliquis deſcendentibus ex ſorore, ſeu ſororibus præmortuis maſculis, ſeu fœminis ad ſucceſſionem aſcendentes, ſeu aſcendentium unà cum fratre, vel fratribus ab inteſtato venientibus, maſculi tamen ex ſorore, vel ſororibus deſcendentes ea ſint portione contenti, qua, ſi forent fœminæ, dotarentur. Ubi autem de qualitate, & quantitate doris dandæ, vel aſſignandæ contentio oriretur declarationi duorum proximiorum conſanguineorum utriuſque partis ſi extent, vel duorum communium amicorum declarationi ſtetur, ad quam faciendam ad inſtantiam cujuslibet partis per Poteſtatem infra triduum compellatur, pœna decem librarum denariorum, quæ locum habere dumtaxat volumus in ſucceſſionibus in futurum deferendis, non autem in præteritis, vel pendentibus.

CASTRI LACUS

Quod eſt ſub Gubernio Spoleti.

PARTICULA XLV.

Che la Donna dotata non ſucceda nelli beni del Dotante Rubr. 27.

NIſſuna Donna dotata da padre, over fratelli, overo altri attinenti poſſa ſuccedere nelli beni, & eredità del detto Dotante, nè domandare ſupplemento di legitima, ò tribellianica, mà debbia ſtar contenta alla ſua dote, dummodo ci ſiano figlioli maſchi, ò nipote di detto Dotante, e che per eſſo non ſia inſtituta erede per teſtamento del prefato Dotante, ò non Dotante, e che la Donna ſi chiami decentemente dotata.

Ejuſdem Statuti. *Che Donne non ſuccedano nelli beni communali Rubr.* 30.

STatuimo, & ordiniamo, che nelli beni communali, ne' feudi dati per detto commune non poſſa ſuccedere alcuna femina, con queſto capitolo volemo habbia luogo per lo paſſato, preſente, e futuro.

CASTRI RITALDI,

Quod eſt ſub Gubernio Spoleti.

PARTICULA XLVI.

Mulier dotata non ſuccedat in hæreditate, niſi per Inſtrumentum Rubr. 14. lib. 2.

AD tollendum dubitationes, & lites, quæ oriuntur ſuper ſucceſſionibus mulierum in hæreditatibus; ſtatuimus, & ordinamus, quod nulla mulier dotata à patre, avo, proavo, fratre, patruo; matre, avia, proavia, vel aliquo ipſorum, vel aliqua ipſarum, ſive à quocumque alio, poſſit, vel ejus deſcendentes poſſint ſuccedere alicui prædictorum ab inteſtato, etiam in legitima, ſtantibus maſculis per lineam maſculinam deſcenden. ex aliquo prædictorum dotan. vel non dotan. eo de cujus ſucceſſione non ageretur, ſed de ſucceſſione alicujus alterius prædictorum, dummodò tales maſculi attineant per conſanguinitatem perſonæ, de cujus ſucceſſione ageretur, & ſufficiat, quod ab uno prædictorum dotata fuerit, vel dotetur in poſterum, ut ſtantibus maſculis ſupradictis excludantur talis mulier, & ejus deſcendentes à ſucceſſione omnium prænominatorum, à quorum omnium ſucceſſione vigore præſentis ſtatuti, & capituli, quælibet mulier hactenus dotata, & in poſterum dotanda, & ejus deſcendentes intelligantur, & ſint excluſæ, & excluſi per dotationem factam, vel faciendam ab aliquo prænominatorum, & ſtare debeat ſuæ dote contenta, & nihil ultra dotem, etiam ratione legitimæ, vel ejus ſupplementi talis mulier, vel ejus deſcendentes ex ea petere poſſint ullo modo, ſed legitima ei, vel eis debita præſentis ſtatuti vigore ad dotis conſtituræ, vel conſtituendam quantitatem cenſeatur, & ſit redacta; poſſit tamen quælibet mulier, quæ non eſſet dotata à matre, ſed à quocumque alio, & deſcendentes talis mulieris de bonis, & hæreditate matris ab inteſtato decedentis, ſive alterius deſcendentis à latere matris, ſi mater aſſecuta ex ejus hæreditate petere, conſequi, & habere decimam partem dictæ hæreditatis, & non ultra ſtantibus maſculis ſupradictis per lineam maſculina deſcendentem; ex teſtamento autem matris dictæ mulieris, & earum deſcendentes nihil ultra, quàm ſibi relictum fuerit, petere poſſint, etiam ratione legitimæ, vel alia quacumque ratione, vel cauſa; Et ſi aliquis prædictorum, videlicet pater, avus, mater, avia deceſſerit inteſtatus, vel ab inteſtato, & filiam, vel nepotem unam, vel plures non dotaverit, & ab aliquo ipſorum non fuerit dotata, dotari debeat, ſeu debeant ab eorum filiis, & aliis maſculis per lineam maſculinam deſcendentem eorumdem, vel alicujus eorum hæredibus, ſecundum conſuetudinem dicti Caſtri, vel ſaltem ſecundum quod maſculi de domo, unde nata eſt mulier, dotare conſueverint per prius alias mulieres de domo eorum, & talis mulier ſic dotanda dumtaxat in dote ſic, ut præmittitur conſtituenda, ſuccedat omnibus prædictis, & illa intelligatur, & ſit earum ſucceſſio, & legitima, & plus in bonis paternis, maternis, fraternis, ſororis, amitis, & patruorum, præter præmiſſam ſolam unicam dorationem, petere, conſequi, vel habere non poſſit, nec deſcendentes ab ea poſſint, & in reſiduo hæreditatis, & ſucceſſionis, & in hæreditate, & ſucceſſione, à qua mulier dotata, & ejus deſcendentes excludatur vigore præſentis ſtatuti, ſuccedant maſculi ſupradicti proximiores perſonæ defunctæ in omnibus caſibus prædictis; Volumus inſuper, quod dicta mulier dotata, vel dotanda, vel deſcendentia ab ea non poſſit audiri in judicio, vel extra in Curia Caſtri Ritaldorum, vel alia, contra præſens ſtatutum, & capitulum, & contra prædicta præfatis mulieribus, vel deſcendentibus ab eis in prædictis, & aliquo caſuum prædictorum nullo modo jus reddatur per aliquem officialem, ſub pœna viginti quinque librarum de ſalario officialis contravenientis retinendorum, & nihilominus quicquid factum fuerit per talem officialem in favorem ipſarum mulierum, contra præſens ſtatutum, & capitulum ipſo jure ſit nullum, irritum, & inane, & in nullo ipſis mulieribus ſuffragetur; Et prædicta omnia volumus habere locum in præteritis, & præſentibus non deciſis, vel non ſub litigio pendentibus, & omnibus futuris omni meliori modo, & præcisè intelligatur, & obſervetur. Derogantes quibuſcumque ſtatutis, reformationibus in contrarium, & contra præſens capitulum, quovis modo facientibus. Propterea ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi aliquis habens filiam fœminam unam, vel plures, & nullum deſcendentem maſculum, & dictam filiam, vel filias dotaverit, ſi ab inteſtato deceſſerit, ſuperſtite fratre ejus defuncti, uno, vel pluribus, ſive deſcendentibus maſculis ab ipſo fratre, vel fratribus, ipſe frater, vel fratres, ſive deſcendentes ab eis maſculi ſuccedant in ejus defuncti hæreditate, excluſa propria filia, ſive excluſis propriis filiabus dotatis; ſi autem filia una, vel plures filiæ ſuperſint alicujus defuncti, quæ non fuerint dotatæ ab eorum patre defuncto, nullo deſcendente ex eo maſculo ſuperſtite, tunc frater; vel fratres, ſuperſtes, vel ſuperſtites, ſive, ipſis deficientibus, deſcendentes ab eis maſculi, poſſint, & debent dictam filiam, vel filias dotare congruenter, ut ſupra dictum eſt, & in reſiduo dicti fratres ipſius defuncti, vel deſcendentes ex eo, vel ex eis maſculi bonorum, & hæreditatis dicti defuncti ſuccedant, excluſis dictis filiabus, poſtquam erunt dotatæ, ſalvis ſemper teſtamentis.

CASTRI RIVI,
Quod eſt ſub Legatione Romandiolæ.

PARTICULA XLVII.

De ſucceſſionibus ab inteſtato Rubr. 49.

VOlumus, quod ſi quis, vel ſi qua ab inteſtato deceſſerit, extantibus deſcendentibus utriuſque ſexus, maſculini ſuccedant defuncto, vel defunctæ, ſi ſint ſolùm fratres, in virilem ſuccepant dicti fratres, ſi verò ſint fratres, & nepotes, vel pronepotes cum patre, & filiis ipſorum in ſtirpem, fœminæ verò, non volentibus maſculis, uno, vel pluribus ad hæreditatem admitti non poſſint ſi ſint dotatæ, ſed dote contentæ ſint, ſi verò dotatæ non fuerunt, debent dotari de bonis defuncti de cujus hæreditate tractatur, ſi de ipſius bonis de jure veniebant dotandæ, vel ſi nubere noluerint, ſed potiùs monaſterium intrare, dotem pro monaſterio pro ea conſtituere, arbitrio boni viri, conſideratis patrimonio, & perſonarum conditione, & more etiam monaſterii in talibus, & condecentia perſonæ, & patrimonii, & habito reſpectu ad monaſterium, quando monaſterium intrare voluerit, interim tamen donec nubatur, vel monaſterium ingrediatur, prædicti hæredes ſuccedentes alimenta ipſis fœminis condecentia providere debeant; maſculis verò non ſuccedentibus, vel non exiſtentibus, ſuccedant filiæ defuncto, vel defunctæ, & nepotibus, & filiis, & filia una exiſtentibus fratribus defuncti, & cæteris conjunctis excluſis; ubi verò fratres, vel filii fratrum defuncti extarent, unus, vel plures, filia aliqua, vel filiabus defuncti non exiſtentibus, nepotes, vel neptes, una vel pluribus ex filia, vel filiabus ſuperſtitibus, tunc dicti nepotes, unus, vel plures, quotcumque fuerint, in tertia ejus, quod de jure ab inteſtato eſſent habituri ſuccedant, in reliquo autem fratres dicti defuncti, vel filiæ fratrum ſuccedant, ſaluo ſemper in omnibus ſuper dictis caſibus filiabus, vel nepotibus, vel nepotibus ex filia jure in dotibus matris, aviæ, vel proaviæ, quod ſit in dimidio ejus tantùm, quod ab inteſtato eſſent habituræ de bonis defunctæ matris, aviæ, vel proaviæ, & hoc ſi de bonis ipſius non fuerint dotatæ in quantite æquivalente dictum dimidium, & hoc ſtatutum ſit præciſum, & pro præciſo habeatur in qualibet ſui parte, non obſtantibus aliquibus ſtatutis, vel reformationibus in contrarium loquentibus, &c.

CELLENI,
Terræ in Provincia Patrimonii.

PARTICULA XLVIII.

Quod fœminæ ſtantibus maſculis non ſuccedant, cap. 19.

STatuimus, & ordinamus, quod fœminæ in quacumque ætate, vita, & conditione conſtitutæ, ſtantibus maſculis in pari gradu, ſeu eorum locum ſuccedentibus, & eorum perſonam repræſentantibus, non ſuccedant patri, neque matri, neque quibuſuis aliis aſcendentibus, neque fratri, ſeu fratribus ab inteſtato ſuccedentibus, ſed præfatæ mulieres contentæ eſſe debeant ſua dote aſſignata, ſeu aſſignanda, ſecundùm qualitatem, & conditionem perſonarum, & facultatem patrimonii, & conſuetùdinem Caſtri Celleni, ſed ſolùm ſua dote contentæ eſſe debeant, etiam à quibuſuis perſonis fuerint dotatæ, & bona prædictorum parentum, ſeu fratrum plus petere nullo modo poſſint. Addentes, quod eueniente caſu, quod maſculus, ſeu maſculi, qui ſupradictas fœminas excluſerint à ſupradictis bonis, decederent ſine filiis maſculis legitimis, & naturalibus, & deſcendentibus ab eis, ſuperſtitibus fœminis excluſis, ut ſupra, quod tunc hæreditas, ſeu portio hæreditatis prædictorum, quæ ſibi contingebat tempore excluſionis prædictæ, à qua mulieres præfatæ excluſæ fuerunt, revertatur ipſo facto abſque aliqua diminutione talibus mulieribus, tanquam ſi numquam à dicta portione excluſæ fuerint. Et prout videre eſt eodem Statuto Celleni cap. 19. fol. 22.

CENTI,
Quæ eſt Terra ſub Legatione Ferrariæ.

PARTICULA XLIX.

De ſucceſſionibus liberorum, parentibus, vel aſcendentibus morientibus ab inteſtato. Rubr. 2. lib. 3.

STatuimus, & ordinamus, quod ſi quis, propriè, vel impropriè ſumpto vocabulo, inteſtatus deceſſerit, relictis filiis, vel aliis liberis maſculis, legitimis, & naturalibus per maſculos deſcendentibus, uno vel pluribus, laicis, vel Clericis in ſacris ordinibus non conſtitutis, vel qui non ſint profeſſi alicujus Ordinis, & filia, vel filiabus, vel aliis fœminis, per maſculum deſcendentibus legitimis, & naturalibus, una & pluribus, ſi filia, vel filiæ, ſeu aliæ fœminæ prædictæ, quæ remanſerint, dotata, vel dotatæ fuerint à patre, avo, vel proavo, vel matre, fratre, vel fratribus ſuis, vel patruo ſuo, etiam ſi ille, qui dotavit, non ſit ille, de cujus hæreditate ageretur, filia vel filiæ, & aliæ prædictæ, quæ dotatæ ſunt, ſint contentæ de ipſa dote, ſeu dotibus, & in bonis paternis, vel maternis, auitis, vel proauitis, ampliùs non petant, nec petere poſſint, ſi tales maſculi ſuperſtites, vel alter eorum hæreditatem defuncti adiverint, vel in ea ſe immiſcuerint, ipſi, vel eorum deſcendentes maſculi, & per maſculum per ſe, vel per legitimam perſonam pro eis. Nemine verò ex ſupradictis liberis adeunte, vel ſe immiſcente, vel nullo ex eis exiſtente, ſuccedant dictæ fœminæ, ſecundum jus commune; Extantibus verò ſolùm filiis, vel aliis liberis maſculis, ut ſupra, uno, vel pluribus in ſacris ordinibus conſtitutis, vel religioſis profeſſis alicujus ordinis, & fœminis prædictis tunc, & eo caſu dictæ fœminæ cum dictis maſculis in ſacris ordinibus conſtitutis, vel religioſis, & profeſſis, ſuccedant cum eo, vel eis de jure communi, ſi autem ſuperſint dicti filii, vel alii liberi filii maſculi, ut ſupra quorum aliquis, ſeu aliqui ſint laici, vel Clerici in ſacris non conſtituti, & alii unus, vel plures ſint in ſacris ordinibus conſtituti, vel profeſſi, ut ſupra, & ſuperſint etiam dictæ fœminæ, una, vel plures cum eis, tunc & eo caſu dictæ fœminæ cum dictis omnibus ſpecificatis ſupra ſuccedant de jure communi, ſed tamen ipſarum fœminarum, unius vel pluribus portio dictis maſculis laicis, vel clericis non conſtitutis in ſacris, & qui non ſint profeſſi, ut ſupra, aut authoritate præſentis ſtatuti totaliter, acquiratur, & ab eis dotari debeant ſecundùm formam noſtrorum ſtatutorum, & prædicta locum habeant in futuris tantum, & præſentibus non deciſis per ſententiam laudum, vel tranſactionem, vel alitercumque. Volumus tamen, quod mulieri decedenti ab inteſtato, quæ contraxerit plura matrimonia, & ex uno ex illis extent filii maſculi, unus vel plures dictæ mulieris, vel liberi alii maſculi ex filio deſcendentes, & ex alio matrimonio extent filiæ fœminæ tantùm, una vel plures, vel alii liberi deſcendentes ex filia filiæ fœminæ, & deſcendentes ex filia in non dotalibus ſuccedant in quadrante tantùm, ſive una, ſive plures ſint dictæ filiæ fœminæ, vel deſcendentes ex filia, & in reſiduo ſuccedant dicti filii maſculi, & alii liberi maſculi deſcendentes, ex filio, ſive unus, ſive plures ſint, non obſtantibus diſpoſitis in hoc ſtatuto, ſaluo ſemper in bonis dotalibus id, quod diſpoſitum eſt in ſtatuto poſito infra ſub rubrica de dotibus reſtituendis, & in caſibus prædictis dictæ fœminæ una, vel plures intelligantur eſſe dotatæ, ſive data ſit dos ab aliquo de prædictis, ſive in ultima voluntate eidem, vel eiſdem relicta fuerit pro ea, ſeu eis dotandis, & ipſi mulieri uni, vel pluribus, vel alteri pro ea, vel eis fuerit ſoluta, & per mulierem, vel ejus nomine viro dos data fuerit. Et ſi plures ſint fœminæ extantibus maſculis ſupradictis, & una, vel plures dotatæ fuerint ab aliquo de prædictis, & aliæ indotatæ, tunc illæ, quæ dotatæ fuerint in bonis ampliùs petere non poſſint, & ſint de ipſa dote contentæ, ut ſupra dictum eſt. Illæ verò, quæ dotatæ non fuerint, dotari debeant, ſive maritentur, ſive religionem intrent, vel maritari, vel monaſterium, vel religionem ingredi velint, in ea quantitate, in qua fuerint reliquæ ſorores dotatæ pro qualibet, niſi bona patrimonialia eſſent diminuta, quod legitimis probationibus conſtare debeat Gubernatori, dummodò dos conſtituenda virilem patrimonii portionem non excedat, ſed filio virilis remaneat, & ſi plures filii ſint, ſimiliter cuilibet filio

debeat

debeat virilis remanere, & si diminutæ essent vires patrimonii, habeatur ratio diminutionis in dote constituenda à die ultimæ dotis datæ. Si verò aliqua prædictarum filiarum non fuerit dotata ab aliquo de prædictis, constituatur, & detur ei, vel eis dos in bonis patris, matris, avi, vel proaui, de cujus hæreditate ageretur, vel possessis per eos, vel eorum alterum tempore mortis eorum, de cujus hæreditate ageretur arbitrio quatuor bonorum virorum conjunctorum ex parte patris, qui sint saltem ætatis viginti annorum; & si quatuor non extarent, vel extarent, & ipsorum copia haberi non possit, arbitrio trium, & secundum possibilitatem, & facultates bonorum patris. matris, aui, vel proaui, de cujus hæreditate ageretur; & si tres non extarent, vel eorum copia commodè haberi non possit, tunc arbitrio duorum, vel unius tantùm, ut præmittitur, conjunctorum, & si duo, vel unius non extarent, vel ipsorum copia haberi possit, tunc arbitrio conjunctorum masculorum ætatis, ut supra, ex parte matris, si plures extent, in eis servando omnia supradicta de agnatis; uno verò tantùm cognato existente, tunc arbitrio ipsius, & Gubernatoris cum ipso cognato, & tribus vicinis ejus, in cujus bonis dicta dos constitui, & dari debeat, & nullo cognato extante, tunc arbitrio Gubernatoris cum consilio trium vicinorum, ut supra, dos constituatur, & detur, ut supra. Quam dotem, possint etiam hæredes talis mulieris petere taxari, constitui, & declarari, si eidem mulieri constitui, & declarari debuerit, & constituram, & taxatam, & declaratam, sive in pecunia, sive in aliis rebus petere sibi dari, si eidem mulieri soluta, vel constituta non fuerit, similibus modis, quibus supra ipsa mulier petere potuisset tempore suæ vitæ. Quod locum habeat, etiam in casibus præsentibus, & præteritis non decisis, & aliud petere non possint. Et si mater moreretur superstitibus filiis, & aliis liberis masculis per masculum descendentibus, & filia, vel filiabus una, vel pluribus, & superstite patre ipsorum filiorum, vel avo paterno, eò casu filiæ, vel filia dotari debeant de bonis patris, vel aui locupletis ad dotem constituendam. Si verò ex facultatibus eorum dos constitui non possit, tunc dos constitui debeat de bonis matris, de cujus hæreditate ageretur, modo prædicto. Et ad prædictam dotem sic constituendam, ei vel ei, seu ejus, vel eorum hæredibus, in quolibet casuum prædictorum compellantur coniuncti prædicti, & alii supradicti, unus vel plures per D. Gubernatorem, coram quo causa ageretur summariè, sine strepitu, & figura judicii, quibuscumque iuris, vel facti remediis opportunis compellantur ad requisitionem unius, vel plurium pro ea, vel eis legitimè venientium, si vellent nubere, & essent habiles ad nubendum, & nubiles, quo casu debeat dicta dos poni ad partem ira, & taliter, quod constare possit quantum habere debeat in dotem, & unde, qui matrimonium contrahere veller cum tali fœmina, vel si jam nuptæ essent, vel non dotatæ, vel si religionem intrare vellent, seu voluerint, quo casu religionis intrandæ non consideretur dos sororis, quæ fuerit maritata, sed constituatur arbitrio conjunctorum, vel Gubernatoris, ut supra dictum est, quando nulla fuerit dotata, & etiam ante tempus nubile, vel religionem intrandam, ex eo, quod masculi prædicti, vel alter eorum, qui hæredes fuerint, malè inchoarent, & inchoare dicerentur, uti substantia sua. His vero casibus & quolibet eorum, filiæ prædictæ, quæ dotatæ essent, ab hæreditate prædicta excludantur. Aliæ verò fœminæ, quæ dotatæ non essent, eodem modo ab hæreditate prædicta excludantur, & eisdem, vel earum hæredibus solummodò jus competat petendi sibi dotem constitui, & dari, ut dictum est, & bona defuncti, vel per eum possessa tempore mortis pro dicta dote constituenda, & danda ex die mortis illius, sint, & esse intelligantur eisdem fœminis, seu hæredibus earum expressè, & specialiter obligata, de quibus dicti propinqui, & Gubernator, cum supradictis, ut dictum est, possint eisdem fœminis indoratis, vel earum hæredibus adjudicare insolutum pro quantitate dotis sic constituendæ, & ipsas, vel alium pro eis in possessione ipsarum inducere, & induci facere, etiam nulla excussione facta, salvo jure cuilibet competenti in bonis ipsius, quæsito ante mortem dicti defuncti, & valeat, quod fiet etiam si juris, vel statutorum solemnitates non fuerint observatæ, dum tamen hujus statuti solemnitas observetur. Et in quolibet casuum prædictorum antequam dictis mulieribus, seu ipsarum nominibus dotes fuerint constitutæ, & datæ, præstari, & dari debeant alimenta condecentia ipsis mulieribus de bonis hæreditatis ipsius, de quibus dos constitui debuerit, arbitrio conjunctorum, & Gubernatoris, ut supra dictum est in dote constituenda, & pro ipsis alimentis bona ipsius hæreditatis sint specialiter obligata pro illis tantùm annis, quibus appareret ipsam interpellasse obligatum, seu obligatos, & ad hoc, & in eis procedi possit, ut supra dictum est in dote constituenda. Propterea, quia satis est notum, & hactenus in judiciis, & extra usitatum, quod alimenta dotium, quæ dantur, seu debentur pro dotibus, communiter taxantur pro quolibet anno ad rationem anni in quantitate librarum Bononenorum pro quolibet centenario dotis debendæ, & de ista taxatione jus non appareat scriptum, & in judiciis est necesse hunc usum habere, seu probare; Ideò ad sublevandos litigantes, & alios quoslibet à tali onere probandi, statuimus, quod de cætero per quemcumque judicem, arbitrum, vel arbitratorem, in quocumque casu, quo debita alimenta dotium prædictarum perantur, taxentur ipsa alimenta ad rationem septem pro centenario in anno, & ad rationem anni, & non minùs, nec ultra, cui taxationi stari debeat. Item quod dictum est de filiabus, & masculis remanentibus, ut supra, patre, vel matre decedentibus ab intestato, obtineat per omnia in nepte ex filio, & aliis fœminis, descendentibus per masculum, extantibus dictis masculis, dum tamen dotes constituendæ non excedant portionem, quæ à patre deberetur, si ipse viveret. Neptes autem, vel nepotes ex filia, & cæteri alii masculi, & fœminæ per fœminam descendentes, remanentibus filiis, vel aliis liberis masculis descendentibus per masculum ex defuncto, vel defuncta ab intestato à successione materna, paterna, avita, vel proavita per dictos masculos penitus excludantur, filiabus autem, vel aliis fœminis per masculum descendentibus extantibus, & nullis filiis, vel aliis masculis extantibus per masculum descendentibus, inter eas succedant, & successio procedat de jure communi. Declarantes insuper, quod ubicumque in aliquo casuum prædictorum in hoc, vel præcedenti statuto contentorum, mulier, à successione ab intestato, vel ex testamento repellitur si inter masculos ad invicem; vel cum aliis quæstio oriatur super debita juris naturæ quota, seu quanta intelligatur propter numerum liberorum, tales fœminæ quoad ipsam legitimam in numero liberorum non contineantur, seu computentur. Item dicimus, quod si quis promittens, seu solvens dotem esset debitor mulieris, pro qua promiserit, seu soluerit, intelligatur promisisse, vel soluisse de eo, in quo esset debitor ipsius mulieris usque ad concurrentem quantitatem, & hoc non vindicet sibi locum in ascendentibus masculis, vel fratre, seu filio fratris talis mulieris, qui intelligantur de suo dotasse, nisi contrarium appareat.

CERRETI,

Quod est Castrum sub Præfectura Nursiæ.

PARTICULA L.

Quod mulieres dotatæ non succedant certis personis, Rubr. 17. lib. 2.

ITem statuimus, & ordinamus, quod dotatæ mulieres per patrem, seu matrem, fratrem, sororem, avum, vel aviam, non succedant ab intestato hujusmodi patri, vel matri, sorori, vel fratri, avo, vel auiæ, si talis mater, vel pater, frater, soror, auus, vel auia decederent aliis filiis superstitibus masculis, vel nepotibus ex filiis natis ex eodem matrimonio, de quo nata est dicta mulier dotata, vel si decederent alii ex fratribus, vel sororibus, etiam suis filiis, vel aliis fratribus carnalibus, vel filiis fratrum masculis superstitibus ex utroque parente dictæ mulieris dotatæ, ad dictam successionem prædictorum venire volentes non audiantur; Et si in Judicio egerint petendo hæreditatem, vel partem contra prædictos dictæ mulieris, & earum Procuratores per Rectores eiici ntur; Et alias latiùs, ut in statuto prædicto, ad quod &c.

CER-

CERVETERIS,

Quod eſt Caſtrum B. in diſtrictu Urbis.

PARTICULA LI.

Che la figlia maritata, ò da maritarſi non ſuccedа, non ſtandovi Teſtamento Cap.173. lib.2. pag.48.

ANcora ſtatuimo, & ordiniamo, che la figlivola maritа, ò da maritarſi dal padre, avo, dalla madre, dell'ava, e da gl'altri ſuperiori, ò collaterali, dal fratello, zio carnale di padre, ò dal zio carnale da canto di madre, ò nepoti, e degl'altri conſanguinei, affini, coniunte, ò dall'altre eſtranee perſone, debbia eſſer contenta della ſua dote, e per via di ſucceſſione, dove non ſia teſtamento, nè per cauſa di legitima, di Falcidia, ò Trebellianica, oltre la detta dote, non poſſa havere delle robbe del padre, madre, dell'avo, dell'ava, e dell'altri ſuperiori, ò delli collaterali fratelli, zio carnale, nipoti, e dell'altri conſanguinei, mà debbia eſſer contenta della ſua dote, che gli è data, ò promeſſa, ò che ſe gli deve dare del paraggio, come di ſopra è ſtato ordinato, e gli fratelli conſanguinei, ò gli affini, alli quali ſi appartiene, e ſpetta maritarla, ſi aſtringhino, e ſforzano per l'Officiali, e Maſſari di Cervetre, à promettere, e dare la dote del pari, ſecondo la poſſibiltà delle loro facoltà, e delli ſuoi, conciofiache ſia eſpediente all'oneſtà del detto Caſtello, havere le Donne dotate, e maritate, & ancora conſervare le ſtirpe, e la famiglia &c.

CERVIENSIS CIVITATIS.

PARTICULA LII.

Ex Cap.15. lib.2.

STatuimus, & ordinamus, quod mater ad ſucceſſione filiorum ab inteſtato decedentium non admittatur, niſi ad legitimam tantùm, non extantibus fratribus, vel ſororibus, filiis ejuſdem patris, quod autem ſupereſt legitimè deveniant proximioribus pro pinquis uſque ad quartum gradum, his verò non extantibus ſuccedat mater in totum in omnibus bonis ſui, ſalvis teſtamentis, & inſtrumentis, ac promiſſionibus factis, tàm novis, quàm veteribus, quibus teſtamentis, & inſtrumentis, ſeu promiſſionibus hoc capitulum ſtatuti non poteſt præjudicium generare, extantibus verò ſororibus vel fratribus deſcendentibus ab inteſtato, non admittatur mater ad legitimam.

Ejuſdem Statuti. *Cap.16.*

STatuimus, & ordinamus, quod filius, vel filii maſculi ſuccedant in omnibus bonis paternis, & maternis, & filia, vel filiæ fœminæ non poſſint eum, vel eos moleſtare, vel inquietare, ultra legitimam ſuam, quæ legitima ei, vel eis ſit ſalua, & hoc locum habeat, quando pater, vel mater, de cujus bonis tractatur, ab inteſtato deceſſerit.

CÆSENATENSIS CIVITATIS.

PARTICULA LIII.

Quod filijs extantibus maſculis fœminæ non ſuccedant.

CUm per filios, & liberos maſculini ſexus magis, quàm per fœminas defunctarum, domus, & memoria conſervetur, & diu quadam ſucceſſione ad longiſſimos annos duratura trahat, conſervationi eorum ſalubriter attendentes neceſſariò ſtatuendo duximus providere, quod nulla mulier, ſeu fœmina, neptis, ſeu alia quæcumque fœmina, tam ex directa linea, quàm ex tranſverſali linea deſcendentes extantibus maſculis, ſeu liberis maſculis ex maſculina linea deſcendentibus, parentibus, avo, proavo, ſeu altero eorum decedente ab inteſtato, ſeu decedentibus, ſuccedere poſſit, quibus tantummodò filios maſculos, ſeu ſucceſſivè eorum liberos ſuccedere volumus, fœminabus filiis excluſis ipſo jure, quas volumus, ſi dotatæ ſint, ſuis dotibus contentas eſſe. Et ulteriùs ad bona defunctorum prædictorum regreſſum non habere ratione alicujus legitimæ portionis, aut debiti bonorum ſubſidii jure naturali debiti, vel alia quacumque ſucceſſionis cauſa hic expreſſa, vel non expreſſa, quibus omninò illas removendas duximus, denegantes actiones quaſcumque contra maſculini ſexus filios, ſeu liberos, & ad bona, & ſucceſſionem bonorum defunctæ perſonæ, de cujus ſucceſſione tractaretur. Indotatis verò volumus dotem conſtitui ſecundùm quantitatem patrimonii defunctæ perſonæ, inſpecta etiam qualitate perſonæ patris, dotandæ ad arbitrium, & ſecundum declarationem duorum ex proximioribus conſanguineis, ſeu affinibus illius, de cujus bonis ageretur, eligendorum per Poteſtatem, aut Vicarium Gabellæ Civitatis Cæſenæ ſub præſtatione juramenti de benè, & rectè, & ſecundum eorum conſcientiam conſtituere dotem, habito reſpectu tam ad quantitatem patrimonii, quàm, & ad qualitatem perſonæ defunctæ, & perſonæ dotandæ, & caſu quo intra terminum prædictis aſſignandum, vel aſſignatum per alterum ex officialibus prædictis ipſi non declaraverint, vel diſcordes fuerint, vel fuerunt in conſtituendo dotem, ut ſupra; Tunc prædicti Poteſtas, & Vicarius valeat, audita relatione utriuſque, dotem conſtituere ei, vel eis, ſuper quarum dotibus contentio foret, liberè ſuper hoc poteſtatem, & arbitrium prædictis officialibus, vel eorum alteri attribuentes, dummodò non excedant modum, & quantitatem ab altero taxatam ei, vel ab eorum alterius declaratione, qua declaratione, ſeu conſtitutione dotis facta ad inſtantiam perſonæ dotatæ, ſeu ejus legitimi Procuratoris, ſeu Curatoris, caſu quo minor ſit teneantur Poteſtas, & ejus Vicarius dictam declarationem, tanquam ſententiam, quæ tranſierit in rem judicatam, cujus robur, & effectum ipſo jure ſortiri volumus, uſque ad integram ſatisfactionem contra bona perſonæ defunctæ ad effectum demandare, ordine juris, vel ſtatutorum aliquo non ſervato, quo faciliùs dotes ſuas mulieres conſequantur, & hanc declarationem fieri volumus tempore, quo dictæ fœminæ fuerint nubilis ætatis, uſque ad quam ætatem volumus in domo defuncti, ſeu defunctæ perſonæ alimentari ſecundum qualitatem perſonæ, & patrimonii facultate inſpecta. Et prædicta omnia vindicent ſibi locum in bonis quibuſcumque perſonæ defunctæ propriis, & emphyteuticis, & aduentitiis à perſona defuncta tantùm acquiſitis; à prædecedentibus verò ſuis per ſe tantùm, aut per ſe, filiis & nepotibus acquiſitis, etiamſi ex forma juris, conceſſione emphyteutica ipſe fœminæ includerentur, à quibus omninò fœminas prædictas privamus, & ab his excludimus. Et omni jure, ſeu actione contra bona prædicta ipſo jure remotas eſſe volumus, & aduenire ad maſculini ſexus liberos tantummodò, ut ſupra. Inſuper prædictis adiiciendo, ſtatuimus, quod unuſquiſque pater, auus, & proavus, extantibus ſibi filiis, ſeu liberis ex uno, pluribuſque, ſeu diverſis matrimoniis, poſſit, & valeat ex bonis ſuis quibuſcumque propriis, ſeu emphiteuticis à ſe, vel à prædeceſſore ſuo, vel alio quocumque modo, & qualitercumque, pro ſe tantùm, vel ſe, & filiis, ut ſupra acquiſitis plenè pro libito voluntatis diſponere inter filios, & liberos, dividendo, dando, inſtituendo, ſubſtituendo, & fideicommittendo, ſeu alio quocumque modo, ſeu quocumque titulo in quibuſuis ultimis voluntatibus, contractibus inter viuos, vel donationibus cauſa mortis, non obſtante aliquo jure, ſtatuto, ſeu ordine in contrarium facientibus, & maximè ſtatuto ſituato ſub rubrica. Quod extantibus filiis ex primo matrimonio mulier &c. Quod ſtatutum corrigere intendimus ex nunc per præſens ſtatutum ad finem ſui, ubi dicta mulier extendebatur ad viros, quos per præſens ſtatutum reponimus in eorum libero primario arbitrio, attribuentes eis plenam, & liberam facultatem diſponendi inter viuos, & in quibuſcumque ultimis voluntatibus eorum de bonis quibuſcumque ſuis, & quod ultra ipſorum virorum diſpoſitiones, nihil aliud poſſit peti, vel intentari ratione alicujus legitimæ, vel alia quavis cauſa, quæ excogitari, vel immaginari poteſt, ut ſupra. Et in fine illius ſtatuti ibi; ac idem intelligatur de viro, & obſervetur, removemus ex nunc totaliter, & annullamus, & omni ejus robore, & validitate privamus illud totaliter quoad mentem, & effectum caſſamus, & pro caſſo, & nullo haberi volumus, & mandamus, imponentes etiam filiabus quibuſcumque ex primo, vel aliis pluribus matrimoniis natis, vel naſcituris, ſi dotatæ fuerint in teſtamentis, vel aliis ultimis voluntatibus parentum ſuorum, aut in vita eorumdem perpetuum ſilentium contra eorum bona ratione legitimæ jure naturæ, vel debiti bonorum ſubſidii ejus, quod poteſt quomodolibet eis competere, à quibus omninò excludimus, & pro excluſis haberi volumus ipſo jure, tam à petitione ipſius legitimæ, quàm etiam quorumcumque aliorum bonorum propriorum defunctæ perſonæ, aut emphiteuticorum à quibuſcumque acquiſitorum, ut ſupra decedentibus ab inteſtato, ut dictum eſt. Indotatæ verò conſtitui dotem volumus, ut ſupra in primo

mo ſtatuto declaratum extitit, cum ad defunctorum filiorum ſine liberis ab inteſtato ſucceſſione matris, ſeu aviæ per lineam maternam aſcendentes una cum fratribus, & ſororibus utrinque perſonæ defunctæ conjunctis ſecundum gradum proximitatis ſuccedant quondam defunctorum ad familiam extraneam domos alienas devenerunt, ſuperindè opportunè providentes ſtatuendo ſancimus, quod ſi quis ex filiis primi, ſeu alterius matrimonii ſine liberis fratribus utrinque conjunctis, aut fratrum prædictorum filiis, & ex matre, ſeu ejus linea aſcendentes ſuperſtitibus ab inteſtato deceſſerunt matre, & avia ſecundis nuptiis deductis, fratres, fratrumque filii, & liberi ſecundum jura tantummodò ſuccedant, matre, & avia, ſeu per earum lineam alia perſona deſcendentes, ab omni ſucceſſione, & debito jure naturæ bonorum defunctorum ipſo jure excluſis. Quos durante ſecundo matrimonio, vel ulteriori ab omni commodo, & poſſeſſione, ſeu petitione portionis alterius ſuorum filiorum, ſeu liberorum prę̃mortui, quandocumque ab inteſtato perſonæ defunctæ, quomodocumque eis, vel alteri eorum debitæ privamus. Si verò à ſecundo, vel ulteriori matrimonio, matres ſupraſcriptæ ſe abſtinuerant, vel poſt prædictas nuptias viduatæ ſint, tunc volumus ad debitum ſibi in bonis filiorum præmortuorum debita portione ſuccedere, & in bonis illius uti, & frui donec vixerint, & vitam vidualem duxerint, & dimidia vitæ ſuæ cum vidua maritorum, & aviis perfulgeat, poſſeſſionem, & uſumfructum tantummodò dictarum rerum, pro ſibi debita portione, concedimus, omnia, & ejus prædicta bona alienanda, quomodolibet extraneam perſonam, vel ſucceſſionem alterius matrimonii conjunctionem ſuſceptam, ſuccumbant, remota facultate, ſublata poteſtate alienandi, ſeu aliter transferendi in aliquas perſonas, præter quam in filios, & liberos ex eo matrimonio, ex quo, ſeu cujus facultatibus prædicta perſona proventa ſit, inter quos tantummodò eis liberam facultatem, poteſtatem, quem digniſſimum putaverint reſervamus, quod ſi nulla matre, aut avia, aut alia ex linea materna condito teſtamento deceſſerit, tunc volumus omnia quæcumque bona ad eas perventa ex ſucceſſionibus prædictis remitti, & reverti ipſo jure cum omni proprietate ad ſuperſtites filios, & liberos, ex matrimonio, à cujus facultatibus perventa ſint; In quibus eas volumus tantummodò ſuccedere defuncta matre, aut avia, ſecundum quod jura diſtribuunt prę̃latione, ſeu gradus prę̃rogativa inter eos ſervata &c.

CINGULI,

Quæ eſt Terra ſub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA LIV.

De Muliere dotata Rubr. 40.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi mulier reperiatur dotata à patre, vel à matre, vel à fratribus, vel ſororibus, vel ab aliquo ipſorum, ab inteſtato non ſuccedat eis, nec alicui ipſorum, ſingula ſingulis referendo in eorum gradu exiſtentibus, & ad bona paterna, materna, vel fraterna nullum habeat regreſſum contra fratres, vel ſorores, vel legitimos, ſeu prætendentes cauſam ab eis, niſi ad tantum, quantum, quod pater, vel mater, aut aliquis prædictorum in ultima voluntate, vel aliter ſibi reliquerit, vel conceſſerit ultra dotem: ſed ſi mulier dotata ſua dote deberet aliquid habere à prædictis perſonis, omni ſolemnitate iuris omiſſa, eos cogat Poteſtas ſibi ſatisfacere oſtenſo inſtrumento dotali ad petitionem ipſius dotatæ, & hoc locum habeat in præteritis, præſentibus, & futuris.

Aliud decretum, ſeu reformatio Cemmunitatis dictæ Terræ ſuper inteſtatis ſucceſſionibus.

ITem ſtatuimo, & ordiniamo, che quando occorreſſe, che alcuno mancaſſe, ò moriſſe ab inteſtato, & haveſſe figlivoli maſchi, e femine, che le dette femine non ſuccedano per la rata dell'eredità, ma che ſiano dotate ſecondo la conditione della loro famiglia, ò caſa, e quando non haveſſe ne figlivoli, ne figlia, detta eredità ſucceda alli maſchi del ceppo della caſa. Placet, dummodò filiæ fœminæ fuerunt congruè, & competenter dotatæ, & quod filiis, vel filiabus non exiſtentibus, neque matre, alii maſculi de cippo admittantur.

CITERNÆ,

Terræ ſub Gubernio Civitatis Caſtelli.

PARTICULA LV.

De ſucceſſionibus ab inteſtato. Cap. 47.

STatuimus, & ordinamus, quod ſi aliquis ab inteſtato deceſſerit, ſiquidem ipſe decedens, & mortuus fuerit pater, avus, vel proavus, ſuccedant tali decedenti maſculi deſcendentes ex eis, vel quolibet ipſorum per lineam maſculinam, filiæ fœminæ deſcendenteſque ipſarum, ſi remanſiſſent maſculi, vel plures non poſſint ſuccedere, & ſi decedens fuerit mater, avia, vel proavia, ſimiliter fœminæ, & deſcendentes ipſarum non poſſint ſuccedere ſuper dictis ſuperſtitibus maſculis, & in quolibet caſuum prędictorum mulieres ipſę ſi dotatæ non eſſent, debeant congruè dotari facultate, & bonis dictæ hæreditatis, de qua ageretur, arbitrio duorum magis idoneorum conſanguineorum. Et ſi dictę fœminę non dotarentur, poſſint ipſæ eędem petere bona illius hæreditatis, & habere, & tenere uſquequo fuerint congruè dotatæ, non obſtante aliqua alienatione de bonis hæreditatis prædictæ. Et ſi frater nollet maritare ſororem, aut eam vellet maritare indecenter, vel ad eam maritandam eſſet inhabilis, quod tunc duo ex proximioribus conſanguineis ipſorum, unus ex latere paterno, alius verò ex latere materno debeant eam maritare ſecundum facultatem patrimonii, & ſi ipſi duo concordes non eſſent, eligatur tertius per Priores Fraternitatis Sanctę Mariæ, & duo ex dictis tribus poſſit ſecundum facultatem patrimonii eam liberè maritare, & dotem conſtituere, & frater prædictus non poſſit aliquid opponere, vel contravenire ad id, quod factum fuerit per dictos Priores. Et fiat electio dictorum conſanguineorum, & tertii ad petitionem cujuſcumque concurrentis dictę fœminæ prædictæ narrantis, & petentis coram Domino Vicario; Si verò ſuperſunt tantùm fœminæ deſcendentes, vel maſculi deſcendentes ex fœminis, una ſimul ſuccedant omnes dotatæ, & non dotatæ, & filii, vel nepotes earum ſecundum formam juris, dum tamen dotes conferantur illarum, vel earum, in quarum locum ſuccedant. Si verò fuerit filius, vel filia, neptos, vel neptis, pronepos, vel proneptis, vel alia perſona deſcendens, qui, vel quæ deceſſerit ab inteſtato, & qui, vel quæ non habuerint deſcendentes, ſuccedant aſcendentes per lineam maſculinam una cum fratribus defuncti, vel filiis fratris maſculi, ſi ſuperſunt, & in eo caſu tantum, quo ex perſona defuncta ſupereſſet mater, & patruus, mater poſſit ſuccedere in quarta partis hereditatis perſonæ mortuæ, & in reſiduis tribus partibus ſuccedat patruus, ſive zius paternus, vel filius, ſive filii patrui, ſive fratres patruelis. Et mortuo fratre ab inteſtato, ſorores ſuccedere non poſſint, ſi remanſerint unus frater carnalis, ſive plures, paternus, ſive maternus, vel ſaltem paternus, aut filius ipſius fratris, & ſorores illæ, ſi dotatæ non eſſent, & non maritatę, debeant congruè maritari de bonis fratris defuncti, prout ſuperius de aliis dictum eſt. Item ſi remanſerint patruus perſonæ defunctę, ſorores ſuccedant ſolùm in quarta parte hæreditatis fratris defuncti, etiam ſi dotatæ eſſent, & ſi dotatæ non eſſent debeant congruè dotari, ut ſuperius dictum eſt, & nihilominus in quarta parte ſuccedant, & debeant filii, & nepotes alii ab inteſtato ſucceſſores, quando ex perſona defuncta eſſent fœminę, dotare ſecundum formam ſupradictam ex bonis defuncti; facere Inventarium omnium bonorum patris, matris, avi, aviæ, vel alterius perſonę, cui ſuccederent, adhoc, ut dictæ filiæ, ſorores, aut nepotes, aut aliæ fœminæ dotandæ ex bonis defuncti, in aliquo defraudari non poſſint, & illud inventarium dicti ſuc-

ceſſores facere teneantur infra menſem à die mortis defuncti, cui ſucceſſerint, & ad petitionem ipſarum mulierum, vel alicujus ipſarum Vicarius teneatur ipſos ſucceſſores cogere ad confectionem illius inventarii, & ſi dictæ fœminæ dotatę eſſent ſecundum formam præſentis capituli non habeant ulterius regreſſum ad bona paterna occaſione ſuæ legitimæ, vel alterius ſucceſſionis ab inteſtato, exiſtentibus aliis, qui ſuccedere poſſent ſecundum formam ſtatuti loquentis de ſucceſſionibus ab inteſtato ſupradictam, ſed debeant eorum dotibus ſtare contentæ, & quæ ſupradicta ſunt de ſucceſſionibus ab inteſtato, & expreſſa, locum habeant, & intelligantur, & obſerventur in omnibus, & per omnia, etiam in quocumque morientę inteſtabili, & quæ dicta ſunt de inteſtabili locum habeant in caſibus futuris tantùm, à die præſentis ſtatuti confirmationis.

Circa contenta in ſupradicto capitulo in totum dictum capitulum confirmantes, pro tollendis dubiis, & diſputationibus, declarantes, decreverunt, quod filiæ fœminæ, deſcendenteſque ipſarum ob exiſtentiam maſculorum deſcendentium non ſuccedant, ut in dicto capitulo, & dotentur, ſi dotatæ non ſint, intelligi voluerunt, & decreverunt, quod tunc filia, vel deſcendens ex filia dotata cenſeatur, adeo quod ulterius dotari non debeat, quando eſt dotata de bonis illius, de cujus hæreditate agitur, vel ſaltem de bonis communis patris, vel communis matris, communis avi, vel communis aviæ, & ſic quod filia, vel neptis, dotata ex bonis patris, non debeat iterum dotari ex bonis matris, ſi ſuperſit frarer conjunctus dictæ mulieri ex latere patris, & matris, vel ex latere patris tantum legitimus, & naturalis, ſive filii talis fratris tali modo legitimi, & naturalis; In caſu verò, quo fœmina eſſet dotata ex bonis patris, & ſupereſſet frater dictæ mulieris ex latere matris tantum, iſta mulier non debet cenſeri dotata, cum agitur de hæreditate matris ſuæ, quamvis dotem habuerit ex bonis maternis in utilitatem fratris dictæ mulieris, non filii ejuſdem patris, ex cujus bonis dotata eſt, ſed debet congruè dotari etiam ex bonis matris, quam congruam dotem uſque ad legitimam aſcendere voluerunt. Et ita è contra decreverunt, & ſtatuerunt in filia, vel nepte dotata ex bonis matris, vel avi materni, vel aviæ maternæ, quod ſi agitur de ſucceſſione patris, vel avi paterni, vel aviæ paternæ, hæc mutier debeat iterum dotari ex bonis paternis, vel avitis paternis, niſi ſuperſit frater conjunctus utrinque, vel ex latere paterno ſaltem, ſeu filii legitimi, & naturales talis fratris utrinque conjuncti, vel ſaltem paterni.

Item declarantes ſtatuerunt, quod filio, vel filiæ legitimo, & legitimæ, & naturali decedenti ab inteſtato ſine liberis legitimis, & naturalibus mater, vel avia materna non ſuccedat, ſi extet aliquis ex aſcendentibus lineæ paternæ, ſive frater utrinque conjunctus, ſive ex latere patris tantùm dicti defuncti legitimi, & naturales; caſu verò, quo fratres; vel frater primi gradus, ut ſupra, vel aſcendentes perſonæ mortuæ non extarent, ſed extaret patruus, vel fratres patrueles, tunc mater in quartam partem ſuccedat, in reſiduo patruus, & fratres patrueles, unus, vel plures, prout erunt, & extabunt, qui ſi concurrant cum patruo, vel patruis, ſuccedant in ſtirpem, & non in capita.

Item advertentes, qualiter in verſiculo dicti capituli incipiente. Et mortuo fratre &c. implicatur aliqua varietas, ut evitentur diſceptationes decreverunt ſororem excludi, ut in dicto capitulo, & verſic. Si extiterit frater utrinque conjunctus, vel ex latere patris tantùm ipſius defuncti, qui ſit legitimus, & naturalis ob exiſtentiam fratris uterini tantum, noluerunt ſororem excludi. Addentes, quod quemadmodum patruus excludit ſororem, excepta quarta parte ab hęreditate fratris ab inteſtato ſine liberis defuncti, ita & fratres patrueles ſororem excludant in omnibus, & per omnia, excepta quarta parte; declarantes, quod appellatione fratris ſecundum adjuncta in hoc capitulo non comprehendatur frater patruelis, niſi expreſsè dicatur.

CIVITATIS CASTELLI, SIVE TIPHERNATENSIS Civitatis.

PARTICULA LVI.

De ſucceſſionibus ab inteſtato; Cap. 46. lib. 2.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi aliquis ab inteſtato deceſſerit, ſiquidem fuerit pater, mater, avus, avia, proavus, proavia, vel alii aſcendentes ſuccedant tali decedenti maſculi deſcendentes ex eo per lineam maſculinam; fęminæ verò deſcendentes ſi ſunt dotatæ ſuperſtitibus maſculis deſcendentibus ex tali decedenti ab inteſtato per lineam maſculinam, vel aliquo ipſorum in aliquo non ſuccedant; ſi vero dotatæ non eſſent, dotentur de bonis, de cujus hæreditate agitur, arbitrio duorum magis idoneorum conſanguineorum, aut ſuccedant in portione hæreditatis ſibi de jure competenti, & hoc ſit in electione dictorum maſculorum ſuperſtitum, ſi verò ſuperſunt tantum fœminæ deſcendentes, vel maſculi deſcendentes ex fœminis, vel una ſimul ſuccedant omnes dotatæ, & non dotatę, & filii, vel nepotes earum ſecundum formam juris, dum tamen dotes conferantur earum, vel illarum, in quarum loco ſuccedunt. Si verò fuerit filius, vel filia, nepos, vel neptis, pronepos, vel proneptis, vel alia perſona deſcendens, qui, vel quæ deceſſerit ab inteſtato, & qui, vel quæ non habuit deſcendentes, ſuccedant aſcendentes per lineam maſculinam, una cum fratribus defuncti, vel filiis fratris maſculi, ſi ſuperſunt, ſecundum formam juris, ſororibus excluſis, ſi verò fuerit frater, vel ſoror, qui, vel quæ deceſſerit ab inteſtato, non ſuperviventibus deſcendentibus, vel aſcendentibus, volentibus ſuccedere, ut ſupra, ſuccedant fratres maſculi conſanguinei, & filii maſculi utrinque conjuncti, ſi ſunt, & ſi non ſunt, ſuccedant maſculi fratres conſanguinei, & filii maſculi dictorum fratrum conſanguineorum tantùm, & ſi non ſuperſunt, ſuccedant patrui, & filii maſculi patruorum ſororibus excluſis, & matre, & avo materno, & avia materna, & omnibus aliis attinentibus tali decedenti ex latere matris, & ſi prædicto decedenti non ſuperſunt deſcendentes, vel aſcendentes, vel collaterales prædicti, ut dictum eſt, ſuccedant alii attinentes ſecundum formam juris communis. Declarantes, quod quoad prædicta fœmina intelligatur dotata, ſive dos fuerit pro ea ſoluta, vel promiſſa, vel eidem in teſtamento, vel alia voluntate aſſignata ab aliquo prædictorum.

Addentes, quod præſens ſtatutum locum habeat in infante, pupillo, & furioſo, qui inhabiles ad teſtandum deceſſerint, ut eorum ſucceſſiones, ſecundum formam præſentis ſtatuti devolvantur, & talis additio ad futura tantùm locum ſibi vendicet.

CIVITATIS NOVÆ, Terræ B. in Provincia Marchiæ.

PARTICULA LVII.

De teſtamentis, de ſucceſſionibus ab inteſtato, & de muliere dotata Rubr. 28. libr. 2.

TEſtamentum etiam nuncupativum, non valeat ipſo jure, etiam quoad legata, & fideicommiſſa, ſi in eo non fieret expreſſa mentio de debente inſtitui, vel exhæredari per talem teſtatorem, etiam ſi dicto teſtamento eſſet adjecta clauſula codicillaris, vel cujuſcumque alterius ultimæ voluntatis, quæ clauſula habeatur pro non adjecta, & ipſo jure non valeat. Et præſumatur dictum teſtatorem ignoraſſe vivere, vel in ventre eſſe, vel in memoria non habuiſſe debentem per ipſum inſtitui, vel exhæredari, quę præſumptio ſit juris, & de jure, niſi in dicto teſtamento eſſet prætérita perſona, quæ ſecundum formam præſentis ſtatuti eſſet excluſa à ſucceſſione ab inteſtato ejus ſi non feciſſet teſtamentum, & ſi in dicto teſtamento eſſent ſcripti hæredes agnati uſque in ſecundum gradum inclusivè habitatores in terra Civitanovæ, vel ejus diſtrictu,

vel

vel promittens infra annum, cum idoneo fidejussore perpetuo in dicta Terra habitare, sub pœna centum librar. & in confiscatione omnium dictorum bonorum, ex nunc dicto communi, & non aliæ personæ. Ubi verò essent scriptę aliæ personæ, quam dicti agnati, quoad alias personas dictum testamentum non valeat, sed in locùm dictarum aliarum personarum admittatur dicta persona præterita excluſa à succeſſione ab inteſtato ejus, qui fecit testamentum vigore præsentis statuti. Denique si in testamento aliquo esset facta aliqua substitutio filio, vel filiæ impuberi, vel deinceps per quæcumque verba directa, vel obliqua, vel communia per potentem facere substitutionem pupillarem, presumatur de jure fuisse; & esse voluntatem, & mentem dicti testatoris voluisse facere substitutionem expressam pupillarem infra tempus pupillaris ætatis, & ut expressa pupillaris debeat censeri, & judicari, & isto casu dicta verba directa, obliqua, vel communia, vigore præsentis legis trahantur ad directam, & expressam substitutionem pupillarem durante dicta pupillari ætate. Insuper agnati masculi, usque in secundum gradum inclusivè habitatores in dicta Terra, vel in ejus districtu, in succeſſione ab inteſtato propriè, vel impropriè alterius agnati, vel agnatæ, ex qua non remanserunt descendentes, præferantur cognatis, & fœminis, donec dicti agnati, vel masculi descendentes ex eis per lineam masculinam extiterint. Dummodò dicti agnati fuerint dictæ hæreditatis capaces, & dictæ hæreditati se immiscuerint, vel adiverint dictam hæreditatem, alioquin dictæ personæ excluſæ habeantur pro non excluſis. Ubi verò talis persona excluſa à dicta succeſſione esset dotata ab illa persona, à cujus succeſſione excluditur, tunc talis persona, & ejus descendentes sint contenti, seu contentæ dicta dote, donec dictæ personæ excludentes ipsam, & ipsius descendentes masculi per lineam extiterint. Et intelligatur mulier dotata quando fuit etiam dos promiſſa, relicta, satisfacta, vel aliter constituta. Sed si dicta persona excluſa non fuisset dotata ab illa persona, à cujus hæreditate excluditur, sed de jure communi deberet de dicta hæreditate ad minus habere legitimam, tunc talis persona excluſa pro ejus legitima debeat habere sextam partem hęreditatis prędictæ dividendam æquali portione inter omnes debentes habere dictam legitimam, deducto ære alieno, & funeris impensa. Et si dicta legitima superius descripta non sufficeret dictæ personæ excluſæ pro dote, vel pro alimentis, constituantur sibi alimenta vel dos, secundum declarationem fiendam per Rectorem, vel per Judicem, cum duobus agnatis, vel cognatis, vel vicinis dictę personæ excluſæ summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura judicii omni solemnitate juris omiſſa, vel non servata, quibuscumque diebus etiam feriatis in honorem Dei, & in omni loco, dummodò non sit de excludentibus dictam personam à dicta succeſſione quorum sententiæ, & declarationi, dicta persona excludens stare tacita, & contenta teneatur, sub pœna centum librarum dictę personæ excluſæ de facto applicandarum. Et nihilominus dicta persona excludens ipso jure sit dicta succeſſione privata, & applicetur dictæ personæ excluſæ, ac si dicta persona excluſa, non fuisset excluſa à dicta succeſſione. Et quod sententiatum, & declaratum fuerit per prædictos præsumatur fuisse, & esse legitimè deductum, & prolatum, ac confeſſatum per partes. Et talis præsumptio, sit juris, & de jure. Ita quod non admittatur probatio in contrarium. Si verò dicti agnati, & ipsorum descendentes per lineam masculinam deficerent, tunc tales personæ excluſæ, & ipsarum descendentes admittantur ad dictam succeſſionem, à qua fuerunt excluſæ, ac si non fuiſſent excluſæ, & ac si per dictas personas excluſa dicta hæreditas ab initio fuisset adita, vel dictæ hæreditati se immiscuiſſent. Et prædicta omnia vindicent sibi locum in inteſtabilibus, & in decedentibus sine testamento. Porrò si aliqua fœmina deceſſerit superstitibus sibi descendentibus masculis per lineam masculinam, & fœminis ab inteſtato eidem succedant masculi per lineam masculinam descendentes, scilicet secundum jus commune, excluſis dictis fœminis, & ex eis descendentibus, quibus debeatur legitima prout supra dictum est, si non essent ab ipsa dotatæ, si dicti masculi capaces essent, & hæreditatem prædictam adiverint, & donec dicti masculi, & descendentes ex masculis per lineam masculinam extiterint excluſis etiam dicto casu à succeſſione dictæ fœminæ ab inteſtato dictis agnatis. Sed si ab inteſtato dictæ mulieri supereſſent solum descendentes fœminæ, vel ipsarum descendentes, tunc illæ succedant secundum jus commune excluſis dictis agnatis. Sed si ex dicta fœmina decedente ab inteſtato superstitibus filiis masculis, vel descendentibus per lineam masculinam ex ea, & fœminis, & descendentibus ex eis: & dictæ fœminæ essent dotatæ ab ipsa, tunc dictæ mulieres, & descendentes ex eis sint contentę dicta dote, donec dicti masculi extiterint. Si verò dicti masculi, & descendentes masculi ex eis deficerent: tunc fiat, prout supra dictum est ibi. Si verò dicti agnati, & ipsorum descendentes per lineam masculinam &c. Postremò si aliqua persona decederet inteſtabilis, vel inteſtata, superstitibus sibi dumtaxat agnatis, vel cognatis transversalibus in quartum gradum, sibi Communæ dictæ Terræ succedat in quarta parte hæreditatis dicti descendentis. Si autem decederet nullis relictis liberis, nec agnatis, vel cognatis usque in tertium gradum inclusivè, siquidem esset maritus decedens inteſtatus, superstite sibi uxore, dictum Commune habeat hæreditatem totam, excepto quod ipsa mulier sit usufructuaria omnium bonorum dictæ hæreditatis, etiam ultra dodrantem. Et è contra si esset uxor decedens ab inteſtato, nullis relictis liberis, nec agnatis, vel cognatis, usque ad dictum gradum inclusivè, sed superstite marito, dictum Commune habeat hæreditatem dictæ uxoris, sed maritus usumfructum, prout supra dictum est in hæreditate mariti.

CIVITATIS PLEBIS.

PARTICULA LVIII.

De succeſſionibus ab inteſtato, & quod fœminæ dotatæ ſtantibus maſculis non ſuccedant.

CUm publicè interſit in Terra Caſtri Plebis familiarum agnationumque dignitatem diu conſervare, quod ex divitiarum affluentia, ac conſervatione potiſſimum provenit, idcircò ad prœmiſſum effectum, & finem hujus ſtatuti perpetuò valituri, ac inviolabiliter obſervandi diſpoſitione ordinaverunt, & conſtituerunt, Quod quęlibet mulier, quæ fuerit, vel erit dotata à patre, vel ab alio aſcendente per lineam paternam, non poſſit, nec valeat ab inteſtato ſuccedere alicui ex ipſis aſcendentibus, ſive ipſe pater dotaverit, ſive alius aſcendens per ipſam lineam paternam; nec etiam ſuccedere poſſit alicui deſcendenti ab aſcendente dotante, ſi alius aſcendens per dictam lineam paternam ipſam mulierem dotaverit, donec, & quouſque ſupererit aliquis filius, vel alius deſcendens maſculus per lineam maſculinam dicti patris, vel alterius aſcendentis per lineam paternam dotanti. Et ſimili modo dotata à matre, vel aliquo de linea materna aſcendente non poſſit ſuccedere matri, nec aſcendenti, ſive deſcendenti per dictam lineam maternam, donec, & quouſque ſupereſt aliquis deſcendens ex eadem linea materna, & ſic quemadmodum dotata mulier à patre, vel aliquo per lineam paternam deſcendente, vel aſcendente excluderetur à ſucceſſione patris, vel aliorum à linea paterna deſcendentium, vel aſcendentium, ſicut ſuperius dictum eſt, ita dotata à matre, vel aſcendente à linea materna excludatur à ſucceſſione matris, & aliorum de linea materna. Mulier dotata intelligatur, ſi ei, vel alteri pro ea fuerit aliquid datum, vel promiſſum, ſive relictum in Teſtamento, vel alia ultima voluntate ab aliqua ex expreſsè nominatis perſonis, & quicquid promiſſum, vel relictum fuerit pro dote, & cum expreſſione, quod promittebatur, vel relinquebatur pro dote, id tantum dotis nomine intelligatur, & habere debeant, ſed ſi ſimpliciter, & ſine aliqua expreſſione, quod promittebatur, vel relinquebatur pro dote, tunc, & eo caſu promiſſum, vel relictum, in dubio pro dote promiſſum, & relictum eſſe intelligatur. Et ſi quantitas, vel res, promiſſa, ſeu relicta pro dote, diceretur non ſufficere pro congrua dotatione ipſius mulieris, tunc mulier agere poſſit contra fratres, & alios, qui præſentis ſtatuti vigore eam à ſucceſſione excluderent ad ſupplementum, uſque ad dotem congruam arbitrio duorum proximiorum conſanguineorum intereſſe non habętium, & in eorum defectum arbitrio Dominorum

Priorum, qui arbitrari, & conſiderare debeant congruitatem dotis, habito reſpectu ad naturam, & qualitatem temporum, conſideratis viribus patrimonii, dignitate familiæ, & aliis in facto adverten. atque conſiderandis. Si verò mulier nullo modo dotata fuerit, tunc, & eo caſu eam dotari poſſit arbitrio duorum proximiorum conſanguineorum, vel dictorum Priorum in defectum conſanguineorum, adhoc, ut à ſucceſſionibus mulieres excludantur & facta dicta congrua dotatione ad arbitrium conſanguineorum, vel dictorum Priorum in caſu, de quo ſupra, perindè habeatur, & ſit, ac ſi dotata fuiſſet à patre, matre, vel aliquo alio aſcendente per lineam paternam, vel maternam, & facta dicta declaratione congruè dotis, ei per ipſam mulierem ſtari debeat omninò, etiamſi dicta dos, quæ congruè declarata fuerit, non aſcenderet ad quantitatem legitimæ. Declarantes præterea, quod ſi fratres, vel alii, qui mulierem dotare tenentur in ea dotanda negligentes fuerint, tunc, & eo caſu mulier ipſa ſecundum juris communis diſpoſitionem, præſenti ſtatuto non obſtante, ſuccedere debeat. Negligentes autem intelligantur, ſi à tempore mortis patris, vel alterius dotare debentis mulierem viginti annis majorem congruè non dotaverint infra annum, minorem verò viginti annis, ſi per totum vigeſimum annum completum non dotaverint, negligentes in dotando intelligantur. Declarantes præterea, quod mulier expelli non poſſit per neminem ab hæreditate, antequam nuptui tradatur propter dotationem factam, ſed alimenta, & veſtes congruas habere debeat; Si contigerit etiam, quod mulier dotata vidua remaneret, redire poſſit ad domum, & hæreditatem paternam, vel aſcendentis. Item ſi quis, vel ſi qua ab inteſtato deceſſerit ſuperſtite fratre, vel fratribus, ſorore, vel ſororibus utrinque conjunctis, vel ex latere patris tantùm, vel ſuperſtite aliquo aſcendente ex eis, vel eorum aliquo ſuperſtite etiam matre, vel alio aſcendente per lineam maternam mortua matre, tali deſcendenti mater, vel aſcendens per lineam maternam in bonis ad dictum filium, vel filiam, vel ulteriorem aſcendentem à patre, vel alio aſcendente per lineam paternam obventis nullatenus ſuccedat; in bonis autem aliundè quæſitis jus commune ſervetur; ſi verò aliquis aſcendenti ſine liberis, ac etiam ſine fratre, vel ſorore utrinque conjunctis, ſive ex latere patris tantùm, ſuperſtite matre, vel aſcendente per lineam maternam ipſa matre mortua, ſuperſtite etiam patruo, vel deſcendente maſculo patrui mortui, tunc mater ſi extat, vel aſcendens per matrem ipſa matre mortua, non ſuccedat, niſi in tertia parte hæreditatis ſic decedentis; in reliquis autem duabus tertiis ſuccedat patruus, ſeu deſcendens ab eo, ipſo patruo non ſuperſtite. Teſtamentis, & aliis ultimis voluntatibus in præmiſſis ſemper ſalvis.

CIVITATIS VETULÆ.

PARTICULA LIX.

Che le femine dotate, e deſcendenti da eſſe non poſſano ſuccedere alli fratelli morienti ſenza far teſtamento Rub. 25.

ANcora ſtatuimo, che la femina dotata de' beni paterni, overo materni ipſa, e deſcendenti da lei, overo altro ſuo ſucceſſore non poſſano domandare alcuna coſa dalli fratelli carnali nati da quello proprio matrimonio, overo da' nepoti nati da eſſi de' loro beni, ne tornar ad parte con eſſi, ne alcuna coſa domandare ab inteſtato, e ſe foſſe morto lo padre ſenza teſtamento, ne poſſa domandare la parte della dote della ſua madre alli fratelli carnali nati d' un padre, e di una madre, e queſto intendemo ſimilmente nelli beni dell' avo, e del biſavo, e delli ulteriori nipoti, & nipote femine nate di una figlivola conjunta de uno proprio padre, e di una madre, come hò detto, reſervata la legitima per ragione di natura, computata la dote in tutti li caſi ſopradetti &c.

COLLIS MARCHESII,

Caſtri ſub Gubernio Spoleti.

PARTICULA LX.

Che le Donne non poſſano ſuccedere Cap. 16.

STatuimo ancora, & ordiniamo, che ſe alcuna Donna del detto Caſtello, e ſuo riſtretto ſarà dotata d' alcuno ſuo conſanguineo paterno, ò materno, non poſſa per l'auvenire dimandare altro, ò havere delli beni con alcuno ſuo conſanguineo paterno, ò materno non poſſa ſuccedere per l'auvenire à niſſuno di detti ſuoi conſanguinei ab inteſtato in alcuno de'loro beni, mà debbia ſtare tacita, e contenta della dote promeſſali, & queſto volemo, che habbia loco nel paſſato, nel preſente, e nel futuro, non oſtante leggi, e ſtatuti, capitoli, ò riformanze, che faceſſero in contrario &c.

COLLESTATTIS,

Terræ B. ſub Gubernio Umbrię.

PARTICULA LXI.

Quod mulier dotata non poſſit ſuccedere ab inteſtato, pag. 22.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod nulla mulier dotata, vel deſcendens ex ea poſſint pervenire ad ſucceſſionem ab inteſtato patris, matris, ſororis, & fratris; & ſi pater habuerit filios maſculos legitimos, & naturales deſcendentes ex maſculis; & hoc locum habeat tam de ſucceſſione patris, quàm de materna, & ſit de ſua dote tantùm contenta, & ultra ſuam dotem aliquid de bonis paternis, maternis, ſororis, & fraternis habere non poſſit, & hoc locum habeat in præſentibus, præteritis & futuris.

Ejuſdem Statuti. *De deſcendentibus inteſtatis num. 31.*

ITem ſtatuimus, & ordinamus quatenus, ſi quis deceſſerit inteſtatus, ſine filiis legitimis, vel filiabus ex ſe natis, vel ortis, quatenus bona paterna ſuccedant propinquioribus conſanguineis ſui cippi ex parte patris uſque in quartum gradum, & bona materna eodem modo ſuccedant propinquioribus ex parte matris.

CORANÆ

Civitatis.

PARTICULA LXII.

Quod mulier dotata patri, & matri ab inteſtato decedentibus cum fratribus non ſuccedat lib. 2. cap. 20.

STatuimus, & ordinamus, quod filia fœmina dotata, ſtantibus maſculis, patri, & matri ab inteſtato defunctis non ſuccedat, nec ſuccedere poſſit, ſed ipſi tantum filii maſculi patri, & matri ab inteſtato defunctis ſuccedat in omnibus bonis eorum, excluſa fœmina dotata, quæ dote ſua volumus, quod ſit contenta, ſive fuerit dotata à patre, vel à matre, ſive ex bonis communibus utriuſque, & quod diximus de filia fœmina, idem dicimus de ejus filiis ea defuncta ſtantibus maſculis ſupradictis. Ex teſtamento verò poſſit dicta filia fœmina ſtantibus maſculis, patri, & matri ſuccedere æqualiter, vel inæqualiter jure inſtitutionis, vel legati, prout ipſi parentes voluerint, teneatur tamen cum fratribus dotem conferre juxta formam juris, quando una cum eis ſuccedit ex teſtamento, niſi in eorum teſtamentis contrarium ſenſerint parentes tacitè, vel expreſsè.

CORINALDI,

Terræ ſub Gubernio Marchiæ,

PARTICULA LXIII.

Quod filiæ fœminæ, donec maſculi ſuperfuerint non ſuccedant, ſed dotentur. Rubr. 36. lib. 2.

VT familiarum dignitates perpetuentur neceſſarium forè duximus, quod divitiæ, & honor ad alienas familias non pertranſeant. Cùm igitur per maſculos majorum imago repreſentetur, ad ſtatuendum nos duxit, quod ſtantibus maſculis per lineam directam, deſcendentibus ex legitimo matrimonio in infinitum filiæ fœminę, ſeu deſcendentes ab eis per directam lineam in infinitum non ſuccedant, vel ſuccedere valeant nullo condito teſtamento in bonis, ſive hæreditatibus patris, ſive matris, avi, vel aliorum aſcendentium per directam lineam, donec, & quouſque tales maſculi ſuperfuerint, dum tamen fuerint congruenter dotatæ, vel dotentur ab excludere volente. Et ſufficiat ſi ab altero prædictorum dotatæ fuerint, ut ſupra, vel dotentur ut ab omnium prædictorum hæreditatibus excludantur; quæ quidem dos intelligatur congrua ſi aſcenderit ad valorem legitimæ, & plus, prout conſuetudo familiæ, ſive perſonarum conditio, ſive facultas exegerit, cum judicio ſemper, & conſenſu duorum proximiorum conſanguineorum non habentium intereſſe in ipſa hæreditate. Et ipſi maſculi volentes excludere fœminas infrà menſem à die mortis illius, cui ſuccedere intendunt, teneantur conficere inventarium omnium, & quorumcumque bonorum ipſius, adhoc ne ipſæ fœminæ dotandæ aliquo modo in dictis bonis defraudari poſſint. Et adveniente caſu ipſarum viduitatis poſſint redire ad domum paternam, vel alterius perſonæ defunctæ, de cujus bonis dotatæ fuerint, & ibi conferendo dotes ſuas habeant, & habere debeant opportuna alimenta, victum, & veſtitum, ſecundum facultatem hæreditatis perſonæ defunctæ, donec viduæ permanſerint. Si verò quæreretur de linea tranſverſali, quæ concurret cum linea aſcendenti, hoc eſt cum quæreretur de hæreditate patris, ſeu ſororis, vel ipſarum filiis, ſuperſtite aliquo de tranſverſalibus maſculis, & eorum filiis per directam lineam, ſuperſtite ſorore, ſive ſororibus, vel earum filiis, vel deſcendentibus ex eis, ac etiam ſuperſtite matre vel altera ipſarum, vel deſcendentium ex eis: tunc, & eo caſu admittatur frater maſculus, & eorum filii maſculi utrinque conjuncti, excluſa ſorore, & matre ſimul, ac etiam qualibet ipſarum ſola è deſcendentibus ex eis, donec, & quandiu maſculi ſuperfuerint. Si verò alicui defuncto (nullo condito teſtamento) ſuperfuerint patruus, ſeu patrui, viva tamen matre ſola exiſtente, in prima cauſa ſucceſſionis, nulla alia perſona concurrant cum matre ad talem ſucceſſionem, tunc talis mater ſuccedat, & ſuccedere valeat in uſufructu talis filii, donec vixerit; patruus verò ſolus, & non ultra ejus filii in proprietate, & ſic talis mater excludatur à ſolo patruo, quoad dictam proprietatem, donec dictus patruus vixerit, & non ultra, imo ipſo mortuo redeat ad ipſam matrem ſuperſtitem. Volentes etiam avum maternum, avunculum, & alios quoſcumque maſculos ex eis, vel alios ex latere materno in infinitum deſcendentes excludi etiam ab avo paterno, proavo, aliiſque quibuſcumque maſculis, aut ex eis, vel aliis in infinitum deſcendentibus, quos omnes prædictis ex latere materno præferimus, & anteponimus.

CORNETANÆ

Civitatis.

PARTICULA LXIV.

Quod mulieres dotatæ, & deſcendentes ex eis non poſſint ſuccedere cum fratribus ab inteſtato Cap. 69. lib. 2.

ITem ſtatuimus, quod mulier dotata de bonis paternis, vel maternis, ipſa, vel deſcendentes ex ea, vel alius ejus ſucceſſor non poſſint aliquid petere fratribus carnalibus ex eodem matrimonio natis, vel nepotibus carnalibus natis ex eis, de ipſis bonis, nec ad partem redire cum eis, nec aliquid petere ab inteſtato, nec partem dotium matris, ſive fratribus carnalibus natis ex unoque parente; & hoc idem intelligimus in bonis avi, & proavi, & ulteriorum nepotum, & proneporum natis ex filia conjuncta ex utroque parente, ut dictum eſt, reſervata legitima jure naturæ; computata dote in omnibus caſibus ſupradictis. Item non poſſint mulieres dotatæ, ut ſupra, ſuccedere fratribus carnalibus, vel eorum nepotibus ex fratre, vel fratribus natis, donec ſupererit aliquis ex fratribus; aut nepotibus, aut pronepotibus maſculini ſexus. Et hoc fecimus, ut divitiæ conſerventur in ſtipite Domus, locum habeant in præſentibus, & futuris.

COTIGNOLÆ,

Quæ eſt Terra ſub Legatione Ferrariæ.

PARTICULA LXV.

De ſucceſſionibus ab inteſtato.

STatuimus, & ordinamus; ut extantibus maſculis legitimis, & naturalibus, uſque ad quartum gradum, fœminæ non ſuccedant ab inteſtato; ſed contentæ remaneant dote eis deputata ſecundum facultatem patrimonii, & non poſſint ulterius petere de bonis paternis, vel maternis occaſione legitimæ, vel alia occaſione &c.

EUGUBINÆ

Civitatis.

PARTICULA LXVI.

Quod ſtantibus maſculis fœminæ non ſuccedant Rubr. 62.

FOEminę ab avo, avia, patre, matre, vel fratre, donec, & quouſque maſculi ſuperfuerint per lineam directam in infinitum deſcendentes ab inteſtato ſuccedere non poſſint, nec agere ad legitimam, vel ejus ſupplementum, aut congruę dotis, nec aliquo alio jure valeant habere regreſſum ad bona, ſive hæreditatem prædictorum, ita quod ab uno tantum ipſorum, vel ipſarum dotatæ, ab omnium ſupranominatorum hæreditate excluſæ cenſeantur, & earum dotibus contentæ nullo modo reclamare valeant, ſed in dictis bonis, & hęreditate maſculi tantum juxta gradus prerogativam integrè, & plenariè ſuccedant. Quod ſi dictæ fœminæ ab avo, vel avia, patre, vel matre maritatæ, & dotatæ non fuerint, vel per eoſdem in ultima voluntate dos eis conſtituta non ſit, teneantur patres, fratres, ſive nepotes cum effectu congruè dotare amitam, ſorem, ſive neptem inſpecta qualitate perſonarum, patrimonii, & conſuetudinis earum domus, adhibitis etiam adhęc duobus proximioribus conſanguineis, qui nullum prorſus in dictis bonis habeant intereſſe, alioquin ad dicta bona pro virili admittantur.

Si verò dictę fœminę pervenerint ad viduitatem, tunc reverti valeant ad domum paternam, ſive fraternam, & ibidem conferendo fructus ſuarum dotium, habeant veſtes, & congrua alimenta ſecundum qualitatem domus. Quod ſi dictæ fœminæ dotatæ, vel non dotatæ aut earum aliqua ſine filiis ab inteſtato decedant, vel decedat, aliæ ſorores, vel neptes in ejus, vel earum bonis nullatenus admittantur, ſed earum patrui, fratres, & nepotes proximiores in gradu admitti debeant.

Addentes etiam, quod deficientibus maſculis, eorum filiæ fœmine in bonis, & hæreditate defuncti ſuccedant, excluſis aliis fœminis in gradu ſuperiori, quod ſi illæ etiam ſine filiis deceſſerint, tunc, & eo caſu dictę fœminæ in gradu ſuperiori, ut ſupra excluſæ, ad dicta bona omninò reverti, & admitti debeant.

Declarantes, quod liceat dictis maſculis de prædictis bonis, tam inter vivos, quàm in ultima voluntate liberè diſponere, & in caſu diſpoſitionis, talis reintegratio non admittatur.

FABRIANI,

Quod eſt magnum Oppidum Provinciæ Marchiæ.

PARTICULA LXVII.

De ſucceſſione illorum, qui decedunt inteſtati Cap. 64. fol. 40.

CUm juris ratio multis caſibus maſculinum ſexum præferat fœminino, & eum digniorem reputet, pro bono, & utilitate Communis provida deliberatione duximus ſtatuendum, quod ſi quem patrem familiam de Fabriano, vel de ejus diſtrictu mori contigerit, nullo condito teſtamento, ex eo fratres, & ſorores filii defuncti ad hæreditatem paternæ ſucceſſionis nequaquam æqualiter admittantur, ſed filia quidem, vel filiæ ſolum ad medietatem omnium admittantur; quæ eſſet, vel eſſent habitura, vel habituræ ab inteſtato. Maſculus verò, ſeu maſculi ad totum reſiduum admittatur, vel admittantur, ut alia jura volunt; Quod dictum eſt de fœmina exaudiatur ita demum, & ad medietatem admittatur prædictam, ſi nullam dotem habuiſſet de bonis paternis, neque per patrem dos aliqua promiſſa reperiretur, alias ſi dotem habuiſſet, vel alia dos pro ea promiſſa fuiſſet per patrem, illam ſolum habere poſſit, vel petere, & nil aliud in bonis paternis; & Poteſtas, & Judex, qui pro tempore fuerint, unumquemque maſculorum, & fœminarum in parte ſibi contingente ſecundum formam prædictam, ſi ſuperſtiterint filii unus, vel plures, ſeu nepos, vel nepotes ex filio nati ex legitimo matrimonio, ac etiam filia una, vel plures debeat fovere, & defendere pleno jure, & ſi fuerit negligens, vel remiſſus ſolvat centum libras; ita quod cum effectu deveniant in Commune.

Ejuſdem Statuti. *Quod filiæ dotatæ ſit dote contentæ, nec ad bona paterna, vel materna regreſſum habeant cap. 63.*

CUm jura faveant voluntates Teſtatorum obſervari, præſenti lege firmamus, quod ſi quis pater familias deceſſerit, vel in futurum decederet condito Teſtamento, & ex eo remanſerint filii legitimi maſculi, unus, vel plures, vel nepos, ſeu nepotes legitimi ex filio legitimo maſculo, & extante filia, vel filiæ fœminæ ex filia, vel filiæ fœminæ nepotes, vel neptes, quæ nuptę eſſent; vel non nuptæ, non poſſint in bonis paternis, vel avi aliquid petere ratione debiti jure naturę, ultra id, quod eſſet jam datum in dotem, vel ultra id, quod eſſet relictum in dicto Teſtamento; & quod mulier maritata, & dotata non poſſit contra fratres carnales aliquo modo amplius petere, niſi quantum ſibi fuerit relictum in teſtamento de bonis paternis, vel maternis &c.

FANENSIS

Civitatis.

PARTICULA LXVIII.

Quod extantibus maſculis, ab inteſtato fœmina non ſuccedant cap. 65.

FAvore familiarum, & agnationum conſervandarum ſtatuimus, quod deinceps nulla fœmina ſine expreſſa voluntate ei, de cujus ſucceſſione agetur, ſuccedat patri, avo, vel proavo paternis ab inteſtato, ſuperſtite aliquo filio maſculo, & ex maſculis dicti avi, ſeu proavi, uno, vel pluribus agnatis legitimis, & naturalibus ipſius defuncti laicis Civibus Phani, & habitatoribus Civitatis prædictæ, vel ejus Comitatus tempore mortis ejus, de cujus ſucceſſione tractabitur, & de jure communi tunc ſuccedere valentibus, & actu ſuccedentibus; Ipſa tamen fœmina excluſa propter maſculos, ut ſupra, ſi non eſt legitimè dotata per defunctum, de cujus ſucceſſione agetur, debeat legitimè dotari per ipſum, vel ipſos maſculos ipſam excludentes. Et intelligatur legitimè dotata per defunctum, vel dotanda per maſculos ſuccedentes, ſi habeat legitimam ejus, quod habitura eſſet ab inteſtato in ſucceſſione ipſius defuncti ex bonis ipſius, vel maſculorum excludentium, & ſi non habeat tantum, debeat ſuppleri uſque ad legitimam prædictam per ipſos maſculos ſuccedentes, & Poteſtas, & ejus Vicarius, & alius quilibet, ad quem juriſdictio in futurum ſpectaret habeat in dicta dote conſtituenda, danda, ſupplenda, & aſſignanda cum effectu, ut ſupra, liberum arbitrim procedendi, pronunciandi, & exequendi ſummariè, de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola veritate inſpecta, etiam ex officio, præſentis auctoritate ſtatuti, & prædicta locum habeant in præteritis, præſentibus, & futuris.

Ejuſdem Statuti. *De ſucceſſionibus ab inteſtato, & inteſtabilium. Cap. 66.*

QUia Reipublicæ intereſt, ut cippus domus conſervetur, ne omnis maſculorum labor inter extraneos lares dividatur, domuſque deſtruatur: Et plerumque homines deveniant ad inopiam, divitiaſque amittant, quibus deperditis ſordeſcit dignitas familiarum: Idcircò in ſucceſſionibus ab inteſtato, vel ſine teſtamento, & inteſtabilium tale jus ſervetur, quod filiæ fœminę, & deſcendentes ab eis non poſſint ab inteſtato ſuccedere patri, avo, vel proavo, ſi ex eis, aut aliquo eorum remanſerit unicus filius maſculus, ſive plures, aut nepotes maſculi, unus, vel plures nati ex filio, vel filiis ipſius mortui: Et matri, aviæ, vel proavię mortuæ non poſſint ab inteſtato ſuccedere fœminæ, aut deſcendentes earum, ſi remanſiſſent filii maſculi, unus, vel plures, aut nepotes maſculi, unus, vel plures nati ex filio, ſeu filiis perſonæ præmortuę deſcendentes ab ipſa matre avia, vel proavia, ſed in quolibet caſuum prædictorum mulieres illæ ſi dotatæ non eſſent, debeant congruè dotari, ſecundum facultatem patrimonii, & perſonarum qualitatem: Et ſi ipſæ fœminæ non dotarentur congruè, poſſint ab hærede petere bona illius hęreditatis, & ea habere, & tenerę, quouſque fuerint congruè dotatę, non obſtante aliqua alienatione facta de bonis hæreditatis prędictę, & ſi frater nollet maritare ſororem, aut eamdem vellet maritare incongruè, vel incidenter, vel ad eam maritandam eſſet inhabiles, tunc duo ex proximioribus conſanguineis ipſorum, unus videlicet ex latere paterno, & alius ex latere materno debeant eamdem maritare ſecundum facultatem patrimonii, & qualitatem perſonarum; & ſi ipſi concordes non eſſent, eligatur tertius per Vicarium Poteſtatis, vel per ipſum Poteſtatem, qui per tempora fuerit, & duo ex dictis tribus poſſint ſecundum facultatem patrimonii eamdem liberè maritare, & dotem conſtituere; & contra id, quod factum fuerit per ipſos, frater non poſſit venire, vel aliquid opponere aliqua ratione, vel cauſa, & fiat electio dictorum duorum conſanguineorum, & tertii ad petitionem cujuſcumque conjuncti dictæ fœminæ prædicta narrantis, & petentis coram dicto D. Vicario. Item, quod mortuo patre ab inteſtato ſi remanſerint filiæ fœminæ perſonæ mortuæ, & remanſerint fratres carnales dictæ perſonæ defunctæ, unus, vel plures, tunc filiæ fœminæ, & dicti fratres carnales ſuccedant, & ſuccedere debeant æqualiter, & viriliter in bonis, & hæreditate dictæ perſonæ defunctę; Item mater, & conjuncti ex latere materno tantum non poſſint ab inteſtato venire ad ſucceſſionem filii, vel filiæ, vel eorum deſcendentium ſi remanſerit filius, frater, vel ſoror perſonæ mortuæ; aut filius fratris, vel filius ſororis, aut patruus, vel frater patruelis, unus, vel plures ex latere paterno perſonæ defunctę. Et in eo caſu tamen, quo ex perſona defuncta ſupereſſet mater, & patruus, mater poſſit ſuccedere in quarta parte hæreditatis perſonæ mortuæ, & in reſiduis tribus partibus ſuccedat patruus, ſive zius paternus, vel filius, ſive filii patrui, ſeu fratres patrueles, & mortuo fratre ab inteſtato, ſorores ſuccedere non poſſint, ſi remanſerit unus frater carnalis, vel plures ex latere paterno,

&

& materno, vel ſaltem paterno, aut filii ipſius fratris : Et ſorores ſi maritatæ non eſſent in aliquo ſupradictorum caſuum , debeant congruè dotari de bonis fratris defuncti , prout ſuperius de aliis dictum eſt, & idem ſervetur in ſoribus ab inteſtato decedentibus; Item ſi remanſerint patruus perſonæ defunctæ, ſorores ipſius defunctæ, ſolum in quarta parte defuncti fratris ſuccedant, etiamſi dotatæ eſſent ; ſi autem dotatæ non eſſent debeant congruè dotari , prout ſuperius dictum eſt ; & debeant filii , & nepotes , & alii ſucceſſores, quando ex perſona defuncti eſſent fœminę dotandæ, ſecundum formam ſupradictam ex bonis defuncti facere inventarium omnium bonorum patris , & matris,avi, aviæ , proavi ſeu proaviæ , vel alterius perſonæ , cui ſuccederent ; adhoc, ut dictæ filiæ ſorores , aut nepotes , vel aliæ fœminæ dotandæ ex bonis defuncti non poſſint in aliquo defraudari , & illud inventarium dicti ſucceſſores facere teneantur infra menſem à die mortis defuncti , cui ſucceſſerint : & ſi dictæ fœminæ dotatæ eſſent ſecundum formam præſentis ſtatuti non habeant ulterius regreſſum ad bona paterna , ſeu materna occaſione ſuæ legitimæ , vel alterius ſucceſſionis ab inteſtato , extantibus aliis , qui ſuccedere poſſint ſecundum formam ſtatuti loquentis de ſucceſſionibus ab inteſtato ſupradictam , ſed debeant earum dotibus ſtare contentæ , & tacitæ , & in cæteris caſibus præſenti ſtatuto non expreſſis , neque ſpecificatis ſervetur jus commune , non obſtante, quod in hoc ſtatuto expreſſa ſit ratio , cujus vigore nolumus aliquam fieri extenſionem ad caſus non expreſſos. Et prædicta locum habeant in futuris, & in perſonis de novo decedentibus .

FAVENTINÆ Civitatis.

PARTICULA LXIX.

Qualiter deſcendentes ab inteſtato ſuccedant Rubr. 27. lib. 3.

STatuimus, & ordinamus, quod cuicumque ab inteſtato decedenti ſuccedant filii maſculi, vel ex eis nepotes, & deinceps deſcendentes maſculi ex eis, & ad eos hæreditas univerſa pertineat, excluſis penitus filiabus, vel ex filiis neptibus, & ex eis deinceps deſcendentibus maſculis , vel fœminis; Teneantur tamen tales ſic ſuccedentes ipſas filias, vel ex filiis neptes, nuptas, vel innuptas uſque ad traductionem ad domum viri tenere , decenter alere , ac earum curam agere, & ipſas innuptas debito tempore matrimoniis copulare, cum ea dote, quam attentis facultatibus, ac ſui, & agnatorum dignitate, communi etiam obſervantia, & conſuetudine Judex cum conſilio duorum ex propinquioribus declaraverit convenire , & tunc nec mulier, nec ab ea cauſam habens in dicta hæreditate aliquid aliud petere poſſit, ſed penitus, & omnino ſit excluſa, ut ſupra ; ſed ſi ſupradictis præmiſſis , mulier incongruè ab ipſis ſuccedentibus, & ipſam excludentibus nupta fuerit, ea dotata , poſſint tunc ipſa petere congruę dotis ſupplementum, ſolum uſque ad quantitatem legitimæ, quæ eidem de jure communi debebatur: quo habito nec fructus , nec quidque aliud petere poſſit; Prædicta etiam obſervari volumus, ſi mulier non nubat, ſed religionem intret, aliamve honeſtam eligat vitam. Declarantes, & volentes, quod ſi ſæculares clerici ſoli , vel cum aliis maſculis agnatis ſuperſint tali defuncto, tunc ad ſucceſſionem admittantur , & dictas fœminas, ut ſupra excludant, dum tamen hujuſmodi ſucceſſionem conſervent aliis agnatis maſculis gradu proximioribus, nec eam alienare valeant, ſeu poſſint quovis titulo , nec inter vivos , nec ultima voluntate , ſed omnis contractus, alienatio, ſeu ultima voluntas aliter facta ſit ipſo jure nullius roboris , vel momenti. Si autem extent Religioſi clauſtrales, beneficio talis ſtatuti, & aliorum ſtatutorum Faventiæ Communis de ſucceſſionibus diſponentium nullatenus gaudeant , ſed ſecundum juris communis diſpoſitionem ſuccedant. Quam declarationem volumus, & ſtatuimus militare, & procedere, & obſervari in omnibus, & ſingulis caſibus, ac ſucceſſionibus quomodocumque per quævis ſtatuta Civitatis Faventiæ dictis clericis delatis, ſeu deferendis, quæ omnia locum habere volumus in præſentibus, præteritis, & futuris &c.

Ejuſdem Statuti. *De ſucceſſionibus Aſcendentium, & Tranſverſalium ab inteſtato delatis Lib. 3. rubr. 30.*

CUpientes agnationes præſervari, & augeri: hæc præſenti lege in perpetuum valitura decernimus, ſtatuimus, & ordinamus, matrem, avum maternum, aviam, amitam, materteram, ſororem, neptem, mulierem aliquam, & alios etiam maſculos defuncto conjunctos per lineam maternam, ſeu fęmininam , aut ex ipſis mulieribus, vel ab aliqua earum deſcendentes , & quomodolibet eidem defuncto dictis mulieribus mediantibus attinentes , non poſſe ab inteſtato modo aliquo ſuccedere filio , filiæ , fratri, ſorori, nepoti, nepti, & deinceps habenti patrem, avum paternum, fratrem, ſeu fratres utrinque, vel ex latere patris tantum conjunctos, patruum etiam magnum , unum, vel plures, fratres patrueles, ſeu alios agnatos maſculos per rectam lineam maſculinam defuncto attinentes, & conjunctos uſque ad quartum gradum incluſivè , computandum ſecundum jus canonicum . Poſſint tamen talis mater, & aliæ mulieres, & alii prædicti, ut ſupra excluſi, & excluſæ à dicta ſucceſſione petere , & habere libras 10. Bon. tantum pro quolibet centenario valoris hæreditatis dicti defuncti, ſeu defunctorum, quæ ſint, & eſſe intelligantur pro omni legitima, quæ etiam jure naturæ ſibi deberetur, & pro omni jure, quod competeret talibus mulieribus, & aliis ſic excluſis , ita quod nil ultra habere poſſint, ſed omnis via ſucceſſionis ab inteſtato eis , & eorum cuilibet ſit præcluſa. Quæ tamen decem pro centenario, de quibus ſupra, dividantur inter dictas perſonas excluſas æqualiter, ſi plures excludantur, ſi autem unus tantum, eidem ſoli aſſignentur, ita quod etiamſi plures ſint à tali ſucceſſione excluſi, non poſſint habere, nec conſequi, niſi dictas libras 10. pro quolibet centenario inter eos dividendas; ut ſupra. Et prædicta etiam locum habeant , & obſerventur in eo, qui nedum ab inteſtato, ſed qui etiam inteſtabilis deceſſerit. Addentes tamen , & volentes, ac ſtatuentes, quod ſi aliqua mulier agnationis, & cognationis dicti defuncti, à cujus ſucceſſione vigore præſentis legis, & ſtatuti ſit excluſa, ſeu excludi contigerit, & ſit pauper, & indotata, nec extent bona alicujus , in quibus poſſit, vel debeat dotari, tunc talis mulier ſic excluſa poſſit petere ſe dotari, in, & de bonis talis perſonæ defunctæ , à cujus ſucceſſione ut ſupra excluditur, & tali dote contenta ſtare debeat, nec aliud de bonis hæreditatis dicti defuncti, nec etiam dictas libras decem pro centenario, de quibus ſupra, petere poſſit. Sed omninò ſit excluſa, præterquam à petitione dictæ dotis, & ſit præciſum,

FERRARIENSIS Civitatis.

PARTICULA LXX.

De ſucceſſione ab inteſtato Rubr. 139. libr. 2.

VT conſervetur dignitas, & amplitudo in familia, quę depauperetur propter fœminas tranſeuntes , ut plurimum ad alienas familias , & ut fœminis prædictis conſulatur , & ut tollantur multa dubia , quæ ex antiquis ſtatutis cum multis laboribus, & expenſis in præteritum occurrerunt; ſtatuimus, quod ſi quis maſculus deceſſerit ab inteſtato, vel inteſtatus, etiam ſi fuerit infans, vel alias inteſtabilis , prima cauſa ſucceſſionis ſit filiorum , aut deſcendentium maſculorum, ut filii , & ſucceſſivè alii deſcendentes maſculi ſuccedant , excluſis filiabus, & omnibus aliis fœminis cujuſcumque lineæ , & gradus, dotandis tamen, ut in ſtatuto ſequenti, ſi autem nulli filii, aut deſcendentes maſculi fuerint , ſuccedant aſcendentes maſculi, ſalva graduum prærogativa , ſimiliter excluſis filiabus, & aliis fœminis cujuſcumque lineæ , & gradus, dotandis tamen ut infra . Si verò nulli deſcendentes , aut aſcendentes maſculi fuerint , frater , vel fratres perſonæ defunctæ, ſive utrinque conjuncti, ſive conſanguinei tantùm , & ſive conſanguinei tantum ſoli ſint, ſive cum aliis exiſtant, ſimiliter, & omnium prędictorum fratrum filii ſuccedant, & excludant filias, & omnes fœminas cujuſcumque gradus, & lineæ, dotandas, ut

infra dicetur, ſi dotatæ non fuerint ab aliquo, cui incumberet onus dotandi. Si autem quis decedat, nullis relictis filiis, vel deſcendentibus, vel aſcendentibus maſculis ex linea maſculina, neque fratre, aut filiis maſculis fratris, tunc agnati maſculi ex linea maſculina proximiores, ſecundum gradus prærogativam, uſque ad quartum gradum inclusivè, connumerando gradus ſecundum jus canonicum, ſuccedant, ac præferantur filiabus, & omnibus aliis fœminis cujuſcumque lineæ, & gradus, quæ tamen dotari debeant uſque ad annos decem, & octo ætatis ſuæ inclusivè, alias cadent in pœnam dotis duplicatę, prout in ſtatuto ſequenti conſtituta tamen ei mulieri dote non minori, quàm eſſet legitima, ſi ſint filiæ, vel deſcendentes non dotatæ: Si verò dotatæ eſſent dote minore legitima, poſſint agere ad ſupplementum legitimæ. Aliæ verò fœminę dotentur ſecundum quantitatem patrimonii, & perſonarum dignitatem, ac conditionem, ſi alias dotatæ non fuerint, aut aliundè non habuerint, quomodò decenter dotentur; à prædictis tamen excipimus matrem, aut ea non extante, aviam, quibus reſervari volumus uſumfructum legitimæ, donec tamen vidualiter vixerint. Quibus omnibus prædictis ſalvis, volumus, quod prędictæ fœminæ ſic excluſæ non poſſint cauſa, & occaſione alicujus legitimę moleſtare, & inquietare maſculos vocatos ad ſucceſſionem per preſens ſtatutum: declarantes tamen, quod agnati inter ſe ſuccedant ſecundum diſpoſitionem, & ordinationem juris civilis, exceptis tamen fratribus, in quibus ſerventur ſupra diſpoſita. Adiicientes etiam, quod ſi aliqua mulier maritata fuiſſet, nulla dote conſtituta antè mortem perſonæ, cui incubuiſſet onus dotandi, poſſit petere dotem ſibi conſtitui, non obſtante etiam, quod in matrimonio fuerit conſtituta ipſa mulier, & prædicta locum ſibi vendicent tam in bonis profanis, quàm Eccleſiaſticis, & cujuſcumque generis alterius; non obſtante aliqua inveſtitura, etiam in alieno Territorio exiſtentibus.

FIRMANÆ
Civitatis.

PARTICULA LXXI.

De ſucceſſionibus ab inteſtato Rubr. 49.

STatuimus, & ordinamus, quod ad conſervationem cippi domus, & familię, & quia per maſculos familiæ nominantur, & conſervantur, quod de cætero, ſi contingerit aliquem, vel aliquam decedere ab inteſtato, ſuperſtitibus filiis deſcendentibus, vel aſcendentibus, vel tranſverſalibus agnatis maſculis, uſque in tertium gradum de jure canonico computandum, filiæ fœminæ, ac etiam mater, & ſorores, & omnes aliæ fœminæ tam deſcendentes, quam aſcendentes, quàm etiam tranſverſales, & tam de linea maſculina, quàm fœminina, & omnes agnatæ fœminæ, & omnes cognati, ſivè maſculi, ſive fœminę excludantur ab omni ſucceſſione, & hæreditate ſic morientis, & tam à bonis ſucceſſionum, & hæreditate dotantium, quàm non dotantium, & dicti maſculi ſuccedant, fœminæ verò, quas contingerit ſuppreſſe, & quas ſic præmoriens tenebatur dotare de jure, quæ dotatæ non eſſent dotentur ad declarationem Poteſtatis, & Priorum competenter, attenta qualitate perſonarum, & dignitate domus, & facultatibus patrimonii extrajudiciali informatione, abſque aliquo ordine judiciario: ſed fœminæ non dotatæ à matre, non ſuperſtitibus filiis maſculis in bonis maternis ſuccedant in legitima, quibus maſculis exiſtentibus, in dimidia legitimæ ſuccedant in dictis bonis. In dote autem ſervetur ſtatutum ſupra de reſtitutione dotium, & ſi contigerit, matrem ſic decedentis ſupereſſe, debeat ipſa mater in bonis filiis, vel filię, ſeu aliorum, vel aliarum deſcendentium, ſi ſine filiis deceſſerint, habere dimidiam partem legitimæ, & dimidiam legitimę avia paterna, matre non exiſtente, & intelligatur decedere inteſtatus, vel inteſtabilis in omnibus caſibus præmiſſis, ſive minor, & inteſtabilis decedat, ſive major; Jure communi, ſtatutis, decretis, & reformationibus, & aliis quibuſcumque in contrarium non obſtantibus. Volumus etiam prædictum ſtatutum poſſe allegari ad interprætationis teſtamentorum, & decedentium cum teſtamento.

FORMELLI,
Caſtri B. in diſtrictu Urbis.

PARTICULA LXXII.

I*Stud ſtatutum eſt idem ac illud Campagnani, unde vide ſupra Partic.* 35.

FOROLIVIENSIS
Civitatis.

PARTICULA LXXIII.

De ſucceſſionibus ab inteſtato Rubr. 32. *lib.* 5.

STatuimus, & ordinamus, quod in hæreditate, & in bonis cujuſcumque maſculi, ſeu fœminæ ab inteſtato decedentis, etiamſi non haberet facultatem teſtandi, prima ſucceſſio ſit deſcendentium maſculorum, tamen legitimorum, & naturalium, & ex maſculis legitimis, & naturalibus deſcendentium, itaut non comprehendantur legitimati, niſi per ſubſequens matrimonium, adeo quod ſi talis perſona ſic decedens reliquerit filium, vel filios, nepotes, vel pronepotes maſculos legitimos, & naturales, & ex maſculis legitimis, & naturalibus deſcendentes, ſuccedant primò filii, & ſi filios non habuerit, ſuccedant nepotes, & ſi nepotes non habuerit, pronepotes, ſi legitimi, & naturales ſint, & ex legitimis, & naturalibus, ſeu ex legitimatis per ſubſequens matrimonium ſint nati, in bonis omnibus undecumque quæſitis in ſtirpes, & non in capita: ita tamen, ut deſcendentes maſculi ex uno filio æqualiter ſuccedant cum altero filio ad huc ſuperſtite, vel cum deſcendentibus ex altero filio, licet gradu proximioribus in ſtirpes ſemper, & non in capita.

§ Quibus deſcendentibus maſculis legitimis, & naturalibus exiſtentibus excludantur omnes deſcendentes, ac etiam tranſverſales maſculi, necnon filiæ fęminæ, neptes, & proneptes, ac deinceps aliæ deſcendentes etiam ex filiis maſculis prædefunctis exiſtentes, ſi dotatæ fuerint, & ſi non fuerint dotatæ, debeant dotari juxtà diſpoſitionem Rub. *Quod mulier dotat.* &c. & pariter deſcendentes maſculi ex filia excludantur.

§ Si autem filii, vel nepotes, ſeu pronepotes, ac alii deſcendentes maſculi, & ex maſculis, ut ſupra dictum eſt, non ſuperſint, tunc filiæ legitimæ, & naturales, vel legitimatę per ſubſequens matrimonium, licet dotatæ, collata tamen dote, ſuccedant una cum neptibus ex filio prædefuncto, ac cum nepotibus, vel neptibus ex filiabus prædefunctis in ſtirpes, ita tamen, ut nepotes ex filia excludant neptes ex eadem filia, non autem ex altera natas, ſed neptes ex filio, & ex filia, & nepotes ex alia filia ſuccedant æqualiter in ſtirpes ſemper, & non in capita.

§ Si verò prędicti deſcendentes, tam maſculi, quàm fœminæ non ſuperſint, vel alter eorum, ſeu earum non ſuperſit, tunc aſcendentes maſculi per lineam maſculinam admittantur, qui gradu proximiores reperiuntur, ſed per tranſitum eorum ad ſecunda vota, prędictæ hæreditatis proprietatem reſervare teneantur ſolum fratribus, non autem ſororibus defuncti, vel defunctæ ex eodem matrimonio.

§ Quibus aſcendentibus maſculis non exiſtentibus fratres ex utroque parente, vel ex latere patris tantùm, & fratris prædefuncti filii maſculi ſuccedant, itaut ſi concurrant fratres ex utroque parente cum fratre ex latere patris tantum, æqualiter ſuccedant pro virili, etiam in bonis maternis; eorum verò filii maſculi in ſtirpes, & ſemper nepotes maſculi repræſentent perſonam patris ſui, etiam ex latere patris tantùm conjuncti cum defuncto, & ſuccedant cum patruis, qui ſint conjuncti cum defuncto ex utroque parente.

§ Quibus fratribus, vel altero ipſorum, vel nepotibus ex fratribus exiſtentibus, ſorores etiam utrinque conjunctæ non ſuccedant, ſi dotatę fuerint, & ſi non fuerint, dotatæ debeant dotari juxta diſpoſitionem Rubr. *Quod mulier dotata ſit contenta dote ſua*, minuſque neptes ex fratre etiam utrinque conjuncto admittantur, ſalva tamen matri defuncti legitima, ſi ſuperſit, vel aviæ paternæ tantùm, ſi mater non ſuperſit excluſis avo materno, ac

avia

avia materna, & in his omnibus casibus prædicta legitima sit, & intelligatur esse tertia pars illius, quod habitura esset ab intestato, secundum dispositionem juris communis, ita tamen, ut sorores hoc statuto exclusæ non faciant partem quoad augendam, vel minuendam istam legitimam, sed dos non soluta illis nuptui traditis, vel non debeat in hoc casu, tamquam æs alienum arbitrio boni viri deduci, & hujusmodi legitimam habeant prædictæ mulieres, quoad usumfructum dumtaxat, si ad secundas transiverint, vel transibunt nuptias, reservata eo casu proprietate supradictis fratribus ipsius defuncti.

§. Prædictis autem fratribus, vel eorum filiis masculis non existentibus, tunc possint succedere, & succedant sorores prædictæ unà cum neptibus ex fratre præmortuo, & nepotibus, seu neptibus ex altera sorore prædefuncta in stirpes tamen, & non in capita, & materniter insimul cum eis æqualiter cum qualibet sorore, & si mater non extaret, avia paterna succedat in eadem virili portione, in qua sancimus succedere matrem, exclusis semper avo materno, & avia materna, itaut tales fœminæ reservent proprietatem sororibus defuncti ex eodem matrimonio, si ad secunda convolaverint vota.

§. Quibus sororibus, & neptibus non existentibus, seu aliqua ipsarum non existente, succedant patrui carnales una cum fratribus patruelibus ex patruo prædefuncto in stirpes, & mater una cum eis inæquali portione cum quolibet patruo, & si mater non existat, avia paterna, & si nec avia paterna extaret, succedat avus maternus, & in ipsius defectu succedat avia maternia in ea portione, in qua diximus succedere matrem, si concurrat cum patruis, vel cum fratribus patruelibus.

§. Quibus omnibus deficientibus succedant in totum fratres, si extent, vel sorores, si fratres non extent ex latere matris tantùm. Si verò contingat matrem defuncti, qui natus fuerat ex ipsa matre in secundo, vel ulteriori matrimonio, concurrere cum dictis fratribus, vel sororibus ex latere matris tantùm, tunc mater succedat in dimidia, cæteris fratribus, vel sororibus in altera dimidia vocatis, exclusis omnibus aliis, si autem mater non supersit, admittatur avia paterna, & in ipsius defectu avus maternus, quo non existente, admittatur avia materna ad illam portionem, ad quam vocavimus matrem, scilicet ad dimidiam.

§. Non existentibus autem prædictis, seu aliquo prædictorum, ordinamus, quod tali ab intestato defuncto succedant, qui vocantur ex dispositione juris communis, declarantes tamen à matre excludi aviam paternam, ab avia paterna avum maternum, & ab avo materno aviam maternam.

§. Volumus etiam, quod neptes ex una sorore succedant in stirpes, cum nepotibus ex altera, sed si nepotes, & neptes ex eadem sorore reperiantur, nepotes tantùm admittantur; Quæ omnia, & singula non vindicent sibi locum in hæreditate jam adita, seu delata, quia hoc casu jus alteri quæsitum auferre non permittimus.

§. Hoc addito, quod supradictis sororibus, vel filiabus defuncti dotatis, vel dotandis, si remanserint viduæ, licitum sit ire ad habitandum in domo olim patris sui, vel fratris ab intestato defuncti, & ipsi fratres, seu eorum filii cogantur in ea domo, vel alia, in qua moram trahunt dictas mulieres recipere, & receptare, itaut ipsæ valeant commodè cohabitare, pariterque teneantur eas regere, & gubernare de bonis hæreditariis, ut fecissent, seu facere debuissent, si tales mulieres nuptui traditæ non fuissent, dummodò ipse viduæ fructus suarum dotium in dicta domo conferant, & illos cum eis consument, & idem fiat de fructibus aliorum bonorum ipsarum mulierum, si alia bona habuerint ultrà dotes; Et hoc statutum sit præcisum, & omni statuto, & juri communi huic contrariis derogatorium, ac masculis favorabile, & tamquam favorabile debeat ad illorum favorem interpretari.

Ejusdem Statuti. *De successione in dote, & bonis mulieris ab intestato decedentis, relictis liberis, & patre*, Rub. 33.

NE deinceps lites, & controversiæ oriantur super bonis, & dote mulieris ab intestato decedentis inter ejus patrem, & liberos, statuimus, & ordinamus, ut tali mulieri sic ab intestato decedenti, si habuerit patrem, & filium masculum, vel fœminam, legitimos tamen, & naturales, aut legitimatos per subsequens matrimonium, vel alios descendentes masculos, seu fœminas, succedant tales filii, seu filiæ ex primo, vel secundo matrimonio, vel alii descendentes, tam in dote soluta, quàm non soluta, sed promissa, & in omnibus aliis bonis dictæ mulieris, secundum ordinem, ac dispositionem Rubr. De successionibus ab intestato, excluso patre dictæ mulieris, tam in proprietate, quàm in usufructu.

FORIPOMPILII
Oppidi Provinciæ Romandiolæ.

PARTICULA LXXIV.

De successione filiorum in bonis parentum ab intestato decedentium, Rubr. 2. lib. 3.

STatuimus, & ordinamus, quod filius, vel filii masculi succedant in omnibus bonis paternis, & maternis, & filia, vel filiæ fœminæ non possint eum, vel eos molestare, vel inquietare ultrà legitimam suam, quæ legitima ei, vel eis sit salva. Et hoc locum habeat quando pater, vel mater, de cujus bonis tractatur ab intestato decesserit.

FOROSEMPRONIENSIS
Civitatis.

PARTICULA LXXV.

Quod filia dotata non succedat patri, vel matri ab intestato, Rubr. 22. lib. 2.

STatimus, & ordinamus, quod filia dotata à patre, vel matre non possit extantibus aliis filiis masculis dicti patri, vel matri parentibus ab intestato morientibus succedere, nec ultrà legitimam jure naturæ in bonis dictorum parentum ipsi filiæ dotatæ debitam ab ipsis filiis masculis fratribus dicta filia dotata petere valeat, in qua legitima ipsi filiæ debita computari debeat dos data à patre in bonis patris, & dos data à matre in bonis matris, si dos ipsa ascendat ad quantitatem legitimæ, si verò ipsa dos non ascenderit ad quantitatem legitimæ, & esset minor dos, quàm legitima supradicta, tunc dicta filia agat, & agere possit contra fratres prædictos ad supplementum legitimæ prædictæ, nec majorem quantitatem legitimæ, vel supplementum ipsius in dictis bonis, quando dos fuerit in minori quantitate constituta, à dictis fratribus valeat obtinere. Fratribus verò prædictis ab intestato decedentibus succedere possit dicta filia dotata secundum formam juris communis, præsente statuto, & dote data à patre, vel à matre in aliquo non obstante. Adjicientes huic statuto, quod filiæ fœminæ non possint petere partem aliquam eis tangentem de bonis, & super bonis emphiteoticis à fratribus, vel aliis masculis de linea accipientis, vel recipientis contractum emphyteoticum, sive renovantis dictam emphyteosim, ad quos masculos dictus contractus, sive renovatio emphyteosis extenderetur, quantumcumque contractus, sive renovatio emphiteosis prædictas fœminas comprehenderet. Finitis verò masculis omnibus dictæ lineæ, dictæ fœminæ succedere possint in dictis bonis emphyteoticis, & non ante. Et prædicta habere volumus locum, & firmitatem, quod prædictæ fœminæ non possint petere dicta bona emphyteotica, vel aliquam eorum partem, quando dicti renovantes, vel masculi descendentes in dicta linea ab intestato decederent. In casu verò, in quo aliud ipsi disponerent, servari volumus eorum ultimas voluntates.

FOSSIGNANI,
Terræ B. sub Legatione Ferrariæ.

PARTICULA LXXVI.

Che la Donna dotata, e non dotata ab intestato non succeda stantibus masculis, fol. 12.

VOlemo, che domente, che in la casa, ò parentato sia fratelli d'alcuna donna maritata, ò maschi di quella casata con parentado usque ad quartum gradum, computando li gradi secondo la rasone canonica, & non altra, che tale donna delli beni paterni non possa succedere in la eredità del padre, fratelli, ò altri della casata per insino al detto quarto grado, se non è da ipsi instituta hærede, ò lassata legataria, ma stia contenta della dote sua, la quale dote

però,

però, ſe foſſe manco della legitima, e che richiede la conditione della caſata, e paterna, volemo, che ipſa maritata poſſi adimandare il ſupplemento inſino alla quantità del conſueto, e della legitima ſua, & ſimilmente ſe intenda della donna non maritada, la quale ſe diga maridare, darge la dota non di minore ſomma, che ſia il conſueto, e della caſata, e della legitima, e di quella ſtia contenta ut ſupra. Et volemo, che cadauna fatta vedova poſſa tornare, ſtare, & abitare nella caſa del padre, ò con avo paterno, & communicare la dote ſua con quelli, & da eſſi heredi del padre havere gli alimenti neceſſarii, domente ſtà in viduità &c.

FULGINATENSIS
Civitatis.

PARTICULA LXXVII.

De ſucceſſionibus mulierum ab inteſtato, Rubr. 42.

ITem ſtatuimus, & providemus, quod nulla mulier, ſive dotata fuerit à patre, vel à matre, avo, vel proavo, avia, vel proavia, ſeu per verba de præſenti deſponſata legitimè poſſit venire ad ſucceſſionem ab inteſtato patris, nec matris, avi, proavi, ſeu proaviæ, donec ſupereſt aliquis maſculus natus ex legitimo matrimonio de linea, & ſtirpe maſculina deſcendenti omnium prædictorum, vel alicujus ipſorum à quocumque dotata eſſet, nec etiam poſſit venire ad ſucceſſionem deſcendentium, ſeu deſcendentis ex aliquo prædictorum, donec ſupereſt aliquis maſculus prædictorum deſcendentium à prædictis, nec mater ſuccedat filio ſuo, ſeu filiæ, ſuperſtite, ſeu ſuperſtitibus fratre ipſius deſcendentis, ſeu fratribus, vel nepotibus maſculis ex eodem matrimonio, & ex eiſdem parentibus procreato, ſeu procreatis, ſeu patruo, vel patruis ipſius deſcendentis; ſi verò dotata fuerit à fratre carnali, ſeu ſorore carnali, ſeu à ſe ipſa, & per verba de præſenti deſponſata, non poſſit venire ad ſucceſſionem ab inteſtato fratris carnalis, vel ſororis ipſius mulieris ex utroque parente conjunctorum, ſuperſtite alio fratre carnale maſculo ipſius deſcendentis, filio, ſeu filiis maſculis ipſius fratris tantùm; ſi verò à patruo, vel amita dotata fuerit, & per verba de præſenti deſponſata, non poſſit venire ad ſucceſſionem ab inteſtato ipſius dotantis, vel filiorum, exiſtente fratre dotantis, filio, vel filiis ipſius fratris maſculis tantùm, à quocumque ex prædictis fuerit dotata; & per verba de præſenti deſponſata non poſſit venire ad ſucceſſionem prædictorum, ſeu alicujus ipſorum, niſi modo, & forma prædictis; & in caſu quocumque, in quo ſecundum formam dicti capituli mulier dotata repelleretur ab inteſtato ſi viveret, à cujuſcumque ſucceſſione repellatur, & ejus filia, & filiæ, & ab eadem deſcendentes; & quod nulla mulier dotata poſſit petere ſupplementum legitimæ, ſed ſuo legato contenta ſit, & ſi qua peteret, ſuper ipſam petitionem non debeat aliquatenùs audiri.

GRAGIOLI,
Quod eſt Caſtrum ſub Legatione Romandiolæ.

PARTICULA LXXVIII.

De ſucceſſionibus, & ſucceſſoribus ab inteſtato, Rubr. 11.

STatuimus, & ordinamus, quod ſi aliqua perſona minor, vel major deceſſerit inteſtata, licet haberet facultatem teſtandi ſine filio, vel filiis, nepote, vel nepotibus natis ex filio, vel filiis maſculis legitimis, & naturalibus ſuperviventibus patre, vel fratribus, vel ſororibus ex utroque latere conjunctis, vel ex latere patris, vel filiorum, fratrum, vel avo paterno, quod hæreditates talium ab inteſtato defunctorum deveniant, & deveniri debeant, & in ipſa hæreditate ſuccedere debeat pater, vel avus paternus, ſi patrem, vel avum habuerint, ſi verò patrem, vel avum non habuerint, tunc talibus decedentibus ab inteſtato ſine filiis, vel nepotibus ex filiis maſculis omnibus legitimis, & naturalibus ſuccedant fratres, vel frater ex utroque latere conjuncti, vel ſuccedant ex latere patris tantùm.

Quibus ſic exiſtentibus, ſorores non ſuccedant, ſi dotatæ fuerint à patre, vel avo, vel fratribus, vel filiis, fratrum carnalium, ut præfertur; ſi verò dotatæ non fuerint à prædictis, vel quolibet prædictorum, eo caſu congruè dotari debeant, ſecundum facultates bonorum hæreditatis defuncti, & ampliùs petere non poſſint in bonis hæreditatis talis defuncti ab inteſtato.

GRYPTARUM,
Quod eſt Caſtrum ſub Gubernio Spoleti.

PARTICULA LXXIX.

Quod mulier dotata à patre, vel aliis, non poſſit ſuccedere ab inteſtato, ſuperſtite maſculo, Cap. 10.

NUlla mulier dotata à patre, matre, avo, avia, fratre, & ſorore ſuccedere poſſit ab inteſtato dotanti, & aliis ſupranominatis patri, matri, avo, aviæ, fratri, ſorori ſuperſtite maſculo, ſive maſculis dotantis, & aliis ſupranominatis, qui aliàs ſuccedere deberent cum ipſa muliere; ità ſufficiat dotatio unius ex ſupranominatis, & eorum quolibet, & ad dictam ſucceſſionem admitti, ut prætenderet, ullo modo non audiatur, ac pro conſervatione cippi domus volumus, quod impoſterum mulier, ſeu mulieres dotatæ, vel dotandæ ab uno ex ſupranominatis perſonis, ſtante aliquo maſculo, ſive maſculis in pari gradu exiſtentibus, vel qui pariter ab inteſtato ad aliquam ſucceſſionem admitterentur, excludantur, & excluſæ eſſe cenſeantur à ſucceſſione dotantium, & non dotantium perſonarum ſupranominatarum, ſive dictæ perſonæ, de quarum hæreditate agitur, deceſſerint ante, vel poſt dotationem factam de aliqua muliere, ſive mulieribus; Inſuper unica tantùm dotatio ſufficiat, & quod maſculus, ſeu maſculi quandocumque poſſint eam, ſive eas dotare, ut perpetuò cenſeantur excluſæ à ſucceſſione dictarum perſonarum, anteà, vel poſteà morientium, omni modo meliori, & forma. Et ſi aliquis officialis talem petitionem admiſerit, incidat in pœnam vigintiquinque librarum den. ipſo facto, ſine aliqua diminutione; Et nihilominus talis petitio, & omnia acta deſuper habita, & facta, ſint nullius valoris, roboris, & momenti, & hoc locum habeat in jam dotatis, & dotandis, & hoc in futurum perpetuò pro municipali lege obſervari debere.

GUALDI,
Terræ ſub Gubernio Umbriæ.

PARTICULA LXXX.

De ſucceſſione ab inteſtato Rubr. 24.

STatuimus omnes ab inteſtato ſuccedere ſecundum formam à jure traditam, exceptis dumtaxat cippo, & linea domus maſculorum proximiorum, quem cippum, & lineam maſculorum proximiorum volumus fœminis anteponi, etiam ſi ſint in anteriori gradu, tam per lineam aſcendentem, deſcendentem, vel tranſverſalem, uſque in tertium gradum, ſecundum jus canonicum computandum, fœminis etiam ejuſdem cippi, ex omni gradu, etiam aſcendenti, deſcendenti, ſive tranſverſali, in anteriori gradu conjunctorum penitus excluſis, competenter tamen arbitrio bonorum virorum, vel jus reddentis de bonis defuncti dotatis infrà menſem à die obitus defuncti, & alimentis eiſdem præſtitis uſque ad matrimonii copulam.

HYSPELLI,
Quæ eſt Terra ſub Gubernio Umbriæ.

PARTICULA LXXXI.

Quod mulier dotata non poſsit ſuccedere, Rubr. 171.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod nulla mulier dotata à patre, vel matre, avo, vel proavo, avia, ſeu proavia, fratre carnali, ſeu ſorore carnali, ſeu à quocumque dotata eſſet, non poſſit, nec debeat venire ad ſucceſſionem illius, qui eam dotaverit, vel illorum ab inteſtato. Nec aliqua Religioſa poſſit ab inteſtato venire ad ſucceſſionem patris, matris, fratris carnalis, ſeu ſororis carnalis, ſeu patrui, vel alterius conſanguinei, vel affinis aſcendentis, vel

vel deſcendentis, dum ſupereſt aliquis maſculus de linea, vel ſtirpe ex legitimo matrimonio procreatus, & ſi qua peteret ſuperſtitione prædicta non debeat aliquatenus audiri, & prædicta vindicent ſibi locum in præteritis, præſentibus, & futuris. Item ſtatuimus, quod quæcumque perſona Terræ Spelli, ſeu ejus fortiæ, & diſtrictus, cujuſcumque ſtatus, conditionis, & qualitatis eſſet, ſeu Religioſus, vel Religioſa tempore futuro decederent ab inteſtato ſine filiis legitimis de ſe natis, quàm omnia ejus bona mobilia præſentia, & futura deveniant, & devenire debeant ad proximiores maſculos ipſius decedentis ſibi ſuperſtites, & in domibus patris illius decedentis natos, ſeu ex linea maſculina dicti patris nati eſſent; ſi autem proximiores maſculi cum ſupradictis modis, & conditionibus dicti decedenti non ſuperſtiterint, illa bona redeant, & devenire debeant ad proximiores mulieres dicti decedentis, & hoc locum habeat in primo, ſecundo, tertio, & quarto gradu parentelæ, ſeu conſanguinitatis, non obſtantibus ad prædicta quibuſcumque legibus, ſtatutis, & aliis reformationibus in contrarium modo aliquo loquentibus, & facientibus, quæ in prædictis omnibus nullius roboris ſint, nec aliquo modo contra prædicta ſint admittenda, ſed perpetuò firmiter durent, & roboris teneant firmitatem, & quod præſens reformatio confirmetur, & confirmari debeat per magnificos Dominos noſtros, & poni in volumine ſtatutorum dictæ Terræ. Super qua quidem Reformatione maturus, ac prudens Vir Carolenus Leoninus prædictus ſurgens in dicto Conſilio petens Pulpitum arrengañ Filii hominis invocato Auxilio, adverten per Reformationem illam editam, & emanatam ſuper ſucceſſione decedentium quocumque modo ab inteſtato non ſuperexiſtentibus filiis ex ſuo corpore natis, confirmatam, & approbatam per magnificum D. Bracchium Balleonum, penitus non fuiſſe proviſum, & occurſum, ne facultates, & bona, quibus familias, & cippos Domus quotidiè conſervari videmus, & ob id Rempublicam ſalubriter locupletiùs exuberari, extra familiam agnatorum, & cippum Domus ipſius decedentis egrediantur, forſitan contra ipſius decedentis tacitam voluntatem, non obſtante ſimiliter dicta reformatione reperiatur multoties, caſus occurrere bona, & facultates decedentis ſine filiis ab inteſtato per ſucceſſionem matris ipſius decedentis pariter, & aſcendentium, & deſcendentium ab ipſa matre per tranſitum ad ſecunda vota in alias familias, & cognationem exportari, dixit, & conſuluit, reformationem illam in duabus partibus, ejus, videlicet incipien. ab illa parte, quod omnia bona mobilia, & ſtabilia uſque in finem debere reſtringi, & limitari hoc modo, videlicet, quod bona dicti decedentis deveniant pleno jure, nulla detracta Trebellianica ad proximiores maſculos ipſius decedentis, videlicet ad maſculos ortum habentes à familia, domo, ſive cippo dicti decedentis, ſin autem illa bona deveniant, & devenire debeant pleno jure, nulla facta detractione Trebellianicæ, ſive legitimæ ad proximiores agnatas fœminas dicti decedentis, videlicet ad mulieres natas in familia, domo, ſive cippo dicti decedentis, excluſis matre, & aliis aſcendentibus, & deſcendentibus ab ea per tranſitum ad ſecunda vota.

HORTANÆ
Civitatis.
PARTICULA LXXXII.

Quod filiæ fœminæ ſuperſtite maſculo non ſuccedant ab inteſtato, & qualiter tunc dotentur. Cap. 22. lib. 2.

ITem ſtatuerunt, quod nulla mulier, filia, neptis, proneptis, ſive abneptis alicujus infraſcriptarum perſonarum, de cujus ſucceſſione tractaretur, nec aliqua perſona cujuſcumque ſexus, ſive gradus exiſtat deſcendens ex tali defuncta perſona per lineam fœmininam ſuccedat, vel ſuccedere poſſit ab inteſtato, in aliquo ejus patri, matri, avo, aviæ, proavo, proaviæ, abavo, vel abaviæ ab inteſtato defuncto, ſeu defunctæ, nec in dicta ejus ſucceſſione audiatur agendo, vel excipiendo, ſuperſtite alicui prædictarum perſonarum taliter defunctarum aliquo ejus filio legitimo, & naturali, ſeu aliquo alio maſculo legitimo, & naturali inferioris gradus deſcendente per lineam maſculinam legitimam, & naturalem ex tali perſona defuncta, de cujus prædicta ſucceſſione tractaretur, & ipſam ſucceſſionem acceptante, ſeu ipſam acceptare volente. Et ſi tenutam, vel poſſeſſionem de bonis hæreditariis talis defunctæ perſonæ, ſeu aliquibus, vel aliquo ipſorum bonorum, vel aliqua earum, ſive cujus eorum parte haberet ipſam tenutam, ſive poſſeſſionem relinquere, & dimittere teneatur prædicto legitimo ſucceſſori talis defunctæ perſonæ ad ipſius petitionem; ità tamen, quod talis filia, ſive neptis, & alia quælibet perſona inferioris gradus deſcendens ex maſculo legitimo, & naturali deſcendenti per dictam lineam maſculinam ex ipſa defuncta perſona, de cujus prædicta ſucceſſione tractaretur, ſi dotata non eſſet, debeat decenter dotari de bonis hæreditariis talis defunctæ perſonæ per ejus ſucceſſionem prædictam, conſiderata conditione ſuæ perſonæ, & qualitate, & quantitate bonorum hæreditatis prædictæ; & ſi non appareret, de cujus bonis fuit dotata, præſumatur de bonis patris, ac etiam de ejus bonis alimentari debeat, donec fuerit maritata, & dotes prædictas habuerit cum effectu, ſive donec monaſterium intraverit. Ac etiam quod dictus ſucceſſor ad ipſam ſic dotandam, & alimentandam teneatur, ac cogi poſſit, & debeat cum effectu, & pro prædictis alimentis, & dotibus poſt mortem talis defunctæ perſonæ, & ex tempore ipſius mortis, etiam antequam nubat, omnia prædicta bona hæreditaria vigore fictionis auctoritate præſentis capituli tali mulieri obnoxia, & obligata exiſtant. Declarantes, quod ſufficiat ſi talis fœmina deſcendens dotata eſſet de bonis unius tantùm aſcendentium, aut à ſucceſſione eorum cujuslibet excludatur. Quod ſi prædictus filius maſculus, vel alius deſcendens maſculus per lineam maſculinam deceſſerit, ſine deſcendente maſculo, talis filia, neptis, vel proneptis, ſeu alius deſcendens per lineam fœmininam reintegrentur, & habeant eam portionem hæreditatis, & bonorum talis defunctæ perſonæ, à qua excluſæ fuerant propter exiſtentem maſculum, computata tamen dote, quam habuiſſent de bonis talis defunctæ perſonæ, ſuccedant, & ſuccedere poſſint, & poſſit eidem prædictæ perſonæ, & cuilibet earum, & legata, & fideicommiſſa, & omne, & quidquid in tali teſtamento, & ultima voluntate, vel alicui earum relictum eſſet capere, & habere poſſit, juxtà tenorem, & formam ipſius teſtamenti, ſive ultimæ voluntatis, ſi aliquid ei, vel eis juridicum non obſtat; ità tamen, quod ipſæ mulieres, & quælibet earum, quibus, vel cui bona talis defunctæ perſonæ taliter obvenirent, & ſibi computet, & computare teneantur in ipſis ſuis dotibus; Et ſi aliqua de dictis mulieribus dotata fuerit ab aliqua, ac dictis perſonis in ejus vita, vel ipſius ultimam voluntatem, quo caſu talis mulier ipſis dotibus ſit, & eſſe debeat contenta: ità quod nihil ultrà quantitatem ipſam in hæreditate, vel de hæreditate alicujus prædictarum perſonarum petere valeat, vel habere, niſi tantùm expreſſam diſpoſitionem talium perſonarum. Et ſi poſtquam aliqua de prædictis perſonis nupſerit, vidua remanſerit, poſſit ad domum hæredis talis defunctæ perſonæ redire, & ibi ſtare, & de ipſis bonis hæreditariis modo prædicto alimentari debeat, donec iterum maritetur, vel monaſterium intret, dummodò fructus ſuæ dotis, quos haberet, vel aliorum ſuorum bonorum, ſi quæ tunc haberet, converti debeant in alimentis prædictis.

De ſucceſsione Fratrum ab inteſtato, Poſt dictum Capitulum XXII. quod filiæ fœminæ non ſuccedant.

COpia litterarum Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Petri S. R. E. Diac. Cardinalis Aldobrandini directarum Magnifico, & Excellenti D. Ludovico Montalto de Mondolfo Senogallien. Diœceſis V. I. D. & ad præſens magnificæ Civitatis Hortanæ Poteſtatis pro Sacra Conſulta Sanctiſſimi D. N. Papæ Clementis Divina Providentia PP. Octavi ſub datum Romæ ſub die 23. menſis Decembr. 1595. quarum tenores ſunt infrà videlicet. A tergo.

Al Magnifico mio Amatiſſimo. Il Podeſtà d'Horte- omiſſo ſigillo-loco † ſigilli. Intus verò. Magnifico mio Amatiſs. Si è veduto in queſta Sacra Conſulta il Capitolo, che ſarà quì chiuſo in materia della ſucceſſione de' fratelli, il quale coteſta Città deſidera, che ſi ponga nel volume de' Statuti, come tralaſciato deſcriverſi per traſcuragine, quando fù levato il detto libro, e che ſi ſcriva dopò il Capitolo 22. del lib. 2. intitolato, Quod filiæ fœminæ ſuperſtite maſculo non ſuccedant, e ſi è confermato, & approvato; Fatelo dunque ſcrivere nel predetto volume fra gl'altri ſtatuti

BIBLIOTECA COMUNALE PRATO LAZZERINIANA

ti nel luogo, che si è detto, conforme all'istanza fattane da la coteſto Publico, e ſtate ſano. Di Roma a' 13. Decembre 1595. Voſtro Il Cardinal Aldobrandini.

Tenor verò ſupradicti Capituli, ut ſupra vigore litterarum prædictarum regiſtrañ de ſucceſſione fratrum ab inteſtato eſt talis videlicet.

Priores Populi Civitatis Hortanæ, ac Homines electi à Conſilio generali dictæ Civitatis ſtatuimus, & ordinamus proximum præcedens Capitulum ampliando, & extendendo, quod nec ſoror, ſive ſit utrinque conjuncta, ſive ex patre tantùm, nec aliquis ex ea deſcendens etiam maſculus ſuccedat fratri, ſeu ſorori ab inteſtato defuncto, ſeu defunctæ ſuperexiſtente aliquo alio fratre, ſeu ejus deſcendente per lineam maſculinam legitimam, & naturalem ipſam ſucceſſionem acceptante, ſeu acceptare volente, dummodo dicta ſoror dotata exiſtat ab aliquo ejus aſcendente, de quibus in præcedenti proximo Capitulo, vel ejus frater, ſeu fratres, ſive eorum deſcendentes, ſimiliter decenter dotare parati ſint.

IMOLENSIS
Civitatis.
PARTICULA LXXXIII.
De ſucceſſionibus ab inteſtato, Rubr.49.

VOlumus, quod ſi quis, vel ſi qua ab inteſtato deceſſerit, extantibus deſcendentibus utriuſque ſexus, maſculi ſuccedant defuncto, vel defunctæ; ſi ſint ſolùm fratres in virilem ſuccedant dicti fratres, ſi verò ſint fratres, & nepotes ex fratribus, vel pronepotes, ſuccedant dicti nepotes, vel pronepotes cum patruis, & filiis ipſorum in ſtirpem; fœminæ verò, non volentibus maſculis, uno, vel pluribus ad hæreditatem admitti, ſi ſint dotatæ, contentæ ſint, ſi verò dotatæ non fuerint, debeant dotari, de bonis defuncti, de cujus hæreditate tractatur, ſi de bonis de jure veniebant dotandæ, vel ſi nubere noluerint, ſed potiùs monaſterium intrare, dotem monaſterii pro ea conſtituere, arbitrio boni viri, conſideratis patrimonio, & perſonarum conditione, & more etiam monaſterii in talibus, & condecentia perſonæ, & patrimonii, & habito reſpectu ad monaſterium, quando monaſterium intrare voluerit; Interim tamen donec nubat, vel Monaſterium ingrediatur per dictos hæredes ſuccedentes prædictis talibus fœminis non ſuccedentibus de concedentibus alimentis, inſpecta conditione perſonæ, & quantitate patrimonii providere, maſculis verò non ſuccedentibus, vel non exiſtentibus, ſuccedant filiæ defuncto, vel defunctæ, & nepotibus ex nepotibus, ex filiis, vel ex filia tunc extantibus, fratribus defuncti, & cæteris conjunctis excluſis; ubi verò fratres, vel filii fratrum defuncti extarent, unus, vel plures, filia aliqua, vel filiabus defuncti non exiſtentibus, nepote, vel nepte, una, vel pluribus ex filiis, vel filiabus ſuperſtitibus: tunc dicti nepotes, vel neptes, unus, vel plures quotcumque fuerint in tertia ejus, quod de jure ab inteſtato eſſent habituri ſuccedant. In reliquo autem fratres dicti defuncti, vel filiæ fratrum, ſuccedant, ſalvo ſemper in omnibus ſupradictis caſibus filiabus, & nepotibus, vel neptibus ex filia jure in dotibus matris, aviæ, vel proaviæ earum, ſi in dimidio ejus, tantumque ab inteſtato eſſent habituræ de bonis defunctæ matris, aviæ, vel proaviæ, & hoc ſi in ejus bonis non fuerint dotatæ in quantitate æquivalente dictam dimidiam, & hoc ſtatutum ſit præciſum, & pro præciſo habeatur in qualibet parte ſui, non obſtantibus aliquibus Statutis, vel reformationibus in contrarium loquentibus.

INTERAMNENSIS
Civitatis.
PARTICULA LXXXIV.
Quod Mulier dotata non ſuccedat.

ITem ſtatuimus, quod quicumque filiam, vel neptem, vel ſororem dotaverit, & ipſa nupta fuerit à Patre, Patruo, Fratre, vel Matre, vel eorum hæredibus, nullo modo ipſa veniat ad illorum ſucceſſionem ab inteſtato, ſi fratres carnales habuerit ipſa mulier dotata, vel nepotem, ſeu nepotes carnales natos ex fratre carnali ipſius mulieris dotatæ, cum quo, ſeu quibus venire deberet ad ſucceſſionem, nec actionem habeat, nec petere poſſit contra patrem, patruum, nec fratres carnales, vel eorum hæredes maſculos, nec ab eis cauſam habentem, neque matrimonium, neque de rebus patris ullo modo, ſalvo Teſtamento, & ordine prædeceſſorum, ita quod ſi pater, vel frater reliquerit maſculum, vel maſculos deſcendentes ex maſculo ſit dote contenta, ſive ſit maritata, ſive non ſit, & habuerit dotem. Et ſi verò dotem non habuerit, fratres, vel maſculi deſcendentes ex eis, dotent eam ſecundum qualitatem patrimonii, & ſi non darent, vel dare nollent cum effectu, poſſit ipſa reverti ad domum, & habere partem ſucceſſionis, ſecundum quod ei attigerit.

LATERÆ, ET FARNESII
Terrarum B. in diſtrictu Urbis.
PARTICULA LXXXV.
De ſucceſsionibus ab inteſtato.

VOlendo col preſente decreto deſtintamente, e brevemente dare per l'avvenire certa forma delle ſucceſſioni ab inteſtato, non oſtante altri decreti ſopra di ciò fatti, & eſſendo, che le dette ſucceſſioni ab inteſtato d'aſcendenti, e deſcendenti, overo di tranſverſali, &c.

Primo. Però s'ordina, & ſtatuiſce, che primieramente nelle ſucceſſioni all'aſcendenti per linea retta ſempre li deſcendenti dell'uno, e l'altro ſeſſo prevaglino, e ſiano preferiti avanti tutti gli altri aſcendenti, & alli tranſverſali in queſto modo, cioè.

Secondo. Se li deſcendenti ſono tutti maſchi per linea maſcolina, ſuccedano ſecondo la forma del jus commune.

Terzo. Et il ſimile ſe ſiano tutte femine, ò deſcendenti per linea feminina, li quali anco che foſſero maſchi, ſi computano per femine in tutte le ſucceſſioni.

Quarto. Mà ſe vi ſaranno maſchi, e femine, la ſucceſſione vada al maſchio, quando la femina ſia dotata, ò da dotarſi nelli beni, nelli quali il maſchio habbia ragione di ſuccedere ab inteſtato, come farebbe ſe fuſſe dotata da padre, madre, avo, ava, & biſavolo di eſſo maſchio, ancorche materno, che ſia communi à lui, & alla donna.

Quinto. Mà ſe foſſe dotata di beni d'altra perſona, nella quale il maſchio non haveſſe ragione di ſuccedere ab inteſtato, in tal caſo la femina poſſi dimandare tanta parte de' beni del defonto, quanto li toccarebbe per convenientemente dotarla, come farebbe ſe la donna, & il maſchio foſſero di madri diverſe, e la femina foſſe ſtata dotata de' beni materni, in tal caſo la femina poſſi dimandar la dote equivalente della dote delli beni del padre, ſe il fratello vorrà eſcludere dalla ſucceſſione delli beni paterni, ma ſia in arbitrio del maſchio di dotarla, e metterla à parte in queſto caſo. Il medemo, che è detto del fratello, s'intende del figlivolo del fratello, ò altri maſchi deſcendenti da lui per linea maſcolina, perche queſti ancora dotando la zia, ſe non foſſe dotata, potranno eſcluderla dalla ſucceſſione dell'avo loro, e parte d'eſſa donna.

Seſto. Nelle ſucceſſioni de' beni materni, ò d'avi materni, ſolo il fratello congiunto con tutti doi li lati, ò ſuoi deſcendenti, eſcludono la femina dotata, e da dotarſi, come ſopra.

Settimo. Ma li fratelli materni, perche ſono cognati, e ſi reputano per femine, ſuccedano come la donna, ſecondo la forma del jus commune.

Ottavo. Nella ſucceſſione delli deſcendenti, che moriranno ſenza figli, ſe tutti ſono aſcendenti maſchi per linea maſcolina ſuccedano ſervata gradus prærogativa, cioè li piu proſſimi di mano in mano, ſecondo la forma del jus commune.

Nono. Et in medeſimo, ſe tutti foſſero femine, ò aſcendenti per femine, ma con li detti aſcendenti maſchi per linea maſcolina ci ſuccedono li fratelli di linea maſcolina carnali, ò lor figli maſchi, ancorche vi foſſero la madre, ò l'ava, quali veniſſero eſcluſi dall'aſcendenti maſcolini.

Decimo. E che ſe dell'aſcendenti, che pretenderanno l'heredità, alcuno ſarà maſchio, & alcune femine, all'hora i beni uſciti dalla caſa del maſchio, come ſarebbe dal padre, avo, e biſavolo paterno, e nelli beni profettitii, il maſchio ſia preferito all'aſcendenti femine, ma nelli beni materni, ò dell'

ò dell'avi materni, ſuccedano ſecondo la forma del jus commune, ma in tutti l'altri beni, d'onde ſi voglia altrimente acquiſtati dal figlio, ſucceda la madre ſolamente nella legitima.

Undecimo. Nelle ſucceſſioni tranſverſali, ſe ſono tutti maſchi, ò deſcendenti da' maſchi, ò verò ſe foſſero tutte femine, ſuccedano ſecondo la forma del jus commune.

Duodecimo. Ma li cugini, cioè li figli di più fratelli, eſſendo ſoli, e non concorrendo alla ſucceſſione con alcun zio, ſuccedano li tranſverſali in capita, & non in ſtirpes.

Decimoterzo. E ſe vi foſſero maſchi, ò deſcendenti de' maſchi, incontra femine, ò deſcendenti da femine, allora la femina dotata, e da dotarſi de' beni attinenti a' maſchi, come ſopra, ò ſue deſcendenti, ſia eſcluſa etiam dal fratello da canto di padre, ò ſuoi figlioli, e deſcendenti naſcenti per linea maſcolina, ò d'ogni altro maſchio del ceppo, il quale però ſia nel medemo parì grado, e conſanguinità, come detta femina.

Decimoquarto. Mà a gl'altri tranſverſali ſucceda la femina, ſecondo la forma del jus commune, come ſopra, cioè dove non ci ſarà il maſchio.

Decimoquinto. Colui, che eſclude la donna, molto più s'intende, che eſcluda le figliole d'eſſa donna.

Decimoſeſto. La donna, che ancora non è dotata, deve da coloro, che l'eſcludono dall'heredità alimentarſi, fin tanto che ſarà dotata di dote conveniente alle facoltà, alle perſone, al luogo, al tempo, ò vero ad arbitrio noſtro, gli daranno alimenti di tutto punto, fin tanto alli dieci anni, fino alla quale età non è atta à guadagnare, e da dieci anni in poi ſia ad elettione loro di dare alla donna, ò li frutti della dote, che ſaranno tenuti, quando ſi mariterà, da taſſarſi però da due homini da eleggerſi da noi, ò vero di tenerla appreſſo di ſe, e alimentarla fin tanto ſi mariterà, cominciando già ad eſſere più pericoloſa à ſtar lontana da' ſuoi.

Decimoſettimo. Li foraſtieri delle Terre, nelle quali non poſſono ſuccedere li Farneſani, manco loro poſſino haver ſucceſſione in Farneſe.

Decimoottavo. Il preſente Decreto, s'intende nelle ſucceſſioni, tanto de femine, quanto de Maſchi, quali moriranno ab inteſtato ſenza far teſtamento, ancorche moriſſero avanti li quattordici anni, quali in tali caſi s'intende morire ab inteſtato ſenza far teſtamento, quantumque in detta età non habbiano la facoltà di teſtare.

Decimonono. Li maſchi nelli ſopradetti caſi eſcluderanno le femine, quando però ſiano heredi, e capaci dell'heredità di colui, della cui ſucceſſione ſi tratta, e che attualmente con effetto ſuccedono, ma non ſuccedendo per renuntiare, ò per altro ſi habbiano quanto alle ſucceſſioni già per morti.

E per il preſente decreto s'intenda la femina venire eſcluſa dal maſchio, nelli ſopradetti caſi, e delli beni eſiſtenti fuora del Territorio di Farneſe di qualſivoglia luogo.

LICENTIÆ

Terræ B. in diſtrictu Urbis.

PARTICULA LXXXVI.

De Teſtamenti, e ſucceſſioni, Cap.24.

PEr queſto avvenire poſſa ogn'uno liberamente, ò per via di Teſtamento, ò per altre ultime volontà approvate dalle leggi communi diſporre di tutti i ſuoi beni, mobili, e ſtabili, ò che habbia, ò che non habbia figlivoli, ò che ſtia inſieme, ò che habbia di già diviſo da' ſuoi fratelli, ò altri, non oſtante la conſuetudine, & attione, che da queſt' adietro ha havvta la Corte de' Signori nelle ſucceſſioni de' ſtabili, quando ſi morirà ſenza figlioli. Ma che tutto queſto s'intenda ſolamente in favore de' Vaſſalli, che habitano: E purche li Teſtatori habbino parenti per conſanguinità ſino in quarto grado habitanti in Licenza. Concedendoli ancora, che poſſano diſporre in favore de' luoghi pii, ma non prægiudicando alle riſpoſte della Corte, che ſempre devono reſtar ſalve, & intiere, ancorche li feudi, e ſtabili foſſero poſſeduti dalla Chieſa.

Morendo ſenza Teſtamento ſuccedano ſempre li più proſſimi, ſecondo le leggi communi con le conditioni però dette di ſopra, cioè del Vaſſallaggio, dell'habitatione, del quarto grado, e non più oltre, eſcluſe le femine, come ſi dirà immediatamente, quali, cioè

Le figliole femine, ò nepote nate da figliole già morte, ſe ſaranno dotate, ò vero, che li fratelli, ò zii le voglino dotare competentemente, non poſſano pretendere coſa veruna delli beni paterni, fraterni, de' zii, ò zie, de' avi, ò nonne, ò di qualſivoglia altra ſorte, eccetto che de' materni, come ſi dirà in queſto iſteſſo Capitolo; tanto ſe li prenominati ſaranno morti con teſtamento, quanto ſenza, nè in nome di falcidia, nè in altro modo. Non oſtante à ciò tutte le altre leggi, e conſtitutioni in contrario. Dichiarando, che mentre ſtanno in caſa, prima che ſiano dotate, li fratelli, ò zii ſiino obligati veſtirle, & alimentarle honeſtamente.

Che le dette figliole femine, ò loro eredi, morendo la madre ſenza teſtamento poſſino domandare, e ſuccedere nella terza parte ſolamente di quella rata della ſua dote, che li perverà, ſecondo la legge commune. E queſto s'intenda, ſe ci ſaranno altri figlioli maſchi, alli quali dourà accreſcere quel, che ſi toglie alle dette femine per favore del ceppo della caſa.

Se morirà un fratello ab inteſtato ſenza figliuoli, li ſuccedano gl'altri fratelli carnali, e nepoti conforme al Statuto di Roma in queſto Capo, al Capitolo 146. del primo libro, ma nell'altri caſi in materia di ſucceſſioni non ſpecificate in queſto Statuto, s'oſſervi la legge commune.

LUGNANI

Terræ B. in diſtrictu Urbis.

PARTICULA LXXXVII.

Della ſucceſſione della Donna maritata, Cap.21.

ITem ſtatuimo, che ogni donna dotata da padre, madre, fratello, avo, ò ava, ch'haverà fratelli carnali debba eſſere contenta della dote, quale da qualunque delli ſudetti li ſarà ſtata promeſſa, ò data; & in neſſun modo delli beni, & heredità di qualunque delle perſone ſudette, che moriſſero inteſtate, poſſi più petere, nè domandare coſa alcuna, ma ſolo alle ſucceſſioni delli ſopradetti il fratello, ò fratelli della donna dotata debbiano ſuccedere, e detta ſorella s'intenda in tutto, e per tutto eſcluſa dalla ſucceſſione delli ſopradetti. E ſe accadeſſe, che detta donna non ſi trovaſſe eſſer dotata debbia da chi ſpetterà di ragione dotarſi de paragio, e dotata, che ſarà, reſti tacita, e contenta come ſopra. E ſe per teſtamento, ò codicillo, ò legato da qualunque delle perſone dotanti, ò altrò eſtraneo foſſe alla detta donna così dotata, ò da dotarſi laſſato alcuna coſa de' loro beni in qualunque modo, in tal caſo detta inſtitutione, relitto, ò legato habbino, e ſortiſcano il peſo, effetto, e firmità, che ſi può, e deve di ragione.

LUGNANI

Terræ ſub gubernio Patrimonii.

PARTICULA LXXXVIII.

Quod Mulier dotata à Patre, vel à Matre non poſſit redire ad bona patronatus, vel matronatus, Rubr. 14.

HAc præſenti Lege ſtatuimus, & ordinamus, quod mulier, quæ fuerit dotata à patre, vel matre publico inſtrumento, vel teſtamento, videlicet fuerit dotata à fratre, vel ſorore, avo, vel avia, vel alia legitima perſona, non poſſit redire ad partem patronatus, vel matronatus, nec quidquam petere poſſit, ſed ſit, & eſſe debeat contenta de ipſa dote, dummodò dos ſit idonea ſecundum facultatem perſonarum, & ſubſtantiæ qualitatem, judicio duorum proximiorum, & teneatur, & debeat ipſa mulier de ipſa dote ſoluta, vel de patronatu, vel matronatu facere finem, & refutationem generalem ad ſenſum ſapientis illius perſonæ, cui intereſt, vel intererit petere refutationem prædictam, exceptione aliqua non obſtante, & ſi dicta mulier contempſerit prædicta facere, poſtquam fuerit requiſita, in quinquaginta libris puniatur, & nihilominus ipſam refutationem facere teneatur, & tamen iſto caſu pro facta habeatur, ſalvo ſemper in omnibus contentis in præſenti Capitulo, teſtamento, vel alia ultima voluntate, ſeu diſpoſitione morientis, ſalvo etiam, quod ſi ex dicto patre, vel matre non ſupervixerit filius legitimus, & naturalis, vel nepos legitimus, & naturalis deſcendens ex linea paterna,

vel

vel materna, quod tunc ipſa mulier poſſit legitimè ſuccedere, & redire ad ſui patronatum, vel matronatum, non obſtante dote prædicta, & quia plerumque contingit per hominum creſcentes malitias, & novitates Terrarum, & aliquando per obitum Notariorum, & alias cauſas legitimas, quæ quotidiè evenire poſſunt, quod ipſa teſtamenta, ſeu inſtrumenta dotalia ommittuntur, & aliter ſuffocari, ſeu celari poſſunt; ordinamus, quod ſi qua mulier, vel alii, qui intereſſe haberent, legitimè doceret ſe fuiſſe, & eſſe dotatam, tùm, & eo caſu non obſtante, quod non appareant publica inſtrumenta habeatur pro dotata congruè, & ſufficienter, ſecundum facultatem patrimonii, facultatem perſonæ, & conſuetudinem dictæ Terræ, & pro dotata ex teſtamento, vel inſtrumento legitimè habeatur; tam ad effectum petendi dictam dotem, quàm ad effectum, ut ipſa pro ſucceſſione excludatur, ut ſupra, & quod ipſa mulier non ſit dotata, teſtamento, vel publico inſtrumento nulla exceptio apponatur, & ſi appoſita fuerit per Poteſtatem, vel ejus Vicarium, rejiciatur, & pro non appoſita habeatur, & Poteſtas, vel ejus Vicarius contrafaciens in centum libris puniatur, & admiſſio non teneatur ipſo jure, & Poteſtas, vel ejus Vicarius teneatur facere fieri publicum inſtrumentum per illam perſonam, quæ dotem habuit ſolventi dotem prædictam, ſive cui de jure deberet ad dictam pœnam, ac etiam volumus, quod quælibet perſona, cujus intereſt, vel intererit, poſſit petere dotem prædictam, vel res parafrenales, curſu temporis aliquo non obſtante.

LUGI TERRÆ
ſub Legatione Ferrariæ.

PARTICULA LXXXIX.

Quod mulier univerſaliter ſuccedens non poſſit nubere alicui extraneo, Rubr. 95. lib. 2.

STatuimus, & ordinamus, quod ſi acciderit aliquam mulierem ſuccedere quovis modo, quacumque ratione, vel cauſa patri, vel matri, aut alieni alii univerſaliter, & per univerſalem ſucceſſionem, nec valeat, nec debeat nubere alicui extraneo, niſi prius talis extraneus, cui nubere noluerit efficiatur civis continuus, & perpetuus habitator Terræ Lugi, præſtando prius Maſſario noſtro Lugi idoneam fidejuſſionem, & cautionem de ſtando, & habitando Lugi, vel in ejus diſtrictu continuè, & à dicto tempore, quo ſe civem fecerit, & citra teneatur ſe ſubjacere oneribus realibus, & perſonalibus imponendis per commune, & homines Terræ Lugi, prout alii homines Lugenſes non immunes faciunt, declarantes tamen prædicta ſibi locum vindicare, quando ſucceſſio ipſa non ſit minoris valoris librarum mille monetæ, & ſi qua mulier contrafecerit, omnia bona, & hæreditas, ac res, & jura ſpectantia, & ſpectantes ad dictam mulierem ſic nubentem, & contrafacientem ipſo jure, & facto, auctoritate præſentis Statuti publicata eſſe intelligantur, & adjudicata Communi Lugi, & Ducali Cameræ æqualiter.

Ejuſdem Statuti, *De ſucceſſionibus ab inteſtato, & privatione mulierum, & iuris non agniti tranſmiſſione, Rubr.* 101. *lib.* 2.

VT domorum dignitas, & amplitudo conſervetur, & fœminæ generi provideatur, ſtatuimus, & ordinamus, quod in hæreditate cujuſcumque parentis ab inteſtato, ſeu inteſtabilis defuncti, deſcendentes maſculi, legitimi tamen, & naturales ſuccedant quibuſcumque fœminis, ipſarumque filiis, & cæteris deſcendentibus perpetuò excluſis. Volentes tamen, quod ex paterna hæreditate recipiant quintam partem portionis ſibi debitæ ex diſpoſitione juris communis, & quod ex hæreditate parentis maſculi dotentur dote condecenti, quæ tamen non ſit minus legitima antiqua, ideſt quarta parte portionis ſibi debitæ ex diſpoſitione juris communis, niſi per ipſum parentem dotatæ fuerint. Hoc enim caſu volumus, quod dote per illum data, vel conſtituta inter vivos, vel relicta in aliqua ultima voluntate contentæ ſtare teneantur, nec aliquid ultrà petere poſſint jure legitimæ, vel alio quocumque jure, quoquo modo relictum, vel actum fuerit.

Diſponentes, quòd ſi parentes cujuſcumque ſexus condiderint teſtamentum, & aliquid reliquerint ipſis fœminis, hujuſmodi legato, qualecumque ſit, & ſub quocumque titulo, quieſcere debeant, & nihil aliud petere poſſint jure legitimæ, vel alio quocumque jure.

Si verò nulli maſculi deſcendentes ſuperfuerint, fœminæ deſcendentes ſuccedant in hæreditate parentis pro legitima, ideſt pro tertia parte, ſive una, ſive plures fuerint, & agnati maſculi proximiores, legitimi tamen, & naturales pro reſiduo uſque ad quartum gradum incluſivè, gradum accipientes ſecundum Juris Canonici ordinationem.

Inſuper ſtatuimus, quòd in hæreditate fratris ab inteſtato, ſeu inteſtabilis mortui, nullis deſcendentibus relictis, fratres, ſive fratrum filii, ac nepotes maſculi ex utroque latere, ſive ex patris lateretantùm ſuccedant, matre, & ſororibus perpetuò excluſis; Et hæc pars Statuti reſpiciat caſus præſentes, & præteritos, ſalvo niſi jus alteri quæſitum de præteritis aliqua ex cauſa fuerit, & futuros, ſi talis frater inteſtabilis deceſſerit, ideſt ſi nondum habilis ad faciendum teſtamentum mortuus fuerit.

Sed prædictis fratribus, fratrumque filiis, ac nepotibus non extantibus, ſorores, ſive una, ſive plures admittantur pro tertia parte, & agnati maſculi pro alia tertia, & mater pro alia tertia parte.

Item ſtatuimus, quòd in hæreditate filii, vel filiæ ab inteſtato decedentis, nullis deſcendentibus relictis, nullis fratribus, fratrumque filiis, & nepotibus, nullis denique ſororibus relictis, mater ſuccedat pro legitima ſua tantùm, & agnati maſculi proximiores pro reſiduo: Amita, ideſt ſorore patris ipſius filii, vel filiæ defuncti penitùs excluſa; ſi modò ſemel dotata fuerit, vel habeat undè aliundè dotari poſſit; Aliàs ſervetur, quod infrà dicetur; nec non Avia materna, omnibuſque aliis per lineam maternam aſcendentibus, & deſcendentibus excluſis.

Si verò alicui defuncto, vel defunctæ ab inteſtato, vel inteſtabili, nec deſcendentes maſculi, aut fœminæ, nec fratres, fratrumve deſcendentes maſculi, nec mater, nec ſorores ſuperſint, agnati maſculi proximiores ſuccedant, excluſis fœminis, & earum deſcendentibus in gradu pari, vel anteriori conſtitutis; quas tamen dotari volumus dote condecenti, habito reſpectu ad vires hæreditatis de valore, & agnatos, ſi adhuc dotatæ non fuerint, nec habeant undè dotari poſſint; Poſtremò providentes circa dubium, quod oriri ſæpè numero ſolet, & in quo varii varia ſenſerunt, videlicet, An jus competens fœminis ex diſpoſitione ſtatuti non agnitum tranſmittatur ad quoſcumque hæredes ipſarum, diſponendo, quod tale jus competens fœminis, quæ, maſculis non extantibus, pro tertia parte vocantur ad ſucceſſionem parentum, ut diximus ſupra in verſiculo: Si verò nulli, &c. non agnitum tranſmittatur ad quoſcumque hæredes ipſarum. In cæteris autem ſupradictis fœminis, & caſibus earum, omnes jus ipſi competens ex hoc ſtatuto non tranſmittatur ad ullos hæredes ipſarum, imò intelligatur extinctum, & applicetur vocatis in præſenti Conſtitutione, ſi ipſa fœminæ moriantur, antequam illud agnoverint, & aliquo modo ſe velle conſequi patefecerint.

MACERATENSIS
Civitatis.

PARTICULA XC.

De Mulieribus dotatis, Rub. 30. *lib.* 2.

MUlieres dotatas à ſucceſſione Aſcendentium, & Tranſverſalium in omnibus caſibus ſupra ſtatuto de Succeſſione ab inteſtato excluſas virtute præſentis ſanctionis eſſe declaramus, & quæ dotatæ non forent, dotari volumus, & conſequenter pariter excluſas eſſe, nec ſibi aliquo pacto concedatur actio ad ſupplementum legitimæ, etiam quod dos ad legitimam non aſcenderet de jure communi, dummodò condecenter dotata fuerit ſecundùm qualitatem perſonarum, & qualitatem patrimonii, & conſuetudinem domus, ut pariter dictum extit in d. ſtatuto de Succeſſione ab inteſtato. Declarantes tamen, quòd ſi poſteà deceſſerint illæ perſonæ, quarum contemplatione excluſæ extitiſſent, & bona devenerint ad fœminas, ne deterioris conditionis iſtæ exiſtant, volumus illas, ſeu earum deſcendentes ad portionem, eis de jure communi tempore mortis perſonæ, à cujus hæreditate fuerunt excluſæ,

ſæ, competentem admitti, ac ſi numquam fuiſſent excluſæ, nec aliqua præſcriptio eis nocere poſſit. Iniquum enim cenſemus, unam mulierem excludi, alteram verò ad hæreditatem, & ad portionem illi aliàs adeptam admitti, cùm ceſſet omnis ratio excluſionis; propterea volumus hoc caſu reintegrari, ac ſi numquam fuiſſent excluſæ. Addentes, quòd excluſa una perſona, cenſeantur excluſæ omnes aliæ ab ea deſcendentes, uti ex radice infecta venientes, ſive maſculi, ſive fœminæ ſint. Volumus inſuper excluſionem non extendi ultrà perſonas nominatas, & deſcendentes ab eis, cum conditione tamen ſupra expreſſa, ob quam in ſpecie bona dictæ hæreditatis ſint adeò obligata dd. mulieribus, ut ſupra excluſis, ut omnis alienatio ſit perſonæ vocatæ interdicta penitùs, & illam nullam, nulliuſque roboris, & momenti eſſe volumus, & ceſſante illa perſona, ut ſupra, eiſdem mulieribus actionem concedimus pro recuperatione dictorum bonorũ, ad quæ reintegrata reperitur cõtra quemcumque poſſeſſorem, dummodò liquidè demonſtret eſſe de dictis bonis; Et dummodò ab uno fuerint dotatæ, repellantur à ſucceſſione omnium, videlicet patris, avi paterni, & aliorum aſcendentium, fratrum, & eorum deſcendentium maſculorum, unica etenim dote ſit contenta, ſive ſit data, ſive ſit promiſſa, ſive deberet ſibi dari, ut ſupra in hoc ſtatuto, & pariter in ſtatuto de Succeſſionibus ab inteſtato fuit facta mentio. Quod inviolabiliter obſervari volumus, etiam quòd dictæ mulieres eſſent nuptæ forenſibus, vel perſonis, quæ virtute privilegiorum non ſubjacerent juriſdictioni noſtri Communis, vel nuptui traderentur, quia in ipſo tranſitu in aliena juriſdictione volumus præſumi factam renunciationem per dictam nuptam, & dotatam omnibus bonis ſupradictis, & ſi in aliquo caſu non concordaret præſens diſpoſitio cum ſtatuto de ſucceſſionibus ab inteſtato, volumus hanc ſecundùm illud declarari, ita ut in nullo caſu intelligatur derogatum.

Ejuſdem Statuti. *De ſucceſſionibus ab inteſtato, Rubr.* 38.

SI aliquis, vel aliqua ab inteſtato deceſſerit, remanentibus poſt ſe filio, vel filiis natis, vel in utero exiſtentibus maſculis legitimis, & naturalibus, hi ſuperſtites prædictis defunctis, videlicet ſuccedant, excluſis penitus filia, & filiabus natis, vel naſcituris, dotatis, & non dotatis, nec non deſcendentibus ex ipſis, ſive maſculis, ſive fœminis, & quod fœminæ eſſent ex filio, vel filiis, nepote, & nepotibus, pronepotibus maſculis, & in infinitum cujuſcumque numeri, gradus, conditionis, ordinis, & profeſſionis fuerint, ab omni prorſus ſucceſſione, & legitima portione, debitis jure naturæ pro vitæ ſubſidio, vel quovis alio nomine, & titulo, educandis tamen, & alimentandis, & dotandis modis, & temporibus infraſcriptis. Et eamdem fœminarum prædictarum excluſionem volumus habere locum, ſi ſuperfuerint nepos, vel nepotes, pronepos, vel pronepotes quicumque ex nepote, & nepotibus ex filio, & ex filiis natis, & deinceps in infinitum, ſalvo inter ipſos maſculos jure ſubintrandi in loca, & partes defunctorum, vel per ſtirpes, vel per capita, in quibus caſibus juris communis diſpoſitio remaneat immutata. Semper tamen repetitis in quolibet gradu, & in qualibet perſona antedictis maſculinitatis, legitimitatis, & naturalitatis qualitatibus. Dictas autem fœminas dotatas, ſeu dotandas à patre, matre, avo, avia, paternis, ſeu maternis, vel ab aliquo deſcendentium maſculorum prædictorum inhabilitamus ab omnium, & ſingulorum tam maſculorum, quàm fœminarum deſcendentium, & aſcendentium ſucceſſione, etiam decedentium poſt mortem perſonarum, de quarum bonis dotatæ fuerunt, vel dotandæ ſunt, perindè ac ſi cujuslibet perſonarum memoratarum bonis dotatæ extitiſſent, donec ſupererit aliquis maſculorum præfatorum, non poſſit ad alicujus præfatarum perſonarum ſucceſſionem aſpirare, dummodo in ſuccedendo matri quamplures habuerit viros in bonis, quæ illi obvenerunt ab aliquo maritorum prædictorum; vel illius matrimonii occaſione, ſive per ſucceſſionis, ſive conventionis modum, filii ejuſdem matrimonii ſuccedant, etiamſi eſſent ſolæ filiæ ex illo matrimonio, & filii maſculi ex aliis matrimoniis, & prædicta diſpoſitio habeat locum etiam in patribus, qui habuerint plures uxores; In bonorum verò dotalium diviſione, & ſucceſſione maſculis, ut ſupra, deferenda, jura communia obſerventur. Cui matri decedenti ſine deſcendentibus ex ſe maſculis per maſculos, ut ſupra, filia, & filiæ, & deſcendentes ex ipſis ſuccedant, nulla habita conſideratione præmiſſæ diſpoſitionis. Filias autem, & deſcendentes fœminas ſuperiùs excluſas, volumus honeſtè, honorificè, & condignè educari, alimentari, & de bonis perſonarum, à quarum hæreditatibus excluſimus temporibus debitis per illos, qui excluſerunt, & ipſorum ſucceſſores juxtà conſuetudinem Civitatis, ut qualitas fœminarum, & parentum gradus, quantitas patrimonii, & dotium, quæ ab aliis de domo prædicta præceſſerunt, modus expoſtulant, maritari, & dotari. Qui viri ſi fuerint negligentes in maritando, & dotando, & maritanda exceſſerit annum vigeſimum ſuæ ætatis innupta, poſſint duo proximiores, ſive ex latere patris, ſive matris, ſive utrinque, ipſam maritare de bonis, undè fuerunt excluſæ, juxtà conſiderationes antedictas, quæ bona, hujus ſtatuti virtute, intelligantur ipſo jure hypothecata, & obnoxia oneri prædicto; Non exiſtentibus autem prædictis in concordia, ad id eligatur Tertius per Priores Civitatis pro tempore, qui tres cum omni circumſpectione citiùs, ſecretiùs, & modeſtiùs, quòd fieri poterit, curent, ut maritetur, & dotetur, & quilibet conjunctus poſſit ad effectum prædictum comparere, donec dicta dotanda, & maritanda fuerit maritata, & dotata. Deſcendentibus autem maſculis prædictis, non extantibus, vel renuentibus pater, & avus paternus, & per lineam ſuperiorem directam maſculi aſcendentes admittantur, ſalva gradus proximioris defuncto prærogativa; quoad uſumfructum tamen, reſervata proprietate filiabus, & deſcendentibus ex ipſis, ſi extabunt ex defuncto, ſine præjudicio dotationum faciendarum, ut ſuprà. Deficientibus autem maſculis prædictis, quorum favore fœminas in omnibus juribus, & ad omnem ſucceſſionem, unde fuerunt excluſæ, reſtituimus, & reintegramus, nulla temporis præſcriptione obſtante, ſeu quietatione. Si autem nec aſcendentes, nec deſcendentes maſculi de maſculis, ut ſuprà memorati, ſuperfuerint, ſed filia, vel filiæ, vel nepotes ex filiis maſculis, & frater, vel fratres germani carnales utrinque, vel ex patre tantùm conjuncti defuncto, concurrant per capita æqualiter in ſucceſſione, ultrà dotes datas, ſeu dandas, ut ſuprà, dd. filiabus, & nepotibus, & filii fratrum prædictorum in loca, & partes patrum ſuorum, ipſis non extantibus, admittantur, reſervato ſemper jure reintegrationis prædictis filiabus, & nepotibus, & deſcendentibus fœminis excluſis in portionibus antedictis, ad quas patrui, & filii patruorum ſuorum fuerunt admiſſi, etiam extantibus filiabus fœminis ex dictis patruis, & filiis patruorum. Mater verò, cui pater deficientium filiorum, ſeu filiarum aliquid teſtamento reliquit, illo debeat eſſe contenta, ab omni prorſus ſucceſſione decedentium liberorum excluſa, ſi ad alia tranſiverit vota, ſive antè, ſive poſt obitum filiorum, ſi verò viduitatem ſervaverit, ſuccedat in medietatem legitimæ portionis ſibi debitæ, & in bonis defuncti filii ex dicto matrimonio, in quo ſervaverit viduitatem, computando dicto credito mariti in dicta medietate legitimæ.

MASSÆ,

Quæ eſt Terra in Umbria habens Gubernatorem independentem.

PARTICULA XCI.

De ſucceſſionibus ab inteſtato, Rubr. 91.

ITem ſtatuimus, quòd ſi aliqua perſona de Caſtro, vel Villis Maſſæ ab inteſtato deceſſerit ſine liberis ſuperſtitibus, ſeu ſuperſtite ſibi aliquibus, ſeu aliqua perſona uſque in tertium gradum ſuæ agnationis incluſivè, ſuccedat ſibi proximior de dicta ſua agnatione, hoc intellecto, & declarato quod in dicta ſucceſſione non habeatur, nec haberi debeat diſtinctio, ſeu conſideratio, vel reſpectus, an talis perſona conjungebatur tali defunctæ perſonæ ex utroque parente, ſive per lineam utriuſque parentis, ſeu ex uno, vel unius tantùm, dummodò ex parte ipſius defunctæ perſonæ, ſeu ex ejus paterna linea ſaltem eidem conjunctus extiterit. Præterea volumus, quòd nepotes ex fratre carnali quondam talis defunctæ perſonæ ſuccedant eidem unà cum eorum patruo, eodemque fratre quondam talis defunctæ in ſtirpem, & non in capita. Mater verò

ipſius

ipſius quondam defunctæ perſonæ, in dicto caſu, in ſola octava parte bonorum ipſius quondam ſui filii, ſeu filiæ ſuccedat, & ſuccedere poſſit eidem, & ipſa octava parte dicta mater dicto caſu contenta ſit, & eſſe debeat, adeò quod nihil amplius jure ſucceſſionis petere, vel habere poſſit de hæreditate prædicta, Matre verò non extante ſuccedat eidem ab inteſtato quondam avia ſua paterna in octava prædicta, & ipſis matre, & avia non extantibus, ſimili modo ſuccedat ei proavia quondam paterna, videlicet mater avi ſui patris. Avia verò materna, videlicet mater matris, & proavia materna, videlicet avia matris dictæ defunctæ perſonæ, ſeu aliqua perſona de cognatitia prole quondam ipſius defunctæ perſonæ, ſive patris ejuſdem in dicto caſu ad dictam ſucceſſionem, nullatenus admittatur: ita tamen quod in dicta agnatitia prole non includatur, nec intelligatur includi aliqua fœmina, excepta ſorore carnali, ſive nepte filia fratris carnalis, & amita quondam talis defunctæ perſonæ, quæ ſola, ſcilicet ſoror neptis, & amita in dicta prole agnatitia, & in ejus numero comprehendatur, & comprehendi valeat in caſu prædicto, ſi & in quantum in eo caſu tali defunctæ perſonæ non ſupervivat aliquis quondam ejus frater carnalis, ſive nepos legitimus, & naturalis natus ex fratre carnali quondam talis defunctæ perſonæ, quibus fratre, & nepote, vel aliquo eorum extantibus, & ſuperviventibus, ſive extante, & ſupervivente, dicta ſoror, neptis, & amita quondam talis defunctæ perſonæ à dicta ejus ſucceſſione repellantur, & ad eam dicti quondam ejus frater, & nepos admittantur, & admitti poſſint, ſed & ſi dictæ mater, avia, & proavia paterna, vel aliqua earum, quæ in dicta octava, ordine præmiſſo, ſuccederet, & ſuccedere poſſunt, ut dictum eſt, non extarent, Succedant nihilominus tali defunctæ perſonæ eidem proximiores de dicta ſua agnatitia prole, ut ſuperiùs dictum eſt. Verùm ſi talis perſona deceſſerit condito teſtamento, vel alia ultima voluntate, & in ipſo, vel ipſa quocumque titulo, jure, vel modo aliquid reliquerit ipſi ſuæ matri, aviæ, vel proaviæ, eo caſu talis ejus mater, avia, vel proavia dicto relicto contenta ſit, & eſſe debeat, nec ulterius de dicta hæreditate jure ſucceſſionis habere poſſit.

MASSÆ

Longobardorum, quæ eſt Terra ſub Legatione Ferrariæ.

PARTICULA XCII.

De ſucceſſionibus ab inteſtato, Rubr. 112.

VT conſervetur dignitas, & amplitudo in familiis, quæ non depauperentur propter fœminas tranſeuntes ut plurimum ad alienas familias, & ut dictis fœminis conſulatur, & tollantur multa dubia, quæ ex antiquis Statutis cum multis laboribus, & expenſis in præteritum decurrerunt. Statuimus, quod ſi quis maſculus deceſſerit ab inteſtato, vel inteſtatus, etiam ſi fuerit infans, vel aliàs inteſtabilis, prima cauſa ſucceſſionis ſit filiorum, aut deſcendentium maſculorum, ut filii, & ſucceſſivè alii deſcendentes maſculi ſuccedant, excluſis filiabus, & omnibus aliis fœminis cujuſcumque lineæ, & gradus, tam in bonis prophanis, quàm eccleſiaſticis, & cujuſcumque alterius generis, non obſtante aliqua inveſtitura, dotandis tamen, ut ſupra in alio Statuto poſito ſub Rubrica Infrà quantum tempus frater, vel deſcendentes teneantur maritare ſororem, vel deſcendentem diſpoſuimus; ſi verò nulli deſcendentes, aut aſcendentes maſculi fuerint frater, & filii fratris perſonæ defunctæ, agnati tamen ſuccedant, & excludant filias, & omnes fœminas cujuſcumque gradus, & lineæ, dotandas tamen, ut infra dicetur, ſi dotatæ non fuerint ab aliquo, cui incumberet onus dotandi, ſin autem quis decedat nullis relictis filiis, vel deſcendentibus, vel aſcendentibus maſculis ex linea maſculina, proximiores ſecundum gradus prærogativam uſque ad quartum inclusivè, enumerando gradus ſecundum jus canonicum, ſuccedant, & præferantur filiabus, & omnibus aliis fœminis cujuſcumque gradus, & lineæ, quæ tamen dotari debeant uſque ad annos viginti ætatis ſuæ inclusivè, dote non minori legitima, prout diſpoſuimus in prædicto alio Statuto poſito ſub Rubrica infrà quantum tempus frater, vel deſcendentes teneantur maritare ſororem, vel deſcendentem, quibus omnibus prædictis ſalvis volumus, quod prædictæ fœminæ ſic excluſæ non poſſint cauſa, & occaſione alicujus legitimæ moleſtare, & inquietare maſculos vocatos ad ſucceſſionem per præſens Statutum; Adjicientes etiam, quod ſi aliqua mulier maritata fuiſſet, nulla dote conſtituta antè mortem perſonæ, cui incubuiſſet onus dotandi, poſſit petere dotem ſibi conſtitui, non obſtante quod ipſa mulier in matrimonio fuerit etiam conſtituta.

MELDULÆ,

quæ eſt Terra B. in Provincia Romandiolæ.

PARTICULA XCIII.

Quod Mulier dotata ſit contenta de dote ſua, Rubr. 93.

STatuimus, & ordinamus, quòd ſi aliqua mulier fuerit dotata à patre, matre, avo paterno, fratre carnali, & pater, ſeu mater, avus paternus, vel frater carnalis prædictæ deceſſerint ab inteſtato, ſuperſtitibus filiis maſculis legitimis, & naturalibus, natis ex filio, vel filiis maſculis legitimis, & naturalibus, quòd ipſa talis mulier, vel ejus filii, vel hæredes, non poſſint aliquid petere in bonis alicujus prædictorum ab inteſtato defunctorum, etiam non dotalium, ſed ſit, & eſſe debeat contenta ſua dote, ipſa, & ejus filii, & hæredes, & omnia bona ipſorum defunctorum deveniant ad ipſos filios, vel nepotes maſculos; ſi verò pater, mater, avus paternus, vel frater carnalis talis mulieris dotatæ decederent cum teſtamento, & aliquid reliquerint tali mulieri dotatæ, vel ejus filiis, relictis filiis maſculis, vel nepotibus maſculis, legitimis, & naturalibus ex filiis maſculis dicti Teſtatoris legitimis, & naturalibus hæredibus, iſta talis mulier, & ejus filii, vel hæredes debeant eſſe contenti dicta dote, & de eo, quod eſt eis relictum, quocumque titulo ſit relictum, nec poſſit plus petere, quod eis relictum, nomine legitimæ debitæ jure naturæ, nec poſſint dictum Teſtamentum petere irritari, & annullari, ſeu caſſari, ex eo, quod non fuerit eis aliquid relictum jure inſtitutionis. Et ſimiliter filiæ fœminæ, etiam non nuptæ, debeant eſſe contentæ dotibus eis relictis in Teſtamento patris, matris, vel avi, ſeu fratris carnalis. Nec poſſint plus petere in eorum, vel alicujus eorum bonis, ratione legitimæ debitæ jure naturæ.

Nec poſſint Teſtamentum dicere nullum pro eo, quod non fuerit eis jure inſtitutionis relictum, ut ſupra præmittitur, nec dictum teſtamentum prædictæ mulieres nuptæ, & dotatæ, vel non nuptæ, quibus dos eſt relicta, ut præmittitur, poſſint per querelam inofficioſi teſtamenti aliqualiter impugnare, & in omnibus, & ſingulis caſibus intelligatur, & præſumatur dicta mulier congruè dotata, etiamſi de dote non appareat, ſi nupta ſteterit cum viro ſuo in matrimonio in una domo per decem annos continuos, aliquibus ſtatutis, & juribus communibus in contrarium loquentibus non obſtantibus; quæ omnia hæc per præſens Statutum intelligantur totaliter derogata, & quòd D. Commiſſarius, vel ejus Judex non debeat aliquem audire, vel jus aliquod reddere contra præſens Statutum ſub pœna lib. 20. quinque bononenorum pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, & quòd factum fuerit, non valeat ipſo jure. Et idem intelligatur de aliis quibuſcumque perſonis dotantibus aliquam mulierem; ſtatuentes inſuper, quòd ſi ſupradicti pater, mater, avus paternus, vel frater carnalis deceſſerint, vel alter deceſſerit ab inteſtato, relictis ſupradictis filiis maſculis, vel nepotibus maſculis ex filiis maſculis omnibus legitimis, & naturalibus, ut prædicitur; & aliqua filia, vel nepte, una, vel pluribus, etiam legitimis, & naturalibus, nondum maritata, vel dotata, dicti filii, & nepotes maſculi ſuccedant in tota hæreditate talis defuncti, tamen ipſi filii, & nepotes hæredes teneantur talem filiam, ſororem, vel neptem indotatam, maritare, & dotare competenter pro viribus hæreditatis, & perſonarum conditionibus attentis, vel etiam ſi maluerit in Monaſterio Religioſarum, cum competentibus, & ſolitis donis mittere, ad quæ, vel ipſorum alterum, quàm ipſa voluerit, ſi prædicti maſculi hæredes fuerint negligentes, Dominus Cõmiſſarius, vel ejus Judex teneatur, & debeat vinculo juramenti, ſummariè, & ſimpliciter, & de plano, & ſine ſtrepitu, & figura Judicii, ipſos hæredes perſonaliter, & realiter cum effectu compellere. Et ſi d. D. Commiſſario, vel Judici videbitur, ad hoc convocet duos bonos viros conſanguineos ipſorum, ſi re-

ſi reperiuntur de facili, vel duos bonos viros, vel vicinos, qui unà cum ipſo D. Commiſſario, vel ejus Judice declarent quantitates dictæ Dotis, quam dotem declaratam d. D. Commiſſarius, vel Judex cogat dd. hæredes ad ſolvendum cum effectu marito talis mulier ſi ſit nupta, vel promiſſa, poſt mortem ſupradicti defuncti, vel ad deponendum penes idoneum mercatorem pro ipſa muliere maritanda, ſi nondum ſit, ut præmittitur maritata. Addentes, quod maſculi teneantur fœminas dotatas omninò alimentare, quouſque fuerint nuptæ, & ſi in his fuerit D. Commiſſarius, poſtquam fuerit ſuper hoc requiſitus, negligens, vel remiſſus, in libris vigintiquinque bononenorum per ejus Sindicatores condemnetur.

MERCATI

Saraceni, quod eſt Caſtrum B. ſub Legatione Romandiolæ.

PARTICULA XCIV.

PRo conſervatione familiarum, & agnationum Terrarum, poſterorum, & maſculorum, per quos familię conſervantur, *ſi concede*, che ſtantibus filiis maſculis, filię fœminæ, vel deſcendentes ab eis ad ſucceſſionem patris, & aliorum aſcendentium ab inteſtato decedentium non admittantur, dummodo ſint dotatæ competenter, ſecundum facultatem Dotantis, & conſuetudinem Domus, vel dotentur; adeò quod non poſſint petere legitimam, vel ejus ſupplementum.

MESSENANI

Quod eſt Caſtrum ſub Gubernio Spoleti.

PARTICULA XCV.

Quod Mulier dotata à Patre, vel Matre, exiſtente maſculo, non ſuccedat ab inteſtato, Cap. 5.

STatuimus, & ordinamus, quod mulier dotata à patre, vel matre, exiſtente maſculo, non poſſit ſuccedere ab inteſtato in bonis dotantis, & ejus dote ſtare debeat tacita, & contenta, & plus petere non poſſit.

MEVANIÆ

Quæ eſt Terra ſub Gubernio Umbriæ.

PARTICULA XCVI.

Quod Mulier dotata à Patre, Matre, Fratre, vel aliis conſanguineis ſuis dotibus ſit contenta Rubr. 20. lib. 2.

SI aliqua mulier dotata fuerit à patre, matre, fratre, vel aliis ſuis conſanguineis, ſuis dotibus ſit contenta, & plus de bonis patris, matris, fratris, vel fratrum, vel aliorum conſanguineorum ſuorum petere non poſſit, ſi ex ea filius, vel filii maſculi, vel fratres, vel nepotes carnales remanſerint, ſalvis relictis in Teſtamento factis, quæ liberè poſſint peti; & ſi aliquis contra fecerit, vel venerit aliquo modo contra, pro qualibet vice in vigintiquinque libris denariorum condemnetur, & omnia, & ſingula ſupradicta locum habeant in præſentibus, & futuris; & talis mulier, filii, vel nepotes ipſius teneantur, & debeant infra octo dies, poſtquam eis fuerit notificatum, quietationem facere generalem filio, vel filiis maſculis, fratri, vel fratribus carnalibus, vel nepotibus maſculis remanentibus ex parte matris, vel patris de omni eo, quod à filiis, vel à fratribus maſculis, vel nepotibus maſculis petere, vel exigere poſſet in boni, quę quondam fuerunt patris, vel matris ipſius mulieris, vel fratris, vel fratrum ejuſdem, tam ratione ſucceſſionis, aut ex teſtamento, quam etiam alio modo, jure, vel cauſa, & ſi non fecerit, ſeu facere recuſaverit, in vigintiquinque libris denariorum Communi Mevaniæ condemnetur; & nihilominus prædictum Capitulum in qualibet parte ſui firmum debeat remanere, & exequutioni mandetur, ſalvis relictis in teſtamento factis, quæ liberè peti poſſint; & Poteſtas, & Conſules ſuper prædictis intendant, & procedant diligenter ad petitionem filii, vel filiorum maſculorum, & fratris, ſeu fratrum & nepotis, ſeu nepotum, quando fuerint requiſiti ad pœnam in vigintiquinque libris denariorum pro quolibet in ſuo officio, cogendo ipſam mulierem hujuſmodi faciendi ſummariè, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, & omni juris ſolemnitate ommiſſa; Et ſi Poteſtas fuerit negligens, vel Conſules in prædictis, in centum libris denariorum, & quilibet Conſulum in vigintiquinque libris denariorum Communi Mevaniæ condemnetur.

MONDAINI

Quod eſt Oppidum ſub Legatione Romandiolæ.

PARTICULA XCVII.

Quod fœminæ dotatæ ſtantibus maſculis non ſuccedant aſcendentibus, tam ex parte matris, quam patris, Rubr. 51.

STatutum, & ordinatum eſt gratia domus, & familiæ conſervandæ, quod feminę dotatæ decędentibus aſcendentibus, ſuperſtitibus filiis maſculis, nullo modo eis ſuccedant, niſi dumtaxat, quatenus de ipſorum aſcendentium præmorientium præceſſerit voluntas. Si verò non eſſent dotatæ, nec ab aſcendentibus prædictis aliter inſtitutæ, tunc tantum dotem poſſint petere, & conſequi, ſecundum qualitatem patrimonii, & conditionem perſonarum, & conſuetudinem patris familias præteriti temporis, ſeu domus; non obſtantibus Statutis, vel juribus huic Statuto in contrarium facientibus, ſeu loquentibus, niſi poſt mortem prædictorum filiorum maſculorum, qui hæreditatem aſcendentium non adiviſſent, remanerent ſolummodo filiæ fœminæ, tunc cum dictis filiabus ſic remanentibus concurrant in ſucceſſione omnium bonorum aſcendentium prędictorum dictæ primę filiæ, ut ſupra dotatæ, pro portione eis tangente in dd. bonis aſcendentium, quemadmoduni cum eorum filiis ſucceſſiſſent, ſi hujuſmodi proviſio facta non fuiſſet.

MONTECCHII

Terræ ſub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA XCVIII.

Quod Mulier dotata à Patre à ſucceſſione excludatur ſuperviventibus maſculis, Rub. 21. lib. 2.

ITem ſtatuimus, quod ſi aliqua mulier dotata fuerit à patre, vel matre, vel fratribus, vel ab avo, ſive fecerit renunciationem, ſive non, poteſtatem ipſa, nec ejus deſcendentes non habeant petendi de bonis paternis, vel avi, aut matris, donec legitimi hæredes maſculi extiterint, & filii ex utroque parente, & hoc intelligatur ab inteſtato, ſi autem cum teſtamento moreretur, non poſſit talis mulier, nec ejus deſcendentes plus petere, quam illud, quod pater, mater, aut avus ſibi reliquerit in ſuo ultimo teſtamento, & hoc Capitulum ſit præciſum, quod tolli non poſſit conſilio, vel abrenga, & locum habeat in præteritis, præſentibus, & futuris. Et idem dicimus de bonis fratris, quod plus petere non poſſit, quam frater ei ſorori reliquerit in ſuo ultimo teſtamento, & quod omnia prædictorum bona, ſcilicet patris, matris, avi, & fratris ab inteſtato decedentium, cadant, & deveniant integrè in maſculos filios, vel nepotes ex filiis maſculis deſcendentes ſuperſtites, unum, vel plures, & hoc locum habeat in præteritis, præſentibus, & futuris. Hoc addito, quod ſi filiæ una, vel plures eſſent, & dotem non haberent diſtinctam, quod ipſis filiabus, uni vel pluribus, non præjudicet, nec obſtet præſens ordinatio, vel Statutum, niſi infra ſex menſes, poſtquam deceſſerit aliquis prædictorum patris, matris, avi, vel fratris carnalis fuerit per duos proximiores conſanguineos ipſorum maſculorum, & mulieris, ipſa mulier dotata, vel ipſi dos deputata de bonis ejus, ad cujus ſucceſſionem de jure vocaretur, ſecundùm qualitatem patrimonii, & facultatem, ac conditionem perſonarum, & conſuetudinis *ipſius* Domus, ad quam dotandam ad petitionem cujuſcumque perentis, conſanguinei per Poteſtatem compellantur, & facta deputatione dictæ dotis, talis mulier ſit à ſucceſſione excluſa, donec ſupervixerint maſculi deſcendentes, ut ſuperius dictum eſt, & intelligatur dotata mulier, ſi dos fuiſſet promiſſa, vel data, ſeu etiam relicta in teſtamento per aliquem prædictorum patris, matris, avi, vel fratris

carnalis, ut excludatur talis mulier, ut dictum est à successione prædictorum, & quolibet ipsorum, donec descendentes prædicti supervixerint.

MONTICELLORUM

In districtu Urbis.

PARTICULA XCIX.

Modo di dispensare i beni di quelli, che moriranno intestati, Cap. 34. lib. 1.

STatuimo, che li beni di quelli, che moriranno intestati vengano alli figli maschi, e se non vi fossero maschi alle femine maritate, e non maritate, e quando vi fossero maschi, e femine, li maschi siano obligati nutrire, mantenere, e maritare dette femine, e dotarle secondo la consuetudine di detta Terra, e maritate che saranno, non possino domandare alli loro fratelli altri beni, nè paterni, nè materni, ma sia in petto delli fratelli volerli dare alcuna cosa, & alli detti, che moriranno intestati, non havendo nè figlioli, nè figliole, come di sopra, succedano li parenti suoi più prossimi.

MONTIS BODII

Terræ sub Gubernio Marchiæ.

PARTICULA C.

NObilis vir Comes Sabutius J.U.D. celeberrimus, unus ex Dominis Consultoribus in dicto Consilio existen. surgens à loco suo, & corporali accepto juramento de rectè, & fideliter consulendo, accedens ad solitum locum arregandi, & ibidem cælesti implorato subsidio, consulendo, & arrengando dixit, & consuluit in hunc, qui sequitur modum, videlicet.

Super quinta præposita, videlicet super publica, & evidenti utilitate, dixit, quod ut Familiæ, & Cippus domus, & domorum conserventur, & manuteneantur, & ne masculi depauperentur, &c. & ad conservationem domorum, dixit, & consuluit in hunc modum, & formam, videlicet; Quod quælibet mulier, quæ fuerit dotata à patre, vel matre viventibus, vel in eorum ultimo testamento, vel ab avo, vel avia, defunctis parentibus, non possit succedere in eorum hæreditate, nec aliquid petere in eorum bonis, stantibus masculis, sed debeat stare tacita, & contenta de ejus dote sibi data, vel relicta, & quicquid petierit, sit inane, irritum, & nullum; & omnis via successionis sit sibi penitus percluſa, & quod præsens statutum, & decretum habeat locum in præteritis, præsentibus, & futuris, & quòd debeat confirmari per superiorem, & si opus fuerit per Sedem Apostolicam, & casu quo reperiretur aliquod statutum in volumine statutorum Terræ Montis Bodii, loquens in favorem masculorum, per præsens non intelligatur illi derogatum, sed potius, sit illius ampliatio.

Dilectis Filiis Prioribus, & Vniversitati Terræ nostræ Montis Bodii Senogallien. Diœcesis.

PAulus Papa Tertius. Dilecti filii salutem, & Apostolicam benedictionem. Humilibus pro parte vestra per dilectum filium Comitem Sabutium Concivem, & Oratorem vestrum nobis nuper super hoc porrectis supplicationibus benignè annuentes, omnia, & singula privilegia, indulta, gratias, & libertates per Sedem Apostolicam, ejusque Legatos, & Ministros, quomodolibet hactenus vobis concessa, quatenus in usu sint, nec non statuta municipalia, decreta, & ordinationes, antiqua, & moderna quæcumque, & specialiter reformationem super dotatione mulierum, tam ab intestato, quàm ex testamento dudum factam, dummodo contra Canones, Sanctiones, & Libertatem Ecclesiasticam non tendant, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus; ac nostro, & Apostolicę Sedis munimine roboramus, inviolabiliterque observari debere volumus, & decernimus, quibusvis consuetudinibus, & abusibus, ac rescriptis, ac litteris Cameræ Apostolicæ in contrarium forsan editis, & edendis, cæterisque contrariis, non obstantibus quibuscumque. Datum Camerini sub Annulo Piscatoris 6. Octobris 1539. Pontificatus Nostri anno quinto.

B. Lusius.

MONTIS CASSIANI

Terræ sub Gubernio Marchiæ.

PARTICULA CI.

Quod nulla mulier dotata possit succedere ab intestato, stantibus filiis masculis, & decedente uxore, quid lucretur maritus supervivens, & de quibus bonis uxor sepelliri debeat, Rubr. 25. lib. 2.

STatuimus, & ordinamus, quod nulla mulier dotata, vel quæ pro dotata steterit per decem annos aliquam querimoniam facere possit de dote sua, & intelligatur pro dotata illa mulier, de cujus dote appareret instrumentum, vel protocollum Notarii à patre, avo, paterno, vel materno, à matre, vel avia quavis, fratre paterno, vel avunculo, sorore, nepote, vel nepte sua, vel aliter legitimè, & non possit, vel debeat succedere ipsa, vel filii, aut descendentes ab ea ab intestato alicui ex prædictis personis dotantibus, ut dictum est, si ex eis, vel ab aliqua eorum, vel earum remanserit aliquis hæres masculus, filius, vel nepotes masculi, neque in bonis, vel super bonis prædictarum personarum, vel alicujus earum aliquid petere, habere, vel possidere, seu apud se retinere, sine expressa voluntate, & dispositione supradictarum personarum, vel alicujus earum, de qua legitimè appareat, & hoc locum habeat in præsentibus, & futuris. Et quod illi mulieri dotatæ, ut supra dictum est, non liceat redire ad aliquam partem dictæ matris, vel aviæ dotantium, si ex ea matre, vel avia masculus, vel descendens ex masculo remanserit, salva semper ultima voluntate, vel dispositione matris, vel aviæ prædictæ. Et si aliqua mulier fuerit dotata, vel dotem suam receperit de bonis communibus, quæ habet cum fratribus carnalibus, vel eorum filiis, non possit ipsa, vel ejus hæres de cætero petere, vel habere, seu venire ad successionem, vel communionem aliquam bonorum, & rerum communium prædictorum, vel alicujus eorum, & ipsorum filiorum masculorum, salva semper in hoc testamentaria, vel ultima voluntate, seu dispositione prædictorum fratrum, vel fratris. Et si filiæ prædictæ, vel aliqua ipsarum vidua remanserit, possit in domum paternam redire, dotem suam reportando, nec expelli possit, seu possint ab hæredibus patris, sub pena mille lib. den. pro quolibet hærede contrafaciente, & nihilominus stare possint, & debeant; Et si contingerer filiam, vel filias indotatas remanere, possint, & dotari debeant competenter, & juxta domus conditionem, & arbitrio D. Potestatis, trium Consanguineorum, & trium Affinium à remanentibus fratribus, vel eorum filiis masculis tantum, non autem neptibus, seu filiabus fœminis fratrum, sed cum ipsis communiter succedant dicto casu, ac etiam si per prius fuissent dotatæ, similiter dicto casu succedant, dotes tantum habitas conferendo cum prædictis neptibus. Et quod si qua uxor ulterius moreretur sine filiis, vel filiabus, propter mortem illius maritus lucretur medietatem dotis totius, omni exceptione remota, etiam dotis promissæ, & non solutæ; de alia verò tota medietate ad sui voluntatem uxor ipsa disponere valeat. Expensę verò sepulturæ, & alia funeralia æqualiter fiant per maritum de lucrata medietate, & uxoris hæredem in alia dotis medietate succedentem; expensæ verò factę pro uxoris infirmitate ab ipso viro, nullo modo à viro repetantur, nec ejus hærede ab uxoris hærede, & successore quovis modo. Volumus autem, quod filiæ, quæ innuptæ remanserint, donec nuptui tradantur, ab ipsis fratribus semper alantur, & eisdem de omnibus necessariis provideatur, & tempore, quo nuptui traduntur, vel postquam mariti domum iverint, fratribus, & eorum filiis masculis, vel patri, & matri renuntiare teneantur omnia bona paterna, & materna in mensem, quo termino elapso, quatenus fuerint dotatæ, ut suprà, si non fecerint, pro legitimè facta habeatur dictorum bonorum renunciatio, & quietatio vigore præsentis Statuti, nec dicta renunciatio noceat non remanentibus filiis masculis, vel nepotibus ipsarum patribus, & similiter non remanentibus ex ipsarum fratribus, filiis, & nepotibus masculis.

MON-

MONTIS CASTELLI

Castri in Provincia Umbriæ, independentem habentis Gubernatorem.

PARTICULA CII.

Che essendovi il maschio, le femine non succedano; e come si debbano dotare, Rub. 29.

ITem statuemo, che nissuna figliola, nepote, pronepote, ò vero abnepote d'alcuna dell'infrascritte persone, della quale successione se trattasse, che altra persona di qualsivoglia sesso, ò vero grado, se sia descendente dalla tale defonta persona per linea feminile, succeda, ò ver succeder possa ab intestato in alcuna cosa a suo padre, madre, avo, avia, proavo, proavia, abavo, abavia, morto, ò vero morta senza testamento, nè anco in detta successione sia udita, agendo, ò vero excipiendo, sopravivendo ad alcuna di dette persone, così senza testamento morto alcuno suo figliolo legitimo, e naturale, ò vero alcuno altro maschio legitimo, e naturale d'inferiore grado descendente per linea mascolina legitima, e naturale dalla prefata persona defonta, della cui successione si trattasse, & essa successione accettar volente, & se la tenuta, ò ver possessione dei beni hereditarii della tale persona defonta, ò vero alcuni beni, ò alcun bene d'essi, ò ver parte d'essi beni havesse essa tenuta, ò ver possessione, lassare, e di metter sia obligato al predetto legitimo successore della tal persona defonta à sua petitione. Hoc intellecto, che tal figliuola, ò vero nepote, & ciascuna altra
12 persona d'inferiore grado descendente dal maschio legitimo e naturale descendente per detta linea mascolina da essa persona defonta, della cui successione si trattasse, se dotata non fosse, se debbia condecentemente dotare de i beni hereditarii della tale defonta persona per il suo successore, considerata la conditione della sua persona, & la qualità, & quantità de i beni dell'heredità predetta, & anco de' detti beni hereditarii, si debba alimentare, fino à tanto sarà maritata, e se le sue doti haverà conseguite con effetto, ò ver se sarà fatta Monaca, e sarà entrata in Monasterio, e che il detto successore ad essa dotar, & alimentar sia tenuto, e possasi, e debbiasi constringer con effetto, & per le predette doti, & alimenti, dopò la morte della prefata defonta persona, & dal tempo della sua morte, & nanti, che sia maritata, tutti li predetti beni hereditarii per vigor, fittione, & autorità del presente Capitolo à tal donna obligati, & hipotecati se intendano, e siano per provisione di testamento, e di altra ultima volontà de tale persona defonta succedano, e succeder possano à lui le predette persone, e ciascuna di loro, & i legati, fideicommissi, & ogni, e ciascuna cosa in tal testamento, & ultima volontà à loro, & à ciscuna di loro fosse lasciato, pigliar, & haver possano, secondo il tenore, e forma d'esso testamento, ò vero ultima volontà, se à loro, & ad esso altro juridico non obsta, con questo inteso, che esse donne, e ciascuna di loro, alle quali, ò alle quale i beni della tal persona defonta così, come di sopra, pervenessero, quelli ad se computi, e computar debbia in detta sua dote, e se alcuna di dette donne dotata fosse da alcuno delle predette persone in sua vita, ò vero per sua ultima volontà, in questo caso tale donna sia, & esser debba contenta, di modo che nissuna cosa oltra detta quantità in la heredità, ò ver dell'heredità di alcuna delle predette persone domandar possa, ò vero haver, se non secondo l'ispressa disposition di tal persona, & si dopo che alcuna delle predette persone sarà maritata, remanerà vedova, possa alla casa dell'herede di tal defonta persona retornare, & illi stare, & d'essi beni hereditarii al modo predetto alimentare se debbia, fino sarà un'altra volta remaritata, ò vero intrarà nel Monasterio, purche i frutti della dote, quali havrà, ò vero alcuni altri suoi beni, quali all'hora havesse, si debbano convertire in dd. alimenti; Ancora volemo noi Statuenti, che se alcuna delle predette persone, della cui successione si trattasse, nella sua ultima volontà alcuna cosa ad alcune di dette donne lassasse per ipsa dotare, e di poi anti, che mora ipsa dotasse, e di poi non revocando detta sua ultima volontà in la predetta parte morisse, detto relitto evanesca, & esser'annullato ipso jure s'intenda, e per non fatto totalmente se habbia, & si sopra le predette cose, ò verò in alcuna delle cose predette nascesse lite, questione, ò controversia, il Giudice, ò vero Podestà, ò il Vicario del Castello di Monte Castello debbia conoscere, procedere diffinitivamente, & esseguire brevemente; & summariamente senza strepito, e figura di giuditio.

Ejusdem Statuti. *Delle successioni ab intestato, Rubr. 30.*

ITem statuemo, che se alcuna persona nel Castello di Monte Castello ab intestato morirà senza figlioli, ò ver non superstite ad se alcuni, ò vero alcuna persona fino in terzo grado nella sua agnatione inclusivè, succeda ad esso il più prossimo della sua agnatione. Hoc intellecto, & declarato, che in detta successione non se habbia, nè haver si debbia distintione, ò vero consideratione, ò ver rispetto, se tale più prossimo sia congiunto à tale defonta persona ex utroque parente, ò vero per linea di ciscuno parente, ò vero da uno, ò ver di uno tanto, purche dalla parte di essa defonta persona, ò vero di sua paterna linea almeno congionto sia; prætereà volemo, che i nepoti del fratello carnale già di tale persona defonta, succedano essa una con loro zio, & con loro fratello della tal persona defonta in stirpe, & non in capite, e la madre già di tal defonta persona in detto caso in la sola ottava parte delli beni di esso già suo figliolo, ò vero figliola succeda, e succeder possa ad essa, e di essa ottava parte, in d. caso essa madre sia, & esser debba contenta, in modo che nissuna cosa più per ragione di successione domandare, ò haver possa dall'heredità predetta; non essendovi la matre succeda eidem ab intestato l'avia già sua paterna in l'ottava parte predetta, & essa matre, & avia non esistenti, similmente succeda ad essa proavia già sua paterna, cioè la madre dell'avo suo paterno. E volemo, che l'avia materna, cioè la madre della madre, e la proavia materna, cioè l'avia della madre di tal defonta persona, ò vero alcuna persona della prole cognatitia già di essa defonta persona, ò vero di suo padre in d. caso à detta successione in nullo modo s'admettano, con questo, che in detta agnatitia prole non s'includa, nè s'intenda includersi alcuna femina, excepto la sorella carnale, ò vero le nepti, cioè la figliola del fratello carnale, e l'amita, cioè la sorella carnale di essa già defonta persona, quale sole, cioè sorella, nepte, & amita in d. prole agnatitia, & in d. numero si comprendano, & comprendersi possano in el caso predetto, & questo in quanto in d. caso à tale defonta persona non superviva alcuno suo fratello carnale legitimo, e naturale nato del fratello carnale già di tal defonta persona, quali fratello, e nepote, ò vero alcuno di loro existenti, e superviventi, ò vero existente, e supervivente, detta sorella, nepte, & amita della tale già defonta persona da detta successione siano repulse, & ad essa successione detto suo fratello, e nepote siano admessi, & admetter si possano, ma se detta madre, & avia, & proavia paterna, ò vero alcuna di esse, quale in d. ottava, secondo l'ordine premesso, succedessero, ò vero succeder potessero, come che detto, non ci fossero, succedano ad tale defonta persona ad essa il più proximo della sua agnatione, come di sopra è detto. Verum se tale persona morirà fatto el testamento, ò vero altra ultima volontà, & in esso testamento, ò vero in essa ultima volontà per qualunque titolo, ragione, ò modo alcuno lassasse à d. sua madre, avia, proavia, in questo caso tale sua madre, avia, e proavia debbano essere contente à detto relicto fattoli, nè altro in detta, ò vero in detta heredità, per ragione di successione domandar possa.

MONTIS FALCHI

Terræ sub Gubernio Umbriæ.

PARTICULA CIII.

Quod nulla Mulier dotata, vel dotanda succedat in bonis paternis, vel maternis.

NUlla mulier dotata; vel dotanda à patre, matre, avo, vel avia, seu fratre, vel quocumque alio, possit succedere ab intestato dotanti, superstito dotanti masculo in eodem gradu, seu aliquo masculo, qui pariter ad successionem veniret ab intestato prædicto dotanti.

MONTIS FALISCI
Civitatis.

PARTICULA CIV.

Quod filia dotata, ſeu neptis non ſuccedat in bonis paternis, vel maternis pag. 48. ter. lib. 2.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod filia, ſeu neptis dotata, vel dotanda à patre, matre, ſeu fratre carnali de bonis paternis, ſive maternis, vel fratris carnalis ex perſona ſua vel matris ipſius neptis, aliquid habuerit, vel perceperit, quod de bonis ipſius matris, avi, vel aviæ, vel alii ipſorum ratione ſucceſſionis ab inteſtato, vel ratione debiti juris naturæ, vel cujuſcumque alterius falcidiæ, amplius aliquid habere, vel petere non poſſit, ſed ſit, & eſſe debeat contenta, & tacita de dote prædicta, & de eo, quod prædicti pater, mater, avus, avia, ſeu frater carnalis dictæ filiæ, ſeu nepti deberent, vel conceſſerint, ſeu reliquerint, nec ejus patri, matri, avo, aviæ, vel fratri carnali, vel alicui ipſorum ſuccedere poſſit, & prædicta locum habeant in præſentibus, præteritis, & futuris, dummodo dos, vel relictum pro dote ad legitimam aſcendat, alias agere poſſit ad ſupplementum, ſecundum formam juris. Addimus huic Capitulo, quod ſi talis filius maſculus ſine filiis decederet, quod tunc, & eo caſu talis fœmina ſic excluſa propter exiſtentiam dicti filii maſculi, reintegretur ad portionem, à qua excluſa extiterat. Et hoc locum habeat, ſi filius maſculus inteſtatus decederet, ſed ſi aliter de bonis diſponere vellet, valeat, & poſſit quibuſcumque non obſtantibus &c.

Ex eodem lib. pag. 61. *Quod in bonis inteſtati ſuccedat linea maſculina.*

ITem ſtatuimus, & ordinamus ad conſervandam ſtirpem antiquam Domus, & bona anteceſſorum, & lineam maſculinam, quod in bonis, & hæreditate inteſtati nulla mulier ſuccedere poſſit, quæ tantummodo habeat, & habere debeat jure naturæ, & ejus legitimæ dotem ſibi conſtituendam ex ipſis, vel aliis bonis, ſecundum qualitatem ponderis, & hæreditatis inteſtati defuncti, & plus petere non poſſit, imò ſemper in bonis, & hæreditate inteſtati ſuccedat, & ſuccedere debeat proximior in gradu conſanguinitatis in bonis paternis, & maternis, ita quod ſemper antiqua ſtirps anteceſſorum manuteneatur, & augeatur per lineam maſculinam digniorem fœminina.

MONTIS FANI
Terræ ſub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA CV.

Quod nulla Mulier dotata poſſit ſuccedere ab inteſtato, ſtantibus filiis maſculis, & decedente uxore, quid lucretur maritus ſupervivens, & de quibus bonis uxor ſepeliri debeat, Rub. 25. lib. 2.

STatuimus, & ordinamus, quod nulla mulier dotata aliquam querimoniam facere poſſit de dote ſua, etiam quod eſſet minor legitima, & intelligatur pro dotata illa mulier, de cujus dote appareret inſtrumentum, vel protocollum notarii à patre, avo paterno, vel materno, à matre, vel avia, quovis fratre paterno, vel avunculo, ſorore, nepote, vel nepte ſua, vel alias legitimè; & non poſſit, vel debeat ſuccedere ipſa, vel filii, aut deſcendentes ab ea ab inteſtato alicui ex prædictis perſonis, ut dictum eſt, & ſi ex eis, vel ab aliqua eorum, vel earum remanſerit aliquis hæres maſculus, filius, vel nepotes maſculi. Sin verò remanſerint fœminæ, collatis ſuis dotibus concurrant, neque in bonis, vel ſupra bonis prædictarum perſonarum, vel alicujus earum aliquid petere, habere, vel poſſidere, ſeu apud ſe retinere poſſint ſine expreſſa voluntate, & diſpoſitione ſupradictarum perſonarum, vel alicujus earum, de qua legitimè appareat, & hoc locum habeat in præſentibus, & futuris. Et quod illi mulieri dotatæ, ut dictum eſt, non liceat redire ad aliquam partem dictæ matris, vel aviæ dotium, ſi ex ea matre, vel avia, maſculus, vel deſcendens ex maſculo remanſerit, ſecus autem ſi ſupervivant fœminæ, quia concurrant, ut ſuprà, conferendo dotem, ſalva ſemper ultima voluntate, vel diſpoſitione matris, vel aviæ prædictæ. Et ſi aliqua mulier fuerit dotata, vel dotem ſuam receperit de bonis communibus, quæ habeat cum fratribus carnalibus, vel eorum filiis, non poſſit ipſa, vel ejus hæres de cætero petere, vel habere, ſeu venire ad ſucceſſionem, diviſionem, vel comunionem aliquam bonorum, & rerum comunium prædictorum, vel alicujus eorum, vel prædictorum filiorum maſculorum, ſalva ſemper in hoc teſtamentaria, vel ultima voluntate, ſeu diſpoſitione prædictorum fratrum, vel fratris. Et ſi filiæ prædictæ, vel aliqua ipſarum vidua remanſerit, poſſit in domum paternam redire, dotem ſuam reportando, nec expelli poſſit, ſeu poſſint ab hæredibus patris, ſub pœna mille denariorum pro quolibet hærede contrafaciente, & nihilominus ſtare poſſint, & debeant, dummodo ſecum non conduxerint filios ex ſuo marito. Et ſi contigerit filiam, vel filias indotatas remanere culpa dotantis, vel providentis validam hypothecationem, poſſint, & dotari debeant competenter, & juxta domus conditionem, & arbitrio D. Poteſtatis, trium conſanguineorum, & trium affinium à remanentibus fratribus, vel eorum filiis maſculis tantum, non autem neptibus, ſeu filiabus fœminis fratrum, ſed cum ipſis communiter ſuccedant, dotes tantum habitas conferendo cum prædictis neptibus. Et pro dotibus, declarando hoc ſtatuto, & ordinamento concedimus exequutionem abſque alia tela judiciaria. Et duod ſi qua uxor alterius moreretur ſine filiis, vel filiabus, propter mortem illius maritus lucretur tertiam partem dotis totius, omni exceptione remota, etiam dotis promiſſæ, & non ſolutæ; de aliis verò duobus tertiis ad ſui voluntatem uxor ipſa diſponere valeat. Volumus quoque, ac ordinamus, quod dos mulieris hæredi reſtituatur intra annum à morte uxoris computan. abſque alia hæredis mulieris interpellatione, quo elapſo, & dote non reſtituta, d. maritus nihil lucretur, ſed integram reſtituere, abſque ulla diminutione, teneatur. Expenſæ verò ſepulturæ, & alia funeralia æqualiter fiant per maritum de lucrato medietatis, & uxoris hæredes in alia dotis medietate ſuccedentes. Expenſæ verò factæ pro Uxoris infirmitate ab ipſo Viro, nullo modo à Viro repetantur, nec ab ejus hærede, & ſucceſſore quovis modo. Volumus autem, quod filiæ, quæ innuptæ remanſerint, donec nuptui tradantur, ab ipſis fratribus ſemper alantur, & eiſdem de omnibus neceſſariis provideantur, & tempore, quo nuptui traduntur, vel poſtquam Mariti domum iverint, fratribus, & eorum filiis maſculis, vel patri, & matri renunciare teneantur omnia bona paterna, & materna in menſem, quo termino elapſo, quatenus factæ fuerint dotatæ, ut ſupra, ſi non fecerint, pro legitimè facta habeatur dictorum bonorum renunciatio, & quietatio, vigore præſentis Statuti, nec dicta renunciatio noceat, non remanentibus filiis maſculis, vel nepotibus ex ipſarum patribus, & ſimiliter non remanentibus ex ipſarum fratribus filiis, & nepotibus maſculis in præteritis, præſentibus, & futuris, volentes renunciationem haberi pro non facta, ſi maſculi deficient, etiam quod eſſet inſtrumentum celebratum, & juramento firmatum.

MONTIS FILATRANI
Terræ ſub Gubernio Marchiæ.

PARTICULA CVI.

De Muliere dotata Rubr. 39. lib. 2.

HAc noſtra ſanctione firmiter ſtatuimus, & ordinamus quod mulier dotata, ſeu cui dos relicta foret ab aliquo aſcendentium, ſeu à fratre carnali, conſanguineo, vel utrinque conjuncto, ei eam dotanti, ſeu dotem relinquenti ab inteſtato non ſuccedat, ſed ſua ſit dote contenta, ſi ex aſcendente dotante ſuperſit filius maſculus, ſeu nepos, vel pronepos ex filio maſculo, vel frater carnalis conſanguineus, ſeu utrinque conjunctus ex ipſo aſcendente, vel fratre dotante, ſeu frater carnalis conſanguineus; Quæ dos, mortuo dotante, in dotatam conſolidetur; Et ipſius dotatæ libera fiat, ſtipulatione, pacto, conventione de dote reſtituenda, & aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Si verò cum fratribus poſt mortem aſcendentium mulier remanſerit, & dotata non fuerit, ſeu ei dos relicta non ſit per ipſos aſcendentes, ſeu alterum eorum, ad cujus ſucceſſionem, unà cum fratre, vel fratribus ipſa mulier vocaretur, frater, ſeu fratres ipſam dotare idoneè ſecundum facultates eorum, & ſecundum qualitatem perſonarum teneantur; Et ſemper frater, ſeu fratres

tres convenienter puellam interim, antequam nubat, nutrire, alereque teneantur, & in dote danda non poſſit apponi aliquod onus, & appoſitum non teneat circa dotem reſtituendam, vel aliter. Sed libera ſit, & eſſe intelligatur dos ipſius dotatæ, conventione, ſtipulatione, & aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Idem in filia, & nepte ex fratre, ſeu fratribus præmortuis ante mortem aſcendentibus, & de cujus bonis agitur, & reliquis ſuccedentibus ex ſorore, ſeu ſororibus præmortuis maſculis, ſeu fœminis ad ſucceſſionem aſcendentis, ſeu aſcendentium, unà cum fratre, vel fratribus ab inteſtato venientibus. Maſculi tamen ex ſorore, vel ſororibus deſcendentibus, ea ſint portione contenti, quaſi forent fœminæ dotandæ. Ubi autem de qualitate, & quantitate dotis dandæ, vel aſſignandæ contentio oriretur, declarationi duorum proximiorum Conſanguineorum utriuſque partis, (ſi extent) vel duorum communium amicorum declarationi ſtetur. Ad quam faciendam ad inſtantiam cujuslibet partis per Poteſtatem infra triduum compellatur pœna decem librarum denariorum; Quæ locum habere dumtaxat volumus in ſucceſſionibus in futurum deferendis, non autem in præteritis, vel pendentibus.

MONTIS FLORIS

Terræ ſub Legatione Romandiolæ.

PARTICULA CVII.

Quod fœminæ dotatæ ſtantibus maſculis non ſuccedant aſcendentibus, tam ex parte patris, quam matris Rub. 51. lib. 2.

STatutum, & ordinatum eſt gratia Domus, & Familiæ conſervandæ, quod fœminę dotatæ decedentibus aſcendentibus, ſuperſtitibus filiis maſculis, nullo modo eis ſuccedant, niſi dumtaxat quatenus de ipſorum aſcendentium prævenientium præceſſerit voluntas. Si verò non eſſent dotatæ; nec ab aſcendentibus prædictis aliter inſtitutæ, tunc tantum dotem poſſint petere, & conſequi, ſecundum qualitatem patrimonii, & conditionem perſonarum, & conſuetudinem Patris familias præteriti temporis, ſeu domus, non obſtantibus ſtatutis, vel juribus huic ſtatuto in contrarium facien. ſeu loquen. niſi poſt mortem prædictorum filiorum maſculorum, qui hæreditatem aſcendentium non adiviſſent, remanerent ſolummodo filiæ fœminæ, tunc cum dd. filiabus ſic remanentibus concurrant in ſucceſſione omnium bonorum aſcendentium prædictor. dictæ primæ filiæ, ut ſuprà, dotatę, pro portione eis tangente in dd. bonis aſcendentium, quemadmodum cum eorum filiis ſucceſſiſſent, & quaſi hujuſmodi proviſio facta non fuiſſet.

MONTIS GEORGII

Terræ ſub Gubernio Marchiæ.

PARTICULA CVIII.

De ſucceſſionibus ab inteſtato, & legitima filiorum Rubr. 68.

PRo agnatione conſervanda, ordinamus, quod ſi quis, vel ſi qua ab inteſtato deceſſerit, ſuperſtitibus ei filio, vel filiis maſculis natis, vel in utero exiſtentibus, vel deſcendentibus maſculis ex eis legitimis, & naturalibus, & bonorum capacibus, tunc, & eo caſu prædicti filii maſculi, & maſculi deſcendentes ex eis, ſalva gradus prærogativa, in hæreditate, ſic ut ſupra morientis, ſuccedere debeant, ſalvo inter eos jure ſubintrandi in partes, & loca parentum prædefunctorum in ſtirpem, ſecundum juris communis diſpoſitionem; prædictis autem maſculis, aut ex eis natis non exiſtentibus, vel remanentibus, prima cauſa ſucceſſionis ſit Patris illius legitimi, & naturalis, & ſi unà cum patre extarent fratres germani utrimque conjuncti, tunc inſimul pater, & fratres pro æquali portione ſuccedant: Patre verò non extante, avus paternus, & cæteri aſcendentes per dictam lineam maſculinam ſuccedant, etſi unà cum avo paterno ſuperviverent fratres utrinque conjuncti, tunc æqualiter ſuccedant, ut ſupra: Deficientibus autem præfatis aſcendentibus, tunc agnati maſculi uſque in ſecundum gradum, ſecundum jus Canonicum computandum, in hæreditate ſuccedere debeant ſucceſſivè, & gradatim, ſecundum Jus commune, repetitis ſemper in quolibet gradu, & in qualibet perſona maſculinitatis, legitimitatis, naturalitatis, & capacitatis qualitatibus, excluſis, & remotis omni. nò ipſius defuncti filiabus, nepotibus, ſororibus, & aliis omnibus fœminini ſexus ſub quovis nomine vocatis, & omnibus ex eis deſcendentibus maſculis, vel fœminis dotatis, vel non dotatis. Volentes quod dotatæ, vel quibus dotes promiſſæ, relictæ, vel quovis alio modo conſtitutæ, ſint dictis dotibus contentæ, in tantum quod amplius nunquam jure ſucceſſionis, neque jure legitimæ, vel ſupplementi legitimæ, vel jure incongruæ dotis ſibi datæ, de bonis dotantis, vel non dotantis, quovis alio modo, vel cauſa aliquid petere poſſit; ſi verò non fuerint dotatæ, dotentur condecenter arbitrio noſtrorum Priorum, & duorum proximiorum agnatorum, vel cognatorum in defectu, attenta facultate, & perſonarum qualitate, & donec dotentur, vel nuptui tradantur, alantur à dotare debente. Deficientibus verò deſcendentibus maſculis, & aſcendentibus, & agnatis præfatis, tunc filiæ fœminæ, & ex eis deſcendentes maſculi, vel fœminæ ſucceſſivè, & gradatim ſuccedant, quibus deficientibus, ſuccedat mater ipſius morientis, qua non extante, ſuccedat avus maternus, vel alii deſcendentes ex eis, & cæteri agnati, ultra ſecundum gradum, ut ſupra computandum; videlicet Avus, vel alii aſcendentes ex linea materna in bonis provenientibus ex dicta linea, & agnati in bonis provenientibus ex latere paterno; matre autem, & cæteris aſcendentibus ex ejus linea deficientibus, cognati vocentur, & ipſis deficientibus cognati ordine ſucceſſivo. In hæreditate materna inſuper volumus, etiam ſtantibus filiis maſculis, vel ex eis maſculis, filias fœminas, & ex eis natas ab ejus hæreditate omninò excludi, quibus deficientibus fœminæ, vel ex eis nati, vel natæ ſuccedant. Adiicientes matrem excluſam à deſcendentibus, vel aſcendentibus, volumus habere dimidiam legitimæ, ſibi de jure naturæ debitæ, excluſa autem ab aliis agnatis integram legitimam conſequatur; quibuſcumque in contrarium non obſtantibus; legitima autem ſit ſexta pars totius hæreditatis, ſi filiæ, vel quibus debetur, ſint quatuor; vel infra; ſi autem à quatuor ſupra; ſit tertia pars, extrahenda de ſingulis bonis hæreditariis diviſionem patientibus, &c.

MONTIS GRANARII

Terræ ſub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA CIX.

Quod ſtantibus maſculis, vel nepotibus, vel aliis ex eis deſcendentibus maſculis, filiæ, & aliæ fœminæ non ſuccedant Rubr. 59.

STatuimus, & ordinamus, quod mulier dotata à patre, vel matre, avo, vel avia, paternis, vel maternis, vel fratribus carnalibus, conjunctim, vel diviſim, vel ab aliquo alio quocumque, & deſcendentes ab ipſa tali muliere non admittantur ad ſucceſſionem ab inteſtato patris, vel matris, avi, vel aviæ, & aliorum ſupradictorum, nec ad ipſorum, vel alterius eorum bona redeant, vel redire valeant, vel ſuccedere ab inteſtato, donec extiterint, qui eam dotaverint; & ſtantibus filiis maſculis, vel nepotibus legitimis, & naturalibus ex dictis filiis, aut aliis deinceps maſculis per maſculinam lineam deſcendentibus ex eiſdem. Qui ipſis ſolum ſuccedant, dictis fœminis, aut aliis ex eis deſcendentibus excluſis. Idem decernimus de nepte, & pronepote ex filio, vel nepote, & aliis deinceps fœminis deſcendentibus, dummodo ipſæ fœminæ congruè, & competenter dotatæ fuerint de bonis alicujus ex prędictis, de quorum ſucceſſione dicuntur excluſæ. Si verò mulier dotata non eſſet, volumus, quod in bonis paternis, maternis, vel avitis, ſtantibus filiis, vel nepotibus maſculis prædictis, aut aliis, ut ſupra deſcendentibus ex eis, filiæ, vel nepotes non ſuccedant, ſed filii maſculi, vel nepotes extantes teneantur, & debeant talem filiam, & neptem de bonis paternis, maternis, vel avitis, ſecundum facultatem bonorum, ſeu patrimonii, & perſonæ conditionem, ipſam dotare, ad ipſamque dotandam compellantur omninò. Deficientibus verò filiis, ſeu nepotibus, aut pronepotibus maſculis prędictis per maſculinam lineam deſcendentibus, filiæ, neptes, & proneptes ad ſucceſſionem defunctorum prædictorum admittantur omninò, ſive dotata fuerit, ſive non, & prædicta locum habeant non ſolum in præſentibus, & in futuris, ſed etiam in præteritis, ſententia, tranſactione, vel

præſcriptione non deciſis, aut aliter legitimè non finitis, lege aliqua Canonica, vel Civili non obſtan. cui volumus per præſens Statutum fore expreſsè derogatum, ac ſi de ipſa lege eſſet facta mentio ſpecialis.

MONTIS LEONIS

Terræ ſub Præfectura Nurſiæ.

PARTICULA CX.

Che le donne dotate dal padre, madre, avo, ava, ſiano contente delle loro doti Rubr. 57.

STatuimo, & ordiniamo, che le Donne dotate congruamente dal padre, ò modre, avo, avia, ò fratello carnale, ſiano contente eſſe, e loro heredi delle doti loro, e non ſi amettano à ſucceſſione di eſſo Padre, e Madre, avo, ava, ò fratello carnale, ſe l'altro, ò altri fratelli carnali ſarà, ò ſaranno vivi, e queſto habbia luogo, quando non è fatto il teſtamento; con queſto ſe è vivo alcuno della linea maſculina delli deſcendenti, & all' hora li beni, tanto paterni, quanto materni devengano alli detti heredi maſculini, ma ſe ſaranno vive le figliole femine, tanto le dotate, quanto le non dotate inſieme ſuccedano, con queſto ſe le dotate vorranno ſuccedere, ſiano tenute le loro doti conferire, e rimiſticare inſieme, altrimenti à d. ſucceſſione non s'ammettano, e che non poſſano ſuccedere eſſe donne dotate nelli beni del padre, e madre, avo, ò ava, fratello carnale, ò ſorella carnale, ſtanti, ò ſopraviventi detti fratelli carnali, uno, ò più, benche non ſiano dotate da eſſo padre, madre, avo, ò ava, fratello, ò ſorella carnale, ma foſſero dotate da altri, che dalli predetti, e che non poſſano ſuccedere ab inteſtato, cioè ſenza teſtamento nelli beni d'alcuni delli predetti, dotate eſſe, ma ſiano contente delle loro doti. Ma quando non ſopraviva alcuno della linea maſcolina delli deſcendenti di quello, ò quella, cioè padre, madre, avo, ò ava, fratello carnale, ò ſorella carnale, dell' heredità del quale, ò della quale ſi trattaſſe, all' hora le donne dotate, ò vero li loro heredi à ſucceſſione ſenza teſtamento s'ammettano per la metà dell' heredità predetta, e beni della quale heredità ſi trattaſſe, e per l'altra metà della d. heredità, e beni, s'ammetta, e ſucceda il parente, uno, ò più ſopravivente, più propinquo del d. morto, ò morta della linea conſanguinea per fino in terzo grado della parentela incluſivamente, ſempre il grado ſecondo la ragion canonica da computarſi; ma non ſopravivendo alcun parente di eſſo morto, ò morta, per fino in d. grado, all' hora ſi ammettano à ſucceſſione di eſſo morto, o morta le dette donne, e li loro heredi in tutta l' heredità predetta. Dichiarando eſpreſſamente, che al d. terzo grado in sù, tanto da canto di maſchio, quanto dalla femina moriente ſenza teſtamento, come è detto, il parente ſopravivente, uno, o più, attinenti à eſſo morto, o morta, dal d. terzo grado in sù eſcluſivamente, nelli predetti caſi, e ciaſcuno di eſſi ſopraviventi le dette donne, una, ò più, à ſucceſſione alcuna, e per alcun modo non s'ammettano, nè ſucceder poſſano, ma s'ammettano, e ſuccedano le d. donne ſopraviventi, e li loro heredi, come di ſopra ſi fà mentione; e queſto habbia luogo in futuro tempo, e non nel paſſato. Aggiungendo alle predette coſe, che ſe alcuno teſtamento, ò altra ultima volontà foſſe fatta, e fatto, nel quale appareſſe alcuno laſſito eſſer fatto alla figliola, ò nepote per le ſue dote, & il maſchio, che ſopravive, figliolo, & herede nel d. Teſtamento del padre, ò avo ſarà inſtituto, eſſo teſtamento vaglia, e tenga, non oſtante che nel d. laſſito non ſia inſtituita herede, e che più nelli beni del d. Teſtamento non poſſa domandare. Dichiarando più eſpreſſamente, che ſopravivendo alcuno della linea maſcolina delli deſcendenti di quello, ò quelle dell' heredità cui ſi trovaſſe all' hora, & in queſto caſo le ſopradette donne, ò vero, che ſiano dotate, ò non dotate, non poſſano domandare, nè havere, ſe non ſolamente una ſola dote, conveniente à lei, conſtituita, ò da coſtituirſi, & altramente à ſucceſſione alcuna non ſi ammettano, etiam per la legitima, nè per ſupplimento della legitima, nè per altra cagione, eceto ſe tal maſchio, ò femina dell' heredità della quale ſi trattaſſe, moriſſe ſenza figlioli legitimi; e naturali del ſuo corpo deſcendenti, e per quelli, che come di ſopra, à eſſi foſſero ſucceſſi ſimilmente moriſſero ſenza figlioli maſchi deſcendenti, che all' hora, & in queſto caſo per la preſente legge non ſi pregiudichi alla d. donna dotata, nè alli ſuoi heredi in quello, che eſſa donna dotata nelli predetti caſi, ò alcuno di eſſi foſſe ſtata privata, ma li ſuoi heredi lo poſſano dimandare all' hora, e conſeguire, purche à tal tempi eſſi beni, tutti, ò parte ſe ſiano, ò non ſiano ſtati per alcun modo in fraude alienati dalli predetti, ò alcuno di eſſi, che come di ſopra al principio ſuccedettero, non oſtante qualunque ſtatuto, ò legge in contrario parlaſſero, e non oſtante qualunque renunciatione, donatione, ò ceſſione fatta per eſſa donna, e giuramento vallata, e nel preſente ſtatuto, & in qualunque altro dove ſi tratta di ſucceſſione delli beni, & heredità di alcuno, ò alcuna, facendo mentione delli parenti, s'intenda, & habbia luogo, e prevagliano ſolamente li parenti da canto del ceppo della caſa del morto, ò morta, della cui heredità ſi trattaſſe, tali parenti del ceppo ſe all' hora ci ſono.

MONTIS MILONIS

Terræ ſub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA CXI.

Quod filiæ, ſeu neptes dotatæ non veniant ad ſucceſſionem Rubr. 26. lib. 2.

HOc edicto decernimus, & firmiter ordinamus, quod filiæ, neptes, & deinceps ſingulæ mulieres deſcendentes dotatæ, ſeu nuptæ de bonis patris, matris, avi paterni, vel materni, & ſimilium deinceps aſcendentium, vel alicujus eorum, vel ipſarum mulierum nuptarum, ſeu dotatarum, filii, vel filiæ ex ipſis mulieribus deſcendentes nullo modo poſſint ad bona maritantis, ſeu dotantis parentis, ſeu aſcendentis decedentis ab inteſtato, ultra ſibi datam, promiſſam, vel relictam dotem, aliquem habere ab inteſtato regreſſum, ſeu recurſum ad ſucceſſionem ab inteſtato, venire in totum, vel in partem bonorum, ſeu hæreditatis parentis, ſeu aſcendentis dotantis, ſeu nuptui tradentis. Siquidem ex ipſo patre, matre, vel ſimili parente, & aſcendente dotante, vel maritante exiſterent, vel ſupervixerint filii, vel nepotes ex filio maſculo, aut pronepotes, & deinceps ſeu ex uno, vel etiam pluribus. Et intelligatur talis deſcendens mulier dotata, ſeu maritata de bonis hujuſmodi aſcendentis parentis, & ab ipſo, ſi dos pro ea, vel matrimonio contracto, vel contrahendo cum ea extiterit data, promiſſa, conventa, vel in ultima voluntate relicta, ſeu legata, & quibuſcumque modis, vel verbis policita, vel numerata, ſive in quantitate, ſive in ſpecie talis dos conſtiterit, vel fuerit conſtituta, & in quacumque, vel in quantacumque quantitate, vel ſpecie. Nec ad talem ab inteſtato ſucceſſionem tales dotatæ mulieres, vel aliqua ipſarum, aliquatenus audiantur, vel admittantur, ſed potius repellantur, & eſſe, & ſtare contentæ tali dote eis, vel alteri earum promiſſa, data, vel relicta, modis omnibus compellantur, & teneantur preciſè vigore præſentis ordinamenti, non obſtante, quod eis, vel alteri earum deficerent, & minus adeſſet in legitima portione jure naturæ debita. Quæ quidem portio in tali caſu ex ipſa dote data, promiſſa, vel relicta, ea ex præſenti lege ipſo jure, & facto intelligatur, habeatur, & præſumatur, perfecta, plena, & omni ſupplemento completa, nec aliud ſupplementum, vel augmentum agi poſſit ob ſupra dictam dotem, ſed ipſa dote, ut dictum eſt tales mulieres teneantur, & debeant eſſe contentæ, jure contrario non obſtante. Et nulla talis mulier audeat, vel poſſit contra prædicta agere, impugnare, vel jus prætendere, & ſi ſecus fecerit, non audiatur, & ipſo facto à jure ſuo cadat, & cecidiſſe intelligatur, & nihilominus in libris quingentis denariorum uſualium puniatur. Ubi verò tali parenti, vel aſcendenti dotanti, vel maritanti, ſeu dotem promittenti, vel, ut dictum eſt, relinquenti ab inteſtato decedenti non ſuperfuerit maſculus, vel ex filio maſculo nepos, & deinceps, ſed tantum aliqua filia, vel neptis maritata, vel non, tunc aliæ maritatæ filiæ, vel etiam dotatæ, poſſint, & debeant ab inteſtato ſucceſſionem unà cum aliis filiabus, vel neptibus obtinere, & ei ab inteſtato ſuccedere unà cum aliis coheredibus, ſalvo ſemper legitimo teſtamento, vel alia ultima voluntate patris, vel matris, & ſimilis parentis, ſeu aſcendentis. Si quidem aliis legitimis modis providerit, dote data, vel promiſſa non obſtante. Et prædicta omnia, & ſingula locum habeant, & obſervari debeant in præſentibus, & futuris.

Ejuſ-

Ejuſdem Statuti. *Quod agnati maſculi præferantur cognatis, & fœminis in ſucceſſionibus ab inteſtato morientium propriè, vel impropriè Rub.40. lib.2.*

QUoniam plerumque homines morte præventi, vel alio caſu ſuorum bonorum, & hæreditatis diſpoſitionem, & ordinationem facere nequeunt; idcircò communi hominum decedentium voluntati adhærentes, hac perpetua lege in favorem agnationis ædita, decernimus, & ordinamus, quod extantibus, ſeu ſuperviventibus agnatis maſculis, uno, vel pluribus uſque in tertium gradum inclusivè computandum de jure civili, alicui perſonæ morienti ab inteſtato propriè, vel impropriè, ſive ſint dicti agnati ſupervenientes, unus, vel plures de linea aſcendentium, ſive deſcendentium, ſive tranſverſalium, vel de qualibet ipſarum fœminæ, una, vel plures cujuſcumque gradus, proximitatis, & conditionis, & omnes cognati maſculi, vel fœminæ, unus, ſeu una, vel plures ſimiliter cujuſcumque gradus; proximitatis, & conditionis, ſive ſint dictæ perſonæ de linea aſcendentium, & tranſverſalium deſcendentes maſculi, uel fœminæ, unus, ſeu una, vel plures eidem ſic decedenti ab inteſtato propriè, vel impropriè non ſuccedant, nec ſuccedere quoquo modo poſſint, aut ad ejus ſucceſſionem venire, ſed penitus auctoritate præſentis ordinamenti prædictæ perſonæ, una, vel plures, & quælibet earum intelligantur, & ſint ipſo jure perpetuò excluſæ à jure ſuccedendi dicto ſic morienti ab inteſtato, & ipſi ſoli ſuperviventes agnati, unus, vel plures ſecundum gradus prærogativam admittantur ad hujuſmodi morientis ab inteſtato ſucceſſionem, & ſuccedere poſſint, ac debeant, dummodo velint omnes, vel alter eorum, alias jus commune ſervetur, aliquo jure prædictis, vel alicui eorum contrario non obſtante. Excipimus tamen à prædictis, & quolibet ipſorum, quod ubicumque alias de jure communi ſecundum caſum occurrentem alicui perſonæ de prædictis, ut ſupra, excluſis ad minus deberetur legitima integra in bonis, & hæreditate ſic morientis ab inteſtato, nec poſſet dicta perſona ea legitima ab ipſo moriente aliquo quæſito colore privari, etiam per expreſſam voluntatem in ſolemni Teſtamento declaratam, quod eo caſu dicta talis perſona uſque ad legitimam tantum inclusivè, & non ad plus, admittantur ad ſucceſſionem perſonæ ſic decedentis ab inteſtato propriè, vel impropriè unà cum dictis agnatis, vel ipſorum altero. Per prædicta tamen, vel aliquod prædictorum non intendimus derogare caſibus comprehenſis in ſtatuto ſuprapoſito ſub Rub. *Quod filiæ, ſeu neptes &c.* uſque ad verſiculum: *ubi verò tali parenti*; quinimò volumus dictum ſtatutum in dictis caſibus, & quolibet eorum in viridi obſervantia permanere, & præſenti ordinamento anteferri. Et ne noſtra lex aliquid diſſonum æquitati videatur continere; ſtatuimus, quod in ſucceſſione ſororis morientis ab inteſtato propriè, vel impropriè, quantum ad fratrem, ſeu fratres, & cujuslibet eorum deſcendentes maſculos, & in ſucceſſione filiæ fratris ſic morientis, ut ſupra, quantum ad patruum, ſeu patruos, & cujuslibet eorum deſcendentes maſculos jura communia obſerventur, præmiſſis non obſtantibus. Huic etiam legi, præmiſſa limitantes, addenda fore cenſuimus, quod ſi contingeret aliquem mori ab inteſtato, ſuperſtitibus ex ſe, & ex ſuis deſcendentibus maſculis, vel ex altero tribus fœminis legitimis, vel pluribus, & nullo agnato, ſeu agnatis maſculis de linea aſcendentium, vel deſcendentium, ſed tamen tranſverſalium infra tertium gradum, ut ſupra, quod dictæ fœminæ admittantur ad ſucceſſionem ſic morientis ab inteſtato, & ei ſuccedere poſſint pro virilibus portionibus, unà cum ſuperſtite agnato, vel agnatis, ſi ipſæ velint, & hanc viam elegerint, præmiſſis huic caſui nō obſtantibus; & nulla perſona de ſupradictis excluſis à jure ſuccedendi decedentibus ab inteſtato in totum, vel in partem audeat, vel vel poſſit contra prædicta, vel aliquod prædictorum agere, impugnare, vel jus prætendere, & ſi ſecus fecerit, non audiatur, & ipſo facto à jure ſuo cadat, & cecidiſſe intelligatur, auctoritate præſentis Statuti, & nihilominus in libris quingentis denariorum puniatur. Præſens autem ordinamentum ſit præciſum, truncum, & immutabile.

MONTIS NOVI
Terræ ſub Gubernio Marchiæ.

PARTICULA CXII.

Quod filiæ dotatæ ſtent contentæ, & non poſſint ad bona paterna, & materna habere regreſſum Rubr. 23. lib. 2.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod nulla mulier, poſtquam fuerit dotata, ſuperexiſtentibus fratribus maſculis, & legitimis poſt mortem parentum decedentium ab inteſtato, poſſit, vel debeat, ſeu poſſit redire ad bona paterna, ſed ſit contenta de dote ſibi conceſſa per parentes ipſarum, etiam ſi velit conferre dotes ſuas, ſed ſit omninò excluſa ab omni petitione hæreditatis, & ab omni juris uſu, & occaſione, vel quam ipſa, vel aliqua ipſarum habere poſſit de bonis ipſorum parentum, nullo alio jure obſtante, vel contradicente. Si autem parentes eidem in teſtamento aliquid reliquerint, quod poſſit capere, vel apprehendere, vel habere.

Ejuſdem Statuti. *De filiis, & filiabus inſimul remanentibus poſt mortem patris Rubr. 24.*

FIliis, & filiabus, patre, vel matre inteſtato, vel inteſtata decedente, ſtatuimus, & ordinamus, quod fratres carnales teneantur dotare dote idonea, inſpecta qualitate perſonarum, & quantitate patrimonii cum conſenſu duorum proximiorum conſanguineorum, vel affinium, deficientibus conſanguineis; quibus dotibus ipſæ ſorores, vel alia ipſarum teneantur ſtare contentæ, & ultra petere non poſſint de bonis patris, vel matris, imò fratres maſculi, & deſcendentes maſculi ex dictis maſculis hæredes integrè exiſtant, lege aliqua non obſtante; quod Statutum locum habeat in præſentibus, præteritis, & futuris.

MONTIS SANCTI
Terræ ſub Gubernio Marchiæ.

PARTICULA CXIII.

Quod filiæ, ſeu neptes dotatæ non veniant ad ſucceſſionem Cap. 27. lib. 2.

HOc *Statutum eſt idem, ac illud Montis Milonis, unde vide ſupra particula* III.

MONTIS S. MARTINI
Terræ ſub Gubernio Marchiæ.

PARTICULA CXIV.

Mulier qualiter non ſuccedat ab inteſtato Cap. 22.

STatuimus, & ordinamus, quod mulier dotata à patre, matre, fratre, avo, vel avia, vel à quacumque alia perſona nupta, vel non nupta non poſſit, nec valeat petere, habere, vel retinere ullam hæreditatem, ſeu partem bonorum ſupradicti patris, matris, fratris, avi, vel aviæ, vel ſororis occaſione alicujus ſucceſſionis, vel legitimæ, falcidiæ, trebellianicæ, vel hæreditatis, vel alia ratione, nec alicujus prædictorum dotantium, vel non dotantium aliis filiis maſculis uno, vel pluribus nepotibus, vel pronepotibus ex parte filiorum maſculorum deſcendentibus, vel etiam fratribus carnalibus ipſius decedentis hæredibus decedentibus, ex teſtamento ejus, de cujus hæreditate tractatur, & idem dicimus, & obſervari volumus ſi ſupradictæ perſonæ, vel aliqua ipſarum decederet inteſtata, vel inteſtata remanentibus filiis maſculis uno, vel pluribus nepotibus, vel pronepotibus ex parte filiorum maſculorum deſcendentibus, vel etiam fratribus carnalibus ipſius decedentis, de cujus ſucceſſione tractetur, quibus caſibus omnibus dictam mulierem dotatam à ſucceſſione ab inteſtato prædictorum decedentium penitus volumus excludi, & etiam ſi remaneret ab inteſtato una mulier, uel plures exiſtente maſculo uno, uel pluribus fratribus carnalibus ipſius mulieris.

MONTIS S. PETRI
Terræ ſub Gubernio Maceratæ.
PARTICULA CXV.

STatuimus, & ordinamus, quod ſi quæ mulier fuerit dotata à patre, vel à fratre non admittatur ad ſucceſſionem in bonis paternis, ſeu aliquam quæſtionem inferre, vel movere poſſit, ſeu valeat aliquo quæſito colore in bonis paternis, filiis maſculis exiſtentibus, vel nepotibus ex filiis, ſeu nepotibus ex filiis. Et ſi qua lite, quæ inferretur, vel moveretur per Rectorem non audiatur, & nihilominus in libris decem denariorum condemnetur; ſalvo quod ſi propinquiores mulieris non haberent filios legitimos, & naturales, quod poſſit eis ſuccedere, & tunc, & eo caſu liceat mulieribus petere, hæreditatem adire, & ſi alias ad mulieres dotatas ipſa bona poterant pervenire perſimile ſtatutum eis non præjudicet, alias in dote ſua perſiſtat, ut ſuperius dictum eſt, & expreſſum. Et ſalvo quod ſi mulier dotata ad inopiam pervenerit, ita quod non haberet, unde viveret, quod tunc ab ipſa bona paterna recurſum habere poſſit, & valeat pro ſua vita, & neceſſitate, juxta ipſorum facultatem.

MONTIS SCUDOLI
Terræ ſub Legatione Romandiolæ.
PARTICULA CXVI.

IMitantes quod communiter per Italiam obſervatur pro communi, & publico bono, & ad conſervationem familiarum, & ipſorum Domus, quorum honor, & dignitas per maſculos conſervatur, Statuimus, & ordinamus, quod filiæ fœminæ, & ex eis deſcendentes per lineam fœmininam ad ſucceſſionem patris, & aliorum aſcendentium per lineam paternam ab inteſtato defunctorum non admittantur exiſtentibus filis maſculis, vel nepotibus per lineam maſculinam deſcendentibus ex eiſdem, quibus ipſi ſoli maſculi ſuccedant, dummodo ipſæ fœminæ congruenter, & competenter dotatæ fuerint, aut dotentur de bonis Parentum prædictorum, à quorum ſucceſſione dicantur excluſæ, ſecundum facultatem patrimonii, quantitatem, & qualitatem bonorum, & conditionis dotantis, & conſuetudinem ſuæ domus; ſed de prædictis dotibus debeant ſtare tacitæ, & contentæ, & ſecundum dictam facultatem, conditionem, & conſuetudinem dicantur congruè; & competenter dotatæ, ut ulterius aliquid etiam pro ſupplemento legitimæ petere non poſſint, aut petendo non admittantur, ut prædicta, quia non poſſint agere ad ſupplementum legitimæ, vindicent ſibi locum ne dum in cauſa inteſtati, ſed etiam in cauſa teſtati, ubi relictæ fuerint dotes prædictæ uſque ad conſuetudinem facultatum, & conditionem, ſive legati, ſive jure inſtitutionis. Adeòque dummodo competenter dotatæ fuerint, aut dotentur, ut ſupra, ſive ex teſtamento, ubi non fuiſſet legata, ſeu relicta legitima, ſive ab inteſtato petendo aliquid pro ſupplemento, ſeu legitima non admittantur, ut prædicta omnia vindicent ſibi locum in præſentibus, futuris, & etiam præteritis, ſententia, tranſactione, ſeu præſcriptione deciſis, aut aliter legitimè definitis, &c.

MONTIS ULMI
Terræ ſub Gubernio Marchiæ.
PARTICULA CXVII.

Quod filiæ, ſeu neptes dotatæ, non veniant ad ſucceſſionem Rubr. 26.

HOc Edicto decernimus, & firmiter ordinamus, quod filiæ, neptes, & deinceps ſingulæ mulieres deſcendentes dotatæ, ſeu nuptæ de bonis patris, matris, avi paterni, vel materni, & ſimilium deinceps deſcendentium, vel alicujus eorum, aut ipſarum mulierum, nuptarum, ſeu dotararum filiæ, vel filiæ ex ipſis mulieribus deſcendentes nullo modo poſſint ad bona maritantis, ſeu dotantis parentis aſcendentis ab inteſtato, ultra ſibi datam, promiſſam, vel relictam, aliquem habere regreſſum, vel recurſum ad eorum hæredes, vel ſucceſſores, vel venire in totum, vel in partem bonorum hæreditatis Parentis, ſeu Aſcendentis dotantis, ſeu nuptui tradentis, ſi ex ipſo patre, vel matre, vel ſimili parente, vel aſcendente dotante, vel maritante extiterint, vel ſupervixerint filii, vel nepotes ex filio maſculo, aut pronepotes ex uno, vel ex pluribus, & intelligatur talis deſcendens mulier dotata de bonis hujuſmodi aſcendentis, vel parentis, ſi ab ipſo dos pro ea, vel pro matrimonio contracto, vel cum eo contrahendo extiterit data, promiſſa, conventa, vel in ultima voluntate relicta, ſeu legata, vel quibus modis, vel verbis pollicita, ſeu numerata, ſive in quantitate, ſive in ſpecie talis dos conſtiterit, vel fuerit conſtituta in quacumque, vel quantacumque quantitate, vel ſpecie. Nec ad talem ab inteſtato decedentis ſucceſſionem, tales dotatæ mulieres, vel aliqua earum aliquatenus audiantur, vel admittantur, ſed potius repellantur, & eſſe, & ſtare contentæ tali dote eis, vel earum alteri promiſſa, data, vel relicta modis omnibus compellantur, & teneantur præciſè vigore præſentis ordinamenti; Non obſtante, quod eis, vel earum alicui deficeret, & minus adeſſet in legitima portione jure naturæ debita, quæ quidem portio in tali caſu, & ipſa dote data, promiſſa, vel relicta, & ex præſenti lege, ipſo jure, & facto intelligatur, habeatur, & præſumatur perfecta, plena, & omni ſupplemento completa, nec ad aliud ſupplementum, vel complementum, vel augmentum agi poſſit ob ſupradictam dotem, ſed ipſa dote, ut dictum eſt, teneantur tales mulieres eſſe contentæ, jure contrario non obſtante, & nulla mulier audeat, vel poſſit contra prædicta agere, impugnare, vel jus prætendere; quod ſi ſecus fecerit, non audiatur, & ipſo facto à jure ſuo cadat, & cecidiſſe intelligatur, & nihilominus in libris quingentis denariorum uſualium puniatur. Ubi verò tali parenti aſcendenti, dotanti, vel maritanti, ſeu dotem promittenti, vel ut dictum eſt, relinquenti, ab inteſtato decedenti, non ſuperfuerit filius maſculus, vel ex filio maſculo nepos, & deinceps, ſed tantum aliqua filia, vel neptis maritata, vel non; tunc etiam aliæ maritatæ filiæ, vel etiam dotatæ poſſint, & debeant ab inteſtato decedentis ſucceſſionem unà cum aliis filiabus, vel neptibus obtinere, & eiſdem ſuccedere, unà cùm aliis cohæredibus conferendo, vel contribuendo dotem ſuam, quam receperat, ſalvo ſemper legitimo teſtamento, vel ultima voluntate patris, matris, vel ſimilis parentis, ſeu aſcendentis, ſi aliis legitimis modis proviserit, dicta dote, vel promiſſa non obſtante; Et prædicta omnia, & ſingula locum habeant, & obſervari debeant, in præſentibus, præteritis, & futuris.

Ejuſdem Statuti. *De venditione fundi dotalis, & quod mulier dotata non ſuccedat, & de reſtitutione Dotis Rubr.* 33.

HAc perpetuò valitura lege ſancimus, ſtatuimus, & ordinamus, quod mulier aſtans, & expreſsè conſentiens venditioni fundi dotalis, vel in quo potius dotibus obligationem, vel hypothecam tacitam, vel expreſſam habuerit, quam vir fecerit, & ſuo juramento, & conſenſu roboraverit, & cambium rei venditæ habuerit, ſaltem tanti valoris, vel æſtimationis, & ſi fuerit minoris æſtimationis quantæcumque quantitatis fuerit, in caſu tamen alicujus neceſſitatis pro excarcerando maritum, vel filium, ſeu à manibus Redalium eos liberando, & interfuerit, vel acceſſerit expreſſus conſenſus, & voluntas dictæ mulieris, duorum proximiorum Conſanguineorum, Judiciſque auctoritas ullo tempore repetere non poſſit dictam rem venditam, nec in ſua repetitione audiatur ullo modo, lege, vel jure contrario non obſtante, & aliter quàm dictis modis facta venditio non valeat ipſo jure, & dictæ mulieri aliquod præjudicium nolumus generari. Item mulier recepta dote à patre, avo, vel fratre carnali, vel fratribus, vel ab alio nomine ipſorum, vel alicujus ipſorum, & ex ipſa linea paterna per maſculos deſcendentes, uno vel pluribus exiſtentibus maſculis poſt mortem dd. Patris, avi, vel proavi ab inteſtato decedentis ad paterna bona, vel avi, vel proavi petenda, ipſa mulier non audiatur, ſed ſit ſua dote contenta, & ultra de dictis bonis petere non poſſit ratione legitimæ, Trebellianicæ, aut Falcidiæ, vel quocumque alio jure, quod ſibi competere poſſet, ſalvo jure inſtitutionis, & ſucceſſionis ipſorum maſculorum filiis de eorum corporibus non exiſtentibus, tanquam ab inteſtato decedenti proximior, vel unà cum proximioribus in eodem gradu, præterquam cum fratre carnali, ſive maſculis hæredibus ex fratre extantibus aliquibus, etiam quod ab ipſis dotata non fuerit, non ſuccedat, alias ſemper admittatur, & petere poſſit, & quod ſi aliqua perſona proximior,

mior, vel æquè proxima non reperiretur, ſibi inſolidum, ut jura volunt, hæreditas deferatur, Si autem mulier prædicta copulata matrimonio per copulam carnalem, juxtà ritum Eccleſiæ, ipſius, & viri, filio, filia, vel filiis non extantibus, deceſſerit ante virum, ipſe vir medietatem dotis lucretur, & ipſa medietas apud ipſum virum remaneat, in qua medietate computentur res æſtimatæ, & ipſi viro datæ in dotem, iſtaque medietas dictæ dotis integraliter hæredibus reſtituatur ipſi mulieris, vel cui ipſa reſtitutio fienda veniret, etiamſi ex præcedenti matrimonio filius, ſeu filia, vel filii ſupereſſent, reſervato tamen ipſis filiis, filio, vel filiæ omne id, quod ipſa mulier ex primo dicto matrimonio lucrata fuerit, vel ipſis, vel alteri eorum in integrum reſtituatur, ac reſervetur. Item ſi filius, vel filiæ, aut filii exiſterint ex ipſa muliere ex matrimonio, in quo decedit, & ipſi filii, vel filius, aut filia moreretur ante patrem, quòd nulla ſubſtitutione à matre facta obſtante, vel quocumque alio contractu, vel obligatione, quem, vel quam ex nunc contra hoc beneficium volumus non valere, nec alicujus valoris, vel momenti eſſe, pater nihilominus medietatem dotis lucretur vigore præſentis ſtatuti, quod locum habeat in præſentibus, præteritis, & futuris.

MORCICCHIÆ, & MORIANI

Caſtrorum ſub Gubernio Spoleti.

PARTICULA CXVIII.

Che non poſſa hereditare figliuola femina Rub. 24.

STatuimo, & ordiniamo, che non poſſa hereditare figlia femina in beni tanto paterni, quanto materni, che per qualunque cagione recadeſſero à figlia femina, che foſſe maritata à foraſtiero, quali beni foſſero, e ſoggiaceſſero dentro al Caſtello della Morcicchia, e Moriano per qualunque modo, che di ragione gli ſuccedeſſero à detta femina, che foſſe maritata à perſona, che non foſſe nativo, overo habitante nel tenimento di detto Caſtello della Morcicchia, e di Moriano, ò maſchi, ò femine, che foſſero; mà che in tal caſo li detti beni ſiano, & eſſer debbiano della detta Communità di quel Caſtello ſopradetto, ove li detti beni foſſero, e ſoggiaceſſero.

MORICONIS

Caſtri B. in diſtrictu Urbis.

PARTICULA CXIX.

Quod nulla perſona poſſit petere ultrà dotem, ſtante hærede maſculino. Cap. 26.

STatuimo, & ordiniamo, che qualunque Donna haveſſe havuta la ſua dote, non poſſa domandare parte nulla in Caſa del Padre, ſtandovi li maſculi, tanto della dote materna, quanto dell'altra heredità, ſe reſerbato non foſſe altro herede teſtamentario.

MORLUPI

Terræ B. ſub Diſtrictu Urbis.

PARTICULA CXX.

Delle ſucceſſioni delle Donne. Cap. 25. Lib. 2.

STatuimo, & ordiniamo, che Donna dotata, e da dotarſi dal padre, madre, fratelli, avo, non venghi à parte ſtandovi li figliuoli maſchi, fratelli, ò figli di eſſi, ò altri deſcendenti per linea retta ſino in terzo grado, da computarſi ſecondo la ragione Canonica; Et in ogni altro caſo vogliamo poſſa ſuccedere, eccetto dove foſſero in pari grado, nel qual caſo detta Donna, come di ſopra, ſempre s'intenda eſcluſa, mà non ſi poſſi privare della legitima ſua nelli beni paterni, ò materni, à lei debita; e quando non foſſe dotata, li fratelli predetti, ò altri, che nelli predetti caſi ſuccedano (lei eſcluſa) ſiano obligati dotarla, ſecondo la qualità, e facoltà loro, e la dote non ſia meno della legitima, della quale ſia ſempre contenta. Dichiarando, che la dote s'intenda eſſere in luogo della legitima, e queſto vogliamo habbia luogo nelle ſucceſſioni ab inteſtato; mà facendoſi teſtamento s'oſſervi, quanto in eſſo ſia ordinato, dummodò ſia fatto ſecondo diſpone la legge Canonica.

MUGNANI

Terræ ſub Gubernio Patrimonii.

PARTICULA CXXI.

Che la Donna maritata dal Padre, ò fratelli, da eſſi ſi preſuma eſſer dotata. fol. 8.

LA Donna maritata dal Padre, ò dal fratello ſi preſuma da eſſi eſſer dotata, e li deſcendenti da eſſa per linea feminina, non poſſino ſuccedere ab inteſtato al padre, ò alla madre, all'avo, overo avia, nè al fratello, overo ſorella d'alcuno di eſſi eſiſtenti il maſchio, ò più della linea maſcolina, della quale eſſa Donna deſcenda, mà ſia maritata, e dotata ad arbitrio di due conſanguinei più propinqui dalla parte del Padre, e ſe ſaranno altrimenti dalla parte della madre, ſecondo la conſideratione delle perſone, e facoltà loro, e ſecondo la conſuetudine del detto Caſtello, e d'una ſola dote ſia contenta di tutti li beni, che li perveniſſero, e più non poſſa domandare nelli beni paterni, materni, aviti, e fraterni, overo Ziani, e ſe non ſi voleſſe maritare, e voleſſe altra vita eleggere, tanto debba havere, quanto quella, che ſi maritaſſe; mà ſe il padre, ſuo fratello, overo Zio paterno laſciaſſe alla donna la dote, tal donna deve eſſer contenta à tale dote, e più non poſſa domandare nelli beni paterni, ò materni, ò dell'Avo, eſiſtente il maſchio, ſe ſono fratelli del padre, e madre; ma ſe ſono fratelli da un lato ſolo, tale donna non ſucceda con li conſanguinei nell'heredità paterna; mà ſe ſono figliuoli maſchi, e femine, di diverſi matrimonii nati, all'hora la figliuola femina poſſa ſuccedere col fratello d'altro matrimonio nato nelle Doti, e beni materni, niente di manco che accadeſſe al fratello, quale hà eſcluſo la ſorella dalli ſopradetti beni, morire ſenza figliuoli legitimi, e naturali, overo diſcendenti d'eſſi, vivente tale ſorella, come di ſopra eſcluſa, all'hora, & in tal caſo ſtatuimo, che quella parte, overo coſa, & heredità, della quale tal ſorella fù eſcluſa di ragione ritorni ſenza alcuna diminutione à tal ſorella eſcluſa, come che mai della detta coſa foſſe ſtata mai eſcluſa, volemo niente di manco, che ſe tal Donna dotata rimarrà vedova, poſſi ritornare à caſa delli fratelli, e dalli fratelli, ò fratello debba eſſer governata, per fin, che oſſervarà vita honeſta, e vedovile, contribuendo però in caſa li frutti della ſua dote per governarſi, e perche queſto havemo ordinato in favore delli maſchi, principalmente à preſervare il ceppo, e la famiglia delli maſchi, dichiariamo eſſere nell'elettione delli Magnifici fratelli, overo nepoti, di dotare communemente le Donne, come è detto di ſopra, ò veramente ad eſſe Donne dare l'intiera parte ad eſſe ſpettante per legale ſucceſſione di tutti li beni paterni, materni, fraterni, e de Zii, ò altrimente in qualunque modo provenienti egualmente ſuccedente con li maſchi, come ſe foſſero maſchi, & in più in alcuna coſa non foſſero eſcluſe.

MURRI VALLIUM

Oppidi ſub Gubernio Marchiæ.

PARTICULA CXXII.

Quod nulla mulier dotata, poſſit ſuccedere ab inteſtato, ſtantibus filiis maſculis. Cap. 80.

STatuimus, & ordinamus, quod nulla mulier dotata, vel quæ pro dotata ſteterit per decem annos, aliquam querimoniam, vel querelam facere poſſit de dote ſua, & intelligatur pro dotata illa mulier, de cujus dote appareret inſtrumentum, vel protocollum notarii à patre, avo paterno, vel materno, à matre, vel avia quavis, fratre paterno, vel avunculo nepote, &c. vel aliter legitimè, & non poſſit, vel debeat ſuccedere ipſa, vel filii, aut deſcendentes ab ea ab inteſtato alicui ex prædictis perſonis dotantibus, ut dictum eſt, ſi ex eis, vel aliqua earum remanſerit aliquis hæres maſculus, filius, vel nepotes maſculi, &c.

&c. nec non in bonis, vel ſuper bonis prædictarum perſonarum, vel alicujus earum aliquid petere, habere, vel poſſidere, ſeu apud ſe retinere, ſine expreſſa voluntate, & diſpoſitione prædictarum perſonarum, vel alicujus earum, de qua legitimè appareat, & hoc locum habeat in præſentibus, & futuris. Et quod illi mulieri dotatæ, ut ſupra dictum eſt, non liceat redire ad aliquam partem dictæ matris, vel aviæ dotium, ſi ex ea matre, vel auia, maſculus, vel deſcendens ex maſculo remanſerit, ſalva ſemper ultima voluntate, vel diſpoſitione matris, vel aviæ prædictæ. Et ſi aliqua mulier fuerit dotata, vel dotem ſuam receperit de bonis communibus, quæ habet cum fratribus carnalibus, vel eorum filiis, non poſſit ipſa, vel ejus hæres de cætero petere, vel habere, ſeu venire ad ſucceſſionem, vel diviſionem, vel communionem aliquam bonorum, & rerum communium prædictorum, vel alicujus eorum, & ipſorum filiorum maſculorum, ſalva ſemper in hoc teſtamentaria, vel ultima voluntate, ſeu diſpoſitione prædictorum fratrum, vel fratris. Et ſi filiæ prædictæ, vel aliqua ipſarum vidua remanſerit, poſſit in domum paternam redire, dotem ſuam reportando, nec expelli poſſit, ſeu poſſint ab hæredibus patris ſub pœna mille lib. den. de facto, & ſine diminutione pro quolibet hærede contrafaciente, & vice qualibet exigenda, & noſtro communi applicanda. Et nihilominus ſtare poſſit, & debeat. Et ſi contingeret filiam, vel filias indotatam remanere, poſſint, & dotari debeant competenter, juxta domus conditionem, arbitrio trium proximiorum conſanguineorum, & trium proximiorum affinium, & interveniente diſcordia, D. Poteſtas, aut Vicarius dictæ Terræ debeant eorum auctoritatem ſuper prædictis interponere. Et hoc debeat fieri à remanentibus fratribus, vel eorum filiis maſculis tantùm, non autem ſororibus, neptibus, ſeu filiabus fœminis fratrum, ſed cum ipſis communiter ſuccedant dicto caſu, & hoc etiam ſi per prius fuiſſent dotatæ, ſimiliter dicto caſu ſuccedant, dotes tantum habitas conferendo cum prædictis neptibus, vel ſororibus, & ſi qua uxor moreretur ſine filiis, vel filiabus propter mortem illius mariti lucretur tertiam partem dotis totius, omni exceptione remota, & dotis promiſſæ, & non ſolutæ; de alia verò tota parte ad ſui voluntatem, uxor ipſa diſponere valeat, pro ut ſupra in ſuo ſtatuto particulari dictum eſt. Volumus autem, quod filiæ, quæ innuptæ remanſerint donec nuptui tradantur ab ipſis fratribus ſemper alantur, & eiſdem de omnibus neceſſariis provideatur per eos, & tempore quo nuptui traduntur, vel poſtquam mariti domum fuerint infra menſem teneantur, & debeant renuntiare fratribus, & eorum filiis maſculis, vel patri, vel matri omnia bona paterna, & materna, quo termino elapſo, quatenus fuerint dotatæ, ut ſupra, ſi eam fecerint pro legitimè facta dictorum bonorum renunciatio, & quietatio habeatur, vigore præſentis Statuti. Volumus tamen, quòd ſi aliqua mulier renunciationem fecerit patri, avo, matri, fratribus, vel nepotibus de bonis paternis, & maternis tempore nuptiarum, & pater poſtea cum filiis legitimis, vel nepotibus natis ex filiis legitimis maſculis deceſſerit, dicta renunciatio per filiam facta, ei filiæ non noceat; & proindè ſit, ac ſi renunciatio facta non eſſet, & cum neptibus remanentibus, aut ſororibus dotes ſuas conferendo ſuccedere debeant, ut ſupra dictum eſt, & ſi quæ mulier poſt mortem viri in adminiſtratione filiorum remanſerit, deindè ad ſecundum matrimonium tranſiverit, majori dote conſtituta, ſeu data ſecundo viro, quàm habuerit à primo, niſi legitimè probaverit id, quod ſupra dotem primi viri dederit, vel promiſerit ſecundo viro, aliundè ſibi adveniſſe, vel habuiſſe præſumatur de bonis filiorum ipſorum ipſam habere, ideòque ipſis filiis, vel filiabus integrè conſtituere cogatur, & hoc locum habeat in præteritis, præſentibus, & futuris.

Ejuſdem Statuti. *Quod mater non ſuccedat filio inteſtato, niſi in legitima, & quid ſi tranſiverit ad ſecunda vota, & de ſucceſſionibus ab inteſtato.*

STatuimus, & ordinamus, quòd quotieſcumque mori contigerit filium maſculum, unus, vel plures eidem ſic decedenti, materque ſupereſt, in legitima tantùm ſuccedat, in reſiduo ſuccedatur, & ſuccedere debeant agnati proximiores æqualiter ex parte patris tantùm, infra tamen quartum gradum. Et ſi defuncto ſupereſſet avus paternus, & defuncti mater, tunc in bonis adventitiis, vel quaſi caſtrenſibus, ſi quæ ſint dicti defuncti, & avuus prædictus, & defuncti; mater æqualiter ſuccedant, in aliis profectitiis, cum ipſe ſit Dominus, in nihilo mater admittatur, & ſi defuncto ſuperſint avus paternus, & maternus tunc in bonis, &c. quæ pervenerint ex linea materna, vel materno latere, vel ab ipſa matre (ultra dotem) ſuccedat avus maternus, in aliis verò omnibus provenientibus ex latere, vel linea paterna, vel induſtria, aut dotalibus ſuccedat avus paternus. Et idem ſervetur in avia materna, & paterna tantùm, remanentibus dicto defuncto, & ſi remanſerit avia materna, agnati, & legitimam prædictorum detrahere poſſit, ut ſupra, avia autem verò nihil, reſiduum verò totum ſit, & eſſe debeat dictorum agnatorum proximiorum, prout ſupra. Et ſi avia materna, & agnati tantùm ſuperſint, tunc avia illa ſuccedat, & ſuccedere debeat, prout de avo materno ſupra eſt dictum, alia verò omnia bona agnatis ipſis remaneant, & remanere debeant, ut ſuprà. Et ſi prædicto defuncto ſuperſint fratres utrimque conjuncti fratres in totum admittantur, excluſa matre, ac etiam ſororibus utrimque conjunctis, ſi ſuperſint tam dotatis, quàm dotandis, ut ſupra in alio ſtatuto. Et ſi ſuperſint fratres defuncti ex latere paterno tantùm unus, vel plures unà cum matre, dotem ſuam, & legitimam tantùm, ut ſupra, habere debeat, alia verò omnia fratres ipſi, qui etiam excludant ſororem, vel ſorores defuncti ex latere matris dicti defuncti, & ſimiliter omnes agnatos, & cognatos. Et ſi eſſent plures fratres utrimque coniuncti, & alii ex eodem patre tantùm, & unus ex ipſis deceſſerit inteſtatus, & ſine filiis, tunc eidem æqualiter ſuccedant omnes alii, tam utrimque coniuncti, quàm ex eodem patre tantùm, nulla habita, vel facta gradus diſtinctione quovis alio modo, & ſi dicto defuncto remanſerint avus maternus, & amita, tunc avus maternus capiat bona perventa à matre, vel materno latere, alia verò capiat in totum ipſa amita, una, vel plures æqualiter dividendo, & idem ſervetur in avia materna, ut ſupra dictum eſt. Quæ amita volumus excludat ſororem unam, vel plures attinentes dicto defuncto ex latere materno tantùm, quæ tamen ſorores ſit attinentes in dote materna tantùm prædictæ amitæ præferantur. Et ſi ex dicto defuncto remanerent filiæ ſpuriæ, ſeu baſtardæ, tunc illæ ab ipſis proximioribus agnatis alimentari debeant uſque ad nubilem ætatem, poſtea juxta defuncti conditionem competenter dotentur, & dotari debeant arbitrio duorum proximiorum conſanguineorum ex parte patris, & Poteſtas, ſeu Vicarius, qui pro tempore fuerit teneatur, & debeat vinculo ſui Sacramenti per dictos conſanguineos cogere ad prædicta facien. omni mel. modo, &c. & idem de maſculis naturalibus, ſeu ſpuriis, ſi remanſerint, eſſe volumus, videlicet quando alimentari debeant à dictis hæredibus arbitrio duorum Conſanguineorum, ut ſupra, & hoc uſque ad eam ætatem, in qua ſe aliundè alere poſſint, ſecundùm conditionem eorum familiæ, &c. Addimus autem, quòd ſi mater remanſerit in adminiſtratione filiæ, vel filiorum, & tranſiverit ad ſecunda vota, non petito Tutore, vel Curatore dari filio, vel filiis, nec reddita adminiſtrationis ratione, quod tunc, & eo caſu privetur ſupradicta legitima, & omni commodo bonorum defuncti filii, vel filiorum, & hoc in quacumque ætate decedant. Declaramus inſuper quando inteſtatus decedere dicatur, ſive quod teſtamentum non fecerit, ſive quis fuerit impubes, ſeu infans, vel impotens ad teſtandum; & prædicta videlicet quoad filias, vel filios ſpurios, ſeu baſtardos locum habeant in præſentibus, præteritis, & futuris, quoad alia verò Capitula hujus Statuti ſolùm in præſentibus, & futuris.

NARNIENSIS
Civitatis.
PARTICULA CXXIII.

De ſuccedentibus ab inteſtato.
Rubr. 32.

ITem ſtatuimus, quod ſi contingat aliquem Civem, vel Comitaten. dictæ Civitatis habentem filios, vel filium maſculum, vel maſculos de ſe legitimè natum, vel natos, vel nepotes carnales ex filio, vel filiis, & filiam, vel filias de ſe legitimè natas, vel ex filio decedere ab inteſtato ſuperſti-

perſtitibus filiis, vel filiabus, vel ſuperſtitibus nepotibus maſculis ex filio, vel filiis; filius, vel filii maſculi, dummodò non ſint Monaci, vel Religioſi, ſuccedant, & veniant ad ſucceſſionem totius hæreditatis paternæ, vel maternæ, & filiæ fœminæ, vel neptes ex filio mortuo ſi eſſent dotatæ, ſint contentæ dotibus earum, quas pater, vel avus dedit, vel promiſit. Et idem dicimus de nepotibus maſculis, qui ſuccedant in totam hæreditatem, dummodò non ſint Monaci, vel Religioſi, ſi ex tali defuncto non ſuperſint filii maſculi; Et ſi filiæ fœminæ, vel neptes non eſſent maritatæ ſuccedant in ea parte, in qua pater, vel avus dotaſſet eam, vel eas de parradi, ſecundùm æſtimationem trium, vel ad minus duorum Conſanguineorum earum, vel propinquiorum talium mulierum, & præſtare eis convenientia alimenta, donec fuerint maritatæ, & ſi noluerint ſe maritare, conſtituatur eis dos, ut dictum eſt, & hoc habeat locum in præſentibus, præteritis, & futuris.

Ejuſdem Statuti. *De muliere dotata, vel dotanda, quòd non habeat recurſum ad bona paterna, vel materna.* *Rub.* 40.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod nulla mulier dotata, vel in futurum dotanda, maritata, vel maritanda a patre, matre, aut fratre, vel nepote, vel patruo poſſit, vel debeat habere regreſſum ab inteſtato ad bona paterna, vel matris, vel patrui, ſed ſit contenta de dote ſua ſibi ſoluta, vel promiſſa, dummodò ex tali patre, aut matre ſubſint filii maſculi, vel nepotes maſculi ex filio, & patruo ſubſint filii, vel ex fratre talis patrui maritantis exiſterent filii maſculi, ſive filius, & prædicta vindicent ſibi locum in præſentibus, pendentibus, præteritis, & futuris.

NUCERINÆ
Civitatis.
PARTICULA CXXIV.

Qualiter mulier dotata ſit contenta ſuis dotibus. *Cap.28. lib.2.*

ITem ſtatuimus, quod ſi aliqua mulier fuit, eſt, & erit dotata à patre, avo, matre, fratre, vel ſorore, ſit contenta ſua dote, & ampliùs de bonis avi, patris, matris, fratris, ſororiſque dotantis tantùm petere non poſſit: ſi filius maſculus remanſerit de aliquibus ſupradictorum dotantium, poſſit tantùm dicta mulier capere, & habere de bonis prædictorum ſi ſibi reliquerit in teſtamento. Dicimus etiam illud idem in ſucceſſione patrui, vel avunculi quando dotata fuerit de bonis ipſorum, ſi filius maſculus remanſerit de aliquibus prædictorum.

NURSIÆ
Oppidi Umbriæ.
PARTICULÆ CXXV.

Che alli beni delli figliuoli li più proſſimi parenti ſuccedino, la madre eſcluſa. Rubr.87.

ITem ſtatuimo, & ordiniamo, che morendo lo marito, che hà la moglie, & eſſa hà figliuoli, non facendo alcun teſtamento, ſe dopo la morte del padre, li figliuoli, ò figlio maſchio, ò femina moriſſero, ò moriſſe pupilli, ò pupillo, ò vero majore, nullo per ipſi, ò per ipſo facto teſtamento, all'hora la ſua, ò loro madre non ſi admetta per verun modo alla ſucceſſione delli detti ſuoi figliuoli, ò figliuolo maſchio, ò femina; mà per autorità del preſente Statuto ſia onninamente eſcluſa, ſalvo per tanto ad eſſe matre la ragione della legitima, in la quale ſucceder poſſa, e vaglia, in quanto de raſcione debbia ſuccedere, & alli beni delli detti figliuoli, ò figliuolo maſchio, ò femina li più proſſimi parenti delli detti figliuoli da padre di ipſi figliuoli ſe admettano, e la ſucceſſione di ipſi alli dicti più proximi li parenti, ſia dovuta. Et ipſi più proximi parenti ſi debbano admettere ad ſucceſſione delli detti figliuoli.

Aggiungendo alle predette coſe, che ſe lo detto figliuolo pupillo, ò maggiore accaderà morire ſenza figliuoli, e ſenza madre, padre, avo paterno, fratello carnale, ſorella carnale, e nepote carnale, e ſenza nullo per ipſo facto teſtamento, che all'hora, & in tal caſo alli beni di eſſo figliuolo li più proſſimi parenti de ipſo figliuolo da parte del padre ſi admettano, & admettere ſi debbiano alla ſucceſſione de ipſo figliuolo, come di ſopra, excepto, che nella dote, & beni materni, nelli quali li più proximi parenti da parte della madre de ipſo figliuolo ſi admettano, & admettere ſi debbiano ſolamente nel caſo predetto, non oſtante qualunque ragione, che parlaſſe in contrario.

ORZANI
Caſtri ſub Gubernio Spoleti.
PARTICULA CXXVI.

Che le femine non ſuccedano, eſſendovi li maſchi. *Rub.* 8.

ITem ſtatuimo, & ordiniamo, che femina dotata da padre, avo, avia, proavo, ò vero proavia, ò veramente fratello non poſſa ſuccedere nelli beni de' ſuoi aſcendenti, ò collaterali, da chi ſarà dotata, ò veramente promeſſagli la dote, che merita ſenza teſtamento, e ſe non foſſe dotata poſſa dimandare la dote conveniente ſecondo la ſua qualita, e ſolito del paeſe, ò veramente la legitima, ad elettione della Donna.

PALUMBARIÆ
Terræ B. in Diſtrictu Urbis.
PARTICULA CXXVII.

STatutum tranſmiſſum continet ſolùm taxam dotium mulieribus præſtandarum, & propterea cùm non fuerit tranſmiſſa particula ſuper ſucceſſionibus inteſtatis, quæ eſt materia præſentis tractatus, inopportunum viſum eſt hoc in loco illud apponere.

PERUSINÆ
Civitatis.
PARTICULA CXXVIII.

De dotibus, & dotatis mulieribus, & ſucceſſionibus ab inteſtato. Rub.45. lib.2.

SI qua mulier nata, vel naſcitura fuerit, vel erit dotata à patre, vel matre, vel alio quocumque aſcendente de bonis, vel rebus propriis dotantis non poſſit, nec debeat ipſa mulier dotata, nec deſcendens ex ea admitti, vel reverti ad hæreditatem, vel ſucceſſionem ab inteſtato alicujus perſonæ dotantis eum, vel alicujus ex deſcendentibus ab eadem perſona dotante in bonis, & rebus ad ipſum deſcendentem à dotante proventis. In aliis autem aliundè proventis ipſi deſcendenti, ipſa mulier ſuccedat tali deſcendenti à perſona dotante in tertia parte ejus, quod ſibi obveniſſet ex ſucceſſione ab inteſtato ipſius deſcendentis defuncti, & ab aliis ratis etiam dictorum bonorum aliundè proventorum, ipſa mulier penitùs excludatur, quouſque ſupervixerit maſculus deſcendens ab ipſa perſona dotante per lineam maſculinam, Declarantes, quod bona talis deſcendentis defuncti uſque ad ejus legitimam cenſeatur de bonis aſcendentium, non autem de aliundè proventis; Et ſi mulier plures habuerit fratres, & ab aliquo ex fratribus dotata fuerit, vel ab omnibus de bonis propriis ipſorum, vel alicujus eorum, vel communibus non poſſit talis mulier reverti ad hæreditatem alicujus ex fratribus ſibi utrimque conjunctis, vel conſanguineis tantùm ſine liberis, legitimis, & naturalibus ab inteſtato decedentibus, quouſque ſupervixerit aliquis frater utrimque conjunctus, vel conſanguineus tantùm ipſius fratris ab inteſtato mortui ſine liberis, legitimis, & naturalibus, vel aliquis maſculus deſcendens per lineam maſculinam ab aliquo ex dictis fratribus utrimque conjunctis, vel conſanguineis tantùm. Qui fratres, & deſcendentes maſculi per lineam maſculinam ex eis, vel ex aliquo eorum ſuccedant tali fratri ab inteſtato ſine liberis, legitimis, & naturalibus defuncto, ordine juris inter eos in tali ſucceſſione obſervando, excluſa ipſa muliere dotata à tali ſucceſſione, quouſque aliquis ex dictis maſculis extiterit. Salvo quod mulieres tempore neceſſitatis poſſint habere victum, & veſtitum in hæreditate ſæcundùm

dùm vires patrimonii dotem ſuam, quàm habuerint conferendo ſi poterint, vel jura cedendo repetendi dotem, cauſa eam conferendi.

Item ſi aliquis receperit aliquam promiſſionem reſtitutionis dotis alicujus mulieris de bonis mulieris, ſi nominata fuerit illa mulier in inſtrumento promiſſionis, vel reſtitutionis dotis, ſive non, jus de dicta dote, & actionem pro ipſa dote repetenda cedere, & reſtituere debeat ipſi mulieri; nec confectio, & detentio talis inſtrumenti ipſi mulieri; nec illi cui dimitteret, vel jus ſuum daret, & cederet, obeſſe poſſit aliquo jure communi, vel ſtatuto non obſtante, ſed ipſo jure ipſi mulieri, vel ejus hæredibus confectum inſtrumentum, & quæſitum jus cenſeatur, & nihilominus illum, vel illos inſtrumentum, vel promiſſionem de reſtitutione dotis recipientem, vel recipientes, Poteſtas, vel Capitaneus, vel alius Officialis compellat ipſi mulieri, vel ſuis filiis, vel cui jus ſuum cederet, & dimitteret, ut dictum eſt, reſtituere; Et intelligatur dos fuiſſe de bonis mulieris dotatæ eo ipſo, quod apparuerit eam dotatam fuiſſe à patre, avo, avia paterna, vel patruo, vel fratre carnali, vel conſobrino; ſorore carnali, vel conſobrina, etiamſi in inſtrumento dotali non diceretur, quod eſſent bona dictæ mulieris, ſed ſimpliciter à prædictis, vel eorum altero darentur. Ita quod non intelligatur de bonis propriis ejus, qui ſtipulatus fuit dotem ſibi reſtitui, & dotem dediſſe, vel promiſiſſe, ſed de bonis dictæ dotatæ. Niſi dictum eſſet, & probaretur per dotantem ipſum dediſſe, vel promiſiſſe de ſuo in totum, vel in partem, tunc poſſit illud, quod dedit, vel promiſit, cavere per ſtipulationem, vel alio modo, prout partes extiterint concordes. In aliis verò perſonis dotantibus, & ſtipulantibus ſervetur jus commune. Placet.

Item ſi quis etiam pater dixerit ſimpliciter dotare de bonis paternis, vel maternis, vel aliorum aſcendentium utriuſque ſexus, non aliter expreſſa quantitate paternorum, vel maternorum, vel aliorum aſcendentium; & hoc quod tam bona unius aſcendentis, quàm alterius pro ſua medietate (juxtà ratam, & portionem dotatæ de jure tangentem in dictis bonis) ad hujuſmodi dotem conſtitutam ſufficerent. Quod ſi bona unius aſcendentis ad dimidiam dotis conſtitutæ non ſufficerent, tunc de bonis alterius aſcendentis in eo, quod deerit intelligatur conſtituta dos uſque ad portionem ipſi mulieri de jure tangentem de bonis alterius aſcendentis. Declarantes tamen quod per hoc non intelligatur, quod mater, vel avia cogantur in eorum vita aliquid dare ob dictam promiſſionem dictæ filiæ, vel ejus viro, ſi ſibi non placuerit. Nec etiam prohibeatur de ſuis bonis teſtari, prout de jure ſibi non permittitur, ſed benè intelligatur cum dotata fuerit de dictis bonis, ut ſupra excluſa à ſucceſſione ab inteſtato bonorum, & hæreditatis dictorum aſcendentium, donec & quouſque ſupervixerit maſculus deſcendens ut ſupra. Placet.

Item ſtatuimus, quod fœminæ, & ipſis non exiſtentibus earum filii, vel nepotes, quandocumque concepti, vel nati, poſſint venire ad ſucceſſionem parentum, fratrum, & aliarum perſonarum, ad quarum ſucceſſionem de jure vocantur, ſi deſcendentes per lineam maſculinam, maſculi non ſuperſint, remittendo, vel cedendo ut ſupra *in* §. 1. *verſ. Salvo quod mulieres &c.* dotes habitas, vel promiſſas pro dictis mulieribus in hæreditate. Declarantes, quod bona alienata per maſculos, vel aliquem eorum, à quibus ipſæ mulieres per exiſtentiam maſculorum fuerunt excluſæ, eorum, vel ejus portionem non tranſcendentia à tertiis cum titulo poſſeſſoribus non poſſint avocari, ſeu repeti virtute reintegrationis, ſed ſolùm, & dumtaxat debeant in portionem alienantis computari; quatenus verò portionem alienantis tranſcenderent, dictis mulieribus, ac dictis eorum deſcendentibus in caſu reintegrationis jus ſalvum remaneat. Declarando etiam, quod in æſtimatione bonorum alienatorum debeat attendi tempus ipſius alienationis, & ſecundum communem valorem dicti temporis fieri debeat prædicta æſtimatio. Placet.

Item declaratur, & decernitur, quod fœminæ prædictæ, quibus in teſtamento, vel alia ultima voluntate jure inſtitutionis, vel alio quocumque titulo legitimæ quantitas, vel minus legitima relinquitur contra teſtamenta, vel alias ultimas voluntates hujuſmodi venire, vel ea quoquo modo reſcindere non poſſint deficientibus maſculis, qui à ſucceſſione dictas fœminas excluſiſſent. Nec ob id aliter reintegrari ad hæreditatem, ſed tantùm ab eis peti poſſit legitimæ ſupplementum, & reſiduum hæreditatis, & ſucceſſionis perveniat ad eos, qui ſecundùm diſpoſitionem Statuti, vel juris communis (ceſſante Statuto) ab inteſtato ſucceſſuri ſunt, ſalva tamen teſtamentaria diſpoſitione, & alia quacumque ultima voluntate. Et intelligantur mulieres eſſe dotatæ, ſi pro dote, vel ſimpliciter mulieri aliquid in teſtamento, vel codicillis fuerit relictum, vel datum, vel promiſſum per aliquem de perſonis prædictis, dummodò, ſin minus congruè fuiſſet dotata, debeat ſuppleri congrua dos, ſecundum quod infrà ponitur in §. proximè ſequenti, qui incipit: *Item ſi aliquis pater &c.* & ſecundum quod dicitur in ipſo ſequenti §. Ipſæ mulieres, excludatur à ſucceſſione, & facultate petendi fructus pro dicta rata. Placet.

Item ſi aliquis pater, vel avus alicujus mulieris non dotatæ deceſſerit inteſtatus, frater, vel fratres carnales etiam ex latere patris tantùm ipſius mulieris, ſi fratrem, vel fratres habuerit, vel alii maſculi deſcendentes ex ipſo fratre, vel fratribus per lineam maſculinam poſſint omnes, aliqui, aut etiam unus eorum (non obſtante aliorum, vel alicujus eorum contradictione) dotare ipſam mulierem, etiam invitam, & in quacumque ætate conſtitutam de bonis patris, vel avi competenter, ſecundum conditionem ſuæ perſonæ, qualitatum, facultatum, & hæreditatis, patris, vel avi, & conſuetudinem, & morem Civitatis, & de competentia dotis dictæ mulieris ſtetur dicto, & declarationi duorum proximiorum attinentium dictæ mulieris, qui ad prædicta declaranda cogantur per Poteſtatem, vel Capitaneum, vel alium Officialem Communis Peruſiæ, ſummariè, ad petitionem petentis, & ſi non fuerint in concordia tertium attinentem, vel non attinentem, arbitrio Judicis ad prædicta per D. Poteſtatem, ſeu alium Officialem eligere compellantur, quorum trium, vel ſaltem dicti tertii, ut ſupra electi, una cum altero ex dictis duobus, declarationi ſtare debeat, nec contra dictam declarationem per quemquam aliquid dici, obiici, vel fieri modo aliquo poſſit, etiamſi ſecundum quantitatem legitimæ dos regulata non fuerit. Et habita dicta dotæ, vel promiſſione facta ſibi, vel marito, vel alteri pro eis, vel eorum alteri recipienti, ex tunc excludatur à ſucceſſione prædictorum patris, avi, & aliarum perſonarum, de quibus, & prout ſupra dictum eſt, & etiam à facultate petendi fructus pro rata ſua dictæ hæreditatis, vel ſucceſſionis pro tempore tunc præterito, ſi ſteterit cum fratribus, vel cum aliquo ex prædictis, ſive in alio honeſto loco, ſi ex aliqua juſta cauſa ſtare cum prædictis non potuerit, ab ipſo, vel ab ipſis fuerit alimentata. Placet.

Et ſi caſus evenerit, quod aliquis, vel aliqua deceſſerit cum deſcendentibus tantùm: maſculi per lineam maſculinam deſcendentes legitimi, & naturales, tali defuncto ſuccedant, juris ordine inter eos ſervato, excluſis fœminis, in quibus obſervetur prout in præſenti Statuto continetur. Et ſi aliquis, vel aliqua in quacumque ætate deceſſerit cum aſcendentibus tantùm, ſuperſtite patre, & matre, pater ſuccedat in bonis ejus in totum, præterquam in legitima, in qua ſuccedat mater. Et idem jus ſervetur in aliis aſcendentibus maſculis per lineam maſculinam, excluſis ſcilicet aſcendentibus per matrem, excluſa etiam avia, ſive proavia paterna, præterquam in legitima, quam dicti aſcendentes habere debeant (ſervata gradus prærogativa) ſecundum juris ordinem. Si verò adeſſent mater, & avia paterna tantùm, tunc in hæreditate æqualiter ſuccedant, & ſimiliter idem ſervetur in avia paterna, & materna. Placet.

Si autem aliquis, vel aliqua in quacumque ætate deceſſerit, ſuperſtitibus ſibi tranſverſalibus tantùm, tunc omnis hæreditas ejus debeat pertinere; & devoluatur ad ejus fratres utrimque conjunctos, & eorum deſcendentes maſculos, & ipſis non exiſtentibus ad conſanguineos fratres, & eorum deſcendentes maſculos (juris ordine inter eos obſervato) exceptis bonis tali decedenti aliundè proventis, in quibus ſorores, etiam non dotatæ exiſtentes, & eorum filii, & filiæ tantùm ſuccedant pro tertia parte, ut in principio præſentis Statuti diſponitur *in verſ. In aliis autem &c.* Et locum habeant, donec, & quouſque ſupervixerit maſculus deſcendens ex prædictis legitimus, & naturalis. Et ipſis fratribus, & eorum deſcendentibus maſculis non exiſtentibus ad ſorores carnales utrimque conjunctas, & earum filios tantùm maſculos, & ipſis non exiſtentibus ad ſorores conſanguineas tantùm, & earum filios, & filias tantùm. Et cum dictis ſororibus etiam utrimque con-

conjunctis, ut eorum filiis ſuccedant æqualiter etiam patrui, & eorum deſcendentes maſculi in ſtirpes, & non in capita. Et ſorores uterinæ fratres uterini, avunculi, materteræ, & amitæ tunc non ſuccedant. Et caſu quo contingat aliquem, vel aliquam in quacumque ætate decedere ſine deſcendentibus, ſuperſtitibus ſibi aſcendentibus, & tranſverſalibus tunc pater, & omnes aſcendentes maſculi per lineam paternam pariter cum fratribus utrimque conjunctis, & eorum deſcendentibus per lineam maternam legitima tantùm debeatur, conſequenda ſecundum gradus prærogativam, & dictis fratribus utrimque conjunctis non exiſtentibus, vel eorum deſcendentibus maſculis, concurrant d. modo fratres conſanguinei tantùm, & eorum deſcendentes maſculi; Et ex iſtis non exiſtentibus ſorores utrimque conjunctæ, & earum filii, & filiæ tantùm ſuccedant æqualiter cum patre, & omnibus aſcendentibus maſculis per lineam paternam juris ordine ſervato. Placet.

Si verò decederet cum matre, avia, vel proavia paterna, vel deſcendentibus per lineam maternam tantùm, ſuperſtitibus fratribus utrimque conjunctis, vel eorum deſcendentibus maſculis, vel eis non exiſtentibus, conſanguineis tantùm, aut eorum deſcendentibus maſculis, tunc cum tali decedenti ſuccedant fratres utrimque conjuncti, & dicti eorum deſcendentes, & non exiſtentibus, conſanguinei tantùm, vel eorum deſcendentes maſculi, juris ordine inter eos in ſucceſſione ſervato, eſcluſis dictis aſcendentibus, præterquàm à legitima, in qua ſuccedant inter eos juris ordine ſervato, & ipſis non exiſtentibus ſorores utrimque conjunctæ, & earum filii, vel filiæ tantùm juris ordine ſervato, ſuccedant æqualiter cum ipſa matre, avia, vel proavia paterna, & aliis aſcendentibus per lineam maternam. Placet.

Item quando non ſupereſſent fratres utrinque conjuncti, vel conſanguinei tantùm, vel eorum deſcendentes maſculi, neque ſorores ut ſuprà, ſed patruus unus, vel plures, vel eorum deſcendentes maſculi, tunc in medietate bonorum talis decedentis ſuccedat mater, vel avia paterna, vel aſcendentes per lineam maternam juris ordinem inter eos ſervando, & in alia medietate ſuccedant patruus unus, vel plures, & præmortui patrui, vel patruorum deſcendentes maſculi cum dicto patruo, vel patruis in ſtirpes, & non in capita, excluſis ſororibus uterinis, fratribus uterinis, avunculis, materteris, & amitis; Declarantes, quod ſi adeſſent mater, ſoror utrimque conjuncta, & patrui, pariter ſuccedant. Placet.

Inſuper ſtatuimus, & declaramus, quòd filii legitimati, ſeu diſpenſati poſſint, & valeant ſuccedere ſecundum tenorem, & valorem legitimationis, ſeu diſpenſationis, & voluntatem, ac diſpoſitionem (juri tamen non contrariam) ſi patris, vel alterius Domini bonorum ipſum legitimantis, etiam in præjudicium filiarum legitimarum, & naturalium, & deſcendentium ab eis, nec non quoad effectum excluſionis earum à reintegratione, deficiente linea maſculina legitima, & naturali, ſine tamen præjudicio in omnibus locorum piorum, & perſonarum ibi exiſtentium. Placet.

PINNÆ,

Terræ ſub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA CXXIX.

De ſucceſſione deſcendentium in hæreditate aſcendentium, ab inteſtato mortuorum. Rub.79. lib.2.

STatuimus, quod exiſtentibus filiis maſculis, uno, vel pluribus natis, vel naſcituris in eo, vel in eis deſcendentibus maſculis, nepotibus, pronepotibus, & deinceps in infinitum, filiæ fœminæ natæ, vel naſcituræ exiſtentes, & deſcendentes ex eis, ſive maſculi, ſive fœminæ pariter in infinitum, cujuſcumque numeri, ætatis, gradus, conditionis, ordinis, & profeſſionis fuerint, & excludantur ab omni ſucceſſione patris, matris, & aliorum aſcendentium ab inteſtato decedentium, ſive dotatæ fuerint, ſive non, dummodò ſi dotatæ non fuerint dotentur ab his, & eorum ſucceſſoribus, qui eas excluſerunt de bonis eorum, à quorum ſucceſſione ſunt excluſæ, juxtà conſuetudinem dictæ Terræ, conditionem temporis, qualitatem perſonarum parentum, & familiarum gradum, & dignitatem, quantitatem patrimonii, & dotium, quæ ab aliis de eorum domo præceſſerunt, & in caſu diſcordiæ, arbitrio duorum conſanguineorum, & attinentium non habentium intereſſe, ac DD. Priorum, & Rectoris pro tempore exiſtentium. Et interim donec nuptæ fuerint honeſtè, & condignè alantur, & educentur, operas ſecundum conditionem earum, & familiarum communicantes, in domo eas alere, & educare debentium, niſi ex aliqua rationabili cauſa ibi cum eis commorari, vel cum honeſtate non potuerint, (quod pariter Rectoris committatur arbitrio) quo caſu alibi dentur alimenta, quibus mulieribus ſic dotatis nullo pacto concedatur actio ad ſupplementum legitimæ, etiam quod dos ad legitimam ſibi de jure communi debitam non aſcenderet, nec poſſint ad alicujus præfatorum aſcendentium ſucceſſionem ab inteſtato aſpirare, donec ſupererit aliquis maſculorum prædictorum. Dummodo in ſuccedendo matri, quæ plures habuerit viros in bonis, quæ illi obvenerint ab aliquo defunctorum virorum, vel illius matrimonii occaſione, ſive ſucceſſionis, ſive per conventionis modum filii ejuſdem matrimonii ſuccedant etiam ſi eſſent ſolæ filiæ ex illo matrimonio, & filii maſculi ex aliis matrimoniis. Et prædicta diſpoſitio habeat etiam locum in patribus, qui plures habuerint uxores. In bonorum verò dotalium ſucceſſione, & diviſione, maſculis ut ſuprà deferenda, jura communia obſerventur. Deficientibus maſculis prædictis, quorum favore fœminas antedictas excluſimus, volumus, & declaramus, quod illæ, ſeu ipſarum deſcendentes ad portionem eis de jure communi debitam tempore mortis illius perſonæ, à cujus hæreditate fuerunt excluſæ, competenter admittantur, & hoc caſu reintegrentur, ac ſi numquam fuiſſent excluſæ, nec aliqua præſcriptio eis, niſi à die, qua agere poſſunt, currere, & vocare valeant. Et hujuſmodi diſpoſitio etiam locum habeat, ſi ex dictis maſculis etiam fœminæ remanſiſſent. Cum iniquum ſit unam mulierem excludi, alteram verò ad hæreditatem, & portionem illi aliàs favore maſculorum adeptam admitti, cum ceſſet omnis ratio excluſionis, & una non debeat eſſe deterioris conditionis, quàm altera. Quinimò decernimus, quod omnis alienatio perſonæ ad dictam portionem penitus ſit interdicta, & quod nullius momenti ſit, ſi ab ea facta fuerit, & ceſſante illa perſona, ut ſuprà ejus mulieribus actionem damus pro recuperanda dicta portione bonorum, ad quam reintegrata reperitur, contra quemcumque poſſeſſorem, niſi extent alia bona dicti defuncti ad dictam portionem alienatam aſcendentia, quo caſu poſſeſſorem dictæ portionis alienatæ moleſtari volumus, ſed mulieres loco illius conſequi bona extantia, & æquivalentia dicti defuncti, & interim illis mulieribus intelligi ob dictam cauſam omninò obligata. Volumus inſuper, quod ſi mulieres prædictæ eſſent nuptæ, vel nuptui traderentur forenſibus alibi habitantibus, & non ſubjectis juriſdictioni noſtri Communis, in hæreditate alicujus ex aſcendentibus prædictis, ab inteſtato defuncti, non poſſint ſuccedere; niſi in medietate hæreditatis illius, & in altera dimidia ſuccedant, qui ſuperſunt de agnatione, & cippo dicti defuncti per lineam etiam collateralem uſque ad ſecundum gradum incluſivè, ſecundum jus canonicum.

Ejuſdem Statuti. *De ſucceſſione aſcendentium in hæreditate deſcendentium, ab inteſtato mortuorum. Rub.* 130.

ITem ſtatuimus, ut mortuis ab inteſtato deſcendentibus uſque in ſecundum gradum; ſecundum jus canonicum computandum, abſque filiis, tam maſculis, quàm fœminis in eorum hæreditate ſuccedant aſcendentes maſculi de linea paterna, ſecundum gradus prærogativam, & juxtà juris communis diſpoſitionem, excluſis aſcendentibus fœminis cujuſcumque lineæ, ſalva illis legitima, quæ de jure deberetur.

Ejuſdem Statuti. *De ſucceſſione tranſverſalium in hæreditate tranſverſalium ab inteſtato mortuorum. Rub.* 131.

ET pariter ſancimus, quod in hæreditate tranſverſalium, tam maſculorum, quàm fœminarum ab inteſtato, & ſine liberis defunctorum, ſuccedant maſculi tranſverſales agnati uſque in tertium gradum, prout erunt in gradu defuncto proximiores, excluſis fœminis tranſverſalibus, tam de agnatione, quàm de cognatione, & tam dotatis, quàm non dotatis, dummodò dotentur de bonis decedentium inteſta-

teſtatorum, ſi ab eo dotari deberent, ſalva dictis fœminis, tam aſcendentibus, quàm tranſverſalibus diſpoſitione præcedentis Statuti ſub Rub. 79. ut mortuis dictis aſcendentibus ſine filiis, qui eas excluſerunt, intelligantur admiſſæ, & admittantur in earum portionibus, à quibus fuerunt excluſæ, non ſolùm ipſæ, ſed earum etiam deſcendentes in illis reintegrentur.

PISAURIENSIS
Civitatis.

PARTICULA CXXX.

Quòd mater, & avia excludantur ab hæreditate filiorum decedentium ab inteſtato, ſtantibus fratribus, ſeu eorum filiis maſculis. Lib. 2.

HAc municipali lege ſtatuimus, quod decedentibus ab inteſtato filiis, ſeu nepotibus ex filiis ſuperſtitibus, matre, ſeu avia, fratre, ſeu ſorore, fratribus, ſeu ſororibus carnalibus, ſeu eorum fratrum, ſeu ſororum filio, ſeu filiis. Quod tunc, & eo caſu fratres, ſeu eorum filii maſculi, juxtà juris communis diſpoſitionem, ſuccedant in hæreditate defuncti. Excluſis penitus, & totaliter matre, avia, & ſorore, ſeu ſororibus, ſeu earum filiis, etiam quoad legitimam, niſi ſolùm, & dumtaxat quando mater, ſeu avia vellent perſiſtere in ſtatu individuitatis, nam eo caſu æqualiter una cum prædictis, juxtà diſpoſitionem ſimiliter juris communis, ſuccedere habeant, & debeant quoad uſumfructum ſolummodò, & dumtaxat, & hoc ſtatutum ut ſuprà locum habeat in expreſſis tantummodò in præſenti ſtatuto, in cæteris ſervetur jus commune, & ſimiliter in futuris ſucceſſionibus per mortem in futurum obveniendam, & non aliter, & non habeant locum in præteritum, & ſic in hæreditatibus prædefunctorum antè impreſſionem ſtatutotum.

Ejuſdem Statuti. *Lib. 2. Quod ſtantibus maſculis in hæreditate patris, ſeu matris ab inteſtato decedentium, filiæ fœminæ non ſuccedant. Rub. 110.*

AD communem utilitatem Statutum eſt, quod decedentibus ab inteſtato patre, aut matre, avo, ſeu avia, ſuperſtitibus poſt ſe filiis maſculis, ſeu nepotibus maſculis ex dictis filiis maſculis, & filiabus fœminis, ſeu eorum filiis, quod tunc, & eo caſu filii maſculi, ſeu nepotes maſculi ex dictis maſculis in hæreditate defuncti integrè, & in totum ſuccedere debeant, excluſis penitus filiabus fœminis, & earum filiis, aliqua lege non obſtante. Teneantur tamen dicti filii maſculi, ſeu eorum filii maſculi dictas filias, ſi, & quatenus aliàs ab eorum patre, ſeu avo non fuerint dotatæ, ipſas condecenter dotare, inſpecta tamen qualitate perſonarum, & conſuetudine antiqua Caſatæ circa dotandas fœminas, & quantitate patrimonii cum judicio, & conſenſu dominorum propinquorum conſanguineorum, non habentium tamen intereſſe in hæreditate, quibus dotibus teneantur ſtare contentæ, & ultra petere non poſſint de bonis maternis, & paternis, ſeu avitis. Imò dicti filii maſculi, ut ſuprà, ſeu eorum filii ſimiliter maſculi integrè hæredes exiſtant. Hoc tamen addito, & intellecto, quod adveniente caſu viduitatis poſſint redire dictæ filiæ in domum paternam, & ibi conferendo dotes ſuas habere debeant, ac habeant opportuna alimenta, ſecundum facultatem paternæ hæreditatis, donec viduæ extiterint. Declarantes tamen præſens ſtatutum habere locum in caſibus, tantummodò in præſenti Statuto expreſſis, in cœteris ſervari debeat jus commune, & ſimiliter debeat habere locum in futuris ſucceſſionibus per mortem in futurum obveniendam, & ſic poſt impreſſionem voluminis præſentium ſtatutorum, & non autem in præteritum tempus.

PISSIGNANI,
Quod eſt Caſtrorum ſub Gubernio Spoleti.

PARTICULA CXXXI.

Deſumpta ex reformatione 2. dicti Statuti.

QVod nulla mulier de dicto Caſtro, vel ejus diſtrictu dotata à patre, matre, avo, vel avia, ſeu fratre, vel quocumque alio, poſſit ſuccedere ab inteſtato dotanti maſculo in eodem gradu, ſeu aliquo maſculo, quod pariter ad ſucceſſionem veniret ab inteſtato decedenti, & præſens reformatio locum habeat in præſentibus, præteritis, & futuris &c.

PLEBIS CENTI,
Quæ eſt Terra ſub Legatione Ferrariæ.

PARTICULA CXXXII.

De ſucceſſione ab inteſtato aſcendentium, & collateralium.

ILluſtriſſimo, & Eccllentiſſimo Sig. Duca. Humilmente narrano li Conſoli, Maſſari, & Huomini della Pieve preſſo Cento, qualmente nel loro Generale Conſeglio hanno ottenuto, che in totum ſi levi; caſſi, & annulli un Statuto civile nel volume delli loro Statuti ſotto la Rubrica *de ſucceſſione ab inteſtato aſcendentium, & collateralium*, il quale voleva, che la madre ſuccedeſſe così in la proprietà, & etiam ſucceſſivè in lo uſufrutto, quando non li ſiano figlioli, e perche non ci pare coſa giuſta, che le madri habbiano da ſuccedere, anzi più preſto li figliuoli eſſendone, quando che nò, li più proſſimi maſchi, riſervando ſempre la prerogativa de' gradi, & haver ricorſo al Statuto di V. E. *de ſucceſſione ab inteſtato*. Ancora, che in difetti delli noſtri Statuti in virtù delle lettere di predetta V. E. habbiamo ricorſo à tali Statuti, ma per torre via ogni difficolta, e dubbio, quale per l'auvenire potrebbe accaſcare, ſupplicano l'E. V. ſi voglia degnare eſcluderlo, e confermare tale proviſione, ut ſuprà ex certa ſcientia, & omni meliori modo &c. che così facendo V. E. ſarà cauſa della conſervatione delle caſe, e parentati, ſecondo più amplamente diſpone e'l detto Statuto di prefata V. E, attento, quando non vi foſſino figliuoli ſi riceva alla madre l'uſufrutto, e come in tal loro proviſione ſi contiene ceteris quibuſcumq; in contrarium facientibus non obſtantibus, de gratia ſingulari &c.

Illuſtriſſimus D. noſter Dux ex certa ſcientia, & omni meliori modo, qui fieri poſſit, confirmat, & approbat Statutum prædictum noviter per homines de conſilio d. Terræ Plebis æditum, & illud mandat in poſterum obſervare renovato priori Statuto, de quo in precibus, & ut petitur.

Bapt. Sarach. 5. Febr. 1552.

Intus Hercules Dux Ferrariæ.

De ſucceſſionibus ab inteſtato aſcendentium, & collateralium. Rub. 3.

STatuimus, quod ſi quis, vel ſi qua inteſtatus, vel inteſtata in quacumque ætate ſive teſtabilis fuerit, ſive non, deceſſerit, quod in ſuccedendo ſibi ſerventur jura communia, ſalvo ſuperiori Statuto, & ſalvo, quam in caſibus infraſcriptis videlicet, quod aſcendentes maſculi, & per maſculum præferantur in ſuccedendo omnibus aliis aſcendentibus perſonæ defunctæ, & etiam maſculis per fœminam, excepta matre, vel avia paterna, vel deinceps ſimiliter paterna vidua ex eo matrimonio, ex quo talem filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, vel deinceps, de cujus ſucceſſione ageretur habuerit, quæ vidua, ut ſuprà extantibus aſcendentibus prædictis maſculis, & per maſculum, vel alter eorum, habeat ſolum uſumfructum ejus, quod ſibi à jure communi civili defereretur, donec vixerit, vel ad alia vota tranſierit, vel uſusfructus aliter fuerit extinctus ita, quod ſatisdare teneatur, infrà menſem à die, quod, vel qua fuerit requiſita per publicum inſtrumentum, cujus copia dimitti debeat dictæ mulieri, vel ad domum ipſius ultimæ habitationis ſolitæ, ſalvo tamen jure cujuſcumque perſonæ, cui quæſitus eſſet uſusfructus prædictus jure patriæ poteſtatis, vel alia quacumque de cauſa. Item præferantur prædicti aſcendentes maſculi, & per maſculum, deſcendentibus perſonæ defunctæ per fœminam, ſalvo quod omne id, quod aliàs de jure ipſis deſcendentibus per fœminam obvenire deberet, reſervare teneantur dictis deſcendentibus per fœminam poſt eorum aſcendentium mortem ſi deceſſerint, ſine liberis maſculis, & per maſculum, vel cum liberis maſculis, & repudiantibus, ſeu abſtinentibus, vel minimè adeuntibus, ſeu immiſcentibus, necnon fratres, matres defunctæ perſone

ex

ex utroque parente, vel ex patre tantùm conjuncti, & filii masculi talium fratrum, seu alter ex eis, præferantur dictis descendentibus personæ defunctæ per fœminam præferantur patrui defunctæ personæ, & etiam filii masculi eorum, vel alter ex dictis patruis, vel filiis eorum, vel alterius eorum, nisi legitima eis debita jure naturæ, dote tamen sua, vel materna, sive avita, vel deinceps in ea non computata. Ipsi siquidem fratres, eorumque filii masculi, seu ex eis alter præferantur præfatis ascendentibus defunctæ personæ fœmininis, & etiam masculis per fœmininam, nisi matri, vel aviæ paternæ non extante, seu extante, & repudiante, vel non adeunte, vel pro aviæ paternæ, matre, & avia paterna non extantibus, vel extantibus, & repudiantibus, vel non adeuntibus, viduis ex eo matrimonio immediatè, ex quo talem filium, nepotem, vel neptem, pronepotem, vel proneptem, de cujus successione ageretur habuerit, quæ tunc habeant usumfructum solum virilis partis, si cum dictis fratribus concurrant, & si cum filiis eorum concurrant ipsi filii fratrum in stirpem, & si cum patruis, vel eorum filiis masculis, tunc usumfructum habeant totius hæreditatis, donec vixerint, vel ad alia vota transiverint, vel ususfructus aliter fuerit extinctus, ita quod satis dare teneantur, prout, & sicut suprà, ac etiam subire pro rata parte, seu toto quod habuerint, ut suprà, omnia onera, & gravamina Communis Plebis ipsi hæreditati, vel bonis imposita, vel imponenda, quatenùs patitur usufructus, & non ultrà, donec ipse ususfructus duravit; ascendentesque præfati masculi, & per masculum etiam præferantur sororibus defunctæ personæ, earumque descendentibus etiam masculis, & filiabus fratrum defunctæ personæ, & descendentibus etiam masculis ex ipsis filiabus, exceptis bonis, quæ ad defunctam personam pervenerint ex dote, vel titulo lucrativo à matre, vel conjuncto per matrem defunctæ personæ, in quibus inter eos jus commune servetur. Dicti verò fratres, matres ex utroque parente, vel ex patre tantùm conjuncti, filiique masculi eorum, seu alter ex eis præferantur sororibus defunctæ personæ, etiam utrimque conjunctis earumque liberis, etiam masculis, ac filiabus fratrum masculorum, & earum liberis, etiam masculis, ac etiam fratribus, & sororibus uterinis tantùm, & eorum, & earum liberis, etiam masculis, exceptis bonis, quæ ad defunctam personam pervenerint ex dote, vel titulo lucrativo, ut suprà, à matre, vel conjuncta persona per matrem dictarum sororum, vel uterinorum, in quibus talibus bonis jus commune servetur. Agnati verò masculi transversales, seu alter ex eis usque ad quartum gradum inclusivè, gradum numerando in qualibet parte nostrorum Statutorum secundum jus civile, præferantur omnibus fœminis transversalibus, agnatis, etiam infra dictum gradum existentibus, præterquàm sororibus defunctæ personæ utrimque conjunctis, vel ex patre tantùm, vel filiabus fratrum masculorum personæ defunctæ, similiter conjunctorum, salvis dispositis in hoc Statuto, & salvo si ipsa, vel aliqua earum concurrerint cum patruo, seu patruis defunctæ personæ, quo casu cum eo, seu eis pariter admittantur, nisi in bonis perventis, ut suprà, ad defunctam personam à matre, vel à conjuncta persona per matrem dictarum sororum, vel filiarum, in quibus jus commune servetur. Et etiam prædicti agnati præferantur omnibus transversalibus cognatis, etiam masculis, & etiam jus agnationis transactis, ut puta natis ex sorore, vel amita defuncti, & aliis à jure declaratis, & expressis. Exceptis bonis, quæ ad defunctam personam pervenerint ex dote, vel titulo lucratiuo, ut dictum est, à matre, vel conjuncta persona per matrem defunctæ personæ, in quibus jus commune servetur, nisi filii masculi, vel fœminæ, vel alii liberi sororum utrimque conjunctorum concurrerent cum fratribus maribus defunctæ personæ utrimque conjunctis, seu eorum liberis masculis, vel altero eorum, quo casu ipsi fratres, vel liberi etiam in dictis bonis præferantur. Volentesque quòd naturalibus non tantùm, sed etiam spuriis succedatur, & succedi possit ab intestato per quemcumq; perindè, ac forent legitimi, & naturales, secundum tamen præscriptam, & infrascriptam dispositionem in quantum adaptari potest, & quoad ipsam successionem eis faciendam legitimi, & naturales censeantur, nisi extarent ex ipsis naturalibus tantùm, vel spuriis, ut suprà liberi etiam naturales tantùm, ut suprà, qui tunc admittantur, & omnibus præferantur, præterquam liberis legitimis, & naturalibus, quo casu inter eos jus commune, & nostra Statuta serventur. Declarantes, quod leges de secundis nuptiis loquentes, seu tractantes in suprascriptis omnibus, & infrascriptis vendicent sibi locum, nisi in supradictis, & infrascriptis casibus aliud sit specialiter provisum. Insuper statuimus, quod quilibet homicida, seu ille, cujus dolo malo aliqua persona decesserit, non succedat, nec succedere possit ex Testamento, vel ab intestato ipsi defunctæ personæ, nec alicui ejus ascendenti, vel descendenti, nisi ex testamento postea confecto, nec aliquid de bonis talium capere possit ex testamento ipsorum, nisi postea confecto ut suprà, vel ab intestato, propriè, vel impropriè sumpto vocabulo. Item uxor filii, vel nepotes talis homicidæ, seu cujus dolo malo decesserit, in eodem modo prædictis non succedant, nec capere possint de bonis prædictorum, ut suprà, donec vixerit ille talis homicida, seu cujus dolo malo decesserit. Et de prædictis dolo, & homicidio probari sufficiat per bannum indè factum, & exemplatum in libris bannitorum Communis Plebis positis ad Cameram dicti Communis Plebis. Decernentes hæreditatem prædictam etiam in vim ad sequentes pervenire debere secundum formam juris, & nostrorum Statutorum, quæ tamen hæreditas ad sequestres, sic devoluta ex causis prædictis revertatur ipso jure ad personas exclusas, ut suprà quandocumque mortuo tali homicida, vel cujus dolo malo decesserit talis persona defuncta, ut suprà, & de omnibus bonis dictæ hæreditatis teneatur ipsa persona, ad quam sic interim pervenerit inventarium conficere, & satisfacere ad omnem requisitionem personæ exclusæ de utendo, & fruendo eis arbitrio boni viri, & de custodiendo, & salvando, & restituendo ea omnia, & æstimationem eorum, quæ servando servari non possunt, seu non poterunt personæ sic exclusæ post mortem talis homicidæ, vel cujus dolo malo decesserit persona defuncta. Fructus tamen quicumque percepti à tali sequestre, ad quem devoluta fuerit hæreditas, ut suprà, ex causis prædictis, antè sequutam mortem dictæ homicidæ, vel cujus dolo malo decesserit persona defuncta, ut suprà, cedant lucro ipsius percipientis, satisdatione, ut dicitur præstita, & aliter non: Declarantes, quod in omnibus casibus prædictis, quæ dictæ sunt de homicida, locum habeant in parricida quocumque, mandantes, quod in quolibet casuum prædictorum, ubi fœminæ de linea agnationis contra jus commune excluduntur, si tales fœminæ dotatæ non essent, vel non sufficienter, dotari possint, & debeant, & eis dotes augeri in bonis, & de bonis defunctæ personæ modo, & forma tradita in Statuto nostro proximo præcedenti, si alium, qui dotare eas deberet, non haberent, vel minùs sufficienter, si verò aliqua fœmina de linea agnationis, vel cognationis excludatur à successione contra jus commune, & sit pauper, & indotata, nec extent de bonis alicujus, in quibus possit, vel debeat dotari, tunc possit ipsa fœmina de linea agnationis, vel cognationis petere se dotari in bonis, ut suprà, & de bonis talis personæ defunctæ, à cujus successione excluditur, ut suprà, & se alimentari modo, & forma tradita in Statuto proximo præcedenti. Et idem sit, si tales fœminæ de linea agnationis, & cognationis exclusæ, ut suprà, religionem intrassent, vel intrare vellent. Ita tamen, quod prædicta non excedant portionem, à qua excluduntur vigore præsentis Statuti. Ubi verò in matrimonio, vel religione constitutæ non essent, nec esse vellent, & ex eo, quod haberent decenter vivere non possent, decernantur, & constituantur, & dentur eis alimenta in bonis prædictis, quoad vixerint in statu tali, honesto modo, dummodò dicta alimenta non excedant usumfructum ejus portionis, à qua exclusæ sunt, ut suprà. Etsi antequàm dotentur, ut suprà, moriantur nuptæ, vel non nuptæ, transmittatur illud jus petendi dotari ad hæredes earum, qui hæredes petere possint modo, & forma contenta in præcedenti Statuto, omne id, & totum, quod petere poterat ipsa persona defuncta, quæ poterat petere se dotari, ut suprà. Volentes insuper, & declarantes, quòd omnia contenta in præsenti Statuto, & dispositа in casibus supradictis, si separatim, seu divisim contingat, locum habeant in dictis casibus, etiamsi simul, vel conjunctim contingant, quotcumque sint casus insimul, vel conjunctim contingentes, quatenus possint adaptari. Item quòd omnis hæreditas delata alicui ex Testamento, vel ab intestato, si moriatur antè aditam hæreditatem, vel immissionem factam, transmittatur ad ejus hæredes, & hæredes

des hæredis in infinitum ex teſtamento, vel ab inteſtato, etiam impropriè ſumpto vocabulo, ſecundum diſpoſitionem prædictam. Et ſimiliter jus, quod competebat alicui aſcendenti, vel deſcendenti dicendi aliquam ultimam voluntatem nullam propter præteritionem de eo factam in aliqua ultima voluntate, tranſmittatur ad quoſcumq; ejus hæredes deſcendentes, vel collaterales maſculos, & per lineam maſculinam conjunctos, uſque ad quartum gradum incluſivè, gradum connumerando, ut ſuprà. Declarantes, quòd ubi in quacumque parte præſentis Statuti fit mentio de patruo, intelligatur tantùm de fratre patris utrimq; conjuncto, vel ex parte patris tantùm.

PODII NATIVI, ſeu DONADEI

Terræ B. in Diſtrictu Urbis.

PARTICULA CXXXIII.

Che le Sorelle, che paſſano 25. anni, e non ſono maritate, poſſino dividere. Pag.36.

STatuimo, & ordiniamo, che ſe alcuno havrà una, ò più ſorelle, e non poterà maritare, e non mariterà quelle, ſecondo la ſua conditione, in termine, che detta ſorella habbia venticinque anni, non ce eſſendo juſto, e legitimo impedimento, che paſſati detti venticinque anni detta ſorella poſſa dimandare in la heredità paterna, e materna pro rata, come ſe foſſe maſchio, e detto fratello, ò fratelli ſiano tenuti, & obligati darli detta parte d'heredità per dote, e la corte ad petitione di detta ſorella ſia tenuta aſtringere detto fratello, ò fratelli ad conſegnare detta parte de heredità, alla prefatta ſorella.

PONTIS CASTRI

Sub Gubernio Spoleti.

PARTICULA CXXXIV.

Quòd mulieres dotatæ non ſuccedant certis perſonis. Cap. 17.

STatuimus, quòd mulieres dotatæ per patrem, ſeu matrem, fratrem, ſororem, avum, vel aviam non ſuccedant ab inteſtato hujuſmodi patri, vel matri, ſorori, vel fratri, avo, vel aviæ. Si talis pater, mater, frater, vel ſoror, avus, vel avia decederent, aliis filiis ſuperſtitibus maſculis, vel nepotis ex filiis naturalibus ex eodem matrimonio, de quo nata eſt dicta mulier dotata, vel ſi decederent aliqui ex fratribus, vel ſororibus, etiam ſine filiis aliis fratribus carnalibus, vel filiis fratrum maſculis ſuperſtitibus ex utroque parente, dictæ mulieres dotatæ, volentes non audiantur, & ſi in judicio egerint petiendo hæreditatem, vel partem nonæ prædictorum debitæ, mulieres, & ejus Procuratores per Rectores eiiciantur.

POSTIGNANI

Caſtri ſub Gubernio Spoleti.

PARTICULÆ CXXXV.

Quòd mulier dotata ſuccedere non debeat ab inteſtato. Cap. 11.

MUlier aliqua de eadem Univerſitate, vel ejus diſtrictu, dotata à patre, matre, avio, avia, fratre, nepote, vel quoque alio, non poſſit, nec valeat ſuccedere, vel regreſſum habere ab inteſtato in bonis dotantis, & fratrum, ſororum, nepotum, neptuum, & aliorum quorumcumque, & quolibet attinentium in aliquo gradu ipſis dotantibus aliquam rem, vel eam. Sed dotibus datis, vel promiſſis ſtare debeat, & ſit contenta, itaque aliquod ultrà dotes prædictas petere, vel habere non poſſit jure legitimæ, trebellianicæ, & ſupplementi legitimæ, vel cujuſcumque alterius, à quibus penitus excluſis, & dotes prædictæ in locum legitimæ, vel ejus ſupplementi dictæ mulieri debitæ, & aliorum prædictorum ſuccedere, & venire intelligantur, & ſi dictæ dotes ad computum, & debitam legitimæ quantitatem aſcenderent, & ſuperſtite ei aliquo maſculo ex linea paterna, uſque in tertium gradum incluſivè, ſecundum jus canonicum computan., & præſens Statutum habeat locum in præſentibus, præteritis, & futuris.

RAVENATEN.

Civitatis.

PARTICULA CXXXVI.

De ſucceſſione filiorum, & aliorum deſcendentium in rebus parentum, & aliorum aſcendentium, ab inteſtato morientium. Rub.12.

STatuimus, & ordinamus, quòd filius, vel filii, & alii deſcendentes maſculi ſuccedant in omnibus bonis, & rebus tam emphyteoticis, ſeu livellariis (ſalva ſemper concordia nova de iis loquente) quàm libetis, & allodialibus, & ubicumque poſitis, & juribus parentum ſuorum ab inteſtato morientium; ita tamen, quòd hujuſmodi aſcendentium hæreditates deferantur ſuper perſonis maſculis deſcendentibus in gradu proximioribus perſonæ defunctæ de agnatione patris, ſeu alterius aſcendentis, de cujus hæreditate ageretur, excluſis filiabus fœminis, nepotibus, & aliis à matre deſcendentibus, adeò quòd ratio habeatur, & in conſideratione ſit ſemper favor agnationis, & ſanguinis paterni, & materni generis illius morientis, & non matris, nec maternis generis, & proximiores, qui ſuccedere debeant, ut ſuprà intelligantur, etiam ſi uno gradu eſſent remotiores ipſi defuncto, quia unum ſubintrat locum, ſeu gradum patris, vel alterius perſonæ, in cujus locum ſuccederet, volumus, & decernimus in ſtirpes, & non in capita dividatur hæreditas. Filiæ verò, & aliæ fœminæ de agnatione paterna deſcendentes à filiis maſculis dotari debeant congrua dote, habita ratione facultatum, ac numeri filiorum, & dignitatis familiæ, & natalium talis ab inteſtato decedentis, dum tamen dos conſtituenda, & tradenda minor non ſit legitima, quæ ipſis fœminis dotandis deberetur, major autem eſſe poſſit ipſa legitima, ſi ita æquum eſſe videbitur, conſideratis iis, quæ conſideranda eſſe nunc diximus. Quod ſi ipſas filias, & alias fœminas prædictas velle ingredi Monaſterium aliquod contingeret, eis dos illa præſtetur, quæ dotantibus, & Monaſteriis ipſis placuerit, & ſimul pacti fuerint, vel ſi jam effectæ eſſent Monachæ contentæ eſſe debeant dote jam habita, & nil ulterius in quocumque horum caſuum petere, aut conſequi poſſint. Et quoad augendam, vel minuendam legitimam, ſecundum numerum filiorum trientis, vel ſemiſſis, juxtà jus noviſſimum authenticorum, prædictæ filiæ Monachæ, cujuſcumque ſint Religionis, & Monaſterii in Civitate noſtra Ravennæ, annumerentur, & computentur cum aliis filiis, ſeu filiabus in ſæculo remanſis, & ipſa legitima debeatur, & in ea ſuccedatur in ſtirpes, & non in capita. Et ſi mortuus (ut ſuprà) ſine teſtamento ſupererunt prædictæ eorum filiæ neptes ex filio premortuo, vel pronepotes, quæ nondum eſſent nubiles, interim donec nuptui tradentur per prædictos deſcendentes agnatos hæredes alantur, & educentur probè, & ſecundum conditionem, ac facultates illius jam defuncti, in cujus bonis erunt dotandæ. Fructus autem ipſius legitimæ petere non poſſint, nec debeant, donec in domo patris, ſeu dictorum aſcendentium mortuorum morabuntur, & alimenta eis præſtabuntur. Et moriente patre, vel avo paterno, aut alio deſcendente paternæ agnationis filia ſua, ſeu filiabus, neptibus, vel pronepotibus ex maſculis, & maſculino ſuo genere, & agnatione provenientibus, jam matrimonio collocatis, & dotatis. Hujuſmodi fœminæ, & ipſi de medio ſublatis, provenientes ex legitimo matrimonio ab eis petere, ac conſequi poſſint legitimum, ſeu ejus ſupplementum in bonis, & hæreditate etiam in pecunia numerata exiſtente, ſeu illius patris, ſeu avi, aut alterius aſcendentis, ut ſuprà ab inteſtato decedentis.

In qua dote tam conſiſtentes in pecunia numerata, quàm in bonis mobilibus, ſe moventibus, & ſtabilibus tam liberis, & allodialibus, quàm emphyteoticis, ſeu livellariis bona omnia parafrenalia, & alia localia habita à perſona, in cujus bonis, & hæreditate detrahenda erit legitima, vel ejus ſupplementum computentur, & computari debeant.

Quamque legitimam, ſeu ejus ſupplementum petendi facultatem eſſe ſublatam intendimus, ac ſancimus ſpatio annorum viginti à die mortis illius, de cujus bonis, & hæreditate deberetur.

Fru-

Fructus autem ipſius legitimæ, ſeu ejus ſupplementi non debeantur aliquo modo, niſi à die moræ, in qua ejus debitor, ſeu debitores fuiſſent judicialiter conſtituti. Et modo, quo ſuprà deberi legitimam, ſeu earum ſupplementum, & fructus prædictos diſcendentibus ex maſculis diſpoſuimus, eodem etiam modo deſcendentibus hæredibus ex filiabus fœminis debeantur, non autem aliis hæredibus ipſarum filiarum debeatur, ſed tantùm deſcendentibus ab eis. Iiſdemque temporum ſpatiis ea petendi jus finiatur, & in eis computentur, quæ ſuprà computari diximus.

REATINÆ CIVITATIS.

PARTICULA CXXXVII.

De ſucceſſione ab inteſtato. Cap. 19. lib. 2.

IN ſucceſſionibus ab inteſtato primò ſuccedant filii, & filiæ deſcendentes ex filio maſculo legitimo. Nepotes verò ſuccedant cum patruis in ſtirpes, & non per capita. Idem & in patruis, ut in ſtirpes ſuccedant. Si quis verò ſine patre, & filiis, & nepote, aut pronepote, vel deinceps ex filio inteſtatus deceſſerit, Proximiores conſanguinei, ſive unus, ſive plures ſint, ejuſdem gradus, ſuccedant tali defuncto ab inteſtato, & omnia bona defuncti ad proximiorem, ſeu proximiores deveniant, hoc tamen declarato, quòd ſi talis ab inteſtato defunctus habuerit plures fratres, vel ſorores, vel nepotes ex fratre, quorum aliqui ſint ex utroque parente conjuncti; aliqui ex altero tantùm, præferantur in ejus ſucceſſione ab inteſtatto ille, vel illi, qui eſt, vel ſunt ab utroque parente conjuncti, excluſis conjunctis ex altero parente tantùm, & ſi habuerit fratres, vel nepotes ex fratre, vel fratribus, quorum aliqui ſint ex parte paterna, & paterna linea tantùm conjuncti, aliqui ex matre, ſeu materna linea tantùm ſint conjuncti, præferantur, & ſuccedant tali defuncto fratri ſuo paterno in bonis paternis, & quæ tali defuncto ex paterna ſucceſſione devenerint. Illi verò fratres, ſorores, vel nepotes, qui ex matre tantùm, vel materna linea ſunt conjuncti, præferantur, & ſuccedant tali fratri, vel paterno in bonis maternis, & quæ tali defuncto à matre, & matris hæreditate devenerint. Filiæ verò dotatæ à patre, avo, matre, fratre, vel de bonis ſuis, vel relicto in teſtamento nomine dotis non poſſint ſuccedere ab inteſtato alicui proximiori conſanguineo, nec parentibus ſuis unà cum fratre, vel nepotibus ex fratre præmortuo. Et ſi non habuerit fratrem carnalem, vel nepotem ex fratre, & habuerit patruum, ſeu patruos, & fratres patrueles, vel aliquem ipſorum, tunc in eo caſu ſuccedat dicta mulier pro medietate, & in alia medietate ſuccedant prædicti in ſtirpes, & non per capita, & hoc in illis caſibus, in quibus eſſet potior in gradu, & hoc locum habeat in ſucceſſione conſanguineorum ex parte patris tantùm, & eodem modo in ſucceſsione conſanguineorum ex parte matris ſuccedat dicta mulier dotata, non ſuperſtite fratre, vel nepote carnali ex fratre præmortuo ipſius mulieris dotatę in medietate bonorum, & in alia medietate ſuccedat avunculus, vel avunculi, & fratres conſobrini ex parte matris; ſi verò eſſet æqualis de jure communi ipſi patruo, ſeu cum patruis, ſeu cum dd. fratribus patruelibus, vel altero ipſorum in ſucceſsione conſanguineorum paternorum, qui tamen in eo caſu ſuccedat in medietate ejus, quod eſſet habitura de jure communi. Reſiduum verò remaneat ſupranominatis perſonis, & idem modus ſervetur cum avunculo ex fratribus conſobrinis ex parte matris in ſucceſſione conſanguineorum ex materna linea, & à quacumque ſucceſſione repellatur mater ſi viveret. Repellantur, & ejus filii deſcendentes. Et quia ſi qua mulier fuerit dotata à patre, matre, vel patruo, & diſſoluto matrimonio propter mortem ipſius mulieris inteſtatæ defunctæ, & remanſerint filii maſculi, vel fœminæ unus, ſive plures, & dicti filii, vel filiæ morientur in pupillari ætate, vel inteſtati, quòd medietas dotis dictæ mulieris remaneat, & revertatur ad dictum dotantem, & hæredes ejus, In alia verò medietate ſuccedat proximior, qui de jure, & ſecundùm formam Statutorum dictis filiis, vel filiabus ſuccedere debet, & ſi qua mulier vidua caſtè, & honeſtè honorem præmortui viri ſui ſervaverit, poſſit ſuccedere, & ſuccedat filio ſuo, & filiæ ab inteſtato defunctæ in medietate uſusfructus omnium bonorum talis filii, ſeu filiæ ab inteſtato defuncti, ſeu defunctæ. Et ſi ad ſecunda, vel ulteriora vota tranſierit, vel caſtè non vixerit, ſeu viri mortui honorem non ſervaverit, ſit ab omni ſucceſſione filii, & filiæ excluſa, nec mater, nec avus maternus, vel deſcendens ex linea materna poſſit ſuccedere ab inteſtato filio, vel filiæ, nepoti, vel nepti ſuperſtite deſcendente à linea maſculina, vel fratre carnali ex utroque parente, vel patre tantùm decedente. Et mulier dotata non poſſit agere ad ſupplementum debiti à jure naturæ contra hæredes patris, vel in bonis paternis, ſi etiam minus debita portione eſſet, & ſi pater reliquerit aliquid filiæ nomine dotis, vel pro dote, quòd tunc cenſeatur legatum purum, & ei teneantur hæredes patris, ſtatim ad ſuì petitionem aſſignare dotem in pecunia, vel in poſſeſſione ejuſdem valoris, & quod frater poſſit dotare ſororem ſuam, ſecundùm facultatem patrimonii ſui, ſicut poterat pater in ſuo teſtamento, & mulier ſic dotata debeat eſſe contenta de dicta dote, & alia bona communia, vel paterna, ſeu materna relaxare debeat pleno jure dictis fratribus, ſecundùm ſenſum ſapientiorum.

RECINETEN. CIVITATIS.

PARTICULA CXXXVIII.

De ſucceſſionibus ab inteſtato. Rubr. 58.

SI quis ab inteſtato deceſſerit, filiis, filiabus, ſeu nepotibus, vel neptibus ex filio non relictis, patre, vel matre non ſubſiſtentibus, ſi fratres carnales ſint ſoli, vel cum filiis alterius fratris in ſtirpem ſuccedant. Si autem remanſit ſoror tantùm, illa ſuccedat. Si filii, & filiæ ſororis, tantùm maſculi ſuccedant, deinde in antea proximior in gradu ſuccedat, quod locum habere volumus in præteritis, & futuris.

Ejuſdem Statuti. *Quòd filiæ dotatæ ſint contentæ dote ſua, & ad bona paterna non poſſint habere regreſſum. Rub. 59.*

QUando mulier dotata ſit, ſeu fuerit à patre, vel avo paterno, ſive à fratribus carnalibus ex parte patris, & ſuperſit maſculus filius ex aliquo prædictorum dotantium, dote ſibi data ſit contenta, nec poſſit patre, vel avo paterno, vel fratribus carnalibus ex parte patris, ſeu liberis eorum viventibus, ad bona paterna avi paterni, vel fratris, ſeu fratrum carnalium habere regreſſum, vel aliquid petere occaſione hæreditatis alicujus dictarum perſonarum, vel alia quacumque occaſione, ſive renunciaverit, ſive non. Si verò mulier dotata fuerit, vel ſit ab aliqua alia perſona, quàm à patre, vel avo paterno, ſive à fratribus carnalibus ex parte patris, auctoritate præſentis Edicti poſſit ipſa mulier ex teſtamento, vel ab inteſtato dotanti ſuccedere, tanquam ſi ab eo nulla ſibi fuiſſet dos conſtituta, quæ locum habere volumus in matrimoniis præſentibus, & futuris. Si autem quis deceſſerit relictis pluribus filiabus, vel neptibus tantùm, quælibet in virili, ſeu æqualiter ſuccedat. Quòd ſi ex ipſis aliqua, ſeu aliquæ ipſarum fuerint nuptæ, tantum minus accipiant de ſucceſſione, quantum fuerit quantitas ſuæ dotis. Cæterùm ſi pater, vel avus paternus, vel frater carnalis ex parte patris, ipſis filiabus, vel neptibus nuptis aliquid reliquerit ultrà dotem, ultrà petere non poſſint occaſione legitimæ, vel alia quacumque cauſa viventibus fratribus maſculis, vel patruis, vel eorum liberis.

ROCCÆ CONTRADÆ,

Quæ eſt Terra ſub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA CXXXIX.

Quòd ſtantibus maſculis, & nepotibus maſculis ab inteſtato decedentibus, filiæ fœminæ, ſeu neptes aliquo modo non ſuccedant. Cap. 146.

STatuimus, & ordinamus, ac reformamus, advertentes, quòd ex judicio Dei, ut plurimum contingat inevitabiles caſus diræ, ſubitæ, & inopinatæ mortis, in tantum, quòd quis percuſſus fulmine, morte adveniente non poteſt ſuper bonis, & rebus ſuis teſtando providere, vel aliter diſponendo, ut experientia docet quotidiana, ex quo mortis judicio plurimi, & plurimi patres familias non valentes aliter de bonis ſuis teſtando diſponere obeunt penitus inteſtati. Ob quam rem filii maſculi, & nepotes ex filiis maribus orti maximam patiuntur jacturam circa ſucceſſionem bonorum, & rerum, ac hæreditatis hujuſmodi inteſtatorum, ſeu ab inteſtato decedentium, quia cum ipſis filiis

maſculis, ac nepotibus ortis, ex filiis maribus prædictis, ex quibus ſubſtentatur dignitas, & honor familiarum, & domorum tam filiæ fœminæ, & neptes, nuptæ, & dotatæ, quàm non nuptæ, talium ab inteſtato decedentium ſucceſſionem quærunt, & quotidiè ſuccedunt æqualiter unà cum filiis maſculis.

Quo circà volentes tanto familiarum, & domorum damno, jacturæ, & perditioni providere, ſuccurrere, & obviare, ſtatuendo, ordinando, & confirmando dicimus, quòd dictæ filiæ fœminæ, ſeu neptes à patre nuptæ, & dotatæ, & etiam filiæ fœminæ, ſeu neptæ nedum nuptæ, ſed poſt mortem talium avorum, & patrum ſuorum, ab inteſtato decedentium, nubendæ, & competenter dotandæ, ſtantibus dictis filiis, ſeu nepotibus maſculis, vel ſi alter ipſorum vixerit, in aliquo non ſuccedant præfatis ad partem filiarum, vel nepotum, patre, ſive avo, patre, vel avia paterna ab inteſtato defunctis, nec eſſe illegitimis, ſed ſint, & eſſe debeant tacitæ, & contentæ ipſarum dotium, legibus quibuſcumque in contrarium facientibus non obſtantibus, tam civilibus, quàm Canonicis, & idem ordinamus, ſtatuimus, & reformamus de ſucceſſione bonorum matris, avi materni, & aviæ maternæ decedentium ab inteſtato, quòd filii maſculi, & nepotes ex filiis maſculis orti ſuccedant, excluſis penitus filiabus, & nepotibus jam maritatis, & dotatis, & maritandis, ſeu competenter dotandis de bonis patris, avi paterni, & aviæ paternæ, ſive de bonis matris, avi materni, & aviæ maternæ, quæ filiæ, & neptæ, etiam in legitima non ſuccedant, quamdiu, & donec dicti filii, & nepotes maſculi, vel alter ipſorum ſupervixerint, & prædicta ſtatuta, ordinamenta, ſeu reformationes ſibi locum vindicent per tempora ventura, & omnino inviolabiliter debeant obſervari, aliqua lege civili, vel Canonica non obſtante &c.

ROCCHETTÆ CASTRI,

Sub Gubernio Spoleti.

PARTICULA CXL.

Quòd mulieres dotatæ non ſuccedant certis perſonis. Cap. 17.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd mulieres dotatæ per fratrem, matrem, patrem, ſororem, avunculum, ſeu aviam non ſuccedant ab inteſtato hujuſmodi patri, vel matri, ſorori, vel fratri, avo, vel aviæ, dummodo pater, vel mater, frater, vel ſoror, avus, vel avia decederent aliis filiis ſuperſtitibus maſculis, vel nepotibus ex filiis natis ex eodem matrimonio, de quo nata eſt dicta mulier dotata, vel ſi decederet aliquis ex fratribus, vel ſororibus, & ſine filiis aliis fratribus carnalibus, vel filiis fratrum maſculis ſuperſtitibus ex utroque parente dictæ mulieres dotatæ ad ſucceſſionem prædictorum venire volentes, non audiantur. Et ſi in judicio egerint petendo hæreditatem, vel partem quondam prædictorum, dictæ mulieres, per rectores eiiciantur &c.

RONCOFREDDI,

Loci B. in Provincia Romandiolæ.

PARTICULA CXLI.

In ordine alle ſucceſſioni ab inteſtato.

IN oltre intendendo S. Sig. Illuſtriſs. di provedere alla conſervatione delle caſe, e famiglie, ordina, è decreta, che ſtante li figli, e deſcendenti maſchi al tempo della morte d'alcun padre, ò deſcendenti, quelli ſoli ſuccedino al defonto, e s'intendano eſſere ſuoi heredi ab inteſtato, eſcluſe ſempre le figlie femine, e deſcendenti femine dall'heredità del morto padre, & aſcendente ab inteſtato, le quali femine ſe in vita ſaranno ſtate dotate dal loro padre, ò aſcendente, ſiano contente, e tacite della dote datali, e promeſſali, nè poſſano pretendere altro con ſi maſchi, etiam legitima, ò ſuo ſupplemento, dalla quale S. Sig. Illuſtriſſima con il preſente decreto, intende perpetuamente eſcludere. Ma ſe non ſaranno ſtate dotate in vita del padre, ò aſcendente, remanendo ferma detta eſcluſione etiam della legitima S. Sig. Illuſtriſs. vuole, e decreta, e commanda, che ſiano dotate ad arbitrio de' ſuoi parenti più proſſimi, e non trovandoſi parenti, ſe li deve deputare, e conſtituire la dote da duoi da eleggerſi dal publico Conſeglio di Roncofreddo, li quali nell'arbitrare detta dote dovranno haver conſideratione alla qualità della famiglia, delle perſone, delle facoltà, e de' tëmpi, e conforme al detto arbitrio gli heredi maſchi dovranno pagare detta dote, e non altrimenti, nè in altro modo &c.

SANCTÆ AGATHÆ,

Terræ ſub Legatione Bononiæ.

PARTICULA CXLII.

Che la donna dotata non ſucceda, pag. 29. lib. 2.

VOlemo, che domente, che in la caſata ſia fratelli d'alcuna donna maritata, ò maſchi di quella caſata, la donna maritata delli beni paterni non poſſa ſuccedere in la d. heredità del padre, fratelli, ò altri di diritta caſata, ſe non è da eſſi inſtituita herede, e laſſata legataria. Ma ſtia contenta della dote ſua, la qual dote però ſe foſſe manco, che richiede la conditione della caſata, e paterna, volemo, che eſſa maritata poſſi adimandare il ſupplemento, inſino alla quantità dello conſuero. E ſimilmente s'intenda della donna non maritata, la quale ſi diga maritare, e darghe la dote, non di minor ſomma, che ſia lo conſuero della caſata, e di quella ſtia contenta, ut ſuprà; e volemo, che cadauna fatta vedova poſſa tornare, ſtare, & habitare nella caſa del padre, ò avo paterno, & communicare la dote ſua con quelli, & da eſſi heredi del padre havere li alimenti neceſſarii, domente ſta in viduitade. Item volemo, che non reſtando maſchio alcuno de la caſata eſſe donne poſſan ſuccedere ab inteſtato alli morti della caſata.

Ejuſdem Statuti. *Delle donne, che ſe hanno à maritare.*

VOlemo, che li morti padri, e li fratelli, & agnati debban maritare le figliole del morto, della heredità del morto, in duoi anni proximi, ſe ſono d'età nubile, cum conſilio de duoi, ò tre proximi agnati, e debbanſi dare le loro dote condecente, che non ſiano minore di quanto richiede la conditione ſua, cioè della caſata.

S. ANATOLIÆ,

Quæ eſt Terra ſub Gubernio Camerini.

PARTICULA CXLIII.

Quòd mulier, quæ fuerit dotata à patre, vel alio conſanguineo, non poſſit ulterius petere partem in bonis patris. Rubr. 195.

DIcimus, & ordinamus, quòd ſi aliqua fœmina fuerit dotata à patre, vel à matre, aut fratre, ſive ſororibus, aut partem habuerit de bonis paternis, aut maternis, qualicumque de cauſa, non poſſit, nec debeat ulterius aliquid petere de bonis prædictis, niſi fuerit ſibi relictum, & ſi contrafecerit non audiatur, & ſolvat probano Communi decem lib. legitimis hæredibus exiſtentibus.

Reformationes. Pag. 99.

ITem perche in Santa Anatoglia è un Statuto, che fœminæ dotatæ non poſſint ſuccedere, e per eſſere alquanto oſcuro, nè s'intende bene, ſe la mente del Statuto fù, che tali femine foſſero eſcluſe ſolamente dalla heredità paterna, ò vero generaliter dalla heredità materna, paterna, e fraterna, nè anche s'intende bene, ſe queſta eſcluſione ſe intende, che duri mentre, che ſono vivi i maſchi, ò vero perpetuamente. Degniſi Voſtra Eccellenza dichiarare detto Statuto, & ordini, che detto Statuto s'intenda, che tali femine dotate non poſſono ſuccedere nell'heredità del padre, madre, fratelli, e ſorelle, di modo che dotate competentemente delli beni, e ſoſtanza di una delle dette perſone in eſſo Statuto nominate, ſe intendino, e ſiano generalmente eſcluſe dalla heredità, e beni di tutti gli altri, di che in detto Statuto ſi fà mentione. E che queſte tali donne dotate ſe intendano private dell'heredità ſolamente, ſin tanto che li maſchi per cauſa delli quali ſono eſcluſe, vivono, e che mancando in tutto la linea maſcolina prefate femine eſcluſe, e loro figlioli, e nepoti, ò maſchi, ò femine, che ſiano poſſano addimandare la rata, e parte dell'heredità, della quale detta femina fù eſcluſa, e s'intenda reintegrata al tutto, alla primiera ragione della ſucceſſione, dalla quale per la ſuperexiſtenza delli maſchi era ſtata temporalmente eſcluſa, e queſto adimandano per tor via molte liti, che ſopra queſti duoi caſi ogni dì occorrono, parte per cavilatione de Auvocati, parte per la varietà, & opinione de' Dottori,

e per la oſcurità di detto Statuto, volendo, & ordinando queſta dichiaratione haver luogo, e doverſi oſſervare non ſolo per l'auvenire, ma anche nelle coſe paſſate per ſentenza, ò tranſatione non ancor deciſe. Placet.

SANCTI ARCHANGELI,

Loci ſub Legatione Romandiolæ.

PARTICULA CXLIV.

De ſucceſſionibus ab inteſtato, & inteſtabilium. Rubr. 40.

QUia Reipublicæ intereſt, ut cippus Domus conſervetur, ne omnis maſculorum labor inter extraneos lares dividatur, domuſque deſtruatur, & plerumque homines deveniant ad inopiam, divitiaſque ammittant, quibus deficientibus ſordeſcit dignitas familiarum. Idcircò in ſucceſſionibus ab inteſtato, vel ſine teſtamento, & inteſtabilium tale jus ſervetur, quod filiæ fœminæ, & deſcendentes ab eis non poſſint ab inteſtato ſuccedere patri, avo, vel proavo, ſi ex eis, aut aliquo eorum remanſerit unicus filius maſculus, ſeu plures, aut nepotes maſculi, unus, vel plures nati ex filio, vel filiis ipſius mortui, & matri, aviæ, vel proaviæ mortuæ non poſſint ab inteſtato ſuccedere fœminæ, aut deſcendentes earum ſi remanſerint filii maſculi unus, vel plures, aut nepotes maſculi unus, vel plures nati ex filio, ſeu filiis perſonæ præmortuæ deſcendentes ab ipſa matre, avia, vel proavia, ſed in quolibet caſuum prædictorum mulieres illæ ſi dotatæ non eſſent, debeant congruè dotari, ſecundùm facultatem patrimonii, & perſonarum qualitatem. Et ſi ipſæ fœminæ non dotarentur congruè, poſſint ab hærede petere bona illius hæreditatis, & ea habere, & tenere quouſque fuerint congruè dotatæ, & non obſtante aliqua alienatione facta de bonis hæreditatis, & ſi frater nollet maritare ſororem, aut eam vellet maritare incongruè, vel indecenter, vel ad eam maritare eſſet inhabilis, tunc duo ex proximioribus conſanguineis ipſorum, unus ex latere paterno, & alius ex latere materno debeant eam maritare, ſecundùm facultatem patrimonii, & qualitatem perſonarum, & ſi concordes non eſſent, eligatur Tertius per D. Poteſtatem S. Archangeli, qui pro tempore fuerit, & duo ex dd. tribus poſſint, ſecundùm facultatem patrimonii, eandem liberè maritare, & dotem conſtituere, & contra id, quod actum fuerit per ipſos fratres non poſſit venire, videlicet aliquid opponere aliqua ratione, vel cauſa, & fiat electio dictorum duorum conſanguineorum, & tertii ad petitionem cujuſcumque conjuncti dictæ fœminæ prædictæ narrantis, & petentis coram d. D. Poteſtate.

Item, quòd mortuo patre ab inteſtato, ſi remanſerint filiæ fœminæ, & non maſculi perſonæ mortuæ, & remanſerint fratres carnales dictæ perſonæ defunctæ, unus, vel plures, tunc dictæ filiæ fœminæ, & dicti fratres carnales ſuccedant, & ſuccedere debeant æqualiter, viriliter in bonis, & hæreditate dictæ perſonæ defunctæ.

Item mater, & conjuncti ex latere materno tantùm non poſſint ab inteſtato ſuccedere ad ſucceſſionem filii, aut filiæ, vel eorum deſcendentium, ſi remanſerint filius, frater, vel ſoror perſonæ mortuæ, aut filius fratris, vel filius ſororis, aut patruus, aut frater patruelis unus, vel plures ex latere paterno perſonæ defunctæ, & in eo caſu, in quo ex perſona defuncta ſupereſſet mater, & patruus, mater poſſit ſuccedere in quarta parte hæreditatis perſonæ mortuæ, & in reſiduis tribus partibus ſuccedat patruus, ſive avus patruus, vel filius, ſive filii patrui, ſeu fratres patrueli. Et mortuo fratre ab inteſtato ſorores ſuccedere non poſſint, ſi remanſerint unus frater carnalis, vel plures ex latere paterno, & materno, vel ſaltem paterno, aut filii ipſius fratris: & ſorores, ſi maritatæ non eſſent in aliquo ſupradictorum caſuum, debeant congruenter dotari de bonis fratris defuncti, prout de aliis ſuperiùs dictum eſt. Et idem ſervetur in ſororibus ab inteſtato decedentibus.

Item ſi remanſerit patruus perſonæ defunctæ, ſorores ipſius defuncti ſolum in quarta parte defuncti fratris ſuccedant, etiam ſi dotatæ eſſent. Si autem dotatæ non eſſent, debeant congruenter dotari, prout ſuperius dictum eſt, & debeant filii, & nepotes, & alii ſucceſſores quando ex perſona defuncti eſſent fœminæ dotandæ, ſecundùm formam ſupradictam, ex bonis defuncti facere inventarium omnium bonorum patris, & matris, avi, & aviæ, proavi, & proaviæ, vel alterius perſonæ, cui ſuccederent, adhoc, ut dictæ filiæ, ſorores, aut nepotes, & filiæ dotandæ ex bonis defuncti, non poſſint in aliquo defraudari, & illud inventarium dicti ſucceſſores teneantur facere infrà menſem à die mortis ejus, cui ſucceſſerint, & ſi dictæ fœminæ dotandæ eſſent ſecundùm formam præſentis Statuti, non habeant ulterius regreſſum ad bona paterna, ſeu materna occaſione ſuæ legitimæ, vel alterius ſucceſſionis ab inteſtato, extantibus aliis, qui ſuccedere poſſint ſecundùm formam ſupradictam ſtatuti loquentis de ſucceſſionibus ab inteſtato, ſed debeant earum dotibus ſtare contentæ, & tacitæ.

Et in cæteris caſibus, in præſenti Statuto non expreſſis, neque ſpecificatis, ſervetur jus commune, non obſtante quod in hoc Statuto ſit ratio, cujus vigore volumus aliquam fieri extenſionem ad caſus non expreſſos, & prædicta locum habeant in futuris, & in perſonis de novo decedentibus.

SANCTI LUPIDII, ſeu ELPIDII,

Quæ eſt Terra ſub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA CXLV.

De ſucceſſionibus ab inteſtato. Rub. 2. lib. 2.

QUoniam per maſculinum ſexum domus, & familiæ nominantur, hac noſtra ædictali lege perpetuò valitura ſancimus, quod ſi aliquis, vel aliqua deceſſerit ab inteſtato ſuperſtitibus poſt ſe filio, vel filiis natis, vel in utero exiſtentibus maſculis legitimis, & naturalibus, ii ſuperſtites taliter defunctis univerſaliter ſuccedant, penitus excluſis filia, vel filiabus natis, ſeu naſcituris, dotatis, & non dotatis, & etiam deſcendentibus ab ipſis, ſive maſculis, ſive fœminis, etiam quod fœminæ eſſent ex filio, vel filiis, nepote, vel nepotibus, pronepotibus maſculis, & in infinitum cujuſcumque numeri, gradus, conditionis, ordinis, & profeſſionis fuerint, ab omni prorſus ſucceſſione, & legitima portione debitis jure naturæ, pro vitæ ſubſidio, vel quocumque alio nomine, & titulo, durante generatione maſculina, educandis tamen, & alimentandis, & dotandis temporibus, & modis inferiùs deſcriptis. Et prædictarum fœminarum excluſionem eandem volumus locum ſibi vindicare, ſi ſuperfuerint nepos, vel nepotes, pronepos, vel pronepotes quocumque ex nepote, & nepotibus ex filio, & filiis natis, & deinceps in infinitum, ſalvo tamen inter ipſos maſculos jure ſubintrandi in loca, & partes prædefunctorum, & mortuorum, vel per ſtirpes, vel per capita, in quibus caſibus diſpoſitio juris communis immutata remaneat, & ſemper repetitis in quolibet gradu, & in qualibet perſona ante dictis maſculinitatis, legitimitatis, & naturalitatis qualitatibus. Dictas autem fœminas dotatas, ſeu dotandas à patre, matre, avo, avia paterna, ſeu materna, fratre, vel fratribus, vel ab aliquo deſcendentium maſculorum prædictorum inhabilitamus, ab omnium, & ſingulorum tam maſculorum, quàm fœminarum deſcendentium, & aſcendentium ſucceſſione, etiam decedentium poſt mortem perſonarum, de quorum bonis dotatæ fuerunt, vel dotandæ ſunt, perinde, ac ſi de cujuſlibet perſonarum memoratarum bonis dotatæ eſſent, donec ſupererit aliquis maſculorum præfatorum, non poſſit ad alicujus præfatarum perſonarum ſucceſſionem aſpirare, dummodo in ſuccedendo matri, quæ plures habuerit viros, in bonis, quæ illi obvenerunt ab aliquo maritorum prædictorum, vel illius matrimonii occaſione, ſive per ſucceſſionis, ſive conventionis modum, filii ejuſdem matrimonii ſuccedant, etiam ſi eſſent ſolæ filiæ ex illo matrimonio, & filii maſculi ex aliis matrimoniis. Et prædicta diſpoſitio locum habeat, etiam in patribus, qui plures uxores habuerint. In bonorum dotalium verò diviſione, & ſucceſſione maſculis, ut ſuprà, deferenda, jura communia obſerventur, cui matri decedenti ſine deſcendentibus ex ea maſculis per maſculos, ut ſuprà, filia ex filio, & deſcendentes ex ipſis ſuccedant, nulla habita conſideratione præmiſſæ Conſtitutionis. Filias autem, & deſcendentes fœminas, ut ſuprà excluſas, volumus honorificè, honeſtè, & condignè educari, alimentari, & de bonis perſonarum, è quarum hæreditate excluſimus, temporibus debitis per illos, qui excluſerint, & ipſorum ſucceſſores, ſecundùm conſuetudinem noſtræ Terræ, ut qualitas familiarum, parentum gradus, patrimonii quantitas, conſuetudo domus expoſtulant, maritari, & dotari. Qui viri ſi fuerint negligentes in maritando, & dotando, & maritanda

excèsserit suæ ætatis annum vigesimum innupta, possint duo proximiores, sive ex latere patris, sive matris, sive utrinque ipsam maritare de bonis, unde fuerunt exclusæ, juxta considerationes prædictas. Quæ bona præsentis Statuti vigore censeantur ipso jure hypothecata, & oneri prædicto obnoxia. Non existentibus autem prædictis in concordia, eligatur per DD. Priores tertius, qui cum duobus discordantibus cum omni diligenti consideratione, citius, secretius, & modestius, quam fieri poterit, curent, ut maritetur, & dotetur, & quilibet conjunctus possit ad effectum prædictum comparere, donec dicta dotanda, & maritanda fuerit maritata, & dotata. Descendentibus autem masculis prædictis non extantibus, vel renuentibus, pater, & avus paternus, & per lineam superiorem directam masculi ascendentes dotationem faciant, ut suprà. Deficientibus autem masculis prædictis, quorum favore fœminas præfatas exclusimus, easdem, & ipsarum descendentes masculos, & fœminas in omnibus juribus, & ad omnem successionem unde fuerunt exclusæ restituimus, & reintegramus, nulla penitus præscriptione, seu quietatione obstante. Si verò nec ascendentes, nec descendentes masculi de masculis, ut suprà memorati superfuerint, sed filia, vel filiæ, vel neptes ex filiis masculis, & frater, vel fratres germani carnales utrinque, vel ex patre tantùm conjuncti defuncto, concurrant æqualiter per capita in successione ultrà dotes datas, seu dandas, ut suprà, dictis filiabus, & neptibus, & filii fratrum prædictorum in loca, & patres patrum suorum, ipsis non extantibus, admittantur, reservato semper jure reintegrationis prædictis filiabus, & neptibus, & descendentibus, fœminis exclusis, in portionibus antedictis, ad quas, & patrui, & filii patruorum suorum fuerunt admissi, etiam extantibus filiabus fœminis ex prædictis patruis, & filiis patruorum. Mater autem, cui pater deficientium filiorum, seu filiarum aliquid testamento reliquit, illa debeat esse contenta, ab omni prorsus successione decedentium liberorum exclusa, si ad alia transierit vota, sive ante, sive post obitum filiorum. Si verò viduitatem servaverit, succedat in medietate legitimæ portionis sibi debitæ, & in bonis defuncti filii ex dicto matrimonio, in quo viduitatem servaverit, computato tamen dicto credito mariti in dicta medietate legitimæ. Et intelligatur intestatus, vel intestabilis decedere in omnibus casibus præmissis, sive minor, & intestabilis decedat, sive major, jure communi, statutis, decretis, reformationibus, & aliis quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Hæc est nova reformatio particulæ, statuti, de qua suprà in secundo libro statutorum sub rubr. 72. de successionibus.

Item ad tollendas omnes, & quascumque difficultates, quæ quotidiè suboriuntur, & possunt in posterum suboriri super statuto de successionibus ab intestato, citrà præjudicium præteritorum, ad effectum ut futuris casibus possit congrua adhiberi medela, statuerunt, quòd dictum statutum reformetur in hunc modum, videlicet, quòd stantibus masculis filiis, legitimis, & naturalibus ex corpore defuncti procreatis, filiæ fœminæ nullo pacto succedere possint in bonis defuncti præfati, sed ab eis, & ejus hæreditate censeantur penitus exclusæ, constitutis tamen eisdem filiabus dotibus juxta condecentiam domus, & familiæ, ac facultatum. Non extantibus verò filiis masculis prædictis, ut suprà procreatis dictæ filiæ fœminæ reintegrentur, & reintegratæ censeantur ad hæreditatem dicti defuncti in totum, exclusis quibuscumque, quod consultum fuit approbatum per calculos vigintinovem affirmativos, novem negativos, & statutis non obstantibus in contrarium.

Placet, & in posterum juxta reformationem præsentem procedi, & observari volumus. Philippus Gubernator.

SANCTI GINESII,
Terræ sub Gubernio Maceratæ.
PARTICULA CXLVI.

De mulieribus dotatis, & successione ab intestato, masculis existentibus. Rubr. 25. lib. 3.

QUoniam per divitias familiarum conservatur honestas, quæ facilè inopia perit, ut familiarum decori (prout possumus) consulamus, statuimus, & ordinamus, quod unaquæque mulier, tam nata, quàm posthuma, in testamento, vel quacumque alia ultima voluntate, aut quovis modo inter vivos fuerit dotata ab avo, patre, matre, fratre, vel patruo ab intestato in bonis prænominatorum, & cujuslibet ipsorum, non possit, nec valeat succedere, sed sit sua dote contenta, stantibus masculis fratribus, vel fratrum filiis, aut nepotibus, sed ipsi fratres, vel eorum filii, aut nepotes admittantur ad hæreditatem prænominatorum sic ab intestato decedentium, fœmina, vel fœminis, congruè dotatis, penitus exclusis. Declarantes, quod si ab uno, vel à pluribus ex prænominatis fuerit dotata, intelligatur, & sit penitus exclusa à successione omnium, & cujuslibet ipsorum, sive dotaverit, sive non dotaverit.

Et congruè, ac competenter dotata mulier juxta qualitatem domus, conditionis, ac temporis, & patrimonii vires intelligatur, quoties dos constituta non fuerit minor legitima, aliàs si minor legitima dos fuerit, possit dicta mulier sic dotata petere supplementum legitimæ usque ad triginta annos, ab inde intelligatur præclusa via petendi supplementum prædictum, & licet dotem minorem legitima acceperit nihilominus exclusa sit, extantibus masculis, ut supra, & solùm sit sibi salva actio petendi supplementum jam dictum.

Dotataque mulier, intelligatur sive sit nubilis ætatis, idest duodecim annorum, & in matrimonio collocata, sive non sit nubilis ætatis, etiam quod dos sibi non fuerit consignata, sed tantùm relicta, vel destinata à patre, aut ab alio ex prænominatis, & in omnibus prædictis casibus habeatur pro dotata, quo ad ipsam exclusionem, à successione ab intestato prædictarum personarum.

Sed si ab avo, patre, vel matre dotata non fuerit inter vivos, minusque in ultima voluntate, tunc frater, seu fratres, vel eorum filii, post mortem patris mulieris dotandæ teneatur, vel teneantur infra sex menses, à die mortis patris memorandos, debitam consignare dotem, hoc modo videlicet, frater ad bancum juris, & ibidem constituat dotem præstandam, & offerat eam solvere tempore matrimonii contrahendi coram testibus, ac Rectore, & mulier tunc dotata intelligatur cujuscumque fuerit ætatis, dummodo vigesimum annum non excedat. Nam post vigesimum annum (ne fratres sorores matrimonio collocare detrectent) pro fructibus dotis annuatim, ultrà alimenta, teneantur præstare sorori quatuor pro quolibet centenario, quod augmentum sit integrè ipsius mulieris, & illud ultrà debitam dotem petere possit, ac valeat.

Et si contingant legitimam adeò esse levem, ut ad congruam dotem non ascendat, tunc in omnibus prædictis casibus, si dos sit ab avo, patre, vel matre constituta, ea mulier debeat esse contenta, quoniam quod avo, patri, vel matri, congruum visum est, aliis incongruum apparere non debet. Sed si à fratre sit dotanda, & legitima non suppleat, de bonis propriis frater, seu fratres dotare compellantur competenter, cùm sit etiam fraterni officii dotare sorores, & competentia dotis declaretur per duos proximiores consanguineos probatæ fidei, & juxta illorum declarationem (habita ratione facultatum, conditionis, ac temporum) fratres dotare tenentur, computata legitima debita, ad quam declarationem proximiores à Rectore cogantur, & soror sic dotata exclusa ab intestato intelligatur, ut suprà.

Cùmque receptum videatur in certa quadam, ac dubia consuetudine, quòd soror, ut suprà dotata, vel ejus descendentes mortuo fratre ab intestato, fratribus etiam stantibus, admittatur soror, vel ejus descendentes, seu admittantur ad successionem fratris decedentis, & huic casui providere cupientes, decernimus, quod si frater, seu fratres ab intestato decedant superstitibus fratribus, vel eorum descendentibus masculis ex sorore, ut suprà dotata, vel ejus descendentes soror, nec ejus descendens concurrat cum fratribus, & eorum descendentibus masculis legitimis, & naturalibus, sed sit, & intelligatur exclusa cum suis descendentibus ab hæreditate fratris, seu fratrum ab intestato decedentium, & solum admittantur fratres superstites, eorumque descendentes, seu utrinque conjuncti, sive consanguinei tantùm.

Similiter si decesserit patruus ab intestato, superstitibus nepotibus, & nepte dotata, succedant ipsi patruo nepotes, exclusa omnimodo nepte, seu nepotibus dotatis.

Adiicientes, quòd si mulier sic dotata decesserit ab intestato, non superstitibus descendentibus ex ea legitimis, & naturalibus, superstitibus avo, vel avia maternis, vel avia paterna, & matre, ac fratribus carnalibus, etiam ex latere patris tantùm, tunc mater, vel avia, aut avus maternus, vel avia paterna habeant tantùm legitimam in bonis decedentis, in residuo hæreditatis succedant fratres pro æquali.

Declarantes, quòd omnia prædicta locum vendicent ab intestato, si autem testamenta condita fuerint, ea serventur, & dispositia in eis, modo tamen prædicto.

Sta-

Statuimus etiam, quòd ſi pater, vel avus, filiam, vel neptem dotaverit, & certam conſtituerint dotem, computatis bonis maternis, vel aliis aliundè quæſitis, tunc non obſtante clauſula prædicta, ſi avus, & pater fuerint ſufficientes, & divites ad dotem promiſſam præſtandam teneantur de propriis bonis illam præſtare, ſalvis dictæ filiæ, ſeu nepti bonis maternis, vel aliunde quæſitis ultra dotem prædictam, ſed ſi avus, & pater non fuerint ſufficientes, ſed pauperes, tunc in dote promiſſa computentur, & alia bona ipſius mulieris dotatæ.

Poſtremò declaramus, quòd ſi frater, vel mater, aut extraneus promiſerint pro aliqua muliere certam dotem ſimpliciter, non adjecto, de quibus bonis promittat, ſi mulier habeat de ſuis bonis tot, quæ aſcendant ad dotem promiſſam, dos intelligatur de bonis promittentis in totum, vel in partem, prout deerit quantitati promiſſæ, ad quam ſolvendam, ſic promittens jure medio compelli poſſit ab ipſa muliere, vel ab eo, cui facta fuit promiſſio, & in omnibus caſibus præmiſſis mulier dotata intelligatur excluſa ſolummodo à ſucceſſione prædictarum perſonarum, non autem à legitima non dotantium in bonis ipſi debitam, quam integram conſequi mandamus.

Si tamen mulier modo prædicto, & infrà dictum tempus ſex menſium dotata non fuerit, non poſſit, & valeat ſuccedere, & cum maſculis concurrere ab inteſtato in bonis prædictarum perſonarum, ſalva tamen ſemper gradus prærogativa, & dotem ſuam conferendo cum maſculis ſuccedentibus.

SANCTI JUSTI,
Quæ eſt Terra ſub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA CXLVII.

De renunciationibus mulierum dotatarum. Rub.33. lib.2.

DIcimus, & firmiter ordinamus hoc Statuto perpetuò valituro, quòd ſi filiæ ſine conſenſu patris, vel patre præmortuo, ſorores ſine conſenſu fratrum, vel fratris cum rogatione Notarii, teſtiumque facta, ad domum mariti fuerint tranſductæ, ſive iverint ſponte, ſive poſtea habitaverint, teneantur patribus, vel fratribus ſuis, ac eorum deſcendentibus facere ſpeciale inſtrumentum renunciationis, & quietationis de omnibus bonis paternis, & maternis infrà ſpatium duorum menſium poſtquam iverint, vel tranſductæ fuerint ad domum mariti (ad ſenſum ſapientis) patris, vel fratris ejuſdem filiæ, vel ſororis, dummodò dotatæ fuerint, ſeu dotentur per ipſum patrem, vel fratres competenter, perſonarum facultatibus, ac dignitatibus inſpectis. Et ſi tunc non fecerint, pro facta habeatur dicta renunciatio, & quietatio de dictis bonis paternis, & maternis, ac ſi per eam filiam, patri, vel fratri, vel filio fratris expreſsè facta fuiſſet, vigore, & robore præſentis ſtatuti. Et hæc eadem, quæ dicta ſunt de patribus contra filias, eadem de fratribus, & filiis fratrum circa ſorores ſuas obſerventur. Hoc autem locum habeat in temporibus præſentibus, & futuris. Inſuper de rebus, quæ dicuntur amotæ per filium, vel filiam, vel alium de domo patris, vel fratris teneantur inquirere, Dominus Poteſtas, & Officiales Communis juramento recepto, petente fratre, vel patre, vel avio, ſine libello, & conteſtatione litis, & ſtrepitu judicii, & compellere amoventem ad reſtituendum eas, etiamſi per ſemiplenas probationes invenerint eas amotas; & hæc omnia locum habeant in præſentibus temporibus, & futuris.

Ejuſdem Statuti. *De contractibus, & Inſtrumentis dotalibus. Rubr.36.*

ITem dicimus, & præſenti ſtatuto firmamus, quòd ſi matrimonium morte mulieris diſſolvi contingerit, ſine filiis, vel filiabus de eorum propriis corporibus deſcendentibus: tunc medietas totius dotis remaneat penes virum pro omni jure, quod ſibi poſſet competere in caſu matrimonii ſoluti. Et prædicta vendicent ſibi locum in uxore conducta penes maritum, & in præſentibus, præteritis, & futuris, nondum matrimonio diſſoluto; ſed ſi nondum conducta fuerit penes virum, lucretur maritus decimam partem dotis, & etiam medietas perditæ pannorum factorum uxori debeat viro reſarciri: viro verò præmoriente, uxor lucretur decimam dictæ dotis, quolibet caſu prædictorum. Item ordinamus, quòd ſi qua mulier dotata erit à patre, matre, fratre, ſorore, avo, vel avia, vel ſuorum alio quocumque, in hæreditate, & ſucceſſione bonorum patris, matris, avi, vel aviæ, & ſuorum cujuslibet, extincta prole legitima maſculina, nullum jus habeat, nec redeundi, nec etiam actionem petendi, ipſam hæreditatem in totum, vel in partem, nihilominus de ea percipere poſſit de jure, vel de facto, ſalvo, quod ſibi relinqueretur per aliquem prædictorum in aliqua ultima ſua voluntate. Et ſalvo ſi aliquis prædictorum moreretur ab inteſtato, ſine prole legitima maſculina, quibus caſibus filia, vel mulier dotata ſuccedat ei ſecundùm ordinem juris. Si verò dicta mulier dotata, vel ejus hæres peteret, vel peti faceret aliquid de bonis, & hæreditate prædictorum, vel alicujus eorum contra formam præſentis capituli in quinquaginta libr. den. Communi applican. condemnetur. Et prædicta omnia, & ſingula inviolabiliter obſerventur; & locum habeant in præteritis, præſentibus, & futuris.

SANCTI ORESTII,
Terræ in diſtrictu Urbis.

PARTICULA CXLVIII.

Delle ſucceſſioni ab inteſtato, fol.27.

QUantunque le leggi civili vogliano, che ſia grandiſſimo vitio poner diffetto alla natura, havendo creato una femina, e non maſchio, concioſiache per conſervatione delli huomini, tanto ſia neceſſario un ſeſſo, come l'altro, e quando bene ugualmente non foſſero neceſſarii, neſſuna colpa ne hà la donna, ſe è ſtata creata femina, vedendo, che quaſi per tutta Italia, dove ſono tanti Eccellentiſſimi Dottori, e tanti floridiſſimi ſtudii, ſono ſtati, e ſono Statuti, li quali diſpongono, e vogliono, che le figlie, e nipoti femine dotate non ſuccedano, e ſappiamo, che hanno viſte tante leggi, doviamo penſare, che non ſenza giuſtiſſima cauſa ſi ſarebbero moſſi à fare tali diviſioni direttamente contra à dette leggi communi, e ſe pure loro l'haveſſero voluto fare, li Prencipi, e Pontefici, trovati ſolo per mantenere la ragione, ne l'haverebbero confermati, e per tale confirmatione fatte le Leggi. Volendo adunque attendere à loro conſeglio, e ſeguirli, ſtatuimo, & ordiniamo, che ſe alcuno morirà ſenza fare teſtamento, e laſciarà dopò ſe figli, ò figlio maſchio, ò vero figlio, ò nipote del figlio ſuo qual foſſe morto avanti ad eſſo, & haverà laſciato una figliola femina, ò più dotate, e maritate, non ſuccedano in coſa alcuna al padre, e volemo ſiano contente delle doti dateli; e più volemo, che ſe dette figliole veniſſero ad eſſer vedove poſſino tornare con la dote loro, e con li frutti in caſa del padre, e li habbia dalli fratelli, e nipoti, figli del fratello, vito, e veſtito, con queſto, che li frutti della dote, e quello ſi guadagnerà lei, ſe è donna induſtrioſa, e lavoratrice, ſia del fratello, ò nipoti, che ſiano; e volemo, che ſia in arbitrio della donna à dare li frutti della dote, e li ſuoi honeſti guadagni alli fratelli, ò nipoti, e farſi alimentare, e veſtire, ò vero tenerſi per ſe le dette coſe, & alimentarſi, e veſtirſi da ſe, pigliando ſolo l'habitatione per ſua honeſtà in caſa delli fratelli, ò nipoti, e quello, ò figlia di quel tale; e quello ſi è detto delle figlie ſi intenda haver luogo nelle nipoti femine nate di figlio, e figlia di quel tale, e morto inteſtato, ſe ſaranno dotate, e maritate. E perche può accadere, come accade ogni giorno, che molti muorono, ò laſciano dette figlie, ò nipoti, come di ſopra in caſa indotate, ò vero per non eſſere ſtate dette putte in età, che ſi haveſſero potuto maritare, ò vero per qualche altro riſpetto; Volendo in queſta tale occorrenza trovare deciſione, ſtatuimo, & ordiniamo, che ſe li fratelli, ò nipoti di dette donne le vogliono dotare ſecondo il coſtume de' pari ſuoi, havendo riſpetto alla facoltà dell'heredità ancora, & alla conditione della caſa, vedendo quello haveranno havuto per dote altre ſorelle carnali, ò ver altre di queſto medeſimo ſtato di quelle zitelle, che ſi hanno da maritare, dette zitelle habbino ad eſſere contente di detta dote coſtituitali dalli fratelli, ò nipoti, come ſe li foſſe coſtituita in vita, ò in morte del padre, ò avo morto ſenza teſtamento, ma non volendola li fratelli, ò nipoti dotare, all'hora ſuccedano dette femine inſieme con li maſchi ugualmente, ſecondo la diſpoſitione delle leggi communi, & ſiano ammeſſe à domandare la parte ſua, come ſe foſſero maſchi. Et aliàs latiùs, prout in dicto Statuto, ubi ſuprà exiſten. ad quod &c.

SANCTI SEVERINI CIVITATIS.

PARTICULA CXLIX.

De mulieribus dotatis à patre, quæ non possunt venire ad successionem. Rub.58. lib.2.

ITem, quòd nulla mulier dotata à patre, matre, fratre, patruo, nepotibus, vel sororibus, vel aliquibus aliis, qui sint de Civitate S. Severini, ac ejus districtu, possit venire ad successionem, cum filiis prædictorum, vel alicujus eorum dotantium, vel dotantis ipsam mulierem, nec etiam possit venire ad successionem de bonis paternis, vel maternis, cum prædictis, vel aliquo prædictorum contra voluntatem dotantium, vel dotantis ipsam mulierem, nec etiam ab intestato ad successionem venire possit cum filiis remanentibus in domo, in rebus, & possessionibus defuncti decedentis, vel decedentium ipsa, vel sui hæredes. Addimus huic Capitulo, quòd mater non admittatur, nec ipsa mater possit succedere in bonis filii, seu filiæ præmortuorum, si ipse filius, vel filia fecerit testamentum, testatus, aut testata decesserit, nisi quatenus de ipsius filii, vel filiæ processerit voluntate, non obstante aliquo capitulo, vel lege in contrarium loquente, & hoc capitulum sit præcisum, & habeat locum in præsentibus, pendentibus, præteritis, & futuris. Et prædicta omnia, & singula Prætor, & sui officiales teneantur, ac debeant observare vinculo juramenti, & si contrafecerint, vel venerint, solvat quilibet eorum, vice qualibet, quinquaginta libras denariorum Ravennatensum, cujus pœnæ quarta pars sit accusatoris.

Ejusdem Statuti. *Quod nulla mulier venire ad successionem, nec petere partem juris naturæ, debiti in bonis parentum, contra voluntatem ipsorum. Rubr.59. d. lib.2.*

ITem dicimus, & ordinamus, quòd mulier dotata à patre, matre, fratre, & aliis quibuscumque personis suis consanguineis non possit venire ad successionem, nec petere partem, quoquo jure, bonorum patris, & matris ipsius mulieris, & etiam ab intestato contra voluntatem dotantis, & filii, seu filiæ, quæ nascuntur ex tali muliere dotata, & fuisset nata, non possit petere ab hæredibus, ac filiis institutis in testamento patris filiæ dotatæ, nec etiam aliquis ex persona ipsius filiæ matris dotatæ, possit petere aliquid occasione debitæ juris naturæ, & alia qualibet successione contra filios, nepotes, & alios quoscumque remanentes in domo patris dotantis, & hoc vendicet sibi locum in præsentibus, pendentibus, & futuris, quod Capitulum Prætor, & sui Officiales, Consul, & Priores eorum vinculo juramenti teneantur, & debeant observare, & facere observare, quod si non fecerint Prætor in centum libris, Judex in quinquaginta libris, Consul, ac Priores quilibet ipsorum in viginti libris denariorum Ravennatensium, Communi solvendorùm, condemnetur.

SARNANI,

Terræ sub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA CL.

De mulieribus dotatis, vel non dotatis, excludendis à successione stantibus masculis. Rubr.41.

STatuimus, atque decernimus, quòd filia, seu neptis, vel proneptis dotata à patre, matre, avo, pro avo, vel proavia, vel ab aliis eorum nomine, stantibus liberis masculis in bonis parentis dotantis, ipsa, & descendentes ex ea ab intestato non succedant, sed sint dote contentæ, & amplius de ipsius dotantis bonis petere non possint occasione legitimæ, vel ejus supplementi, seu successionis. Et dotata intelligatur etiam ea, cui licet adhuc impuberi, vel infanti fuerit per parentem in testamento, codicillis, vel alia ultima voluntate dos relicta, vel cui inter vivos fuit dos constituta, seu sibi, vel alteri pro ea data, vel promissa, vel aliter confessata. Si autem tempore mortis parentis, cui onus eam dotandi incumbebat, & delatæ successionis non reperiretur dotata, tunc stantibus liberis masculis, in bonis ejusdem ascendentis non succedat, ut suprà, sed debeat per ipsos liberos congruè dotari, attenta qualitate personæ, & pro modo facultatum defuncti. Et si in constituenda dote mulier, & liberi non concordarent, tunc eidem dos, attentis præmissis, constituatur per duos proximiores consanguineos, unum pro parte mulieris, & alterum pro parte liberorum deputandos, & eis discordantibus tertius per ipsam mulierem, & liberos deputetur. Ad quam deputationem dictis casibus fiendam Rector, seu Judex de facto partes compellat, & prout per dictos consanguineos sine tertio, vel cum tertio dos constituta fuerit, liberi satisfacere teneantur, & mulier à residuo bonorum ejus, de cujus bonis dos constituta fuerit penitus intelligatur, & sit exclusa, perinde, ac si ab ipso ascendente dotata extitisset. Volumus autem quòd bona ipsius ascendentis censeantur etiam expressè obligata post ejus mortem pro dote dictæ mulieris constituenda. Quas dotes dicti liberi solvere teneantur eo tempore, quo mulier nuptui tradita fuerit, vel Monasterium intraverit, & non antè. Interim autem donec nupserit, dicta durante viduitate, & ea honestè, & castè vivente, sibi alimenta concedentia debeantur in domo paterna, vel avita, secundùm vires patrimonii ipsius defuncti, conferendo fructus dotis, & ipsis suis, si quas operas præstare potuerit, attenta qualitate, & conditione suæ personæ.

SARSINATENSIS CIVITATIS.

PARTICULA CLI.

Quod fœminæ non possint succedere ab intestato. Pag.26.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nulla filia, neptis, & alia per lineam directam in infinitum descendentes, stantibus filiis masculis, vel fratribus, vel patruis, vel ipsorum patruorum filiis, vel nepotibus legitimis, per lineam directam in infinitum descendentibus, succedere possint ab intestato patri, avo, vel patruo, & cæteris ascendentibus, tam ex parte patris, quàm ex parte matris, nec etiam ipsis fratribus, patruis, vel nepotibus, sed stare debeant contentæ convenientibus dotibus, eidem statuendis arbitrio boni viri, eligendi communiter de voluntate filiorum masculorum, & fœminarum, attenta qualitate personarum, & quantitate patrimonii earum personarum, de quarum successione tractatur, quæ filiæ fœminæ, si semel dotatæ fuerint per patrem, avum, vel proavum, ut suprà, vel per matrem, vel alium conjunctum, nullatenus, stantibus dictis masculis, vel aliis similiter descendentibus, admittantur ad successionem ab intestato matris, patris, fratrum, nepotum, vel patruorum, ut suprà, vel aliorum descendentium ex linea paterna, vel materna, sufficiatque ad exclusionem dictæ successionis unica dos arbitrio boni viri convenienter statuta, & ordinata, quibus masculis descendentibus, deficientibus omninò, dictæ filiæ fœminæ, & ex eis per lineam directam descendentes reintegrentur ad successionem prædictorum in bonis, & juribus, quæ tempore deficientium masculorum alienata non reperiuntur, & hoc locum habeat, tam in dotibus, quæ de præterito datę reperirentur, quæ valeant ad exclusionem dictarum successionum in futurum, quàm in dotibus, quæ in futurum dari contigerint.

SAXOFERRATI,

Terræ sub Gubernio Perusiæ.

PARTICULA CLII.

De successionibus ab intestato.

CUm reipublicè maximè interfit, & æquitati satis congruum esse dignoscatur familiam, domorum agnationem, & cyppum, cognomina, substantiam, & facultates, quantum possibile sit conservari, & commodis, ac privilegiis confoveri; Idcircò hac lege perpetuò valitura sancimus, & ordinamus ex nostri publici consilii decreto, quòd deinceps nulla filia fœmina, neptis, proneptis, & descendentes ex eis ab intestato, seu contra textum de jure non subsisteret in bonis, & hereditatibus matris, patris, & avi, vel alterius prædictorum, quomodolibet, & quomodocumque admittatur, seu admitti possit, donec filii, nepotes, aut alterius gradus masculi illius, sic ab intestato defuncti, super erint, sed successio hujusmodi ad descendentes masculos per directam lineam, juxta juris communis ordinem, & dispositionem spectet, & pertineat, fœminis, & descentibus ex eis penitus exclusis, sed congruè dotentur, & dotari debeant ab eas excludere volentibus, quatenus per prius taliter dotatæ non extiterint, quæ tamen dos intelligatur congrua, & pro competenti

habea-

habeatur, ſi aſcenderit ad valorem legitimæ, & bonorum ſubſidii ſibi in bonis defuncti jure naturæ debiti, & ulterius, ſecundùm facultatem, & condecentiam domus, & qualitatem perſonarum, judicio duorum ex proximioribus, attinentibus prædictarum, quarum non interſit, adhibito etiam Judicis Ordinarii decreto. Qua dote ſic, ut præfertur, habita, fœminæ, & deſcendentes prædictæ, ut ſupra excluſæ, dictam legitimam, verè habuiſſe intelligantur, tam circa ipſam, quàm circa alia ſibi quocumque jure quomodolibet competentia in bonis prædictis, maſculos jam dictos, modo aliquo convenire, nec moleſtare valeant, nec poſſint, & quod dictis omnibus maſculis deficientibus ſine liberis maſculis, fœminæ prædictæ, ut prefertur excluſæ, vel ipſarum ſucceſſores reintegrentur ad ſucceſſionem, tum olim dictorum bonorum, & hæreditatum prædictorum aſcendentium in ſtirpem, & non in capita, ac ſi præſenti ſtatuto excluſæ non fuiſſent, adhoc ne filiæ fœminæ, vel earum deſcendentes, ſint pejoris conditionis, quàm neptes, conferendo tamen in caſu præmiſſo earum dotes.

SCROFANI,

Terræ B. in diſtrictu Urbis.

PARTICULA CLIII.

STatutum hujus Terræ eſt idem, ac illud Campagni, unde vide ſuprà partic. 35.

SEFRII,

Quod eſt Caſtrum ſub Gubernio Camerini.

PARTICULA CLIV.

Quod mulier dotata non poſſit habere recurſum ad bona paterna. Rubr. 61.

ITem ſtatuimus, quod mulier dotata à patre, matre, fratre carnali, ſive ab aliquo ſuo conjuncto non poſſit habere recurſum ad bona paterna, materna, vel fraterna, ſed ſolùm de ipſius dote ſit contenta, ſalvis, & exceptis relictis in Teſtamentis, & codicillis factis, quod petere poſſit.

SENOGALLIENSIS CIVITATIS.

PARTICULA CLV.

Quod filiæ fœminæ, donec maſculi ſuperfuerit, non ſuccedant. Rubr. 76. *lib.* 2.

COnvenit familiarum dignitatem perpetuari, ne divitiæ, & honor ad alienos pertranſeant, quia per maſculos imago majorum repræſentatur; quo fit, ut ad hanc noſtram conſtitutionem devenire non tardemus, ad expurgationem veterum dubitationum, ad omnem perplexitatem enodandam, & fugandam obſcuritatis caliginem, imitantes quod communiter per Italiam obſervatur pro conſervatione cyppi domus. Statuimus, & ordinamus, quod ſtantibus maſculis per lineam directam deſcendentibus in infinitum, filiæ fœminæ, ſeu deſcendentes ex eis per directam lineam in infinitum non ſuccedant, vel ſuccedere valeant, nullo condito teſtamento in bonis, ſive hæreditatibus patris, ſeu matris, avi, vel aliorum aſcendentium, per directam lineam in infinitum, donec, & quouſque tales maſculi ſuperfuerint; dum tamen fuerint congruè interdotatæ, vel dotentur ab excludere volente, & ſufficiat ſi ab altero prædictorum dotatæ fuerint, vel dotentur, ut ſuprà; quæ quidem dos intelligatur congrua, quæ aſcenderet ad valorem legitimæ, ſive ad debitum bonorum ſubſidium, & plus, prout conſuetudo familiæ, ſive perſonarum conditio, ſive facultas exegerit, ſive in hujuſmodi extat obſervatum, & conſuetum; cum judicio ſemper, & omni caſu, & conſenſu duorum proximiorum conſanguineorum non habentium intereſſe in ipſa hæreditate, propter quam dotem conſtituendam teneantur ipſi maſculi, excludere volentes, infrà menſem à die mortis perſonæ, cui ſoli ſuccedere intendunt, conficere inventarium omnium, & quorumcumque bonorum ipſius, ad hoc ne ipſæ fœminæ dotandæ poſſint modo aliquo in dictis bonis defraudari. Et adveniente caſu viduitatis ipſarum, poſſint redire in domum paternam, vel alterius perſonæ defunctæ, de cujus bonis dotatæ fuerint, & ibi conferendo dotes ſuas habeant, & habere debeant opportuna alimenta, victum, & veſtitum, ſecundùm facultatem hæreditatis perſonæ defunctæ ſupradictæ, donec viduæ permanſerint. Si verò non extarent maſculi ex linea deſcendenti, ſeu fœminæ, ſed tamen quæreretur de linea tranſverſali, quæ concurreret cum linea aſcendenti, hoc eſt cum quæreretur de hæreditate fratris, ſeu ſororis, ipſarum filiis ſuperſtite aliquo de tranſverſalibus maſculis, & eorum filiis per directam lineam, ſuperſtite ſorore, ſive ſororibus, vel earum filiis, vel deſcendentibus ex eis, ac etiam ſuperſtite matre, vel altera ipſarum, vel deſcendentium ex eis; tunc, & eo caſu admittatur frater maſculus, & eorum filii maſculi utrinque conjuncti, excluſa ſorore, & matre infimul, ac etiam qualibet earum ſola, & deſcendentibus ex eis, donec, & quandiu maſculi ſuperfuerint. Si verò alicui defuncto, nullo condito teſtamento, ſuperfuerint patruus, ſeu patrui, viva tantum matre ſola exiſtente in prima cauſa ſucceſſionis, nulla alia perſona, quæ cum matre concurrat ad talem ſucceſſionem; tunc, & eo caſu talis mater ſuccedat, & ſuccedere valeat in uſumfructum talis filii, donec vixerit, patruus verò ſolus, & non ultra ejus filii in proprietate, & ſic talis mater excludatur à ſolo patruo quoad dictam proprietatem, donec dictus patruus, & non ultra, imò ipſo mortuo redeat ad ipſam ſuperſtitem. Declarantes tamen in caſibus ſupradictis, ac inter dictos maſculos excludere volentes, non computari religioſum, ſufficienter, vel decenter beneficiatum, unum, vel plures exiſtentes, ſed eos legitima ſola ei, vel eis debita de bonis perſonæ defunctæ, caſu quo debeatur, contentos eſſe volumus; & à reliquis excludi per alios quoſcumque maſculos, in pari tamen gradu cum eo, vel eis exiſtentibus, & non aliter. Volentes etiam avum maternum, avunculum, & alios quoſcumque maſculos ex eis, vel aliis ex latere materno in infinitum deſcendentes excludi, etiam ab avo paterno, proavo, aliiſque quibuſcumque maſculis, aut ex eis, vel aliis in infinitum deſcendentibus, quos omnes prædictis ex latere materno præferimus, & anteponimus. Et prædicta locum habeant in præſentibus, futuris, & præteritis, in quibus non eſſet jus quæſitum, aliis conſtitutionibus, ſive ſtatutis, & aliis quibuſcumque in contrarium quomodolibet facientibus non obſtantibus.

SERRÆ COMITUM,

Quæ eſt Terra ſub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA CLVI.

De filiis, & filiabus ſimul remanentibus, patre ab inteſtato defuncto. Cap. 99. *lib.* 2.

PAtre inteſtato defuncto de bonis ſuis nullatenus diſponente, & filiis cum filiabus ſimul relictis, fratres teneantur ſorores dotare dote idonea, inſpecta qualitate, & conditione perſonarum, & quantitate patrimonii, dote conſtituta cum conſenſu duorum proximiorum conſanguineorum dictæ ſororis, ſeu pupillæ in 12. anno, cùm tunc dicatur eſſe viri potens, juris præſumptione, hoc tamen an ſit ætatis nubilis arbitrio Judicis relinquendo. Si autem pater aliquid reliquiſſet pro dote certa, vel aliquid ſimpliciter, & juſſerit eas eſſe contentas, ipſo relicto ſint contentæ, nec ulterius ad bona paterna, vel materna, tam ipſæ, quàm ſucceſſores earum in utroque caſu præmiſſo, poſſint habere regreſſum, ſed ipſi filii maſculi in bonis patris, & matris univerſales hæredes exiſtant; & ſi contigerit aliquem ex dictis fratribus eſſe abſentem, dotes per alios fratres conſtitutas teneantur omninò ratificare, & ſtare conſtitutionibus dotium factarum per fratres. Et ſi aliqua ipſarum filiarum tempore mortis patris eſſet ætatis annorum duodecim infra biennium, fratres ſtudeant maritare, aliàs ipſa ſe maritare poſſit, fratribus etiam ignorantibus, & invitis, quibus neceſſitas immineat ipſas dotare, ut ſuperius eſt expreſſum.

Ejuſdem Statuti. *Quod filiæ dotatæ ſtent contentæ, & non poſſint ad bona paterna habere regreſſum. Cap.* 101. *d. lib.* 2.

FIlia, ſeu filiæ à patre, matre, ſive fratre carnali, avo, vel avia dote ſibi data ſint contentæ, nec poſſint patre, vel matre, avo, vel avia defuncta, fratre, vel fratribus, ſeu eorum liberis viventibus ad bona paterna, vel materna avi, vel aviæ, ipſæ filiæ, vel ſucceſſores earum habere regreſſum, vel aliquid petere, occaſione hæreditatis alicujus dictarum perſonarum, vel alia quacumque cauſa, ſive nomine. Si autem quis relictis pluribus filiabus, vel nepotibus, tamen quilibet in virili, ſeu æqualitate ſuccedat; ſed ſi ex ipſis

aliquæ fuerunt nuptæ, tantum minus accipiant, quantum fuerit quantitas suæ dotis. Cæterùm si pater, vel mater, avus, vel avia ipsis filiabus, vel nepotibus nuptis aliquid relinqueret ultra dotem, ultrà petere non possit occasione legitimæ, vel alia quacumque causa, viventibus fratribus masculis paternis, vel eorum liberis; quibus fratribus deficientibus post aditam hæreditatem sine filiis masculis, cum filiabus tamen fœminis, ipsæ filiæ, vel successores earum reintegrentur ad successionem bonorum olim earum patris, vel avi in stirpem, non in capita, ad hoc ut filiæ fœminæ, & earum descendentes non sint deterioris conditionis, quàm neptes, conferendo tamen dotes.

SERRÆ SANCTI QUIRICI
Sub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA CLVII.

Filiæ fœminæ non succedant stantibus filiis masculis. fol. 85.

QUod ad hoc, ut conserventur domus nostræ Terræ, & ut successione multorum non extirpentur, prout communiter solet accidere in locis, in quibus statuta non provident, quia tunc filiæ fœminæ unà cum filiis masculis pariter succedunt; unde consulvit, quod in posterum filiæ fœminæ, existentibus filiis masculis, patribus, aut matribus, avo, vel avia, nullo modo ab intestato succedant, nec succedere possint, sed dotari debeant ab ipsis filiis masculis dote congrua, & idonea, inspecta qualitate personarum, & patrimonii quantitate, qua dictæ filiæ fœminæ omnino stare debeant tacitæ, & contentæ; sed ipsi filii masculi dicto casu hæredes integrè existant, aliqua lege, vel statuto in contrarium non obstantibus.

SILLANI,
Quod est Castrum sub Gubernio Spoleti.

PARTICULA CLVIII.

Che donna dotata nel modo infrascritto non possa succedere à chi la dota, se li sopravive maschio dell'infrascritte linee. Cap. 12.

SE sarà data, promessa, overo in qualsivoglia modo constituita dote ad alcuna donna di Sellano, ò del suo distretto, di qualsivoglia etade, & à quello morto senza haver fatto testamento, il quale haverà data, ò promessa, ò costituita la dote, li sopravivesse maschio della linea mascolina ascendente, descendente, ò transversale, per insino in terzo grado inclusivamente, tal donna, alla quale la predetta dote, ò quantità, ò cosa in nome di dote fosse stata data, promessa, ò vero in qualsivoglia modo costituita, non possa succedere al detto, che dota, morto senza testamento, havuta, che haverà la dote predetta, ò datagli la quantità, ò cosa promessa.

SORIANI,
Quod est Oppidum B. in districtu Urbis.

PARTICULA CLIX.

De modo succedendi ab intestato. Cap. 25. lib. 2.

ITem statuimus, quòd mulier solis suis dotibus sit contenta, & exclusa à bonis paternis, maternis, avitis, & fraternis ab intestato, existente masculo filio, vel masculo ex eo descendente usque in tertium gradum, secundùm jus canonicum computandum; si verò non fuerit dotata, detetur secundùm facultates sui patris, & qualitatem personæ, arbitrio duorum proximiorum consanguineorum, seu affinium, quibus non concordantibus, arbitrio duorum Officialium Terræ Soriani; & tali mulieri dos debeat assignari quandocumque ipsa voluerit, & usquequò non fuerit maritata, non possit, neque valeat dictam dotem alienare, vel donare, aliquo modo, via, vel causa, & ususfructus sit talium assignantium dictam dotem, & dictam mulierem alere teneantur.

SPINÆ
Castri sub Gubernio Spoleti.

PARTICULA CLX.

Quod mulier dotata non possit petere successionem ab intestato.

MUlier aliqua de Castro Spinæ, vel ejus districtu, dotata à suo patre, matre, fratre, vel aliquo, seu aliquibus consanguineis suis, non possit aliquid petere, vel ad successionem venire ab intestato in bonis dotantis patris, matris, fratris, vel consanguineorum, ultra dotem sibi promissam, constitutam, vel datam, nec etiam in bonis fratris, sororis, vel fratrum, & sororum, & si peteret, non audiatur in Curia dicti Castri, & hoc locum habeat in præsentibus, & futuris &c.

SPOLETANÆ CIVITATIS.

PARTICULA CLXI.

Quod nulla mulier dotata à patre, matre, avo &c. succedat ab intestato dotanti, superstite masculo. Cap. 61. lib. 3.

NUlla mulier dotata à patre, matre, avo, vel avia, seu fratre, vel quocumque alio possit succedere ab intestato dotanti, superstite dotante masculo in eodem gradu, seu aliquo masculo, qui pariter ad successionem veniret.

Alia Particula inserta inter Constitutiones dictæ Civitatis super dotibus, & nuptiarum luxu coercendis.

ITem acciòche tutte le donne da marito, tanto quelle, che hanno padre, avo, madre, ava, ò più sù, siano d'uguale conditione in maritarsi, quanto à questo ordiniamo, che dette donne non debbano succedere ab intestato, essendovi li fratelli, ò figliuoli di fratelli, ò discendenti maschi legitimi, e naturali di essi, ancora che fossero congiunti dal lato del padre solo legitimi, e naturali, ma debbano esser private di ogni commodo del succedere ab intestato, talmente che non debbano havere in alcun modo, per dote, arredi, ò vesti più delle somme, sopra tassate, nè per legitima, ò supplemento, nè per dote, ò supplemento, ò di congrua dote, ò per supplemento di essa.

STRONCONII,
Terræ sub Gubernio Sabinæ.

PARTICULA CLXII.

VIgebat in hac Terra Statutum fœminarum exclusivum, de quo meminit Corn. cons. 127. lib. 1. *sed nunc injuria temporum deperditum est; unde cùm non potuerit reperiri ipsius particula, è re visum fuit hic adnotare causam, ut adimpleatur, quantum fieri potest, promissio contenta in* §. 2. sub num. 44. *registrandi sub Particula* 162. *dictum Statutum Stronconii.*

SUTRINÆ CIVITATIS.

PARTICULA CLXIII.

Quod filia dotata, vel dotanda, & descendentes ex eis non possint succedere in bonis ascendentium, nec descendentium à patre, stantibus filiis masculis, vel descendentibus masculis. Pag. 25. n. 87.

FIlia, sive soror respectu fratris dotata, vel dotanda ab avo, aut à patre, matre, fratre, vel fratribus, aut ab aliis proximioribus, conjunctim, vel divisim, vel altero prædictorum, non possit succedere in bonis hæreditariis ascendentium, & descendentium ex parentibus, stantibus filiis masculis, vel aliis descendentibus masculis ex dictis filiis masculis, & in casu, quo indotata etiam fuerit, volumus, quòd debeat dotari secundùm gradum, & facultatem à supradictis masculis proximioribus defuncto, volentibus excludere filiam, vel filias, quas dote contentas esse volumus, & nihil aliud petere possint.

TOLEN-

TOLENTINATIS CIVITATIS.

PARTICULA CLXIV.

De mulieribus dotatis non succedentibus. Rubr. 63.

HOc salubri statuto statuimus, & firmamus, quod si qua fœmina cujuscumque temporis, aut ętatis, existat, fuerit in præteritum, aut erit in futurum dotata à patre, vel avo paterno, vel zio carnali, vel à cæteris ascendentibus, vel à matre, avo materno, vel zio carnali, vel à cæteris ascendentibus, vel à fratre carnali, talis mulier sic dotata, nec descendentes ex ea possint, & valeant habere recursum ad hæreditatem, vel successionem, & bona talium decedentium supradictorum dotantium, vel non dotantium, vel descendentium ab eisdem per lineam masculinam, filiis, vel nepotibus hæredibus masculis remanentibus ex prædictis, vel quousque supervixerit aliquis masculus filius, seu nepos de prædictis, qui non impediatur hæres esse, vel successor juris dispositione communis, vel statuti, vel Judicis sententia, vel Testatoris voluntate, vel pacto, vel voluntate ipsius, seu alio quovis modo hæres, aut successor esse. Defunctis vero masculis supradictis sine filiis masculis, vel nepotibus, aut aliquo casu ex supradictis veniente; tunc, & eo casu talis mulier succedat, & admittatur ad bona, & hæreditatem talium defunctorum, pro portionibus, & juribus sibi ex jure debitis, & competentibus, sicut si nullus ex dictis casibus contigisset, eis dote data computata, non obstante impedimento aliquo præsentis statuti, vel legis; & illa mulier dotata intelligatur, pro qua per supradictos dos soluta est realiter, sive promissa, & confessata fuerit, dummodo per supradictos, & descendentes ex eis postea integrè persolvatur. Item expresse declaramus, quod si contigerit in præteritum, vel in futurum aliquam fœminam dotatam fuisse, vel esse à fratre, vel fratribus suis, sive de bonis paternis, vel aliorum ascendentium, sive transversalium, vel quomodocumque alio modo; & si aliquis ex illis fratribus mortuus fuerit sine filiis masculis, vel nepotibus, alii fratres masculi succedant, & fratrum filii masculi, & prædictæ mulieres, & descendentes ex eis penitus excludantur à successione, & hæreditate prædictorum, & quod supra dictum est in omnibus casibus supradictis, intelligatur de ab intestato decedentibus; si verò cum testamento, id servetur, quod in prædictis testamentis plenissimè continetur, nec tale testamentum possit nullum dici, vel infringi, querelari, aut quomodocumque rumpi per aliquam ex dictis mulieribus, vel descendentibus ex eis. Addimus etiam, quod si aliquis ex prædictis decesserit intestatus, & sine ascendentibus, vel descendentibus, superstitibus sorore carnali, & nepote masculo ex fratre carnali ex utroque parente, ex fratre patruele, & dicta ejus soror, utrinque conjuncta dotata fuerit ab aliquo ex ascendentibus, vel ejus fratre carnali, quod talia bona sic ab intestato decedentis deveniant, & debeant devenire in dictum ejus nepotem, dictis sorore carnale, & fratre patruele prorsus exclusis. Quod si post mortem talis morientis supersit frater, & soror carnalis, ad bona prædicta sic sine ascendentibus, & descendentibus decedentis, veniant, & pariter admittantur prædicti frater patruelis, & soror carnalis, & ad illa ipsos pariter pro conservatione domus, & stirpis volumus devenire. Et quia plerumque contingit supradictas mulieres dotatas, matrimonio dissoluto, vel constante, aliquo ex casu inopes esse, adeoque vivere non possint, nec se substentare, quadam pietate, & benignitate utentes, statuimus, quod in supradictis casibus, vel ipsorum aliquo contingente, si talis fœmina est in necessitate non modica, ita quod vivere non possit, quod tunc possit petere, & habere victum, & vestitum in hæreditate talis mortui, secundum vires patrimonii, & ipsius congruitatem personæ, dummodo cum prædictis successoribus dotem suam conferat, aut jus dotem repetendi cedat eisdem. Item etiam declaramus, & ordinamus, quod si contingat fœminas, & mulieres non esse dotatas à supradictis personis, ad successionem, & hæreditatem prædictorum omnimodè, ut jura permittunt, prædictis intestatis morientibus admittantur; salvo, & declarato expresè, quod si contingat patrem aliquem, vel avum alicujus mulieris, vel alium ex supradictis decessisse intestatum, dote non data, promissa, vel designata, & reliquerit alios filios fratres ipsius mulieris, vel alios masculos descendentes ex ipsius fratre, vel fratribus per lineam masculinam, hoc casu teneantur, & debeant tales dotare ipsam mulierem, & dignam, & congruam dotem dare, secundùm congruitatem suæ personæ, & patrimonii vires, patris, vel avi, vel aliorum de prædictis, & secundùm consuetudinem Terræ Tolentini, & ipsam dotem dare, & tradere cum effectu ipsi mulieri, aut ipsius marito, vel patri mariti, vel cui mulier voluerit, vel jus disponeret, pro utilitate mulieris conservanda, & habita dicta dote, & soluta, vel promissa solemniter, seu cauta, ex tunc dicta fœmina à successione patris, & avi penitus excludatur. Adjicientes, quod an dos sit competens danda ipsi mulieri, omnibus consideratis, stetur declarationi duorum proximiorum consanguineorum dictæ mulieris, & cum auctoritate Potestatis, vel ejus Judicis, dummodo per prædictos declaratores, & dotantes legitima jure naturæ non fraudetur, & cogantur tales consanguinei ad prædicta per D. Potestatem, vel alium jus dicentem ad petitionem petentis, & si in discordia fuerint, tertius eligatur; Quæ datio, dotis, vel consignatio, vel promissio fieri debeat in duos menses, computandos à die mortis patris, vel avi, vel aliorum ex supradictis; quod si factum non fuerit, elapsis dictis duobus mensibus, tunc dicta mulier admittatur ad omne jus quod habere ipsa mulier posset in hæreditate, & bonis prædictorum patris, avi, & aliorum, &c.

TREBII,

Terræ sub Gubernio Perusiæ.

PARTICULA CLXV.

De modo, & ordine mulierum dotandarum. Rubr. 7.

STatuimus, & ordinamus, quod si aliqua mulier fuerit, vel esset dotata ab avo, à patre, à matre, à fratre, à patruo, vel avunculo, dotis sibi datæ, vel promissæ, aut ordinatæ, vel relictæ sit, & esse, atque stare debeat contenta, ita quod non possit per se, vel per aliquam personam, vel ejus successores habere recursum ad hæreditatem avi, patris, matris, fratris, sororis, patrui, aut avunculi, vel alicujus eorum, dummodo fuerit dotata ab aliquo ipsorum, aliqua ratione, vel causa, & dummodo remanserit aliquis masculus de progenie ipsius avi, patris, matris, fratris, vel sororis, avunculi, vel patrui; Possit tamen eis, & cuilibet ipsorum ex testamento succedere, & non aliter, & si contrafaceret, non audiatur per Potestatem, Judicem, vel alium Officialem pœna 25. lib. denar. dictis Officialibus contrafacientibus, & eis jura reddentibus, & nihilominus quod actum foret, non valeat ipso jure, & præfati petentes contra d. Statutum pœnam 1000. libr. denar. incurrant ipso facto, & infamiæ.

TRIVIGNANI,

Terræ B. in districtu Urbis.

PARTICULA CLXVI.

De succedendo patri, vel matri ab intestato. Cap. 239. pag. 33.

QUod mortuo patre, vel avo, matre vel avia, & aliis ex directa linea superioribus, relictis filiis, & filiabus, nepotibus, vel neptibus, & cæteris ex directa linea descendentibus, si dicti filii, & nepotes sint ex eisdem parentibus, scilicet matre, & patre, viriliter omnes, & æqualiter succedant in hæreditatem patris, & matris, avi, vel aviæ; sin autem ex diversis parentibus, ut puta ex diversa matre, & eodem patre, & de hæreditate, & bonis maternis primi matrimonii agatur, vivente patre secundi matrimonii, qui quia usufructuarius est, quidquid ex dictis bonis percipitur, viriliter etiam dividatur, ut suprà. Sed dicto patre secundi matrimonii mortuo, dicta hæreditas, & bona materna sint, & esse debeant solùm filiorum primi matrimonii, etiam pro virili portione; Et è contra filii secundi matrimonii simili modo habere debeant hæreditatem, & bona eorum matris secundi matrimonii: sed in hæreditatem patris, vel avi paterni viriliter, & æqualiter omnes.

TU-

TUDERTINÆ CIVITATIS.

PARTICULA CLXVII.

Quòd filiæ fœminæ ſuperſtite maſculo non ſuccedant ab inteſtato, & qualiter tunc dotentur. Rub. 55.

ITem ſtatuimus, quod nulla mulier, filia, neptis, proneptis, ſive abneptis alicujus inſraſcriptarum perſonarum, de cujus ſucceſſione tractaretur, nec aliqua perſona cujuſcumque ſexus, ſive gradus exiſtat, deſcendens ex tali defuncta perſona per lineam fœmininam, ſuccedat, vel ſuccedere poſſit ab inteſtato in aliquo patri ejus, matri, avo, aviæ, proavo, proaviæ, abavo, vel abaviæ ab inteſtato defuncto, ſeu defunctæ, nec in dicta ejus ſucceſſione audiatur agendo, vel excipiendo, ſuperſtite alicui prædictarum perſonarum, taliter defunctarum, aliquo ejus filio legitimo, & naturali, ſeu aliquo alio maſculo legitimo, & naturali inferioris gradus deſcendente per lineam maſculinam legitimam, & naturalem ex tali perſona defuncta, de cujus prædicta ſucceſſione tractaretur, & ipſam ſucceſſionem acceptante, ſive eam acceptare volente. Et ſi tenutam, vel poſſeſſionem de bonis hæreditariis talis defunctæ perſonæ, ſeu aliquibus, vel aliquo ipſorum bonorum, vel aliqua earum, ſive alicujus eorum parte haberet, ipſam tenutam, ſive poſſeſsionem relinquere, & dimittere teneatur prædicto legitimo ſucceſſori talis defunctæ perſonæ ad ipſius petitionem. Ita tamen, quod talis filia, ſive neptis, & alia quælibet perſona inferioris gradus, deſcendens ex maſculo legitimo, & naturali deſcendenti per dictam lineam maſculinam ex ipſa defuncta perſona, de cujus prædicta ſucceſsione tractaretur, ſi dotata non eſſet, debeat decenter dotari de bonis hæreditariis talis defunctæ perſonæ per ejus ſucceſſorem prædictum; conſiderata conditione ſuæ perſonæ, & qualitate, & quantitate bonorum hæreditatis prædictæ; Ac etiam de ejuſdem bonis alimentari debeat, donec fuerit maritata, & dotes prædictas habuerit cum effectu, ſive donec monaſterium intraverit. Ac etiam, quod dictus ſucceſſor ad ipſam ſic dotandam, & alimentandam teneatur, ac cogi poſſit, & debeat cum effectu; & pro prædictis alimentis, & dotibus poſt mortem talis defunctæ perſonæ, & ex tempore ipſius mortis, etiam antequam nubat omnia prædicta bona hæreditaria vigore, fictione, auctoritate præſentis capituli tali mulieri obnoxia, & obligata exiſtant. Declarantes, quod ſufficiat ſi talis fœmina deſcendens dotata ſit de bonis unius tantùm prædictorum aſcendentium, ut à ſucceſſione eorum cujuslibet excludatur. Quod ſi prædictus filius maſculus, vel alius deſcendens maſculus per lineam maſculinam deceſſerit ſine deſcendente maſculo, talis filia, neptis, & proneptis, ſeu alius deſcendens per lineam fœmininam reintegrentur, & habeant eam portionem hæreditatis, & bonorum talis defunctæ perſonæ, à qua excluſæ fuerant propter ſuperexiſtentem maſculum, computata tamen dote, quam habuiſſent de bonis talis defunctæ perſonæ in dicta portione. Ex teſtamento verò, & qualibet alia ultima voluntate talis defunctæ perſonæ ſuccedant, & ſuccedere poſsint, & poſsit eidem prædictæ perſonæ, & cuilibet earum, & legata, & fideicommiſſa, & omne, & quidquid in tali teſtamento, vel ultima voluntate eis, vel alicui earum relictum eſſet, capere, & habere poſsint, & poſsit, juxta tenorem, & formam ipſius teſtamenti, ſive ultimæ voluntatis, ſi aliud eis, ſive ei juridicum non obſiſtat. Ita tamen, quod ipſæ mulieres, & quælibet earum, quibus, vel cui bona talis defunctæ perſonæ taliter obvenirent, ea ſibi computent, & computare teneantur in ipſis ſuis dotibus. Et ſi aliqua de dictis mulieribus dotata fuerit ab aliqua de dictis perſonis in ejus vita, vel per ipſius ultimam voluntatem, eo caſu talis mulier ipſis dotibus ſit, & eſſe debeat contenta. Ita quod nihil ultra quantitatem ipſam in hæreditate, vel de hæreditate alicujus prædictarum perſonarum petere valeat, vel habere, niſi ſecundum expreſſam diſpoſitionem talium perſonarum. Et ſi poſtquam aliqua de prædictis perſonis nupſerit, vidua remanſerit, poſſit ad domum hæredis talis defunctæ perſonæ redire, & ibi ſtare, ac de ipſis bonis hæreditariis modo prædicto alimentari debeat, donec iterum maritetur, vel Monaſterium intret. Dummodo fructus ſuæ dotis, quos haberet, vel aliorum ſuorum bonorum, ſi qua tunc haberet, converti debeant in alimentis prædictis. Inſuper volumus ſtatuentes, quod ſi aliqua de prædictis perſonis, de cujus ſucceſſione tractaretur in ſua ultima voluntate aliquid alicui de dictis mulieribus relinqueret pro ea dotanda, poſtea antequam deſceſſerit, eam dotaverit; et deinde, non revocata ipſius ultima voluntate in parte prædicta, deceſſerit, dictum relictum evaneſcat, & evanuiſſe ipſo jure intelligatur, & pro non facto penitus habeatur. Et ſuper, & de prædictis, & quolibet prædictorum, ſi de eis, vel eorum aliquo, ſeu eorum, vel alicujus eorum, occaſione aliqua, lis, quæſtio, vel controverſia oriretur, vel eſſet, poſſit, teneatur, & debeat Judex majoris Curiæ Communis Tuderti cognoſcere, procedere, pronunciare, definire, & exequi breviter, ſummarie, de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii.

Ejuſdem Statuti. *De ſucceſſione ab inteſtato. Rubr. 56.*

ITem ſtatuimus, quod ſi aliqua perſona de Civitate, vel Comitatu Tuderti ab inteſtato deceſſerit ſine liberis ſuperſtitibus, ſeu ſuperſtite ſibi aliquibus, ſeu aliqua perſona, uſque in tertium gradum ſuæ agnationis incluſivè, ſuccedat ſibi proximior de dicta ſua agnatione, hoc intellecto, & declarato, quod in dicta ſucceſſione non habeatur, nec haberi debeat diſtinctio, ſeu conſideratio, vel reſpectu, an talis proximior conjungebatur talis defunctæ perſonæ ex utroque parente, ſive per lineam utriuſque parentis, ſeu ex uno, vel unius tantùm. Dummodo ex parte ejuſdem defunctę perſonę, ſeu ex ejus paterna linea, ſaltem eidem conjunctus extiterat. Præterea volumus, quod nepotes ex fratre carnales quondam talis defunctæ perſonę, ſuccedant eidem unà cum eorum patruo, eodemque fratre quondam talis defunctę perſonę, in ſtirpes, non in capita. Mater verò ipſius q. defunctę perſonę, ſuperſtite aliquo agnato infra tertium gradum, ut prefertur, in ſola octava parte bonorum ipſius q. ſui filii, vel filię ſuccedat, & ſuccedere poſsit eidem, & ipſa octava parte ipſa mater contenta ſit, & eſſe debeat, adeò quod nihil amplius jure ſucceſsionis petere, & habere poſsit de hęreditate prędicta. Matre verò non extante ſuccedat eidem ab inteſtato q. avia ſua paterna in octava prędicta, & ipſis matre, & avia non exiſtentibus ſimili modo ſuccedat eidem proavia q. ejus paterna, videlicet mater avi ſui paterni. Avia verò materna, videlicet mater matris, & proavia materna, videlicet avia matris dictę defunctę perſonę, ſeu aliqua ipſarum de cognatitia prole q. ipſius defunctę perſonę, ſive patris ejuſdem ad dictam ſucceſsionem nullatenus admittatur. Ita tamen, quod in dicta agnatitia prole non includatur, nec intelligatur includi aliqua fœmina, excepta ſorore carnali, ſive nepte, videlicet filia fratris carnalis, & amita q. talis defunctę perſonę. Quæ ſolę, ſcilicet ſoror, neptis, & amita in dicta prole agnatitia, & in ejus numero comprehendantur, & comprehendi valeant in caſu prędicto ſi, & in quantum in eo caſu tali defunctę perſonę non ſupervivat aliquis, quàm ejus frater carnalis, legitimus, & naturalis, ſive nepos legitimus, & naturalis, natus ex fratre carnali q. talis defunctę perſonę, ſive patrui. Quibus fratre, & nepote, vel aliquo eorum extantibus, & ſupraviventibus, ſive extante, & ſupervivente, & donec ipſi extiterint, ſive deſcendentes eorum maſculi, & per lineam maſculinam deſcendentes, dicta ſoror, neptis, & amita talis q. defunctę perſonę à dicta ejus ſucceſsione repellantur, & ad eam dicti q. ejus frater, & nepos, & patruus admittantur, & admitti poſsint. Sed ſi dd. mater, avia, proavia paterna, vel aliqua earum, quę in dicta octava, ordine pręmiſſo, ſuccederent, ſeu ſuccedere poſſent, ut dictum eſt, non extarent, ſuccedat nihilominus tali defunctæ perſonę ei proximior de dicta ſua agnatitia prole, ut ſuperius dictum eſt. Verùm ſi talis perſona deceſſerit, condito teſtamento, vel alia ultima voluntate, & in ipſo, vel in ipſa quocumque titulo, jure, vel modo aliquid reliquerit ipſi ſuæ matri, avię, vel proavię, eo caſu talis ejus mater, avia, vel proavia, dicto relicto contenta ſit, & eſſe debeat, nec ultra in dicta, vel de dicta hęreditate, jure ſucceſsionis, petere poſsit.

Ejuſdem Statuti. *Quod gradus intelligatur ſecundùm Jus Canonicum. Rubr. 57.*

QUia in pluribus partibus Statutorum Communis Tuderti de gradibus agnationum, cognationum, ſive affinitatum ſit mentio, & cùm dubitatio inter prudentes oriatur, cujus juris, videlicet an Canonici, vel Civilis in prędictis ſit conſideranda cenſura. Volentes dictam dubitationem tollere, & declarare, hac lege duximus ſtatuendum, quod ubicumque de gradibus prędictis, vel aliquo eorum in noſtro jure municipali ſit mentio, gradus ipſi ſecundùm Jus Canonicum tantùm debeant computari, hoc tamen

ex-

expreſsè declarato, quod patruus fratres patrueles excludat, & ita etiam amita, vel matertera conſobrinos talis defunctæ perſonæ, licet de jure Canonico in eodem gradu exiſtant.

TVLPHÆ,

Terræ in diſtrictu Urbis.

PARTICULA CLXVIII.

ITem ſtatuimo, ordiniamo, e dichiariamo, che tutte le robbe di quelli, che decedono, e morono ſenza far teſtamento, rimanghino alli figlivoli maſchi di detto defonto, ſe quelli haverà, e ſe non haverà figlivoli maſchi, devenghino alle figlivole fœminæ, e ſe maſchi, e fœminæ inſieme haverà maritate, ò non maritate, che tutte le robbe, e beni divenghino alli maſchi, li quali ſiano tenuti di maritare, mandare à marito, e dotare le ſorelle ſue non maritate; Dotate debbiano ſtare della ſua dote contente; e ſe non haveſſe figlivoli, nè figlivole, li beni di detto defonto devenghino alli più proſſimi, ſalvo il prerogativo grado.

Ejuſdem Statuti. *Che le Figlivole, ò Nepote non ſuccedino al Padre.*

ITem ſtatuimo, ordiniamo, e dichiariamo, che figlivola, overo nepote nata di figlia, non ſuccedino al padre, overo madre, nè all'avo, overo ava decedenti, e morti inteſtati, ſe il decedente haverà figlivolo maſchio, mà ſia contenta della dote ſua, ſe ſarà maritata la nepote della dote della madre ſua, e ſe non ſarà maritata, il fratello eſſa ſia tenuto maritare, e dotare, ſecondo le qualità del potere; E ſe il padre, overo madre haverà fatto teſtamento, e laſſata alcuna coſa in detto ſuo teſtamento alla figlivola, overo nipote, la figlivola, overo nipote ſia contenta allo relitto à lei fatto nel teſtamento del padre, overo della madre, dell'avo, overo dell'ava, e più nelli beni delli predetti non domandare, e ſe il padre, overo madre, avo, overo ava niente haverà laſciato alla figlivola, overo nepote nel ſuo teſtamento, la figlia, overo nipote, ſe non ſarà maritata, ſi mariti come ſopra. Aggiungemo in queſto Capitolo, che ſe la figlivola haverà madre, della quale figli maſchi non ci foſſero, morendo eſſa madre inteſtata, ſucceda.

TIBURTINÆ CIVITATIS.

PARTICULA CLXIX.

De diſtributione rerum inteſtati. Cap. 39. lib. 2.

NE poſt obitum eorum, qui de bonis ſuis non diſpoſuerunt, & ſubſtantiis, quæſtio inter poſteros oriatur; ſtatuimus, quod ſi pater, vel mater, vel quis alius de recta linea aſcendentium deceſſerit inteſtatus, filiis, vel filiabus, nepotibus, vel neptibus, vel aliis maſculis, ſeu fœminis de linea directa deſcendentibus ſuperſtitibus, quod filiæ, neptes, & aliæ fœminæ de dicta linea deſcendentium ſi dotatæ fuerint ad ſucceſſionem aſcendentium nullatenus, ſuperſtitibus maſculis, admittantur, ſed ſuis dotibus ſint contentæ. Si verò dotatæ non fuerint, dotentur, & eis condecentes, & competentes dotes aſſignentur, ſecundùm conditionem perſonarum, & facultates, bonorum, & in his ſolùm ſuccedant, & contentæ ſint, & ulteriùs petere non valeant, quocumque jure, titulo, ſive cauſa, & detractis dictis dotibus mulierum, in omnibus aliis bonis reſiduis ſuccedant dicti filii maſculi, vel nepotes per dictam directam lineam deſcendentes, vel aſcendentes, prout eis de jure defertur. Si autem dictæ fœminæ viduæ remanerent, liceat eis, & poſſint redire ad dabitandum ad domum patris, vel matris, vel aliorum aſcendentium, unà cum aliis fratribus, & condeſcendentibus earumdem, & ibi alii debeant, fructibus earum dotium computatis.

VALLIS PETRÆ,

Caſtri in diſtrictu Urbis.

PARTICULA CLXX.

ANcora ſtatuimo, & ordiniamo, che la figlivola femina eſſendo cacciata à dote, non poſſa più petere, ne domandare delle robbe del padre, e della madre, morendo il padre, e la madre ſenza far teſtamento, nè meno delle robbe delli fratelli carnali, ſtandoci altri fratelli, overo figli maſchi de' fratelli.

VALLIS TVPINÆ.

Terræ ſub Gubernio Umbriæ.

PARTICULA CLXXI.

Quòd mulier dotata à patre, matre, fratre, avo, avia, &c. ſit contenta ſuis dotibus, & ad ſucceſſionem aliquam pervenire non poſſit. Cap. 14.

ITem ſtatuimus, ordinamus, & reformamus, & addimus, corrigentes Capitulum poſitum in Volumine Statutorum, quod mulier dotata à patre, matre, avo, avia, proavia, proavo, ſeu à quolibet alio ſibi attinenti uſque in tertium gradum, ſecundùm jus Canonicum, ex parte lineæ aſcendentis, ſeu deſcendentis, ſivè tranſvarſalis, ſit contenta ſua dote, & ab inteſtato ſuccedere non poſſit neque dotanti, neque alicui alio ſuo attinenti uſque in dictum tertium gradum computandum, ut ſupra, per aliquam dictarum linearum, nec etiam poſſit petere legitimam, vel legitimæ ſupplementum, nec etiam aliquod juris remedium tam civilis, quàm prætorii intentare contra aliquod teſtamentum dictorum ſuorum attinentium, vel alicujus, contra quod de jure communi daretur ex quacumque cauſa tam preteritionis, quàm non juſtæ exhæredationis, quàm alia quacumque cauſa, & occaſione, donec ſupervixerint maſculi dicto tali decedenti attinentes deſcendentium; quantum vero ad lineam tranſverſalem uſque in dictum tertium gradum computan. ut ſupra de jure Canonico. Et dotata intelligatur, dummodo pro dote receperit aliquid ſufficiens, ideſt conveniens, & congruum ſuæ qualitati, & conditioni; & caſu, quo non habuerit in totum congruam dotem, tunc ſtantibus dictis maſculis poſſit agere ad ſupplementum congruæ dotis contra hæredes maſculos, ut ſuprà, non autem poſſit, nec valeat ſuccedere, ut ſuprà; Quinimò ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi aliqua mulier ſuis patri, avo, proavo fuerit ſuperſtes non dotata, & ſuperſint filii, vel nepotes, vel pronepotes maſculi lineæ dictorum patris, avi, proavi, poſſint dicti maſculi deſcendentes dotare congruè dictam talem mulierem, & excludere eam à ſucceſſione dictorum patris, avi, proavi, & cujuslibet ipſorum, &c. Placet Io: B. Legatus.

VELITERNÆ CIVITATIS.

PARTICULA CLXXII.

Quòd mulier dotata, ſeu dotanda non ſuccedat. Cap. 23. lib. 2.

AD conſervandas agnationes, & familiarum dignitates, quas per maſculos, non fœminas conſervari notiſſimum eſt, hac in perpetuum valitura lege ſancimus, ſtatuimus, & ordinamus, quod mulier dotata, vel dotanda à patre, matre, avo, avia, vel alio aſcendente per lineam paternam, à fratre, ſeu fratribus utrinque conjunctis, vel ex parte patris tantùm, aut à talium fratrum filiis maſculis, non ſuccedat in bonis dotantis, nec alicui ipſorum, dummodo ab uno ex prædictis competenter dotata fuerit, vel dotetur, inſpecta conditione perſonarum, & viribus patrimonii, ita quod ſufficiat quod unus tantùm ex prænominatis dotaverit, ſeu dotare paratus ſit; Et talis mulier ſic dotata, aut dotanda congruenter, excludatur, & penitus excluſa intelligatur, & ſit à ſucceſſione omnium ſuprà nominatorum, in perpetuum, ab inteſtato morientium, ſtantibus fratribus ipſius mulieris, aut fratrum filiis maſculis; quibus non ſuperexiſtentibus, ſuccedatur prout de jure. Si verò prænominati, vel aliquis ipſorum fecerit teſtamentum, valeat, & plenam habeat roboris firmitatem, & nihil aliud petere poſſit, eadem fœmina dotata, vel dotanda, aliqua cauſa, vel prætextu, niſi illud tantùm, quod ſibi relictum eſſet, ſtantibus prænominatis maſculis, ut ſuprà alias forma juris communis ſervetur; & præſens ſtatutum non habeat locum in fœminis, quæ tempore publicationis ipſius reperiuntur dotatæ, in quibus ſtatuta antiqua locum habeant,

VETRALLÆ,

Terræ ſub Gubernio Patrimonii.

PARTICULA CLXXIII.

Che la figliuola, ò nipote dotata non ſucceda nelli beni del padre, ò madre. Cap. 37. fol. 28.

APprobando l'antiquo Statuto della Terra di Vetralla, quale quì di parola indicamo da eſſere obſervato; Statuimo, ſe una figliuola, ò nipote dotata dal padre, ò madre, ò da alcuno d'eſſi, ò fratello carnale, che delli beni del padre, ò madre, ò d'alcuno d'eſſi, ò delli beni del fratello carnale per canto della perſona ſua, ò della madre d'eſſe nipote havrà havuta, e ricevuta alcuna coſa, quale ſarà delli beni di ſuo padre, ò madre, avo, overo ava, ò veramente d'alcuno d'eſſi per ragione di ſucceſſione di chì foſſe morto ſenza teſtamento, ò debbia per ragion di giuſtitia naturale, ò d'altra legge, e falcidia, quale li legati non poſſa alcuna più nè domandare, nè havere, mà ſia, e ſtar debba contenta della dote predetta, e di quello, che li predetti padre, e madre, avo, overo ava li haveranno dato, conceſſo, e laſſato, nè poſſino ſuccedere alli medeſimi padre, e madre, avo, overo ava, e le predette coſe habbino luogo ſe ſopraviveſſe un figliuolo del medeſimo, delli beni del quale s'agitaſſe, overo nipote del figliuol maſchio, pur che ſiano nati d'un medemo padre, e madre; & ancora habbino loco nelle coſe paſſate, preſenti, e da venire; Volemo ancora, che benche la figliuola, overo nipote ſia ſtata ſolamente dotata delli beni del padre, ò delli beni della madre, ſia, & eſſer debbia contenta della ſua dote, e non poſſa nelli beni d'alcuno d'eſſi padre, e madre più ſuccedere eſſendo morti ſenza teſtamento, non oſtante, che ſia ſtata dotata ſolamente delli beni d'alcuno di eſſi, e delli beni dell'altro non habbia havuto niente.

VIANI,

Quod eſt Caſtrum B. in diſtrictu Urbis.

PARTICULA CLXXIV.

Che non ſucceda la femina eſſendoci i maſchi della medeſima famiglia.

NEſſuna femina, ò maritata, ò nò, poſſi ſuccedere ab inteſtato ne i beni del morto aſcendente, ò deſcendente, ò traſverſale maſchio, ò femina in qualſivoglia grado, mentre nella parentela del defonto ſopraviva qualche maſchio, etiam di lontano, però capace di ſuccederci; mà però ſi diano à queſti li alimenti condecenti avanti ſi mariti, ò la dote congrua, quando poi ſi mariterà dal predetto ſucceſſore maſchio, nè poſſi la detta in alcun modo dimandare legitima, ò ſupplemento di legitima, ancorche il maſchio ſucceſſore da uno, eſſa da doi lati foſſe congiunta al detto defonto, ò foſſe eſſa più propinqua, mà debba eſſer contenta della ſua dote, la qual dote con gli alimenti predetti da doi parenti, huomini da bene, da deputarſi dal Podeſtà, ſecondo la quantità de' beni, & il coſtume del Caſtello ſi debbano taſſare, e quelli doi non concordando s'aggiungerà il terzo, e la donna così dotata ſi habbia per morta in quanto alla ſucceſſione di detti beni; li beni però pervenghino alli agnati ſecondo i gradi, come diſpone il jus Civile, eſcluſe affatto le femine, e da queſto Statuto non s'intenda pregiudicato alle ragioni della Corte, come ſi è à baſſo eſpreſſo; Vogliamo però, che le Donne habbino quello, che li viene laſciato per teſtamento, e le madri, che ſtaranno in honeſta viduità, e non haveranno altro figlio dal ſecondo marito non preſo, poſſino ſuccedere al figlio defonto, ſecondo diſpone il jus, ſe però haverà ciò fatto, che deve di ragione.

VIGNANELLI,

Terræ B. in diſtrictu Urbis.

PARTICULA CLXXV.

Che la Donna non poſſa ſuccedere ne' beni paterni, ò materni. Cap. 60.

ORdiniamo, e ſtatuimo, che una Donna, la quale ſarà ſtata dotata ſolamente, ſi contenti della ſua dote, e non poſſa ſuccedere nelli beni del padre, ò della madre; mà ſe ſarà dotata, volemo ſia dotata ſecondo le ragioni ab inteſtato (intendendo però ſe il maſchio diſcendeſſe dal maſchio incluſivè inſino al terzo grado, da numerarſi ſecondo le ragioni Canoniche) e ſecondo le facoltà del padre ſuo, e la qualità della perſona, ſecondo il parere de i due parenti proſſimali, e conſanguinei; li quali non ci eſſendo, quando ſarà in età da maritarſi, volemo ancora, che donna alcuna da qualunque ſarà dotata, ò da padre, ò da madre, ò da fratelli carnali, ò da altre perſone, non poſſa addomandare più della dote ſua, più che dieci ducati l'anno, per finche ſarà finita di havere detta dote, nè farla domandare da altra perſona ſotto la pena di 25. ducati da pagarſi da ciaſcheduno, che contro farà, e di applicarſi alla Camera noſtra.

VILLÆ PAGANICÆ,

Sub Gubernio Spoleti.

PARTICULA CLXXVI.

Sopra le ſucceſſioni ab inteſtato. Cap. 14.

PErche ſuccedono molte liti, e differenze per cauſa delli beni hereditarii di quelli, che ſenza far teſtamento muojono; però volendo ouviare, e con qualche opportuno remedio provedere, ſi ſtatuiſce, & ordina, che alcuna donna dotata da padre, madre, avo, avia, fratello, zio, e da qualſivoglia altra perſona, non poſſa ſuccedere ab inteſtato al detto dotante, overo ad alcuna perſona delle ſopranominate, eſſendovi figliuoli maſchi nel medeſimo, overo pari grado; con queſto però, che detta donna debba eſſer dotata da quello, ch'è preferito à lei nell'heredità predetta convenientemente, ſecondo lo ſtato, e facoltà loro, ad arbitrio di due parenti più proſſimi, e non intereſſati, uno dalla banda del padre, e l'altro dalla banda della madre, e non eſſendo d'accordo, il Giudice vi debba intervenire à fare inſieme con loro tal dichiaratione.

VISSII,

Terræ in Provincia Umbriæ, habentis Gubernatorem independentem.

PARTICULA CLXXVII.

Quòd mater ab inteſtato non ſuccedat filiis. Rubr. 35.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, & præſenti ſtatuto firmamus pro conſervatione Cippi domus ab inteſtato morientis, qui ſuam voluntatem non valet exprimere, ſecundùm conjecturatam mentem hujuſmodi morientis, ne ejus bona ad exteros, & extraneos devolvantur; quod ſi contigerit in futurum aliquem, ſeu aliquam ab inteſtato mori ſine filiis, ſeu filiabus, relictis fratribus, vel ſororibus, uno, vel pluribus, vel matre, aut avo, ſeu avia materna dictorum filiorum, non ſuccedat dicta mater in bonis, & hæreditate dd. filiorum, ſeu filiarum, niſi in legitima tantùm debita jure naturæ, ſalva inter prædictos gradus prærogativa, videlicet quia primò veniat mater morientium in pupillari ætate, vel poſtea quandocumque ab inteſtato ſine filiis; deinde pariter avus, & avia materna, ſi ambo extarent, aliàs ſupervivens ſolus; & prædicta locum habeant ſi ſuperſint alii conſanguinei dd. filiorum, ſeu filiarum ex latere paterno uſque in ſecundum gradum conſanguinitatis, ſecundùm connumerationem Canonici juris; & præſens ſtatutum intelligatur, & locum habere volumus in morientibus ab inteſtato poſt publicationem præſentis Statuti.

Item, quod maritus lucretur quartam partem dotis, & omnium aliorum bonorum, undecumque adventorum uxoris in matrimonio decedentis ſine filiis, nec de prædictis dote, & bonis ex teſtamento, vel ab inteſtato plus habere poſſit; de alia verò quarta parte dd. dotis, & bonorum, uxor poſſit teſtari pro libito voluntatis ſuæ; reſervato tamen, quod non debeat, nec poſſit eam relinquere, nec legare marito, & viro ſuo. Et ſi eam dicto ejus viro, & marito relinqueret, ſeu legaret, non teneat; Aliæ verò duæ quartæ deveniant, & devenire debeant ad Cippum domus.

Item quod uxore prædecedente in matrimonio ſuperſtitibus filiis, ſi dicti filii decederent in pupillari ætate ſine filiis, dimidia bonorum dictæ uxoris præmortuæ revertantur, & reverti debeant ad Cippum domus, ſtantibus conſanguineis in ſecundo gradu.

Item quod dotatæ mulieres per patrem, fratrem, ſororem, avum, vel aviam paternos, non ſuccedant ab inteſtato hujuſmodi patri, vel matri, ſorori, vel fratri, avo, vel aviæ, ſi hujuſmodi pater, vel mater, frater, vel ſoror, avus, vel avia decederent aliis filiis ſuperſtitibus maſculis, dummodo

dictæ

dictæ mulieres ſint dotatæ à quocumque prædictorum, non poſsint ſuccedere ſupradictis dotantibus, nec etiam aliis non dotantibus de ſupradictis nominatis in dicto Statuto; & ſi decederent ſuperſtitibus filiabus fœminis, quod dictæ filiæ fœminæ dotentur æquali dote; & cætera bona dividantur inter eos, ſi natæ ſunt ex eodem matrimonio, de quo nata eſt dicta mulier dotata. Dictæ verò mulieres dotatæ ad dictam ſucceſsionem prædictorum venire volentes non audiantur; Et ſi in judicio contra prædictos egerint, petendo ipſorum hæreditatem, vel partem hæreditatis qualitercumque, dictæ mulieres, & earum procuratores ejiciantur; & nihilominùs mulieres prædictæ condemnentur in 25. libras denariorum, & prædicti Rectores prædicta obſervent, & obſervari faciant ad pœnam 50. librarum denariorum.

VITERBIENSIS CIVITATIS.

PARTICULA CLXXVIII.

Quòd mulier nupta à patre, vel fratre ab eis præſumatur dotata, & ſit contenta de dote, & relicto ſibi facto, & dato. Rubr. 70. lib. 2.

MUlier nupta à patre, vel à fratre, ab eis præſumatur dotata, & mulier nupta, vel non nupta, & deſcendentes ab ea per lineam fœmininam, patri, vel matri, vel avo, vel aviæ, vel patruo, vel fratri, vel alicui ipſorum, non ſuccedant ab inteſtato exiſtente maſculo ex linea maſculina, uno, aut pluribus, ex qua ipſa mulier deſcendat; ſed maritetur, & dotetur arbitrio trium propinquorum proximiorum ex parte patris ſi extarent, & ſi non extarent ex parte matris, ſecundùm conditionem perſonæ, & facultatum pondus, ac Urbis noſtræ conſuetudinem; & unica dote ſit contenta, ex quibuſcumque bonis proceſſerit; & ſi maritare ſe nollet, vel aliam viam vellet eligere, habeat tantum, & non plus, quantum haberet illa, quæ maritatur; & ſi pater ei reliquerit dotem, relicto patris ſit contenta, & plus petere non poſsit in hæreditate paterna, vel materna, ſi ſint fratres ex utroque latere conjuncti; & ſi non ſint fratres ex utroque latere conjuncti, cum conſanguineis in paterna hæreditate mulier non ſuccedat; ſi verò filii maſculus, & fœmina ſint ex diverſis matrimoniis nati, quòd filia fœmina ſuccedat cum fratre ex altero matrimonio nato in dote, & bonis maternis; Verumtamen ſi contingat talem fratrem, qui ſororem à dictis bonis excluſi, mori ſine filiis legitimis, & naturalibus, etiam vivente tali ſorore excluſa, quod tunc in tali caſu illa pars, à qua fuit talis ſoror excluſa revertatur, ſine diminutione, ipſo jure, ad talem ſororem excluſam, ac ſi à dicta parte numquam fuiſſet excluſa.

Ejuſdem Statuti. *Quòd mulier habens filios, vel filias non poſſit teſtari, codicillari, nec aliquem contractum facere extra perſonas filiorum. Rubr. 74.*

STatuimus, & ordinamus, quod mulier habens filios, vel filias laicos, filium, vel filiam ex filio laico, & maximè ex diverſis matrimoniis procreatos, non poſsit teſtari, codicillari, nec aliquem contractum facere extra perſonas filiorum, & filios ſuos de ſuis dotibus, & bonis privare, niſi tantummodò pro anima ſua decem libras papalinorum pro centenario relinquere; quod ſi contrafacere tentaverit, vel ad actum contrafaciendi devenerit, tunc tale teſtamentum, codicilli, & quivis contractus ſint nullius efficaciæ, vel valoris; & nihilominùs talem contrafacientem, ſeu contrafacere attentantem inhabilem reddimus quoad illud, & utens puniatur in ducentis libris denariorum, quoque denunciante; Poſsit tamen mulier habens filios ſuper bonis ſuis, & liberorum contrahere, & de eis, vel ea vendere, obligare, cauſa neceſſaria, & utili interveniente; quæ cauſa probetur per duos conſanguineos liberorum proximiores, coram Judice Cauſarum Civilium Civitatis Viterbii; Quæ venditio, & obligatio valeat, & teneat, nullo ſtatuto in contrarium obſtante; Et quilibet filiorum maſculorum, vel nepotum ex filio natorum habeat, & habere debeat in bonis talis mulieris ſuam virilem, & æqualem portionem, non obſtante teſtamento, codicillo, vel quovis alio contractu per talem mulierem facto; Et decedentibus filiis ſuis maſculis, vel nepotibus ex maſculis, tunc filiæ fœminæ in dote, & bonis maternis earum obtineant, & percipiant virilem, & æqualem portionem; Et prædicta locum non habeant in filiis, vel filiabus, ſeu nepotibus, qui vel quæ malè tractaverint, vel tractant matrem, vel aviam, contrà reverentiam filialem; & quilibet filiorum, & filiarum, etiam ſi ſit nobilis, poſsit bona materna, vel aviæ, & etiam bona obligata pro dotibus ipſarum, ſua propria authoritate, ſine pœna legis, & Curiæ, intrare, & poſſeſsionem capere, & vendere, quoque poſsidente, præſcriptione temporis non obſtante; Et hæc locum habeant in præteritis, præſentibus, & futuris, quoquo capitulo ſupra, vel infra poſito non obſtante, vel verbis derogatoriis in contrarium loquentibus, ſuprà, vel infrà poſitis, dummodò locum habeant in Civibus Viterbien. & mulier habens filios, vel filias poſsit facere refutationem Inſtrumenti, & curam refutationis ſuo debitori de denariis per eam mutuatis, vel depoſitis ſtari in judicio, procuratorem, ſeu procuratores conſtituere, locare ad modicum tempus, de penſionibus, redditibus, & proventibus bonorum ſuorum, & etiam de relictis, & legatis ipſi mulieri factis refutationem facere, ſocietatem, ſeu ſocietates contrahere, & omnes, & ſingulos contractus facere, & celebrare, qui non ſint, nec redundent in filiorum præjudicium, nec nepotum ex filio natorum; & idem intelligatur in muliere carente liberis, habente fratrem, ſeu fratres carnales, ſeu filios fratris, ſeu fratrum carnalium, quæ in prædictis caſibus liberè contrahere poſsit, dummodo dictis fratribus, ſeu nepotibus ex fratribus non præjudicet; Et quod mulier habens filios poſsit dotem ſuam repetere ab hæredibus mariti, vel aliis obligatis ad reſtitutionem dictæ dotis ſatisfaciendæ, ſecundùm formam Statuti, quod incipit ſoluto matrimonio, & ſuper bonis ſibi obligatis pro dote, & donatione propter nuptias, & jura ſibi competentia contra hæredes mariti, in bonis ſibi obligatis pro dote, cedere, & talis ceſsio juris valeat, & teneat, & quod pro tempore reſtitutionis, ſi talis mulier habeat filios, vel filias, vel filium, vel filiam ex filio, talis dos deponi debeat penes idoneam perſonam tenendam per eam, donec aliqua poſſeſsio, ſeu poſſeſsiones emantur de ipſa dote conſervanda pro filiis natis, & naſcituris; Et quia Statutum ipſum factum eſt in favorem filiorum maſculorum mulieris, ſtatuimus, quod non proſit niſi filiis maſculis tantùm, in quorum favorem factum eſt dictum Statutum; & jura habentibus ab eis; & nihilominùs mulier, quæ contraxerit non ſervata forma præſentis Statuti, non poſsit conveniri, nec poſsit compelli prætextu obligationis, ſive promiſſionis, vel præſtiti juramenti per eam, & opponens non audiatur, & incurrat pœnam decem librarum papalinarum Communi Viterbii applicandarum; Et quod nulla mulier nupta, vel non nupta habens fratrem, ſeu fratres carnales, vel filios fratris carnalis, vel fratrum carnalium, poſsit teſtari, codicillari, vel cauſa mortis donare, vel aliquem contractum, vel diſtractum facere ſine præſentia, & conſenſu eorumdem. Poſsit tamen contrahere cauſa neceſſaria, & utili interveniente, ſecundùm quod dictum eſt ſuprà in muliere habente filios, & ſi ſecus fieret, vel fieri tentaretur, non teneat ipſo jure, non aliquo Capitulo Statuti ſuprà, vel infrà poſito, & ipſam mulierem inhabilitamus, & inhabilem reddimus, quoad illum contractum, vel diſtractum, codicillos, vel teſtamentum, quæ cauſa fuerit attentare contra præſentem diſpoſitionem, & quod tali inſtrumento puniatur in ducentis libris denariorum papalium; Poſsit tamen dicta mulier de dote, & bonis ſuis relinquere pro anima ſua decem libras tantùm denariorum papalinorum pro centenario. Et prædictæ mulieri ab inteſtato ſuccedant, & ad ejus ſucceſsionem vocentur, ſive fecerit teſtamentum contrà formam prædictam, ſive nullum fecerit, fratres carnales unus, vel plures, ſeu fratris filii unus, vel plures ex fratre præmortuo pro æquali, non autem fœminæ, quibus fratribus, ſeu fratrum filiis maſculis non extantibus locum habeat ſucceſsio ſecundùm formam juris civilis.

URBINATENSIS CIVITATIS.

PARTICULA CLXXIX.

De excluſione fœminarum ſtantibus maſculis, par. 6. fol. 56.

DEcernimus, & ſancimus, quod fœminæ quorumcumque locorum totius noſtri Status dotatæ ab avo, avia, patre, matre, vel à fratre, à quocumque, vel ab altero ipſorum, donec, & quouſque maſculi ſuperfuerint per lineam directam deſcendentes in infinitum ab inteſtato ſuccedere non poſſint, nec agere ad jus aliquod legitimæ, vel ejus ſupplementi, aut congruæ dotis, &c.

Vide

Vide plenius ſub particula 32. verſ. Nos Guidobaldus, ubi hujuſmodi decreta ſunt per extenſum impreſſa, agendo de Statuto Callii.

URBIS ROMÆ,

PARTICULA CLXXX.

De ſucceſſionibus ab inteſtato. Cap. 145. *lib.* 1.

SI quis deceſſerit inteſtatus, relictis filiis maſculis, ſeu filio, vel nepote ex filio maſculo ſibi præmortuo, & ſuperſtitibus filiabus fœminis, una, vel pluribus, maritatis, & dotatis, ipſæ filiæ fœminæ nuptæ in aliquo non ſuccedant patri, ſed ſint contentæ dotibus pro eis datis; Si verò dictæ filiæ fœminæ pervenerint ad viduitatem, tunc revertantur cum dote, & fructibus dotis ad domum paternam, ſi voluerint, & habeant de bonis paternis in eadem domo congrua alimenta, ſecundùm facultatem, & potentiam domus; fructus tamen dotis, dum alimentantur in domo paterna, debeant eſſe fratrum, ſeu hæredum patris, & quod dictum eſt de filiabus, intelligatur de neptibus natis ex filiis, ſeu filiabus maritatis, & dotatis; Et idem juris eſſe volumus in filiabus, & neptibus non maritatis, nec dotatis, quibus non eſt conſtituta dos per patrem, vel avum in ſua ultima voluntate, dummodo frater germanus, ſive patruus ſit paratus cum effectu dotare ſororem, ſeu neptem ipſam de paragio, ſecundùm conditionem illorum de domo ſua, & facultatem patrimonii, alioqui ſuccedant dictæ mulieres cum maſculis, prout jura diſponunt. Quæ filiæ, vel neptes ab una ex prædictis perſonis ſit parata eas dotare in caſibus ſupradictis, nec matri, nec aviæ ab inteſtato ſuccedant.

EJUSDEM URBIS,

PARTICULA CLXXXI.

De ſucceſſione fratrum. Cap. 146. *lib.* 1.

DEfuncto fratri ſine filiis ab inteſtato germani fratres, tam utrinque conjuncti, quàm ex parte tantùm, illorumque filii maſculi in ſtirpes ſimul ſuccedant, excluſa matre, præterquam à legitima, & ii, ſive omnes ſuccedant, ſive ipſorum aliquis excludant etiam ſorores, & amitas, etiam utrinque conjunctas reſpectivè, dummodo dictæ ſorores, & amitæ congruè dotatæ exiſtant, vel eas fratres, & nepotes ſimiliter congruè dotare parati ſint. In illius autem bonis maternis ſuccedant, prout jus commune diſponit.

URBIS ALIÆ,

Terræ ſub Gubernio Maceratæ.

PARTICULA CLXXXII.

Quòd mulieres dotatæ non ſuccedant in hæreditate. Rubr. 26. *lib.* 2.

HOc edicto decernimus, & firmiter ordinamus, quòd filiæ, neptes, & deinceps ſingulæ mulieres deſcendentes, dotatæ, ſeu nuptæ de bonis patris, matris, avi paterni, vel materni, & ſimilium deinceps aſcendentium, vel alicujus eorum, vel ipſarum mulierum nuptarum, ſeu dotatarum, filii, vel filiæ, & ex ipſis mulieribus deſcendentes, nullo modo poſſint ad bona maritantis, ſeu dotantis parentis, ſeu aſcendentis decedentis ab inteſtato, ultra ſibi datam promiſſionem, vel relictam dotem, aliquem habere ab inteſtato regreſſum, ſeu recurſum, ad ſucceſſionem ab inteſtato venire in totum, vel in partem bonorum, ſeu hæreditatis parentis, ſeu aſcendentis dotantis, ſeu nuptui tradentis; ſiquidem ex ipſo patre, matre, vel ſimili parente, & aſcendente dotante, vel maritante extiterint, vel ſupervixerint, vel nepotes ex filio maſculo, aut pronepotes, & deinceps, ſeu ex uno, vel etiam pluribus; Et intelligatur talis deſcendens mulier dotata, ſeu maritata de bonis hujuſmodi aſcendentis parentis, & ab ipſo, ſi dos pro ea, vel pro matrimonio contracto, vel contrahendo cum ea extiterit data, promiſſa, conventa, vel in ultima voluntate relicta, ſeu legata, & quibuſcumque modis, vel verbis pollicita, vel numerata, ſive in quantitate, ſive in ſpecie talis dos conſtiterit, vel fuerit conſtituta, & in quacumque, vel in quantacumque quantitate, vel ſpecie; Nec ad talem ab inteſtato ſucceſſionem tales dotatæ mulieres, vel aliqua ipſarum aliquatenùs audiantur, vel admittantur; ſed potius repellantur, & eſſe, & ſtare contentæ tali dote eis, vel alteri earum promiſſa, data, vel relicta modis omnibus compellantur; & teneantur, præcisè vigore præſentis ordinamenti, non obſtante, quod eis, vel alteri earum deficeret, & minùs adeſſet in legitima portione jure naturæ debita; Quæ quidem portio in tali caſu ex ipſa dote data, promiſſa, vel relicta, & ex præſenti lege ipſo jure, & facto intelligatur, habeatur, & præſumatur perfecta, plena, & omni ſupplemento completa, nec ad aliud ſupplementum, vel augmentum agi poſſit ſuprà dictam dotem, ſed ipſa dote, ut dictum eſt, tales mulieres teneantur, & debeant eſſe contentæ, jure contrario non obſtante. Et nulla talis mulier audeat, vel poſſit contra prædicta agere, impugnare, vel jus prætendere, & ſi ſecus fecerit, non audiatur, & ipſo facto à jure ſuo cadat, & cecidiſſe intelligatur, & nihilominùs in libris 500. denar. uſualium puniatur. Ubi verò tali parenti, vel aſcendenti, dotanti, vel maritanti, ſeu dotem promittenti, vel, ut dictum eſt, relinquenti, ab inteſtato decedenti, non ſuperfuerit maſculus, vel ex filio maſculo nepos, & deinceps, ſed tantùm aliqua filia, vel neptis maritata, vel non, tunc aliæ maritatæ filiæ, vel etiam dotatæ, poſſint, & debeant ab inteſtato ſucceſſionem, unà cum aliis filiabus, vel neptibus obtinere, & ei ab inteſtato ſuccedere, unà cum aliis conferendo, & contribuendo ſuam dotem, quam receperat unà cum aliis cohæredibus; ſalvo ſemper legitimo teſtamento, vel alia ultima voluntate patris, vel matris, & ſimilis parentis, ſeu aſcendentis; ſiquidem aliis legitimis modis providerit, dote data, vel promiſſa non obſtante; & prædicta omnia, & ſingula locum habeant, & obſervari debeant in præſentibus, & futuris.

Ejuſdem Statuti. *Quòd Agnati maſculi præferantur cognatis, & fœminis in ſucceſſionibus ab inteſtato morientium proprie, vel improprie.*

QUoniam plerumque homines morte præventi, vel alio caſu ſuorum bonorum, & hæreditatis diſpoſitionem, & ordinationem facere nequeunt; Idcircò communi hominum decedentium voluntati adhærentes, hac perpetua lege in favorem agnationis edita, decernimus, & ordinamus, quòd extantibus, ſeu ſuperviventibus agnatis maſculis, uno, vel pluribus, uſque in tertium gradum incluſivè, computandum de jure civili, alicui perſonæ morienti ab inteſtato propriè, vel impropriè, ſive ſint dicti agnati ſuperviventes unus, vel plures de linea aſcendentium, ſive deſcendentium, ſive tranſverſalium, vel de qualibet ipſarum fœminæ, una, vel plures cujuſcumque gradus, proximitatis, & conditionis, & omnes cognati maſculi, vel fœminæ, unus, ſeu una, vel plures ſimiliter cujuſcumque gradus, proximitatis, & conditionis, ſive ſint dictæ perſonæ de linea aſcendentium, ſive deſcendentium, ſive tranſverſalium, & cujuslibet earum deſcendentium, & tranſverſalium, deſcendentes maſculi, vel fœminæ, unus, ſeu una, vel plures eidem ſic decedenti ab inteſtato propriè, vel impropriè non ſuccedant, nec ſuccedere quoquo modo poſſint, aut ad ejus ſucceſſionem venire, ſed penitus authoritate præſentis ordinamenti prædictæ perſonæ, una, vel plures, & quælibet earum intelligantur, & ſint ipſo jure perpetuò excluſæ à jure ſuccedendi dicto, ſic morienti ab inteſtato, & ipſi ſoli ſuperviventes agnati, unus, vel plures, ſecundùm gradus prærogativam, admittantur ad hujuſmodi morientis ab inteſtato ſucceſſionem, & ſuccedere poſſint, ac debeant, dummodo velint omnes, vel alter eorum, aliàs jus commune ſervetur, aliquo jure prædictis, vel alicui eorum contrario non obſtante; Excipimus tamen à prædictis, & quolibet prædictorum, quod ubicumque aliàs de jure communi, ſecundùm caſum occurrentem, alicui perſonæ de prædictis ſuprà excluſis ad minus deberetur legitima integra de bonis, & hæreditate ſic morientis ab inteſtato, nec poſſet dicta perſona ea legitima ab ipſo moriente aliquo quæſito colore privari, etiam per expreſſam voluntatem in ſolemni teſtamento declaratam, quod eo caſu dicta talis perſona uſque ad legitimam tantùm incluſivè, & non ad plus admittatur ad ſucceſſionem perſonæ ſic decedentis ab inteſtato propriè, vel impropriè, unà cum dictis agnatis, vel ipſorum altero. Per prædicta tamen, vel aliquod prædictorum, non intendimus derogare caſibus comprehenſis in ſtatuto ſuprapoſito ſub rubr. *Quòd filiæ, ſeu neptes dotatæ, &c.* uſque ad verſiculum: *ubi vero tali parenti;* Quinimò volumus dictum ſtatutum in dictis caſibus, & quolibet eorum in viridi obſervantia permanere, & præſenti ordinamento anteferri; Et ne noſtra lex aliquid diſſonum æquitati videa-

tur

tur continere, ſtatuimus, quod in ſucceſſione ſororis morientis ab inteſtato propriè, vel impropriè, quantùm ad fratrem, ſeu fratres, & cujuslibet eorum deſcendentes maſculos, & in ſucceſſione filiæ fratris, ſic morientis, ut ſuprà, quantum ad patruum, ſeu patruos, & cujuslibet eorum deſcendentes maſculos jura communia obſervantur, præmiſſis non obſtantibus. Huic etiam legi, præmiſſa limitantes, addendum fore cenſuimus, quod ſi contingeret aliquem mori ab inteſtato, ſuperſtitibus ex ſe, & ex ſuis deſcendentibus maſculis, vel ex altero tribus fœminis legitimis, vel pluribus, & nullo agnato, ſeu agnatis maſculis de linea aſcendentium, vel deſcendentium, ſed tantùm tranſverſalium infrà tertium gradum, ut ſuprà, quod dictæ fœminæ admittantur ad ſucceſſionem ſic morientis ab inteſtato, & ei ſuccedere poſſint pro virilibus portionibus unà cum ſuperſtite agnato, vel agnatis, ſi ipſæ velint, & hanc viam elegerint, præmiſsis huic caſui non obſtantibus; & nulla perſona de ſupradictis excluſis à jure ſuccedendi, deſcendentibus ab inteſtato, in totum, vel in partem audeat, vel poſsit contra prædicta, vel aliquid prædictorum agere, impugnare, vel jus prætendere, & ſi ſecus fecerit, non audiatur, & ipſo facto à jure ſuo cadat, & cecidiſſe intelligatur, authoritate præſentis ſtatuti, & nihilominus in libris 500. denar. puniatur.

URBIS VETERIS.

Alias Urbevetanæ Civitatis.

PARTICULA CLXXXIII.

Ex Rubr. 56.

NUlla mulier dotata, vel dotanda ſuccedat in bonis patris, nec matris, ſi ſuperſunt fratres carnales ex utroque parente; Item quod nulla mulier dotata, nec dotanda ſuccedat in bonis patris, ſtantibus fratribus ex parte patris: Et hoc locum habeat quando talis mulier eſt dotata, vel dotanda de bonis patris: Si vero dotata eſſet ab extraneo, non contemplatione patris, ſuccedat in legitima; ſed ſi quâ mulier deceſſerit inteſtata, relictis filiis, vel filiabus ex diverſis matrimoniis, dicti filii, & filiæ ſuccedant in capita pro æquali portione, ſublata qualibet differentia ſexus: Et quod dictum eſt de filiis, & filiabus, intelligatur de nepotibus, & deſcendentibus; fratres autem teneantur dotare ſorores, vel ſororem, cum ætatem exceſſerint treſdecim annorum, vel dent eis partem, quotieſcumque maritentur; & ſi nollent dare, poſsint petere partem; & ſi dictæ ſorores non fuerint maritatæ à dictis fratribus, antequam ætatem perfecerint 15. annorum, liceat proximioribus conſanguineis, ex tunc eam, vel eas maritare de dicta parte ei, vel eis contingente de bonis patris ſui; & quidquid dicti conſanguinei fecerint ſuper his, ratum ſit, & firmum, & nullatenus retractetur, non obſtante aliquo capitulo in contrarium diſponente, & hoc locum habeat in præteritis, & futuris; & omnia prædicta locum habeant ſi prædeceſſerit inteſtatus, in filiis legitimis, & naturalibus; ſi extant naturales legitimi in legitimis tantùm, & etiam in Civibus, & Comitativis Urbevetanis, & talis ſoror non poſsit cedere jura ſua, quæ habet in bonis patris, vel matris alicui, & ſi concederet, non valeat ipſo jure; ſi vero pater quantitatem dotis declaraverit inſtrumento, hæres patris dictam dotem declaratam mulieri dare integrè teneatur; & ſi hæredes eam non maritaverint cum ipſa dote, proximiores conſanguinei poſsint ipſam pro illa quantitate maritare; ut ſuperius dictum eſt.

VULSINII ALIAS BOLSENI,

Terræ in diſtrictu Urbis.

PARTICULA CLXXXIV.

De ſucceſſionibus ab inteſtato. Cap. 42.

NE in futurum dubitari contingat de hæreditatibus ab inteſtato morientium circa prærogativam in ſuccedendo; ſtatuimus, & ordinamus, quod prima cauſa ſucceſſionis ab inteſtato ſit deſcendentium maſculorum, vt filii, & ſucceſsivè alii deſcendentes maſculi morienti ab inteſtato ſuccedant excluſis filiabus, & aliis fœminis deſcendentibus, dotatis tamen, vel dotandis, ut ſuprà capitulo præcedenti diſpoſuimus.

Si autem nulli filii, aut deſcendentes maſculi fuerint, ſuccedant filiæ, & aliæ fœminæ deſcendentes.

Et deficientibus filiis, & filiabus, & alis deſcendentibus, & ſuperſtites ſint tantùm aſcendentes, ſuccedant aſcendentes, ſecundum gradus prærogativam de jure communi; ubi autem concurrant fratres, aut filii fratrum morientis, ſuccedant omnes, ſecundùm juris communis diſpoſitionem.

Si autem deſierint omnes deſcendentes, & aſcendentes, fratri morienti, fratres, & fratrum filii maſculi, prout de jure communi diſponitur, ſuccedant, & frater ex utroque parente conjunctus præferatur fratri ex altero tantùm parente conjuncto, ſecundùm ordinationem juris communis, excluſis tantùm ſimiliter ſororibus fœminis dotatis, vel dotandis, ut ſuprà; Quas ſorores excludendas eſſe hoc caſu intelligimus ubi fratres ſuccedens fratri morienti erit ex parte patris, & matris conjunctus, vel ex parte patris tantùm, quia ſi frater erit ex parte matris tantum conjunctus, & ſoror ſit ex utroque parente conjuncta, ſororem præferri volumus.

Sed ſi frater moriatur, nullis extantibus fratribus, ſed ſuperſtitibus ſororibus, & fratrum filiis maſculis, dicti filii, fratrum maſculi ſuccedant maſculis in totum dictis excluſis ſororibus morientis.

Si autem nulli filii fratrum maſculi ſuperſint, ſed filiæ dictorùm fratrum fœminæ ſuperſtites ſint, nec non dictæ ſorores morientis, æqualiter ſuccedant in capita, & non in ſtirpes

In cæteris juris communis diſpoſitionem, & conditionem volumus in ſucceſſionibus obſervari.

MONITIO AD LECTOREM.

Si qui errores, & periodorum diſſonantiæ in hujuſmodi particularum impreſſionem irrepſiſſe noſcantur, id adſcribendum eſt, vel rudi, & ineleganti eloquutioni antiquorum temporum, quibus talia ſtatuta condita fuere; vel tranſcriptorum incuriæ, qui prædictas particulas à ſuis originalibus incorrectè, & mendosè exemplarunt. Cæterùm non iſta ſolùm ſunt ſtatuta, quæ vigent in Statu Eccleſiaſtico ſuper fœminarum excluſione, ſed pleraque alia reperiuntur, quæ hìc non fuerunt appoſita; quia mens & finis Authoris non fuit omnia ſtatuta colligere, ſed tantummodo aliqua ex eis adnotare, ad oſtendendum univerſalem morem hujus Dominii repellendi à ſucceſſionibus inteſtatis fœminas propter maſculos.

PAR-

PARTICULÆ STATUTORUM, ET LEGUM

Excludentium ab inteſtatis Succeſſionibus Fœminas propter Maſculos, in Civitatibus, & Ditionibus Italiæ, extra Statum Eccleſiaſticum Ordine Alphabetico diſpoſitæ.

Aretii.
Barii.
Florentiæ.
Januæ.
Lucæ.
Mantuæ.
Mediolani.
Neapolis.
Papiæ.
Piſis.
Senis.
In utriuſque Siciliæ Regnis.

ARETINÆ CIVITATIS.

PARTICULA I.

De ſucceſſionibus ab inteſtato. Lib. 2. Rubr. 64.

TILIÆ fœminæ, vel deſcendentes ab eis ad ſucceſſionem Patris, avi, vel Proavi ab inteſtato defuncti non veniant, exiſtentibus filiis, vel filio, ſive liberis maſculis per maſculinam lineam ex defuncto: Non exiſtentibus verò filiis maſculis, ut ſuprà, filiæ fœminæ una, vel plures, aut ab eis deſcendentes ſuccedant patri, avo, proavo in duabus tertiis partibus tantùm hæreditatis, & non ultra: In alia verò ſuccedat frater perſonæ defunctæ, de cujus hæreditate agitur, utrinque conjunctus, vel ex latere patris tantùm, unus, vel plures ſi extant, ſin autem filii maſculi ipſorum. Hoc declarato, quod exiſtentibus fratre, vel fratribus, qui ut ſupra ſuccederent, & ex alio fratre, vel fratribus, qui ut ſupra ſuccederent, & ex alio fratre, vel fratribus filio, ſeu filiis, ſuccedat una cum patruo, vel patruis in ſtirpes, & non in capita. Defuncta verò matre, avia, vel proavia ab inteſtato non ſuccedant fœminæ, vel deſcendentes ab eis, maximè fœminæ, maſculo, vel maſculis exiſtentibus ex eadem; Et in quolibet caſuum prædictorum, in quo fœminæ in totum excluderentur, debeant congruè dotari, ſecundùm facultatem patrimonii, & perſonarum qualitatem, ſi dotatæ non ſint, & omninò alimentari etiam congruè per excludentem, donec nupſerint, & matrimonium conſummaverint, & ſi maritari, vel dotari nollent, ſed aliam vitam honeſtam, vel in domo patris, vel fratris, vel plurium cum ipſis habitare, pater vel frater, ſi voluerit ipſa, congruam eidem portionem aſſignare debeat, ſecundùm facultatem patrimonii, & conditionem perſonarum, cui aſſignationi ſtare debeat tacita, & contenta, & ſi non ſubeſſet juſta, vel rationabilis cauſa, quæ ipſam rationabiliter excuſaret, teneatur talis mulier cum patre, vel fratribus habitare; & ſi non dotarentur, vel alia congrua portio non aſſignaretur, poſſint ipſæ fœminæ convenire debitores hæreditatis, & petere, & conſequi bona hæreditaria, donec congruam dotem, vel congruam portionem fuerint conſecutæ, non obſtante aliqua obligatione, ſeu alienatione de bonis hæreditariis facta, ſufficiat tamen in quolibet prædictorum, & infraſcriptorum caſuum, quod ſit congruè dotata à quocumque, etiam à ſe ipſa, quamvis de bonis illius, à cujus hæreditate excluditur non ſit dotata, & ultrà conſequi non poſſit ullo modo. Quæ dos, vel portio congrua declarari debeat per duos proximiores conjunctos, & quatuor ex Rectoribus Fraternitatis pro confidatis datos, vel quatuor ex dictis ſex, infrà decem dies à die electionis, quorum declarationi omninò ſtetur, appellatione, ac reclamatione remota. Mater inſuper ad ſucceſſionem filii, vel filiæ, vel deſcendentium ex eis ab inteſtato decedentium non admittatur, exiſtente fratre, vel ſorore defuncti, vel defunctæ utrinque conjuncto, vel ex latere patris, tantùm, vel filiis ipſorum, vel patruo: poſſit tamen mater excluſa de bonis talis defuncti habere, & percipere alimenta, ſi non haberet, unde ſe commodè ſuſtentaret. Non exiſtentibus autem prædictis, & exiſtentibus fratre patruele, vel patruo magno uno, vel pluribus perſonæ defunctæ, ſuccedat tantùm ipſa mater, ſi vidua reperiatur, in quarta parte bonorum, deducto tamen ære alieno, & plus petere non poſſit: declarantes, quod in reſiduo ſuccedant ſimul frater patruelis, & patruus magnus unus, vel plures: Fratre verò, vel ſorore defuncto, vel defunctis ab inteſtato, ſorores, vel earum deſcendentes ad ipſius ſucceſſionem non veniant, ſuperſtite fratre, vel fratribus utrinque conjunctis, vel ſaltem ex linea paterna, ſeu filiis maſculis ipſorum, ſed ipſæ ſorores, ſi congruè non ſint dotatæ, dotari debeant, ut ſuperiùs dictum eſt: Et ſi prædicti non extarent, ſed extaret patruus, vel patrui perſonæ defunctæ, ſuccedant ipſæ ſorores, vel earum deſcendentes in dimidia tantùm hæreditatis: & poſſint ſemper ſorores in caſibus, in quibus in totum excluduntur ſine filiis tamen ipſarum, & quod eſt dictum ſupra de filiis, vel filiabus, & ab eis deſcendentibus fratribus, patruis, fratribus patruelibus, & aliis, intelligatur legitimis, & naturalibus ex legitimo matrimonio natis, & filii, ſeu nepotes, vel alii ſuccedentes ad inteſtato, quando ſunt fœminæ una, vel plures, quæ dotari debeant de bonis defuncti, ſecundùm formam præſentis capituli, teneantur, & debeant manu publici Notarii, & fideliter infrà menſem à die mortis dicti defuncti, etiam ſi requiſiti non fuerint, inventarium facere de omnibus bonis dicti defuncti, cui ſuccedunt, & fœminæ excluduntur, ne fœminæ prædictæ poſsint de prædictis in aliquo defraudari, vel decipi ullo modo, aliàs non faciens teneatur ad congruam dotem in duplo ei, quam dotare teneretur, ſi dotari non deberet, ut ſupra dictum eſt, ſolvat eidem fœminæ pro pœna ad inſtar congruæ dotis, & nihilominus etiam ſi requiſiti non fuerint ad petitionem dictarum fœminarum ad dictum inventarium faciendum compellantur: & quilibet intelligatur inteſtatus, vel ab inteſtato decedere, vel deceſiſſe, qui nullum fecit teſtamentum, etiam ſi talis ſit, qui teſtamentum facere non potuerit, & ſufficiat mortem probari per librum Fraternitatis noſtræ Sanctæ Mariæ Miſericordiæ, in quo ferè omnes mortui deſcribi conſueverunt. Natisquoque ex quocumque illicito coitu ſuccedant proximiorer, ac ſi nati eſſent ex legitimo coitu, non tamen eos, qui generaverunt comprehendi, aut vocari volumus. Salvo quod hoc capitulum non vindicet ſibi locum, nec poſſit in aliquo derogare capitulo ſupradicto de ſucceſsione libellaria, ipſumque capitulum ſupradictum in omnibus libellariis obſervetur.

BARENSIS

Conſuetudo, quæ viget pene in tota illa Provincia, deſumpta ex legibus Longobardorum.

PARTICULA II.

Rubr. *ſi à Patre dos promittatur, ad quid teneatur hæres* §. Cum Pater.

CUM Pater dotem pro filia promiſerit inter vivos, ſi obligationis tempore uſque ad quartam, ſeu ſeptimam pro numero ſponderit liberorum, licet poſtea, adeò labatur facultatibus, quòd promiſſum excedit legitimam patre vivo, tam ab ipſo, quàm à fidejuſſoribus ſolidus extorquetur. Eo verò mortuo, nec hæredes, nec

nec fidejussor ultrà legitimam conveniuntur, nisi post obligationem adeò facultatibus creverit, vel ad meliorem fortunam pervenerit, ut litis tempore quod promiserit non excedat. Nam tunc universæ dotis petitio incolumis perseverat, sed si ultrà quam lege permittitur dotis causa obligatur, & solutum fuerit, nulla de eo ab hæredibus petitio reservatur.

Sed si in ultimis voluntatibus dotem pater, plusquam portio sit, sive quantitas, ultrà legitimam dereliquit, hæredes quod excedit legitimam non præstabunt. At cum mater alicujus marito dotanti filiam de Pirricchio suo dare officio concesserit pietatis, renuente etiam filio, donatio rata erit.

Vide etiam Vincentium Maxillam ad consuetudines Barenses tit. de iure Dotium, §. Dos à patre.

FLORENTINÆ CIVITATIS.

PARTICULA III.

Rubr. 130. *lib.* 2.

NUlla mulier possit ab intestato succedere filiis, vel filiabus defunctis; existente ex defuncta persona aliquo filio, nepote, vel pronepote naturali, & legitimo, vel Patre, avo paterno, vel patruo, vel fratre, vel sorore, aut nepote ex fratre carnali, possit tamen talis mulier exclusa de bonis talis defuncti habere, & percipere alimenta, si non haberet aliundè se congruè substentare. Si tamen talis persona decesserit, non existente aliquo ex prædictis excludentibus mulierem, scilicet existentibus aliis agnatis masculis infra octavum gradum, possit talis mulier succedere ab intestato filio suo, vel filiæ in quarta parte bonorum, præterquam in domibus, & casamentis, dummodò ipsa quarta pars non excedat quantitatem librarum quingentarum Floren. quæ quarta intelligatur deducto ære alieno. Et plus petere non possit, & si in bonis talis defuncti non extarent nisi domus, & casamenta, tunc habeat extimationem, usque ad dictam quartam partem, & non plus, non excedentem dictas quingentas libras, ut suprà. Et totum, quod dictum est de matre suprà, locum habeat etiam in avia, & in omnibus, & singulis attinentibus, vel conjunctis civilibus tam mari, quàm fœminæ descendentibus per lineam maternam, seu ex latere matris suæ, salva gradus prærogativa, tam inter eos conjunctos ex latere matris, quàm etiam inter agnatos, seu de stirpe ex linea masculina decedenti.

Et nulla mulier, vel ejus filii; vel filiæ succedere possint alicui fratri dictæ mulieris ab intestato, si dicto ejus fratri filius, vel filii, filia, vel filiæ, nepos, vel nepotes ex eis, frater, aut fratres, filius, aut filii, masculus, aut masculi ex dicto fratre, vel fratribus, vel Patruus, qui frater, vel filii, sive nepotes, vel Patruus sint ex legitimo matrimonio nati, salvo quod si talis mulier exclusa à successione prædicta vidua remaneret; possit redire, & stare in domo talis fratris, vel alterius excludentis eam absque filiis ipsius mulieris. Et nulla mulier, nec etiam natus ex linea fœminina possit Patri, avo, vel proavo suo, vel alteri ascendenti masculo paterno ab intestato succedere, existente aliquo filio masculo nato ex defuncta persona, de cujus hæreditate agitur, vel aliquibus nepotibus, vel pronepotibus ex filio, vel filiis, vel aliis descendentibus masculis ex dicta linea, vel fratre carnali, vel patre, seu avo paterno. Possint tamen, & debeant tales mulieres exclusæ à successione, in quolibet casuum prædictorum, si non fuerint dotatæ, convenienter, & competenter dotari de bonis patris, avi, seu cujuslibet alterius ascendentis, de cujus successione tractatur, secundum conditionem, & facultatem Patris, avi, vel Proavi, & aliorum ascendentium. Et interim donec nuptui tradantur, debeant habere alimenta de bonis patris, aui, vel proavi, vel cujuslibet alterius ascendentis, de cujus successione ageretur. Si verò tales mulieres inveniantur fuisse dotatæ competenter, & convenienter à patre, avo, vel proavo, vel alio ascendente masculo, nihil de bonis illius, de cujus hæreditate ageretur, ab intestato, occasione dotium suarum, vel quacumque alia de causa, possint recipere, vel habere, salvo quod si post quàm nupta fuit, & dotata, vidua remanserit, possit redire, & stare in domo patris, vel avi, vel Proavi, vel ascendentis, de cujus hæreditate, ac bonis tunc ageretur, si filius, vel filii, vel alii descendentes masculi ex defuncta persona extarent, si verò filius, vel filii, vel descendentes masculi non extarent, & supereſſet frater, vel fratres, vel filius, seu filii ex fratre, vel fratribus carnalibus, vel pater, vel avus paternus defunctæ personæ, eo casu ipsa mulier, donec vidua steterit, debeat habere alimenta competentia, & decentia in bonis sui Patris, avi, vel proavi, vel alterius ascendentis mortui, à cujus hæreditate sit exclusa. Fratres verò uterini, vel alii nati ex linea fœminina non possint succedere alicui, vel aliquibus eorum fratribus uterinis defunctis, existentibus aliquo, vel aliquibus conjunctis ex latere patris masculis, saltem usque in quartum gradum inclusivè, & quòd ipsi conjuncti masculi succedant, & potior, seu potiores sint in tali successione, quàm mater, vel fratres uterini, vel alii nati ex dicta linea fœminina, salva tamen portione quartæ partis, & toto eo, quod dictum est de matre, & avia, & quolibet alio conjuncto per lineam maternam, in principio præsentis statuti, quatenùs huic capitulo contradicetur. Et quod quælibet mulier, & ejus ascendentes possint ab intestato succedere matri suæ præmortuæ, & cuilibet alteri mulieri ascendenti, si non existerent filius, vel filii masculus, vel masculi, vel alius, vel alii masculi descendentes ex eo, vel ex eis. Si verò testatus decesserit is, de cujus hæreditate, vel bonis ageretur, relicto filio masculo legitimo, & naturali, aut filiis vel ex eo, vel ex eis descendentibus masculis, & aliquid reliquerit, quoquo relicti titulo, alicui mulieri, quæ Jure Romano possit ei succedere, sit, & esse debeat contenta ipsa mulier, & ejus hæredes, & descendentes tali relicto. Et plus nullo modo aliquis, vel aliqua eorum petere possit, Et si nihilominus reliquerit quoquo relicti titulo dictis mulieribus, quæ de Jure Romano succederent, tunc dictæ mulieres habeant, & habere debeant in bonis talis hujusmodi defuncti illud, quod haberent, seu petere possent, si ab intestato totaliter decessissent, secundum formam præsentis statuti tantùm, & dicto jure sint contentæ, & nihil ulterius petere possint. Et propterea non rumpatur testamentum. Et quod dictum est suprà de filiis, seu filiabus, nepotibus, vel pronepotibus, vel descendentibus, intelligatur de legitimis, & naturalibus, ex legitimo matrimonio natis, & in qualibet parte præsentis statuti intelligatur intestatus, vel ab intestato decessisse, qui nullum fecit testamentum, quamvis foret talis persona, quæ ipsum testamentum de jure facere non possit.

Vide Responsum R. P. D. Severoli in fine huius Libri.

Sequuntur Reformationes eiusdem statuti, die 18. *Septembris* 1620.

VArietas temporum, & rerum vicissitudo postulat, & experientia docet Principem opportere veteres leges aliquando corrigere, seu reformare, & novas condere, & subjectorum bono quotidiè plenius consulere. Quod Serenissimus Cosmus Secundus Magnus Dux Hetruriæ, Dominus noster clementissimus summa ejus providentia faciendum prospexit in Statuto Florentino. *Qualiter mulier, ab intestato succedat Rubr.* 130. *lib.* 2. prout etiam per majores aliàs mutatum, & correptum fuerat, & mollendo asperitatem aliquam dicti statuti, & tollendo ex eo dubia, & obscuritatem, unde prolixæ lites oriebantur, & justis aliis causis, & animi sui motu, in eodem statuto magis apertam, & competentem formam deferendarum successionum inducere voluit, quare ejus Serenissima Celsitudo, & pro ea Amplissimus ejus Senatus 48. virorum sufficienter congregatus, adhibito consilio sapientum Juris-Consultorum de Collegio Florentino Nicolai Antellensis, Sebastiani Cellesii, Julii Artighetti, & Bernardini Neretti, ad hoc munus à Serenissimo Magno Duce electorum, deliberaverunt, & decreverunt dictum statutum, in capitulis infrà recensendis, ità declarandum, & corrigendum fore.

Incipiendo à primo capite dicti statuti, quod ab illius initio porrigitur usque ad vers. *& nulla mulier, vel eius filii, &c.* in quo de successione matris, & attinentium per lineam maternam disponitur his præcisè verbis. *Nulla mulier &c. Prout suprà.*

In hoc primo capite, in quo agitur principaliter de suc-

ceſſione filii matri deferenda, cui turbato ordine mortalitatis non minus piè, quàm propriis liberis hæreditates deferri debere clamant juris communis regulæ, decretum fuit, proviſum, & ſancitum, quòd mater excludatur eo modo, & per eaſdem omnes perſonas, prout in dicto ſtatuto diſponitur à principio illius uſque ad verſ. *Si tamen talis perſona deceſſerit non exiſtente aliqua &c.* præterquam per ſororem ipſius defuncti, per quam matris excluſio non inducatur, ſed inter eas ordo, atque diſpoſitio juris communis in futurum ſervetur, quia ceſſante in ſorore favore agnationis, non viſum fuit æquitati conſonum in hoc, ad præjudicium matris, à jure communi recedere.

In alia parte ejuſdem primi capitis ſtatuti, incipien. *Si tamen talis perſona deceſſerit &c.* ſtatutum, & decretum fuit, quòd non exiſtentibus filiis, nepotibus, pronepotibus, patre, avo paterno, patruo, fratre, aut nepote ex fratre carnali, ſed exiſtentibus aliis agnatis maſculis, uſque in ſextum gradum incluſivè, jure civili computandum, poſſit mater, avus, avia, & proavia materna, & alii aſcendentes materni ſuccedere ab inteſtato filio ſuo, vel filiæ ſuæ in quarta parte omnium bonorum, deducto ære alieno, cujuſcumque quantitatis, & qualitatis, etiam comprehenſis domibus, & caſamentis, & ſine menſura, 500. librarum, ad quam priùs ſtatutum quartam partem limitabat. Et in hæreditate, & reliquis bonis ſuccedant agnati uſque in dictum ſextum gradum, & à cæteris agnatis ulterioris gradus mater, & prænominati aſcendentes materni amplius in nihilo excludantur. Et hæc, quæ dicta ſunt de matre, & prænominatis aſcendentibus maternis non procedant, neque locum habeant in aliis perſonis conjunctis, & attinentibus perſonæ defunctæ per lineam maternam tranſverſalem, & qualitercumque conjunctos tantùm ex latere materno, etiam in fratribus uterinis, qui ab hæreditate decedentis ab inteſtato omninò excludantur, exiſtentibus agnatis maſculis, uſque in octavum gradum incluſivè, nulla ſibi parte bonorum defuncti reſervata.

In ſecundo principali capite prædicti ſtatuti incipien. *Et nulla mulier, vel eius filii &c.* ubi agitur de hæreditate fratris deferenda, vel ne ſorori, decretum, & ſancitum fuit, nedum exiſtentibus perſonis in dicto capite ſtatuti nominatis, ſed etiam exiſtentibus agnatis maſculis, uſque ad dictum ſextum gradum incluſivè ab hæreditate ab inteſtato ſororem omninò excluſam fore, cum reſervatione tamen in caſu viduitatis eorum, quæ ſunt pro ea in ſtatuto diſpoſita.

Et quod dictum eſt de ſorore procedat, & locum habeat in avia quoque, & proavia, & aliis deſcendentibus paternis, reſervata tamen in eis ſucceſſione in quarta parte, prout ſupradictum eſt in matre, & aliis aſcendentibus maternis.

Alias verò omnes mulieres tranſverſales, & omnes, & quoſcumque tali decedenti, quomodocumque conjunctos per eaſdem mulieres, decretum, & ſtatutum fuit ſuccedere non poſſe defunctæ perſonæ, exiſtentibus agnatis maſculis, uſque in octavum gradum incluſivè, ſalva tamen ſucceſſione nepotibus in concurſu amitæ, materteræ, ſeu alterius perſonæ, quibus jure repræſentationis in hoc caſu non ſit præjudicatum.

Et quod dictum eſt de ſucceſſione, & hæreditate fratris, procedat etiam in ſucceſſione, & hæreditate ſororis, & ſoror, & conjuncti per eam excludantur in omnibus, & per omnia, ut ſupra ſancitum eſt.

Circa tertium præcipuum caput ejuſdem ſtatuti incipien. *& nulla mulier, nec etiam natus ex linea fœminina &c.* in quo agitur de ſucceſſione filiarum in hæreditate matris in verſ. *Et quod quælibet mulier* Decretum, & ſtatutum eſt, ſtante firma dicta diſpoſitione ſtatuti circa ſucceſſionem, & dotationem fiendam pro dotibus conſtituendis, & alimentis præſtandis, bona defunctorum, de quorum bonis fienda erit dotatio, & alimentatio, ſint, & intelligantur hypothecata, & obligata, à die mortis ſic decedentis, perinde ac ſi pro dictæ dote conſtituenda, & alimentis præſtandis fuiſſent expreſsè obligata, & hypothecata.

Et ad removendas antiquas controverſias ob ſeparationem, & diſtinctionem patrimoniorum perſonæ defunctæ, ſtatuitur, & decernitur ſeparationi dictorum patrimoniorum perſonæ defunctæ, de cætero locum nequaquam eſſe debere, ſed mulieres, & omnes alias perſonas conjunctas per fœminas, & excluſas ut ſupra per agnatos, cum omnibus bonis undequaque quæſitis, & obtentis ſive à latere paterno, ſive materno excluſas fore, & hoc decretum, & reformatio applicatur, & aptatur omnibus caſibus futuris, & de cætero contingentibus à die hujus publicationis, & ita in futurum ſervari debeat in omnibus, & per omnia, ut ſupra diſpoſitum, & ſancitum fuit.

In cæteris autem capitibus non mutatis, neque correctis prædicti ſtatuti vetus diſpoſitio remaneat in ſuo robore, & obſervantia, non obſtante, &c.

Il Sereniſs. Gran Duca di Toſcana, e per S. A. Sereniſs. li molto Illuſtri, e Clariſſimi Sig. Luogotenente, e Conſiglieri nella Republica Fiorentina fanno publicamente bandire, e notificare, come da S. A. S. e per quella, di ſuo eſpreſſo commandamento, da S. Sig. Clariſſime inſieme con l'ampliſſimo Senato de 48. e ſtato à favore dell' Agnati maſchi, e delle madri corretto, & in alcune parti reformato lo Statuto Fiorentino delle ſucceſſioni ab inteſtato, poſto ſotto la rubrica 130. nel libro 2. & in ſuſtanza, come appreſſo, proveduto, e reformato.

Nel primo Capo del detto ſtatuto, dove la madre era eſcluſa dall'eredità, e ſucceſſione del figlivolo per i filgi del defonto, nepoti, pronepoti, padre, avo paterno, zio paterno, fratello, nipote di fratello, & ancora della ſorella, s'è proviſto, e riformato.

Che la madre concorra con la ſorella, ſecondo la diſpoſitione di ragione commune, e che eſſendo prima la madre, e gli Aſcendenti materni eſcluſi non ſolo da predetti, ma ancora da gli altri Agnati maſchi, ſino in ottavo grado incluſivè, computati i gradi ſecondo ragione civile, riſervata però loro la quarta parte de' beni, fuorche delle caſe, e caſamenti, la quale quarta parte non eccedeſſe lire 500. hora è ſtato proviſto, che la madre nell'eredità del figlivolo, e gli aſcendenti materni ſiano eſcluſi dall' Agnati ſino in ſeſto grado ſolamente incluſivè, e computati i gradi come ſopra, riſervando loro la quarta parte intiera di tutti li beni, dedotti i debiti, ſenza prefintioni di quantità, e compreſe le caſe, e caſamenti, e nell'eredità, e reſto de' beni ſono chiamati i detti Agnati, ſino al detto ſeſto grado, e dall'altri Agnati di più remoto grado la madre, & aſcendenti materni non reſtano eſcluſi, ma l'altri congiunti per linea materna tranſverſale, compreſi ancora i fratelli uterini, reſtino eſcluſi dall'Agnati maſchi, ſino in ottavo grado, ſenza riſervo della detta quarta, ò alcun'altra parte.

Nel ſecondo Capo del detto ſtatuto, dove la ſorella era eſcluſa dall'eredità del fratello per i figlivoli, e figlie d'eſſo ſorelle, nipoti, ò fratelli, ò figlivoli de' fratelli, ò zio paterno del medemo, col riſervo del ritorno di caſa ſe la rimaneſſe vedova, di nuovo s'è proviſto, & ordinato, che la ſorella, e l'ava, e proava paterna ſiano eſcluſe non ſolo da predetti più proſſimi Agnati, ma ancora da gli altri Agnati maſchi, ſino in ſeſto grado incluſivè, col riſervo dell'ava, e proava della quarta parte, come ſopra della madre ſi dice, & alla ſorella del ritorno di caſa, ſe la rimaneſſe vedova.

E tutte l'altre donne, che prima non erano eſcluſe, & i congionti per mezzo di dette donne ſiano eſcluſe dall'Agnati maſchi, ſino in ottavo grado incluſivè, ſalva la ſucceſſione à i nepoti in concorſo con la zia, ſorella del defonto, a' quali non s'intende pregindicare nella ragione della rappreſentatione, e dalla ſucceſſione della ſorella ſia eſcluſa l'altra ſorella, e ſuoi congionti, come dalla ſucceſſione del fratello.

Nel terzo Capo principale dello ſtatuto, dove ſi tratta della ſucceſſione delle figlie nell'heredità del padre, e della madre, e della loro Dotatione, s'è proviſto, e dichiarato, che ſtante ferma la diſpoſitione dello ſtatuto de' beni del morto ſieno obligati, & hypothecati eſpreſſamente dal dì della morte per l'alimenti, e dote a favore di quelle perſone, alle quali dallo ſtatuto ſono riſervati,

E per tor via le liti, s'è dichiarato, che s'intenda, e ſia levata la ſeparatione, e diſtintione de' patrimonii della perſona defonta, e che da tutti i beni paterni, e materni di tal defonto, ſenz'altra diſtintione, le Donne, e loro Congionti non ammeſſi come ſopra, s'intendino, e ſiano eſcluſe.

E ſimilmente s'è dichiarato, che la preſente proviſione, e decreto habbia luogho, e s'oſſervi per l'avvenire in tutti

li caſi

li casi futuri, da questo presente giorno della publicatione, e che nell'altri capi del detto statuto non mutati, ne corretti esso statuto rimanga nella sua forza, e vigore, e tutto con la clausola derogatoria, e non ostante in ampliſſima forma.

Sicome di tutte le cose predette chiara, e distesamente appare, e si dispone nel publico decreto, e provisione latina fermata di mano propria di S. A. S. & ottenuta in detto Ampliſſimo Senato de 48. sotto li 18. del presente mese; insinuata, e riposta fra l'altre publiche provisioni, e leggi nell' Officio, & Archivio delle riformagioni di Firenze, alla quale in tutto, e per tutto s'habbia relatione, e quello si deva attendere, & osservare. E finalmente hanno dichiarato, e vogliono, che per la presente notificatione, e bando publicato nella Città di Firenze la detta nuova provisione, e riforma s'intenda essere, e sia, e s'habbia per legitimamente publicata, si che compenda, e leghi tutte le persone, e luoghi, così della detta Città di Firenze, come del Dominio, che in qualunque modo osservavano, ò erano tenuti osservare, & osservano il detto vecchio statuto, e ne commandarono l'osservanza, non ostante &c.

Marcello Betti.

Band. per me Zanobio di Guasparri Bertacchi Banditore, adi 25. Settembre 1620.

JANUENSIS CIVITATIS.

PARTICULA IV.

De fœminis dotandis, lib. 5. Cap. 11.

MUlier maritata, quæ de bonis ascendentium, vel alicujus eorum dotata fuerit à patre, seu matre, vel ab aliquo ascendentium ex linea paterna, vel materna, seu voluntate alicujus eorum, quæ semper intelligatur interveniſſe, niſi contrarium probetur, non possit, neque ejus hæredes possint quidquam petere ultrà dictas dotes in bonis tam Genuæ, quàm in quavis mundi parte: sed sint bona masculorum liberorum, & eorum hæredum, si fuerint, cum muliere utrinque conjuncti; Sed si fuerint ex eodem patre tantùm, & de bonis patris, vel ascendentium ex linea paterna fuerit mulier dotata, non possit petere aliquid, in bonis ipsorum: in bonis tamen maternis, & ascendentium ex linea materna possit petere, quod ei conceditur ex forma statuti, *De ſucceſsionibus ab inteſtato:* Si verò fuerit de eadem matre tantùm, & de bonis maternis, vel ascendentium ex linea materna dotata fuerit, de bonis ipsorum aliquid petere non possit, quo casu de bonis paternis petere possit, quod ei conceditur, ut supra; sed adversus fratres utrinque conjunctos, vel eorum liberos masculos non possit aliquid ultrà dictas dotes habere, nec petere de bonis hæreditatis paternæ, nec maternæ, nec fratris, nec sororis defunctorum, neque ascendentium, salva semper dispositione testamentorum, & ultimarum voluntatum prædictorum, & cujuslibet eorum.

Non maritatæ, sed dotatæ, sive inter vivos, & sive in ultima voluntate à patre, vel matre, vel avo, vel avia paternis vel maternis non possint aliquid petere, vel habere, niſi quantum prædicti eisdem dederint inter vivos, vel legaverint in ultima voluntate.

Decedentibus autem aliquibus ex ascendentibus paternis, vel maternis, qui quoad infrascripta intelligantur deceſsiſſe inteſtati, si de dotibus nihil dixerint, vel disposuerint; Si aderunt filiæ maritatæ, sed quæ non fuiſſent dotatæ, vel filiæ non maritatæ, vel neptes ex filiis præmortuis, ad quas ex forma statutorum non spectet hæreditas, quæ pariter non fuiſſent dotatæ, habeant, & habere debeant de bonis, ut suprà decedentium ab inteſtato, duntaxat tantum, quantum tres ex proximioribus propinquis ex patre, vel ex linea ejus, de cujus bonis, & hæreditate tractatur, arbitrati fuerint voluntatem inteſtati fuiſſe tempore suæ mortis, illas filias, vel neptes habere de bonis suis, & si propinqui non invenirentur, solùm tantum, quantum Magiſtratus arbitratus fuerit fuiſſe voluntatem defuncti, ita tamen, ut masculi non possint habere minus, quàm continetur in statuto. *De falcidiis.*

Filiabus non maritatis, neque dotatis decedentibus, quæ fratres utrinque conjunctos, vel saltem ex patre, vel ipsorum liberos masculos habuerint, non possint hæredes defuncti (in bonis, cujus dotari habebant) neque pro dote, neque pro dotatione, neque pro ſucceſsione aliqualiter moleſtari, postquam verò dotatæ fuerint, vel eis aliquid legatum fuerit, ad suum maritare, vel monacare, possint de eo disponere tam inter vivos, quàm in ultima voluntate, si fratres utrinque, vel ex patre conjunctos masculos, seu liberos masculos ex eis non habuerint.

Si defunctus bona immobilia non haberet sufficientia ad solvendum quantitatem dotium, quæ fuiſſent declaratæ, hæres, secuta declaratione, teneatur collocare in locis Comperarum Reipublicæ pecuniam pro securitate dotium taxatarum, seu legatarum à defuncto, vel aliter beneficio præsentis statuti, & proventus spectent ad hæredes, qui teneantur è converso dotatam alimentare usque ad maritationem.

Fœminæ de prædictis sint contentæ, nec aliquo jure, vel causa possint plus petere, vel habere, nec rumpere, nec aliter quomodolibet irritare testamentum, seu ultimam voluntatem, nec dicere nullam quia præteritæ, vel alia de causa, sed pro dotatione habeant bona defuncti obligata, & hypothecata, adeò quod in bonis præferantur quibuscumque creditoribus hæredum illius in cujus bonis fuerint dotatæ, vel erunt dotandæ.

Puella innupta, ætatis annorum infrà viginti quinque, habens patrem vivum, quæ sine conſensu patris maritum acceperit, perdat ipso facto bona, & jura dotandi; Si verò fuerit ætatis annorum viginti quinque, & maritum ut supra acceperit, non possit vivente patre, exigere dotem, sed tantummodo fructus, seu redditus ipsius dotis.

Ejusdem Statuti, *De ſucceſsionibus ab inteſtato, Lib. 5. Cap. 23.*

INteſtato decedenti sive masculo, sive fœminæ succedant soli masculi liberi, per masculinum sexum descendentes, etiam si adeſſent filiæ fœminæ, vel earum descendentes ex dicto defuncto, aut descendentes masculi, fœminæ ex filiabus prædefunctis, vel fœminæ ex descendente masculo prædefuncto, qui, vel quæ de jure communi deberent admitti ad ſucceſsionem cum dictis liberis masculis, sed dictæ fœminæ, & descendentes ex eis intelligantur & sint, ac remaneant excluſæ & excluſi, & tota hæreditas dicti inteſtati deferatur ad dictos liberos masculos superſtites, qui in ea succedant in stirpem, & non in capita.

Habeant tamen dictæ filiæ, vel neptes, seu proneptes, fœminæ, vel masculi ex fœminis, & descendentes ex eis tantum, quantum disponitur per capitulum sub rubrica, *De fœminis dotandis.*

Si ex defuncto non aderunt descendentes masculi ex masculino sexu, succedant filiæ fœminæ, & liberi ex fœmineo sexu descendentes, & fœminæ ex masculis præmortuis descendentes; seu qui aderunt ex prædictis, facta invicem collatione dotium, si quas ex bonis inteſtati defuncti habuiſſent, sublata differentia sexus, & patriæ poteſtatis, prout de jure communi succedere debent, & in stirpem, & non in capita.

Sed si non extabunt filiæ, & unà cum descendentibus fœminis ex masculis præmortuis, & cum nepotibus, vel neptibus ex filiabus, vel descendentibus masculis, vel fœminis ex eis supereſſent fratres inteſtati ex utroque parente, vel saltem ex patre conjuncti, & filii, & descendentes masculi per masculinum sexum, ex hujusmodi fratribus præmortuis, seu aliquis prædictorum; Succedant unà cum dictis neptibus, vel nepotibus ex filiabus, & cum dictis descendentibus masculis, vel fœminis ex eis, vel cum illis ex prædictis, qui adfuerint, in stirpem, & non in capita.

Quod si non adeſſent descendentes ex filiabus, & sic solum concurrerent neptes ex filiis, seu earum descendentes cum fratribus, & liberis masculis per masculinum sexum fratrum inteſtati, neptes ex filiis præmortuis habere debeant ante partem de bonis defuncti, de cujus ſucceſſione tractabitur, ut infrà, hoc est si una tantùm neptis adfuerit, scuta duo millia auri in auro, vel totam hæreditatem, si ejus valor fuerit ab inde infrà; Et si adfuerint plures neptes, seu descendentes ex pluribus neptibus, habeant antè partem pro qualibet ipsarum, scuta mille quingenta auri in auro; vel totam hæreditatem, si fuerit minoris æstimationis.

tionis. Et si fuerit capax pluris quantitatum superius declaratarum, residuum, quod erit, deductis ante partem quantitatibus, de quibus supra in casibus respectivè prædictis, dividatur inter ipsas neptes, & ex eis descendentes ex filiis, & inter fratres, ac liberos masculos per lineam masculinam fratrum defuncti in stirpem, & non in capita.

Si verò non extiterint prædicti descendentes, de quibus suprà, succedant fratres masculi defuncti, sive utrinque conjuncti, sive ex patre tantùm.

Si cum dictis fratribus utrinque, sive ex patre tantùm aderunt liberi masculi per masculinum sexum ex fratribus præmortuis, sive utrinque, sive ex patre tantùm conjunctis, succedant etiam dicti liberi cum dictis fratribus, in stirpem, & non in capita.

Et non existentibus fratribus, succedant dicti liberi soli in stirpem, & non in capita, ut suprà.

Matri decedenti ab intestato, relictis filiis ex pluribus matrimoniis, succedant tam fœminæ, quàm masculi, prout de jure communi succedere debent.

In omnibus autem casibus supradictis, si pater, avus, vel proavus paternus defuncti supereſſent, superiùs nominati succedant respectivè in proprietate; & dicti ascendentes in usufructu tantùm, ita tamen, quod pater excludat avum, & avus proavum.

Quatenus verò nulli ex supraſcriptis nominatis quoad proprietatem adessent, succedant dicti ascendentes, etiam quoad proprietatem, secundum gradus prærogativam, ut suprà.

Non extantibus autem aliquibus ex supraſcriptis, succedant sorores, vel utrinque, vel ex patre conjunctæ, & filiæ, seu descendentes ex filiabus fratris præmortui, & filii, sive filiæ ex sorore præmortua, vel illi ex supraſcriptis, qui aderunt, in stirpem, & non in capita.

Et in defectu prædictorum succedant descendentes ex fratribus, & à sororibus ultrà superiùs vocatos, & patrui defuncti cum ejus patre utrinque, vel ex patre conjuncti, & liberi masculi descendentes per lineam masculinam ex hujusmodi, vel illi, qui fuerint ex prædictis, in stirpem, & non in capita.

Masculus, & fœmina dedicatus, vel dedicata in aliquo Monasterio, sive ante, sive post mortem patris, matris, fratris, sororis, vel alicujus ipsorum, qui vel facto testamento, vel ab intestato decesserint, non possit petere, nec habere in bonis paternis, maternis, & ascendentium, nisi illud, quod fuisset ei legatum, seu inter vivos datum, vel assignatum fuisset, non possit petere, nisi pro sustentatione vitæ ipsorum, cognoscenda arbitrio Magistratus, de consilio trium ex proximioribus propinquis. Et eis deficientibus, proborum virorum, quos eliget Magistratus. Sed omnia bona prædicta pervenire debeant ad alios fratres, & sorores, & eorum liberos, secundùm formam præsentis statuti, possit tamen petere omne id, quod ipsi fuisset legatum, seu inter vivos assignatum.

Quod habeat locum respectu bonorum dictorum ascendentium, etiam quod ageretur de hæreditate fratrum, vel sororum, qui hæreditatem ascendentium prædictorum adivisset.

Omnibus casibus supraſcriptis, in quibus hæreditas defertur ad fratres, sorores, & ab eis descendentes respectu successionis in bonis maternis, etiam quod hæreditas materna fuisset adita, præferantur primò fratres utrinque conjuncti, & eis non extantibus, admittantur fratres ex matre tantùm, & eis deficientibus, sorores ex matre tantùm, omnibus aliis prædictis respectivè exclusis.

In omnibus verò casibus supraſcriptis, in quibus adessent ascendentes, vel descendentes ex linea materna, à successione etiam debita jure naturali excludantur, imò prædicti omnes, & singuli admissi, seu vocati respectivè ex forma præsentis capituli succedant, omnibus aliis penitùs exclusis.

Quibus omnibus deficientibus, succedat agnatus masculus proximior defuncto intestato, usque in quartum gradum inclusivè.

Et ipsis omnibus deficientibus succedat ille, vel illa, ad quem hæreditas, seu successio de jure communi deferetur.

Omnes, & singulæ dispositiones præsentis statuti, & cujuslibet partis ejus, intelligantur de natis de legitimo, & verò matrimonio, & non aliter, quod intelligatur repetitum in qualibet parte ejusdem statuti.

Intestati intelligantur non solùm, qui testamentum non fecerint, sed qui non habent factionem testamenti, vel qui fecissent testamentum non validum, vel quorum hæreditas ex testamento etiam valido adita non fuerit.

LUCENSIS CIVITATIS.

PARTICULA V.

De successionibus ab intestato, lib. 2. cap. 9.

DE successionibus, quæ ab intestato deferuntur hoc loco tractantes, statuimus, quòd si qua persona ab intestato decesserit, si quidem ex ea supersint masculi descendentes per lineam masculinam legitimi, & naturales, illi in successione omnibus præferantur, secundum gradus prioritatem, & fœminæ extantibus dictis masculis excludantur, dum tamen fœminæ descendentes per lineam masculinam dotentur, secundum formam statuti infrà positi, sub Rubrica. *De dote constituenda mulieribus exclusis à successione per masculos.* Declarantes quòd si ex filio præmortuo supereſſent nepotes masculi, vel deinceps per masculinam lineam de legitimo matrimonio descendentes, admittantur cum filiis defunctæ personæ, de cujus hæreditate tractatur, in stirpem, & non in capita. Si verò nulli supersint masculi descendentes per lineam masculinam legitimi, & naturales, vocentur, & admittantur ad successionem defunctæ personæ filiæ fœminæ, & neptes ex filiis præmortuis in capita, & non in stirpem. Prædictis autem filiabus, & neptibus non extantibus vocentur, & admittantur nepotes, & neptes, ex filiabus præmortuis in stirpem, & non in capita, ita tamen quòd extantibus nepotibus ex filia præmortua, neptes ex eadem filia à dictis nepotibus masculis excludantur. Cùm quibus nepotibus in suo casu, & seu cum dictis neptibus in suo casu, concurrat ad dictam successionem pater defunctæ personæ, de cujus successione tractatur, si extat, pro una virili portione, connumerato quolibet stipite cujuslibet filiæ, ex qua nepotes, aut neptes præcesserunt pro uno, non autem connumeratis singulis nepotibus, aut neptibus ex filiabus præmortuis, & patre non extante, admittantur in dicta virili avus paternus, si extat, vel alius ulterior ascendens masculus personæ defunctæ per masculinam lineam, si extat, salva gradus prærogativa. Sed si pater, vel avus maternus, vel alius ulterior ascendens masculus per lineam masculinam non extaret, concurrant, & admittantur in dicta virili portione cum prædictis nepotibus, seu neptibus, in casu suo, fratres defunctæ personæ, sive unus, sive plures, quotcumque fuerint, ex utroque parente, vel ex patre tantùm conjuncti, & similium fratrum filii in stirpem. Qui omnes fratres, & fratrum filii in dicta successione pro uno habeantur, ità quod de dicta successione, ad quam cum nepotibus, seu neptibus supradictis admittuntur, non plus habeant, quàm habuissent pater vel avus, vel alius ulterior ascendens defunctæ personæ, si extaret: Et si fratres, unus, vel plures, vel dictorum fratrum filii non extarent, tunc dicti nepotes, aut neptes in casu suo ex filiabus præmortuis succedant in totùm, si ex defuncta persona non extarent filiæ fœminæ, seu neptes ex filio præmortuo, aut pater; vel avus, aut alius ulterior ascendens per lineam masculinam, ut dictum, & ordinatum est. Declarantes etiam quòd si filii masculi ex eodem patre, sed ex diversis matribus supersint, æqualiter succedant per capita in hæreditate paterna. In maternis autem bonis, unusquisque veniat ad suæ matris successionem. Prædictis autem masculis, vel fœminis non extantibus, vel hæreditatem repudiantibus, tunc succedant ascendentes masculi, per lineam paternam venientes. Et primò pater defunctæ personæ si extat, ipso autem non extante, succedant alii ulteriores masculi, per lineam paternam ascendentes, salva gradus prærogativa, qui admittantur ad hæreditatem defunctæ personæ, tam in bonis profecticiis, quàm in aliis quibuscumque, undecumque quæsitis, præterquam in dote matris, & in bonis obventitiis ex linea materna defunctæ personæ, de cujus hæreditate tractatur, in quibus dote, & bonis ex linea materna obventis, succedant fratres defunctæ personæ, utrinque conjuncti, & similium fratrum filii masculi in stirpem, & non in capita. Et si dicti fratris, vel dictorum fratrum filii non extarent, sive hæreditatem repudiarent, succedant in dictis dote, & bo-

& bonis, ex linea materna obventis, ſorores utrinque conjunctæ, una cum filiabus ex fratribus præmortuis utrinque conjunctis in ſtirpem, & non in capita. Salvo tamen patri, & cæteris aſcendentibus jure uſus fructus in dictis dote, & bonis à dicta matre obventis, prout de noſtro jure municipali, vel communi deberetur. Et ſi dicti fratres, vel ſorores, aut dictorum fratrum filii maſculi, vel fœminæ non extarent, tunc pater, ſi extat, vel alii aſcendentes maſculi per lineam paternam, patre non extante, ſuccedaat in totum, ſalva gradus prærogativa. Prædictis autem deſcendentibus, ſive aſcendentibus maſculis per lineam paternam venientibus, non extantibus, vel hæreditatem repudiantibus, ſuccedant fratres defunctæ perſonæ, ex utroque parente conjuncti, ſive ex patre tantùm, & ſimilium fratrum filii maſculi in ſtirpem, & non in capita, in omnibus bonis defunctæ perſonæ, undecumque quæſitis, præter quam in dote matris, & aliis bonis, quæ à matre, vel ex linea materna ipſi defunctæ perſonæ obveniſſent. Sed prædictis fratribus ex utroque parente conjunctis, ſive ex patre tantùm, & ſimilium fratrum filiis non extantibus, ſuccedant ſorores ex utroque parente conjunctæ, ſive ex patre tantùm, una cum filiabus ex præmortuis fratribus utrinque, vel ex patre tantùm conjunctis, in ſtirpem. In dote verò materna, & aliis bonis, quæ à matre, vel ex linea materna ipſi defunctæ perſonæ obveniſſent, ſuccedant fratres utrinque conjuncti, & ſimilium fratrum fili maſculi in ſtirpem, & non in capita. Fratribus autem utrinque conjunctis, & ſimilium fratrum filiis maſculis non extantibus, in dictis dote materna, & aliis bonis ipſi defunctæ perſonæ à matre, vel ex linea materna obventis, admittantur ſorores ex utroque parente conjunctæ una cum filiabus ex præmortuis fratribus utrinque conjunctis in ſtirpem, & non in capita ſed prædictis fratribus, & ſororibus utrinque conjunctis, & dictorum fratrum filiis maſculis, vel fœminis non extantibus, ſuccedant in dicta dote, & bonis ex linea materna provenientibus fratres ex patre tantùm conjuncti, & ſimilium fratrum filii maſculi in ſtirpem, & non in capita. Et dictis fratribus ex patre tantùm conjunctis, & ſimilium fratrum filiis maſculis non extantibus, ſuccedant in dictis bonis maternis ſorores ex patre tantùm conjunctæ, una cum filiabus ex fratribus præmortuis, ex patre tantùm conjunctis in ſtirpem, & non in capita. Sed prædictis perſonis, vel aliqua ex eis non extantibus, vel hæreditatem repudiantibus, ſuccedant in omnibus bonis undecumque quæſitis, patrui ipſius defunctæ perſonæ, & filii maſculi patruorum præmortuorum in ſtirpem, & non in capita, Quibus non extantibus ſuccedant alii agnati maſculi conjuncti ex linea tranſverſali, uſque ad tertium gradum inclusivè, ſalva gradus prioritate, & veniant in capita, & non in ſtirpes. Prædictis autem, vel aliquo eorum non extantibus, ſuccedat mater defunctæ perſonæ ſi ad ſecunda vota non tranſiverit, & vidualem vitam ſervaverit. Matre autem prædicta non extante, vel ad ſucceſſionem, ut ſuprà non veniente, ſuccedat avia paterna, & ea non extante, ſuccedant aliæ fœminæ aſcendentes, ex linea paterna venientes, ſalva gradus prærogativa. Et prædictis non extantibus, ſuccedant amitæ, & filiæ fœminæ patruorum præmortuorum, & filii maſculi, & fœminæ ex ſororibus præmortuis utrinque, vel ex patre tantum conjunctis defunctæ perſonæ in ſtirpem, & non in capita. Ita tamen quòd extantibus maſculis, & fœminis, ex eadem ſorore natis, ipſi maſculi fœminis præferantur. Supradictis verò perſonis non extantibus, ſuccedat mater defunctæ perſonæ, quæ ad ſecunda vota tranſiiſſet. Si verò nulla ex dictis perſonis ſupereſſet, vocentur ad ſucceſſionem priores in gradu, ſive ſint agnati, ſive ſint cognati, ſive maſculi, ſive fœminæ, ſublata in eis differentia ſexus, agnationis, & cognationis, & tunc per capita ſuccedatur. Et in prædictis omnibus, & ſingulis, ubi de gradibus fecimus mentionem, fieri debeat computatio graduum, ſecundum computum Decretorum. Et omnia ſupradicta in materia ſucceſſionum ab inteſtato, habeant locum in quibuſcumque decedentibus ab inteſtato, ſive decedentes fuerint tales, qui teſtari potuiſſent, ſive quomodocumque teſtari non potuiſſent, & in quibuſcumque teſtantibus; quorum tamen teſtamenta non tenuerunt.

De dote conſtituenda mulieribus excluſis à ſucceſſione per maſculos, Cap. XVI.

QUia filii maſculi primum locum tenent in ſuccedendo, & fœminæ ab ipſis maſculis excluduntur, ne propter hoc ipſis mulieribus taliter excluſis deſit debita proviſio, ſtatuimus, quod ſi pater, ſeu mater, ſeu avus, vel avia, filiabus, vel neptibus, ſeu proneptibus dotes conſtituerint, ſeu taxaverint, ſint, & eſſe debeant dictæ filiæ, ſeu neptes, ſeu proneptes contentæ, & tacitæ dotibus conſtitutis, nec ultra aliud petere poſſint de bonis ejus perſonæ, quæ dotem conſtituerit, & taxaverit. Sed ubi per aſcendentes non fuerit taxata, vel ordinata quantitas dotis, tunc fratres, & alii, qui eas à jure ſuccedendi excluſiſſent, teneantur ipſas mulieres excluſas dotare, & pro eis dotem ſolvere, tempore infrà ordinato, uſque ad quantitatem congruam, conſideratis facultatibus hæreditatis, & ſecundum qualitatem, & dignitatem perſonarum, arbitrio Judicis, & ſint, & intelligantur omnia bona patris, & aſcendentium, & eorum, qui ipſas à ſucceſſione excluſiſſent, obligata, & hypothecata ipſis fœminis excluſis ex tempore mortis patris, vel ejus aſcendentis, à cujus hæreditate fuiſſent excluſæ, ita quòd creditoribus, & emptoribus, & aliis quibuſcumque poſterioribus, ad quos dicta bona quocumque titulo pervenerint, præferantur. Et ubi per ipſos aſcendentes non fuerit quantitas dotis taxata, teneatur Judex infrà menſem, poſtquam inde pro parte mulieris fuerit requiſitus, quantitatem taxare, inſpectis dignitate, & qualitate perſonarum, & facultate hæreditatis. Et facta taxatione à Teſtatore, vel à Judice, non teneantur fratres, & alii, qui ipſam mulierem à ſucceſſione excluſiſſent, quantitatem taxatam; & ordinatam ſolvere, niſi cum dicta mulier fuerit nubilis ætatis, & legitimè deſponſata; tunc enim, ad requiſitionem ipſius mulieris, vel ſui curatoris, teneantur dotem taxatam, & ordinatam ſolvere, cum effectu: Et in omnibus, & ſingulis ſupradictis procedatur ſummariè, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, & ſine ordine juris, & ſtatutorum, & abſque libello, & abſque alia ſolemnitate quacumque, ita quòd de facto taxatio fiat, & compulſio ad ſolvendum quantitatem taxatam, ut dictum eſt. Et in dicta taxatione Judex poſſit ſe extra judicium informare à propinquis, & vicinis, & amicis, & prout ſuæ diſcretioni videbitur: Et à præceptis, & proceſſibus, quæ ſeu, qui propterea fierent, non poſſit appellari, ſupplicari, vel querela moveri, ſeu ad aliquem Judicem contrà dicta præcepta, vel proceſſus, recurſus haberi: Et ſi fœmina dotanda, maritata, vel deſponſata non eſſet, tamen prædicta taxatio non differatur, quia licet non poſſit eſſe dos ſine matrimonio, tamen facilius, & habilius poterit maritari, ſi dos fuerit taxata: Et prædicta omnia etiam vendicent ſibi locum, non obſtante quòd mulier eſſet minor 12. annis, nam etiam talis mulier poterit commodius deſponſari, ſi dotis quantitas fuerit taxata: & ultra prædicta tales mulieres, quæ eſſent à jure ſucceſſionis excluſæ, debeant alimentari, & eis alimenta præſtentur per eos, qui illas à ſucceſſione excluſiſſent, donec fuerit dos ad integrum ſoluta: Et dicta alimenta ſint honorabilia, & congrua, ſecundum facultates hæreditatis, & conditiones perſonarum, & pro dictis alimentis, intelligantur omnia bona hæreditatis prædictæ obligata. Et ad dicta alimenta præſtanda compellantur illi, qui dictas mulieres excluſiſſent, de facto, & ſine proceſſu, prout Judici videbitur. Et quæ dicta ſunt de dotibus conſtituendis, vendicent ſibi locum, etiam in corredis, quæ taxari, & talibus mulieribus dari, & tradi debeant cum effectu, prout ſuprà de dotibus dictum eſt.

MANTUANÆ CIVITATIS. PARTICULA VI.

De ſucceſſionibus ab inteſtato.

VT familiarum dignitas, nomen, & ordo ſerventur, & bona morientium in eorum agnatos, & poſteros tranſmittantur, per quos nomen generis conſervetur. Statuimus, & ordinamus, quòd exiſtentibus, aſcendentibus maſculis, ſeu etiam collateralibus, & agnatis aſcendentibus maſculis, vel deſcendentibus per lineam tranſ-

versalem, & lineam masculinam conjunctis usque ad quartum gradum (gradu inclusivè secundum juris canonici ordinem computato) qui ad successionem personæ defunctæ admitti velint, & possint matres, & ascendendentes per lineam maternam, & fœminæ ascendentes etiam per lineam paternam suis descendentibus non succedant, sed habeant, & habere debeant dumtaxat in bonis prædictorum suorum descendentium debitum bonorum subsidium, videlicet tertiam partem portionis, quæ eisdem ab intestato obveniret; Illis verò non extantibus, seu succedere nolentibus, vel non valentibus, succedant, & succedere possint matres, & alii, & aliæ per maternam, & paternam lineam ascendentes, vel paternam secundum gradum proximitatis eorum, & secundum jura communia. In ascendentium autem bonis, masculis ex linea masculina descendentibus extantibus, qui de jure admitti possint, & velint ad successionem ascendentis mortuæ personæ, fœminæ descendentes ex masculis, & masculi ex fœminis descendentibus, non succedant; sed eo casu debeant de bonis prædictis competenter dotari, & honorificè secundum patrimonium, à quo excluduntur, facultates tempore mortis defunctæ personæ extantes, & ipsarum mulierum dignitatem, & conditionem personæ viri. Itaque honorificè secundum suarum, & suorum ascendentium personarum conditionem nubere possint; Quam quidem dotem habere debeant tempore, quo nubent, & nuptui tradentur, Interim autem ali, & alimentari debeant competenter per dictos masculos descendentes, eisdem ascendentibus succedentes, à quibus, & per quos fœminæ ipsæ præsentis statuti dispositione excluduntur, & in domo prædicti sui ascendentis, de cujus successione ageretur, cum dictis hæredibus, seu cum altero ex eis si ipsæ fœminæ apud aliquem eorum elegerint habitare, morari possint, & debeant, apud quem ali, & alimentari debeant condecenter, omnibus succedentium expensis; Et si apud eos, vel eorum alterum morari non potuerint propter eorum, vel alicujus eorum, & familiæ suæ culpam, tunc seorsum ab eis possint, & valeant habitare, & per eos omnibus necessariis ali, & alimentari debeant, expensis dictorum succedentium; Si verò ad Religionem intrare voluerint, tunc similiter dotentur honorificè, prout eis expediens fuerint, secundum patrimonii facultatem, & ipsius personæ, & generis sui, & Monasterii, in quo ingredi volunt, si verò dictæ fœminæ per ascendentem, de cujus successione tractatur, dotatæ fuerint, sint ipsæ, & ex eis descendentes dote prædicta contentæ; Et ulterius in bonis suis, extantibus masculis supradictis eidem defuncto succedentibus, nullum jus habeant, vel regressum in bonis ipsius ascendentis, à quo dotatæ fuerint inter vivos, seu in ultima voluntate; Descendentes autem masculi ex fœminis, qui hujus statuti dispositione ab agnatis masculis excluduntur, in bonis ipsis dumtaxat habeant eorum legitimam portionem, quæ eis deberetur, seu deberi posset de jure communi; In bonis autem ejus ascendentis, à quo dotatæ non fuerint habeant, & habere debeant ipsæ mulieres semel ab ipsis de dote, & ex eis masculi descendentes tantùm, quantum, eis dari deberet jure naturæ, occasione legitimæ in bonis illius, de cujus hæreditate agitur; Et jus sibi competit ad illud in bonis prædictis, & non ultrà plus petere valeat, seu possit; In successionibus autem transversalium, & aliorum consanguineorum, & conjunctorum, supradicti agnati masculi usque ad quartum gradum, gradu secundum juris canonici dispositionem computato, excludant fœminas, & agnatas, & cognatas, masculos, & ex agnatis fœminis descendentes excludant, si ipsi agnati masculi ad dictas successiones admitti de jure potuerint, & voluerint; Addimus insuper, quia sæpè contingit mulieres adeò esse paupers, quòd non habent unde se dotare possint, nec etiam eorum parentes, quòd fratres utrinque conjuncti, seu consanguinei tantùm teneantur, & debeant eorum sorores conjunctas ut supra, quæ non habent bona propria, vel paterna, ex quibus se dotare possint, congruenter dotare, juxtà eorum facultatem, & patrimonii qualitatem, & personarum conditionem; Ita tamen, quòd dictæ eorum sorores aliàs à parentibus dotatæ non fuerint; Et ut circa ipsius dotis constituendæ, & alimentorum non possint inter ipsas personas dotandas, & alimentandas quæstio aliqua generari; volumus quòd ubi dictæ fœminæ sic exclusæ, cum prædictis à quibus dotari, & ali deberent videlicet, de modo, & quantitate dotis, & alimentorum constituendorum non forent in concordia, sed discordes essent; Quòd tunc dotes ipsæ, & alimenta constituantur per Dominum Potestatem Mantuæ, cum consilio, & assensu duorum utriusque partis proximiorum consanguineorum agnatorum, seu cognatorum, si agnati non extant, secundum personarum conditionem prædictarum, & facultatem hæreditatis, & patrimonii supradicti; Et ubi de facultate dictæ hæreditatis, & patrimonii probatio vera, seu clara haberi non posset, dotentur eo casu, & de illis dos constituatur prout opus fuerit, & necesse, secundum qualitatem, & conditionem personarum suarum, & generis earum, & viri conditionem, & similiter eo casu alimenta constituantur; quorum determinationi stari debeat, nec alio modo, via, jure, vel causa possit, seu valeat reclamari, seu contradici, sed plenum sortiatur effectum, & per omnia effectualiter debeat executioni mandari, omni querela, contradictione, reclamatione, appellatione quacumque & defensione remotis; Addimus etiam quòd fratres, sorores suas indotatas, quæ aliàs dotatæ non fuerint, quæ nihil haberent, & de bonis patris dotari non possint, de bonis eorum propriis dotentur, & dotari teneantur, ut honestè, & honorificè secundum earum, & ipsorum conditionem nubere possint, & valeant, & pudicam, & honestam vitam ducere; Et super prædictis omnibus Dominus Potestas, & ejus Judices procedere teneantur, & debeant summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura judicii, sine libello, & aliqua solemnitate juridica, compellendo prædictos ad observantiam præmissorum, captis pignoribus, mulcta indicta, & etiam per capturam personarum, & omnibus juris remediis, prout opus fuerit, & necesse; Ex testamento autem succedant, & succedere possint, masculi, & fœminæ passim, & absque personarum delectu, sicut fuerint instituti, & institutæ, non obstantibus supradictis, sexus ratione non habita; Contra testamentum autem, vel ultimam voluntatem prædictorum suorum ascendentium, & personarum, de quibus est expressum, seu etiam preter, non possint dictæ fœminæ, nec ex eis fœminis descendentes etiam masculi succedere, quoquomodo testamentum, seu ultimam voluntatem querelando, seu infrigendo, seu etiam ad supplementum agendo, & jus sibi competere ad illud in bonis prædictis, & non ultrà plus petere valeant, seu possint; In successionibus autem transversalium, & aliorum consanguineorum conjunctorum supradicti agnati masculi, usque ad quartum gradum, & ulterius possint habere, nisi prout, & sicut in testamento, & seu ultima voluntate facta, & ea cessante, ab intestato, secundum formam præsentis statuti succedere est permissum, & ad eorum bona vocantur, & solùm usque ad quantitatem, seu portionem eisdem præsentis statuti permissum est, & non ultrà, nec aliter quoquomodo de bonis prædictorum percipere, & habere possint; Et si in casibus supradictis, quibus fœminæ excluduntur à successionibus suorum ascendentium, ipsi masculi, ad quos ex forma præsentis statuti successio defertur cum onere dotandi, sive dotationis, seu dotis constituendæ, fœminis exclusis, ipsas fœminas magis vellent ad successiones ipsas unà cum eis admitti, quàm subire onus dotandi, seu dotationis, quo casu masculi ad dotandum eas minimè teneantur, sed cum eisdem dictæ mulieres succedere possint, & prout ipsi masculi duxerint eligendum; Et quæ superiùs dicta sunt de successionibus ab intestato vendicent sibi locum in successionibus quorumcumque ab intestato, & sine testamento decedentium, & etiam si de jure, vel de facto testari non possent, seu potuissent.

MEDIOLANEN. CIVITATIS. PARTICULA VII.

Qualiter masculi descendentes præferantur fœminis in successionibus ascendentium utriusque sexus, Cap. 278.

IN successionibus ascendentium ex linea masculina, decedentium ab intestato, masculi descendentes præferantur fœminis natis in eodem matrimonio, & etiam fœminis ex alio matrimonio natis, & ab eis fœminis, tam ex primo, quàm ex alio quolibet matrimonio natis descendentibus, ut suprà, & etiam ex eis fœminis natis ex descendente masculo præmortuo, ante mortem ejus ascendentis,

ex

ex linea maſculina, de cujus hæreditate tractari continget. Teneantur tamen, eo caſu, ipſi maſculi dotare temporaliter, vel ſpiritualiter decenter, ſecundum qualitatem perſonarum, & vires patrimonii ipſius decedentis, eas fœminas ex linea maſculina deſcendentes excluſas, ut ſupra, infrà decimum octavum annum ſuæ ætatis completum ad minus, ſi dotatæ non fuerint. Et interim teneantur eas concedenter alimentare. Et ſi prædictæ mulieres non fuerint dotatæ infra tempus prædictum, ut ſuprà admittantur ad petendum uſque ad tertiam partem ejus, quòd habituræ eſſent de jure communi, ſi deceſſiſſet aſcendens ab inteſtato, ac ſi fuiſſent hæredes à principio pro ipſa tertia parte, quam tertiam partem poſſint conſequi, in & ſuper bonis per dictum defunctum relictis. Et eo in caſu intelligantur fuiſſe, ſtetiſſe, & perſeveraſſe in poſſeſſione, & tenuta dictæ tertiæ partis, ac ſi à principio fuiſſent hæredes, non obſtante aliqua alienatione, facta per dictos maſculos excludentes. Et cridæ factæ de ipſis bonis, non præjudicent dictis mulieribus, pro ipſa tertia parte. Salvo tamen quòd ſi prædictæ mulieres infrà dictum tempus non dotatæ, & ut ſupra, elegerint potiùs dotari condecenter, quàm dictam tertiam partem, ut ſuprà, conſequi, id peragere poſſint, & ad id admittantur. Et ſi fuerint aliàs dotatæ, & deſierint eſſe dotatæ propter mortem viri, quòd debeant eas alimentare, & iterum dotare, ſi nubere voluerint, vel religionem intrare, computato tamen eo, quod ſuperfuerit, vel ipſæ mulieres conſequutæ fuerint ex prima dote, & quam dotem, facta computatione, ut ſupra teneantur prædicti maſculi dare, vel alias ſatisfacere ipſis mulieribus infrà ſex menſes, à die requiſitionis factæ per ipſas mulieres nubere volentes, vel religionem intrare. Et ſi infrà dictos ſex menſes non dotaverint, vel non ſatisfecerint pro dote, ut ſupra, mittantur dictæ mulieres in poſſeſſionem tot bonorum dotare debentis, vel debentium, pro ſumma dupli primæ dotis, facta computatione, ut ſuprà, in qua poſſeſſione manuteneantur, donec fuerit ſibi integrè ſatisfactum, ut ſupra, nec eo caſu, fructus computentur in ſortem. Et ſi earum mariti deducti fuerint ad inopiam, maſculi eas excludentes, ut ſuprà, & eorum hæredes teneantur eas alimentare, ſi aliundè non habeant, undè ſe alimentent.

De eodem, Cap.279.

IN ſucceſſionibus verò aſcendentis, ex linea fœminina, ab inteſtato decedentis, maſculi deſcendentes ejuſdem matrimonii, præferantur fœminis, ex eodem matrimonio deſcendentibus, & ab eis fœminis deſcendentibus, ac etiam fœminis, natis ex deſcendente maſculo, ex eodem matrimonio nato, præmortuo ante mortem ejus aſcendentis ex linea fœminina, de cujus hæreditate tractari continget. Si verò deſcendens ex linea fœminina, & ut ſupra contigerit habere deſcendentem, vel deſcendentes ex alio, vel aliis matrimoniis, quòd tunc, & eo caſu, maſculi alterius matrimonii, ſeu aliorum matrimoniorum, excludant fœminas, natas ex eodem met matrimonio, & ab eis fœminis deſcendentes, ex filio præmortuo ante aſcendentem, ex dicta linea fœminina, de cujus hæreditate tractari contiget: hoc intellecto, quòd in prædicta ſucceſſione aſcendentis, vel aſcendentium, ex linea fœminina, fœminæ excluſæ per maſculos, faciant partem, per reſpectum ad alium, vel alios deſcendentes, maſculum, vel maſculos, & fœminas alterius matrimonii, ſeu aliorum matrimoniorum, ad commodum maſculi, vel maſculorum excludentium. Si verò contingat, ex uno matrimonio, vel pluribus, ſupereſſe tantummodo fœminam, vel fœminas, ex deſcendente ex linea fœminina, deſcendentem, vel deſcendentes, & ex alio matrimonio, vel ex aliis adeſſe maſculum, vel maſculos, deſcendentes ex linea fœminina, de cujus hæreditate tractari continget, quòd ipſa fœmina, vel fœminæ, ſuique deſcedentes, ex eorum aſcendentium perſona admittantur ad ſucceſſionem talis aſcendentis, decedentis ex linea fœminina, cum aliis deſcendentibus maſculis, alteriùs manii, ſeu aliorum matrimoniorum, quemadmodum ſi fuiſſet maſculus, vel fuiſſent maſculi.

De eodem, Cap.280.

IDem in omnibus, & per omnia referendo ſingula ſingulis, & congrua congruis ſervetur, ſi talis aſcendens deceſſerit teſtatus, quòd maſculi deſcendentes ex linea maſculina ſemper, & in omni caſu præferantur fœminis natis ut ſuprà, & ab eis fœminis deſcendentibus maſculis, & fœnis, etiam gradu proximioribus. Nec poſſint ipſæ fœminæ, vel etiam maſculi, ex eis fœminis deſcendentis, exiſtentibus deſcendentibus maſculis, ex linea maſculina, aliquid aliud petere in bonis talis aſcendentis, vel aſcendentium ſic decedentis, vel decedentium, ex teſtamento, niſi quatenus ipſe aſcendens in ſuo teſtamento, vel ultima voluntate eis relinquere voluerit, cum eis fœminis ſatis ſit eas decenter alimentari, & dotari, ut ſupra, & intelligantur eſſe legitimè, & decenter dotatæ, quando in ultima voluntate, ab aſcendente fuerit certa quantitas eis relicta, vel aliud relictum, & per eas poſteà habita, vel habitum, vel quòd per debentes dare non ſteterit quo minus non habuerint.

Qualiter fœmina, vivente aſcendente ſuo dotata, etiam intelligatur eſſe dotata, Cap.281.

SI fœmina, vivente aſcendente ſuo maſculo, ex linea maſculina, eſt, vel fuerit tradita matrimonio temporali, & fuerit dotata aliter, quàm de bonis propriis ipſius fœminæ, vel quam per extraneam perſonam contemplatione ipſius fœminæ & hoc conſtet, intelligatur fuiſſe idoneè dotata, etiam reſpectu facultatum bonorum maternorum, ſeu etiam aviæ, ſive ipſa aſcendens tunc vivebat, ſive non. Idem, & ſi fœmina ſecundum diſpoſitionem ipſius ſui aſcendentis in vita, vel poſt vitam ejus aſcendentis, habuerit, eaque ab ipſo ſuo aſcendente eidem fuerint diſpoſita nomine dotis, ſeu relicta nomine dotis, vel prædicti excludentes parati fuerint cum effectu dare.

Qualiter fratres in ſucceſsione præferatur ſorori, Cap. 282.

SI ſoror dotata fuerit per fratrem temporaliter, vel ſpiritualiter, idoneè, ut continetur ſuprà, in ſtatuto incipiente in ſucceſſionibus, tunc frater præferatur ſorori in ſucceſſione cujuſcumque aſcendentis ab inteſtato, vel ex teſtamento decedentis, ſecundum formam dicti ſtatuti incipientis, *in ſucceſsionibus*.

NEAPOLITANÆ CONSUETUDINES.

PARTICULA VIII.

De ſucceſsione ab inteſtato tit. 1. Conſuetudo 1.

SI moriatur aliquis, vel aliqua inteſtatus, vel inteſtata, relictis filiis, vel filiabus, nepotibus, vel neptibus, & deinceps, ſeu nepotibus ſolùm ex præmortuis filiis, filii unà cum nepotibus, & neptibus, & deinceps ſuccedant parentibus in ſtirpem, & tenentur ipſi ſucceſſores maritare ſorores, & amitas ſecundum paragium, & facultates.

Eas autem ipſis ſucceſſoribus differentibus maritare, uſque ad annos ſexdecim completos, ſecundum paragium, & facultates, ut dictum eſt, ſuccedunt, & poſſunt petere de bonis paternis, virilem, ut fratres, & alii ſucceſſores prædicti, qui tenentur eis dare paragium.

Idem juris eſt in nepotibus, & neptibus, & aliis liberis deſcendentibus, avis, vel proavis ab inteſtato deſcendentibus, non extantibus parentibus eorum nepotum, vel neptum, ſeu pronepotum, & proneptum.

Et omnia, quæ dicta ſunt de nepotibus, pronepotibus, neptibus, & proneptibus, & deinceps, intelligantur in deſcendentibus ex maſculis.

Si quis, vel ſi qua ab inteſtato deceſſerit filiis, ſeu liberis legitimis non extantibus, tunc proximiores ex parte patris ſuccedant in bonis omnibus defuncti, præter quàm in bonis, quæ obvenerunt eidem defuncto à matre, vel aliquo ex linea materna, in quibus proximiores ex parte matris ſuccedant.

Sed ſi moriēti ab inteſtato abſque liberis ſuperſunt frater, ſeu fratres, nepotes, & pronepotes, & in infinitum deſcen-

dentes ex fratre, vel fratribus præmortuis, tunc licet frater sit in gradu proximior decedenti, nihilominus filii, vel filiæ, nepotes, & neptes, pronepotes, & proneptes, & alii descendentes ex fratre, vel fratribus præmortuis æqualiter succedunt cum fratribus defunctæ personæ, in stirpem scilicet, ità quod si inter ipsos nepotes, & proneptes, & deinceps fratrum præmortuorum sint fœminæ, quæ habeant fratres consanguineos, ipsæ mulieres à præmissa successione excludantur, cum fratres ipsas habeant maritare, ut superius dictum est.

Quod autem dictum est in fratribus, nepotibus, pronepotibus, & proneptibus fratrum demortuorum, & deinceps, eis non extantibus, intelligendum est de aliis in ulterioribus gradibus existentibus agnatis, vel cognaris. Et in præmissis appellatione fratris soror non continetur, præter quàm si soror partem, ut unus ex fratribus habuisset de bonis parentum, tunc enim ipsa soror ejusdem conditionis est, quoad prædicta, ac si esset masculus, & ejus filii descendentes habentur quoad id, sicut filii, & alii descendentes ex masculis.

PAPIEN CIUITATIS.
PARTICULA IX.

Quod mulieres maritatæ non veniant ad successionem cum fratribus, nisi ut infrà, Rubr. 95.

ITem statuimus, quòd, sine testamento, mulieres maritatæ, & dotatæ, vel dotatæ, & non maritatæ, & intelligantur dotatæ, si fuerint maritatæ de bonis avitis, paternis, maternis, fraternis, vel filiorum fratris, vel in ordine professæ, & filii, & descendentes ex ipsis mulieribus, non faciant partem cum fratribus in ordine non professis expresè, vel tacitè in hæreditate avita, paterna, materna, vel fraterna, neque in dote materna cum masculis filiis fratrum non professis. In capillis verò mulieres extantes, vel non dotatæ, cujuscumque ætatis sint, faciant partem, nisi fratres, vel filii fratrum masculi non professi eas dotaverint, vel parati fuerint eas, cum effectu dotare, secundum qualitatem patrimonii, & personarum. Declarantes quòd si dicta mulier dotata fuerit, vel fuit, vivo avo, sed mortuo patre, præsumatur dotata de bonis avi, si verò fuerit dotata vivo patre, præsumatur dotata de bonis ipsius patris. Si verò mortuo patre, sed vivo fratre mulieris, præsumatur dotata de bonis ipsius fratris. Et si patre, & fratre mortuis, sed vivo filio fratris dotata fuerit, præsumatur dotata de bonis ipsius, filii fratris donec per ipsam mulierem contrarium probetur, quicumque casus fuerit ex suprascriptis casibus. Et intelligatur in fratribus, & sororibus utroque parente, vel ex parte tantùm conjunctis. Prædictæ verò mulieres in capillis extantes non maritatæ, cujuscumque ætatis sint, volentes se matrimonio copulare, vel alicui Monasterio se dedicare, succedant simul cum fratribus, & filiis fratrum, pro rata sibi contingente de bonis defuncti, in usufructu tantùm, quousque dicta talis mulier velit dotari, & se matrimonio copulari, quia tunc dotetur, ut superius dictum est: Et hoc statutum habeat locum in præteritis, pendentibus, & futuris.

PISANÆ CIVITATIS.
PARTICULA X.

De successionibus ab intestato, Lib. 1. Cap. 37.

CUm successionum ab intestato tres sint ordines descendentium, ascendentium, & collateralium, in successione semper prima causa sit liberorum, & si ulteriori gradu quis sit constitutus, dummodò masculo extante, id est personæ defunctæ filio, vel ejus soboli masculini sexus, & per masculinum sexum descendente, soror id est defunctæ personæ filia, vel ejus soboles non succedat. Et liberi cujuscumque sexus loco suorum parentum anteà defunctorum, vel defunctarum, hoc est in eam hæreditatis partem, in quam successurus fuisset parens defunctus, vel defuncta, ad successionem avi, vel proavi, aviæ, vel proaviæ, vel cæterorum, secundum jam dictum modum, succedant, videlicet, quod extantibus masculis, & per masculinum sexum descendentibus, fœmina, vel per fœmineum sexum descendentes ab hæreditate jam dicta excludantur. Quæ successiones omnes fiant in stirpem, & non in capita. Hoc intellecto quòd extantibus neptes, vel pronepte, una, vel pluribus etiam ex filio masculo præmortuo, una cum filia, vel filiabus, vel earum sobole in stirpem succedant.

SENENSIS CIVITATIS.
PARTICULA XI.

De successionibus ab intestato in hæreditatibus matris, avi, & aviæ maternæ, Cap. 154.

NUlla mulier matri suæ, nec aviæ maternæ, vel proaviæ, avo, vel proavo materno succedat, & nedum ipsa, nec descendentes ex ea succedere possint, quandiù superfuerint filii, vel descendentes masculi, unus, vel plures ex dicta matre, vel ex avo materno, vel avia materna, proavo, vel proavia, ex ipsis filiis masculis ex legitimo matrimonio procreati; declarando ad tollendas lites, quæ oriri possent ob contrarias Doctorum opiniones super hoc statuto, & ad evitandos sumptus litium, quòd deficientibus masculis prædictis descendentes ex fœminis, de quibus suprà, etiam non concepti de tempore mortis ejus, de cujus hæreditate agi contigerit, admittantur, & ad successionem hujusmodi reintegrentur.

De successionibus ab intestato, Cap. 155.

STatum est, quòd si qua persona ab intestato decesserit, si quidem ex ea supersint masculi descendentes per lineam masculinam, legitimi, & naturales, illi in successionibus omnibus præferantur, secundum gradus prioritatem, & fœminæ extantibus dictis masculis excludantur, dum tamen fœminæ descendentes per lineam masculinam dotentur, secundum formam statuti sub rubrica *De dote constituenda mulieribus exclusis à successione per masculos.*

De successione ascendentium ex latere matris, Cap. 156.

SI qua persona decesserit ab intestato sine filiis legitimis, & naturalibus, & sine ascendentibus ex linea paterna, & non superstite fratre, vel sorore, sive filio, vel filia fratris, vel sororis ipsius defunctæ personæ ex eodem fratre, vel patruo non superstite tempore suæ mortis, non permittatur mater, avus, vel avia talis personæ defunctæ ex parte matris ad plus venire, quàm ad quartam partem legitimæ successionis ab intestato omnium bonorum, & rerum, præter domos, & Castella olim talis defunctæ personæ; Reliqua verò bona habeant parentes masculi ex parte fratris, avi fraterni usque ad quartum gradum secundum computum Decretorum proximioris ordinis; Et si superfuerint tali defunctæ personæ frater, vel soror, sive filius, vel filia fratris, vel sororis, vel patruus, vel patruelis; tunc mater, vel avus, vel avia, ex parte matris in nullo succedat; & hoc locum habeat in mulieribus Civitati Senen suppositis, non obstan si non remaneant in domo filiorum, vel filiarum de tempore mortis eorum. Aliæ verò mulieres extrà Civitatem Senen, vel jurisdictionem commorantes nullo modo admittantur, vel veniant ad successionem filiorum, filiarum, nepotum, neptum de Civitate supradicta, vel jurisdictione.

De successione Collateralium, seu Transversalium, Cap. 157.

STatutum, & ordinatum sit, quòd si qui, vel quæ decedat ab intestato sine ascendentibus ex linea paterna, & descendentibus, succedant ejus fratres carnales masculi ex utroque parente, & eis ex utroque parente non extantibus, succedant fratres consanguinei ipsius, vel ex parte tantùm fratris, & consimilium fratrum filii in stirpes, exclusis porsus sororibus carnalibus talis defuncti ex utroque parente, & exclusis filiabus fratris carnalis, quæ fuissent nuptæ, vel dotatæ; Et si dictæ mulieres non essent dotatæ, & non haberent undè possent convenienter dotari, habita consideratione facultatum, & qualitatum familiæ, & si tractaretur de successione fratris, vel patrui, debeant convenienter dotari de bonis ejus, de cujus hæreditate agitur; aliàs admittantur ad successionem prædictæ defunctæ personæ, servata gradus prærogativa, & hoc stet, vel sit in electione eorum, qui ipsas mu-

mulieres excludunt virtute preſentis ſtatuti, excluſis ſororibus, & filiabus ſororum Monaſterium ingredientibus, vel Monaſterio dedicatis tempore obitus ejus, de cujus hæreditate ageretur, & filii, & filiæ dictarum ſororum ſi viverent dicti fratres carnales, & filii fratrum, vel aliquis eorum.

CONSTITUTIONES.

Utriuſuſque Regni Siciliæ.

PARTICULA XII.

Lib. 3. tit. 26. de ſucceſſione filiorum Comitum, & Baronum. Imper. Feder.

IN aliquibus Regni noſtri partibus Conſuetudinem pravam audivimus hactenus obtinuiſſe, quod in bonis Comitis, Baronis, vel Militis, qui deceſſerit filiis maſculis non relitis, filiæ non ſuccedunt, ſed conſanguinei quantumcumque remoti, maſculini ſexus, tam bajulum puellarum ipſarum, poſt mortem patris, accipiunt, quàm ſucceſſionem uſurpant, & ipſas pro ipſorum diſpoſitione maritant. Quod quidem, & naturæ dignoſcitur eſſe contrarium, quæ parentum votis abſque diſcretione ſexus, tam maſculos, quam fœminas commendavit, & juri, tam communi, quam noſtro ſpecialiter derogatur. Hac igitur lege noſtra, per univerſas partes, & ſingulas Regni noſtri valitura, ſancimus, patre mortuo, tam filios; quam filias puberes, aut majores, minoreſve ad parentum ſucceſſionem, abſque ſexus diſcretione vocari. Si autem filii maſculi una cum filiabus fœminis, aut etiam ſororibus patri decedenti ſuperſint, cujuſcumque conditionis pater fuerit, Francus videlicet, aut etiam Longobardus, Miles, vel Burgenſis, in ſucceſſione bonorum præferri volumus maſculos fœminis. Dum tamen ſorores, aut amitas, fratres, aut nepotes pro modo facultatum ſuarum, & filiorum ſuperſtitum numero, ſecundum paragium, debeant maritare. Cæterum ſi tantum fœminæ ſuperſtites fuerint, ipſas, ſi majores ſint, excluſis aliis conſanguineis, volumus ad ſucceſſionem admitti. Si verò minores filiæ, Comitum, Baronum, aut Militum ſuperſtites fuerint, ipſarum bajulum noſtra excellentia recipiat ipſum, vel ſibi tenendum, vel alii, qui ex fide illud gerere debeat, juxta approbatam regni conſuetudinem, concedendum: ac deinde ipſas, cum ad nubilem ætatem pervenerint, & bajulum noſtrum vel alterius ſupervenientem quintum decimum annum exceſſerit, de proviſione manſuetudinis noſtræ, Deum habentes præ oculis, cum bonis omnibus, quæ patris fuerunt, ſecundum paragium, curabimus maritare.

RESPONSUM

Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D.

MARCELLI SEVEROLI

Signaturæ Juſtitiæ Votantis &c.

In Cauſa Florentina Legitimæ.

INTER ILLVSTRISSIMOS DD. FRATRES

MARCHIONES DE FERONIIS.

FLORENTINA LEGITIMÆ

Inter Illuſtriſſ. DD. Fratres

MARCHIONE DE FERONIIS.

STante Statuto Florentino, Fœminas à ſucceſſionibus ab inteſtato excludente *Lib. 2. Rub. 130.* quod integrum refert Angel. *conſ. 344. in princ.* & habetur etiam impreſſum, una cum novis Reformationibus, per Card. de Luc. *de Statut. Succeſſionib. inter Partic. Statut. extra Stut. Eccleſiaſt. Partic. 3. fol. 361. & ſeqq.* Vigore cujus, nec etiam dotem ſuccedere loco legitimæ eſt conſtans, indubiaque Juris Conſultorum, & Tribunalium ejuſdem Civitatis ſententia, In iſtius facti ſpecie in qua Marchio Franciſcus Teſtator obiit relictis quinque filiis, nempè duobus maſculis, & tribus fœminis jam dotatis & nuptis, non tam facilè eſſet reſpondere, quota ſit dicenda portio legitimæ, quæ poſſet competere Marchioni Franciſco Silvio, quatenus à Paterno judicio recedendo, ejuſque diſpoſitionem repudiando beneficio legis utendo, eamdem tanquam ſibi de jure debitam, petere vellet, Si celeberrima, ſeu ut ait Roman. *in l. 1. num. 62. C. quando non peten. par.* ardua & ſubtilis illa juris quæſtio, quæ ad id occurrit diſcutienda: An nempè fœminæ vigore ſtatuti excluſæ faciant numerum, & partem, licet non admittanrur ad partem, ad augendam legitimam favore maſculorum, itaut de Triente perducatur ad Semiſſem, eſſet cum iis determinanda, quæ olim interpretes, tam in Scholis, quàm in Foro confuſè diſſeruerunt, cum in tam varias, & diverſas iverint ſententias, ut quoties de ea loquuti ſunt, quaſi in Labyrinthum ingreſſi, regreſſus viam reperire non potuerint, & rem ſemper magis perplexam, & involutam reddiderint, ut adnotat Theſaur. *deciſ. 159. ſub num. 1.* adeout peritiſſimi etiam juris periti interdum ignoraverint, quid tenendum, ut de ſe ipſo teſtatur Fulgoſ. *in Auth. Noviſſima C. de inofficioſ. Teſtament.* & referunt Burſat. *conſ. 92. num. 39. lib. 1.* & Hartman. Piſtor. *quæſtion. Iur. lib. 1. quæſt. 8. ſub n. 1.* Et quoties decidenda ipſis fuerat propoſita, nunquam ſibi dubium exemiſſent, atque ancipiti cura ſemper fuerint torti, quam veriorem, & Juris magis conſonam ſententiam eſſent dijudicaturi, ut propterea communiter exiſtimaverint, nedum utrumque defendi poſſe, ſed imò valere Judices, ob magnam rei perplexitatem, in quam maluerint partem inclinare, & ſine repræhenſionis nota, unam, vel alteram opinionem amplecti, ut præ cæteris adnotant Petr. Gilken. *in Auth. Noviſſima C. de inofficioſ. Teſtament.* Decius *conſ. 607. num. 15. verſ. & poſt longam diſcuſſionem*, Caſpar. Man. *de Legitim. quæſt. 4. num. 40. in fin.* Torr. *de Pact. futur. ſucceſſion. lib. 2. cap. 47. num. 1. & ſeqq.* Gratian. *diſcept. forenſ. cap. 676. nu. 10.* & ibi Carol. Anton. de Luca *in Animadverſ. num. 7. in fin.* Ciriac. *controv. 71. numer. 1.* Donat. Anton. de Marin. *variar. reſolut. lib. 2. cap. 93. num. 5.* idem Carol. Anton. de Luca *in Melioration. ad eumdem de Marin. variar. Reſol. lib. 1. cap. 252. num. 5. verſic. quæſtio eſt.*

Verum cum poſtea facta ſpecierum diviſione, compertum ſit, tantam non eſſe perplexitatem, quin illa adhibita, Quæſtio præfata reſolvi valeat, & ex ſubdiſtinctione Caſuum tutò decerni, quid in jure ſtatuendum ſit, qualiterque res in judicio terminanda, ut animadvertunt Bellon. *de Iur. accreſcen. cap. 6. quæſt. 15. num. 2. verſic. ſed male*,

Ca-

Carol. Anton. de Luc. *Animadverſ. ad Gratian. diſcept. forenſ. cap. 676. num. 7. verſic. Tanta autem perplexitas non eſt*, & innuunt etiam Cyriac. *d. controv. 71. ſub numer. 1. verſic. Nihilominus viſa eſt*, Torr. *de pact. futur. ſucceſſ. dict. lib. 2. cap. 47. ſub num. 19. verſ. Ego tamen puto*, & Rota *in Recent. deciſ. 499. num. 10. & ſeq. par. 18. tom. 2.* Ideo cum attenta dicta diſtinctione Caſuum in re hac communiter recepta, & approbata, liquido conſtare valeat in præſenti, tres filias fœminas relictas à Marchione Franciſco dicendas eſſe facere numerum, & partem ad augendam legitimam favore duorum fratrum maſculorum; Fidenter reſpondendum cenſemus, eamdem legitimam, cujus portionem petere poterit Marchio Franciſcus Silvius, ſtante numero quinario filiorum, eſſe Semiſſem, hoc eſt dimidiam hæreditatis partem, juxta Text. *in Novell. 18. capit. 1. ſive Auth. de Triente, & Semiſſ. §. 1. collat. 3. tit. 3. & in Auth. noviſſima C. de inofficioſ. Teſtam.* Atque ſecurius, cùm reſpondendo juxta opinionem diſtinguentem, ſemper quis dicatur ſequi opinionem magis communem, & melioribus ac verioribus rationibus fultam, quemadmodum pariter reſpondendo in iſtis terminis alias ponderaverat Curt. Jun. *conſ. 268. num. 16. tom. 3.*

Quod verò prædictæ tres filiæ fœminę ſint in præſenti dicendæ facere numerum & partem ad augendam legitimam favore fratrum maſculorum, non videtur ambigendum; Animadvertendo, quod pro ſolutione præfatæ quæſtionis, præſertim ad effectum de quo agitur, duo ſunt conſiderandi caſus principales, eodem modo, quo ſervavit Craſſ. *ſententiar. §. legitima quæſt. 7.* ob id laudatus à Flau. Tort. *ad Stat. Papiæ in Annotat. ad rubr. 95. in Civilib. ſub numer. 191.* nam licet nonnulli plures alios addiderint, & præcipuè Theſaur. *deciſ. 159.* octo caſus diverſos formaverit, attamen tali diverſitate nil aliud egerunt, quam rem magis involutam, & obſcuram reddere, potius quam facilem & claram efficere, dum omnes vel ſub eiſdem duobus caſibus ſunt compræhenſi, vel quodammodo inter ſe contrarii videntur exiſtere, ut ipſo Theſauro ob id repræhenſo, animadvertit Calvin. *de aquitat. lib. 1. cap. 87. numer. 3.*

Primus igitur caſus eſt, & qui ſine ulla controverſia procedit, quod ſi ſtatutum fœminas excludit, nec illis reſervat legitimam, reſervat tamen Dotem, itaut ex verbis ejuſdem Statuti colligatur mentem ipſius fuiſſe, ut Dos ſuccedat loco legitimæ, quamvis non vocentur ad legitimam, tunc eædem, & ſi non admittantur ad partem, faciant tamen numerum & partem ad augendam legitimam, quo ad omnes juris effectus: ſive id maſculis expediat, ſive non, ex quo, eo ipſo quod vocantur ad Dotem, quæ legitimæ loco ſuccedit, perindè ſunt habendæ ac ſi ad legitimam ipſam vocarentur, ſtante regula ſubrogatorum, qua ſubrogatum cenſetur eodem jure, quod id in cujus locum ſubrogatur: Ut ſic quemadmodum eſt certum, quod filiæ fœminæ, quo vocantur ad legitimam, & partem faciunt, & numerum, nam ſtatim ac ad partem admittuntur, conſequens eſt, ut faciant partem, ita etiam debent facere, dum vocantur ad Dotem, quæ legitimæ loco ſuccedit, & pro legitima reputatur, ut unanimiter firmant ſcribentes, & præcipuè Aretin. *in l. planè §. ſi duob. col. 5. verſ. 2. ff. de legat. primo*, Pariſ. *conſ. 53. num. 76. lib. 3.* Rub. Alexandrin. *conſ. 122. numer. 3.* Morot. *reſponſ. 23. per tot.* & ſignanter *numer. 23. & ſeq.* Brun. *de Statut. excluſiv. fœmin. artic. 13. quæſt. 3.* Tort. *ad Statut. Papiæ, in annot. ad rubr. 95. in Civil. ſub num. 202.* Merlin. *de legit. lib. 1. tit. 4. quæſt. 3. à num. 10.* Bellon. *de Iur. accreſc. dict. cap. 6. quæſt. 15. num. 8. & ſeqq.* Boſſ. *de dot. cap. 7. num. 45. circa fin. verſ. Quartum quod relictis.* Trentacinq. *variar. reſol. lib. 1. reſol. 3. ſub num. 11. verſ. in tertio hoc caſu, & ſub nu. 12. verſ. in primo caſu*, Gratian. *diſcept. forenſ. cap. 448. num. 37. cap. 594. num. 21. & 22. & cap. 576. per tot. & cap. 942. num. 4. & per tot.* Ciriac. *controv. 71. num. 2.* Facchin. *controv. Iur. lib. 4. controv 31. circa fin.* Sabell. *variar. reſolut. cap. 60. num. 10.* Rocca *diſput. Iur. ſelect. cap. 117. num. 19. tom. 2.* Boer. *dec. 104. num. 11.* Mart. *deciſ. Piſan. vot. 69. num. 1.* Mart. Medic. *in addit. ad deciſ. Senenſ. 7. num. 3.* Torr. *de pactis futur. ſucceſſion. lib. 2. cap. 47. num. 41.* Rota coram Coccin. *deciſion. 1285. numer. 9. repetit. poſt Gilian. ad Stat. Peruſin. deciſion. 109. & poſt Merlin. de legit. deciſion. 106.* coram Priol. *deciſ. 124. num. 18. & in recent. deciſ. 499. numer. 11. par. 18.*

Alter verò eſt caſus quando Dos non ſuccedit loco legitimæ, ut quia ſtatutum fœminas dotatas, ſimpliciter, & abſolutè excludat propter maſculos, prout facit ſtatutum Florentinum, & tunc: Aut agitur ad effectum videndi, an ipſæ non ſolum faciant numerum, & partem, ſed etiam ut admittantur ad partem, ad effectum ut ſibi ipſis augeatur portio illa legitimę, quæ ex numero filiorum ſequeretur, & in hoc, licet hæſitaverint Joannes Baptiſta de Caccialupis, & Bartholomeus Soccinus, ſcribentes ſuper hoc eodem noſtro ſtatuto, ut videre eſt apud eumdem Soccin. Senior. *conſil. 150. tom. 1.* Pariter communiter eſt receptum illas nec partem facere ad ſui favorem, nec numerum, & Maſculorum legitimam eſſe computandam, nulla earum habita ratione, perinde ac ſi non eſſent in rerum natura, quia cum non admittantur ad partem, nec adſit Dos, aut aliquid, quod ſuccedat loco partis, conſequens eſt ut non faciant partem, ut patet ex firmatis per Caſtrenſ. *in l. planè 34. §. ſi duobus num. 8.* & ibidem Jaſon. *numer. 23. ff. de legat. 1.* Crot. *in l. re coniunctì numer. 129. verſ. Tertia ff. de legat. 3.* Decian. *conſil. 383. numer. quinto*, Soccin. Senior. *conſil. 75. numer. 11. verſic. Et tunc quia tom. 3.* Soccin. Junior. *conſil. 67. numer. 65. tom. 2.* & alios plures apud Bellon. *de Iur. accreſcen. dict. cap. 6. quæſt. 15. numer. 76.* quibus addendus Æmilian. *conſ. 1. nu. 5. & 6.* ubi quod, cum quantitas legitimæ ſit diſtincta, & reducta ad partem, & quotam totius, quod ille, qui quotam poſtulat erat habiturus ab inteſtato, propterea ſi fœminę ab inteſtato non ſunt ſucceſſibiles, non poſſunt ſe referre ad illam quotam, quia impoſſibile eſt dare tertiam, dimidiam, aut quotam totius, ubi nihil invenitur totum, quo ceſſante aut non exiſtente, nullæ poſſunt inſervire partes ejus, & voluit Rota Romana coram Ubald. *deciſ. 421. repetit. poſt Merlin. de Legit. deciſ. 74.* & in Æſina fideicommiſſi 12. Februarii 1629. coram Pirovano, *ut in particula, quæ datur in calce numer. 2.*

Aut verò agitur, ad effectum videndi an faciant numerum, & partem favore maſculorum, itaut pars accreſcens non ipſis ſed maſculis augeatur, & in hoc licet haberi pro extraneis, ſive non extantibus, & quaſi mortuis, itaut ex eorum perſona non augeri quotam legitimæ maſculorum, nonnulli crediderint, quorum plures adducunt Balthaxar. Tomaſ. *Tract. var. decad. 1. tract. 4. tit. 6. numer. 2. & 7.* Gabriel. *conſ. 15. numer. 20. & ſeqq. lib. 1.* Farinacc. *conſ. Criminal. 206. num. 10. lib. 3.* Buccafer. *conſ. 22. numer. 34. & conſil. 66. num. 2. & 3.* Ciriac. *controv. 71. num. 2. & 3. & per tot. lib. 1.* Manſ. *conſult. 14. num. 21. lib. 1.* Poſtius *reſol. civil. 68. numer. 136. & deciſ. Bononien. 50. numer. 85. & ſeqq.* & alii, Id comprobantes, ex eo quod habetur de filio exhæredato, vel deportato, aut Religionem incapacem ingreſſo, qui nec facit partem, nec auget quotam legitimæ favore fratrum, cùm habeatur pro mortuo, juxta tradita per Alciat. *conſ. 201. num. 9. & 10. lib. 9.* Curt. Sen. *conſ. 5. numer. 2.* & alios cumulatos per eumdem Balthaxar. Tomaſ. *ubi mox num. 23.* & Maſſull. *in addit. ad Capic. deciſ. 158. num. 1. in fin.*

Attamen contrariam opinionem favorabilem Maſculis magis communiter approbarunt Doctores, & juxta eam uti veriorem, & juri magis conſonam ferè perpetuo judicarunt Suprema Tribunalia, quod nempè fœminæ dotatę, licet ſimpliciter, & abſolutè, à ſucceſſione, & à legitima, vel alterius illius loco ſuccedentis, per Statutum favore maſculorum excluſæ remaneant, faciant tamen numerum, & partem, quoties expedit maſculis, & de eorum favore agitur, ab eo, quod ipſis eſt utile, & magis favorabile ſemper id dimetientes, ut præ cęteris firmarunt Bald. & Caſtrenſ. *in l. ſi defunctus, ambo ſub num. 1. C. de ſuis, & legit. hæredib.* Fabian. de Giochis *in Repetit. Authent. Noviſſima numer. 216. & 217. Cod. de inofficioſ. teſtament.* Alciat. *reſponſ. 31. numer. 12. lib. primo*, ubi quod iſta opinio eſt verior, & communior, Soccin. Junior. *conſil. 25. ſub numer. 14. verſ. Primo quia ut dixi, & num. 15. tom. 1.* ubi quod iſta opinio eſt verior, & communis, & ideò tenenda, idem Caſtrenſ. *conſ. 286. ſub num. 3. verſic. prædicta, & verſ. ex hoc dico volum. 1.* Cephal. *conſ. 245. à num. 20. & ſignanter nu. 37. & per tot. lib. 2.* ubi quod hæc opinio eſt probabilior, & magis communis, & ſecundum eam fuit ſæpius obſervatum, Caſſan. *conſ. 53. col. penult. in fin. & col. ſeq.* ubi pariter teſtatur de communi, Pariſ. *conſ. 36. num. 28. cum duobus ſeqq. lib. 2.* ubi pariter de magis communi, & veriori opinio-

nione, referendo num 30. Soccinum, qui dicit bis pro ea vidisse pronunciatum, & ter ipsum judicasse Bursatt. *cons.* 92. *num.* 39. & 40. *lib.* 1. ubi quod fœmina hoc casu faciat partem ad favorem masculi omnes admittunt, & quod residuum, quod est supra dotem masculi accrescat, similiter ex magis communi comprobant omnes Doctores, Corneus *cons.* 197. *num.* 1. *ubi circa med.* dicit, quod ita consulverunt plures Advocati Florentini, & paulo post subdit cum Joanne de Montesperello, quod Doctores id communiter tenent, Decian. *cons.* 46. *num.* 21. & *seqq. lib.* 3. Laderch. *cons.* 12. *num.* 1. & *cons.* 126. *num.* 16. *vers. Cæterum*, ubi dicit sententiam hanc esse crebriorem, & veriorem, imò receptissimam, Curt. Jun. *cons.* 268. *num.* 16. & *seqq. lib.* 3. ubi quod in judicando ab hac opinione non est discedendum; Adden. ad Alexandr. *cons.* 36. *num.* 7. *litt. f. lib.* 7. Honded. *cons.* 1. *à num.* 105. & *per tot. lib.* 2. ubi respondendo contrariæ sententiæ in objectis deductæ à num. 70. testatur de veriori, & magis communiter recepta opinione, cui se subscripserunt quamplures Celebres Jurisconsulti, & Auditores Rotæ Perusinæ, Camill. Medic. *cons.* 167. *num.* 1. & ibi Capic. Galeott. *in addit. num.* 7. ubi quod hæc opinio est magis communis, Eugen. *cons.* 33. *num.* 70. & *seqq.* cui multi insignes Jurisconsulti se subscripserunt, in quo addit, quod nefas esset ab ista opinione in judicando discedere, & *cons.* 35. *num.* 4. & *seqq. lib.* 1. & *cons.* 100. *num.* 35. *lib.* 2. Menoch. *cons.* 207. *num.* 67. *lib.* 3. Rovit. *cons.* 70. *num.* 1. & *seqq.* & ibi Altimar. *in addit. lib.* 1. Vultejus *inter consil. Accadem. Marpurgens. consil.* 29. *sub num.* 128. *vers. Et quamvis hæc quæstio, volum.* 1. Nicol. Catan. *cons.* 19. *num.* 2. & 4. ubi quod ista opinio est verior, Sadarin. *respons.* 43. *numer.* 2. *vers. quod si ideo*, & *nu.* 3. 5. & 6. ubi dicit hanc opinionem esse meliorem; Brun. *de Statut. fœminar. exclusiv. artic.* 13. *quæst.* 3. *num.* 44. & 45. ubi dicit quod alias ita consuluerunt Bartholomæus Soccinus, & Ambrosius Opizonus, & de consilio Campegii fuit judicatum, & *sub num.* 46. *ad fin.* asserit, quod hæc opinio est verior, & communis, & quod ipse in facto secundum eam obtinuit, Boss. *tit. de bonor. public. sub num.* 2. ubi testatur ita fuisse judicatum per Gubernantes reddituum extraordinariorum Civitatis Mediolani, Tort. *ad statut. Papiæ in annot. ad rubr.* 95. *in Civil. lib. numer.* 201. ubi veram, & communem asserit, Crass. *recept. sententiar.* §. *legitima quæst.* 4. *sub num.* 4. *vers. aut verò Statutum* Petra *de fideicommiss. quæst.* 15. *num.* 144. ubi dicit esse communem, & in judicando sæpius observatam, Kellembenk *de renunciat. successionum quæst.* 37. *num.* 11. *seqq.* Merlin. *de legitim. lib.* 3. *tit.* 1. *quæst.* 6. *num.* 34. & *qu.* 8. *num.* 29. & 30. ubi declarando contrariam opinionem, quam ipse tenuerat *lib.* 1. *tit.* 4. *quæst.* 3. *num.* 10. & *seqq.* ait eam limitari, quando masculis expediret ut fœminæ facerent partem ad constituendam uberiorem legitimam ad Semissem, quia hoc casu, cum favore masculorum sit introducta fœminarum exclusio, Dos adhunc effectum dicitur loco legitimæ succedere, Caspar. Manz. *pariter de legitim. qu.* 4. *numer.* 41. & *duobus seqq.* & *num.* 50. qui Tractatus est repetitus in alio ejusdem Auctoris Tractatu *de testament. valid.* & *invalid. tit.* 12. *pariter qu.* 4. *num.* 41. & *seqq.* & *num.* 50. Peregrin. *de fideicommiss. art.* 38. *num.* 24. ubi dicit hanc opinionem sibi videri multum æquam, & rationabilem, quodve per eam cessant multæ amaritudines, subdens *in vers. quocirca* quod juxta eamdem in Civitate Patavina judicarunt Menochius, Pancirolus, & Discalcius, & licet postea in *vers. seq.* subdat, in alia causa contrarium obtinuisse, additis rationibus tunc à se perpensis, attamen priorem opinionem ipsum existimasse veriorem, patet ex ibi recensitis, & expressius *in cons.* 106. *à num.* 16. *lib.* 1. in quo præcise testatur hanc esse veritatem, maximè cum rationes in contrarium ab ipso in dicta alia facti contingentia deductæ sint satis frigidæ, & irrelevantes, ut animadvertit Calvin. *de æquitat. lib.* 1. *cap.* 87. *num.* 9. qui Calvinus hanc eamdem sententiam latè comprobat *toto illo cap.* 87. dicens num. 27. esse veriorem, & quod eam Consultissimi Viri approbarunt, Bellon. *de Jur. accrescen. superius allegat. cap.* 6. *quæst.* 15. *per tot.* & *præcipuè num.* 31. 38. 74. *vers. quamobrem verius est* 75. & 79. *vers. hinc fit*, & *vers. ex quo intelligimus*, ubi nedum dicit hanc opinionem esse veriorem, sed validissimis rationibus tam disertè, ac dilucidè id demonstrat, ut nihil intactum reliquerit, atque rem manifestam, & minimè dubiam fecerit, Hunnius *Encycloped. Jur. part.* 4. *tit.* 11. *qu.* 4. *num.* 19. & 20. Paschal. *de virib. Patr. potest. pa.* 2. *cap.* 4. *sub num.* 28. Bottiglier. *de successionib. ab intest. cap.* 1. *theorem.* 15. *n.* 4. Michalor. *de fratrib. par.* 1. *cap.* 33. *ubi sub num.* 10. *vers. ac propterea crederem*, testatur ita judicatum vidisse, omissa disputatione an dos succedat loco legitimæ necne, dum agitur favore masculorum, Baitell. *de ultim. volunt. decis.* 9. *num.* 48. ubi hanc opinionem dicit veriorem, & communem, Torr. *de pact. futur. successionib. lib.* 2. *cap.* 47. *num.* 31. & 47. Innocent. *de successionib. municipal. qu.* 32. *ubi sub nu.* 7. *vers. conclusio est*, dicit quod ab hac opinione non est recedendum, Card. de Luc. *de legitim. disc.* 2. *num.* 2. & 3. ubi appellat hanc conclusionem, receptam, & hodie incontrovertibilem, Gratian. *discept. forens. cap.* 594. *num.* 21. & 22. & ibi Carol. Anton. de Luc. *in animadvers. num.* 2. & *seqq.* & *discept.* 676. *nu.* 12. ubi pariter Carol. Anton. de Luc. *in animadvers. à num.* 7. *usque ad fin.* Marescott. *variar. resol. lib.* 1. *capit.* 28. *num.* 9. Hartman. Pistor. *quæst. Jur. tom.* 4. *quæst.* 8. *num.* 8. & 9. Berlich. *conclus. practicab. par.* 3. *conclus.* 12. *num.* 37. Capic. Galeott. *contr.* 16. *numer.* 37. *lib.* 2. Ciriac. *controv.* 610. *num.* 44. *tom.* 4. Montan. *controv.* 48. *sub num.* 1. ubi quod est opinio recepta rerum judicatarum authoritate, Caren. *resol.* 97. *num.* 6. & 7. de Marin. *variar. resol. lib.* 1. *cap.* 252. *nu.* 3. & 10. ibique Rodoer. *in Addit. num.* 19. & 20. & latius Carol. Anton. de Luc. *in melioration. à num.* 1. *usque ad fin.* Rosa *consult.* 29. *numer.* 8. Rodulphin. *allegat.* 130. & 131. *per totas*, Rocca *selectar. Jur. disput. tom.* 2. *cap.* 117. *num.* 18. Pansut. *controv. forens.* 11. *à num.* 6. *ad* 10. *lib.* 1. ubi quod ista opinio nullam habet contradictionem in Regno, Ac alii innumeri ab ipsis allegati.

Quemadmodum etiam secundum eamdem opinionem tamquam absolutam, certam & indubitatam judicarunt Suprema Tribunalia, ut videre est apud Riec. *collect. decis.* 3849. *vers. sed an filiæ*, & testantur Bellon. *de Jur. accrescen. d. cap.* 6. *quæst.* 15. *sub num.* 40. *vers. primum enim videndum est*, Sadarin. *d. respons.* 43. *sub num.* 3. & Carol. Anton. de Luc. *observat. ad Vincent. de Franch. decision.* 549. *num.* 3.

Et signanter perpetuò eam tenuit Consilium Neapolitanum, ut habetur apud eumdem de Franc. *ibid.* ubi quod de hoc in illo Tribunali non est dubium, & apud Tapiam *decis. Sac. Consil.* 44. *num.* 5. & ultra Bottiglier. Rovit. Capic. Galeott. Montan. Rosam, & Pansut. in locis superius allegatis, referunt Molfes. *ad consuetud. Neapolit. par.* 4. *de success. ab intest. quæst.* 17. *num.* 2. ubi dicit hanc opinionem non habere Contradictorem, & Consilium Neapolitanum semper ita judicasse, tam attenta consuetudine illius Regni, quam dispositione Juris communis, & *num.* 27. *cum seqq.* & de Marin. *in observat. ad Reverter. decis.* 1. *num.* 3. ubi similiter testatur, quod apud Consilium Neapolitanum semper prævaluit ista sententia.

Ita etiam secundum eamdem judicavit Senatus Mediolanensis, ut referunt Calvin. *de æquitat. lib.* 1. *cap.* 87. *num.* 19. & Innocent. *de successionib. municipal. quæst.* 32. *num.* 5.

Pariterque Mantuanę Rotæ Auditorium juxta eamdem pronunciavit, ut testis est Bursat. *cons.* 92. *in fin.* ubi etiam dicit confirmasse, quod ipsemet antea per laudum judicaverat.

Prout etiam ejusdem sententiæ fuit Senatus Burdegallensis apud Boer. *decis.* 104. & præsertim sub num. 10. & 11. ubi testatur de judicato illius Curiæ.

Necnon, & Senatus Gratianopolitanus, ut videre est apud Guido Pap. *decis.* 295. *num.* 1. *in fin.* & Ferrer. *ibidem in addit. post med. vers. verior tamen est opinio.*

Idemque fuisse servatum in foro Fivizanensi, apparet ex Borgnin. Cavalcan. *decision.* 8. *numer.* 7. *parte* 3.

Sicuti etiam eamdem opinionem prævaluisse in Curia Dolana testatur Grivell. *decis.* 34. *num.* 18. & 19. addens ita in eo servari.

Ac pariter secundum eamdem decrevisse Prætorium Sardiniæ, patet ex Dexart. *decision.* 69. *numer.* 1. & *per tot.*

Quemadmodum etiam hanc opinionem fuisse receptam à Rota Senensi clarè constat ex Mart. Medic. *decis.* 7.

Et Rotam Perusinam inconcussè hoc tenuisse, habetur tam

tam ex iis, quæ ſubſcripſit *ſuper allegat. conſ.* 1. *Honded. lib.* 2. ubi hæc opinio fuit doctiſſimè firmata, quam etiam ex iis, quæ judicavit apud Joſeph. Ludovic. *deciſ. Peruſin.* 29 *num.* 3. *lib.* 1.

Itidemque approbaſſe Rotam Maceratenſem liquet apud Thomat. *dec.* 23. *nu.* 117.

Atque demùm fuiſſe iſtam opinionem continuò aſſertam à Sacra Rota Romana ultra ſæculum, ſatis evincitur, ne dum ex iis, quæ teſtantur Honded. ſuperius allegat. *conſil.* 1. *num.* 105. *in fin. lib.* 2. & Gratian. pariter *in allegat. diſcept.* 676. *num.* 12. Sed etiam ex deciſionibus in facti contingentia ab eodem Tribunali æditis, nempè.

De Anno MDLXXVII. ſub die 1. Februarii, in Romana de Lante coram Aldobrandino, *ut in deciſ.* 266. *numer.* 1. *parte prima diverſor.* ubi quod id tranſivit ſine difficultate.

De Anno MDCIV. ſub die 25. Martii, In Civitatis Caſtelli Supplementi legitimæ coram Lancellotto, ut *in Particula aeciſionis, quæ datur in Calce numero primo.*

De Anno MDCVI. ſub die 28. Junii, in Anconitana legitimæ coram Penia, *ut in deciſ.* 1248. *inter eiuſdem impreſſ. iuxta edition. Lugdunenſ.* ubi *nu.* 5. pariter dicit, quod id tranſivit abſque difficultate.

De Anno MDCXIII. ſub die 1. Julii, in Romana Salviani, coram Damaſceno *ut in deciſ.* 477. *numer.* 3. *par.* 1. *recentior.*

De Anno MDCXV. ſub die 18. Aprilis, in Civitatis Caſtelli Supplementi legitimæ, coram Lancellotto, *ut in deciſ.* 74. *numer.* 4. *ex impreſſ. poſt Merlin. de Legitim.*

De Anno MDCXVI. ſub die 6. Junii, in Bononien. Bonorum, coram Sacrato, *ut in deciſ.* 100. *num.* 11. *ex impreſs. poſt eumdem Merlin. de legitim.*

De Anno MDCXVII. ſub die 23. Junii, Romana legitimæ, coram Pirovano, *ut in deciſ.* 543. *numer.* 7. *par.* 4. *tom. primo recentiorum* ubi quod ita ſæpè fuit firmatum.

De eodem Anno ſub die 30. Octobris; in Firmana legitimæ, coram Ubaldo, *ut in deciſ.* 421. *num.* 1. *inter eiuſdem impreſſ. & repetit. poſt Merlin. de legitim. deciſ.* 74. ubi quod iſta opinio eſt probabilior, verior, & magis communis, ac ſemper à Rota amplexa.

De Anno MDCXVIII. ſub die 16. Februarii, in eadem Firmana legitimæ, coram eodem Ubaldo, *ut in deciſ.* 620. *nu.* 6. *par.* 5. *tom.* 1. *recentior. repetit. poſt Merlin. de legitim. dec.* 4.

De Anno MDCXXI. ſub die 17. Martii, in Peruſina fideicommiſſi, coram Coccino, *ut in deciſ.* 1285. *num.* 9. *inter eiuſdem impreſſ. & repetit. poſt Merlin. de legitim. deciſ.* 106. *& poſt Gilian. ad Statutum Peruſinum deciſione* 109.

De Anno MDCXXIX. ſub die 10. Februarii, in Æſina fideicommiſſi, coram Pirovano, *ut in Particula Deciſionis quæ datur in Calce num.* 2.

De eodem Anno ſub die 28. Maii, in Aſſiſien. fideicommiſſ. coram eodem Pirovano, *ut in Particula Deciſionis, quæ pariter ſubnectitur in Calce nu.* 3. ubi quod in hac opinione Rota reſidet.

De Anno MDCXXXII. ſub die 7. Junii in Romana, ſeu Urbevetana legitimæ, coram eodem Pirovano, *ut in deciſ.* 137. *num.* 13. *par.* 6. *recent. repetit. poſt Farinacc. Repertor. ultimar. voluntat. deciſ.* 39.

Et ſub die 10. Decembris, in eadem cauſa coram eodem, *ut in deciſ.* 60. *eadem par.* 6. *recent.* ubi quod hæc eſt opinio quam ſervat Rota.

De Anno MDCXLVI. ſub die 18. Junii, in Romana fideicommiſſi de Mareſcottis, coram Veroſpio, *ut in deciſion.* 136. *numer.* 11. *ex impreſſ. poſt Merlin. de Pignorib.*

De Anno MDCLIII. ſub die 17. Martii, in Interamnen. hæreditatis, coram Peutingerio, *ut in deciſ.* 464. *num.* 4. *& 5. inter eiuſdem impreſſ.*

De Anno MDCLIX. ſub die 5. Decembris, in Romana legitimæ, coram Priolo, *ut in deciſ.* 134. *numer.* 4. *inter eiuſdem impreſſ. repetit. poſt Michalor. de Fratrib. deciſion.* 60.

De Anno MDCLX. ſub die 11. Januarii, in Romana fideicommiſſi de Marianis, coram Albergato, *ut in deciſ.* 147. *num.* 2. *& 3. par.* 13. *rec. & repetit. poſt Torr. de Pact. futur. ſucceſſion. deciſ.* 5.

De Anno MDCLXI. ſub die 28. Januarii, in eadem Romana fideicommiſſi de Marianis, coram eodem Albergato, *ut in deciſ.* 267. *numer.* 3. *eadem par.* 13. *recentior.* ubi teſtatur de magis communi, & recepta opinione.

De Anno MDCLXIX. ſub die 14. Januarii, in Romana Domus, coram Bourlemont, *ut in deciſ.* 6. *numer.* 7. *part.* 16. *recent.*

De Anno MDCLXXV. ſub die 26. Aprilis, in Romana Manutentionis, coram Taya, *ut in deciſ.* 499. *num.* 12. *par.* 18. *recent.*

De Anno MDCXCV. ſub die 1. Julii, in Viterbien. legitimę, coram Muto, *ut in Particula Deciſionis, quæ infra ſubnectitur num.* 4.

De Anno MDCXCVI. ſub die 23. Januarii, in Romana legitimæ, coram Molines, *ut in particula Deciſionis, quæ pariter datur in calce num.* 5. ubi quod hæc opinio eſt communiter in eorum Auditorio recepta.

Et quidem optimo jure, cum fortiſſimæ, & validiſſimæ, imò certæ ſint rationes, quibus eadem opinio fulcitur, & comprobatur; Et præſertim ex eo, quod eſt indubitatum ſimilia ſtatuta excluſiva fœminarum eſſe condita favore maſculorum, ut in ipſis, & agnatione bona conſerventur, ad tradita communiter per Doctores cumulatos, per Merlin. *de legitim. lib.* 1. *tit.* 4. *quæſt.* 3. *num.* 11. Pariſ. *conſil.* 85. *num.* 6. *verſic. & per Cinum. lib.* 2. Honded. *conſil.* 1. *num.* 54. *lib.* 2. Rot. *in recent. deciſ.* 147. *ſub num.* 7. *verſ. Quia in dict. cap. par.* 13. *& in Viterbien. legitimæ* 1. *Julii* 1695. §. *Non obſtante verſic. eo quia coram R. P. D. Muto, ut in Particula, quæ datur in Calce num.* 4. & alibi paſſim; Prout præcipuè favore eorumdem fuit conditum Statutum Florentinum, de quo agitur, ut in eo legere eſt, & teſtantur Ger. Spin. *conſil.* 70. *num.* 20. *circa fin.* Altograd. *conſil.* 82. *ſub num.* 17. *& 23. lib.* 1. Gobb. *conſultat. deciſ.* 84. *ſub num.* 1. *& 10.* Ut propterea videatur etiam certum, eadem ita eſſe interpretanda, ut non redundent in eorum damnum, & odium, prout planè eſſet, ſi fœminæ non connumerarentur in numero filiorum pro ſtatuenda quantitate portionis legitimæ, dum alias vigore talium ſtatutorum maſculi, propter excluſionem fœminarum, minus ex illorum diſpoſitione conſequerentur, quam de jure communi, eiſdem vocatis, conſequi poſſent, & Pater non cogeretur relinquere filiis pro legitima, niſi tertiam partem hereditatis, cum tamen de jure communi ſtante numero Quinario eorumdem, cogatur relinquere dimidiam, quod eſſet inconveniens, & abſurdum, atque proindè evitandum, ut præciſè animadvertunt Paul. de Caſtr. *conſil.* 52. *num.* 1. *lib.* 1. Corn. *conſil.* 197. *ſub num.* 1. *verſic. Pro quo etiam facit tom.* 1. Cephal. *conſil.* 245. *num.* 24. *&* 25. Alciat. *reſponſ.* 31. *ſub num.* 11. *verſic. Alias quod in favorem lib.* 9. Decian. *reſponſ.* 46. *num.* 25. *lib.* 3. Peregr. *conſ.* 107. *num.* 6. *&* 7. *vol.* 3. Michalor. *de fratrib. par.* 1. *cap.* 33. *ſub num.* 10. *verſ. & ita ſtatutum excluſivum*, Bellon. *de Iur. accreſcen. dict. cap.* 6. *quæſt.* 15. *num.* 31. Calvin. *de aquitat. lib.* 1. *cap.* 87. *num.* 46. Sadarin. *reſponſ.* 43. *nu.* 25. & ferè omnes alii ſuperius allegati.

Huc accedit, quod quoties Statuta excludunt fœminas, non eas ſimpliciter, & abſolutè excludunt, ſed dumtaxat ab inteſtati ſucceſſione, ut ſic in reliquis non ſit dicendæ excluſæ; Et propterea quoties non agitur de eo, quod velint ſuccedere, ſed ſolùm de calculanda maſculorum legitima, nulla adſit ratio ob quam in numero filiorum non ſint computandæ, cùm ipſæ, ex eo quod ſint Dotatę, & nuptę, non deſinant eſſe de liberis, quod ſolum conſideratur adhunc effectum calculandi legitimam, Cephal. *dict. conſ.* 245. *num.* 21. *&* 22. Craſſ. *recept. ſentent.* §. *legitima qu.* 7. *ſub num.* 4. §. *Aut vero in fin. verſic. Moventur Doctores*, Berlich. *practic. concluſ. p.* 3. *concluſ.* 12. *n.* 37. Caſp. Manz. *d. Tract. de legitim. quæſt.* 4. *num.* 42. repetito, ut adnotavimus, *in tract. de teſtament. valid. & invalid. tit.* 12. *quæſt.* 4. *num.* 42.

Præterea animadvertendum, quod non per hoc, quod fœminæ ſint à ſucceſſione inteſtata per ſtatutum excluſæ debent haberi ſimpliciter pro mortuis, aut non extantibus cum jus earum ſit translatum in fratres, & in perſona eorum conſervetur, licet quo ad propriam utilitatem cenſeantur mortuæ, & non extantes; Siquidem hujuſmodi ſtatuta duplicem vim habere intelliguntur, unam ex-

excluſivam reſpectu fœminarum, alteram verò incluſivam reſpectu maſculorum, & ſic dum illæ à ſucceſſione removentur, eorumdem maſculornm contemplatione, ipſis debetur portio, quæ alias eiſdem fœminis competere poſſet, Pariſ. *conſ.* 36. *num.* 29. *lib.* 2. Honded. *conſ.* 1. *num.* 73. *lib.* 2. Peregr. *conſ.* 106. *num.* 13. *lib.* 1. Minadoi. *conſil.* 2. *ſub num.* 4. *verſic. nec poteſt in iſto caſu*, Eugen. *conſ.* 35. *num.* 4. & 5. *lib.* 1. & *conſ.* 100. *num.* 35. *lib.* 2. Merlin. *de legitim. lib.* 1. *tit.* 4. *quæſt.* 3. *num.* 12. Bellon. *de Iur. accreſc. dict. cap.* 6. *quæſt.* 15. *num.* 49. *iunctis traditis antetec. cap.* 5. *quæſt.* 40. *num.* 1. & 4. Dexart. *deciſion. Sardin.* 69. *num.* 2. & *per tot.*

Quæ omnia confirmantur ex evidentiſſima alia ratione nempè quod qui vult finem, vult etiam medium neceſſarium ad finem conſequendum, aliter non eſſet velle efficaciter. Finis autem, quem volunt ſimilia ſtatuta, eſt favor maſculorum, ut diximus, Minimè autem conſequi poſſet talis finis niſi hoc caſu fœminæ dicerentur, aut fingeretur habere partem in legitima ad commodum maſculorum, licet verè ad ſui favorem non habeant, & propterea talis fictio ſit medium neceſſarium ad ipſum finem, ne alias reſultet contrarius effectus, & inducta in favorem maſculorum retorqueatur in eorum odium, ut ſic ſemper præſumenda ſit volita à ſtatuto ſimilis fictio, quantum eſt ad effectum de quo agitur, ut benè diſſerit Innocent. *de ſucceſſion. municipal. quæſt.* 31. *ſub numer.* 7. *verſic. cuius concluſio eſt.*

Hinc nullius ponderis videntur eſſe ea, quæ pro contraria ſententia adduci ſolent; Nam quantum ad id quod dicitur, fœminas à ſtatuto excluſas habendas eſſe, uti extraneas, ſive non extantes, & ſic tamquam quodammodò mortuas; Animadvertendum, quod poſſet procedere dumtaxat in caſu, quo ſtatutum illas excluderet ſimpliciter, & abſolutè nulla habita conſideratione alicujus perſonæ, utpotè ſi excluderet nuptas extra Territorium, aut quid ſimile, ex quo, aut maſculi volunt eorum portionem vindicare per jus accreſcendi, & non poſſunt, quia hoc jus tamquam individuum non poteſt habere locum pro parte, & pro parte non; aut vero volunt eam vindicare ex vi, & authoritate ſtatuti, & multò minus poſſunt, quia cum ſtatutum ſimpliciter loquatur, nec de maſculis faciat mentionem, conſequens eſt, ut non poſſit cenſeri ad eorum utilitatem, & commodum reſpexiſſe, & hoc modo eos quaſi incluſos tacitè vocaſſe, juxta ea, quæ benè diſſerit Bellon. *de Iur. accreſcend. ſapius allegat. capit.* 6. *quæſt.* 15. *num.* 53. *verſic. ſed hæc dicuntur, cum ſeqq.* At ſecus eſt, quando ſtatutum eas excludit propter maſculos, & favore agnationis, ut in caſu noſtro, quia tunc benè dicuntur extare, nec habentur ſimpliciter pro extraneis, ſeu non extantibus, aut mortuis, favore ipſorum maſculorum, ut declarando proſequitur, idem Bellon. *ibidem numer.* 56. ex Pariſ. *conſ.* 36. *n.* 28. & 29. *lib.* 2. Cephal. *conſ.* 243. *nu.* 41. & 47. *lib.* 2. & Honded. *conſ.* 1. *n.* 104. *lib.* 2. ac aliis ibi allegatis, ac ipſis addendi Petra *de fideicommiſſ. qu.* 15. *nu.* 144. *circa fin. verſ. & hoc niſi ſtatutum*, Tort. *ad ſtatut. Papiæ in Annotat. ad rubr.* 95. *in civilib. ſub nu.* 199. *verſ. ſecundo reſpondetur*, & *num.* 200. & Rota *in Romana legitimæ* 23. *Ianuarii* 1696. §. *In nihilo relevante, verſic. hinc ſequitur, coram R. P. Domino Molines, ut in Particula, quæ datur in calce numer.* 5.

Nec proindè valebit eadem opinio coadiuvari ex iis, quæ de filio Exhæredato, ſeu deportato, aut Religionem incapacem ingreſſo, fuerunt adducta; Siquidem Exhæredatus ob ſummam in parentes commiſſam ingratitudinem paternis bonis pœnitus indignus efficitur; Undè non immeritò juris fictione, pro mortuo habetur, deindè Deportatus, ſive Bannitus ob commiſſa flagitia omnibus legum beneficiis privatur, adeout civiliter, quoad juris effectus, non amplius vivere intelligatur, atque propterea legitimæ quantitas, ejuſque augumentum cum ex Jure Civili deſcendat, ex juris neceſſitate, quoad legitimæ conſtitutionem, in nulla amplius conſideratione haberi poterit, cum in computanda legitima liberi non naturaliter, ſed civiliter ſint accipiendi, Sicut nec poteſt in ulla conſideratione haberi filius Religionem incapacem ingreſſus, cum ex Profeſſione ſua, & Voto nihil habere poſſit in proprio, nec in communi, ii autem, quos lex incapaces vocat, pro verè mortuis habentur, nec proindè amplius in numero liberorum connumerantur, ut præ cæteris, latè demonſtrant Grivell. *deciſ. Dolan.* 34. *à num.* 50. *ad* 55. & Kellenbenh' *de Renunc. ſucceſſion. quæſt.* 37. *num.* 26. Quæ nunquam qoterunt verificarl de fœminis à ſtatuto excluſis propter maſculos, quia cum adhuc poſſint ſuccedere, ipſis maſculis beneficio ſimilis ſtatuti renunciantibus, vel aliter ſorores ad ſucceſſionem admittentibus, juxta notata per Bald. *in l. Maximum vitium* 4. *num.* 2. *C. de liber. præterit.* Brun. *de ſtatut. fœminar. excluſi. artic.* 10. *quæſt.* 2. & *artic.* 12. *num.* 114. & *art.* 14. *num.* 7. Peregrin. *conſ.* 107. *num.* 6. *lib.* 3. Marta *de ſucceſſion. legal. par.* 1. *quæſt.* 15. *ar.* 4. *ſub num.* 7. Rot. *Bononien. diverſ. dec.* 12. *ſub n.* 21. 22. & 23. Rotam Romanam coram Otthobon. *dec.* 173. *nu.* 24. & *in recent. deciſ.* 146. *nu.* 6. & *ſeqq. par.* 10. & *dec.* 499. *nu.* 13. *par.* 18. *tom.* 2. & *alibi paſſim*, Utique nullatenus eędem valebunt conſiderari pro non extantibus, & pro mortuis, nam qui ſemel eſt habitus pro mortuo, perpetuò ita durat, ut relictis pluribus ex ſuperius allegatis egregiè prę cæteris reſpondet Calvin. *de æquitat. dict. lib.* 1. *cap.* 87. *num.* 28. & *ſeqq.*

Quod eo facilius dicendum eſſet, admiſſis iis, quæ ſubtiliter, & ſcitè diſſerit doctiſſimus Bellon. *de Iur. accreſcen. in ſæpè alleg. cap.* 6. *q.* 15. *n.* 69. & 70. & *ſub nu.* 71. *verſ. aut verò quærimus*, quod nempè, etiamſi vigore ſimilium Statutorum dos non ſuccedat loco legitimæ, quamvis filiabus ſit ab illis reſervata, prout eſt in ſtatuto Florentino, id tamen intelligendum dumtaxat quoad titulum, itaut filiæ, quæ vi ſtatuti dotem habent, non poſſint dici habere legitimam, aut dotem jure legitimę, ſive ſuccedere quoad naturam, & jura legitimę, non autem quod ſit dijudicandum eamdem dotem ſuccedere loco legitimæ, quoad debitum, & neceſſitatem, quam habet pater, vigore ſtatui, eiſdem dotem relinquendi loco legitimæ, quam jure communi relinquere tenebatur, atque propterea in computatione quantitatis, quam pater filiabus pro legitima relinquere tenetur, perindè ſit habenda dos, ac ſi eſſet legitima, ſaltem ut filiæ ex hoc non ſint dicendæ extraneæ, ſive pro non extantibus, aut quaſi mortuis habendæ, ſed potius juris fictione vocatæ favore maſculorum, ut ipſę conſequantur id, quod ſupra dotem debuiſſet ad eaſdem jure legitimæ pertinere; Præſertim, cum adhoc, ut quis faciat partem, non requiratur tituli, ſeu juris identitas, ſed ſatis ſit, quod admittatur titulo, & jure etiam diverſo, ad tradita per Doctores *in l. huiuſmodi* 86. §. *ſi Titio*, & ſignanter per Bald. *verſ. Nota ergo*, Alexan. *ſub nu.* 1. & Jaſon. *nu.* 2. *ff. de legat.* 1.

Eoque fortius, ſi quodammodo à patre poſſunt apparere agnitæ, prout videtur eſſe in noſtra facti ſpecie, in qua Marchio Franciſcus Pater in ſuis ultimis, quas exaravit Teſtamentariis tabulis, filiabus, quamvis jam dotatis & nuptis, reliquit nedum particulare legatum, ſeu, ut ipſe loquutus fuit, *Vn Regalo di Ducati Cento di lire ſette per ciaſcheduna*; Sed quod magis eſt, poſtquam dixerat illas fuiſſe congruè dotatas, addidit: *Nelle quali doti in quanto faceſſe biſogno l'inſtituiſco in ogni miglior modo*. Nam licet per hæc, non ſit ita expeditum, An valeat dici, quod eædem tamquam vocatæ ſint dijudicandæ reaſſumere jura ſuitatis, non ſecus ac ſi à ſtatuto non eſſent excluſæ, & conſequenter, quod faciant partem in calculanda legitima, perindè ac facerent, ſi ſtatutum eas non privaret, prout præcipuè poſt Soccin. Caſtrenſ. Ruin. Alexandr. Pariſ. Decian. & Laderch. quos refert, aſſeruit Mart. Medic. *deciſ. Senenſ.* 7. *nu.* 8. & 9. junctis traditis per Rot. *inter diverſ. dec.* 266. *nu.* 3. & 4. *par.* 1. Merlin. *de legitim. lib.* 1. *tit.* 4. *q.* 3. *nu.* 26. & Torr. *de pact. futur. ſucceſſ. lib.* 2. *cap.* 47. *nu.* 43. dum alii contrarium ſenſerunt, ex quo teſtator cenſendus ſit ſe conformaſſe cum diſpoſitione ſtatuti præcipientis dotari filias, à ſucceſſione propter maſculos excluſas, & quod ſimul poſſit ſtare, quod fœminæ ſuccedant in legato particulari, & excludantur à ſucceſſione, niſi alias inſtitutio, aut relictum particulare ſint facta, ſive titulo legitimę, ſive eo caſu, quo illam filiæ petere poſſent, ut præ cæteris voluerunt, idem Merlin. *de legitim. lib.* 3. *tit.* 1. *qu.* 8. *nu.* 55. Redenaſch. *conſ.* 5. *nu.* 11. & *ſeqq.* Innocent. *de ſucceſſ. municipal. q.* 29. *ſub num.* 5. *verſ. Primus caſus eſt*, Rota *poſt* Fenzon. *ad Statut. Vrb. dec.* 113. §. *Neque hæc voluntas*, repetita poſt Michalor. *de fratrib. dec.* 32. *num.* 10. & 11. Attamen ſemper verum erit dicere ex his, illas ex Teſtatoris judicio non fuiſſe habitas uti extraneas, & pro non extantibus, ſive mortuis, ſicuti ex juris præſcripto habentur alii incapaces, ſed potius ab eodem

dem fuiſſe agnitas, & quodammodo tamquam ſuas, & extantes reputatas, ſaltem adhoc, quod in numero liberorum ſint computandæ ad faciendum numerum, & partem favore maſculorum, non obſtante Statutaria diſpoſitione, tam ex vulgata juris regula, qua dicitur, favore eſſe ampliandos, odia verò reſtringenda, de qua in *l. quod favore C. de legib.* à Doctoribus ſupra recenſitis paſſim expenſa, & ſignanter ad rem per Tort. *ad ſtatut. Papiæ, in Annot. ad Rubr. 95. num. 202. circa fin.* & Calvin. *de æquitat. d. lib. 1. cap. 87. num. 46.* Quam etiam ex eo, quod cum Teſtatori iſto caſu, nulla ſubeſſet filias inſtituendi neceſſitas: cum jam à ſtatuto fuiſſet ſublata, illumque ab hujuſmodi neceſſitate exemiſſet, utique illas ita inſtituendo, cenſendum eſt à ſtatutaria diſpoſitione receſſiſſe, & ad jus commune reſpexiſſe, ſecundum quod non minus filias fœminas, quàm maſculos pater in legitima inſtituere tenetur, quemadmodum benè, & ingeniosè ponderat Bellon. *in loco mox alleg. num. 84. & trib. ſeqq. ubi ſub num. 91. verſ. nam ſecundum eam*, non obſcurè dicit, id ſine controverſia procedere ad coadiuvandam opinionem, quod fœminæ quamvis à ſtatuto excluſæ, ſi excluſo ſit facta contemplatione maſculorum, faciant numerum & partem ad ipſorum favorem.

Quapropter comprobata, & ab objectis vindicata hujuſmodi receptiſſima ſententia, qua aſſeritur fœminas, quamvis à ſtatuto excluſas, connumerandas eſſe ad faciendum numerum, & partem pro augenda legitima favore maſculorum, quoties de eorum commodo agitur, ac ipſis maſculis ita expedire videtur: Nullatenus diffidendum credimus, ſapientiſſimos, & integerrimos DD. Judices Florentinos eam eſſe ſequuturos, maximè in iſta facti ſpecie, ſi fortè contingat in eorum foro, & tribunalibus diſputari: Minimè attentis iis, quæ pro ſententia contraria alias fuerunt motivata, & approbata in Inſigni eorum Rota, præcipuè dum teſtantur eamdem opinionem contrariam eſſe in eorum Prætorio receptam, quia cum priora motiva ſuper quibus fundatur aſſerta obſervantia illius Tribunalis emanaverint ante ſæculum currentem, & tempore quo reſolutio hujus quæſtionis erat ardua, & difficilis, atque ita involuta, ut Judices crediderint, pro lubitu poſſe in quam partem maluerint inclinare, ut in principio adnotavimus, & ultra ibi allegatos præcisè ſcribendo ſuper Statuto Florentino, de quo agitur, dixerant Joannes Baptiſta de Caccialupis, & Bartholomæus Soccinus *conſ. 150. numer. 3. verſ. Omittendo lib. 1.* Utique cum hodiè attenta diſtinctione ſpecierum, manifeſtum ſit redditum, opinionem affirmativam eſſe veriorem, & crebriori Doctorum calculo receptam, validioribuſque rationibus fultam, ita ut ab eo tempore ferè omnes ſecundum eam reſponderint, & Suprema Tribunalia judicaverint, ut fuit oſtenſum, haud dubiè ſperandum eamdem ſequuturam etiam ipſam Rotam Florentinam, non obſtantibus alias motivatis, quia cum dicta motiva non ſint Principis mandatum, non impediunt quin cognita veritate poſſit eadem Rota contrariam ſententiam amplecti, & quidem majori ſecuritate, quàm de ſuo Senatu Pedemontano ſpes fuerat Bellon. *de Iur. accreſcen. d. cap. 6. quæſt. 15. ſub num. 75. verſ. nec eſt contrarium*, quod ob id eſſet receſſurus ab eo, quod in re hac in contrarium firmaverat, & in poſterum ſervandum eſſe decreverat apud Theſaur. *dec. 159. nu. 8. & per tot.* cum Rota Florentina de ſeipſa glorietur, quod Exemplis non judicat, & Statuta interpretatur juxta juris tramites, ut refert Matth. Neron. *in Promptuar. Elench. Motivor. ſelect. eiuſdem Rotæ in verb. Rota Florentina verſ. Exemplis, fol. 165. ad fin.*

Idque prorſus, cum motiva, quæ fuerunt nobis communicata, non videantur eſſe tanti ponderis, ut Doctiſſimi, & Religioſiſſimi Auditores, qui ad præſens in eadem Rota jus reddunt, opinionem in illis potius aſſertam, quam probatam, ſola eorum authoritate ſint amplexuri. Nam motivum editum de Anno . . regiſtratum *lib. 4. fol. 28.* non percutit caſum noſtrum, cum fuerit editum in caſu, in quo fœminæ ſimpliciter excluſæ, prætendebant connumerari ad augendam legitimam ad ſui favorem, & illius portionem minuere maſculis, & ſic non ſolùm ut facerent numerum & partem, ſed etiam quod admitterentur ad partem, in quo quidem caſu benè fuit reſponſum non facere partem, cum nulla eis debeatur pars, nec aliud quod ſuccedat loco partis, ut etiã nos admiſimus ſupra in §. *Alter verò eſt Caſus.*

Aliud verò motivum editum de Anno 1533. recenſitum *lib. 8. fol. 318. à terg.* licet dicat eo caſu legitimam fuiſſe deducendam, attento dumtaxat numero filiorum maſculorum, & quod filia quæ excluditur à ſtatuto non faciat partem fratribus ſuis, aſſerendo hanc eſſe communem opinionem; Animadvertendum, quod omnes Doctores, pro ibi dictis comprobandis allegati, loquuntur in terminis de quibus mox dicimus; quando nempè fœminæ concurrere prætendunt ad diminuendam legitimam filiorum, & ſibi ipſis commodum augendum, & ſignanter Bald. Angel. & Ripa *in l. Papinianus §. Vnde ſi quis ff. de inofficioſ. Teſtament.* & Imola *in l. planè §. ſi duobus ff. de legat. 1.* in illo primo loco recenſiti, ut apud eoſdem videre eſt: Idem verò Angel. adductus *in conſ. 105.* nihil ad propoſitum tradit, & *in conſ. 300.* firmat, quod quando dos ſuccedit loco legitimæ, prout ex ſtatuto Cortonæ ibi erat caſus, filiæ faciunt numerum favore maſculorum, addens id fortius procedere, quando agitur de eorumdem maſculorum commodo, Decius *conſ. 383. nu. 5.* Soccin. Sen. *conſ. 153. num. 12. lib. 2.* & Corn. *conſ. 40. & conſ. 199.* ibidem additi, pariter ſcripſerunt in terminis filiarum concurrentium ad diminutionem legitimæ maſculorum, vel ad proprium commodum, vel ad ipſarum admiſſionem ad illius partem. Præterea eorum dicta jam fuerunt perpenſa, & rejecta per Bellon. *de Iur. accreſcen. in ſæpius allegat. cap. 6. qu. 15.* Angel. enim & Corn. adducuntur *ſub num. 20.* & contra ipſos tenet *numer. 30. & ſeqq. & numer. 66. cum ſeqq.* & Soccin. Senior. & Decius adducuntur ſub numer. 76. & contra ipſos tenet *numero 79.*

Tertium pariter motivum editum de Anno 1597. quod legitur *lib. 80. fol. 301. à terg.* nititur authoritati eorumdem Doctorum in præcedenti relatorum, loquentium in terminis augendi legitimam ad commodum ipſarum fœminarum, & additur ſolum Pariſ. *conſ. 36. num. 28. lib. 2.* qui imò contrariam ſententiam firmat maſculis faventem, & proinde inter alios ejuſdem opinionis fuit per nos additus, & ſolum *dictis numeris 28. & 29.* diſtinguit inter caſum quo fœminæ excluduntur à ſucceſſione ſimpliciter, & nullius contemplatione, & inter caſum, quo excluduntur contemplatione aliquarum perſonarum, utpotè agnatorum, vel maſculorum, dicens in hoc ſecundo caſu, qui eſt caſus noſter, quod tunc, cum Statutum duo faciat, unum ſcilicet excludendo fœminas nuptas, ſeu dotatas, aliud vocando maſculos, fœminæ faciunt partem ad commodum maſculorum, nec habentur pro non extantibus, aut pro mortuis, ut jam advertimus ſupra in §. *Hinc nullius ponderis*, & ultra ibi allegatos benè tradit Brun. *Tract. de Statut. fœminar. excluſ. art. 13. ſub num. 44.* ac ipſo Pariſio ad id adducto Eugen. *conſ. 100. ſub num. 35. verſ. Quicquid ſecus eſſet lib. 2.* Et in iſtis terminis loquitur pariter Craſſ. *in §. legitima quæſt. 7. num. 5.* ibidem additus; nam licet ſolùm dicat, quod filia ſimpliciter excluſa habetur pro mortua, allegando Pariſ. mox recenſitum, juxta terminos, in quibus ipſe loquitur, eſt intelligendus.

Eademque reſponſione evitantur ea, quę leguntur in quarto motivo edito de anno 1599. quod habetur *lib. 82. fol. 16. à terg.* cum fundentur in auctoritatibus Decii, Pariſii, & Craſſi, in ſuperioribus jam animadverſis.

Quintum autem Motivum editum de Anno 1602. quod extat *lib. 84. fol. 446.* licet addat nonnullos alios Doctores in prioribus non adductos, tamen in eiſdem terminis, in quibus Superiores loquuntur; Siquidem Cæphal. *conſil. 571. num. 42.* & Surd. *de Aliment. tit. 3. quæſt. 1. num. 45.* de hoc agunt ad effectum videndi, an ſit augenda Legitima ad favorem, & commodum ipſarum Fœminarum, & in præjudicium Maſculorum, & in eiſdem terminis loquitur Rolland. à Valle *conſil. 25. num. 6. & 7. lib. 1.* ut videre eſt ex principio ejuſdem Conſilii *verſic. 2. Quanta ſit portio, & ſub num. 1. verſic. Circa ſecundum Caput:* Gabriel. *verò de Legitim. concluſ. 2. num. 3.* licet referat opinionem contrariam, attamen *num. 2.* retulit opinionem favorabilem Maſculis, & tandem *num. 8.* concludit diſtinguendo, quod aut redundat in commodum Maſculorum, quod Fœminæ computentur, tunc eas eſſe computandas, ſi verò in eorum incommodum, & tunc non deberi computari. Denique Pancirol. *conſil. 1. num. 102.* & Menoch. *conſil. 401. num. 142. & ſeqq.* qui in eadem Cauſa ſcripſerunt, ſunt intelligendi, quando id non expedit Maſculis, & Menochius fuerat adductus per Bellon. *ſæpius allegat. quæſt. 15. num. 76.*

&

& contra ipſum ſenſit *num.* 79. junctis traditis antecedenti *num.* 66. *& ſeqq.* Imò idem Menochius, nec non Pancirolus tamquam Judices Compromiſſarii contrarium judicarunt in Civitate Patavina, quod nempè Fœminæ hoc caſu faciant numerum, & partem, quoties agitur de illis connumerandis favore Maſculorum, ut jam ſuperiùs retulimus ex Peregrin. *de Fideicommiſſ. art.* 38. *ſub num.* 24. *verſic. Quocirca.*

Ultimum denique Motivum incip. *Cum itaque tempore mortis Dominæ Conſtantiæ &c.* Unicè ſe fundat in eo, quod ita tenet illa Rota allegans Motiva ſuperius Tertio, & Quinto loco adducta, ut ſic ex reſponſionibus eiſdem datis ſatis evitetur: Et propterea ſemper verùm ſit dicere quod Rota Florentina tunc reſedit in ea opinione, ex quo materia erat adhuc involuta, allegando confusè Doctores, non diſtinctis Caſibus, in quibus eorum dicta verificari, & procedere poſſunt, prout poſt modum fuit obſervatum, & hodie eſt receptum.

His autem poſitis, atque ex eiſdem firmo remanente, quod portio legitimę, ex quam ſuam quotam detrahere poterit D. Marchio Franciſcus Silvius ſit dicenda Semis, hoc eſt dimidia pars hæreditatis, quatenus velit, & ſibi expedire dijudicet, ſorores eſſe computandas ad faciendum numerum, & partem ad ſuis favorem, Nullatenus in hoc poterit impediri à Marchione Fabio Fratre, quatenus recuſet, quod eædem numerentur ad augendam legitimam de Triente ad Semiſſem, quia cum ipſe Marchio Franciſcus Silvius habeat pro ſe regulam fundatam in diſpoſitione juris de Triente, & Semiſſe, & authoritate ſtatuti, ſecundum veriorem opinionem ſuperius firmatam, poſſit eligere, quod ſibi utilius eſſe crediderit; Marchio Fabius non poteſt hanc juris diſpoſitionem in ejus præjudicium immutare, ut præcisè fuit reſolutum à Rota *in Recentior. deciſ.* 137. *numer.* 14. *in fin. verſic. Non obſtat, & num.* 15. *& deciſion.* 160. *numer.* 22. *& ſeqq. par.* 6. quarum prior eſt repetita poſt Farinacc. *Repertor. ultimar. voluntat. dec.* 39. *nu.* 15.

Et quamvis Cardinalis de Luca, occaſione ſimilis controverſiæ alias ortæ inter fratres de Acciaiolis, & per concordiam terminatæ, exiſtimans Deciſiones mox relatas non percutere caſum de quo agitur, contrarium videatur ſenſiſſe *diſcurſ.* 2. *de legitim.* potiſſimum ex iis, quæ tradidit num. 8. & 9. quod nempè, cum ſtante ſtatuto ſimpliciter fœminas excludente, eædem reputentur uti extraneæ, maximè quoties dos ab eodem reſervata non ſuccedit loco legitimæ, regula videatur eſſe, quod illæ non numerentur ad faciendum numerum, & partem in legitima, & concluſionem, qua aſſeritur eſſe in facultate, atque electione maſculorum illas numerare, continere potius limitationem, ideoq; in concurſu duorum jus coæquale habentium, quorú unus inſiſtat Regulæ, alter verò inſiſtat limitationi, melior eſſe debeat conditio habentis pro ſe regulam, juxta quam in dubio eſt judicandum, addendo ulterius, quod ſtante hoc jure coęquali, quod filii maſculi habent in hac ſtatutaria exclusione, videtur intrare Regula Sociorum, inter quos in re communi potius eſt jus prohibentis, de qua in *l. Sabinus* 8. *ff. Commun. dividun. & in cap. in re communi: de regul. iur. in* 6.

Attamen hæc non videntur eſſe talis ponderis, ut à firmatis per Rotam in allegatis deciſionibus ſit diſcedendum, quæ non ſunt extraneæ à caſu præſenti, ut inadvertenter ipſe ſuppoſuit, cum imò expreſsè, & litteraliter illum decidant, ut eas legenti patens eſſe poteſt; Siquidem ita abſolutè aſſerere Regulam eſſe, quod fœminæ non numerentur, quando Statutum illas ſimpliciter excludit, nec dos illis reſervata ſuccedit loco legitimæ, continet apertiſſimum errorem, cum id magis Brocardicum, quam regula videatur dicendum, dum ut ſuperius diſſervimus, & latè dimonſtravimus, ideſt valdè perplexum, magnamque ſemper recepit diſputationem, nec aliter verum eſſe poteſt, quam reſpectu ipſarum fœminarum, ut nequeant facere partem ad ſui favorem, vel quoties ſtatutum illas excludit, nulla alterius habita conſideratione, non autem quoties eaſdem excludit favore maſculorum, ac ipſis expedit, quod faciant numerum, juxta veriorem, & magis receptam Doctorum, & Tribunalium ſententiam, quod proindè potius pro regula conſtitui poſſet, quam primum, cum in Brocardicis explicandis ea ſit ratio, quod licet primum, velut generale videatur aſſignari, tamen ejus contrarium pro regula tenendum, ut docet Azo *in ſuis Brocardic. Rubr.* 1. *in explic. Brocardic. Quod cæptum &c. fol. mihi* 9. & ſic alia regula certa in hoc nequeat allegari, quam illa de Triente, & Semiſſe, uti ex juris diſpoſitione elicita, prout ſervavit Rota in priori ex dictis Deciſionibus, nempè *deciſ.* 137. *nu.* 15. *eadem par.* 6. *rec.* cum ex jure fiat regula, non autem ex regula fiat jus *l.* 1. *ubi DD. ff. de Regul. iur.* Ludovic. Bellus *conſ.* 165. *num.* 9. hincque retorqueatur diſcurſus, quod melior debeat eſſe conditio illius fratris, qui habet Regulam pro ſe.

Sicuti etiam eſt erroneum dicere, quod filii maſculi, tamquam habentes coæquale jus in hac ſtatutaria excluſione, illudque in communi poſſidentes dici poſſunt Socii, & ſic intret alia regula de re communi, in qua potior eſt conditio prohibentis; Quia benè verum eſſe valet, quod ipſi dici poſſint habere jus coæquale in excluſione Statutaria fœminarum ad effectum eaſdem fœminas repellendi ab omnibus juribus, quæ ea non extante eiſdem competere poſſent, & quod ad dictum effectum ſimilia jura in eoſdem translata, quodammodo in communi ab ipſis poſſideri dicantur, non tamen quod in eiſdem Juribus poſſint ipſi filii maſculi ſib invicem præjudicare, & iniqua conditio inferri, & unius factum alteri in ſuo jure, & portione nocere, contra Regulas expenſas per Doctores *in l. non debet* 74. *ff. de regul. iur. & in l. unic. C. quando non peten. par.* & aliis cumulatis per Berlich. *deciſ.* 52. *num.* 2. *par.* 1. Et ſic nec minus quod in re hac potior debeat eſſe conditio prohibentis, cum imò prævalere debeat Votum illius, qui habet Regulam pro ſe, atque ei magis favendum, ut præfata regula de re communi neglecta, licet in objectis deducta, benè reſpondit Rota in poſteriori ex dictis Deciſionibus, nempè *deciſion.* 160. *numer.* 23. & 24. *allegat. par.* 6. *recent.*

Cæterum Cardinalis de Luca, ſi benè perpendatur, in eo diſcurſu videtur potius favere, quam adverſari noſtræ ſententiæ, & præſertim in facti ſpecie, in qua verſamur, Animadvertendo ex narratione facti ibidem num. 1. recenſita, quod in ſuo caſu erant novem filii, nempe tres maſculi, & ſex fœminę, quæ ſi debuiſſent computari, utique legitima fuiſſet Semis, ſed in novem portiones dividenda, ſi verò non eſſent computandæ, fuiſſet Triens, & ſic maſculo contendenti eas numerari id expediebat, cum ita integram unciam obtinuiſſet, & è converſo, permittendo eaſdem computari, non habuiſſet niſi duas ex tribus partibus unciæ; Et ulterius alteri fratri, qui illas numerari proponebat id intererat, tamquam hæredi univerſali, quamvis onere fideicommiſſi gravati, ut portiones fœminarum cederent commodo hęreditatis, & fideicommiſſi; Unde proſequendo in referendis rationibus, quę fratri contendenti ſibi aſſiſtere videbantur num. 10. & 11. dicit, quod ad effectum de quo agitur filii maſculi ſunt conſiderandi uti filii, ac pro eo jure, quod ipſis competit ratione qualitatis filialis, & propterea ſicuti tales privilegium habent eligendi, quod ipſis magis expedit, in concurſu prevalere debet Votum illius filii, ſeu Socii in jure filiationis, qui communem Socialis negotii utilitatem proponit, non autem alterius, qui repræſentando duplicem perſonam filii, & hæredis, pro intereſſe particulari hæreditatis, & fideicommiſſi, prætendit eligere, quod ſibi ſolum uti hæredi expedit, communi autem negocio, ratione qualitatis filialis nocet, addita Regula, quod nulla eſt incompatibilitas, quod in negotio Sociali detur actio, & paſſio in eodem ſubjecto, quam etiam antea tradiderat *de Credit. diſc.* 11. *num.* 8. atque ex eo deſumpſerat Carol. Anton. de Luca *de pluralitat. Homin. legal. cap.* 8. *num.* 5. lateque exornat R. P. D. Anſald. *de Commerc. & Mercatur. diſcurſ.* 46. *num.* 45. Unde idem Cardin. de Luca hanc quæſtionem reaſſumens, & paucis abſolvens *in Summ. eiuſdem titul. de legitim. & detract. cap.* 2. *ſub num.* 21. *verſic. Eis vero diſcordantibus*, poſtquam antecedenter dixerat fœminas facere, & non facere numerum prout maſculis excludentibus magis expedit, idque procedere, quatenus ipſi in una, vel altera electione concordent, poſtea ſubdit: Eis vero diſcordantibus potior eſt conditio eorum, qui eligunt id, quod magis utile filiis, uti filiis, neglecto ſenſu eorum, qui hæreditario potius quam filiali nomine, vel jure, contrarium putant. Quæ omnia apprimè favent huc uſque per nos dictis, quod nempè in caſu iſto Marchio Franciſcus Silvius ratione filiationis, & maſculinitatis ſi velit, atque ſibi expedire di-

judi-

judicet, poſſit facere, quod portio legitimæ de Triente perducatur ad Semiſſem, connumerando fœminas ad faciendum numerum, & partem, ut ſibi pars augeatur, abſque eo quod valeat impediri à Marchione Fabio Fratre, quatenus id contendere velit, dum alias eidem Marchioni Fabio, contrarium dumtaxat eſſet proficuum, ratione privati intereſſe hæreditatis, & fidecommiſſi, ut pinguiora eſſent remanſura, quod minimè videtur permittendum, quia ſimilia ſtatuta excluſiva fœminarum nolunt favere hæredi ratione juris hæreditarii, vel hereditati, ſed volunt favere maſculis ratione agnationis, Ratione verò maſculinitatis quis poſſit ſibi ipſi quaſi repudians præjudicare non autem aliis maſculis in quota legitimæ ex diſpoſitione juris ſibi debitæ, ut benè in præciſis terminis differit Rodulphin. *allegat.* 130. *num.* 4. *&* 5. *& allegat.* 131. *num.* 3. *&* 4. & conferunt Curt. Jun. *conſil.* 268. *nu.* 52. *verſ. nec præmiſſa concluſioni to.* 3. & Rovit. *conſ.* 70. *nu.* 4. *lib.* 1.

Ad quorum confirmationem facit optimus Textus *in l. Actione* 65. *ſeu* 66. *poſt med. ff. pro Socio* in quo ex Labeonis, & Proculi ſententia, Paulus ita reſpondit: *Labeo autem poſteriorum libris ſcripſit: Si renunciaverit Societati unus ex Sociis eo tempore, quo interfuit Socii; non dirimi ſocietatem, committere eum in pro Socio actionem. Nam ſi emimus mancipia inita Societate, deindè renuncies mihi eo tempore, quo vendere mancipia non expedit, hoc caſu quia deteriorem cauſam meam facis, teneri te pro Socio iudicio. Proculus hoc ita verũ eſſe ait, ſi Societatis interſit, non dirimi Societatem, ſemper enim non id, quod privatim intereſt unius ex Sociis ſervari ſolet, ſed quod Societati expedit.* Ut ſic eodem modo ſi interſit uni ex fratribus, tamquam Sociis in jure filiationis, & maſculinitatis, quod legitima de Triente perducatur ad Semiſſem, nequeat ab altero fratre illius conditio deterior fieri, maximè ſi iſte, ratione privatæ utilitatis ſuo juri renunciare velit, ideoque attendendum ſit Votum illius, qui id, quod communi negocio, vigore ejuſdem filiationis, & maſculinitatis, utile eſt, proponit, quinimò dicendum eidem adhoc in fratrem actionem competere.

Addi etiam poteſt, quod quemadmodum eſt certum, quod filij debent conſequi legitimam in bonis parentum, etiam contra eorum voluntatem, & ipſis invitis, neque Parentes ullum quoad illius portionem valent filiis præjudicium inferre, ut per text. & DD. *in cap. Raynutius*, §. *Dilectus filius de teſtam.* benè dicit Cephal. *conſ.* 412. *num.* 22. *&* 23. *tom.* 3. imò nequeunt inæqualiter eiſdem illam relinquere, quamvis in cæteris libertatem habeant, cum omnes ſint filii, & inæqualitas non detur in lucro legis, ad benè tradita per Marc. Mantua. *in tract. quanta ſit legitima filior.* §. *Nota quinto, impreſſ. inter tractat. magn. tom.* 8. *par.* 1. *fol.* 442. *col.* 2. Ita multo magis videatur uti certum aſſerendum, non eſſe permiſſum ipſis filiis aliquid facere, per quod in legitima unus alteri præjudicium inferat, & inæqualitas inter ipſos ſequatur, prout planè eſſet, ſi unus ex illis tamquam hæres univerſalis, de ſubſtantia patris ex ipſius judicio plus conſequens, quam ex providentia legis eſſet percepturus, factu ſuo vellet impedire, quin frater conſequi poſſet id, quod ſibi æqualiter cum eo tamquam filiis, ex juris diſpoſitione, eſt tribuendum, atque ſic ille, in cujus præjudicium talis inæqualitas ſequeretur, benè valeat agere meliori modo quo poteſt, ut ſibi æquale jus tribuatur, ut in ſimili benè tradit Curt. Jun. *conſil.* 269. *ſub num.* 27. *verſ. Ex præmiſſis concluſionibus, & num.* 28. *lib.* 3. nec non quod ad ſui favorem omnis ſit facienda interprætatio, cum talis præjudicii evitandi, & æqualitatis ſervandæ cauſa inter filios, recedatur etiam à communibus regulis, & à propria verborũ ſignificatione, juxta ea, quę ex *l. penult. in fin. C. comm. divid. l. fin. C. comm. utriuſq; Judic. l. ut liberis, l. illud, & toto tit. C. de Collation.* & aliis Juribus, tradunt unanimiter DD. cumulati per Curt. Jun. *ubi mox nu.* 21. *&* 23. Ramon. *conſil.* 66. *nu.* 19. *& ſeqq.* Cirocc. *diſceptat.* 74. *nu.* 14. Bonden. *Colluct. legal.* 3. *nu.* 74. *cum duob. ſeqq. tom.* 1. Rota *in recent. dec.* 34. *n.* 4. *cum ſeqq. par.* 19. maximè reſpectu legitimæ, ratione cujus æqualitatem eſſe ſervandam inter filios, ex juris neceſſitate provenire dicitur, quamvis ſuaſione in reliquis lex ad id intendat, ut latè proſequitur idem Bonden. *ibid. à nu.* 77. *ad* 80.

Et ita juris eſſe cenſeo ſalvo ſemper &c.

MARCELLUS SEVEROLUS
Signaturæ Juſtitiæ Votans &c.

Magna cum doctrina, & eruditione R. P. D. meus Severolus reſolvit quæſtiones in hac conſultatione examinatas, & rationibus, & authoritatibus plurimis reſolutionem comprobat, unde tamquam veriorem ſequendam cenſeo.

FRANCISCUS LIBERATUS
Archiepiſcopus Epheſinus, & Signaturæ Gratiæ, & Juſtitiæ Votantium Decanus.

Non minus doctè, quam luculenter R. P. D. meo Severolus examinat materiam in ſuperiori Conſultatione deductam, & eius opinionem ſequendam cenſeo.

FRANCISCUS CAFFARELLUS
Signaturæ Gratiæ, & Juſtitiæ Votans, & Sac. Congregationis Sgraviorum, & de Bono Regim. Secret.

An, & quando inter pensiones, & beneficia intret æquiparatio, atque à dispositis in beneficiis arguere liceat ad pensiones, & è contra. fol. 40.

INDULTA VARIA

Transferendi, & retinendi Pensiones Ecclesiasticas.

1 PRo Eminentissimis D. D. S. R. E. Cardinalibus? fol. 42.
2 Pro Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in Capella Sanctitatis Suę assistentibus? fol. 43.
3 Pro Protonotariis Apostolicis. fol. 44.
4 Pro Abbreviatoribus Majoris Presidentię, ibid.
5 Pro Nonnullis Familiaribus SS. D. N. P. ibid.
6 Pro Conclavistis. fol. 45.
7 Pro Dapiferis, ibid.
8 Pro Militibus SS. Mauritii, & Lazari. fol. 46.
9 Pro Militibus S. Stephani, ibid.
10 Pro Militibus Lauretanis, ibid.

SAN-

SANCTISSIMI D. N. INNOCENTII
Divina Providentia PP. XI.

CONSTITUTIO

Ut nemini liceat penſiones, vel fructus Eccleſiaſticos transferre, ultra illorum medietatem.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Proœmiũ. CIrcumſpecta Sedis Apoſtolicæ providentia Chriſti fidelium commodis jugiter invigilans, ea, quæ aliàs pro Eccleſiarum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum exoneratione optimo quidem conſtituta fuere conſilio, ſi optatus inde effectus minimè proveniat, ſed gravia potiùs exoriantur incommoda, in meliùs commutare, atque reformare ſtudet, ſicuti magiſtra rerum experientia faciendum ſuadet, ac æqui, bonique ratio, necnon Eccleſiarum, & beneficiorum ipſorum utilitas, & Chriſti fidelium pax, & tranquilitas noſcuntur poſtulare.

§. II. Narrativa conſtitutionis Urbani VIII. Cùm itaque dudum ſel. rec. Urbanus PP. VIII. prædeceſſor noſter omnes, & ſingulas facultates, indulta, & privilegia transferendi quaſcumque penſiones annuas ſuper Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, & Abbatialium menſarum, & quorumvis Eccleſiaſticorum, tam ſæcularium, quàm regularium beneficiorum, quomodocumque qualificatorum, fructibus, tam certis, quàm incertis, ac etiam diſtributionibus quotidianis reſervatas, quæ tamen per exactionem integrarum penſionum hujuſmodi, ab ipſis translatariis factam, realem, & actualem effectum ſortita non eſſent, pro ſumma, quæ medietatem veri annui valoris fructuum menſæ, ſeu beneficii, ſuper quibus penſio transferenda, ſeu translata reſervata reperiretur, excederet, quibuſvis perſonis, etiam Abbatiali, Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, vel alia quavis dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ſive etiam ad favorem quorumcumque locorum piorum, & Collegiorum, quovis intuitu, & conſideratione, etiam motu proprio, ac ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, tam per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, quàm ipſum Urbanum prædeceſſorem conceſſa eatenùs, revocaverit, caſſaverit, & annullaverit, ac viribus, & effectu evacuaverit, ita tamen, ut facultates transferendi penſiones hujuſmodi pro ea parte, quæ medietatem fructuum, etiam incertorum, vel diſtributionum, quatenùs ſuper illis eſſent impoſitæ, non excederet, firmæ, & illeſæ remanerent: Et inſuper voluerit, & ordinaverit, eos, qui prætextu exceſſus medietatis fructuum, ſeu diſtributionum, hujuſmodi partem penſionum translatarum ſolvere recuſarent, ad exceſſum ipſum probandum teneri, nec interim iſtius diſpoſitionis prætextu proceſſum executivum, aut ſolutionem integræ penſionis, quatenùs aliàs illis locus eſſet, impediri, aut retardari debere, & aliàs, prout in ejuſdem Urbani prædeceſſoris Conſtitutione deſuper edita, & in Cancellaria Apoſtolica anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XXIV. die xxiv. Januarii publicata, cujus tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius continetur.

§. III. Motivum Conſtitutionis. Verùm quotidiano experimento compertum ſit, prænarratam Conſtitutionis hujuſmodi diſpoſitionem Eccleſiis, & beneficiis, penſionum hujuſmodi onere gravatis, illaſque obtinentibus, qui exceſſum medietatis fructuum iiſdem penſionibus gravatorum probare, & intereà donec rei judicatæ effectum deſuper obtinuerint, penſiones ipſas ſolvere tenentur, parum eſſe proficuam, & è converſo tam

Card. de Luca de Statut. Succeſſ.

transferentibus, quàm translatariis pensionum hujusmodi non modicum adferre incommodum; illis quidem quod propter ignorantiam tùm veri valoris annui fructuum, & distributionum; tùm quantitatis aliarum pensionum desuper reservatarum, frequentissimè, ac ferè semper dubii sint, & incerti, quas pensiones transferre possint; his verò quòd lites super pensionibus in eos translatis, quas Ecclesiarum, & beneficiorum hujusmodi possessores, sub prætextu excessus prædicti impugnant, sustinere, & prosequi cogantur: itaut ejusmodi litibus discutiendis, & decidendis Tribunalia assiduè fatigentur, partes verò erumnosis dispendiis prægraventur.

Pars dispositiva.

§. IV. Hinc est quòd nos litibus, & dispendiis hujusmodi ansam præcidere, ac tam Ecclesiarum, & beneficiorum prædictorum exonerationi, quàm illas, & illa obtinentium, necnon eorum, quibus ejusmodi facultates transferendi pensiones in hac S. Sede concessæ sunt, & in posterum concedentur, ac illorum, in quos pensiones ipsæ transferentur, commoditati, securitati, & indemnitati, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, ac quorumcumque privilegiorum, indultorum, & facultatum transferendi pensiones hujusmodi, seu illarum loco fructus, redditus, & proventus ecclesiasticos reservatos, & reservandos, quibusvis personis, cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existentibus, etiam Cardinalatus honere fulgentibus, seu aliàs specifica & individua mentione, & expressione dignis, etiam motu proprio, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac cum quibusvis clausulis, derogationibus, & decretis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam per Nos, & Sedem prædictam hactenus quomodolibet concessorum, litterarumque Apostolicarum, tam sub plumbo, quàm in simili forma Brevis, Cedularum motus proprii desuper expeditarum, & Chirographorum cujusvis Romani Pontificis manu subscriptorum tenores, etiam veriores, & datas, aliaque omnia, & singula, etiam specialem, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pariter pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis, exactissimè, & accuratissimè specificatis habentes; Motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut de cætero omnes, & singuli, etiam S. R. E. Cardinales, seu quavis alia præeminentia, & dignitate prædicti, & aliàs quomodolibet qualificati, seu specificam, & individuam mentionem requirentes, quibus ejusmodi indulta, privilegia, & facultates transferendi pensiones annuas super fructibus, & redditibus, & proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis undecumque provenientibus, & in quibuscumque rebus consistentibus, ac distributionibus, etiam quotidianis, & manualibus, Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Abbatialium, aliarumque mensarum, ac dignitatum, etiam majorum, & principalium, personatuum, officiorum, præposiurarum, præpositatuum, Canonicatuum, & præbendarum, aliorumve quorumlibet cum cura, & sine cura, sæcularium, & cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti regularium beneficiorum reservatas, seu illarum loco fructus, redditus, & proventus hujusmodi reservatos, sive per viam cassationis, & novæ reservationis, sive simplicis translationis, seu aliàs quomodolibet hactenus à Sede Apostolica concessæ sunt, & in futurum tam per Nos, quàm per Romanos Pontifices Successores nostros, & Sedem prædictam concedentur, eorundem privilegiorum, indultorum, & facultatum vigore dimidiam dumtaxat, seu dimidia minorem partem ipsarum pensionum, seu fructuum, reddituum, & proventuum illarum loco reservatorum hujusmodi, quas, & quos vigore primæ reservationis, seu in eos factæ translationis de præsenti percipiunt, & pro tempore percipient, seu legitimè percipere possunt, & poterunt respectivè, transferre valeant, ita tamen ut ejusmodi translationes, si servata cæteroqui dictorum privilegiorum, indultorum, & facultatum, ac præsertim quoad quantitatem pensionum, & fructuum transferendorum in eis expressam, forma, & dispositione, factæ fuerint, tametsi fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta, ac distributiones, etiam quotidianæ, & manuales mensarum, aliorumque beneficiorum hujusmodi pensionum, & fructuum reservatorum oneribus ultra eorum medietatem adhuc gravata remanerent, nihilominus validæ, firmę & efficaces existant, nec ex capite excessus medietatis fructuum, aliorumque prædictorum, in vim prædictæ Constitutionis Urbani

præ-

prædeceſſoris, quam hac in parte quoad futuras translationes nullius roboris, & momenti fore decernimus, ullo modo impugnari poſſint, tenore præſentis perpetuò ſtatuimus, & ordinamus.

§. V. Decernentes eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod præfati, & alii quilibet, etiam ſpecifica, & individua mentione digni, ac Cardinalatus honore fulgentes, in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, ſeu cauſæ, propter quas ipſæ præſentes emanarint, adductæ, ſpecificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quamtumvis juridica, pia, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu intereſſe habentium conſenſus, aliove, quolibet etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, ſeu ad terminos juris reduci, aut adverſus illas apertionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extrà illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, & in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis prædictæ Nuntios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretū pro obſerv.

§. VI. Non obſtantibus facultatibus, privilegiis, indultis, aliiſque præmiſſis, ac de jure quæſito non tollendo, & quòd Cardinales prædicti ſub regulis & Conſtitutionibus faciendis non comprehendantur, cæteriſque noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, necnon prædicta Urbani prædeceſſoris, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & ordinationibus, ac quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis præfatis, aliiſve perſonis, & collegiis quibuslibet, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu, & ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries, & quantiſcumque vicibus iteratis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac pleniſſimè, & ampliſſimè derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Derogatio obſtantiarum.

§. VII. Ut autem præſentes litteræ omnibus facilius iunoteſcant, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Aciæ Campi Floræ de Urbe publicari, & affigi, ſicque publicatas omnes, & Publicatio.

ſingulos, quos concernunt, perinde afficere, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ fuiſſent; Ipſarum verò præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eamdem prorsùs fidem tam in judicio, quàm extra illud ubicumque locorum haberi, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die vii. Februarii M. DC. LXXVIII. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

I. G. Sluſius.

Anno à Nativitate D. N. IESV CHRISTI Milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo, Indictione prima, die verò undecima menſis Februarii, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & D. N. D. INNOCENTII Divina Providentia PP. XI. anno eius ſecundo, ſupradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis & conſuetis Vrbis per me Ioannem Antonium Scaiola Sanctiſs. D. N. Papæ Curſorem.

Pro D. Mag. Curſ. Thomas Orlandus Sanctiſs. D. N. Curſor.

Qualis fuerit occaſio, vel motivum Conſtitutionis: quid illa diſponat, & quæ fuerit occaſio præſentium adnotationum.

SVMMARIVM.

1 *Leges in ſcripturam redactæ, eſſe ſolent rationabiles.*
2 *De differentia inter leges ſcriptas, & non ſcriptas.*
3 *Quod expedit aliquando revocare, vel moderari leges.*
4 *Damnantur illi, qui neſciunt, vel nolunt recedere à ſtylis.*
5 *De abuſibus in translationibus penſionum.*
6 *Quid contineat Conſtitutio Vrbani circa translationes penſionum.*
7 *Translatio exceſſiva vitiatur in ſolo exceſſu.*
8 *Ad Titularem pertinet iuſtificare valorem, & exceſſum, & interim non retardatur exequutio.*
9 *Quare dicta Conſtitutio erat vel inutilis, vel damnoſa, & præiudicialis Titularibus.*
10 *Ac etiam damnoſa transferentibus, & translatariis.*
11 *De translatione fiduciaria, & quando transferens poſt translationem gaudere poſſit penſione.*
12 *De eodem, de quo num. 3. & de differentia inter Theoricam, & praxim.*
13 *Quid diſponat nova Conſtitutio Innocentiana, eiuſque receptio.*
14 *Quando, & quibus præiudicet.*
15 *Occaſio ſcribendi, & quale ſit Auctoris propoſitum.*

CAP. I. PROOEMIALE.

OMnes illæ leges, quæ in ſupremi Legislatoris Ditione ſunt univerſales, atque ab ipſa earum ordinatione in ſcripturam ſolemnem ſunt redactæ, ex prudenti, & rationabili motivo, cum maturo ſapientum conſilio, pro temporum, & morum conditione proditæ præſupponendæ ſunt. 1 Illa namque differentia dignoſcitur inter has leges ſcriptas, & illas, quæ non ſcriptæ ſub conſuetudinum, vel rituum, aut ſtylorum vocabulo explicari ſolent, quòd in prioribus 2 regulariter juſtum motivum, probabilemque rationem habent, adeòut plerique velint, legem effectum eſſe rationis, potiùs quàm poteſtatis, poſteriorum autem non de facili congrua poteſt aſſignari ratio, quæ ab initio illi motivum dederit, cùm producatur à diuturno, & continuato uſu populorum, qui ſæpè à caſu initium habere ſolet, continuationem verò habet, quia vulgus jam apertam viam, per quam aliquos ambulare videt, inconſideratè frequentat, eodem modo, quo in pecudibus, & in volatilibus praxis docet. 3 Et nihilominùs etiam in ſcriptis legibus non infrequens experientia comprobat, quod prudens, & commendabile, quinimò ſæpius neceſſarium conſilium eſt illas revocare, vel moderari, quia ſic temporum, vel morum immutata qualitas exigat, vel quod praxis doceat in animo habitum finem non obtineri, diverſoſque reſultare effectus, Reipublicæ potiùs præjudiciales, idque frequenter iidem ſupremi Legislatores practicare ſolent, non erubeſcentes prædeceſſorum, imò etiam proprias leges revocare, vel moderari expreſsè, & quandoque etiam tacitè, contrarium, vel diverſum uſum patiendo. Multòque magis id practicandum eſt in altero non ſcriptarum legum genere, ac fortius in aliquarum, aliàs receptarum opinionum variatione, ideòque nimia damnatione digni videntur illi, qui 4 cognita etiam irrationabilitate, ſive cognitis inconvenientibus, & Reipublicæ præjudiciis, à quibuſdam ſtylis, vel receptis opinionibus recedere neſciunt, vel nolunt.

Cùm itaque nimium excreviſſet abuſus illarum facultatum, quæ frequenter, & de facili concedi ſolent perſonis, de quibus infrà cap. 15. num. 24. transferendi eccleſiaſticas penſiones reſervatas ſuper eccleſiis, & beneficiis, quod ſcilicet fierent de integris penſionibus, dictæque facultates 5 concedi quandoque ſoleant, etiam de penſionibus aliàs ſemel, vel pluriès translatis, adeòut fierent penè hæreditariæ, ac perpetuæ, cum notabili eccleſiarum, & beneficiorum gravamine, potiſſimè quia ob temporum calamitates Eccleſiarum, & beneficiorum valor notabilem recepit diminutionem, unde propterea penſiones diminutionem non patientes, atque cum translationum beneficio diu continuantes integrum valorem adæquarent, & quandoque excederent. Hinc Urbanus VIII. initio Pontificatus Conſtitutionem, ſeu motum proprium edidit *a*, diſponendo ut quæcumque transferendi facultates, tam hactenus conceſſæ, quàm impoſterum concedendæ, ſuffragari non poſſint, nec debeant, niſi pro ſumma, quæ medietatem veri valoris Eccleſiæ gravatę, (attento tempore translationis,) non excedat; Interpretatio autem initio huic Conſtitutioni data, & re- 7 cepta fuit, quod quatenus translatio fieret in totum, vel pro ſumma dictam medietatem excedente, tunc illa non vitietur in totum, ſed ſolùm in exceſſu, illa firma, & valida remanente pro dicta medietate. *b*

Sed quoniam in eadem Conſtitutione expreſsè diſponi- 8 tur, titulares, ſub hoc prętextu exceſſus medietatis, translationem impugnantes, teneri probare exceſſum cum juſtificatione valoris, neque interim retardare poſſe proceſſum exequutivum translatario competentem pro integra penſione translata. Iſta verò probatio, utpotè per viam objecti nimiùm difficilis, diſpendioſa, & incommoda eſt, ut ex propoſito in ſede beneficiali, & alibi in ſpecie advertitur *c*. Et quod magis eſt talis probationis canonizatio ſequi debet per tres conformes, quatenus penſionarius appellationis beneficio uti velit, in judicio ordinario petitorii. Hinc ſequebatur quod, aut Titulares (prudenter quidem) eligebant iſtam litem non aſſumere, atque ab

im-

impugnatione translationis abſtinere, & tali caſu Conſtitutio omninò inutilis, & inanis remanebat, aut verò eligebant litem aſſumere, & tunc non ſolum quoad eos remanebat inutilis, quoniam nimium rari ſunt caſus ut poſſeſſor Eccleſiæ, vel Beneficii, cujus jus eſt ad ſolam vitam, tamdiù vivat, ut juxta Romanæ Curiæ ſtylum, obtineat tres conformes, illarumque exequutionem, cum effectiva repetitione ejus, quod interim ſolutum eſt, potiſſimè quia translatarii, ut plurimùm ſunt pauperes aulici, cum quibus inanis eſt actio, ac etiam quia prætenditur per Camerales, vel reſpectivè per ſucceſſores in Eccleſia, vel beneficio, ut hoc jus repetendi non tranſmittatur ad proprium hæredem profanum, ſed cadat ſub ſpolio, ad commodum Cameræ, vel reſpectivè Eccleſiæ; Et ſic iſta Conſtitutio damnum, & gravamen potiùs augebat, illudque longè majus efficiebat, dum ita oportebat duplex eodem tempore ſupportare onus, & incommodum; unum ſcilicet in ſolutione penſionis, in qua indignatum penſionarium collitigantem magis durum, magiſque aſperum, & rigoroſum creditorem pati oportet, & alterum in magnis ſumptibus, perturbationibus, & incommodis, quæ ſunt litium connaturalia.

Quinimò eiſdem penſionariis, habentibus facultatem transferendi, illa erat incommoda, cum ita eſſent incerti quidnam tutè transferre poſſent, adeòut non leves deſuper pati ſolerent anguſtias, potiſſimè in illo ſtatu, in quo pro frequentiori praxi iſta facultas exerceri ſolet, quando ſcilicet morti proximi, atque in illius articulo conſtituti de vita, & ſalute probabiliter ſint deſperati, atque multoties, quamvis inviti, faciebant caſſationes de fraude ſuſpectas, quòd ſcilicet habens quis penſionem ſuper aliqua Eccleſia in ſumma notabili, abſque dubio excedente medietatem fructuum, ac etiam excedente facultatem transferendi, exempli gratia, quod haberet penſionem ſcutorum trium, vel quatuor millium, haberet verò facultatem transferendi mille, ut ſè tutum, & certum redderet de validitate translationis iſtius ſummæ, priùs (tamquam pro cautela) conſuevit ſummam excedentem caſſare, deindèque transferre ſummam remanentem, & quæ cautela duplex damnum producebat, unum ſcilicet alicujus ſcandali, ſaltem apud vulgus imperitum, ut per qualificatos Eccleſiaſticos in articulo mortis conſtitutos, iſtæ affectatæ, & fraudulentæ, vel de fraude ſuſpectæ adhiberentur cautelæ. Et alterum, quod ſi convaleſceret, ita præter intentionem remaneret privatus illa parte notabiliori penſionis caſſatæ. Quamvis enim in caſu convaleſcentiæ eadem amiſſio ſequatur in parte translata, nihilominùs quia hujuſmodi translationes fieri ſolent ad commodum conjunctorum, & gratorum, ac benevolorum familiarium, malum non eſt adeò damnoſum, ſicuti illud caſſationis, quia penſio remanet penès gratas, & benevolas perſonas, vel quia iſto caſu contingente, ex quadam lege congruentiæ, gratitudinis, & honeſtatis, (laudabiliter quidem) translatarii pati, & conſentire ſolent, ut transferens, donec vivat, commodum reportet, & adhuc ipſe transferens ſubjectus remaneat periculo amiſſionis in ejus vita per translatarii prædeceſſum, ut noſtra ætate non ſemel praxis docuit. Quamvis enim fiduciariæ translationes damnatæ ſint, neque fieri poſſint ſub lege, ut transferens donec vivat tali penſione potiatur; nihilominus id procedit, quando id fiat ex pacto inito inter transferentem, & translatarium, vel ex conditione ipſi translationi adjecta, ſecus autem quando illa purè, & ſincerè ſequuta, translatarius voluntariè, & ex motivo gratitudinis velit ſe privare commodo translatæ penſionis, & permittere, ut transferens, donec vivat, illa potiatur; Si enim iſtud commodum liberè cedi poteſt cuilibet extraneo, & non benemerito, etiam ſine recompenſa, multò magis id fieri poteſt, imò ex congruentia, & ex obligatione antidorali fieri debet, ad commodum benefactoris. *d*

Ipſis quoque translatariis eadem Conſtitutio incommoda, & damnoſa erat, quoniam Titulares ſub hoc prætextu omnes translationes impugnare ſolebant, & quamvis per Conſtitutionem non retardetur proceſſus exequutivus, nihilominùs etiam in iſto proceſſu longas, & diſpendioſas lites pati oportebat, potiſſimè verò ubi pro frequentiori contingentia translatarii ſint familiares transferentis defuncti, qui propter mortem Domini afflicti, pauperes, & derelicti, non de facili hujuſmodi lites aggredi, & proſequi poterant, adeòut praxis doceret, quod his præſertim litibus Curia plena eſſet.

Card. de Luca de Statut. Succeſſ.

Exindè itaque docemur verificari id, quod ſuperiùs initio inſinuatum eſt circa magnam differentiam inter theoricam, & praxim, ſive inter abſtractum, & concretum, quodque multæ leges in earum ordinatione cum diſcurſu theorico, ſive abſtracto habent bonum, & commendabilem finem, ac juſtum, & rationabile motivum, & tamen ponendo eas in praxi, iſta in continenti detegat contrarium, ut in dicta Urbana Conſtitutione contingit, quoniam illam conſiderando theoricè, & in abſtracto valdè juſta, rationabilis, & proficua videtur, dum ita Eccleſia, ejuſque poſſeſſor redditur certus de medietate libera fructuum, & tamen praxis eſt diverſa; Atque ubi etiam de tempore editionis prædictarum legum praxis correſpondeat theoricę, adhuc tamen poſtmodum temporum, & morum immutatio illas reddit injuſtas, & reipublicæ præjudiciales; Unde propterea eadem praxis docet frequenter, quod illi, qui ſe nimium peritos profitentur in Reipublicæ regimine politico, vel civili, & in publicis negotiis peragendis, atque cum ſola notitia antiquarum legum, vel cum antiquis hiſtoriis, vel cum aliquorum ſcriptorum ſententiis, credunt poſſe mundum regere, & reformare, in praxi deteguntur irriſione digni, & non apti ad regimen Reipublicæ, etiam in parvis. 12

Ex prædictis autem inconvenientibus prudenter, multòque rationabiliter motus Sanctiſſimus D. N. Innocentius XI. cum ea charitate, zelo, & attentione, cum quibus tot abuſibus, & inconvenientibus occurrere ſtuduit, iſtam edidit ſalubrem, & proficuam Conſtitutionem, cum qua omnes hujuſmodi lites impoſterum ſequuturæ abolitæ fuerunt, diſponendo quod impoſterum facultates transferendi, quamtumvis privilegiatæ, & ampliſſimis clauſulis munitæ, non ſuffragentur niſi pro medietate penſionis, ut ſic Eccleſia reddatur certa conſequendi libertatem in alia medietate, ſic ſucceſſivè in medietate medietatis translatæ, quando ſecunda fieret translatio, neglecta differentia an penſio, quæ transfertur excedat necne medietatem fructuum, ita enim ceſſat dictarum litium occaſio, atque omnibus conſultum remanet, Titulari ſcilicet, vel Eccleſiæ gravatæ, ut ita certam libertatem pro medietate obtineat; transferenti, ut ita ſit certus quidnam tutè valeat transferre, & translatariis, ut ita cum pace, & quiete obtineant ſummam, & ſi minorem, translatam, ideoque meritò grata fuit Curiæ, atque cum plauſu recepta. Et quamvis caſus quandoque præbeat præjudicium, quia nempè reſpectu penſionarii, integra penſio ſit infra dimidium valoris, ideòque ſibi non obſtet dicta Conſtitutio Urbani, & è converſo reſpectu Titularis, quia etiam in medietate penſionis adſit exceſſus ultra dimidium, ideòque ſibi eadem Urbana Conſtitutio ſuffragaretur; Nihilominus nimium rari ſunt iſti caſus, ideoque negligendi, ex vulgari juris regula, quod leges adaptari debent ad ea, quæ frequentius accidunt, ac etiam quia cum in ſublunari orbe, vel in humanis negotiis, & rebus, ob humanæ naturæ imbecillitatem, dari non poſſit plenum, & perfectum bonum, quod aliquid mali annexum non habeat, ideircò adhibenda eſt libra, in qua utrumque bonum, & malum appendatur, atque pars, quæ præponderat, eligatur, quoties non ſit malum peccaminoſum, atque à jure divino damnatum, quod ob majus bonum permitti non debet. 13 14

Decreveram ſuper hac Conſtitutione, in qua, ratione miniſterii aliquam habui cooperationem, edere gloſsas, vel commentaria, eodem modo, quo ſequutum eſt in altera ejuſdem Pontificis Conſtitutione ſuper Statutariis ſucceſſionibus: Comperii tamen, quod res eſſet valdè brevis, & reſtricta, & quæ utpotè plana non multas recipit quæſtiones, vel dubitationes, dum lex de ſola translatione agit, ideòque ut propoſito, ac etiam publicę utilitati ſuper univerſa materia penſionum Eccleſiaſticarum ſatisfacerem, præſentem adhibere cenſui laborem, non quidem per viam formalis, & abſolutæ tractationis, quam gravis ætas, & occupationes, quibus premor, nullatenus permittunt, ſed per viam practicarum adnotationum ſuper iis, de quibus in hac penſionum eccleſiaſticarum materia, in Romana curia forenſi frequentiùs peragi contingit, eodem retento ſtylo, qui in Officiorum venalium, & Locorum montium, & in inſinuatis alterius Innocentianæ commentariis tentus eſt, abſtinendi nempè ab allegationum cumulis, & interſecationibus, inſinuando ſolùm in gloſſis marginalibus, loca in quibus ille, qui auctoritates deſiderat eas perquirere poterit, ejuſque deſiderio ſatisfacere, cùm tale opus amanuenſi, vel tranſcriptori potiùs, quàm Doctori congruat. 15

a *Conſtitutio* 20. b *De penſion. diſc.* 55. *n.* 9. *ubi allegatur Lotter. lib.* 1. *quæſt.* 36. *nu.* 127. *Royas dec.* 169. 184. *& 217.* c *de benefic. diſc.* 90. *per tot. & in ſpecie n.* 59. *d. diſc.* 55. *de penſion. num.* 8. *ubi allegat. dec.* 210. *p.* 12. *rec. & alii.* d *De penſion. diſc.* 65.

Quid ſit Penſio Eccleſiaſtica; in quo conſiſtat; quando iſte uſus introductus fuerit, & an ſit commendatione, vel damnatione dignus.

SVMMARIVM.

1 *De pluribus ſignificationibus verbi* Penſio.
2 *Quid ſit Penſio Eccleſiaſtica, de qua agitur,*
3 *De Diſtinctione penſionis eccleſiaſticæ, & temporalis.*
4 *Quod Penſio Eccleſiaſtica ſit ius temporale, non autem ſpirituale.*
5 *An Conſtitutiones B. Pii, & Sixti V. immutaverint naturam penſionum, easque effecerint ſpirituales.*
6 *An introductio uſus penſionum ſit commendatione, vel damnatione digna.*
7 *De initio iſtius introductionis.*
8 *In quo antiquitus Penſiones conſiſtebant.*
9 *Quare conſtituantur in pecunia, & quomodo.*
10 *De reſervatione fructuum.*
11 *Quando ſit commendabilis uſus reſervationis Penſionum.*
12 *Quando damnabilis.*
13 *An, & quando reſervatio importet beneficiorum diminutionem.*
14 *Datur ſimile de feudis, aliiſque ſimilibus, & à quibus licèt arguere.*

CAP. II.

PEnſionis, (propriùs autem penſitationis) vocabulum apud Grammaticos genericum eſt, omnem præſtationem ſtatutis temporibus faciendam denotans, ſive illa in quantitate, ſive in ſpecie conſiſtat, abſque cauſæ diſtinctione, an gratuita, vel correſpectiva ſit, & an ſacra, vel profana. Apud Juriſtas verò, in propria, ſtrictaque ſignificatione, denotat illam præſtationem, quàm conductor locatori ex locationis, & conductionis contractu, in ſtatuta tempora ſolvere tenetur, in quantitate potiùs, quàm in ſpecie, cùm iſto poſteriori caſu reſponſionis vocabulum, vel ſimile, pro variis regionum moribus adhiberi ſoleat. Ex quodam verò communi uſu loquendi congruit illis ſubſidiis, quæ benemeritis, vel indigentibus per Principes, & Magnates, tam Eccleſiaſticos, quàm Sæculares, pariter in ſtatuta tempora ſolvi, vel demandari, & diſtribui ſolent. Quidquid autem ſit de iſtis, aliiſque hujus vocabuli ſignificationibus, de quibus ad Grammaticos potius, vel etiam ad Juriſtas ſcholaſticos, pro tyronum inſtructione, agere pertinet, ad rem noſtram, in qua ſolùm de Eccleſiaſtica penſione agitur, iſtud vocabulum denotat certam portionem, quæ alteri quàm beneficii poſſeſſori, & titulari, in certa quantitate, vel quota, ſeu ſpecie, ſingulis determinatis temporibus, per ſuperiorem, qui iſtam habeat poteſtatem, aſſignetur ſuper fructibus eccleſiaſtici beneficii, ſub cujus generico vocabulo Eccleſiæ Cathedrales, & Metropolitanæ, ac etiam Monaſteriales veniunt, ideoque dicitur penſio eccleſiaſtica, ad differentiam illius penſionis laicalis, vel temporalis, quæ cum auctoritate ſæculari ſuper bonis, vel juribus profanis, ut ſupra, aſſignatur. Et quamvis etiam in hac ſpecie penſionis, quæ cum eccleſiaſtica poteſtate aſſignata ſit ſuper fructibus Eccleſiaſtici beneficii, apud Juris Profeſſores eadem habeatur diſtinctio inter Eccleſiaſticam, vel ſpiritualem, & temporalem; Attamen id non provenit à diverſa qualitate ſubjecti, vel Beneficii, quod hoc onere gravetur, ſed à qualitate perſonæ, ad cujus favorem hæc reſervatio, vel aſſignatio fiat, quoniam ſi fiat tamquam clerico, & perſonæ Eccleſiaſticæ, dicitur Eccleſiaſtica, ſi verò tamquam laico, dicitur temporalis, ad effectum contradiſtinguendi capacitatem perſonæ, ad cujus favorem fiat reſervatio, juxtà ea, quæ proximè infra in cap. 4. habentur, non autem, ut diverſæ ſint ſpecies, quoniam ipſa Penſio de per ſe conſiderata, ſive ad favorem laici, ſive clerici reſervetur, de ejus natura eſt quid temporale, ſolùmque habere dicitur aliquam mixturam, vel annexionem ſpiritualitatis, ad effectum commercii, alioſque effectus, de quibus in totius operis progreſſu, dum, juxta veriorem, & receptam ſententiam, penſionarius nullum jus in re, vel ad rem obtinet ſuper ſubſtantia, vel adminiſtratione Beneficii, ſolùmque habet quamdam participationem fructuum, qui tamquam temporales conſiderantur à ſpiritualitate abſtricti. a

Et quamvis poſt Conſtitutionem B. Pii V. per quam obtinentibus Eccleſiaſticas penſiones injungitur onus recitandi Officium B. M. Virginis, & aliam Conſtitutionem Sixti V. per quam eiſdem injungitur onus incedendi in habitu, & tonſura clericali, quando penſio certam excedit ſummam 60. ducatorum auri de Camera, aliqui præſertim morales, opinentur, quod penſio priorem naturam immutaverit, atque de jure temporali effectum ſit Jus Eccleſiaſticum, & ſpirituale. Nihilominus hæc opinio nullum habere videtur probabile fundamentum, quoniam hæc accidentia reputari non debent apta ad immutandam rei ſubſtantiam, vel naturam, utpotè referibilia ad quamdam congruentiam, & honeſtatem, ob aliquam participationem rei Eccleſiaſticæ, eodem modo, quo frequens praxis docet in pleriſque Eccleſiis Cathedralibus, Metropolitanis, & Collegiatis, ac etiam in Regularium Monaſteriis, Conventibus, & domibus, quoniam multi ſæculares addicuntur ſervitio ſub aliquo annuo, menſtruo, vel diurno ſtipendio, ſeu pro victu, & veſtitu obtinendo ex Eccleſiæ, vel Monaſterii redditibus, talibuſque inſervientibus ſolet injungi onus incedendi in habitu clericali, vel religioſo, ac etiam recitandi quolibet die aliquas orationes, vel faciendi aliqua exercitia ſpiritualia, non exindè tamen inferri poteſt, quod illæ perſonæ efficiantur Eccleſiaſticæ, vel quod illud ſtipendium dicendum ſit Eccleſiaſticum, vel ſpirituale, cùm ſolùm concurrentibus quibuſdam requiſitis intret in eis exemptio fori, & participatio aliquorum privilegiorum, b Atque aliàs indefinitè intrare deberet obligatio incedendi in habitu, & tonſura, abſque diſtinctione ſummæ, dum poſita rei natura, plus, & minus illam non variat, nec non eſſet redarguere ſtylum concedendi indulta obtinentibus hujuſmodi penſiones non incedendi in habitu, & tonſura, & perſiſtendi in ſtatu conjugali, etiam cum qualitate bigamiæ, imò exercendi militiam, & officia ſecularia incompatibilia cum ſtatu clericali, & Eccleſiaſtico, ideoque omninò verius videtur, quod iſtud ſit jus temporale, habens aliquam ſpiritualitatis annexionem, ad certos effectus, de quibus infra in progreſſu, & non aliàs.

Super iſto penſionum uſu, tam circa ejus introductionem, & modum, quàm circa punctum, an ille ſit damnatione, vel commendatione dignus, varii varia dicunt, prout genium, ſeu livor, & frequentius imperitia ſuadent; Aliqui enim iſtam introductionem credunt modernam, & abuſivam Romanæ Curiæ, ideòque illam damnant, tum quia producat mala, & inconvenientia, de quibus infra, tum etiam quia illam reputant contrariam Sac. Canonibus, diſponentibus ut beneficia conferri debeant ſine diminutione. Verùm quatenus pertinet ad ſubſtantiam, vel genus, clarus eſt illorum error, mala verò ab eis conſiderata non conſiſtunt in ſubſtantia, vel genere, ſed in modo indiſcreto, & irregulari, ex quo reſultat abuſus, per quem ipſum genus, de per ſe bonum, non eſt reprobandum, ſiquidem etiam ſacramenta, & ſacramentalia, aliaque divina, & ſpiritualia, in ſuo genere ſunt bona, & optima, ſed per abuſum convertuntur in ſuperſtitiones, & in mala, non per hoc tamen dicenda ſunt in genere damnabilia; Prout etiam ſalubrioſa, & meliora pharmaca, & medicamenta, vel ſalubriores, & meliores cibi, quando adſit abuſus, convertuntur in venenum, & mala producunt; Idemque dicendum eſt de armis in Republica neceſſariis, ad ſe defendendum ab hoſtibus, & latronibus, aliiſque malefactoribus, vel pro venatione ad humanum victum, & uſum, & tamen illorum abuſus multa producit mala, & crimina, cum ſimilibus.

Quatenùs enim pertinet ad initium, vel introductionem, manifeſtus error eſt illam dicere modernam, & abuſivam Romanæ Curiæ, quoniam quidquid ſit de primis tribus ſæculis, in quibus primitiva Eccleſia fuit ſub Tyrannorum perſequutionibus, & quando non de facili verificabantur fructus, & redditus Eccleſiarum ex prædiis & bonis temporalibus, ſed ut plurimùm clericorum, & miniſtrorum ſubſtentatio fiebat cum fidelium eleemoſynis, oblationibus, & collectis; Poſtquàm initio quarti ſæculi ſub Silveſtro I. ex pietate Conſtantini I. qui Magnus nuncupatur, Eccleſia obtinuit tranquillitatem, atque inolevit uſus, ut Eccleſiæ poſſiderent prædia, & latifun-

fundia, aliaque bona temporalia, ideòque clerici pingues haberent fructus, idem Pontifex Silveſter Primus ſtatuit,
7 & providit. *Vt Clericis copioſis egentes coniungerentur*, prout ſacra legenda Breviarii Romani, in die ejus commemorationis, comprobat, quod verè, & propriè importat, vel importare debet reſervationem penſionis ſuper Eccleſiaſtici Beneficii fructibus, & proventibus, ut ſcilicet clerici proviſi de pinguibus Beneficiis, quorum fructus, & redditus exuberent ultra congruam ſubſtentationem, & alia neceſſaria pro Eccleſia, ſubventionem aliquam pauperibus clericis, vel pauperibus ſcholaribus, ut aptiores fierent ad Eccleſiæ
8 ſervitium, præſtare debeant, ſive id fieret in pecunia, ſive in frugibus, & victualibus; Quinimò, juxta antiquas traditiones, in aliqua fructuum, & victualium quantitate, vel quota, juxta primævam introductionem penſio conſiſtebat, tamquam per ſpeciem ſocietatis, vel admiſſionis ad participationem pro illa rata, ſive per viam ſeparationis aliquorum prædiorum, & bonorum, ex quibus penſionarius, manu ſua, reſervatam perciperet penſionem; Sed quoniam iſta communio, ſeu participatio frequentes producebat diſ-
9 cordias, & inconvenientia inter titulares, & penſionarios, ob ſuſpicatas fraudes in quantitate, vel qualitate fructuum, ſive in expenſis, pro illorum recollectione, & bonorum cultura, idcircò introductus fuit uſus faciendi reſervationes in certa quantitate pecuniæ, ſolvenda ſingulis annis in duobus terminis, cui cadere ſolent in diebus Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, & Nativitatis Sancti Jo. Baptiſtæ, vel in die Annuntiationis, & in altera Nativitatis B. Mariæ Virginis, ad inſtar ejus, quod ex eadem cauſa introductum fuit in lucris, & emolumentis officiorum vacabilium Romanæ Curiæ inter officialem, & ſocium, ut in Sede Societatum officii, & in tractatione Officiorum habetur; Vel practicari ſolet inter ſocios alicujus negotiationis, ex deductis in ſede Uſurarum, & alibi, ac propterea abiit in deſuetudinem penſio in quota, vel quantitate fructuum.

Et quamvis etiam hodie fructuum reſervatio in toto, vel in parte practicari ſoleat, præſertim in Cardinalibus aliquam
10 Eccleſiam, vel Beneficium dimittentibus, quod ſibi reſervant omnes fructus ad vitam, aſſignata congrua, ſeu verius portione in quantitate Beneficiato, vel Titulari reſignatario, ejuſque ſucceſſori, ſive ſibi reſervant aliquam bonorum, vel fructuum partem, reliqua parte dimiſſa Titulari, loco congruæ, ſeu portionis, atque ad aliquos effectus iſta reſervatio habeat ſpeciem penſionis, cujus loco fructus reſervantur, atque cum ejus terminis regulari ſoleat, ut præſertim advertitur infra, in cap. 5. ac etiam cap. 18. occaſione agendi de materia tranſlationis, nihilominus pro uſu loquendi curiæ, non dicitur penſionarius, ſed reſervatarius fructuum ille, ad cujus favorem facta eſt hæc reſervatio.

Commendatione itaque potius, quàm damnatione dignus cenſendus eſt iſte uſus, quando diſcretè, & cum debita proportione practicetur, ad limites rationis, ob quam
11 hæc introductio inolevit, ut ſcilicet abſque notabili Eccleſiæ, & titularis gravamine, & præjudicio, ſequatur in illa fructuum partè, quæ exuberet, quia excedat congruam Beneficiati ſubſtentationem, aliaque onera pro Eccleſiæ cultu, & ſervitio, aliiſq; congruis expenſis atque reſervatio juſtum habeat motivum ab ipſo S. Silveſtro Primo habitum, ut Clerici locupletes ſubveniant Clericis pauperibus, ad limites indigentiæ, & pro congruo, & honeſto ſubſidio, ſive commodiori ſubſtentatione, ut etiat in formula Litterarum Apoſtolicarum exprimi ſolet, præter quàm in penſionibus, quæ reſervantur ad favorem Cardinalium, dum in eis dicitur, ut decentiùs ille ſtatus, juxta ſublimitatem Cardinalatus, teneri poſſit. Id enim ſatis congruam, & honeſtam habet rationem, quoniam cùm Beneficiatus teneatur id, quod ſupereſt, ultra propriam, & Eccleſiæ ſubſtentationem, erogare in eleemoſynas, & in ſubventionem pauperum, hinc licitè poteſt Papa, vel in ſuis caſibus Prælatus ita præfigere Beneficiato illos pauperes, quibus aliquam ſubventionem dare debeat. Sed quoniam in hoc mundo, etiam in moralibus, datur illa corruptio, quæ inevitabilis eſt in naturalibus, atque omne optimum quando corrumpatur convertitur in peſſi-
12 mum, hic ex abuſu potiùs, quàm ex ipſa introductione in genere, tractu temporis, corruptiſque moribus, irrepſerunt illa ſcandala, & mala jam nota, quæ ab impugnatoribus iſtius penſionum uſus exagerari ſolent.

Erronea item, & contemptibilis cenſenda eſt opinio illorum, qui credunt iſtum penſionum uſum, etiam benè regulatum, eſſe contra diſpoſitionem ſacrorum canonum,

Card. de Luca de Statut. Succeſſ.

præcipientium ut Beneficia conferri debeant ſine diminutio- 13
ne, quàm exindè ſequi opinantur; In hoc enim dignoſcitur magna imperitia, quoniam tunc Eccleſia, vel beneficium diminutionem pati dicitur, quando tangitur, vel ſcinditur ipſius Beneficii ſubſtantia, vel proprietas, tam in ſpiritualibus, puta adimendo a Titulari aliquam partem juriſdictionis, & adminiſtrationis, & ſubditorum, quàm in temporalibus, puta adimenda, & diſmembrando aliqua loca, vel prædia, ſive alias ipſam Eccleſiam ſervituti alicui ſupponendo; adeòut ille, ad cujus favorem hæc diſmembratio, vel alia proviſio fiat, acquirat aliquod jus formatum in re, vel ad rem, ſive obtineat aliquam participationem in jure, vel adminiſtratione, quorum nil ſequitur in reſervatione hujuſmodi penſionis in pecunia, vel etiam in ipſa ſpecie fructuum, quoniam revera non eſt imponere ſeviturem ipſi Eccleſiæ, ejuſque bonis in proprietate, minuſque eſt dare verum uſumfructum, ſed ſolùm eſt imponere onus perſonæ poſſeſſoris pro tempore, ac etiam ipſis fructibus de per ſe conſideratis, præſcindendo a proprietate, ſeu cauſa productiva, vel à jure uſusfructus, adeòut ſubſtantia beneficii in nihilo diminuta remaneat, neque oneri, vel ſervituti obnoxia, dum illa actio, quam penſionarius habet, etiam ſuper fructibus futuris, & contra ſucceſſorem pro terminis decurſis tempore prædeceſſoris, quando verificentur ea, quæ verificari debent, ex deductis infra in Cap. 16. ſemper percutit ipſos fructus, non autem proprietatem, vel cauſam illorum productivam, ſolùmque aliqua diminutio, quæ tangat ipſam ſubſtantiam, conſiderari ſolet in enuntiata reſervatione generali, vel particulari in aliqua quota fructuum, cum aliquo jure conferendi, vel cum aliqua juriſdictione, & adminiſtratione, quod particularem habet rationem, ut infra cap. 5. ſecus autem ubi agatur de ſervitute in certa quantitate, ut diſtinguendo quotam à quantitate advertitur in iſtius materiæ Sede. *c*

Comprobantur hæc ab iis, quæ recepta habentur in feudis, à quibus arguere licet, atque paſſim Doctores arguunt, tam in hac materia Beneficiorum, quàm in materia offi- 14
ciorum, & jurium regalium, ac etiam bonorum emphyteoticorum, & fideicommiſſariorum, aliorumque bonorum, alienari prohibitorum, & in libero privato commercio non exiſtentium, quod aliud eſt ſubſtantia, vel proprietas, vel etiam uſusfructus, aut alia ſervitus, quæ afficiat ipſam rem, & aliud eſt commoditas in fructibus, vel aſſignatio, ſeu reſervatio fructuum *d*, Et quemadmodum Sacr. Canonibus, (ſive ſit ex præcepto, ſive ſit ex conſilio) diſponentibus, ut beneficiatus debeat ex beneficii fructibus facere tres partes, quarum una ſit pro ejus congrua ſubſtentatione, altera pro fabrica, & reparatione, ſive ornatu Eccleſiæ, & altera pro ſubventione pauperum, non exindè dicitur induci diminutio beneficii, ita Superiore demandante, ut aliqua fructuum penſio præſtetur alteri ſubrogato loco pauperum, ut ſupra, non intrat diminutio, ut in ſpecie id advertitur etiam in hac penſionum ſede *e*, Ideòque concludendum, quod iſte uſus commendabilis eſt, quando cum debita, & convenienti diſcretione benè practicetur, damnabilis verò, quando abuſivè, & indiſcretè.

a *De penſion. diſc.* 1. *nu.* 28. *diſc.* 10. *nu.* 5. *diſc.* 19. *nu.* 8. *& diſc.* 80. *nu.* 7. *&* 8. *& in aliis eod tit. frequenter in quibus allegantur Buratt. & add. deciſ.* 53. *Dunozett. deciſ.* 999. *Gigas de penſion. quæſt.* 87. *Giballin. de Simon. quæſt.* 20. *conteſtat.* 2. *& alii.* b *De Iuriſd. diſc.* 4. c *De penſion. diſc.* 41. *nu.* 12. d *De feud. diſc.* 76. *&* 110. *de emph. diſc.* 58. *& alibi ſæpius, ac etiam infra cap.* 14. e *Dict. diſc.* 41. *nu.* 12. *de penſion.*

De perſonis, quæ ſuper Eccleſiis, & beneficiis Penſiones reſervare poſſunt.

SVMMARIVM.

1 *IN Papa nulla cadit dubitatio poteſtatis reſervandi penſiones.*
2 *De poteſtate Papæ in temporalibus, & ſpiritualibus remiſſive.*
3 *De eadem poteſtate in beneficialibus.*
4 *Quare deſideretur conſenſus Titularis in reſervationibus penſionum.*
5 *De penſionibus ſuper beneficiis de iurepatronatus laicorum, vel providendis ad Principum nominationem, vel ſupplicationem.*

BIBLIOTECA COMUNALE PRATO LAZZERINIANA

6 *Iuspatronatus ex causa onerosa dicitur competere ex gratia Ecclesiæ, eique derogari potest.*
7 *De reservationibus eventualibus.*
8 *De potestate Legatorum à latere, vel Nuntiorum Apostolicorum habentium facultates Legati, reservandi pensiones.*
9 *An Episcopi, aliique Prælati Ordinarii Collatores habeant hanc potestatem reservandi pensiones.*
10 *Quid de Magno Magistro Religionis Hierosolymitanæ, cæterisque Magistris aliarum Religionum militarium.*
11 *Quomodo aliqui Reges, & Principes sæculares disponant de pensionibus ecclesiasticis, easque distribuant.*
12 *Et quid de Patronis privatis, & quando ad istorum gratificationem pensiones reservandæ sint.*

CAP. III.

IN Papa, juxta opinionem in curia receptam, & incontrovertibilem, atque ubique apud Catholicos omninò
1 recipiendam, non cadit in subjecta materia potestatis quæstio, quæ propterea solùm esse solet voluntatis, non solùm ubi agitur de gravando Beneficium, quod vacat, ante illius provisionem, vel in actu illud providendi, sed etiam ubi agitur de gravando illud jam plenum, & quamvis possessoris non accedat consensus: Quidquid enim sit de Papæ potestate in temporalibus, extra Ecclesiæ Romanæ temporalem ditionem, super qua aliquid alibi insinuatur (*a*) ac
2 etiam generaliter in spiritualibus, in quibus intrat distinctio inter illa, quæ sunt juris Divini, & illa, quæ sunt juris Ecclesiastici; *b* cum genius, & stylus perpetuò abhorruerint superfluas, & evagatorias digressiones. Quatenus pertinet ad beneficia, & bona Ecclesiastica, in curia extra contro-
3 versiam est, & extra eam ubique apud Catholicos esse debet, ut plena, libera, & absoluta sit potestas Papæ, etiam circa ipsorum substantiam, multò magis circa bona, dividendi scilicet, uniendi, supprimendi, dismembrandi, sæcularizandi, vel aliàs eorum naturam immutandi, ac etiam privandi possessores, illorumque titulum, vel jus tollendi (*c*) ideoque multò magis, & cum longè minori dubitandi ratione ista plena, libera, & absoluta potestas admittenda est ad effectum, de quo agitur, reservandi pensiones, dum istæ, ut insinuatum est in Cap. præcedenti, non percutiunt beneficiorum substantiam, neque causant beneficiorum diminutionem, vel dismembrationem, sed solùm afficiunt fructus.

Et quamvis per Cancellariæ regulas Papa profiteatur desiderare consensum Titularis; attamen istud est honestum,
4 & commendabile desiderium pro bona regulatione ejus voluntatis, & nè aliàs a partibus, vel ab ejus ministris in hoc decipiatur, non tamen exindè inferri potest ad defectum potestatis, quando certa sit voluntas talem consensum negligendi, vel spernendi dissensum, quoniam si potest destituere possessorem beneficii in totum, multò magis potest illum gravare, licet commendabiliter non soleat. Prout quamvis in beneficiis, quæ sint de jurepatronatus laicorum ex justitia, nempè ex fundatione, vel dotatione,
5 & multò magis ubi provideri debeant ad præsentationem, vel nominationem, aut supplicationem Regum, seu Magnorum Supremorum Principum, non soleant istæ reservationes fieri sine consensu Patroni, vel respectivè Principis habentis præfatum Jus præsentandi, seu nominandi, aut supplicandi, adeòut reservationes absque speciali, & expressa mentione sint invalidæ (*d*) Nihilominus pariter id procedit pro regulatione voluntatis, quæ laudabiliter talis esse soler, non autem pro restrictione po-
6 testatis, quoniam etiam illud juspatronatur, quod competit de justitia, vel ex causa onerosa, obtineri dicitur ex gratia, & benignitate Ecclesiæ, rationabiliter concessa ad alliciendos, & invitandos fideles ad Ecclesias fundandas, & dotandas, & per consequens potest illi derogari, etiam ad effectum majorem liberæ collationis; (*e*) magis verò ad istum effectum minorem, multòque magis, ubi agitur de jure competente ex indulto, & gratia, quamvis commendabiliter, & ad evitanda scandala, & violentias de facto non soleat de facili hæc potestas deduci ad exercitium.

Ac etiam licet ista potestatis quæstio excitari quandoque consueverit in illis reservationibus eventualibus, de qui-
7 bus agitur infrà in Cap. 7. nihilominus (ultra quod ratio dubitandi verè non habet probabile fundamentum, ex deductis in eodem cap. 7.) quando etiam aliquam probabilitatem id habere posset, percutit defectum potestatis, non directè super ipso actu reservationis, sed obliquè super ejus resolutione, quando scilicet casus cessationis antiquarum pensionum eveniat post mortem illius Pontificis, qui reservationem fecit, quasi quod esset gratia conditionalis expirata ante adventum conditionis, ut eodem Cap. 7. latiùs.

In Legatis à Latere disputant DD. ut patet ex iis, qui de ista materia tractare professi sunt *f*. Verùm hodiè non de fa- 8
cili auditur ista quæstio in foro, quoniam de præsenti diversus ab antiquo videtur hujusmodi Legatorum usus. Quatenus enim pertinet ad illos Cardinales, qui sub titulo, vel nuncupatione Legatorum à Latere, præficiuntur gubernio aliquarum Provinciarum Status Ecclesiastici Italiæ, ut juxta actualem praxim sunt Legati Bononiæ, Ferrariæ, Æmilię, seu Romandiolæ, & Status Urbini, & quandoque esse consueverunt Legati Marchiæ, Umbrię, & Patrimonii, isti verè, & propriè sunt potiùs istarum Provinciarum Præsides, Legati à Latere nuncupationem habentes, cum aliquibus Legatorum facultatibus particularibus, etiam inter ipsas legationes variis, juxta singulares stylos, & formularia super appellationibus, & recursibus ab Ordinariis locorum, vel super aliqua jurisdictione, & competentia cum personis Ecclesiasticis utriusque cleri sæcularis, & regularis, cum similibus, nullam verò habent facultatem in collatione beneficiorum, & reservatione pensionum. Idemque in Nuntiis Apostolicis apud aliquos Italiæ Principes, habentes facultates Legati à latere.

Ultra verò montes habetur fixus Legatus Civitatis, & Status Avenionensis, & comitatus Venaysini in Gallia, qui tamen residet in Curia, ibi verò munus exercet mediante opera Vicelegati, de cujus facultatibus in hac specie pensionis agit modernus ejusdem Regionis Auctor, qui super ista penosinum materia tractatum edere professus est. *g* Aliqui verò Nuntii Apostolici apud Reges, & Principes ultra montes, cum facultatibus Legati à latere habent, (ut præsertim est Nuntius apud Regem Catholicum,) facultatem conferendi Beneficia non excedentia valorem viginti quatuor ducatorem auri de Camera, ex pluries insinuatis in Sede beneficiali *h*, non tamen habent facultatem reservandi pensiones.

Quo verò ad Legatos à latere extraordinarios, qui pro aliquibus particularibus gravibus negotiis destinantur ad Reges, & Magnos Principes ultra montes, illorum usus hodie est valdè rarus, vel non ita frequens sicut antea, & quando contingit aliquem destinari, solent expediri litteræ in numero considerabili pro negotiorum, & facultatum varietate, & ex quarum tenore liquet, an, & quomodo ista facultas competat, ideòque dicenda videtur quæstio facti potiùs quàm juris.

Restringitur itaque inspectio ad Episcopos, aliosque Prælatos, habentes ordinariam potestatem conferendi Beneficia Ecclesiastica, an super eis imponere, vel reservare pos- 9
sint pensiones, atque in hoc dignoscitur aliqua opinionum scissura; Aliqui enim, procedentes cum præsuppositio insinuato in cap. præcedenti, quod reservatio pensionum importet Beneficiorum diminutionem, generaliter, & indefinitè hanc facultatem negant collatoribus ordinariis, & quibuscumque aliis Prælatis, qui sint inferiores Papa, cui credunt singulariter, & privativè talem facultatem competere, ex illa ratione, quod ipse tantùm derogare potest sacris Canonibus, prohibentibus conferri beneficia cum aliqua diminutione.

Contraria verò opinio probabilior est, magisque recepta, quoties verificentur mox recensenda requisita, ex eo quod nullum desuper habeatur Juris Ecclesiastici obstaculum atque ubi requisita verificantur, dicenda venit potiùs res commendabilis, ex insinuatis eodem cap. præcedenti, & in sua pensionum sede, ut infrà, ubi recensentur auctoritates, ideòque difficultas (& quidem magna) ob quam nimiùm rarus, penèque nullus est hujusmodi reservationis usus, consistit in requisitorum verificatione, quæ sunt.

Primò, ut nulla præcedat pactio, vel non adjiciatur conditio, quæ respiciat substantiam collationis Beneficii, quæ aliàs non fieret, sed solùm quando purè, & sincerè facta collatione adjiciatur istud onus tamquam indicatio, seu destinatio illorum pauperum, in quorum subventione, ad Sac. Canonum præscriptum, pars fructuum erogari debet.

Secundò quod reservatio fiat in certa quantitate, non autem in quota fructuum, ex illa differentiæ ratione per aliquos DD. assignari solita, quod quando est in quota,

im-

importare videtur quoddam jus, vel ſervitutem ſuper ſubſtantia beneficii, ideòque verificaretur collatio cum diminutione. Et quamvis iſta diſtinctio probabilem rationem habere non videatur, quoniam ubi reſervatio eſt in fructibus, non autem in uſufructu, non tangitur ſubſtantia, neque inducitur diminutio, vel diviſio, juxta receptam feudiſtarum propoſitionem, eodem Cap. præcedenti inſinuatam, ac propterea nil refert, an fructuum reſervatio fiat in quota, vel in quantitate; Nihilominus cum deſuper expreſſam non habeamus legem in contrarium, cum hac recepta Doctorum traditione procedendum venit.

Tertiò ut reſervatio fiat, præſuppoſita capacitate, & in parte exuberante, eroganda in ſubventionem pauperum, ultra id, quod neceſſarium eſt pro beneficiati congrua ſubſtentatione, & ſervitio, aliiſque indigentiis Eccleſiæ.

Quartum requiſitum conſiſtit in paupertate penſionarii, juncta cum juſta cauſa de futuro, vel etiam de præterito, ob quam juſtum ſit illum providere, puta in cauſa de futuro, ut provideatur pauper ſcholaris ad hoc, ut valeat ſtudiis vacare, atque ſe idoneum reddere Eccleſiæ ſervitio, cum ſimilibus, vel in cauſa de præterito, juxta caſuum peractum in hujuſmodi materiæ ſede, ut provideatur pauper, qui diù Eccleſiæ ſervierat in munere Vicarii Generalis, cum ſimilibus.

Quintum eſt requiſitum, ut penſio non imponatur in perpetuum, & ſuper Eccleſia, vel Beneficio, ſed gravetur ſolùm perſona proviſa de beneficio, donec ipſe erit poſſeſſor, adeòut non afficiat ſucceſſorem, vel ipſum beneficium pro tempore, quo vacat; Et quod reſpectu penſionarii non ſit perpetua penſio, ſed ſolùm duret durante indigentia, & cauſa, qua ceſſante, ceſſet, ad regula Cap. *Cum ceſſante*.

Et demùm, ut tam beneficii opulentia, ſive excreſcentia fructuum, quàm paupertas penſionarii, & cauſa, juſtificentur aliunde, quàm ex aſſertione ipſius Ordinarii Collatoris, qui reſervationem fecit, ex regula, quòd in prohibitis non ſtatur aſſertioni facientis. *i*

His autem ſic ſtantibus, quibus reſultat, quod hic eſſet inextricabilis litium labyrinthus, ſequitur, quod penè in omnimodam deſuetudinem abierit uſus penſionum, ſed quando Ordinarius, qui poteſt providere beneficium pingue cupit, ut ſuper illo aliqua reſervetur penſio, curat, ut ille, qui proviſionem habuit, obtineat à Dataria novam proviſionem beneficii, iſtaque occaſione fiat reſervatio penſionis, eodem modo, quo fit in proviſionibus reſervatorum, vel affectorum, dum Dataria non ſolet revalidare, vel approbare iſtas reſervationes, quæ fiant per Ordinarios, ac propterea non veniunt deſideranda dicta requiſita; Et per conſequens Ordinarii curant ita obtinere reſervationes penſionum ad favorem conjunctorum, vel familiarium, ideòque circumſpectè per Datariam in hoc procedi debet, neque ſe facilem reddere.

Procedunt hæc pro regula generali, juxta terminos, ſeu verius, juxta intentionem, vel rationem juris communis, quoties in Prælatis, Papa inferioribus, non verificetur facultas ſpecialis, quæ reſultet ab explicito privilegio Apoſtolico, vel ab illo implicito, quod deduci poteſt à ſtatutis habentibus Apoſtolicam confirmationem in forma ſpecifica, vel ab immemorabili, ſeu centenaria poſſeſſione, cujus vigore idem privilegium allegari poteſt, ut exempli gratia eſt Magnus Magiſter Hieroſolymitanæ Religionis, qui ex ſtabilimentis Religionis, & Apoſtolicis Conſtitutionibus habet hanc facultatem reſervandi ſuper Commendis, & Prioratibus Religionis penſiones, cum reſtrictione tamen ad profeſſos ejuſdem Ordinis, conceſſa ſolùm ſibi habilitate per novas reformationes Capituli generalis anni 1631. concedendi penſiones illis pueris, vel adoleſcentibus, quamvis non profeſſis, qui in certo numero addicti ſunt ejus ſervitio, vulgò *Paggi* nuncupati, unde intrat quæſtio, an ſint capaces retinendi has penſiones, quamvis profeſſionem non emittant, poſtquam dimiſſi ab hoc ſervitio, expleverint illam ætatem, in qua profiteri tenentur, aliaſque iſta facultas reſtrictiones patitur, & præſertim, ut exerceri
10 non poſſit ſuper Commendis Cabimenti, neque excedere poſſit quintam partem fructuum, minuſque exerceri cum debitoribus Religionis *l.* fortèque eadem facultas exercetur per illos Reges, & Principes, qui ſunt Magni Magiſtri, vel Rectores aliarum militarium Religionum, latè recenſitarum in ſede juriſdictionali; *m.* & in opuſculo de Religioſo practico. Quamvis in dictis aliis Religionibus cadere poſſit non improbabile dubium, an ſint verè, & propriè tales, qualis eſt dicta Hieroſolymitana, vel potius ſint piæ militiæ per Sedem Apoſtolicam approbatæ, adeòut illarum Commendæ, & Prioratus habeant iſtam nuncupationem per quamdam aſſimilationem, non tamen ſint verè beneficia Eccleſiaſtica, ut in ſuis ſedibus advertitur *n.* & ex quo pendet an iſtæ penſiones ſint verè Eccleſiaſticæ, vel potius temporales.

Opinatur vulgus, cujus judicium efformari non ſolet ſcientificè à ratiocinio, vel diſcurſu, ſed ab eo, quod vi- 11
det de facto, quòd aliqui Reges, & Principes, præſertim ultra montes, qui habent jus præſentandi, vel nominandi ad aliquas Cathedrales, & Metropolitanas, ac Abbatiales, habeant hanc facultatem reſervandi ſuper eis penſiones, dum iſtæ ab illis pro libito conceduntur, & diſtribuuntur perſonis eis gratis, & benemeritis. Dicenda verò eſt opinatio vulgi ignari, quoniam reſervatio fit per Papam in actu providendi Eccleſias in Conſiſtorio, vel extra, pro perſonis nominandis, quæ nominantur poſteà per dictos Reges, vel Principes, ſub hac lege conſenſum tali reſervationi præſtantes, & ſic eſt ſimplex nominatio, eodem modo, quo ſequitur in ipſarum Eccleſiarum proviſionibus, ideòque facta nominatione, nominati debent expedire litteras Apoſtolicas, ſine quibus penſiones exigere non poſſunt, ſub illa pœna, de qua infra Cap. XI. eademque erronea vulgi opinatio dignoſcitur in beneficiis de jurepatronatus laicali privatorum, quoniam ſolent quidam patroni curare reſervationes penſionum pro perſonis eis gratis, quando pinguia 12
ſint beneficia, ſed id fit per Papam, & per Datariam, eodem modo, quo in Ordinariis eſt ſuperius dictum, quamvis in hoc ſtylus non ſit ſemper uniformis, ſed ille pendeat à genio, & ſenſu Pontificis pro tempore regnantis, dum aliqui Pontifices conſueverunt nimium eſſe ad id faciles, alii verò, è converſo nimium difficiles, adeòut rarò, & non niſi ex valde juſta cauſa id admittatur, iſtaque eſt praxis præſentis Pontificatus, ideòque non eſt materia capax regulæ certæ. Videtur tamen, quod utrumque extremum ſit vitioſum, cùm nimia facilitas cauſare ſoleat, ut patroni præſentent parum dignos, qui ſunt promptiores ad ferendum onus penſionis, & è converſo durum videatur, ut qui habet jus præſentandi ad pingue beneficium à ſuis majoribus fundatum, cogatur extraneum ditare, & non poſſit aliquem ejus filium, vel conjunctum indigentem de aliquo honeſto ſubſidio providere, ideòque pro facti qualitate, & circumſtantiis materia regulanda videtur.

a *In relatione Curiæ diſc. 2. num. 35.* b *Eodem diſc. 2. num. 27. & ſeqq.* c *De Regal. diſc. 148. numer. 27. & ſeqq. De præeminent. diſc. 2. & 6. & alibi.* d *De Iurepatr. diſc. 66. num. 14. & 15.* e *Eodem titul. de Iurepatr. diſc. 65. & ſeq.* f *Gig. de penſ. quæſt. 6. ex n. 18. Tondut. eodem tract. cap. 1. nu. 24.* g *Tondut. de penſion. cap. 1.* h *De benefic. diſc. 26.* i *De his diſc. 40. & 41. de penſion. ubi allegantur Ancharan. Felin. Rebuff. Garz. Gonzal. Tondut. Barboſ. & alii.* l *De his habetur in tit. de penſion. diſc. 42. diſc. 89. & diſc. 92.* m *De Iuriſd. diſc. 92.* n *Dicto diſc. 92. de iuriſdict. diſc. 8. de fideicomiſſ. diſc. 20. de iurepatr. & alibi.*

De Perſonis, ad quarum favorem penſiones reſervari poſſunt, & quænam ſint illarum capaces, vel incapaces.

SUMMARIUM.

1 *Agitur ſolùm de capacitate, ad effectum aſſequendi, non autem ad effectum retinendi.*
2 *Quilibet de iure eſt capax penſionum.*
3 *De ſtylo Curiæ non ſunt capaces, niſi Clerici.*
4 *Sed non requiritur ætas deſiderata per Concilium Tridentinum in beneficiis.*
5 *Etiam in poſſeſſorio ſummariiſſimo manutentionis iuſtificari debet clericatus.*
6 *Facilius repellitur perſona à nova aſſequutione, quàm à poſſeſſione rei aſſequutæ.*
7 *In dubio penſio præſumitur Eccleſiaſtica.*
8 *Clerici coniugati non ſunt capaces reſervationis penſionum.*
9 *Religioſi profeſſi pariter non ſunt capaces.*

10 *Ca-*

10 *Capacitas requiritur tempore reſervationis, ideſt ſignatæ ſupplicationis, vel reſervationis.*
11 *Quid in penſionibus reſervatis, & diſtribuendis ad nominationem Regum, & Principum, de quo tempore capacitas requiratur.*
12 *Vel in penſionibus, quæ reſervantur beneficio pleno.*
13 *An cenſura cauſent incapacitatem aſſequendi.*
14 *An Clericus, qui fuit miles, vel habuit officium ſæculare ſit capax novæ reſervationis, ubi declaret velle regredi ad Statum clericalem, & dimittere ſtatum priorem.*

CAP. IV.

AGitur in præſenti Capitulo de capacitate, ad effectum aſſequendi penſiones Eccleſiaſticas, & pro validitate reſervationis, cùm de alia inſpectione capacitatis, vel in-
1 ſpectione capacitatis, vel incapacitatis ad effectum retinendi, & an penſio benè reſervata ceſſet, & amittatur, agatur infrà in Cap. XI. Attenta itaque diſpoſitione, intentione, ſeu ratione juris communis, quilibet, abſque ſtatus, gradus, ætatis, vel qualitatis differentia
2 eſt penſionum Eccleſiaſticarum capax, ob rationem ſuperius in Cap. 2. aſſignatam, quod penſio nullum jus in re, vel ad rem tribuit in beneficio Eccleſiaſtico penſionario, qui propterea nullam habet participationem in adminiſtratione, ideòque penſio de ſui natura importat quid merè temporale, & per conſequens etiam ſæculares, imò infantes, & mu-
3 lieres ſunt ejus capaces *a*. Ex quodam tamen Eccleſiæ, vel Romanæ Curiæ antiquo, recepto, hodièque inconcuſſo ſtylo, ac ex notoria Conſtitutione 92. Sixti V. quoties expreſsè Papa non faciat reſervationem ad favorem ſæcularis (& quo caſu ad differentiam dici ſolet penſio temporalis, non autem Eccleſiaſtica) penſionum Eccleſiaſticarum ſuper Eccleſiis, vel beneficiis Eccleſiaſticis non ſunt capaces ni-
4 ſi clerici, ſaltem prima tonſura initiati *b*. abſque tamen illa innovatione circa ætatem, quæ in beneficiis Eccleſiaſticis facta eſt per Concilium Tridentinum in beneficiis, dum ab iſtis ad penſiones, ob diverſitatem rationis, non licèt arguere, præſertim in odioſis, & correctoriis, taliſque eſt inconcuſſa praxis, quidquid aliqui ſentiant in contrarium. *c*

Adeòque Clericatus reputatur neceſſarius pro capacitate
5 ad penſiones Eccleſiaſticas aſſequendas, quod licèt in ſummario judicio poſſeſſorio retinendæ, vel manutentionis attendatur ſolùm factum poſſeſſionis, neglectis omnibus exceptionis, quæ reſpiciant bonum jus, vel petitorium, etiam ubi agatur de magis odioſa penſione voluntaria, beneficio pleno, & quamvis non conſtet de litteris, ſine quibus penſio exigi non poteſt, ex iis, quæ habentur infra cap. 21. Adhuc tamen juſtificari debeat clericatus, ut infra in cap. 20. occaſione agendi de remediis penſionario competentibus, facilius enim retinetur id, quod jam legitimè, & validè aſſequutum eſt, quam obtineatur aliquid de novo, juxta
6 vulgatum dicterium, quo Juriſtæ quoque ſolent frequenter uti, quod turpius ejicitur, quàm non admittitur hoſpes, eademque diſtinctio inter aſſequutionem juris novi, & amiſſionem juris jam aſſequuti, & obtenti habetur in ſede Beneficiali *d*. Ideòque ſi ceſſatio clericatus per militiam, vel alium ſtatum incompatibilem amittere, & ceſſare facit penſionem jam validè, legitimè, & perfectè reſervatam, & aſſequutam, ut infra dicto cap. 20. multò magis impedire debet aſſequendam, quoties expreſsè non conſtet de diver-
7 ſa voluntate Papæ, in dubio non præſumenda, ſed per allegantem probanda, reſervandi penſionem laico, tamquam temporalem.

Neque ſufficit clericatus, niſi ille duplicem habeat qualitatem ab eodem Eccleſiæ, vel Romanæ Curiæ ſtylo deſideratam, unam nempè cælibatus, quoniam clericus conjugatus, quamvis habeat requiſita pro fori privilegio, non ta-
8 men eſt capax aſſequendi penſionem Eccleſiaſticam, dum abſque Indulto Apoſtolico per ſtatum coniugalem amittitur penſio aliàs validè obtenta, ut infrà in dicto Cap. 20. & alteram quod ſit clericus ſæcularis, non autem regularis profeſſus in aliqua approbata Religione, quoniam ſi profeſſio
9 in Religione cauſat, pro regula generali, amiſſionem penſionis jam obtentæ, ut eodem Cap. 20. multò magis cauſat incapacitatem ad obtinendum alias penſiones, quàm illas ſuper beneficiis propriæ Religionis, in qua id ſit in uſu, ex inſinuatis Cap. præcedenti, occaſione agendi de Religione Hieroſolymitana.

Capacitas autem ob clericalem qualitatem deſideratur de 10
tempore reſervationis, adeòut non ſufficiat, ſi ſuperveniat, etiam ante expeditionem litterarum, cùm requiratur de tempore datæ gratiæ, niſi iſta concepta ſit ſub conditione futuri clericatus, eademque capacitas, deſideranda quoque venit in translatione, quæ novæ reſervationis ſpeciem habet, ut infrà Cap. 18. ubi agitur de materia translationis. Cadere tamen ſolet dubium in illis penſionibus, quæ reſer- 11
vantur per Papam, pro perſonis nominandis ſuper Eccleſiis, quæ providentur ad præſentationem, vel nominationem Regum, & Principum, qui nominare quoque ſolent penſionarios, ad quorum favorem litteræ Apoſtolicæ expediuntur, ex inſinuatis Cap. præcedenti, quoniam dicti Reges, & Principes ſolent quandoque diu differre nominationes, caſque facere ad favorem perſonarum, quæ ſint quidem capaces de tempore nominationis, ſed incapaces de tempore reſervationis, ſed quoniam de hoc puncto particulariter agitur in ſua ſede, idcircò ad ibi deducta ſufficiat relatio. *f*

Ac etiam concluſio, quod capacitas requiratur de tempo- 12
re reſervationis, & non ſufficiat ſuperveniens, procedit in penſione; quæ purè, & perfectè reſervetur de tempore, quo beneficium vacat, quamvis effectuatio differatur per aliquod tempus, vel aliquem caſum, juxta illam ſpeciem reſervationis, de qua infrà Cap. 7. ſecus autem autem ubi agatur de reſervatione ſuper beneficio pleno, de conſenſu poſſeſſoris, juxta ſpeciem, de qua Cap. 8. quoniam tunc ſufficit capacitatem adeſſe de tempore præſtiti conſenſus, per quem gratia perfectionem recipere dicitur *g*. Quamvis de hoc nimium dubitari poſſit, quando in ſupplicatione, & in litteris narretur clericus, cum tali caſu ad validitatem gratiæ requiratur clericatus de eo tempore, ſuper quo maturius eſt conſiderandum.

An autem cenſuræ excommunicationis, ſuſpenſionis, & 13
irregularitatis, poſito etiam clericatu, cauſent incapacitatem aſſequendi penſiones eodem modo, quo illam cauſant ad aſſequutionem beneficiorum, ſuperficialiter, agendo de excommunicatione, tractat modernus, qui de hac materia tractatum edere profeſſus eſt *h*. atque inclinat in negativam, ex fundamento clauſulæ, *teque abſolventes* in litteris Apoſtolicis adjici ſolitæ. Leve autem iſtud fundamentum videtur, ſed ex aliis rationibus eadem negativa probabilior videtur, quamvis non improbabilis dici mereatur opinio contraria, utpotè majorum auctoritatum numero munita, ex latius deductis in ſede penſionum *i*. ac etiam infra Cap. 10.

Quamvis item aſſumptio militiæ, vel alterius officii ſæ- 14
cularis, & incompatibilis cum ſtatu clericali cauſet amiſſionem penſionis jam obtentæ, ex deductis infrà dicto Cap. 11. Nihilominus ſi ad favorem illius, qui talem ſtatum incompatibilem aſſumpſit, reſervetur penſio, ipſeque habita notitia reſervationem acceptet, illiuſque beneficio uti volens determinet, deſerto ultimo ſtatu militari, vel aliàs incompatibili, priorem clericalem raſſumere, non videtur quid prohibeat, dum non prohibetur habitum reaſſumere, atque gaudere omnibus clericalibus privilegiis. Neque id repugnat ſuperius inſinuatæ propoſitioni, quod faciliusquis repellitur à jure aſſequendo, quàm privetur jure aſſequuto, quoniam hic effectus non provenit à privatione, vel ab incapacitate, quæ facilius intret in uno, quàm in alio caſu, ſed provenit à diverſitate rationis, quoniam quando quis poſſidet penſionem Eccleſiaſticam tamquam clericus, dum voluntariè eligit ſtatum clericatui contrarium, ita voluntariè abdicat à ſe iſtud jus, eique implicitè cedit, quod non debet impedire novam aſſequutionem, quam obtinere poteſt in poſtmodum reaſſumpto ſtatu clericali, ad inſtar illius clerici, qui tranſitum facit ad ſtatum coniugalem, ob quem amittit penſionem, quoniam uxore mortua, vel aliàs diſſoluto matrimonio, quoties non obſtet impedimentum bigamiæ, non prohibetur regredi ad ſtatum clericalem, & fieri capax novarum penſionum.

Aliquæ militiæ, per Sedem Apoſtolicam approbatæ, habent Apoſtolica indulta, ut earum profeſſores ſint pro certis ſummis penſionum capaces, non obſtante coniugali ſtatu, & bigamia, & quamvis non incedant in habitu, & tonſura, ut ſunt præſertim milites Lauretani, & milites Sancti Stephani, ac etiam illi Sanctorum Mauritii, & Lazari, ex conſtit. 95. Pii IV. §. 48. to. 2. & conſtitut. 102. Clementis

tis VIII. §. 13. & conſtitut. 46. Pauli V. §. 5. tom. 3. Verùm intrat dubium, an hæc indulta ſuffragentur ſolùm pro retentione jam legitimè aſſequutarum penſionum in ſtatu clericali, non autem pro nova aſſequutione ſine dicta qualitate, & probabilius videtur, ex deductis in ſua ſede. *k*.

a *De penſion. diſc.* 1. 2. 10. 46. *& ſeqq. & diſc.* 80. *& alibi in quib. allegantur auctoritates.* b *diſc.* 2. *&* 10. *de penſion. & in aliis, ut ſupra & infra cap.* 20. *ubi de æquiparat. penſionum, & beneficiorum.* c *De Benefic. diſc.* 95. *num.* 3. *& infrà dict. cap.* 20. d *De benefic. diſc.* 70. *&* 71. f *Eod. diſc.* 10. *& diſc.* 82. *de penſion.* g *Eodem diſc.* 10. h *Tondut. quæſt.* 67. i *De penſionib. diſc.* 82. *k De penſionib. diſc.* 83.

De variis modis, cum quibus penſionum reſervationes fieri poſſunt, & ſolent, & de reſervatione fructuum.

SVMMARIVM.

1 *DE reſervatione fructuum, an ſit idem, quod penſio.*
2 *Quod reſervatio habeatur tamquam penſio, ad effectum transferendi penſionem ſuper fructibus.*
3 *E converſo, reſervatarius habetur tamquam titularis circa Conſtitutiones Vrbani VIII.*
4 *Reſervatarius fructuum aſſimilatur uſufructuario, & habet maius ius, quàm penſionarius.*
5 *Sed non habet participationem in iuriſdictione, vel adminiſtratione.*
6 *De variis modis, cum quibus penſionum reſervationes fieri ſolent.*
7 *De reſervationibus perpetuis, vel temporalibus ad favorem manus mortuæ.*

CAP. V.

MAgis generalis diſtinctio, circa modum reſervationis, de quo in præſenti agitur, eſt inter reſervationem, quæ fiat in certa quantitate pecuniaria, juxta frequen-
1 tiorem, & communem uſum penſionum, & illam, quæ fiat de omnibus Eccleſiæ, vel Beneficii fructibus, vel de illorum quota, reſervando Titulari congruam, ſeu portionem in quantitate, vel in aliqua parte, ſeu quota fructuum; Iſtaque poſterior ſpecies reſervationis fructuum, pro communi loquendi uſu, venire non ſolet ſub nomine, vel vocabulo penſionis, ſed explicari cum proprio, & peculiari vocabulo reſervationis fructuum, ideòque non penſionarius, ſed reſervatarius fructuum dici ſolet, quamvis ad certos effectus hæc reſervatio habeat ſpeciem penſionis, ut præſertim ſequitur circa indultum Cardinalibus, & aliis concedi ſolitum transferendi penſiones uſque ad certam ſummam, quoniam exerceri poteſt facultas transferendi in quantitate,
2 quamvis ejus penſio talis non eſſet, quoniam ad hunc effectum reſervatarius fructuum habetur loco penſionarii. *a*

E converſo ad alios effectus idem reſervatarius haberi ſolet tamquam titularis, qui contendat cum penſionariis, ut exempli gratia ſequebatur, quando ante noſtram Innocentianam Conſtitutionem procedebatur cum Conſtitutio-
3 ne 21. Urbani VIII. ſuper prohibita translatione illarum penſionum, quæ excederent medietatem fructuum, ut de iſta invaliditate opponere poſſit reſervatarius fructuum, tamquam principalis intereſſatus, quamvis titularis non curet opponere, juxta declarationes factas ab eodem Urbano Octavo in plena Signatura Gratiæ *b*. & magis practicè ſuper alia Conſtitutione 113. ejuſdem Urbani Octavi, per quam diſponitur non ſuffragari indultum transferendi penſiones ſuper Eccleſiis, vel Beneficiis poſſeſſis per Cardinales, niſi iſtorum conſenſus accedat, ut ſcilicet locum habeat, quamvis Eccleſia, vel Beneficium poſſideatur per non Cardinalem, qui verè ſit Titularis, quoties Cardinalis ſi reſervatarius fructuum, quia revera finis, & ratio Conſtitutionis verificantur, atque intereſſe eſt potius Cardinalis reſervatarii fructuum, quàm titularis. *c*

Nimium autem rarus eſt in praxi hic modus, dum ſolùm practicari ſolet cum Cardinalibus dimittentibus Eccleſias, vel Beneficia, ad favorem conjunctorum, vel familiarium, ſive benevolorum cum iſta reſervatione in totum, vel in quota, iſteque modus, ut inſinuatum eſt ſupra Cap. 3. repu- 4
tatur diverſus ab altero reſervationis penſionis in certa quantitate, ut afficiat ipſam Eccleſiam, vel beneficium, cujus formalem ſervitutem, vel diminutionem importet, tamquam ſpeciem uſusfructus *d*. unde propterea denegatur ordinario Collatori, vel alteri Prælato inferiori, faciendi hanc ſpeciem reſervationis, quamvis etiam haberet facultatem reſervandi penſiones in forma conſueta, ideſt in quantitate. Et quamvis ratiocinando, probabilius eſſet, hanc differentiam non ſubſiſtere, quoties reſervatio eſſet in fructibus, non autem in uſufructu, vel jure percutiente ipſam ſubſtantiam, juxta diſtinctionem Feudiſtarum eodem Cap. 3. inſinuatam, dum reſervatio fructuum, quamvis univerſalis, refutatione, vel alio actu non eſt prohibita, ubi non ſit in uſufructu, vel alio jure *e*. Reſervatarius enim fructuum, quamvis univerſalis, eodem modo, quo dictum eſt de penſionario, nullam habet participationem in juriſdictione, vel præeminentiis, & adminiſtratione Eccleſiæ, niſi ſpecia- 5
le, & expreſſum adſit indultum, ut cum magna diſcuſſione deciſum fuit per Rotam in controverſia pendente inter Titularem, & reſervatarium fructuum cuiuſdam Eccleſiæ Cathedralis, atque cum hoc jure vivitur. *f*

Agendo itaque de altera ſpecie magis propria, & frequenti reſervationis penſionum in quantate, quamplures ſunt modi inter ſe diverſi, cum quibus hujuſmodi reſervationes fieri ſolent.

Primus etenim modus magis proprius, & connaturalis, magiſque frequens eſt ille reſervationis, quæ per Papam fit motu proprio, & purè ſuper Eccleſia liberæ collationis vacante, ante ejus proviſionem, vel in actu providendi, ad favorem certæ, vel certarum perſonarum, tunc ſpecificatarum, ſive pro perſonis nominandis. Alter eſt modus re- 6
ſervationis pariter motu proprio, ſed cum aliqua conditione, vel qualitate, puta in Cathedralibus, dummodò remaneant mille pro Epiſcopo, & in Parochialibus, dummodo remaneant centum pro Rectore, ſive in Eccleſiis, quæ providentur ad Regum, vel Principum præſentationem, vel nominationem, dummodò penſiones non excedant tertiam partem fructuum, ut practicatur in Eccleſiis, quæ ſunt ad præſentationem, vel nominationem Regis Catholici, tam in Hiſpaniis, quàm in India, vel in Italia, aliiſque ejus Dominiis, vel dummodo non excedant quartam partem, ut practicatur in Eccleſiis, quæ ſunt ad præſentationem, vel nominationem Regis Portugalliæ, tam in ipſo Regno, quàm in Indiis. In Eccleſiis enim, quæ ſunt ad præſentationem, vel nominationem Regis, Chriſtianiſſimi, ex concordatis, vel ex indultis particularibus quamvis idem practicetur uſus penſionum, non tamen practicatur iſta clauſula, vel reſtrictio. In illis verò Eccleſiis, quæ ſunt ad præſentationem, vel nominationem, aut ſupplicationem Regis Hungariæ, & Bohemiæ, ſive Regis Poloniæ, aliorumque Principum, ſi qui ſunt in partibus Septentrionalibus, non viget iſte uſus reſervationis penſionum. Alter eſt modus reſervationis, etiam motu proprio, eventualis, ideſt poſtquam una, vel plures antiquæ penſiones ceſſaverint, adeòut non multiplicentur onera, ſed hoc novum onus effectum ſortiatur, poſtquam pro ea rata ceſſaverit antiquum. Alter eſt modus reſervationis ad ſupplicationem, occaſione reſignationis Eccleſiæ, quæ gravatur ad favorem reſignantis, vel alterius ejus intuitu, & contemplatione. Alter eſt modus penſionis voluntariæ, & ſine cauſa, quæ ad ſupplicationem, vel de conſenſu Titularis reſervatur beneficio pleno. Demum alter eſt modus penſionis fiduciariæ, quæ motu proprio reſervetur ſuper Beneficio vacante ante proviſionem, vel in actu providendi in perſona unius, ad commodum tamen, & utilitatem alterius, qui ſpectato effectu, revera ſit penſionarius, perſona verò, in qua fit reſervatio, ſtet ſolùm demonſtrativè, atque ut vulgò dicitur, fit *Teſta di ferro*.

De his itaque modis, quomodo inter ſe differant, & quales ſint unius, vel alterius modi, vel ſpeciei effectus, agitur in Capp. ſequentibus, & in operis progreſſu.

Datur item altera ſpecies reſervationis penſionis inſolitæ, & irregularis, quæ fiat ad favorem manus mortuæ, puta alicujus Eccleſiæ pro fabrica, vel ſacriſtia, aliiſque indigentiis, vel alicujus Hoſpitalis, aut Collegii, ſeu Monaſterii, vel ſimilis corporis ficti, & intellectualis, & iſta reſervatio dupliciter ſequi ſolet, vel ſcilicet in perpetuum, quo caſu intrat quæſtio aliàs nimium diſputata, an dicenda ſit vera

pen-

penſio, ad plures effectus, illum præſertim, de quo infra cap. 10. ut illus mentio fieri debeat in reſervatione aliarum penſionum, & altera ad certum tempus, puta pro frequentiori praxi, præſertim Hiſpaniarum, ut illa penſio, quæ reſervata eſt pro perſona, vel perſonis nominandis aſſignetur alicui loco, vel operi pio, ad certum effectum adimplendum, idque ſequi ſolet ex particulari gratia Apoſtolica, ſine qua fieri non poteſt, atque proprium, & connaturale tempus eſt quindecim annorum, quia tanti pro quadam regula generali, & veriſimili æſtimari videtur vita illius hominis, ad cujus favorem nominatio ſequi deberet, juxta ea, quæ in materia beneficiali, ac etiam in emphyteotica habetur circa quindennia, licèt obtinentes hujuſmodi gratias, ſolicitari eſſe ſoleant illas obtinere pro minori tempore, nempè pro quatuordecim annis, idque pro evitandis illis majoribus expenſis, quas facere oportet, quando gratias pro quindecim annis, vel pro majori tempore obtinent.

a *Rota apud Royas deciſ.* 184. *diſc.* 63. *num.* 8. *de penſionib.*
b *Apud Royas deciſ.* 217. *d. diſc.* 63. *de penſion. num.* 9.
c *Apud Royas d. deciſ.* 217. *& dict. diſc.* 63. *de penſion.*
d *deciſ.* 1. *part.* 8. *recent. dicto diſc.* 63. *de penſion. num.* 3. *latius diſc.* 81. *de benefic. ex numer.* 17. e *De feud. diſc.* 76. f *Deciſ.* 63. *par.* 2. *recent. d. diſc.* 63. *de penſ. num.* 4.

De reſervatione Apoſtolica ſuper Eccleſia, vel Beneficio vacante, purè facta ante proviſionem, vel in actu providendi, & quid ubi reſervatio aliquam habeat conditionem, vel clauſulam.

SVMMARIVM.

1 *IN penſione reſervata purè motu proprio ſuper Eccleſia vacante quid per penſionarium debeat juſtificari.*
2 *Quid ubi agitur de Cathedralibus, vel Parochialibus.*
3 *De differentia inter Cathedrales, & Parochiales, & quare in Cathedralibus cenſeatur derogatum congruæ.*
4 *Quare non debeat deferri proceſſui conſiſtoriali.*
5 *Quid referat, an gratia habeat clauſulam* Dummodo, *& non habeat.*
6 *De clauſula* Dummodo *adiici ſolita in Eccleſiis ad præſentationem, vel nominationem Regum.*
7 *Quando clauſula* Dummodo *non faciat gratiam conditionalem.*
8 *Quare gratia reſervationis non habeat viam exequutivam, quando eſt conditionalis.*
9 *De inconvenientibus penſionario præiudicialibus, ubi reſervatio eſt conditionalis.*
10 *De cautela, cum qua præfata inconvenientia ceſſant.*
11 *De inconvenientibus reſultantibus ex iſta cautela.*
12 *De reſervationibus ad ſupplicationem, cum narrativa valoris per aſcenſum, exemplificatur.*
13 *Quid operetur ad favorem penſionarij poſſeſſio exigendi.*

CAP. VI.

QUando ſuper vacante Eccleſia liberæ collationis per Papam, vacatione durante, vel in actu providendi, fit reſervatio motu proprio (ut ſtylus eſt faciendi) quæ ſit pu-
1 ra, nullam habens adjectam conditionem, vel clauſulam reſtrictivam, tunc, & ſi valoris fieret mentio, penſionarius tamen pro litteratum exequutione nulla præmitur juſtificationis obligatione, vel neceſſitate, præterquam ſuper ejus clericatu, quoties reſervatio expreſsè facta non ſit pro laico, cùm in dubio, ut aliàs dictum eſt, hoc non præſumatur, ſed penſio cenſenda ſit Eccleſiaſtica, pro cujus capacitate neceſſarius eſt clericatus, ideòque valoris, aliorumque narratorum juſtificatio per ipſum non eſt facienda *a.* idque planum eſt in aliis Eccleſiis, in quibus non verificatur ſpirituale matrimonium ratione curæ ſacramentalis, vel juriſdictionalis, & formalis adminiſtrationis, ut ſunt Beneficia ſimplicia, ac etiam ſervitoria, qualia ſunt Canonicatus, & Beneficia, vel Capellaniæ in Cathedralibus, & Collegiatis. Ubi verò agitur de Cathedralibus, & Parochialibus, in quibus ratione dictæ curæ, & adminiſtrationis
2 Concilium Tridentinum providit, ut reſervari debeat præcipua, & immunis ab onere penſionum congrua Epiſcopi in mille, & Rectoris Eccleſiæ Parochialis in centum, quoniam ſi fiat ſuper hujuſmodi Eccleſiis reſervatio purè, & ſine clauſula adjici ſolita *Dummodo remaneant mille pro Epiſcopo, vel centum pro Rectore*, non per hoc præfatæ Conciliari diſpoſitioni derogatum cenſetur, niſi expreſſa fiat derogatio, ideòque eadem clauſula ſubintelligitur, quamvis proviſus reſervationi penſionis conſenſum præſtet, quoniam ille præſtitus cenſetur ad alios effectus, penſionario nimium proficuos, firma tamen remanente iſta congrua Conciliari.

Credidit tamen quandoque Rota Romana, cum cujus auctoritate aliqui moderni proceſſerunt, ut id procedat quidem in Eccleſiis Parochialibus, non autem in Cathedralibus, in quibus ubi non adjiciatur clauſula expreſſa, *dum-* 3
modo remaneant mille, non ſuffragetur tacita, vel ſubintelligenda, adeòut remaneat ſolùm Titulari jus petendi congruam alimentariam, non autem Conciliarem, ex illa differentiæ ratione, quod Eccleſiæ Cathedrales, ſub quarum genere ad hunc effectum uniunt etiam Metropolitanæ, providentur in Conſiſtorio, prævio proceſſu coram Papa, vel coram Cardinali deputato, qui Ponens nuncupatur, quo mediante habetur informatio, ne dum de vita, & moribus, aliiſque neceſſariis requiſitis promovendi, ſed etiam de ſtatu Eccleſiæ, eiuſque valore, & oneribus, exindeque ſequitur quod quando ex proceſſu conſtat quantus ſi valor, & tamen quod Papa ita gravat Eccleſiam penſionibus, adeòut non remaneant mille, ita implicitè derogare dicitur præfatæ Conciliari taxæ *b.* dum in hoc differt præſertim iſtud Concilium Tridentinum, quamvis Oecumenicum, & generale ab aliis Conciliis generalibus, quod non indiget illa expreſſa, & ſpeciali derogatione, quæ in aliis eſt neceſſaria.

Verùm id non videtur commendabile, ſive expreſſa, ſive tacita, & implicita ſit derogatio, quoniam pro dignitate Epiſcopali, & pro oneribus, quæ Epiſcopo incumbunt, 4
etiam modica videtur hæc taxa, cuicum adeò maturo conſilio factæ in Concilio Generali, non videtur derogandum, atque manifeſtus videtur error ad hunc effectum reſervationis penſionum regulare valorem cum proceſſu conſiſtoriali, quoniam notiſſimum eſt, hujuſmodi proceſſus quodammodo eſſe potius cæremoniales, dum ab ipſiſmet promovendis perquiri, & induci ſolent teſtes aliqualiter in ea regione verſati, & qui loquuntur de proprio judicio, vel de communi fama, quæ non ſolùm frequenter, ſed ſemper eſt fallax, cùm tamen ad probationem valoris requirantur teſtes benè informati, unde propterea reputatur res difficillimæ probationis, ex latè deductis in Sede Beneficiali *c.* ac etiam infrà Cap. 12.

In hoc autem dignoſcitur differentia quando iſta clauſula *Dummodo* expreſsè adjicitur, & quando facta reſervatione purè illa ſubintelligitur, quoniam priori caſu reſervatio di- 5
citur conditionalis, ideòque ubi penſionarius non ſit in poſſeſſione exigendi, ſibi incumbit onus juſtificandi, quod remaneant mille, vel centum *d.* in alio verò caſu, quia penſionarius fundatam habet intentionem in gratia pura, Titularis autem pro fundamento ſuæ exemptionis allegat, quod non adſit pro ſe congrua, idcircò ex regula, quod reus in ſua exceptione dicitur actor, talemque perſonam gerit, idcircò ſibi incumbit onus probandi valorem, & juſtificandi, quod non remanent mille, vel centum *e.* atque hic videtur nimium proficuus effectus, aliquod rationis fundamentum habens, quod reſervatio fiat purè, & abſque clauſula, *Dummodo*. Alter autem ſuperius enunciatus implicitæ, ſeu virtualis derogationis Concilii Tridentini, non placet, atque probabile rationis fundamentum habere non videtur.

In illis verò Eccleſiis Cathedralibus, vel reſpectivè Monaſterialibus, & Parochialibus, quæ non ſunt liberæ collationis, ſed providentur ad præſentationem, vel nominatio- 6
nem Regum, & Principum, adjicitur quoque dicta clauſula *Dummodo*, quæ tamen non dirigitur ad congruam, à Concilio Tridentino in certa quantitate, ut ſupra taxatam, ſed juxta ſtylos, in antecedenti capitulo enunciatos, dirigitur ad quotam, nempè dummodo penſiones, quæ reſervantur, computatis etiam antiquis, tertiam, vel reſpectivè quartam, aut aliam fructuum quotam non excedant, atque pariter dicitur gratia conditionalis, quam penſionario incumbit juſtificare, dum regulariter clauſula *Dummodo* inducit conditionem, quando tamen percutit ipſam reſervationem, ſecus autem ſi iſta ſit pura, dicta verò clauſula percutiat diverſum effectum, quia nempè præcedat clauſu- 7
la, *Etiam ſi aliæ &c.* deindeque adjiciatur clauſula *Dummodo om-*

do omnes &c. quoniam tunc non reddit gratiam conditionalem, *f.* nimiumque refert id inſpicere, ob magnum effectum Titulari, vel reſpectivè penſionario proficuum, vel præjudiciale, exindè reſultantem.

8 Sed quoniam quando reſervatio ſit conditionalis, quia concepta cum dicta clauſula *Dummodo*, ſive iſta percutiat quantitatem, ſive quotam, ut ſuprà, experientia docebat, quod hujuſmodi gratiæ pro frequentiori praxi inutiles remanebant penſionariis, quinimò potius damnoſæ, & præjudiciales eis erant eodem modo, quo ſupra in Cap. 1. dictum eſt de Conſtitutione Urbani VIII. quoniam ipſis incumbente gravi onere juſtificandi concludenter valorem, deductis oneribus, quod eſt nimium incommodum, & difficile, juxta ea, quæ latius, & ex profeſſo habentur in Sede Beneficiali ad hanc materiam probationis valoris *g.* & quod magis eſt, cogerentur ſubſtinere longam, & diſpendioſam litem per tres conformes, quoniam licèt ipſæ litteræ Apoſtolicæ reſervationis habeant viam exequutivam, & non admittant appellationem ſuſpenſivam, nihilominus iſta datur non ab ipſis litteris, earumque exequutione, ſed à declaratione Judicis explicita, vel implicita ſuper ſufficienti juſtificatione valoris, dum id pendet à probatio-

9 nibus extrinſecis *h.* Exindè ſequebatur, quod vel penſionarii decedebant ante finem litis, vel quod ab iſta defatticati, & depauperati, eam deſerebant, adeòut Beneficium

10 converteretur in maleficium. Hinc noſtra ætate adinventa eſt cautela, per quam econversò inutilis ut plurimum remanet dicta clauſula *dummodo*, adjecta ad favorem Titularis, adeòut idem reſultet effectus, ac ſi reſervatio eſſet pura, & ſine dicta clauſula, quod ſcilicet cogitur Titularis, non quidem coactione præciſa, & directa, ſed indirecta, & cauſativa, quando cupit Eccleſiam obtinere, non ſolùm præſtare ſimplicem conſenſum, qui non alterat naturam actus, neque ceſſare facit conditionem, ſed quod ſe aſſerit benè informatum de valore, quodque ſibi remaneant mille, vel centum, ſive quod penſiones non excedunt tertiam, vel quartam, aut aliam quotam, aſſumendo in ſe onus probandi contrarium, & quæ aſſumptio exindè reſultat quam-

11 vis expreſsè non fiat, ideòque adamuſſim ſequitur idem effectus, de quo ſupra Cap. 1. quoniam Titularis ita præmitur onere juſtificandi valorem, quod exigit tres conformes in judicio ordinario, & interim cogitur ſolvere penſionem, abſque probabili ſpe recuperandi indebitè ſolutum, adeòut duplici ita gravetur penſione, vel onere *i.* unde propterea edocemur, quod illa medicina, quæ adinventa eſt ad occurrendum uni malo, aliud malum fortè majus producit, quodque verificetur vulgatum adagium, quod incidit in Scyllam, cupiens vitare Carybdim.

Speciem item reſervationis conditionalis habet illa, quæ non fiat motu proprio, ſed ad ſupplicationem explicitam, vel implicitam, ut verificatur in illa penſione, quæ ex cau-

12 ſa reſignationis reſervetur ad favorem reſignantis, vel alterius, in ejus gratiam, ac etiam in illa, quæ reſervetur intuitu, & contemplatione Ordinarii Collatoris, juxta inſinuata ſupra Cap. 3. quod ſcilicet valens providere beneficium ejus ordinariæ collationis, cupiens verò ad favorem perſonæ ſibi gratæ aliquam reſervari penſionem, curat, ut capiatur proviſio Apoſtolica, ad effectum, ut dicta reſervatio ſequatur, ſive ubi idem ſequatur, ad inſtantiam, & gratificationem Patroni ſuper beneficio de jurepatronatus, & magis ubi agatur de penſione voluntaria, beneficio pleno, quoniam in his caſibus, cùm non ſoleat reſervari penſio ultra tertiam partem fructuum, & in parochialibus ultra quartam, ita ut Papa cum illo præſuppoſito gratiam concedat, aliàs non conceſſurus, ex indè ſequitur, quod penſionarii onus eſt juſtificare valorem, eodem modo, quo ſuperius inſinuatum eſt in reſervatione expreſſa, & conditionali per clauſulam *Dummodo &c.* niſi eadem adhibeatur cautela, de qua ſupra, cùm tunc idem reſultet effectus, pro quo obtinendo potius, quàm pro validitate gratiæ conſenſus Titularis adhiberi ſolet. *l*

Quaſi poſſeſſio exigendi, in qua Titularis conſtituerit penſionarium cum ſolutione unius termini, vel etiam alicujus

13 partis, quamvis modicæ, in cauſam tamen, ſeu partem integræ penſionis, quod ſufficit, eumdem operatur effectum, non quidem omnimodum, ſicuti operatur dicta cautela transferendi onus in Titularem probandi concludenter valorem, ſed in aliqua parte, ſcilicet pendente judicio ordinario juſtificationis valoris, terminando per tres conformes, ut interim ex remedio poſſeſſorio retinendæ, Titularis cogatur ſolvere penſionem, adhuc tamen onus eſt penſionarii juſtificare valorem; cùm Titulari ſufficiat pro impugnatione reſervationis intentare iſtam actionem, quæ negatoria dicitur. *m*

Differunt autem inter ſe iſtæ duæ cautelæ, quod prior, nempè conſenſus qualificati, ut ſupra, uno reſpectu magis proficua eſt Penſionario, alio reſpectu eſt magis reſtricta, minuſque prodeſt, quoniam ſuffragatur ſolùm contra conſentientem, non autem contra ſucceſſorem, qui ſimilem non præſtiterit conſenſum, è converſo autem poſterior cautela, ſcilicet poſſeſſionis, uno reſpectu minus operatur circa obligationem juſtificandi valorem, ſed alio reſpectu magis proficua eſt, quia operatur etiam contra ſucceſſorem, ut infrà Cap. 16.

a *Add. ad Gregor. deciſ. 57. num. 11. & ad Buratt. deciſ. 261. nu. 17. Tondut. de penſionib. cap. 14. num. 32. & ſeq. cum aliis diſc. 2. de penſion. num. 6. & alibi.* b *De Penſion. diſc. 2. ex num. 6. & diſc. 52. ſub num. 5.* c *De benefic. diſc. 90.* d *Dict. diſc. 2. ex num. 5.* e *Eod. diſc. 2. ubi concordantes.* f *De Benef. diſc. 90. n. 51. de Penſ. in Summ. num. 37. & 107.* g *dict. diſc. 90. de benef. ubi videri poſſunt auctoritates, & infra cap. 12.* h *Infra Capit. 12.* i *Rot. coram Celſo dec. 346. de Penſ. diſc. 6. n. 3. & diſc. 91. n. 2. de Benef. diſc. 90. nu. 48.* l *De Benef. diſc. 90. nu. 37. de Penſ. diſc. 11. & ſeqq. & diſc. 93. eod tit.* m *Dict. diſc. 90. de Benefic. nu. 45. & 46.*

De Apoſtolica reſervatione ſuper Eccleſia, vel Beneficio vacante eventuali, ſi, & poſtquam antiquæ, una, vel plures penſiones ceſſaverint.

SVMMARIVM.

1 *Qvalis ſit reſervatio eventualis.*
2 *Quæſtiones in hac ſpecie cadunt mortuo Papa, qui eas facit, antequam effectum ſortiantur.*
3 *Quare non procedatur remiſſivè, & quando ita procedendum ſit.*
4 *De vitio ſuperfluitatis, quando excuſabile, & non damnabile.*
5 *De eadem quæſtione cadente in inveſtituris feudalibus, & emphyteoticis, in conceſſionibus officiorum, & in expectativis beneficiorum.*
6 *Quæ ſint rationes dubitandi de his reſervationibus.*
7 *Gratia concedibilis dicitur imperfecta recipiens perfectionem à puritate cordis.*
8 *De ratione voti captandæ mortis.*
9 *Non procedit in feudis, & de ratione.*
10 *Multò minus in beneficijs, & penſionibus.*
11 *Quod generaliter iſta ratio voti captandæ mortis non attendatur.*
12 *De ratione ſupplantationis ſucceſſoris.*
13 *Quare non intret diſtinctio inter Principem ſuppremum, & inferiores.*
14 *De negantibus poteſtatem Papæ faciendi has conceſſiones præventivas.*
15 *De differentia inter conceſſiones temporales, & iſtas beneficiales, vel ſpirituales.*
16 *Quod ratio ſupplantationis non cauſet nullitatem, & quare.*
17 *Laudatur quod Pontifex ſucceſſor revocet iſtas reſervationes adhuc effectum non ſortitas.*
18 *De inconvenientibus, quæ ex iſta ſpecie reſervationum reſultant.*
19 *De eadem concluſione, de qua num. 7. & an ſit reſervatio conditionalis, & imperfecta.*
20 *De operatione gratiæ conditionalis, vel actus imperfecti.*
21 *Quale ſit ſubiectum penſionis.*
22 *Quando intret implicantia plurium penſionum ſuper eiſdem fructibus.*
23 *Si antiquæ penſiones ceſſant in parte, an nova penſio eventualis ſubintret in ſola parte defecta pro rata.*

CAP. VII.

A Baliquo moderno tempore inolevit quidã, fortè parũ cõmendabilis uſus faciendi hujuſmodi reſervationes eventuales, quod ſcilicet vacante aliqua Eccleſia Cathedrali, vel Monaſteriali quę pingues habeat redditus, adeò verò gra- 1

vata

vata sit pensionibus, vel reservatione fructuum, ut novarum pensionum sit incapax de præsenti, probabiliter autem ad breve tempus, ob gravem ætatem reservatarii, vel pensionariorum speretur capacitas, ipsa vacatione durante, vel in actu providendi fit aliarum pensionum reservatio, effectum sortitura in toto, vel in parte, si, & postquam antiquæ pensiones, vel fructuum reservatio in toto, vel in parte, & ad tam cessaverint. Quando autem iste casus cessationis antiquarum pensionum, vel reservationis fructuum verificatur, adhuc vivente illo Pontifice, qui hanc eventualem reservationem fecit, tunc nulla cadit ratio dubitandi, quæ solùm cadit, quando id sequatur post ejusdem Pontificis mortem, quo casu pariter à moderno tempore, (quod in moderna introductione antiquum esse non potest) non semel disputari contingit, an tales reservationes evanuerint, vel potius effectum sortiri debeant, ut patet ex deductis in pensionum sede. *a*

Quamvis autem super ista quæstione, sufficere videtur habere se remissivè ad insinuata loca, in quibus latè de illa tractatur, Nihilominus quia non multum incommoda est illa remissio, quæ ut genio, & stylo satisfiat, practicatur circa comprobationem conclusionum, quas lector peritus præsupponere poterit, absque testimoniorum necessitate, dum fortè non videor testis adeò malè informatus, ut mihi aliqua fides præstanda non sit. Notabiliter autem incommoda censenda est remissio substantiæ, ideòque superflua, & vitiosa dici non meretur illa repetitio, quæ gratia majoris declarationis, vel ex alio proficuo, & rationabili fine fiat. *b*

Assumendo igitur quæstionem, licèt in subjecta materia, ut præmissum est, illa sit nova, ideòque in his præcisis terminis non de facili habeantur majorum nostrorum auctoritates, arguendo tamen à similibus, à quibus ob rationis identitatem arguere licèt, antiqua est, multaque habet majorum auctoritates, & præsertim Feudistarum, qui originaliter illam tractant, occasione illarum investiturarum de feudis adhuc non vacantibus, quas abusivas appellant, unde propterea infertur per moderniores ad consimiles præventivas, vel abusivas investituras emphyteoticas, ac etiam ad concessiones officiorum vacabilium, & Beneficialistæ tractant in materia expectativarum, ideòque ea, quæ per Doctores in dictis materiis considerantur, rectè ad subjectam materiam applicari possunt, & per consequens expedit recurrere ad loca, in quibus de his agitur. *c*

Plures itaque dubitandi rationes adversus hujusmodi præventivas, vel abusivas concessiones considerari solent, quarum una est illa, quod ita inducatur votum captandæ mortis possessoris. Altera est illa supplantationis successoris, & exercitii potestatis pro tempore, quo ista jam cessavit, ipseque annihilatus est. Et altera, quod ista dicenda sit concessio, vel gratia conditionalis, & imperfecta recipiens essentiam, & perfectionem à purificatione conditionis, sub qua concepta est, ideòque requiritur extremum habile de tempore purificationis, quando perfectio actus sequitur, tamquam per speciem novæ gratiæ, quæ tunc fieri dicitur, juxta auctoritate latè cumulatas per modernum scribentem, de quo infrà. *d*

Singulas autem rationes prædictas distinctè examinando. Quatenus pertinet ad primam voti captandæ mortis, cùm ista infectio proveniat à quadam subtilitate juris civilis, quod fortè attentis antiquis Romanorum temporibus, & moribus, ex justis, & rationabilibus motivis, tunc ordinatum fuit, idcircò illius dispositio, juxta sensum illorum, qui legum litteram rigorosè sequuntur, attendi solùm debet in iis, quæ eidem juri civili cognita sint, & juxta illud regulentur, ut ad rem nostram sunt concessiones emphyteoticæ, quoniam dictum jus civile cognovit contractum emphyteoticum, ideòque magis communiter est receptum, ut istius voti captandæ mortis nulla ratio habeatur in concessionibus feudalibus, quoniam feuda præfato juri ignota sunt, utpotè introducta post dissolutum in Occidente Romanorum Imperium per Longobardos, vel per Germanos, qui Franchi tunc dicebantur, propriasque, & particulares habent consuetudines in scripturam redactas, atque legum formam habentes, cum quibus regulantur. *e*

Multò igitur magis idem dicendum est in Beneficiis, & pensionibus Ecclesiasticis, huic juri civili omninò ignotis, & quod magis est eidem juri tamquam laicali, non subjectis, & quæ regulantur cum propriis, & peculiaribus legibus, & regulis beneficialibus; Ita quoque ad evidentiam comprobante notoria, & inconcussa praxi, quoniam longè magis proximè istud votum captandæ mortis intrare deberet in resignationibus, cum reservationibus pensionum, quibus provisi gravantur, aut in coadjutoriis cum futura successione, & generaliter in omnibus gratiis expectativis, & tamen apud beneficialistas nunquam ista consideratio habita fuit.

Clarius verò quoniam etiam in materiis civilibus, vel profanis, præfato juri civili cognitis, & quæ cum ejus dispositione regulantur, ob morum, & temporum, ac etiam Religionis, & pietatis immutationem in melius, ista mala præsumptio in praxi non attenditur, nullaque istius voti suspicio, vel ratio habetur, dum illa intrare deberet in qualibet successione necessaria filiorum, vel agnatorum, aliorumque conjunctorum, cum ordine primogenituræ, seu majoratus, vel proximitatis sanguinis in Regnis, & Principatibus, nec non in feudis pacti, & providentiæ, & in primogenituris, ac majoratibus, & fideicommissis, aliisque similibus successionibus certis, & necessariis; Ac etiam in venditionibus prædiorum, aliorumque bonorum ad vitam, & in censibus, aliisque juribus vitalitiis, nec non in donationibus cum reservatione usufructus, vel cum obligatione alterius præstationis ad vitam; Ideòque ea, quæ in dicto jure civili, & apud ejus interpretes theoricè habentur, videntur potius proportionata Scholis, & Academiis pro Tyronum ingeniis exercendis, quàm foro practico, etiam respectu illarum concessionum, vel dispositionum profanarum, quæ per inferiores fiant, eidem juri civili subjectos; Multò igitur magis ad effectum, de quo agitur, tam ratione subjectæ materiæ Ecclesiasticæ, vel spiritualis, quæ dictum jus civile in nihilo recognoscis, quàm ratione personæ facientis hujusmodi reservationes, qualis est privativè, & singulariter Papa, qui exemptus quidem est, etiam à lege Ecclesiastica positiva, dum in ratione coactiva aliam non recognoscit legem, nisi Divinam, adhuc tamen ex quadam coactione directiva, derivante à lege congruentiæ, & honestatis, aut pro regulatione ejus voluntatis, & styli, quodammodo, & per modum loquendi, subjacere videtur legibus Ecclesiasticis, & beneficialibus. At quoad leges civiles, & sæculares, de quarum genere sunt illæ Romanorum, quæ juxta compilationem Justiniani efformant jus civile, & commune, nulla penitus cadit ratio dubitandi, unde propterea de manifesto convincuntur errore illi, qui ratiocinijs neglectis, atque cum sola auctoritatum littera, vel cum regulis, & propositionibus generalibus procedentes, ad hujusmodi distinctiones, tam legum, & materiarum, quàm etiam morum, & temporum non reflectunt, sed res, & casus confundunt.

Altera dubitandi ratio supplantationis successoris, & dispositionis pro tempore inhabili, & post expiratum jus disponentis, dependentiam habere videtur ab alia ratione, quæ resultat à natura, vel qualitate reservationis, an sit pura, vel conditionalis, ut infrà, quoniam ubi verius esset illam esse conditionalem, tunc inanis esset hæc inspectio magis dubia, dum subsisteret alter clarior, & solidior defectus, superius insinuatus, imperfectionis, & resolutionis concessionis ob mortem, vel aliàs expiratum jus concedentis ante conditionis purificationem, sed quando probabilius dicendum esset (ut verè dicendum est) quod ista censenda sit gratia, vel concessio pura, & ab initio perfecta, cujus effectuatio ad certum casum protracta sit, tunc quatenus ad istam dubitandi rationem pertinet ad rem nostram, penitus inane, ac superfluum est assumere inspectionem in Regalium Sede, occasione officiorum, & in alia Sede Emphyteusis peractum *f.* super distinctione inter supremos Principes, habentes potestatem derogandi legibus, & juri tertii, & inferiores Prælatos, vel Magistratus, quibus ista potestas non competat, quoniam certum est istam speciem reservationis fieri non posse ab Ordinariis, aliisque inferioribus Prælatis, illamque singulariter, & privativè pertinere ad Papam, circa cujus personam licèt aliqui feudistæ, præsertim Germani, *g.* negent hanc potestatem; Attamen quidquid sit in temporalibus, puta circa investituras feudales, aliasque dispositiones, & concessiones, quas Papa faciat uti Princeps temporalis ditionis Ecclesiæ, & in quibus etiam in Curia magis recepta est contraria opinio, ut ejus provisionibus iste defectus non obstet ad causandam earum nullitatem, sed solum, ut id præbeat justum motivum Successori illas revocandi *h.* non exindè inferri potest ad casum, vel effectum, de quo agitur, beneficiorum scilicet Ecclesiasticorum, ac pensionum, aliorumque onerum super eis, dum in his, aliisque similibus materiis Ecclesiasticis, & spiritualibus Papa dispo-

diſponit uti Papa, ideſt Chriſti Vicarius, & Univerſalis Eccleſiæ Caput, non autem tamquam Princeps, magna ſiquidem differentia dignoſcitur inter unam, & alteram poteſtatem, ex iis, quæ alibi pluries deducta ſunt, atque præſertim in beneficialibus, ut ſupra cap. 3. inſinuatum eſt, juxta opinionem in Curia paſſim receptam, & ubique apud Catholicos recipiendam, quod Papa eſt abſolutus Dominus, & diſpoſitor etiam de ipſis beneficiis eorumque ſubſtantia, multò magis circa iſtud onus, quod verè ſubſtantiam non afficit, ut ſupra in cap. 2. & 3. ac etiam infrà pluries.

Conſiderando quoque quod, ut præſertim in materia emphyteotica advertitur, *i.* etiam reſpectu Prælatorum, aliorumque inferiorum iſta ratio prohibitæ ſupplantationis
13 ſucceſſoris non cauſat invaliditatem actus ab initio, & ipſo jure, cùm dicatur eſſe in ſtatu validitatis, donec vivit Prælatus, vel alter inferior ob poſſibilitatem, quod ipſo adhuc vivente caſus fiat, ſolùmque operatur ut non afficiat Succeſſorem, qui poſſit revocare, vel nolle ſtare actui, & è converſo volens poteſt acquieſcere, & non impugnare, & ſic in gratiam ipſius Prædeceſſoris, non autem tertii, quod magis in Papa dicendum eſt; Ideòque concludendum videtur, quod actus dici non debeat infectus, ſed quod iſta conſideratio juſtum tribuere poſſit motivum Succeſſori illum re integra revocandi, & quidem valde commendabiliter, quando fiat, ob plura inconvenientia, quæ iſta mo-
14 derna introductio producit. Quemadmodum enim, juxta ſtylum, præſertim initio ſæculi currentis introductum, & continuatum, novus Pontifex initio Pontificatus ſolet facere Conſtitutionem revocatoriam exemptionum, & franchitiarum, aliarumque Cameræ præjudicialium conceſſionum, factarum per Prædeceſſorem, quando non ſint ex cauſa verè oneroſa, & correſpectiva, magis autem proximè, & ad rem, antiquior eſt ſtylus per Regulas Cancellariæ, cujuslibet Pontificatus initio, revocandi uniones, quæ effectum adhuc non ſint ſortitæ, juxta ea, quæ ſuper hac regula unionum revocatoria habentur in Sede Beneficiali, ita multò magis deberet fieri hujuſmodi abuſivarum reſervationum, adhuc effectum non ſortitarum, generalis revocatio, ob quamplura inconvenientia, quæ iſta parùm commendabilis moderna introductio producere ſolet, & præſertim (ut noſtra ætate praxis non ſemel docuit) quando per ceſſum, vel deceſſum illius, in cujus proviſione facta eſt hæc
15 reſervatio, cui ipſe conſenſum præſtitit, juxta ſtylum, in pluries enunciata Sede inſinuatum, vacat Eccleſia, adhuc antiquis penſionibus, vel antiqua fructuum reſervatione onerata, eo quia iſtius novæ reſervationis eventualis, non de facili habetur notitia, exindè ſequitur, quod viri conſpicui, & qualificati ad hujuſmodi Eccleſiarum regimen ſuſcipiendum de facili inducuntur, ob ſpem probabilem ceſſationis antiquarum penſionum, vel reſervationis fructuum, regulatam à gravi ætate, vel mala valetudine penſionariorum, ſeu reſervatariorum, poſtmodum verò, facto caſu ab eis ſperato, detectiſque hujuſmodi novis, & occultis oneribus, decepti remanent, Eccleſiarum aliàs regimen non ſuſcepturi. Et quod magis eſt, quandoque caſus accedit, quod per mortem penſionarii, per quam onus, vel in totum ceſſare, vel in parte minui, pro frequentiori contingentia, debet, & ſolet, ita potius augetur, & fit majus, ut puta, juxta caſum, quem ſum expertus. Gravata erat quædam Eccleſia Metropolitana (aliàs antiquioribus temporibus valdè pinguis, & ſolita ſupportare majus onus) penſione ſcutorum mille ſeptingentorum, & quinquaginta, ad favorem cujuſdam Cardinalis, qui benè informatus de diminutione reddituum, & antiqui ſtatus Eccleſiæ, oretenus benevolam practicabat cum Archiepiſcopo reductionem notabilis partis, contentus ſolùm ſcutis mille; decedens autem dictus Cardinalis, in vim ſoliti indulti, tranſtulit dictam penſionem pro eadem rata ſcutorum mille, atq; translatio effectum habuit, dum receptum eſt, quod hujuſmodi eventuales reſervationes non præjudicant antiquis penſionariis, in facultate transferendi, ut infrà Cap. 2. Detecta verò fuit nova penſio eventualis ſcutorum quingentorum monetæ, Unde propterea onus Eccleſiæ, & Titularis auctum fuit, eique expediebat, quod antiquus penſionarius non deceſſiſſet, quod *k.* aliquod ſcandalum produxit, ideòque multò commendabilis videretur dicta revocatoria.

Demùm quoad tertiam dubitandi rationem, in qua principaliter inſiſtebat pluries enuntiatus modernus, qui do-
16 ctus quidem, & ingenioſus hujus Curiæ primi Ordinis Advocatus, in controverſiis enunciatis in ſua Sede *l.* fuit promotor, & acerrimus propugnator motivi, ut patet ex ejus jam enunciata conſultatione. *m.* Theoricè ſcribendo hinc inde concordabamus in principiis, vel concluſionibus in abſtracto, diſcordabamus verò in concreto, ſive in applicatione. Siquidem admittebam ego tamquam veriſſimam concluſionem ab ipſo deductam, latèque exornatam, quod gratia, & quæcumque alia diſpoſitio conditionalis, vel alias imperfecta, expectans perfectionem à purificatione conditionis, vel ab alio actu perficiente, nihil de præſenti ponit in eſſe, nullumque jus tribuit, quodque 17
attenditur tempus, in quo ſequitur perfectio, quod etiam in feudis, aliiſque prohibitis receptum habetur, ut attendatur tempus aſſenſus, vel alterius actus perficientis *n.* ut etiam dictum eſt ſupra in Cap. 4. de Clericatu, ut in penſione voluntaria, quamvis non adſit de tempore reſervationis, ſufficiat adeſſe de tempore conſenſus Titularis, quoniam iſte perficit actum alias conditionalem, & imperfectum, cum ſimilibus; Diſcordantia verò erat in applicatione ad factum, quoniam verius eſt hujuſmodi reſervationes, quoad ſubſtantiam, eſſe puras, & perfectas ab initio, atque ſolùm differri effectuationem, vel exequutionem, eodem modo, quo habetur in donationibus inter vivos, quæ collatæ ſint in tempus mortis collatoris, quoniam aliud eſt ubi poſt mortem confertur ſubſtantia, & aliud eſt ubi differtur exequutio, vel effectuatio; Quod magis proximè habemus in eadem materia beneficiali in unionibus, vel ſuppreſſionibus, aut diſmembrationibus, vel ſuper immutatione naturæ beneficiorum, poſt ceſſum, vel deceſſum poſſeſſoris, quoniam ipſamet ſuperius enuntiata regula revocatoria unionum, quæ adhuc effectum ſortitæ non ſint, clarè comprobat iſtam veritatem, quoniam ſi unio collata poſt mortem poſſeſſoris eſſet conditionalis, utique mortuo Pontifice, qui eam fecit, inanis eſſet regula revocatoria, dum revocatio præſupponit præexiſtentiam actus jam perfecti, cum ſimilibus.

Prout etiam concordabamus in altera propoſitione, ab eodem ſcribente nimium inculcata, de qua etiam ſupra Cap. 2. quod ſubjectum penſionis non eſt beneficium, neque ejus bona, ſed ſunt ejuſdem beneficii fructus, ſuper quibus penſio imponitur, unde manat quod penſio- 18
narius nullum jus in re, neque ad rem in beneficio acquirit, nullamque habet participationem in adminiſtratione; Diſcordabamus autem pariter in applicatione, ſeu verius fallacia eſt in conſequentia, quæ exindè deducitur, quod ſcilicet impoſſibile ſit ſubſtineri reſervationem puram, & perfectam ſine ſubjecto, dum tunc non aderant fructus, qui ſunt penſionis ſubjectum, dum Papa diſponere non poteſt ſuper non ente, neque concedi, vel conferri poteſt id, cujus ſubſtantia non eſt in eſſe de præſenti *o.* Verùm in hoc 19
conſiſtere videtur fallacia, quoniam tunc iſta impoſſibilitas, vel implicantia intraret, quando ſuper ipſis fructibus illius temporis jam aliis penſionariis, vel reſervatario aſſignatis, iſta nova reſervatio fieret, cùm eadem res non poſſit duobus in ſolidum eodem tempore concedi, ſecus autem, ubi agitur de fructibus futuris, & percipiendis in tempore habili, quando ceſſatis antiquis impedimentis, commodè poteſt cum eis iſtud novum onus adimpleri, cùm nulla videatur ſubeſſe ratio, quæ id prohibeat. Siquidem etiam reſervationes primæ, & omninò puræ ſubſtineri non poſſunt ſuper fructibus illius anni, vel temporis, in quo fiunt, ſed adhuc intelliguntur factæ ſuper fructibus futuris, qui ſingulis annis maturabunt, ex propoſitione, de qua pluries infrà, quod tot ſunt anni penſionis, quod ſunt recollectæ fructuum, adeòut quælibet recollecta deſerviat pro quolibet anno, ideòque, ſi vera eſſet conſequentia, non poſſet prima, & pura reſervatio ſubſtineri, niſi pro primo anno, & ſuper fructibus tunc extantibus, quod utique vanum eſt aſſerere.

Subjectum itaque penſionis non conſiſtit in ipſis fructibus tunc extantibus, ſed conſiſtit in illa, quæ dicitur fructuum commoditas, habens tractum ſucceſſivum, etiam longævum, abſque eo, quod ſcindi, vel diminui, aut aliàs tangi dicatur ipſum corpus, vel ipſa ſubſtantia, ſeu cauſa productiva fructuum, ut receptum habemus in feudis, & officiis, aliiſque prohibitis, & in libero privato commercio non exiſtentibus *p.* & in hac ſpecie penſionum Eccleſiaſticarum habetur infrà Cap. 14. ideòque non videtur, quid prohibeat ut illa commoditas, quæ alicui vendita, vel aliàs conceſſa eſt ad vitam, vel ad certum tempus, non

poſſit

poſſit ex nunc purè, & perfectè vendi, vel concedi alteri ad ejus vitam, pro eo tempore, quo prior commoditas ceſſaverit, eodem modo, quo vendito uni prædio ad vitam, juxta illum contractum, de quo in ſede Emphyteuſis, & Venditionis q. poſſit ex nunc fieri alteri conſimilis venditio, ſi, & poſtquam prima ceſſaverit; Idemque in conceſſione officii vacabilis, vel in conſtitutione cenſus vitalitii, cum ſimilibus, cum implicantia conſtat, quando eadem fructuum commoditas, contemporaneè pluribus inſolidum concederetur, illicò effectum ſortitura, neque ſuper hoc idem ſcribens videtur benè ſatisfacere, quamvis enim excitet reſponſionem objecto, utpotè contentam in meo diſcurſu jam publicæ luci edito r. Attamen adæquatè non ſatisfacit, quia reverà non videtur poſſe ſatisfieri; Unde propterea poſt controverſias in utroque diſcurſu, hinc inde enuntiatas; Cùm aliarum conſimilium reſervationum caſus eſſent purificati, nil oppoſitum fuit, ſed Titulares acquieverunt. Ceſſabit autem iſta quæſtio, quando Succeſſores Pontifices agant id, quod ſuperius dictum eſt in Cap. 2. quod ſcilicet imitentur noſtrum Legislatorem Innocentium XI. ejuſque ſequantur veſtigia, dum ab iſta reſervationum ſpecie hactenus omninò abſtinuit.

Quando autem antiquæ penſiones, quarum ceſſatio poſita eſt in conditione, pro effectuatione iſtius novæ reſervationis eventualis, non ceſſant in totum, ſed in parte, puta quia aliqui penſionarii decedant, alii verò ſupervivant, ſive quia penſionarius decedens partem penſionis tranſtulerit, unde propterea ceſſaverit in parte, intrat dubium an pro rata ceſſante debeat nova penſio effectum ſortiri, vel potius requiratur, ut ceſſatio ſequatur in totum, atque verius, magiſque in praxi receptum eſt, ut ſufficiat ceſſatio in parte, in qua nova penſio proparte ceſſata ſubintrare debet, & ſortiri effectum. 13

a *De penſion. diſc.* 1. & 2. & 82. b *De feud. diſc.* 1. *num.* 23. *de benefic. diſc.* 47. *num.* 10. *de fideic. diſc.* 18. *num.* 6. & *alibi ſæpius*. c *De regal. diſc.* 3. & 198. *de Emphyteuſi diſcurſ.* 1. & 2. *de feud. in ſumma numer.* 117. & *ſeqq. Annot. ad Concil. Trident. diſc.* 45. & *alibi*. d *Apud Turr. de pactis futur. ſucceſſ. in fine pagina* 526. *num.* 16. & *ſeqq.* & *diſc.* 1. *de penſion. nu.* 13. & *ſeqq.* e *De Emphyteuſ. diſc.* 1. *num.* 16. & *ſeq.* f *De emphytheuſ. diſc.* 1. & *de Regal. diſc.* 3. & *in annotat. ad eumdem*, & *diſc.* 198. & *in tractat. de offic. venal. cap.* 14. g *Plene relati ab enunciato moderno ſcriptore apud Turr. de pact. futur. ſucceſſ. pagina* 526. *num.* 21. & *enuntiatur eodem diſc.* 1. *de penſionibus*. h *d. diſc.* 1. *de penſion. n.* 24. & *in d. tract. de offic. venal. cap.* 14. i *dict. diſc.* 1. *de emphyteuſ.* k *de iſto caſu diſc.* 3. *de penſion.* l *dict. diſc.* 1. & 82. *de penſion.* m *Impreſſ. poſt Turr. de pact. futur. ſucceſſ. in fine pagina* 524. & *ſeqq.* n *De feud. diſc.* 78. *de donation. diſc.* 61. *de credit. diſc.* 13. & 151. & *alibi pluries*.
o *In conſul. ſuperius citata n.* 4. & 5.
p *de feud. dict. diſc.* 76. & 110. *de emphyteuſ. diſcurſ.* 58. *de Regal. diſcurſ.* 16. *de officiis venalibus cap.* 7. & *alibi*.
q *de empt. & vend. diſc.* 1.
r *dict. diſc.* 1. *de Penſion. num.* 18. & *ſeqq.*
ſ *de Penſion. diſc.* 3.

De Apoſtolica reſervatione penſionis voluntariæ, & ſine cauſa ſuper beneficio pleno.

SVMMARIVM.

1 *PApa poteſt reſervare penſiones ſuper beneficio pleno, etiam ſine cauſa, & ſine conſenſu poſſeſſoris, ſed non ſolet.*
2 *Poteſt concurrere cum quolibet ordinario collatore, illumque prævenire in collatione beneficiorum, ſed non ſolet.*
3 *De reſervatione, beneficio pleno, voluntaria, & ſine cauſa.*
4 *Recipit perfectionem à conſenſu titularis.*
5 *Verificari debet integer valor narratus, aliàs reſervatio corruit in totum.*
6 *De decreto annullativo, ubi non doceatur de veris, & effectivis ſolutionibus integris.*
7 *An ſufficiat obſervantia* 30. *annorum.*
8 *Defectus iſtius inſtificationis non attenditur in poſſeſſorio manutentionis, & quid in iudicio exequutivo litterarum.*
9 *Conſenſus Titularis de quo tempore, vel in quo ſtatu intervenire debeat.*
10 *Quid de receptione ſolutionis, an fieri poſſit ab infirmo, ad ſatisfaciendum decreto, de quo num.* 6.
11 *De differentia inter privationem iuris quæſiti, & excluſionem à iure quærendo.*
12 *An probatio ſolutionis poſſit fieri per teſtes, ac aliàs, quàm per publicum inſtrumentum.*
13 *An iuſtificari debeat ſolutio illorum terminorum, in quibus Titularis nullos fructus percipit.*
14 *Solutiones debent eſſe factæ ab ipſo titulari, non à tertio; & ipſi penſionario, non autem tertio; & quid ſi factæ ſint patri legitimo adminiſtratori.*
15 *De penſione voluntaria, beneficio pleno, ſed cum cauſa, etiam minus odioſa, quæ non debeat dictum decretum irritativum.*
16 *Quales rigores attendantur in hac ſpecie.*
17 *De probatione valoris beneficii ad hunc effectum, remiſſivè.*
18 *An titularis, qui huic penſioni conſenſit, vel eius ſucceſſor habeat actionem indemnitatis, vel relevationis contra illum, in cuius gratiam id egit.*

CAP. VIII.

QUamvis, ex jam inſinuatis in ſuperiori Cap. 3. poſſit Papa reſervare penſiones, etiam ſuper beneficio pleno, abſque conſenſu, imò cum poſitivo diſſenſu poſſeſſoris, ac etiam ſine cauſa, quoniam, qui poteſt facere plus, poteſt abſque dubio facere minus, ideòque ſi poteſt privare poſſeſſorem in totum ipſo beneficio, illudque alteri conferre, vel aliàs de ipſo diſponere, multò magis poteſt imponere aliquod onus, non ſuper ipſo beneficio, ejuſque ſubſtantia, ſed ſuper fructibus excreſcentibus, qui erogari debent in ſubventionem indigentium, aliaque pia opera, adeòut ex inſinuatis in Cap. 2. quando cum debita diſcretione penſionum reſervationes fiant, aliud non importent niſi deſtinationem perſonarum, vel uſuum. Nihilominus id Papa non ſolet practicare, adeòut nulli, vel nimium rari ſint caſus, in quibus hanc exerceat poteſtatem, eodem modo, quo habemus in collatione beneficiorum, nullam habentium Apoſtolicam reſervationem, vel affectionem, quoniam etiam in iſtis Papa poteſt concuetere cum ordinario collatore, eumque prævenire, ſed non ſolet, niſi valdè rarò, & ex magna cauſa, *a.* cum ſimilibus. Adhuc tamen incertum eſt de quo tempore, & ex quo initio, vel qua occaſione quidam inolevit ſtylus, non tamen uniformis, ſed varius pro varietate genii, & ſenſuum Pontificis pro tempore, quod alii ſunt faciles, alii verò difficiles, iſtaque poſterior pars commendabilior dicenda videtur, denegando hujuſmodi reſervationes beneficio pleno, quæ voluntariæ dicuntur, & ſine cauſa, quod ſcilicet ipſomet poſſeſſore beneficii ſupplicante, vel ad ſupplicationem petentis reſervationem, cum præſuppoſito conſenſus Titularis, fiat penſionis reſervatio, quæ propterea triplicem continere dicitur conditionem, unam nempè conſenſus Titularis, à quo gratia eſſentiam, & perfectionem recipere dicitur, cùm ſine illo non dicatur adeſſe aſſenſus Papæ. Unde propterea, ut pluries inſinuatum eſt, quamvis regulariter capacitas penſionarii requiratur de tempore factæ gratiæ, & datæ ſupplicationis, nihilominus in hac ſpecie ſufficit illam adeſſe de tempore præſtiti conſenſus, niſi obſtet aliàs inſinuata difficultas quod penſionarius in ſupplicatione narretur clericus, ut ſupra *Cap.* 4. *numer.* 12. *b.* Altera eſt conditio pariter inſinuata ſuperius in Cap. 5. verificationis valoris narrati per aſſenſum, adeòut abſque iſta verificatione gratia corruat in totum, neque ſubſtineatur pro rata, ratione individuæ voluntatis Papæ, quem catenus illam conceſſiſſe cenſendum eſt, quatenus ſubſiſteret narratus valor, ex quo Papa cognovit adeſſe excreſcentiam fructuum, ſuper quibus, abſque incommodo Eccleſiæ, & Succeſſorum in beneficio, iſtud onus imponi potuit, iſta namque penſionum ſpecies dicitur in jure odioſa, utpotè ſapiens quamdam ſpeciem hæreditatis, quam beneficii poſſeſſor in eo ſibi conſtituere voluit, ideòque non intrat illa æqui-

æquitas, quæ infrà in cap. 10. urget ad favorem reſignantis contrà reſignatarium, vel ejus ſucceſſorem, ut non verificato narrato valore in totum, ſubſtineatur penſio pro rata in dictoque cap. 10. habetur differentia inter unum caſum, & alterum.

6 Tertia demum eſt conditio, quæ frequentiùs litibus, & controverſiis occaſionem prębere ſolet inter penſionarium, & ſucceſſorem illius Titularis, de cujus conſenſu iſta ſpecies penſionis voluntariæ, beneficio plena, reſervata eſt, quòd ſcilicet ad occurrendum fraudi, & colluſioni, cujus ſuſpicio nimium eſt probabilis inter Titularem, & penſionarium, maximè ſi ſint ſanguine conjuncti, ut iſtud onus adiiciatur abſque incommodo Titularis, donec beneficium obtineat, ad ſupplanctandum ſucceſſorem, & tanquam per ſpeciem hæreditamenti in parte, idcircò in hac ſpecie reſervationis adiici ſolet decretum annullativum, ut donec vivit, vel poſſidet ille Titularis, ſequi debeat vera, & effectiva ſolutio omnium terminorum à primo uſque ad ultimum, adeòut defectus juſtificationis unius termini, vel ejus partis irritet, & annullet gratiam, quamvis conſtaret de vera, & effectiva ſolutione multorum terminorum per longum, & notabile tempus, neque ſufficiunt confeſſiones de recepto, vel quietantiæ, & computorum ſolidationes, etiam juratæ, & per publicum inſtrumentum, niſi confeſſio aliundè, per veras, & legitimas probationes juſtificetur, ex eadem ſuperiùs inſinuata ratione, quòd ſcilicet agitur de materia odioſa, nimiumque de fraude ſuſpecta, in qua propterea rigoroſè proceditur, atque verificatur vulgare Juriſtarum dicterium, ut qui cadit à ſyllaba cadat à toto. *c* Solumque in facti contingentia aliàs motivabam, an ſufficeret juſtificatio rigoroſa per ultimum longiſſimum tricennale tem-

7 pus, quamvis non doceretur de veris, & effectivis ſolutionibus aliorum terminorum præcedentium, ex illa ratione, quòd per iſtud longiſſimum tempus gratia præſumitur juſtificata, ut ex iis, quæ habentur in Sede Beneficiali, & alibi. *d* Adhuc tamen in praxi id obtinere non potui, eo quia in hac materia non ſolet admitti præſumptio, ſed requiritur veritas, ideòque neque admittitur illa præſumpta probătio, quæ reſultat à tribus ultimis continuatis apocis de recepto, juxtà notiſſimum text. *in l. quicumque C. de apoch. public. lib.* 10. *e* atque videri non debet exorbitans iſte ſtylus ita rigoroſus, propter materiæ odibilitatem, & ſuſpicionem fraudis, ac etiam quia juſtificatio gratiæ, quæ reſultat ab obſervantia longiſſimi temporis 30. annorum eſt præſumpta, contraria probatione, imò fortioribus præſumptionibus elidibilis, ideòque dici non poteſt probatio vera, perfecta,

8 & concludens. *f* Iſtius tamen juſtificationis defectus non attenditur in ſummario poſſeſſorio judicio manutentionis, ubi penſionarius ſit in poſſeſſione, ob poſſibilitatem juſtificationis in petitorio. Idemque probabiliter in judicio exequutionis litterarum Apoſtolicarum. *g*

Ex prædicta item ſuſpicione fraudis reſultat, ut conſen-

9 ſus Titularis huic reſervationi debeat eſſe præſtitus de tempore, in quo veriſimiliter fraus adeſſe non valeat, quia nempè ſit in ſtatu valido, & veriſimiliter per notabile tempus duraturo, ſecus ſi in ſtatu infirmæ valetudinis, vel quando cogitabat ſtatum conjugalem, ſeu militarem aſſumere, aut aliud beneficium incompatibile aſſequi, vel quod aliàs proxima eſſet vacatio. *h* Ad quod conferunt quæ habentur in ſede feudorum. *i*

10 Cadit verò dubium, an id, quod dicitur de conſenſu non ſuffragante in ſtatu infirmitatis, vel quod aliàs immineat vacatio, procedat etiam in receptione unius, vel plurium terminorum vera, & effectiva, cum actuali numeratione, ut ſuprà, quæ facta ſit ab infirmo, vel aliàs vacatione beneficii imminente; & quamvis aliquæ adſint auctoritates, quæ iſtos caſus confundunt, vel parificant, probabiliùs tamen videtur contrarium, quoties alia non accedant fraudis, & colluſionis argumenta, vel præſumptiones, ex illa differentiæ ratione, quòd conſenſus, qui reſervationi præſtatur, illam perficit, ſive informat, & animat, cum ſine illo deſit quoq; voluntas Papæ faciendi, & per conſequens requiritur validus, & ſincerus ab omni fraudis, & colluſionis ſuſpicione alienus, atque infectio actus, qui ex aliquo ejus defectu reſultat, dici non meretur odioſa, & pœnalis, ſed potius favorabilis, quoniam liberat Eccleſiam ab illo onere, & ſervitute, & è converſò nullum infert præjudicium, & damnum poſitivum illi, ad cujus favorem reſervatio facta ſit, quoniam nihil amittit de proprio, nullamque patitur juris quæſiti privationem, ſed ſolùm arcetur, ob non purificatam conditionem, à lucro, & à jure quærendo: E converſò autem, quando agitur de defectu probationis ſolutionis, præſupponitur jam validè, & perfectè facta reſervatio, & quæſitum jus penſionario, qui propterea ob neglectam veram, & effectivam omnium terminorum exactionem, juxtà incurrit pœnam formalem amiſſionis, vel privationis juris quæſiti, pro qua pęna evitanda, ſuoq; jure conſervando potiùs, quàm pro fraude, & colluſione, non videtur prohiberi eſſe ſollicitus in adhibendo iſtam cautelam, atq; ita ſupplere propriam negligentiam, & per conſequens, utpotè in pęnalibus requiritur major, magiſq; exacta, & concludens probatio fraudis, & colluſionis, neq; ſola ſuſpicio, vel præſumptio ſufficit *i* juxtà receptam diſtinctionem inter impedimentũ 11 ad requirendum, & privationem, vel amiſſionem juris jam quæſiti, ut priori caſu ſit repelli à lucro, ideòque facilius admittatur, poſteriori autem ſit pati damnum poſitivum, & ſentire pęnam formalem privationis juris quæſiti, quod longè difficiliùs admittendum eſt, ut habetur in Sede Beneficiali, & aliis frequenter *l* ideòq; clarus videtur error, iſtos caſus confundere, & pariformiter tractare, atque auctoritates, quæ priorem percutiunt poſteriori applicare.

Super iſta verò probatione ſolutionis veræ, & effectivæ, 12 quamvis Doctores, loquendo pro frequentiori uſu, ac pro majori, & tutiori cautela, præſupponant illam ſequi debere per publicum inſtrumentum, quod contineat veram, & effectivam numerationem pecuniæ, coram Notario, & teſtibus, nihilominus non videtur iſta probationis forma præcisè, & taxativè deſiderata, ſed ſequi poteſt etiam per depoſitionem teſtium, aliaſque ſpecies probationis, quæ concludens, & perfecta dici valeat, ut in ſpecie in ſua ſede advertitur. *m*

Rigor item iſtius decreti adiici ſoliti ſuper concludenti 13 probatione veræ, & effectivæ, & integræ ſolutionis omnium terminorum, adeò extenſus eſt, ut capiat etiam illos terminos, qui maturant de tempore, in quo Titularis, penſionis debitor, nullos percepit fructus, ex quibus hanc ſolutionem facere debet, ut ex: gr: contingit in illo primo termino, qui maturet ad breve tempus poſt reſervationem, quandò Titularis nullos accepit fructus, vel in illo ultimo termino, qui maturat paulò antè, quàm ſequatur mors Titularis, vel quod ille deſinat eſſe poſſeſſor, licet iſto poſteriori caſu, cum aliqua majori æquitate, & circumſpectione procedendum videatur. *n*

Debent quoque iſtæ ſolutiones eſſe factæ ab ipſo Titula- 14 ri, vel ejus legitimo Procuratore ad id deputato, non à tertio, ac etiam debent fieri ipſi penſionario, non autem tertio, adeòut, niſi agatur de infante, non ſufficiat eas factas eſſe Patri, qui de jure civili ſit legitimus adminiſtrator, quoniam iſta legalis adminiſtratio non admittitur in beneficialibus, & ſpiritualibus. *o*

Hactenus quoad illam penſionem, quæ beneficio pleno reſervata, dicitur voluntaria, & ſine cauſa. Adeſt autem alia 15 ſpecies reſervationis penſionis, etiam voluntariæ, & beneficio pleno, ſed cum cauſa, iſtaq; verificatur, quando ſequitur alicujus beneficii reſignatio ad favorem, cum reſervatione penſionis, penè abſorbentis integros fructus ad favorem reſignantis, vel alterius ejus intuitu, & contemplatione, quoniam cum Datariæ ſtylus ordinarius ſit, non admittendi has reſervationes ultrà medietatem fructuum beneficii reſignati, licet quandoque etiam pro duabus ex tribus partibus, idcircò, ille, qui cupit mediante reſignatione illud beneficium aſſequi, curare ſolet, ut alterius beneficii poſſeſſor conſenſum præſtet reſervationi ſuper ejus beneficio illius majoris penſionis à reſignantu deſideratæ, quæ ſuper beneficio reſignato reſervari non poteſt, quod quidem neque commendabile dicendum eſt, undè propterea Noſter Legislator, valdè in hoc difficilis eſt, rarique ſunt caſus, in quibus id admiſerit. Iſta igitur penſio ſuper diverſo beneficio dicitur quidem voluntaria, & beneficio pleno, ſed non dicitur ſine cauſa, dum penſionarius quoad ſe obtinet hanc penſionem ex cauſa correſpectiva fructuum beneficii reſignati, quos amittit. Undè propterea non ſolet adiici præfatum rigoroſum decretum annullationis, quando non doceatur de integra, vera, & effectiva ſolutione omnium termino- 16 rum *p* ſolumque in hac ſpecie penſionis locum habet idem rigor, de quo ſuprà in alia ſpecie, tam circa ſinceritatem conſenſus in tempore non ſuſpecto, quàm circa neceſſitatem benè juſtificandi valorem *q* de qua juſtificatione, tam 17 ad iſtum effectum, quàm ad alios in hac materia penſionum, habetur infrà cap. 10. & ſeq.

18 Sed quoniam ille, in cujus gratiam alterius beneficii poſſeſſor patitur ſuper eo penſionis partem reſervari, ſe obligare ſolet relevare indemnem amicum, qui hoc officium ſibi præſtitit, atque de facto ſolet ipſe integram ſolvere penſionem reſignanti, vel alteri, perindè ac ſi tota ſuper beneficio reſignato, per eum obtento, impoſita eſſet, hinc duo reſultant dubia, unum nempè, an intret confidentia illicita, ideòque punibilis, & irritativa, & de hoc agitur generaliter in cap. ſeq. Et alterum, an ſucceſſor in hoc beneficio ita onerato actionem habeat revelationis adverſus reſignatarium poſſeſſorem beneficii reſignati, cujus gratia, & contemplatione prædeceſſor hoc aliud beneficium oneravit, atque per Congregationem particularem à Sanctiſſimo deputatam in una Romana Beneficiatus S. Petri ſub die 2. Junii 1681. prodiit reſolutio ad favorem obligati, ut non teneatur, ſtante quod ejus obligatio concepta erat ad favorem illius, qui conſenſum præſtitit, ideòque tanquam perſonalis eſſet extincta cum perſona, mihi autem videbatur primo aſpectu, quod intraret relevationis obligatio contrà perſonam, non autem ſuper beneficio, non quidem jure actionis ratione expreſsæ obligationis, quæ ad certam perſonam reſtricta erat, ſed officio Judicis, & ex juris ratione, vel ex non ſcripta æquitate, ſive quod perſona, cujus favore concepta erat obligatio, ſtaret demonſtrativè, contemplata ratione poſſeſſoris beneficii gravati: maturum tamen judicium deſuper efformare non potui, cum non viderim ſcripturas, ideoque opportuniori tempori hujus quæſtionis examen reſervo. r

a *De beneſic. diſc.* 23. b *Diſc.* 10. *de penſion. & alibi.*
c *De penſion. diſc.* 5. *& ſeqq. ad diſc.* 10. *diſc.* 84. *&* 90.
d *Diſc.* 9. *de penſion. & diſc.* 90. *de benef. num.* 45.
e *Diſc.* 7. *n.* 4. *de penſion. & d. diſc.* 84. *n.* 11. *& alibi.*
f *De alien. & contract. prohib. diſc.* 1. *& alibi pluries.*
g *Diſc.* 84. *&* 90. *de penſion.* h *Diſc.* 5. *de penſion.*
i *De feud. diſc.* 1. *& in annotat. ad eundem.*
l *Dict. diſc.* 5. *de penſion.* m *De teſtam. diſc.* 73. *de benefic. diſc.* 70. *&* 71. *de matr. diſc.* 14. *& alibi.*
n *Diſc.* 7. *de penſion. ubi allegantur Tondut. cap.* 3. *deciſ.* 306. *part.* 10. *recent. Dunozett. deciſ.* 880. *& aliæ.*
o *Dict. diſc.* 7. *de penſion.* p *Diſc.* 84. *de penſion.*
q *Vt in caſu de quo diſc.* 6. *de penſion.* r *Eod. diſc.* 6. *& ſeqq. De his aliqua diſc.* 6. *de penſion.*

De Penſione fiduciaria, qualis dicatur, & quando fiducia illam irritet.

SUMMARIUM.

1 *De penſionibus confidentiariis Hiſpaniarum.*
2 *In Feudis, & officiis non intrat ſimulatio, & attenditur rubrica* Plus valere quod agitur.
3 *Per quorum mortem iſtæ penſiones ceſſent.*
4 *De uſu Cedulæ Bancariæ, & quomodo concipi ſoleat.*
5 *An ceſſet obligatio ceduliſtæ, quando proviſus de beneficio eſt impeditus illud aſſequi.*
6 *De clauſula* Habita, vel non habita poſſeſſione.
7 *An iſtæ penſiones ſint temporales, vel perpetuæ, & quid referat eſſe perpetuas.*
8 *De licita reſervatione fiduciaria, etiam in Italia.*
9 *De confidentia illicita, & criminoſa, dantur exempla.*
10 *An Conſtitutiones Apoſtolicæ, loquentes de confidentia in beneficiis, locum habeant in penſionibus.*
11 *De fiducia licita inter plures Titulares beneficiorum gravatorum.*
12 *De fiducia in translationibus penſionum.*
13 *Non poteſt fieri translatio ſub conditione, ut duret penſio in vita transferentis.*
14 *Vbi fiat contrà dictam conditionem, an vitietur conditio, vel potius vitietur translatio, & amittatur penſio.*
15 *De fiducia tacita, & præſumpta, vel conjecturali.*
16 *De illa fiducia, per quam commodum penſionis ſit penſionarii transferentis etiam poſt eius mortem.*

CAP. IX.

PLuries ſunt caſus, in quibus in reſervatione, vel in tranſlatione, fiducia, ſeu confidentia in penſionibus conſiderari ſolet, quorum primus eſt magis frequens in praxi, & quotidianus in illis penſionibus, quæ per Papam reſervantur ſuper beneficiis liberæ collationis Regnorum Hiſpaniarum. Cùm enim ex quibuſdam præfatorum Regnorum legibus exteri prætendantur incapaces illorum beneficiorum, ac etiam penſionum ſuper eis, hinc antiquus, & incopcuſsè obſervatus, inolevit ſtylus, quòd per Datariam deputatur quidam nationalis, & capax fiduciarius, vulgò nuncupatus *Teſta di Ferro*, in cujus perſona fiunt reſervationes omnium penſionum, quæ imponuntur ſuper beneficiis illius Regni, vel Provinciæ, ad commodum tamen Italorum, vel aliarum diverſarum nationum, quibus Papæ gratificari placeat, adeòut revera iſti ſint penſionarii, dicta verò perſona ſit ſimulata, pro dicta neceſſaria, & honeſta, non autem criminoſa, & fraudolenta ſimulatione. Et quamvis in feudis, officiis, beneficiis, & aliis hujuſmodi in libero privato commercio non exiſtentibus, locum non habeat rubrica, *Plus valere quod agitur, quàm quod ſimulatè concipitur*, ut in 1 2
ſede officiorum, & alibi pluries firmatur, dum ille dicitur feudatarius, vel officialis, qui deſcriptus eſt in libris publicis Principis, non autem ille, cujus ſit commodum, & utilitas. *a* In hac tamen ſpecie, in qua eadem ratio intrare videtur, in oppoſitum ſe res habet, quoniam non fiduciarius, ſed commodatarius jus, & actionem habet petendi in judicio, & exigendi penſionem, cujus duratio, & reſpectivè ceſ- 3
ſatio regulatur à perſona Commodatarii. Unde propterea ſi iſte moriatur naturaliter, vel civiliter non ceſſat penſio, quoniam ejus morte imminente ſtylus eſt transferendi omnes penſiones, in ejus perſona cantantes, ad alium ſimilem fiduciarium, ejus loco ſubrogatum, & ſic ſucceſſivè de uno in alium, abſque eo quod ex iſtorum perſonis ceſſent penſiones, quarum ceſſatio regulatur à perſonis commodatariorum, contrà regularem naturam officiorum, aliorumq; jurium ad vitam, in quibus res eſt in oppoſitum, ut in ſuis Sedibus advertitur. Solumq; aliqua dubitandi ratio quandoque excitata fuit in caſu, quo mors fiduciarii ſequatur, Sede Papali vacante, quando clauſa eſt Dataria, dictaque ſubrogatio, ſive translatio generalis practicari non poteſt, adhuc tamen in caſuum, contingentia probabiliter viſum eſt, ceſſationem non intrare, ut particulariter agitur in Theatro, in hac eadem penſionum Sede, potius ad inſtantiam Ceduliſtarum, quorum magis, quàm Titularium id 4
intereſſe videtur *b* cum enim in Beneficiorum locis non de facili ſit practicabilis Titularium coactio ad penſionum ſolutionem, hic inolevit etiam uſus, quòd pro hujuſmodi ſolutione arctantur proviſi de beneficiis præſtare cedulam bancariam probati negotiatoris in Urbe, pro aſſecuratione ſolutionis ſex annatarum, ſeu duodecim terminorum, & quæ cedulæ concipiuntur ſub duplici conditione reſolutiva obligationis; Una ſcilicet mortis proviſi, qui propterea deſinat eſſe beneficii poſſeſſor, cum iſta dicatur obligatio cauſativa, quæ ceſſat, ceſſante cauſa; Et altera mortis illius, ad cujus favorem cedit penſio, quæ ita ceſſat.

Et quoniam quandoque proviſi recipiunt impedimenta adipiſcendi pacificam poſſeſſionem beneficiorum, & percipiendi fructus, vel quia poſſeſſio ſit plena per proviſos ab Ordinario, vel à Nuncio Apoſtolico, vel quia per Capitula opponatur de non verificatione requiſitorum, per il- 5
lorum ſtatuta, privilegia, vel conſuetudines; hinc non infrequenter diſputari ſolet, an docto de iſto impedimento, ceſſet quoque creduliſtæ obligatio; atque ob dictam rationem obligationis cauſativæ regula videtur aſſiſtere reſolutioni, quoties adſit concludens, & legitima impedimenti juſtificatio, ſuper qua cadere ſolet quæſtio, quæ propterea dicitur potius facti, quàm juris, ideòque ubi aliquam habeat ambiguitatem, adeòut ſit exceptio altioris indaginis, atque probatio habeat aliquam contrariam poſſibilitatem, tunc non retardatur proceſſus exequutivus, qui penſionario competit contra Ceduliſtam.

Et nihilominus ubi etiam detur plena, & concludens 6
probatio, adhuc ſufficere non ſolet, quando adhibita ſit quædam cautela, quæ theoricè, & in abſtracto nimium aſpera, & exorbitans videtur, practicè autem ob experientiam fraudum, quæ deſuper committi ſolent, rationabilis, & quodammodo neceſſaria cenſenda venit, quòd ſcili-

ſcilicet adiiciatur clauſula *Habita vel non habita poſſeſſione*; quæ tamen diſcretè, non autem Judaicè intelligenda eſt, per aliquod ſcilicet tempus congruum, arbitrio Judicis, pro facti qualitate, & uſquequo conſtet, quod per proviſum omnes poſſibiles diligentiæ adhibitæ ſint cum ſinceritate, adeòut omninò tollatur ſuſpicio fraudis, & colluſionis, ut pariter in enunciata ſede, occaſione caſuum particularium habetur. *c*

Stante autem dicto ſtylo reſtringendi hujuſmodi cedulas ad ſex annatas, vel ad duodecim terminos, vulgi opinio eſt quod iſtæ penſiones ſint temporales, cujus contrarium eſt
7 verius, quoniam revera juxtà aliarum penſionum regularem naturam, ſunt perpetuæ, ſed de facto, juxtà frequentiorem contingentiam, reputantur temporales ob impoſſibilitatem cogendi in partibus Titulares, ideòque ubi iſti apprehendantur in Curia, vel in Statu Eccleſiaſtico, ſive in alio loco, in quo exercibilis ſit coactio, ad iſtam deveniri poteſt pro aliis terminis poſteà decurſis, & pro renovatione cedulæ, qui tamen caſus eſt nimium rarus, magis autem contingibilis eſt ille novæ vacationis ejuſdem beneficii, quod ratione reſervationis, vel affectionis Apoſtolicę de novo conferendum ſit per Datariam, adeòut non providetur ab Ordinario, quoniam noviter proviſus arctatur præſtare novam cedulam pro eodem conſueto tempore ſex annorum, & ſic ſucceſſivè; Damnum verò penſionarii ſequitur, quando beneficia provideri poſſunt per Ordinarios.

Alter fiduciariæ penſionis caſus eſt licitus, & validus, ob Apoſtolicam auctoritatem, etiam in Italia, qui in aliqui-
8 bus Rotæ deciſionibus legitur *d* noſtra verò ætate practicari non ſolitus, quòd ſcilicet habent in animo Papa de aliquo ſubſidio providere perſonam incapacem, reſervat penſionem ad favorem perſonæ capacis, quæ ad inſtar antecedentis caſus ſtet demonſtrativè, commodum autem ſit præfatæ perſonæ incapacis, principaliter contemplatæ, ad inſtar eorum, quæ in regalium, & in officiorum ſedibus habentur de officiis vacabilibus, quæ perſonæ capaci conferantur ad commodum alicujus mulieris, vel alterius perſonæ incapacis. *e* Iſtoque caſu quæſtio eſt potius facti, & voluntatis, quàm juris, an ſcilicet de iſta Papæ voluntatæ conſtet, iſta namque concurrente, nulla cadit quæſtio teſtatis, ut ex eiſdem mox citatis deciſionibus liquet.

Tertius eſt caſus confidentiæ illicitæ, & criminoſæ, quando ſcilicet ille, qui cupit penſionem, non eſt ejus capax, aut eſt talis, quod ad ejus favorem Papa facturus non eſſet re-
9 ſervationem: Undè propterea porrigit preces, vel inſtat penſionem reſervari ad favorem alicujus ejus confidentiarii, qui nudum nomen ſit habiturus, ejus verò debeat eſſe commodum, ut ex: gr: verificari poteſt in illis Beneficiis pinguibus ordinariæ collationis, ſuper quibus ad hunc effectum capiatur nova proviſio Apoſtolica, cum reſervatione penſionis ad favorem perſonæ gratæ ipſi ordinario, juxtà ſuperius deducta Cap. 3. ſive ubi idem ſequatur ad inſtantiam, vel preces patronorum ſuper Beneficiis de jurepatronatus, aut ubi agitur de penſione voluntaria, ſine cauſa, beneficio pleno, de qua cap. præcedenti, quia idem Titularis ad ejus, vel ſuorum commodum hanc ſimulatam, & fiduciariam reſervationem procuret, cum ſimilibus; Iſtoq; caſu intrat quæſtio, an locum habeant Conſtitutiones Apoſtolicæ, illa præſertim Pii IV. ſuper confidentia in Beneficiis, atque probabilius videtur, ut ad effectus pœnales præfatæ Conſtitutiones locum non habeant in penſionibus, à
10 quibus ad Beneficia, vel è converſò in pœnalibus arguere non licet, benè tamen intret nullitas, & infectio actus, non tam ex diſpoſitione dictarum Conſtitutionum, quàm ex illarum ratione, ſeu verius ex deficiente voluntate Papæ. *f*

Quartus fiduciæ caſus eſt ille, qui inſinuatus eſt in cap.
11 præcedenti, & qui reſpicit potius ſimulationem Titularis, vel reſpectivè beneficii gravati, quàm ſimulationem perſonæ penſionarii, quia nempè cupiens quis obtinere qualificatum beneficium per viam reſignationis ad favorem, cum reſervatione, ad favorem reſignantis, magnæ penſionis, penè adæquantis valorem beneficii reſignati, ſtante quod Dataria non ſoleat admittere penſionem ultrà medietatem valoris, curat aliam partem reſervari ſuper alio beneficio alicujus ejus benevoli, qui ſimulatè conſenſum præſtat, animo non ſubjacendi tali oneri, quod integrum ſupportari debeat à reſignatario, cui præſtat hoc benevolum officium, & à quo obtinere curat promiſſionem indemnitatis, adeòut de facto reſignatarius integram ſolvat penſionem, & tunc quoad reſignantem, quamvis conſcium, hæc fiducia non videtur habenda in conſideratione, dum eſt inter Titulares, non autem ſuper veritate penſionis, & quoad penſionarium, taliſque videtur praxis frequens, parum tamen commendabilis, ut eodem cap. 3.

Quintus caſus fiduciæ, aliis (excepto primo) frequen- 12
tior, eſt ille, qui verificatur in penſionum translationibus, quòd ſcilicet habens indultum transferendi, duplici præſſus deſiderio, uno ſcilicet prorogandi penſionem poſt ejus mortem ad vitam alterius conjuncti, vel familiaris, aut aliàs benevoli, juxtà ea, quæ infrà in cap. 15. habentur de hac materia translationis, altero autem, ſe non privandi hoc emolumento donec vivat, ita fiduciariam faciat translationem, ut Translatarius patiatur ipſum transferentem in penſionis commoditate continuare; Ipſe verò commodum obtineat poſt illius mortem, iſtoque caſu dicenda eſt quæſtio potiùs facti, & probationis, quàm juris, ſcilicet an conſtet de iſta lege, & conditione adjecta translationi, quæ ſub iſta lege, & conditione facta ſit: Ubi enim conſtet, non dubitatur de invaliditate talis le- 13
gis, vel conditionis, quam receptum eſt adiici non poſſe, dum ita eſſet ſpecies ſucceſſionis, vel hæreditamenti. *g* Intrat verò dubium, an iſta conditio vitietur, non autem translationem vitiet, ut propterea illa firma remaneat, vel potius è converſò eadem conditio vitiet actum translationis, quæ propterea habeatur pro non facta, & quatenus iſta vitiatio intret, cadit aliud dubium, an adhuc penſio continuare debeat penes transferentem, vel potiùs iſte indignus illa reputari debeat, ut propterea ceſſet penſio, atque Eccleſia libertatem acquirat; Quamvis hujuſmodi quæſtiones ideales videantur, cum non de facili detur caſus, quòd iſta lex, vel conditio expreſsè adiiciatur, ideòque non de facili habentur de hoc diſputantes.

Pro vitiatione omnimoda, ut ſcilicet non ſolùm vitie- 14
tur translatio ita pactionata, ſed etiam ipſa penſio, quæ ita amittatur, facere videntur ea, quæ aliqui Doctores volunt in materia uſus fructus, cujus termini ſymbolizant, quòd ſcilicet ſi uſufructuarius illegitimè, & abſque conſenſu proprietarii cedit alteri uſumfructum, non ſolum invalida ſit ceſſio, ſed amittatur etiam uſusfructus *h* è converſò pro vitiatione conditionis, non autem pro vitiatione actus translationis, quæ valeat, & firma remaneat, facere videntur ea, quæ una feudiſtarum opinio conſiderat in feudi refutatione pactionata, ut vitiato pacto, vel conditione, ipſa refutatio valeat. *i* Probabilius autem videtur, eiſdem feudalibus terminis retentis, & juxtà opinionem magis receptam, ut ipſe actus principalis, ob individuum voluntatis vitietur, ideòque habeatur pro non facto, *l* juxtà primam opinionem, agendo de uſufructu, inſinuatam, non autem ut exindè ſequatur effectus pœnalis amiſſionis penſionis, dum etiam in uſufructu dicta rigoroſa opinio non recepta eſt. *m* Siquidem eſſet dare gravem pœnam à jure non inductam pro actu, qui poteſt non eſſe criminoſus, & doloſus, dum non omnibus iſtæ jurididæ ſubtilitates innoteſcunt, ideòque opinari potuit faciens, quòd id eſſet licitum, & quo magis iſta conditio expreſsè adiicitur, eò magis pro meo judicio arguitur bona fides, & excluditur dolus, qui magis in actibus occultis, de quibus infrà, ſuſpicari poteſt, dum ex jam inſinuatis, probabilius eſt, quòd pœnæ contentæ in Apoſtolicis Conſtitutionibus, agentibus de confidentia beneficiali, non intrant in penſionibus.

Ubi verò talis conditio expreſsè adjecta non ſit, ſed fidu- 15
cia tacitè deducatur ex actibus facti, eo quia commodum penſionis poſt translationem fuerit transferentis, qui illam exegerit, & tunc dupliciter id contingere poteſt, & ſolet, primò nempè, quia translatarius, nullo præcedente pacto, de quo conſtet, conſtituerit transferentem Procuratorem in rem propriam ad exigendam penſionem, ad ejus commodum: Unde propterea exactio mandatario, vel ceſſionario jure ſequuta ſit; Et ſecundo quia retenta in occulto ipſa translatione, transferens jure, & nomine proprio, ſicuti priùs, in exactione continuavit donec vixit, ideòq; poſt mortem translatio detegatur, propterea in utroq; caſu tacita, vel præſumpta per Titularem allegetur fraus, vel ſimulatio, ad inſtar eorum, quæ habentur in materia donationis, vel alterius alienationis, ipſo donatore, vel alienante continuante in poſſeſſione rei donatæ, & fructuum perceptione. Utroq; autem caſu principaliter videtur reflectendum ad circumſtantias facti, cujus potius, quàm juris iſta quæſtio, vel materia videtur, an ſcilicet adſit, nec ne aliqua juſta

juſta cauſa, vel probabile motivum id faciendi, ut ex: gr: in priori caſu, vel modo, quòd ſcilicet translatarius præbeat transferenti mandatum in rem propriam, donec vivat, ex aliàs inſinuato ſuperiùs motivo gratitudinis, & congruentiæ, quia illæ gravi preſſus infirmitate, credens ſe moriturum, penſiones tranſtulerit ad favorem familiarium, ut eos aliqualiter proviſos relinqueret, poſtmodum verò convaleſcens magnum incommodum, & anguſtias pati cogeretur, ob illorum redditum amiſſionem, ut quandoque praxis docuit. Et in altero caſu, vel modo occultationis translationis, & continuationis in exactione, jure, & nomine proprio, quia nempè in ea regione, vel Principatu non admittantur translationes, neq; eis detur exequutio, cum ſimilibus juſtis, & probabilibus cauſis, quibus è converſò deficientibus, magnum fraudis, & doli argumentum ſubeſſe videtur, quod ſcilicet ita ſub duplicis vitæ alea penſio retineri voluerit, ad hoc, ut præbente caſu præmorientiam translatarii, ſuperſtite transferente, penſio non ammittatur, atque in hoc propriè conſiſtere videtur punctus, quoniam quando ita ſe res habeat, quod ab una ſola vita pendeat ceſſatio penſionis, illa ſcilicet translatarii, tunc nil Titularis intereſſe videtur, an unus, vel alter exigat penſiones, quoniam ſi translatarius cuilibet extraneo iſtud mandatum in rem propriam concedere poteſt, eique cedere commoditatem, multò magis id facere poteſt ad favorem transferentis, cujus conditio, quando ceſſet dicta ſuſpicio fraudis, non debet eſſe deterior, ut in propria hujus materiæ ſede, occaſione caſuum particularium advertitur. *n*

16 Sextus demum eſt caſus fiduciæ in eadem mox inſinuata Sede peractus, quòd ſcilicet penſionarius cupiens cum emolumentis penſionis, etiam poſt ejus mortem perfici aliquod opus à ſe inceptum, vel aliud à ſe deſideratum ex integro fieri in aliqua Eccleſia, vel pio loco, cum quo non ſit practicabilis translatio, iſta fiduciariè fiat ad favorem alicujus Clerici, vel Miniſtri ejuſdem Eccleſiæ, vel pii loci, iſtoq; caſu verius videtur, translationem non ſubſtineri, atque penſionem per mortem ceſſare, perindè ac ſi translatio facta non eſſet, quoniam ita eſſet dare caſum quòd penſionarius etiam poſt mortem penſione potiretur, atq; de illa, durante vita tertii, merè fiduciarii, pro libito diſponeret, ut latius in dicta Sede, occaſione caſus particularis, advertitur. *o*

a *De officiis venalibus cap.6. num.16. & de Regal. diſc.17. num.9. diſc.38. in fine diſc.40. num.4. & in aliis.*
b *De his in diſc.73. de penſion.* c *Diſc.32. de penſion.*
d *Buratt. deciſ.724. & 835. enunciatis diſc.66. de penſion.*
e *De officiis cap.11.* f *Diſc.65. & 80. de penſion.*
g *Diſc.64. & 65. de penſion.* h *De dote diſc.148. n.2.*
i *De feud. diſc.76.* l *Eodem diſc.76. de feud.*
m *Eodem diſc.148. de dote.* n *Dict. diſc.65. de penſion.*
o *Dict. diſc.66. de penſion.*

Quando, & in quibus caſibus reſervatto penſionis ab initio, & in radice ſit ipſo jure nulla.

SVMMARIVM.

1 *AGitur de reſervationibus Apoſtolicis.*
2 *Diſtinguuntur termini, ſeu ſpecies nullitatis ab initio.*
3 *De nullitate ob defectum Clericatus.*
4 *De modo reſervandi ad favorem non Clerici.*
5 *De quo tempore requiratur Clericatus.*
6 *De juſtificatione Clericatus.*
7 *An cenſuræ cauſent incapacitatem, & per conſequens nullitatem.*
8 *Nulla eſt reſervatio nova, non facta mentione antiquarum penſionum.*
9 *Intelligitur de penſionibus validis, non autem nullis.*
10 *Neque id procedit in penſionibus perpetuis.*
11 *Vel ubi adſit clauſula*, etiam ſi aliæ.
12 *Sive ubi conſtat aliundè de voluntate Papæ.*
13 *Si fiat mentio in parte, pro illa rata ſubſtinetur.*
14 *Reſervatio facta ſuper beneficio curato, non facta mentione curæ, eſt nulla.*
15 *Idem de reſervatione ſuper beneficio de Iurepatronatus.*
16 *De nullitate ob falſam narrativam valoris.*
17 *Quid de iſta nullitate, ubi agitur de reſervatione ex cauſa reſignationis.*
18 *Quare iſta nullitas ob falſam narrativam valoris rara ſit in praxi.*
19 *Nullitas proviſionis beneficii gravati non cauſat nullitatem penſionis reſervatæ.*

CAP. X.

RE tento eodem themate, ſeu præſuppoſito, cum quo in toto hujus operis progreſſu proceditur, quod agatur de reſervatione Apoſtolica, ita ut non intret illa infectio, quæ reſultet a defectu poteſtatis, ut in Prælatis, & Collatoribus ordinariis, & inferioribus ſequitur, cum iſtorum reſpectu ſatis actum ſit ſupra in cap.3. plures impugnativi termini cadunt, quorum primus eſt nullitatis actus ipſo jure, & ab initio. Alter nullitatis, vel irritationis actus ab initio validi, & perfecti, ſed ex poſt facto, & ob aliquod accidens nulli, & irriti. Tertius potius modificativus, quàm impugnativus, diminutionis nempè, vel reductionis, & Quartus ceſſationis, aut amiſſionis penſionis jam validè, & perfectè reſervatæ, & quæſitæ. Aliud enim eſt irritatio, ſive annullatio, & aliud eſt extinctio, ceſſatio, privatio, & amiſſio, ideòque iſti termini non ſunt invicem confundendi. De primo termino nullitatis ab initio agitur in præſenti cap. *de ſecundo & tertio in cap. ſeq. & de quarto infrà in cap.13.* 1 2

Quatenus itaque pertinet ad nullitatem reſervationis ipſo jure ab initio, ſive in radice, perindè ac ſi nullo modo illa facta eſſet, prima ejus ſpecies eſt illa, quæ reſultat ab incapacitate illius, ad cujus favorem facta ſit, quia nempè de tempore ſignatæ ſupplicationis, quod attenditur, non eſſet clericali charactere inſignitus, juxtà ſuperius deducta cap.4. vel ſi eſſet dicto charactere inſignitus, adhuc tamen effectus eſſet incapax, puta quia ſolemnem, & validam emiſiſſet profeſſionem regularem, quæ incapacitatem cauſat ad obtinendas penſiones ſuper beneficiis, præterquàm illis proprii Ordinis, ut eodem cap.4. vel quod matrimonio legitimè contracto eſſet in ſtatu conjugali, vel aliàs in ſtatu irretractabili, incompatibili cum clericatu, niſi Papa expreſsè declaret velle reſervare penſionem tanquam laico, quod fieri non ſolet, quoniam quando ille, ad cujus favorem reſervationem facere intendit, non eſt Clericali charactere inſignitus, concipi ſolet reſervatio ſub conditione futuri Clericatus, & cum clauſula *Si, & poſtquam Clericali charactere inſignitus fuerit*, ſive cum qualitate alicujus militiæ per Sedem Apoſtolicam approbatæ, puta ut in caſu peracto in hac pluries enunciata ſede, quod reſervatio facta fuit ad favorem pueri ſæcularis militis Lauretani *a* cum ſimilibus. 3 4

Quamvis autem, ut præmiſſum eſt, requiratur Clericatus de tempore ſignatæ ſupplicationis, quando gratia ſubſtantiari, & perfici dicitur, adeòut non ſufficiat illum ſuperveniſſe antè expeditionem litterarum, cum iſtæ non requirantur ad ſubſtantiam, & perfectionem gratiæ, ſed ſolùm pro exequutione, dum penſio ſine illis exigi non poteſt, ut in cap. ſequenti, & alibi, attamen, ut in inſinuato cap.4. advertitur, id procedit in reſervatione pura ex tunc perfecta, ſecus autem in conditionali, & imperfecta, quæ expectat perfectionem ab alio actu ſubſequenti, quoniam tunc ſufficit Clericatum adeſſe de tempore, quo ſequitur actus perficiens, juxtà exempla in eodem cap.4. tradita, ubi ſcilicet agitur de penſione voluntaria beneficio pleno, in qua, tanquam conditio neceſſaria requiritur conſenſus Titularis, vel ſuper Beneficio de jurepatronatus, cum requiſito conſenſu patroni, quoniam ſufficit, quod Clericatus ſuperveniat, & præexiſtat de tempore, quo actus perficiens ſequitur, ut eodem cap.4. 5

Super juſtificatione autem Clericatus nil peculiare habetur in hac materia penſionum, ſed proceditur cum illis generalitatibus, quæ habentur in materia beneficiali ſuper eadem juſtificatione, pro exequutione litterarum Apoſtolicarum privilegii fori, vel Immunitatis, cum ſimilibus, ideòque eſt quæſtio facti potiùs, quàm juris, ex ſingulorum caſuum qualitate, & circumſtantiis regulanda, & decidenda, & in ſpecie penſionum in eadem conſueta ſede advertitur. *b* 6

Dubitari quoque ſolet, an ſicuti in iis, qui Clericali charactere jam inſigniti ſunt, incapacitatem, & per conſequens nullitatem ipſo jure, & ab initio cauſat profeſſio in aliqua 7

qua Religione, vel Status conjugalis, aut alter irretractabilis ſtatus incompatibilis, ut ſuprà, ita etiam cauſent cenſuræ excommunicationis, vel ſuſpenſionis, aut irregularitas, atq; ut in enunciato Cap. 4. inſinuatum eſt, modernus, qui ſuper iſta materia penſionum tractatum edere profeſſus fuit *c* loquendo ſolùm de excommunicatione, opinatur, illam non cauſare incapacitatem, ob clauſulam, *Teque abſolventes &c.* in litteris Apoſtolicis adiici ſolitam. Verùm iſtud videtur nimium leve fundamentum, quoniam iſta clauſula percutit ſolùm effectum exequutionis litterarum, ne illa impediatur ſub prætextu cenſurarum, de quibus per oppoſitores obiiciatur, non autem ut tollat incapacitatem, quam aliàs excommunicatio cauſaret, quoniam ita eſſet dare implicitam diſpenſationem, quæ non admittitur. *d* Ideòque ſalvo maturiori judicio, quod reſpectu excommunicationis formari non potuit, dum occaſio non præbuit de hoc formiter agere in foro, neque ſtatus præſens patitur formalem diſputationem aſſumere, dicendum videtur, quod, cum incapacitas ſit ſpecies pœnæ, atque in pœnalibus, ut aliàs dictum eſt, & advertitur etiam infrà in cap. 20. non liceat arguere à beneficiis ad penſiones, niſi in caſibus, in quibus ita ſuadeat ſtylus, idcircò difficultas oriri videtur potiùs à veriſimiliter deficiente voluntate Papæ, faciendi gratiam excommunicato, & pro qua voluntate regulanda inſpicienda eſt qualitas excommunicationis, an ſcilicet iſta proveniat ſolùm à rigore, & diſpoſitione juris, abſque eo, quod ſit declarata, vel è converſò agatur de illo, qui jam declaratus, & per ſolitos cedulones publicè denunciatus eſt excommunicatus, vel quod ſit notoriè talis, ut ex: gr: contingit in notorio Clerici percuſſore, ut priori caſu non intret defectus voluntatis, ſecus autem in poſteriori, cum veriſimile non ſit, quod Papa talem gratiam huic facere voluerit, dum excommunicatio præſupponit delictum poſitivum. In ſuſpenſione autem, & irregularitate probabilius dicendum videtur, ut incapacitatem, & per conſequens nullitatem non cauſent, ex illa ratione, quod iſta capacitas non eſt naturalis, & intrinſecus effectus, vel fructus Clericatus, dum ex deductis ſuprà *cap.* 4. *n.* 3. ſolùm ex antiquo, ac inconcuſſo ſtylo Eccleſiæ, vel Romanæ Curiæ, ac ex notoria Conſtitutione 92. Sixti V. requiritur character Clericalis, quem ſufficit adeſſe de facto, quamvis impediti ſint ejus effectus, vel fructus, ut latiùs pluries in enunciata Sede, ubi de hoc magis ex profeſſo agitur *e* niſi tales ſint facti circumſtantiæ, quod veriſimiliter ceſſare faciant voluntatem Papę.

Altera item nullitas, quæ forenſibus controverſiis frequentiorem præbet occaſionem, eſt illa, quæ reſultat à non facta mentione antiquarum penſionum, quibus eadem Eccleſia gravata reperiatur, iſta namque mentio ſub pœna nullitatis actus reputatur neceſſaria pro regulatione voluntatis Papæ, qui ſi ſciviſſet alia gravamina, veriſimiliter aliud novum non adjeciſſet. *f* In pleriſque tamen caſibus ceſſat iſta nullitas; Primò, nempè ubi antiquæ penſiones eſſent invalidæ, cum concluſio intelligenda veniat de penſionibus validis, ex beneficialiſtarum propoſitione, quòd actus nulli, & inefficacis non oportet facere mentionem, quia nullum, & nihil æquiparantur. *g*

Secundò, ubi antiquę penſiones, una, vel plures non eſſent temporales, & vitalitiæ, juxtà illarum conſuetam, & regularem naturam, ſed eſſent perpetuæ, puta juxtà frequentem praxim, ad favorem Sacriſtiæ, ſeu fabricæ Eccleſiæ, vel Seminarii, aut alicujus Dignitatis, vel Collegii, ſive alterius manus mortuæ, quamvis enim apud noſtros majores, etiam noſtra ætate de hoc non leviter dubitatum fuerit, hodiè tamen extrà controverſiam id receptum eſt. *h* Et quidem non videtur, quod punctus eſſet tanta dubitationis dote dignus, quoniam licet hujuſmodi perpetuis oneribus pro loquendi uſu, penſionis nomen, ſeu vocabulum tribuatur; Nihilominus verè, & propriè tales dici non merentur, ſed potius onera fixa, & perpetua, attendenda pro regulatione valoris, ejuſque diminutione, eo modo, quo ſunt Canones, Livelli, Cenſus, & ſimiles annuæ, vel aliàs temporaneę pręſtationes, quorum onerum non oportet facere mentionem.

Tertiò, ubi reſervatio contineret clauſulam *Etiam ſi aliæ &c.* quæ adiici ſolet in penſionibus favore Cardinalium, & Familiarium Papæ, ideòque Papalinæ dicuntur. *i*

Et quartò, ubi aliundè conſtaret de Papæ voluntate, qui aliorum onerum conſcius eſſet, dum iſta concluſio fundata eſt in præſumptione juris, quæ tollitur per contrariam probationem, etiam præſumptivam, & adminiculativam, ad inſtar illius expreſſæ, & ſpecialis derogationis, vel mentionis, quæ requiritur in Conciliis Generalibus, præterquam in Tridentino, quoniam ſi aliundè deſumatur voluntas derogandi, non eſt neceſſaria ſpecialis mentio, vel derogatio, cum ſimilibus. Idque comprobatur ex eo, quod ſi aliquarum, & non omnium penſionum mentio fiat, vel unius in parte, tunc pro illa rata ſuſtinetur nova reſervatio. *l*

Nulla quoque in radice eſt illa reſervatio, quæ fiat ſuper Eccleſia, vel Beneficio habente curam Animarum, non facta iſtius mentione, ex eadem ratione præſumptionis deficientiæ voluntatis Papæ, quæ præſumptio pariter ceſſat ubi contraria, & expreſſa, vel etiam præſumpta probatio accedat. *m*

Quod tamen intelligendum venit juxtà ea, quæ generaliter habentur in materia beneficiali, in proviſionibus de Beneficiis Curatis, non facta mentione curæ, ſive de ætate, aut ordinibus, ut intelligatur in iis, quæ ſunt principaliter curata, ſecus in illis, in quibus cura ſit acceſſoriè annexa *n* idemque ex eadem ratione, & cum eadem declaratione, quando agitur de nova reſervatione penſionis ſuper Beneficio de Iurepatronatus laicorum, magis verò ubi ſit de Jurepatronatus Regio, ſine iſtius qualitatis mentione, & cum explicita, vel ſaltem implicita, & virtuali derogatione. *o*

Aliis frequentior deberet in praxi eſſe illa nullitas reſervationis, quæ reſultat ex mala expreſſione valoris, quæ ut ſuperiùs inſinuatum eſt in Cap. 5. & in aliis, nullitatem cauſat, non quidem in penſionibus motu proprio reſervatis, etiam ſi ſint reſervationes conditionales cum clauſula *dummodo*, vel alia æquipollenti, cum iſta cauſet reductionem, non autem nullitatem, ſed in illis caſibus, in quibus ad ſupplicationem fit narrativa per aſcenſum, quoniam illa videtur fundamentum gratiæ, regulatrix voluntatis Papæ, ut ex: gr: ſunt ſuperius inſinuatæ reſervationes voluntariæ ſuper beneficio pleno, vel illæ, quæ fiunt ad preces Ordinarii, ſeu proviſi ab eo, vel ad preces Patroni, & ejus gratiam; quoniam ubi narrativa non ſit vera de tempore factæ reſervationis, quod ad hunc effectum attendi debet, non curato ſupervento augumento, vel decremento, non intrat dividuitas, ſed actus corruit in totum, ita ut utile per inutile vitietur. *p*

Cadit autem quæſtio, an iſte rigor individuitatis, & omnimodæ irritationis (adeòut non ſubſtineatur reſervatio pro illa rata, cujus Beneficium ſit capax) procedat in illa reſervatione, quæ pariter ad ſupplicationem fiat ex cauſa reſignantis, vel alterius ejus intuitu, & contemplatione, atque aliqui procedendo pro conſueto more pragmaticorum cum dicta regula generali reſervationum ad ſupplicationem, opinantur idem quoque in iſto caſu dicendum eſſe, fortiùs verò ubi in conſenſu reſignantis, vel in mandato per eum dato ad reſignandum, adjecta ſit clauſula adiici ſolita, *& non aliàs &c.* quoniam tunc duplex adeſſe dicitur voluntatis individuum, Papæ ſcilicet, & reſignantis, & per conſequens ut non detur reductio ad ratam veri valoris. *q* Verùm ut occaſione caſus particularis in conſueta hujus materiæ Sede advertitur *r* id clarum æquivocum continere videtur quoties iſta nullitas allegetur ex parte Titularis contrà Penſionarium reſignantem, vel ejus translatarium, ſive alium, qui ipſius reſignantis intuitu, & contemplatione obtineat penſionem, cujus reductionem ad ratam capacem acceptet, & petat, tunc enim quoties, præſertim ex ejus parte, non concurrat dolus poſitivus, qui nimium rarò, fortèque nunquam verificatur, omninò verius, & rationabilius videtur, ut dicta nullitas in totum non intret, dum omnis juſtitiæ, & æquitatis ratio nimium apertè repugnare videtur, lataque aperiretur via fraudolentis, & callidis beneficiorum captatoribus, affectando alteratam narrativam veri valoris, expiſcandi aliorum beneficia, ſine onere penſionis, ita annullandæ, ſiquidem dictus rigor individuitatis, & non admittendi reductionem, potiſſimè ubi acceda, dicta clauſula, *& non alias*, procedit in oppoſitum, ad favorem ſcilicet reſignantis contrà reſignatarium, vel ſucceſſorem, ad effectum obtinendi regreſſum ad Beneficium, juxtà ea, quæ habentur infrà in Cap. 16. agendo de regreſſu, vel ingreſſu, iſtaque pro meo judicio videtur certa veritas, cùm aliàs ipſa ratio naturalis, ipſeque humanus diſcurſus nimium repugnare videantur.

Rari verò ſunt caſus, in quibus in praxi hujuſmodi quæſtiones audiantur, ob cautelam inſinuatam ſuprà Cap. 5. & pluries in toto progreſſu operis repetitam, quod ſcilicet Titularis conſenſum præſtet penſioni, cum aſſertiva ſe eſſe informatum de valore, in ſe ſuſcipiendo onus probandi con-

contrarium, vel cum beneficio poſſeſſionis, quoniam in unius, vel alterius cautelæ caſu, ob magnas jam inſinuatas difficultates, rari ſunt caſus, in quibus Titulares hujuſmodi ſuſcipiant lites, vel quod ſuſceptas proſequantur, atque ad finem reducant.

Si verò collatio beneficii, cujus occaſione fiat etiam reſervatio penſionis, ob aliquem defectum invalida ſit, non exindè inferri poteſt ad invaliditatem reſervationis penſionis, quæ in eodem actu facta ſit motu proprio, ſolùmque infectio penſionis intrare poteſt quando iſta ſit ad ſupplicationem, tamquam conſequutiva proviſionis beneficii, & cum præſuppoſito quod iſta ſortiatur effectum. *f*

a *Diſc.2. de penſion.* b *Diſc.82. de penſion.*
c *Tondut. de penſion. cap.67.* d *Diſc.81. num.28. de penſion.* e *Dict. diſc.81. de penſion.*
f *Diſc.4. numer.7. & diſc.5. de penſion.* g *Dict. diſc.5. num.8. & diſc.80. num.4. & diſc.89. num.4.*
h *Dict. diſc.4. num.3.* i *Diſc.4. num.10.*
l *Dict. diſc.4. num.7. de penſion.* m *Diſc.38. num.2. & diſc.43. num.4. de penſion.*
n *Dict. diſc.38. num.4.* o *Diſc.1. num.11. diſc.58. n.3. de penſion.*
p *De penſion. diſc.6. 11. 12. 91. & 93. de Benef. diſc.90. ex num.37.* q *Diſc.12. de penſion.* r *Eod. diſc.12.*
ſ *Diſc.33. num.13. de Penſion.*

De caſibus, in quibus Apoſtolica reſervatio validè facta, ex poſt facto annulletur, vel reducatur, ſeu aliàs modificationem patiatur.

SVMMARIVM.

1 *Annullatur penſio voluntaria beneficio pleno, quando non doceatur de vera ſolutione omnium terminorum.*
2 *Item annullatur, quando exigatur ante expeditionem litterarum.*
3 *Poſt litteras poſſunt exigi termini antea decurſi.*
4 *Declaratur an id procedat in diſpenſatione, ad effectum retinendi cum ſtatu incompatibili.*
5 *Ad quid requirantur litteræ ſuper diſpenſatione.*
6 *Quando fieri debeat exactio, ut intret decretum annullativum.*
7 *Penſio reſervari non poteſt ex privata partium conventione.*
8 *An penſio perpetua diminutionem pati debeat ob fructuum diminutionem.*
9 *Diſtinguuntur plures ſpecies beneficiorum, ad effectum dignoſcendi an diminutio fructuum cauſet diminutionem penſionis.*
10 *In Beneficiis ſimplicibus non excuſat tenutas fructuum à ſolutione penſionis.*
11 *Quid in Canonicatibus, & Beneficiis ſervitoriis Cathedralium, & Collegiatarum.*
12 *Quid in Commendis Monaſteriorum Regularium.*
13 *Et quid in Cathedralibus, & Parochialibus.*
14 *De Cautela, ob quam clauſula* dummodo *remanet inanis.*
15 *Ad effectum congruæ attenditur tempus præſens, non autem præteritum.*
16 *De derogatione expreſſa, vel virtuali congruæ Conciliaris.*
17 *Quid operetur proceſſus Conſiſtorialis.*
18 *De congrua alimentaria.*
19 *Non laudatur taxa uniformis congruæ.*
20 *An congruæ alimentariæ poſſit renunciari.*
21 *An Titularis offerre poſſit penſionariis adminiſtrationem bonorum Eccleſiæ.*
22 *An Epiſcopus pro congrua prætendere poſſit aſſignationem tot bonorum.*
23 *Quæ emolumenta imputentur in congruam.*

CAP. XI.

PRæſuppoſita ab initio valida, & perfecta reſervatione, dantur etiam caſus, quod ex poſt facto, ob aliquod accidens penſio annulletur in totum, ſive diminutionem patiatur, ac reducatur in parte. Reſultat ſiquidem annullatio in totum per accidens, & ex poſt facto illius penſionis, 1
quæ voluntaria, & ſine cauſa, beneficio pleno dicitur, quando ex parte penſionarii non juſtificentur ſolutiones veræ, & effectivæ omnium terminorum decurſorum de tempore, quo fuit poſſeſſor Beneficii ille, qui tali penſioni conſenſum præſtitit, ex iis, quæ habentur ſupra Cap.9. ad quod ſufficiat relatio.

Altera eſt nullitas, quæ pariter ex poſt facto, & per acci- 2
dens reſultat, quamvis ab initio ſit valida, & perfecta, ob exactionem penſionis antè expeditionem litterarum Apoſtolicarum, & aliàs quàm illarum vigore, non quidem ex aliqua diſpoſitione juris, vel ex natura penſionis, cum litteræ non ſint neceſſariæ ad ſubſtantiam, vel perfectionem gratiæ, ſed ob decretum irritativum, quod adiici ſolet. *a*
Poſtquàm verò ſunt expeditæ litteræ, penſionarius licitè 3
poteſt exigere terminos intermedio tempore poſt gratiam, & antè litterarum expeditionem decurſos. *b*

Cadit verò dubium quid ſit dicendum, quando penſiona- 4
rius aſſumit ſtatum irretractabilem, ob quem abſque Apoſtolica diſpenſatione penſiò deberet amitti, juxtà deducta infrà Cap.13. ſi obtinet quidem gratiam diſpenſarionis cum ſupplicatione ſignata, ſed ante litterarum expeditionem ſuper iſta diſpenſationem exigit aliquos terminns, non per hoc intrat annullatio, dum decretum annullativum adjectum eſt in prima reſervatione, ideòque ſubintelligendum non eſt repetitum in iſta diſpenſatione, quæ nihil dat de novo, ſed ſolùm tanquam per remotionem obſtaculi præſervat à caducitate, vel amiſſione *c*. Litterarum verò expe- 5
ditio, etiam ſuper hac diſpenſatione, requiritur ad effectum ut penſionarius cogere poſſit Titularem invitum ad ſolutionem penſionis, ob diſpoſitionem regulæ Cancellariæ 53. ut non ſuffragetur diſpenſatio litteris non expeditis, ſed ſi Titularis ſua ſponte ſolvat, & penſionarius exigat, non videtur huic annullationi locum eſſe. *d* Quia verò agitur de 6
actu pœnali, opus eſt ut exactio fiat ab ipſo penſionario, vel ab ejus procuratore, cum mandato ſpeciali, ſecus autem ubi exactio fiat per generalem mandatarium, ſeu negotiorum geſtorem, abſque eo, quod conſtet de ſui principalis ſcientia, & rati habitione, ex regula, quòd mandatum non cenſetur datum ad delinquendum.

Hinc verò liquet, quàm certa ſit concluſio apud Benefi- 7
cialiſtas recepta, quòd penſio Eccleſiaſtica ex privatis conventionibus (quamvis juſtam habeant cauſam) imponi, vel reſervari non poteſt abſque Apoſtolica auctoritate *e* etiamſi ex cauſa tranſactionis ob componendam litem ſuper ipſo beneficio, Quoniam ſi accedente etiam Apoſtolica auctoritate iſta non ſufficit, niſi expediantur littere, multo minus privata conventio poteſt in hoc eſſe operativa.

Frequentiores autem ſunt caſus diminutionis, vel reductionis penſionis, aliàs validè, & perfectè reſervatæ, ob aliquod accidens, quod poſteà ſuperveniat, quod ſequi ſolet ob ſuperventam diminutionem fructuum Eccleſiæ gravatę, ſive ob ceſſationem cauſæ, ob quam reſervatio facta eſt; id autem duplicem habet inſpectionem, unam ſcilicet ſuper irregulari, & inſolita penſione perpetua, quæ ad favorem alterius Eccleſiæ, vel fabricæ, aut Sacriſtiæ ejuſdem, ſive ad favorem alicujus Collegii, vel alterius manus mortuæ reſervata ſit: Et alteram ſuper ordinaria, frequenti, & regulari penſione, quæ juxtà ſolitum reſervetur ad vitam certæ perſonæ, & quam præſentes adnotationes verè, & propriè percutiunt; Habendo autem ſe relativè ad ea, quæ ſuper prima ſpecie penſionis perpetuæ, ad favorem manus mortuæ, habentur deducta in conſueta pluries enunciata hujus materiæ Sede, ubi concluditur pro negativa. *f* Quate- 8
nus pertinet ad alteram ſpeciem penſionis ordinariæ, & regularis, diſtinguendæ veniunt quatuor ſpecies beneficiorum, quarum: Prima eſt merè ſimplicium, nullum reſidentiæ, vel adminiſtrationis onus habentium. Altera illorum 9
beneficiorum, quæ ſunt ſervitoria, & habent alicui ſervitii, ac etiam reſidentiæ onus, quamvis nullum in eis conſideretur ſpirituale conjugium, ut ex: gr: ſunt Canonicatus, Dignitates, Cappellaniæ, aliaque beneficia in Cathedralibus, & Collegiatis; Tertia eſt in illis beneficiis, quæ in titulum, vel in commendam collata, habeant annexam aliquam adminiſtrationem, aliaque onera, ut exempli gratia Monaſteria Regularia, quæ commendari ſolent Clericis ſæcularibus, cum aliquo onere penſionum, ad favorem etiam Clericorum Sæcularium, habent verò annexam aliquam adminiſtrationem, ratione juriſdictionis

nis ſpiritualis, & temporalis, quæ illis annexa ſit, ac etiam onus alendi Religioſos, qui in eo Monaſterio vivunt, & ſubminiſtrandi neceſſaria pro Eccleſiæ, & Monaſterii reſtauratione, ornatu, & cultu. Et quarta demum eſt ſpecies Eccleſiarum Metropolitanarum, & Cathedralium, ac Parochialium, habentium curam Animarum, Sacramentalem, & juriſdictionalem reſpectivè, & in quibus inter Epiſcopum, vel Rectorem, & Eccleſiam conſideratur conjugium ſpirituale.

10 In prima ſpecie beneficiorum ſimplicium receptum eſt, diminutionem fructuum non attendi, neque ob eorum tenuitatem Titularem excuſari à ſolutione penſionis, rectèq; procedit vulgare Beneficialiſtarum dicterium, vel ſolvas, vel dimittas, dum nullum adeſt conjugium ſpirituale. *g*

11 Idemque regulariter apud eoſdem Beneficialiſtas eſt receptum in ſecunda ſpecie Canonicatuum, aliorumque beneficiorum in Cathedralibus, & Beneficiatis, ex eadem ratione, quòd in libertate poſſeſſoris, ob non exiſtentiam matrimonii ſpiritualis, repoſitum eſt dimittere, adeòut nulla per Beneficialiſtas conſtitui videatur differentia inter iſtam beneficiorum ſpeciem, & primam, non admittendo terminos congruæ privilegiatæ. Verùm ab aliquo moderno tempore inolevit, rationabiliter quidem, uſus cujuſdam congruæ impropriæ, non habentis certam taxam, quantum ſcilicet ſit congruum, & neceſſarium pro ſubſtentatione perſonæ poſſeſſoris beneficii, ut vacare poſſit ſervitio Eccleſiæ, & ſic non in gratiam ipſius Beneficiati, & ejus lucrum, ſed in gratiam Eccleſiæ, & ne iſta Miniſtris, & ſervientibus aliàs deſtituta remaneat, quod tamen certam non habet taxam, vel regulam, cum iſta pendeat à qualitate, & moribus loci, & Eccleſiæ.

Pariter idem dicendum videtur in tertia ſpecie Abbatia-
12 rum, ſeu Commendarum, quoniam intrat eadem ratio libertatis dimittendi, ideòq; intrat idem dicterium, aut ſolvas, aut dimittas. Adhuc tamen conſideratur eadem congrua impropria, pro ſupplendis ſuperiùs enunciatis oneribus, quæ Eccleſiæ, & Monaſterio incumbunt. Eccleſia ſi quidem eſt Domina fructuum, qui primario erogari debent in ea, quæ ſunt neceſſaria pro ejus cultu, & ſuſtentatione Miniſtrorum, ad Rectorem autem, & reſpectivè ad penſionarios, aliquam in fructibus participationem habentes, juxtà ſuperius deducta in cap. 2. & alibi, pertinent fructus excreſcentes, ideòque pro ſolvendis penſionibus defraudanda non eſt ipſa Eccleſia Domina, quoniam ita eſſet dare caſum, quod pro alendis, & veſtiendis extraneis, quandoque, & frequenter locupletibus, & ad luxum, ipſe bonorum Dominus cogeretur famem, ſitim, & nuditatem pati, quo nil abſurdius, nilvè irrationabilius, & tamen faxit Deus ut id frequenter non contingat.

13 Demum quoad quartam ſpeciem illarum Eccleſiarum, in quibus conſideratur matrimonium ſpirituale, quales ſunt Eccleſiæ Cathedrales, & Metropolitanæ, ac etiam Parochiales, ex pluries inſinuatis, jam proviſum eſt per Concilium Trident. ut ſalva remanere debeat congrua, in Cathedralibus nempè mille pro Epiſcopo, & in Parochialibus centum pro Rectore, quamvis per Titularem conſenſus expreſſus penſionibus præſtitus fuerit, quoniam habet in ſe, ubi etiam explicitè non dicatur, hanc implicitam conditionem, dummodò ſalva remaneat congrua, quæ eſt præcipua, & privilegiata, ut antè omnia deduci debeat. *h* Verum, ut Pariter aliàs dictum eſt, moderna cautela deſuper adinventa, ut Titularis non ſolum præſtet conſenſum penſionibus, atque ad illarum ſolutionem ſe obliget, ſed etiam ſe aſſerat benè informatum de valore, & capacitate, aſſumendo in ſe onus probandi contrarium, dictam Conciliarem proviſionem penè inanem reddidit illa operatio, quæ attribuitur poſſeſſioni, quod licet non transferat dictum onus in Titularem, adhuc tamen pendente judicio ordinario, & appellabili, ideòque terminando per tres conformes ſuper valore, interim Titularis cogatur in judicio poſſeſſorio manutentionis ſolvere; quod operatur, ut cogantur Titulares gemere, & ſuccumbere ſub jugo.

Quando verò Titularis judicium proſequi velit, ad hunc
15 effectum congruæ, & diminutionis penſionis reſpectivè, attendendus venit valor præſens in ſingula tempora, quamvis de præterito, & de tempore reſervationis eſſet major, vel reſpectivè minor. *i* In hoc enim differunt annullatio penſionis ob falſam narrativam valoris, per aſcenſum, juxtà deducta in cap. præcedenti, & iſta diminutio, ratione diminutionis fructuum, & deductionis congruæ, quoniam priori caſu attenditur tempus reſervationis, non curato, an poſtmodum valor creſcat, vel decreſcat; in poſteriori autem attenditur tempus præſens.

Adhuc tamen (fortè parum commendabiliter) præfatæ 16
congruæ Conciliari ſolet expreſsè derogari, ac etiam Beneficialiſtarum ſubtilitas introduxit jam inſinuatam tacitam, & ſubintellectam derogationem in Cathedralibus, & Metropolitanis, ob ſcientiam valoris, quam in Papa præſupponunt, ratione proceſſus Conſiſtorialis, quod utiq; modicam, 17
fortèq; nullam habere videtur probabilitatem, ob experientiam annorum ſex in munere Auditoris Papæ, per cujus organum hæc negotia pertractantur, quod iſti proceſſus quodammodo, ſaltem circa valorem, ſunt cæremoniales, malèq; fundati, & quandoq; etiam aſtringuntur proviſi ad expreſsè renunciandum huic congruæ, quod pariter parum commendabile dicendum videtur: Undè propterea Epiſcopus 18
hoc præſidio ita deſtitutus recurrere cogitur ad congruam alimentariam, quæ occaſione caſus particularis peracti in conſueta hujus materiæ ſede, ſtatuta fuit in ſcutis, vel ducatis monetæ Regionis 700. *l* atq; pro conſueto vitio pragmaticorum procedendi more pecudum, ex iſto exemplo, inolevit communis opinio, vel uſus, ut generaliter iſta ſit taxa congruæ alimentariæ, quod manifeſtum continere videtur errorem, à quo neq; immunis eſſet congrua Conciliaris mille, niſi ille detur huic novæ legi intellectus, multum quidem probabilis, quod hæc ſumma non ſit præciſa, & taxativa, 19
adeò ut majorem ſummam excludat, ſed ut non poſſit eſſe minor, non tamen excludat majorem. Prorſus enim irrationabile, atq; irriſione dignum eſſet aſſerere, quod illa congrua alimentaria, quæ taxata fuit pro Epiſcopo parvæ civitatis Sancti Severi, in qua Epiſcopus non præmitur honorificis, & decoroſis tractamentis, & in Regione Apuliæ multum fertili, & ubi vilis eſt victualium valor, deſervire debeat pro congrua Archiepiſcopi Mediolanenſis, vel Archiepiſcopi Neapolitani, & ſimilium magnorum Prælatorum, magnarum, & conſpicuarum Urbium, quodque pariformiter congrua Conciliaris convenire debeat hujuſmodi magnis, & conſpicuis Prælatis, ac Epiſcopis Capritano, Ravellenſi, Lavellenſi, Montis Marani, & ſimilibus, revera facientibus potius figuram Parochorum, habentium uſum Pontificalium, 20
& quorum Eccleſię vix habent in fructu medietatem, & minus præfatæ taxæ alimentariæ; & tamen quandoq; practicatum fuit, ut proviſus de Eccleſia renunciaret etiam huic congruæ alimentariæ, cum obligatione ſe alendi de proprio, quod de ſtricta juris cenſura ſubſtineri, (non obſtante regula, quod alimentis renunciari non poſſit, quoties revera de iſtis eſſet proviſus de proprio) tanquam Advocatus, probavi in eadem conſueta hujus materiæ ſede. *m*

Quando itaq; Epiſcopi, vel reſpectivè Parochi ſunt ita 21
penſionibus gravati, quod revera neq; pars congruæ pro eis ſupereſt, inhabiles verò ſunt litem diſpendioſam deſuper ſubſtinere, offerre ſolent penſionariis omnes Eccleſiæ reditus, per ſe ipſos adminiſtrandos, & percipiendos, contenti congrua Conciliari, vel alimentaria, & minus, ut quandoq; praxis docet ſequutum eſſe, ex inſinuatis in eadem conſueta ſede; *n* Sed Rota, & Curia, contradicentibus penſionariis, id admittere, & practicare noluit, & quidem non improbabiliter, quoniam per Epiſcopos habentes juriſdictionem, & poteſtatem in loco, multæ fraudes committi poſſent, ita pene omnes fructus abſorbendo, nimiumque incommodum id eſſet penſionariis abſentibus, & ut plurimum reſidentibus in Curia; Sed è converſò præfati rigores maxima producunt ſcandala, & inconvenientia, ſuperiùs inſinuata in Cap. 2. & alibi, ideòque melior dari non poteſt modus, quàm ille, qui ſervatur per noſtrum Legislatorem. Atque ex his, quæ dicta ſunt ſuper congrua Conciliari, vel alimentaria in iſta quarta ſpecie beneficiorum, annexum habentium ſpirituale conjugium, cum ſua proportione, inferri poteſt ad illam congruam impropriam, quæ ſuperiùs conſiderata eſt in ſecunda, & tertia beneficiorum ſpecie.

Poſito autem, quòd penſionarii aſſumant in ſe curam, 22
& adminiſtrationem bonorum, & reddituum Eccleſiæ, præſtando Titulari ejus congruam in quantitate, cadere ſolet dubium, an Titularis prætendere poſſit, ut pro ejus congrua ſibi aſſignari debeant tot bona, per ſe ipſum adminiſtranda, & ex quibus ſua manu fructus, & proventus percipiat, de quo occaſione caſus particularis, in eadem hujus materiæ Sede peragitur. *o*

Prout etiam, præſertim in Parochialibus, magis verò in Vi-

in Vicariis illarum Parochialium, quæ alicui Capitulo,
23 vel Collegio unitæ ſunt non infrequentes eſſe ſolent quæſtiones ſuper quibuſdam emolumentis, an in congruam imputari debeant, nec ne, de quo in Parochorum ſede peragitur. p

a *De penſion. diſc.22. num.3. diſc.29. num.3. diſc.30. num.9. diſc.44. num.9. & ſæpius.* b *Locis proximè citatis.*
c *Diſc.44. de penſion.* d *Eodem diſc.44.*
e *Diſc.11. num.7. diſc.30. num.11. de penſion. & ſæpius.*
f *Diſc.21. de penſion. num.7. ubi allegatur deciſ.107. part. 10. recent.* g *De penſion. diſc.21. de Beneſic. diſc.90. num.36.* h *Diſc.2. de penſion. & alibi pluries.*
i *De penſion. diſc.8. num.6. & diſc.14. num.15. de benef. diſc.90. num.46.* l *Diſc.16. & 17. de penſion.*
m *Dict. diſc.16.* n *Diſc.18. de penſion.* o *Dict. diſc.18.*
p *Diſc.22. de Paroch.*

De juſtificatione valoris, quomodò ad hunc effectum penſionum facienda ſit, & an diſtributionum, & aliorumque incertorum ratio habenda ſit.

SVMMARIVM.

1 *Conſtituto Innocentiana ſuſtulit in magna parte iſtas quæſtiones valoris.*
2 *De inſpectionibus deſuper cadentibus.*
3 *De probatione valoris narratis in reſervatione pura, & motu proprio ſuper beneficio vacante.*
4 *Quid ubi agitur de reſervatione Conſiſtoriali, cum clauſula* dummodo.
5 *Et quid ubi Titularis aſſumpſit in ſe onus probandi deficientiam valoris.*
6 *De penſione ex cauſa reſignationis.*
7 *De diſtinctione generali ſuper iſta probatione.*
8 *De penſione voluntaria ſuper beneficio.*
9 *Ad probationem perfectam neceſſarius eſt calculus decennalis.*
10 *Fructus dicuntur illi, qui ſuperſunt deductis oneribus.*
11 *Quales debeant eſſe Teſtes deponentes de valore.*
12 *Et quomodò debeant eorum depoſitiones coarctare, tam circa fructus, quàm circa onera.*
13 *Quando incerta veniant in valore datur diſtinctio.*
14 *Et quid de diſtributionibus quotidianis, an ſuper eis cenſeatur impoſita penſio.*
15 *De domibus Canonicalibus, vel Parochi, & Miniſtrorum.*
16 *De eodem, de quo num.13.*
17 *Si penſio impoſita ſit etiam ſuper diſtributionibus quotidianis, an id intelligatur in ſubſidium, quatenus fructus, vel præbenda non ſufficiant.*

CAP. XII.

1 MAjorem partem forenſium controverſiarum cadentium in iſta materia valoris, ad effectum, de quo agitur, ſubſtinendi, vel reſpectivè impugnandi penſiones, ſuſtulit noſtra Conſtitutio Innocentiana moderatoria Conſtitutionis 20. Urbani Octavi, quæ illis frequentiorem præbebat occaſionem, ut inſinuatum eſt ſuprà in *cap.1.* proœmiali. Adhuc tamen ad alios effectus, jam ſuperiùs inſinuatos, & inferius in toto operis progreſſu inſinuandos, de eadem materia peragere opportunum
2 eſt, tam ſcilicet circa modum probationis, & quando iſta dicatur ſufficienter facta, nec ne, quàm circa ejuſdem valoris qualitatem, quid ſcilicet ſub ejus, & fructuum nomine veniat, ad effectum, de quo agitur, & quænam onera ſint ab eis deducenda, ideòque duæ ſunt inter ſe diſtinctæ inſpectiones, ambæ tamen difficiles, & altæ indaginis, undè proveniunt ſuperiùs enunciata inconvenientia, Titularibus, & reſpectivè Penſionariis nimium præjudicialia.

Quatenus itaque pertinet ad primam inſpectionem probationis, & quando iſta dicatur ſufficienter facta, nec ne, per illam partem, cui juxtà jam enunciatas diſtinctiones tale onus incumbit, reflectendum eſt ad plurium caſuum diſtinctionem, traditam in Sede Beneficiali ſuper materia valoris in genere. a Ubi enim agitur de juſtificatione valoris narrati in ſupplicatione, & litteris reſervationis puræ, & perfectæ ſuper beneficio vacante, ipſa vacatione durante, vel in actu providendi, atque ſit reſervatio motu proprio, & tunc ſi Penſionarius pro exe- 3
quutione litterarum, & gratiæ, ex malo conſilio ejus directoris, vel ad ſatisfaciendum parum perito exequtori, aſſumere velit hoc onus, cujus nulla premitur neceſſitate, tanquam per abundantem juſtificationem omnium narratorum, intrant eadem, quæ habentur in dicta materia Beneficiali ſuper juſtificatione valoris narrati beneficii, de quo agitur, ac etiam valoris pariter narrati obtentorum, ut ſufficiat juſtificatio talis qualis, etiam per teſtes de judicio, vel de communi exiſtimatione, & fama, abſque illis rigoroſis requiſitis, quæ deſiderantur in aliis caſibus, de quibus infrà, redolentibus materiam objectivam.

Ubi verò, etiam ad eundem effectum juſtificationis, & exequutionis gratiæ, agitur quidem de conſimili reſervatione, motu proprio, & beneficio vacante, durante vacatione, vel in actu providendi, quæ tamen non ſit pura, ſed conditionalis, cum clauſula *dummodo remaneant mille pro* 4
Epiſcopo, vel centum pro Rectore, vel cum alia clauſula *dummodo omnes penſiones, computatis antiquis, non excedant tertiam, vel reſpectivè quartam partem fructuum*, & tunc ubi juſtificatio facienda ſit à penſionario petente exequutionem gratiæ, quia nempè adhibita non ſit pluries enunciata cautela, per quam hoc onus transfertur in Titularem, iſtoque caſu non ſufficit quidem illa probatio levis, & vaga, & quæ tanquam non neceſſaria fiat in priori caſu, de quo ſuprà; Non tamen requiritur illa probatio rigoroſa, & exacta, quæ neceſſaria eſt in caſu impugnationis, & quando fiat tanquam objectiva, ideòque admittuntur etiam præſumptiones, & adminicula, & alia, quæ in materia potiùs favorabili, quam odioſa, & objectiva admitti debent, & ſolent cum terminis generalibus, ideòque materia non eſt capax regulæ certæ, & generalis, ſed in prudentis Judicis arbitrio, juxtà generalem probationum regulam, totum repoſitum eſſe videtur.

Si autem in hoc eodem caſu probatio facienda eſt per Titularem, quia nempè, juxtà cautelam moderno tempore adinventam, ſe aſſeruerit benè informatum de valore, quòdque propterea ſalva ſibi remanet congrua, aſſumendo 5
in ſe onus probandi contrarium, & tunc videtur diſtinguendum, quòd aut non impugnando propriam confeſſionem allegat ſuperventam diminutionem valoris, & fructuum: Undè propterea non tunc, ſed nunc non verificetur clauſula *dummodo*, & per conſequens petatur reductio ad proportionem, atque tali caſu videtur dicendum idem, quod proximè ſuprà dictum eſt, quoniam non agitur de materia objectiva. Sed ſi prætendat impugnare propriam confeſſionem, illamque erroneam probare, & tunc pariter non intrat ille rigor omnimodus, qui procedit in materia objectiva, ſed benè intrat obligatio cujuſdam magis concludentis, magiſque perfectæ probationis, ex eiſdem regulis, & propoſitionibus generalibus, quando agitur de impugnanda propria confeſſione, & de probando errorem, qui non eſt præſumendus, adeòut oporteat excludere contrariam poſſibilitatem.

Alter eſt caſus illarum reſervationum, quæ fiant ad ſup- 6
plicationem, non tamen ſint odioſæ, & exorbitantes, ut ſunt illæ, quæ occaſione reſignationis ad favorem, ſuper ipſo beneficio reſignato, fiunt ad favorem reſignantis, vel alterius, ejus intuitu, & contemplatione, & tunc quia juxtà magis probabilem opinionem iſta ſpecies penſionis dicenda non eſt odioſa, minuſque ob malam narrativam valoris intrat annullatio in totum contrà Penſionarium, ſed ſolùm ejus favore, & quatenus iſte, nolens acquieſcere diminutioni pro rata, intentare velit regreſſum ad beneficium reſignatum, probabilius videtur dicendum idem, ut rigor non procedat. Et in ſumma ut intret diſtinctio inter 7
diſtinctio inter caſum, in quo probatio fiat pro exequutione gratiæ, & caſum, in quo eadem probatio fiat pro annullatione, & impugnando, tanquam per ſpeciem objecti, ut ex uno, vel altero caſu pendeat reſolutio, an magis, vel minus concludens, & perfecta, ſive magis, vel minus rigoroſa requiratur.

In illa verò ſpecie, quæ abſque dubio exorbitans eſt, & 8
odioſa, qualis eſt illa reſervatio, quæ ad ſupplicationem fiat, voluntariè, & beneficio pleno, cum jam deduc-

cta diſtinctione inter caſum, in quo dicatur ſine cauſa, & caſum, in quo aliquam habeat cauſam, reſpectu penſionarii, & tunc magis concludens, magiſque rigoroſa probatio accedere debeat, ut magis diſtinctè in enunciata Sede Beneficiali, ubi latius videri poteſt.

Præſuppoſita itaque neceſſitate concludentis, & perfectę
9 probationis, cum illo majori, vel minori, rigore, quem major, vel minor penſionis odibilitas exigat, non dicitur probatio concludens, & perfecta illa, quæ fiat fructuum, & proventuum unius, vel duorum, aut trium annorum, quoniam juxta contingentias temporum belli, vel pacis, aut ubertatis, & reſpectivè ſterilitatis, aliorumque accidentium, ſæpè caſus præbet magnam ſoliti valoris accidentalem alterationem, plus, & minus, ideoque juxta regulam Beneficialiſtarum, quæ in aliis materiis eſt etiam recepta, ideoque attenditur pro firmando vero valore, ponendi ſunt in calculo fructus decem annorum, illorumque diſtributio, vel peræquatio in ſingulos annos facienda eſt, ut facta computatione, vel compenſatione annorum uberium cum ſterilibus, ita firmetur ſtatus uniformis, cum accidentales alterationes non attendantur, ad inſtar eorum, quæ habentur in cenſibus conſignativis, quando prætenditur incapacitas fundi cenſiti ob fructuum diminutionem, cum ſimilibus.

Ponendi autem ſunt in iſto calculo omnes fructus, qui ex prædiis percepti ſint, & quantum fuerit in tempora eo-
10 rum pretium, ſed deducenda ſunt onera, tam conſiſtentia in cultura bonorum, & in ipſa perceptione, & cuſtodia fructuum, quàm in aliis expenſis, quæ Eccleſiæ, vel Beneficio incumbunt, ex regula, quod fructus dicuntur illi, qui ad commodum Beneficiati ſuperſunt, deductis oneribus.

Atque hinc ſequitur, quod ad iſtam perfectam, & con-
11 cludentem probationem non ſufficiunt illæ vagæ, & tales quales depoſitiones teſtium habentium aliquam peritiam in regione, ac deponentium de communi fama, & reputatione, quales præſertim eſſe ſolent illi proceſſuum Conſiſtorialium, unde propterea, ut aliàs dictum fuit, prorſus vanum videtur in iſto proceſſu aliquod ſolitum conſtituere fundamentum, cum ad ſummum deſervire ſolum poſſit pro adminiculo, cum aliis conjungendo, cùm prohibitum non ſit aliquas exceptiones, quas in perſona, vel dicto patiantur teſtes, per adminicula ſupplere, ut in jam enunciata Sede Beneficiali in ſpecie advertitur, ſed Teſtes debent eſſe benè informati, ſuæque informationis, vel ſcientiæ probabilem cauſam, etiam non interrogati debent allegare, puta quia fuerint œconomi, vel miniſtri benè informati, quoniam debent facere duplicem coarctationem, unam affirmativam, deponendo de omnibus fructibus, alteram negativam, quod ſcilicet non adſint, neque adeſſe poſſint
12 alii fructus, quos ipſi non ſcirent, & tertiam pariter mixtam de affirmativa, & negativa circa onera, quod ſcilicet ſciant omnia onera, quæ extent, cum excluſione aliorum, & circa onera cadere ſolent non infrequenter quæſtiones, quòd non ſint talia, ut deduci mereantur, atque procedit cum diſtinctione inter neceſſaria, & voluntaria, ut priora deducantur, non autem poſteriora, ut magis diſtinctè in enunciata Sede Beneficiali.

Frequentiores autem, & in difficiliores in iſta valoris materia ſolent eſſe quæſtiones ſuper qualitate fructuum, & proventuum, quinam ſcilicet computari debeant in valore, & de quibus ratio haberi non debeat, idque duas habet inſpectiones, unam ſcilicet ſuper incertis, & alteram ſuper illis, quæ ſpeciem, vel naturam habeant diſtributionum.

Quatenus itaque pertinet ad proventus incertos, magni, & frequentes dignoſci videntur errores, vel æquivòca illo-
13 tum, qui in ſola doctrinarum littera, vel cum regularum generalium ſuperficie procedunt, applicando omnibus caſibus illas regulas, vel propoſitiones, quæ ſunt quidem in ſuis caſibus veræ, nullatenus autem adaptantur ad illos caſus, de quibus eſt quæſtio; Si quidem ad effectum regulæ de valore, & pro evitanda nullitate gratiæ, ob malam valoris expreſſionem, ſive ad effectum evitandi ſolutionem annatæ, cum ſimilibus effectibus odioſis, & præjudicialibus, vera eſt regula, quod incerta non veniunt in valore, vel ſub nomine fructuum, non tamen exindè inferendum eſt ad effectum, de quo agitur, inſpiciendi ſcilicet, an beneficium ſit illius penſionis capax, nec ne; quoniam notoria praxis docet, quod pleræque Eccleſiæ nulla poſſidentes prędia, & bona, vel jura fructifera, ſunt divites, atque conſiderabiles, habent redditus provenientes ab incertis, mereque voluntariis oblationibus, & eleemoſynis, juxta exempla tradita in eadem Sede Beneficiali, & alibi *b*, & tamen non exindè dicendum eſt, quod tales Eccleſiæ non habeant fructus, & redditus exuberantes ultra neceſſaria, ut proindè ſint penſionis incapaces, atque dicantur non habere valorem, dum in hoc attenditur effectus, vel finis, non autem formalitas verborum, vel terminorum; Potiſſimè verò ubi non agitur de temporalibus, & accidentalibus proventibus, ſed de illis, qui ex diuturni temporis obſervantia, vel experimento dici poſſunt certi, & perpetui, ita & taliter, quod ſi Eccleſiæ Rector velit illos locare, ſeu concedere in appaltum, eo modo, quo conceduntur gabellæ, & decimæ, aliaque ſimilia jura, inveniet conductorem pro certa annua, vel alias temporanea penſione, eodem modo, quo ſequitur in prædiis, & in aliis bonis verè fructiferis, ideoque habentur pro certis. *c*

Clarius verò, & cum longè minori dubitandi ratione id procedit quando non agatur de illis incertis merè voluntariis, quæ proveniunt à Populorum devotione, juxta caſus ſuperius recenſitos, ſed agitur de proventibus provenientibus à jure certo, & radicato de præterito, imò neceſſario, ut exempli gratia ſunt illa emolumenta, quæ licitè per Parochum percipiuntur, occaſione adminiſtrationis Sacramentorum, vel funerum, & ſepulturæ (quamvis contra juris regulas ſequatur, quia nempè, ex privilegio, vel antiqua conſuetudine, ſive ex concordia dentur loco decimarum) quoniam iſta dicenda ſunt emolumenta certa, dum perneceſsè homines degentes in Parochia naſcuntur, baptizantur, contrahunt matrimonia, moriuntur, & tumulantur, idque privativè pertinet de neceſſitate ad Parochum, cùm in hoc conſiſtat jus parochiale circa mutuam neceſſitatem Parochi erga Parocchianos, & Parocchianorum erga Parochum in juribus de ſui natura Parocchialibus. Idemque in Eccleſia Cathedrali, vel Metropolitana circa illa emolumenta, quæ juridicè pertinent ad Epiſcopum, cum ſimilibus, ideoque ad has diſtinctiones eſt reflectendum, & ſine quibus clarus eſt incurſus errorum, & æquivocorum, ac etiam illorum inconvenientium, quæ in ſede Juriſpatronatus inſinuantur, quod ita cum ſatis exigua dotatione poſſet acquiri juſpatronatus divitum, & inſignium Eccleſiarum, & Beneficiorum. *d*

Iidem errores, vel æquivoca magis dignoſcuntur in illis proventibus, & emolumentis, quibus potiuntur Canonici, & Beneficiati Eccleſiarum Cathedralium, & Collegia- 14
tarum, ratione ſervitii actualis, quod præſtant per punctaturas in divinis, procedendo cum regula in ſuis caſibus vera, & recepta, ſed confuſa, maleque applicata, quod ſub valore, ſive ſub nomine fructuum non veniunt diſtributiones quotidianæ, quarum ſpecialis, & expreſſa mentio neceſſaria ſit, tam in reſervatione, quàm in facultate transferendi, ut propterea diſtributiones huic oneri non ſubjaceant, quoniam, & in hoc procedendum eſt cum eiſdem diſtinctionibus, quod ſcilicet aliud eſt agere ad effectum regulæ de valore, inductæ pro intereſſe Annatiſtarum, & ad evitandam ſolutionem annatarum, quæ habent quidem aliquod probabile rationis fundamentum, ut in eadem Sede Beneficiali advertitur, quidquid vulgus imperitorum, & non informatorum obloquatur, *e* adhuc tamen continent quoddam onus, à quo admitti debet excuſatio, quo magis fieri poteſt: Et aliud eſt ad noſtrum effectum capacitatis penſionum, ſive ad alterum acquirendi jus patronatus ex cauſa dotationis, vel augmenti dotis, ut ſcilicet, quo ad iſtos poſteriores effectus attendi debeat de facto finis, vel ratio, ob quam iſta regula, vel propoſitio inolevit, qualis eſt illa, quod diſtributiones non ſunt lucrum, quod Beneficiatus faciat ratione Beneficii, ejuſque tituli, ſed ſunt merx, & ſalarium laboris perſonalis, quod in ſervitio Eccleſiæ, vel in alia functione Eccleſiaſtica facere oporteat, ad menſuram tamen, & proportionem ſervitii, & laboris, non autem in magno exceſſu, qui ultra id percipiatur. Ideoque pluries in caſuum contingentiis ad iſtum effectum penſionum efformabam tres diſtributionum ſpecies, quarum una eſt illarum, quæ verè, & de facto ſunt quotidianæ, quia eas (exemplificando in Baſilicis Urbis,) obtineant illi, qui cantant miſſam, vel Euangelium, ſive Epiſtolam cum præmio, ſeu mercede duorum, vel trium juliorum pro qualibet functione, abſque eo, quod alii Canonici, qui tales functiones facere non curant, quamvis præſentes, &

in-

intereſſentes, de aliquo participent, ut ego in duobus annis in Baſilica Lateranenſi, & in aliis duobus annis in Baſilica Liberiana, ſeu Sanctæ Mariæ Majoris, uſque ad promotionem ad Cardinalatum ſum expertus, quia dictas functiones peragere non cupiebam, atque Collegæ nimium benignè, & urbane meam admittebant excuſationem, abſque neceſſitate recurrendi ad Breve exemptionis, ſolitum concedi Palatinis, & aliquibus Officialibus Papæ.

Altera eſt illarum diſtributionum ſpecies, quæ conſiſtunt in anniverſariis, & quibuſdam aliis ſervitiis, & functionibus, de quibus participant omnes Canonici præſentes, & intereſſentes, ac etiam illi abſentes, qui habent exemptionum Brevia, quæ tamen nunquam placuerunt, eorumque abolitionem laudarem, & conſulerem, & quæ diſtributiones ſolent redigi in aliquam maſſam, certis ſolitis temporibus dividendam, atque in iſta, & in priori ſpecie vera eſt dicta propoſitio, etiam ad effectum, de quo agitur, quoties illarum quantitas revera proportionata ſit ſervitio, & labori, prout frequentius ſolet ſequi.

Tertia demum eſt ſpecies illorum emolumentorum, quę verè, & de facto, inſpecta naturali veritate, non autem legalibus ſubtilitatibus, & ſuperſtitionibus, ſunt fructus, conſiſtentes in pecunia, vel frugibus, aliiſque proventibus Caſaliuni, & Tenutarum, aliorumque Prædiorum Urbanorum, & ruſticorum, vel cenſuum, & canonum, aliorumque ſimilium jurium, ſive, ut frequentius praxis docet in Hiſpaniis, conſiſtunt in decimis, pertinentibus ad Epiſcopum, & Capitulum, ratione curæ univerſalis totius Diœceſis, ut in Decimarum Sede advertitur; Ex multum verò commendabili lege ſcripta, vel non ſcripta introductum eſt, ut percipi, & lucrari debeant ratione ſervitii, & intereſſentię per punctaturás, ad formam diſtributionum quotidianarum, ut in enunciatis Baſilicis Urbis, & in dictis Eccleſiis Hiſpaniarum ſequitur, & tunc dicuntur diſtributiones quotidianæ impropriæ ad iſtum effectum, non autem ut dicatur merx, & ſalarium proportionatum labori perſonali; Prorſus enim fabuloſum videtur dicere, quod pinguiſſimi, & conſpicui Canonicatus Baſilicarum Urbis, vel Eccleſiarum Toletan. Hiſpalen. Compoſtellan. & ſimiles, dici debeant Beneficia nullius, vel tenuis valoris, adeò ut ſint incapacia penſionum, vel ſub iſtis non veniat iſta ultima ſpecies diſtributionum abſque ſpeciali mentione, tanquam à veriſimiliter deficiente voluntate Papæ, ut cui-
16 que ad ſenſum patet, ideoque inter leguleicas ſuperſtitiones, ne dicamus ineptias, id ſemper recenſui. *f*

Cum autem poſt hæc jam ſcripta caſualiter ad manus obvenerit quædam moderna Rotæ deciſio *g* in qua pro diſtinguendis certis ab incertis, ad hunc effectum penſionis, datur quædam diſtinctio, quæ dicitur communiter à Doctoribus tradita, & à Tribunali recepta, quod alii ſunt fructus incerti habentes principium, ſeu obligationem certam, & fixam, licet in quantitate variabiles, ut decimæ, primitiæ, fructus naturales, & etiam alia emolumenta, vel merè voluntaria, quæ tamen ex ſtylo, vel conſuetudine Regionis, mediantibus arrendamentis, ſolent ad certitudinem reduci, & iſti computantur in fructibus beneficii, alii autem ſunt fructus merè incerti, vel ratione principii, & quantitatis, ut oblationes, & eleemoſynæ, vel ratione eventus, ut ſunt emolumenta baptiſmatum, matrimoniorum, & funeralium, quæ omnia Sacramenta licet ex neceſſitate naturali, & civili reſpectivè quotidiè adminiſtrentur, nihilominus cum dependeant, vel ab imperſcrutabili Divinæ diſpoſitionis judicio, vel à mera voluntate Fidelium, ſecluſa conſuetudine arrendandi, & illos ad certitudinem redigendi, dicuntur omninò incerti, & iſti è contra non calculantur ad augendum valorem Beneficii.

Siquidem quidquid ſit de juſtitia dictæ ultimæ reſolutionis in eo caſu, in quo agebatur de penſione reſervata ſuper certis, & incertis Eccleſiæ Parocchialis, cum clauſula, *dummodo remaneant centum ducati auri de Camera pro Rectore*; Unde quæſtio erat an emolumenta provenientia ex anniverſariis, & funeribus, aliiſque emolumentis Parocchialibus in dies obvenientibus, calculanda venirent, necnè in dicta congrua, juxta quæſtionem alias diſputatam, & in Parochorum ſede peractam, inter Parochum habitualem, & Vicarium deputatum ad exercitium Curæ, & ſuper quo locus veritati relinquitur, dum non viſis juribus hinc inde deductis, meum efformare non valeo judicium, quod ubi etiam poſſem, non tamen facere deberem, ne in caſu particulari, qui adhuc pendet ſub Judice, uni partium fiat præjudicium, atque loquendo generaliter, & in abſtracto præfata diſtinctio non benè efformata videtur, ſed fallaciam potius continere, quoties agatur de penſione impoſita etiam ſuper incertis, quoniam ſub iſtorum nomine nullatenus calculari debet illa ſpecies fructuum, quæ continetur in prima parte diſtinctionis, dum iſti fructus dicendi veniunt certi, adeout, quamvis penſio impoſita eſſet ſuper fructibus certis tantum, iſtorum ratio ſine dubio habenda ſit, dum calculantur etiam ad longè fortiores effectus regulæ de valore pro invaliditate gratiæ; & ad alterum ſolutionis annatæ, cum iſti propriè dicantur fructus certi, utpotè radicati in ſolo, vel in alio certo, & indeficienti jure, ſeu cauſa productiva; Unde propterea adeſt certitudo in ſubſtantia, vel in genere, quamvis etiam in aliquo anno ob ſterilitatem, vel aliam calamitatem accidentalem nulli percipiantur, cum in aliis annis natura ſuppleat, vel præcedenter ſuppleverit, ideoque intrat compenſatio anni uberis cum ſterili, neque accidentalis deficientia unius, vel etiam plurium annorum (dummodo ſalva remaneat ſubſtantia, & cauſa productiva) facit, quod res certò fructifera non ſit, juxta ea, quæ habemus in cenſibus conſignativis impoſitis ſuper certo fundo fructifero, ad formam Conſtitutionis Pianæ, qui ceſſant ſi fundus cenſitus pereat, vel infructifer fiat, ſive ceſſent in parte fructus fundi, aut minuantur, atque reddantur inſufficientes, quoniam non attenditur deficientia accidentalis unius, vel plurium annorum cum ſimilibus. Ideoque ad rem, hujuſmodi fructus in ſubſtantia, vel in genere dicuntur certi, ſola verò incertitudo conſiſtit in quantitate, quæ ſingulis annis eſt varia, ſed ad hunc effectum inducta eſt peræquatio decennalis, de qua ſupra, ut ita calculatis annis uberibus cum ſterilibus firmetur certitudo, quoniam alias nulli darentur fructus certi, & per conſequens non ſolum ſubſtineri non poſſent penſiones impoſitæ ſuper ſolis fructibus certis, ſed neque unquam eſſet locus regulæ de valore, vel ſolutioni annatarum, cum certitudo ſolum circa quantitatem verificari videatur in fructibus civilibus, ſed neque in omnibus, quoniam illi, qui conſiſtunt in penſionibus domorum adhuc dici merentur incerti, & varii, vel quia non inveniantur conductores, vel quia pro temporum qualitate oporteat penſionem minuere, aut quod domus indigeat refectione, qua durante, ſit inhabitabilis, idemque in illis fructibus civilibus, qui conſiſtunt in gabellis, & vectigalibus, aut pedagiis, aliiſque ſimilibus juribus, in quibus etiam datur accidentalis variatio, & diminutio, unde ad ſummum certitudo non verificaretur niſi in canonibus, & livellis, aut cenſibus reſervativis, vel conſignativis habentibus certam taxam invariabilem ſingulis annis, vel ſtatutis temporibus perſolvendam, & nihilominus eciam in iſtis dari poteſt incertitudo ob deficientiam fructuum illorum bonorum, quæ ſunt hujuſmodi præſtationum ſubjectum.

Et quoad alteram ſpeciem incertorum, de qua in ſecunda parte dictæ diſtinctionis, quando emolumenta proveniunt à cauſa certa, & neceſſaria, ut eſt illa jurium parocchialium, ratione illarum functionum, quæ perneceſſe faciendæ ſunt, ut ſuperius animadverſum eſt, adhuc intrant cædem conſiderationes, de quibus ſupra in altera ſpecie, quod ſcilicet in genere, vel in ſubſtantia adeſt ſine dubio certitudo, ſolumque incertitudo verificatur in quantitate, quæ ſingulis annis eſt varia, ſed pariter hæc incertitudo tollitur cum eadem decennali peræquatione, ideoque ſola difficultas cadit in proventibus, & emolumentis merè voluntariis, & provenientibus à ſola pietate, & devotione Populi, abſque aliquo jure neceſſario, & radicato, & nihilominus etiam in hac ſpecie emolumentorum attenditur illa certitudo, quam inducit longa plurium annorum experientia, ob quam conductor pro certa penſione inveniri poteſt, juxta exemplum practicum, quod in Urbe habemus Eccleſiæ S. Antonii Abbatis in Exquiliis, cum aliis Venetiarum & Florentiæ, quæ per antiquos Doctores adduci ſolent, ut in locis ſuperius relatis advertitur, atque in Civitate Neapolis adeſt Eccleſia S. Joannis Majoris, quę habet duodecim hebdomadarios, quorum emolumenta conſiſtunt in aſſociationibus defunctorum ad ſepulchrum in funere, & tamen, quando præſertim iſte uſus erat frequentior, reputabantur valdè pinguia beneficia, notabilibus penſionibus gravari ſolita, cum pleriſque ſimilibus exemplis, quæ deduci poſſunt; Ideoque iſta materia regulanda videtur à fine, vel ratione, ob quam congrua Titularis remaneat ab onere penſionis

im.

immunis, quoniam quando iſte finis, vel ratio adimpletur non eſt in rigoroſè immorandum in modo, vel in qualitate proventuum, atque eatenus in Vicariis Eccleſiarum Parochialium unitarum alicui Capitulo, vel Dignitati aliqua incerta deferri ſolent Vicario, quatenus iſtius congrua, juxta frequentiorem praxim, ſit modica, & non ſufficiens ad ſubſtentationem, ut propterea incerta ſit pars congruæ, atque cum iſta regula procedendum videtur, attendendi ſcilicet ſubſtantiam veritatis, ac finem, ſeu rationem legis, non autem leguleicas formalitates, & ſuperſtitiones, aut vocabulorum, & verborum corticem, & grammaticales ſignificationes, ut ſcilicet Titularis præſervetur à damno, non autem ad lucrum, & locupletationem.

15 Super domibus verò Parocchialibus, vel reſpectivè Canonicalibus, vel illis colonorum, & laboratorum, cadunt etiam quæſtiones, ſuper quibus non de facili certa regula dari poteſt, cum deciſio pendeat à ſingulorum caſuum qualitate, & circumſtantiis, ideoque de his, & aliis ad hanc materiam pertinentibus videnda ſunt, quę habentur in conſueta, & propria iſtius materiæ ſede, ac etiam in alia materia Beneficiali. h

Poſito autem quod etiam ſuper diſtributionibus penſio impoſita ſit expreſsè, quia nempè dicatur *etiam ſuper diſtri-*
16 *butionibus*, vel quia verborum amplitudo, aut aliàs deſumpta Papæ voluntas id importet, tunc ubi verificatur diſcretio inter fructus, & diſtributiones, quod præſertim contingit in beneficiis collegiativis, & ſervitoriis, ut ſunt Canonicatus, aliaque Beneficia Cathedralium, & Collegiatarum, probabilis cenſendus videtur ſenſus aliquorum modernorum, *i* ut diſtributiones gravatæ cenſeantur in ſubſidium,
17 & ſecundario, quatenus præbendę fructus non ſufficiant, & pro rata deficiente. Tum ex regula generali, quod quando conceditur aliquod exorbitans, & irregulare ita interpretandum eſt, ut quo minus fieri poteſt admittatur exorbitantia, & receſſus à regula. Tum etiam ita ſuadente probabili ratione. Siquidem ubi præſupponimus caſum, ut poſſeſſor Canonicatus, vel alterius Beneficii reſideat, & interſit divinis, adeout integrum percipiat utrumque emolumentum præbendæ, & diſtributionum, & iſto caſu nil refert an una, vel altera emolumentorum ſpecies affecta ſit; dum ſive ex una, ſive ex altera proprium debitum ſolvere tenetur. Ubi verò præſupponimus caſum, quod poſſeſſor beneficii non inſerviat in divinis, idęoque non lucretur diſtributiones, quæ juxta diſpoſitionem Sacri Concilii Tridentini accreſcunt verè inſervientibus, non autem iis, qui ex privilegio Apoſtolico, vel ex juſto impedimento habentur fictè pro præſentibus, & inſervientibus, quoniam id prodeſt ad effectum lucrandi diſtributiones proprias, non autem illas, quę accreſcunt ob deficientiam aliquorum, ut docet rationabilis quidem, & commendatione digna conſuetudo trium Baſilicarum Patriarchalium, aliarumque Collegiatarum Urbis, atque iſto caſu juſtum, & rationabile non videtur, ut ille beneficiatus, qui malè ſe gerit, ſuoque muneri non ſatisfacit circa ſervitium Eccleſiæ, obtinere debeat fructus præbendæ exemptos pro rata ab onere penſionis, in præjudicium illorum, qui inſerviunt, ipſiuſque Eccleſiæ, cui debitum eſt ſervitium, ſed debet prius ex eiſdem fructibus ſolvere integram penſionem, & ſi quid ſupereſt percipere, dum ex cauſa lucrativa, & ſine onere ſervitii id obtinet in concurſu illorum, qui inſerviunt, foventium cauſam oneroſam. Idemque in altero caſu ex identitate, imò majoritate rationis dicendum venit, quando Beneficium vacet, ideoque fructus toto tempore vacationis prætendantur per ſucceſſorem in Beneficio, juxta Conſtitutionem 7. Julii Tertii, vel reſpectivè per Cameram Apoſtolicam, ejuſque Collectorem, taliſque fuit ſenſus Sacræ Congregationis Concilii in una Lauretana ſub die 5. Decembris 1682. Ideoque oneris impoſitio, etiam ſuper diſtributionibus facta, cenſetur ſolum in gratiam penſionarii, & ne Titularis poſſit ab eo ſe excuſare in parte, ſub prætextu inſufficientiæ fructuum præbendæ, non autem in gratiam Titularis, vel ſucceſſoris.

a *De Beneſic. diſc. 90. ex n. 53. ubi copioſè allegantur auctoritates ibidem commodè videndæ.* b *De iure patr. diſc. 10. n. 17. de præeminent. diſc. 11. n. 10. ubi concordantes auctoritates.* c *Dict. diſc. 11. de præeminent. & in aliis locis proximè citatis.* d *De iurepatr. diſc. 10. & 55. & diſc. 90. de Beneſic. in quibus concordantes.*

e *De Beneſic. diſcept. 89. ubi de iſta materia annatarum, ac etiam in tract. de officiis venal. cap. 4. & ſeq.*

f *De his diſc. 61. & 91. de penſion.* g *Romana penſionis 12. Junii 1682. coram Rondinino revocatoria alterius coram eod. impreſſa deciſ. 333. part. 19. rec.*

h *Diſc. 6. & 15. de penſion. & d. diſc. 90. de Benef. & alibi.*

i *Moneta de diſtribut. par. 3. q. 8. nu. 11. cuius allegatione ſolum, abſque alio diſcurſu contentus eſt Tondut. de penſion. cap. 42. num. 13.*

De penſionis extinctione, ceſſatione, & amiſſione; Et de diſpenſationibus deſuper concedi ſolitis ad id evitandum.

SVMMARIVM.

1 *De ceſſatione per extinctionem de conſenſu, & quando requiratur beneplacitum Apoſtolicum.*
2 *Non ſunt neceſſariæ litteræ, ſed ſufficit ſola ſupplicatio.*
3 *An iſte modus extinctionis expediens reputari debeat.*
4 *De alio modo acquirendi commoditatem.*
5 *De extinctione, ſeu ceſsatione per mortem penſionarii.*
6 *Quod etiam in iſta ſpecie introductus ſit abuſus.*
7 *De ceſſatione per matrimonium.*
8 *Penſio ceſſat per profeſſionem regularem.*
9 *Quid in Societate Ieſu.*
10 *Epiſcopatus cauſat ammiſſionem penſionis, quod declaratur, non autem Cardinalatus.*
11 *De militia ſæculari, & de officiis ſæcularibus.*
12 *Irregularitas, etiam ex homicidio, non cauſat amiſſionem penſionis.*
13 *Quid de feudo, & de Dignitate Ducis, Marchionis, & Comitis.*
14 *An pro delictis iſta amiſſio ſequatur.*
15 *De non inceſſu in habitu, & tonſura.*
16 *Quod diſpenſationes non faciant ſequi dictum effectum.*
17 *De privilegio militum Lauretanorum.*
18 *De aliis militibus.*
19 *De diſpenſationibus particularibus.*
20 *Diſpenſationes ſuffragantur re integra, & ante factum caſum.*
21 *Vbi diſpenſatio re integra accedat, eſt eadem antiqua penſio, & non nova, & de effectibus.*
22 *An ceſſet penſio reſervata Cardinali, vel alteri habenti certam qualitatem, ob iſtam ceſsatam.*
23 *Et an ceſſet ob immutatum ſtatum Eccleſiæ.*
24 *Diſpenſatio item pro ſtatu coniugali regulariter intelligenda eſt de primio, non ulteriori, niſi dicatur.*

CAP. XIII.

VErus, connaturalis, & favorabilis, non autem odioſus, & pœnalis modus, cui propriè convenit terminus extinctionis, vel caſſationis, eſt ille, qui provenit à legitimo, & non vitioſo penſionarii conſenſu, circa quem, quando ſit legitimus nec nè, nil peculiare in hac materia 1
ſtatutum videtur, ſed proceditur cum illis terminis generalibus, qui habentur in materii beneficialibus, aliiſque ſpiritualibus, in quibus intrat inſpectio, an ſervari debeant, nec ne ſolemnitates demandatæ per ſtatuta laicalia. Et quando iſte conſenſus eſt gratuitus, abſque aliqua recompenſa in pecunia, vel in alia re, ſufficit abſque aliqua Papæ auctoritate, quæ de ſtylo neceſſaria reputatur, quando dicta recompenſa accedat. Quamvis enim de ſtricta juris cenſura nulla deſuper habeatur probatio, dum, ex pluries inſinuatis, penſio eſt quid temporale, habens ſolum aliquam mixturam ſpiritualitatis ad certos effectus, *ut in c. 2. n. 4.* ideoque verè, & propriè non intrant termini Simoniæ, nihilominus quia Curiæ ſtylus, & ſæpè citata Conſtitutio Sixti V. induxit diſtinctionem inter penſionem Eccleſiaſticam, & temporalem, atque in illa, quæ Eccleſiaſtica dicitur induxit laicorum in capacitatem, atque idem ſtylus Curiæ in pleriſque illas exæquavit beneficiis, vel cum iſtorum regulis eas ordinavit, introducendo etiam ſpolium, & incamerationem in non exactis, juxta inferius deducta in cap. 20. idcirco reputantur quid annexum ſpiritualitati, & per conſequens ut ſine Apoſtolica auctoritate, quoad ſubſtantiam,

non

non ſint in privato commercio, ut advertitur in c. ſequenti, ideoque, (licet impropriè) adhibentur etiam termini ſimoniæ, quamvis revera non intrent. Sed ſi de facto fiat extinctio abſque beneplacito Apoſtolico, valida quidem erit ad favorem Eccleſiæ, ut libertatem acquirat, invalida vero erit quoad ipſum penſionarium, qui illam pecuniam retinere non poterit, ſed fiſcus eam avocabit, quoniam actus criminoſi, quamvis invalidè geſti, in odium facientis habentur pro validis. *a*

Pro dicta vero auctoritate, vel beneplacito non ſunt neceſſariæ litteræ, ut ſunt in reſervatione, aliiſque gratiis Apo-
2 ſtolicis, ſed ſufficit ſola ſupplicatio ſignata manu Papæ, vel Prælati habentis officium nuncupatum *per conceſſum*, per quam facultas tribuitur Titulari, & Penſionario reſpectivè, ut cum anticipata ſolutione aliquorum terminorum, pro quibus partes concordaverint, liceat iſtam facere caſſationem, ſuper qua cadere ſolet dubium, de quo agitur in cap. ſequenti, an illa validè fieri poſſit, quando alteri penſionis commoditas ceſſa fuerit. *b*

Meritò autem dictum eſt, quod iſte modus eſt magis connaturalis, magiſque favorabilis, & non odioſus, quoniam quando ſincerè, & bona fide id ſequatur, abſque dubio fa-
3 vorabilis eſt eccleſiæ, quæ abſque ejus aliquo ſumptu, vel damno eximitur ab hac ſervitute, prioremque recuperat libertatem, prout etiam favorabilis eſt penſionario, tum quia totum pendet ab ejus electione, & libera voluntate, tum etiam quia (præſupponendo illum prudentem, & providum) ita ponit in tuto conſiderabilem ſummam, regulandam ab ipſius penſionarii ætate, & valetudine, juxta ſtylum, qui habetur in vitalitiis, in quibus certa, & uniformis non cadit regula, ut in cap. ſequenti, ad ſuos tranſmiſſibilem, vel in ejus neceſſitates, aut utilitates promptè erogabilem; Neque dici poteſt res odioſa, & præjudicialis Titulari, quamvis iſte magis aleæ, & periculo ſe exponat, dum nemine compellente, voluntariè, & tanquam per ſpeciem negotiationis
4 id agit, licet Titulari magis expedire videatur ſe eximere ab onere penſionis per viam acquiſitionis commoditatis, ob rationes, de quibus in capitulo ſequenti.

Frequentior autem, magiſque proprius, & naturalis ceſſationis caſus eſt ille per obitum penſionarii, quamvis iſte
5 omnimodam penſionis commoditatem alteri ceſſiſſet, ut in cap. ſequenti, præter quam in illis penſionibus fiduciariis Hiſpaniarum, aliarumque Regionum, de quibus actum eſt in cap. 9. Meritò autem adhibetur vocabulum, ſeu terminus obitus potius, quàm mortis, eodem modo, quo in Beneficiis, ad ita diſtinguendum iſtam ſpeciem vacationis ab aliis ſpeciebus, quę mortem civilem in propoſito important, ſtante æquivoca ſignificatione iſtius vocabuli mortis. Adhuc tamen ſuper iſto modo irrepſit abuſus, adeout de facto mors
6 non cauſet hoc beneficium Eccleſiæ, ſed ſervitus, vel onus continuet, vel cum translationibus, de quibus infra c. 15. vel cum reſervationibus eventualibus, de quibus ſupra c. 8.

Per ſtatum conjugalem, quem Penſionarius aſſumat, illicò, & ipſo jure ceſſant quoque penſiones, eodem modo,
7 quo vacant vera Beneficia, in titulum conferri, vel commendari ſolita, ideoque nil refert an matrimonium ſit cum unica, & virgine, & an proficeatur velle continuare in ſtatu Clerici conjugati, quoniam ſufficit ceſſare capacitatem deſuper neceſſariam, non quidem ut exinde liceat arguere à beneficiis ad penſiones, ſed quia ſic exigit alius inſinuatus Curiæ ſtylus jam receptus, ac propterea habendus pro lege, exindèque manat differentia inter Beneficia, & Penſiones, quod pro Beneficiis juxta antiquum, & irrefragabilem Eccleſię Latinę uſum, à Conciliis, & Canonibus canonizatum, Clericatus cęlibis, dicitur requiſitum connaturale, & eſſentiale, ac neceſſarium, ſine quo nec obtineri, nec retineri illa poſſunt. In penſionibus autem eſt requiſitum potius accidentale, quàm naturale, & eſſentiale, ideoque huic ſolet diſpenſari, ut proximè infrà, alteri autem non. Operatur autem dictum effectum matrimonium, de facto contractum, quoniam id non excuſat contrahentem, præter quàm, ubi ageretur de nullitate naturali, & excuſabili, proveniente à defectu conſenſus. *c*

Per ſolemnem profeſſionem in aliqua Religione approbata per Sedem Apoſtolicam, adeout ſequatur immutatio
8 ſtatus de ſæculari ad regularem, reſultat in penſionibus adamuſſim idem effectus, qui in beneficiis, cum eadem differentia, de qua ſuprà, & per conſequens in Religione Societatis Jeſu, reſpectu profeſſorum cum tribus votis ſimplicibus, & ante emiſſionem quarti voti, nulla cadit ratio dubitandi reſpectu penſionum, dum etiam in ſimplicibus Beneficiis, non habentibus curam Animarum, vel onus reſiden-
9 tiæ cum illo ſervitii perſonalis, receptum eſt quod iſta profeſſio non cauſat vacationem, ideoque in eo ſtatu, uſque ad emiſſionem quarti voti, illa retinent, quoniam licet quoad ipſos dicantur veri profeſſi, quoad omnes effectus, eo modo, quo ſunt profeſſi aliarum Religionum, attamen quoad Religionem habentur pro ſcholaſticis ſæcularibus, dum ad nutum Superioris poſſunt dimitti, & redire ad ſęculum, idcircò tam quoad retentionem dominii, & poſſeſſionis bonorum, eorumque diſpoſitionem, quàm etiam quoad beneficia, & penſiones, non intrant in eis illæ regulæ; quæ in aliis profeſſis, ut ſæpius agendo de iſta Societate in ſuis Sedibus advertitur. *d*

Actu verò, dum hæc ſcribo, circa finem currentis anni 1682. exorta eſt hæc dubitatio, fortè in Curia nova, quod cum Joſeph de Guinifiis poſſideret Prioratum, qui eſt Dignitas principalis in Collegiata S. Joannis, & Reparatæ Civitatis Lucan. ejus Patriæ, cum cura animarum, ac etiam cum aliqua cura juriſdictionali Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ; ingreſſus verò in hanc Societatem, poſt ſolitum biennalem novitiatum, profeſſionem cum dictis tribus votis emiſiſſet, & prætenderet quod iſta non obſtante, adhuc prę-fatum Prioratum retinere poſſet, factaque per Sanctiſſimum D. N. gratia proviſionis Apoſtolicæ ad favorem Vincentii Seſti tanquam de vacante per profeſſionem regularem, ſubſequuta poſſeſſione, fuit à Sanctitate Sua deputata Congregatio particularis nonnullorum Prælatorum, quæ tamen huc uſq; non fuit tenta: Fundamentum autem proviſi Apoſtolici, ut auditur, in hoc potiſſimè ſtat, quod aſſertum privilegium Religioſorum Societatis Jeſu retinendi Beneficia, etiam poſt emiſſionem trium Votorum, attendendum videtur in Beneficiis compatibilibus, non autem in iſtis, in quibus reſpectivè urget intereſſe, & præjudicium Eccleſiæ, & animarum, dum dari poſſet caſus, quod hic profeſſus non curando emittere quartum votum, in hoc ſtatu perſeveraret per annos etiam 50. vel 60. ut noſtra ætate praxis docuit in pleriſque, & præſertim in Urbe vidimus piiſſimum, & doctum Religioſum Patrem Pyrrhum Gherardum, qui octogenario major, longævam vitam annorum 60. in Religione duxit, & ita continuavit in munere jam diu valdè commendabiliter exercito Procuratoris Generalis Religionis, ob ejuſdem Societatis Conſtitutiones, quæ impediunt quod iſtud munus eſſe non poſſit penes Profeſſum quarti voti adeoque in Capitulo Generali hoc eodem anno celebrato proviſum fuit, ut pro hac vice deputari poſſit in procuratorem Generalem Profeſſus quarti voti, prout de facto deputatus fuit P. Joannes Andreas Serra profeſſus quarti voti. At quidquid ſit de iſta quæſtione, ita obiter inſinuata, nil ad rem noſtram illa facere videtur, dum agitur de penſionibus, in quibus dicta ratio non intrat, atque talis eſt obſervantia, quæ, ut pluries dictum eſt, in iſta penſionum materia totum facit.

Eumdem effectum, tam in beneficiis, quàm in penſionibus producit promotio ad dignitatem Epiſcopalem, vel Ar- 10
chiepiſcopalem. Dummodò tamen agatur de Eccleſia habente actualem adminiſtrationem, cum onere reſidentiæ, ſecus autem, ubi agitur de Epiſcopatibus, vel Archiepiſcopatibus Titularibus in partibus Infidelium, quoniam iſti, ut potè non habentes onus reſidentiæ, & actualem adminiſtrationem, ex recepto Curiæ ſtylo, non cauſant incompatibilitatem. *e*

Super dignitate Cardinalatus id quandoque fuit in quæſtione, ob Conſtitutionem Sixti V. ſed per Conſtitutionem Urbani VIII. ea ſublata fuit, ut vacare faciat tanquam incompatibilia ſolum Beneficia majora, conſiſtentia in Cathedralibus, & Metropolitanis actualis adminiſtrationis, & alia quæcumque habentia onus reſidentiæ, & curæ Sacramentalis, ſecus autem in aliis Beneficiis, multò minus in penſionibus. Adhuc tamen ad omne dubium removendum dari ſolet retentio omnium, quæ retinebantur, præter quàm Officiorum vacabilium.

Ex aſſumptione item militiæ ſæcularis, ex quadam moderna opinione, quæ irrepſit, idem reſultat effectus, atque per moderniores extenſus fuit ad omnia alia officia ſæcularia, & publica, habentia exercitium alicujus juriſdictionis, vel adminiſtrationis ſæcularis, atque ſuper hac ſpecie, pro meo ſenſu, moderni ſe nimium involviſſe videntur, dum eorum aliqui reſpectu militiæ conſiderare ſolent, an actu bellaverint in caſtris, & ſæva exercuerint, atque reſpectu

offi-

officiorum ſæcularium conſiderare ſolent, an illa eſſent talia, quod haberent exercitium juriſdictionis criminalis, etiam in cauſis capitalibus, & an ad iſtius exercitium tanquam Judex, vel tanquam Notarius devenerint, præſupponendo, quod per irregularitatem ita contractam iſte reſultet effectus. Verum hæc, & ſimilia pro meo ſenſu leguleicas continent frigiditates, quoniam etiam vera, certa, &
12 major irregularitas, quæ contrahatur per homicidium voluntarium, doloſum, appenſatum, & inſidioſum, hunc effectum non producit; *f* Ideoque id aliam non habet rationem, niſi illam ceſſantis clericatus, ſine quo penſio Eccleſiaſtica retineri non poteſt, quoniam cum Miles Chriſti non poſſit eſſe miles ſæculi, ac propterea militia ſæcularis ſit omninò incompatibilis cum militia Eccleſiaſtica, hinc ſequitur quod ſuſcipiendo iſtum poſteriorem ſtatum militarem, incompatibilem cum clericatu, iſtum ita implicitè cenſeatur dimittere, & à ſe abdicare, & ſic propoſitio fundata ſolum eſt in voluntate tacita, & præſumpta, non attendenda quàndo conſtaret de contraria voluntate expreſſa, vel majores habente præſumptiones. Multò verò minus ubi adeſſet etiam defectus poteſtatis, quia nec volens poteſt clericatum dimittere, ut contingit in illis, qui conſtituti ſunt in Ordinibus ſacris, utpotè in ſtatu irretractabili. Ac etiam de ſtricta juris cenſura non deberet iſta incompatibilitas locum habere in militibus Papæ, & Status Eccleſiaſtici, dum eorum Princeps, & Dux eſt Eccleſiaſticus, ut latius in conſueta hujus materiæ Sede, *g* ubi etiam in ſpecie agitur, an
13 feudum ſæculare, quod penſionario ſuper venit, vel Titulus, aut Dignitas Ducis, Marchionis, & Comitis eumdem operetur effectum, ut ibi. *h*

Pro criminibus verò etiam gravibus, & majoribus iſte
14 effectus non ſequitur, etiam in Beneficiis, illis caſibus exceptis, in quibus ita à jure ſtatutum ſit, ideoque multo minus in penſionibus, in quibus longè minor dubitandi ratio viget. *i*

Demum non inceſſus in habitu clericali, quando penſio
15 excedat certum valorem præſcriptum in Conſtitutione Sixti V. eamdem producit amiſſionem.

Inter omnes autem cauſas inducentes hujuſmodi effectum amiſſionis, vel privationis penſionis, in praxi, excepto caſu
16 obitus penſionarii, & excepto altero veræ, & legitimæ caſſationis de conſenſu, nimium rari, penèque nulli ſunt caſus, in quibus id reducatur ad praxim, præter quam in illis imprudentibus, quibus ſtultorum, vel fatuorum congruat titulus, ob diſpenſationes Apoſtolicas deſuper concedi ſolitas, quæ ſunt de duplici ſpecie. Una ſcilicet generalis privilegiativa, conceſſa alicui Ordini, vel generi perſonarum, & altera particularis, conceſſa certæ perſonæ, & pro certis expreſſis penſionibus, quoniam cum ſuper poteſtate Papæ diſpenſandi nulla penitus cadat ratio dubitandi, idcircò poſita validitate diſpenſationis, omnia præmiſſa ceſſant.

Prima ſpecies generalis, & privilegiativæ diſpenſationis,
17 conceſſæ alicui generi, vel ordini, non habet certam regulam generalem, cum pendeat ab exiſtentia, & tenore ſingulorum privilegiorum, quæ per Sedem Apoſtolicam conceſſa fuerunt aliquibus ordinibus, vel militiis, ut inſinuatum eſt ſuprà in Cap. 4. atque pro frequentiori praxi verificatu in illis militibus, qui Lauretani dicuntur, capacibus retinendi penſiones, uſque ad ſummam 200. ducatorum auri de Camera, non obſtante ſtatu coniugali, etiam cum bigamia, & quod non incedant in habitu, & tonſura, abſque tamen facultate militandi in caſtris ſæcularium, atque ad iſtud præſidium, ut plurimum recurri ſolet quoniam cum ex latiùs inſinuatis in tractatione Officiorum Cap. 2. iſtæ malitiæ ſint de tertia ſpecie officiorum popularium, abſque aliqua induſtria, & adminiſtratione, pro ſolo negotio burſali, ob aliqua emolumenta illis annexa, idcircò illi, qui obtinent penſiones, cupientes aſſumere ſtatum coniugalem, & eximi ab obligatione incedendi in habitu, & tonſura, emunt iſtas militias, unam, vel plures, ad menſuram quantitatis majoris, vel minoris penſionum, quas obtinent, *l* adeout indulta particularia, quæ majores habent difficultates, & pro quibus notabiles facere oportet impenſas in Dataria, practicari ſoleant cum perſonis abſentibus, valdè qualificatis, & inter præſentes cum nepotibus, vel conjunctis Pontificum pro tempore, qui gaudent privilegio habendi expeditiones gratis, atque, ut dici ſolet, per viam ſecretam, ſimileque privilegium obti-
18 net ex conceſſione Pauli V. Religio, ſeu militia Sancti Stephani; *m* idemque probabiliter ſequitur in aliis militiis, ut in eodem Cap. 4. inſinuatum eſt.

Quoad alteram ſpeciem diſpenſationum particularium, iſta magis eſt incapax regulæ certæ, & generalis, quoniam pendet à genio, & ſtylo Pontificum pro tempore, quoniam 19
alii ſunt faciles, alii verò difficiles, præſertim circa facultatem militandi in bello inter Chriſtianos, ideoque totum pendet à tenore diſpenſationis, quæ ut plurimùm, penèque ſemper concedi ſolet promotis ad Cardinalatum, ac etiam, (licet non ita frequenter, & pro regula) promotis ad Epiſcopatum, adverſus autem ceſſationem per profeſſionem in Religione, concedi quandoque ſolet, ſed frequentius denegari. *n*

Illud autem pro regula certa, & generali ſtatuendum eſt in hujuſmodi diſpenſationibus, ut debeant eſſe obtentæ re 20
integra, & antequam ſequatur ille ſtatus incompatibilis, ob quem penſio de jure ceſſare debeat; quoniam ubi ſequatur, poſt jam amiſſam penſionem, tunc non eſſet diſpenſare, ſed de novo reſervare, quod fieri non ſolet, neque præſumitur Papam facere voluiſſe abſque conſenſu Titularis, dum ita eſſet facere reſervationem penſionis ſuper beneficio pleno, ſine conſenſu Titularis, quoties non conſtet, quòd Papa ſciens, & volens id facere voluerit. *o*

Ubi verò juxta ſolitam praxim obtineatur diſpenſatio re integra, & ante ſequutam immutationem ſtatus, tunc dicitur eadem antiqua penſio continuare in eodem ſtatu, quo 21
prius, dum diſpenſatio nil tribuit de novo, ſed ſolum removet obſtaculum, & operatur ne per ſubſequentem ſtatum ſequatur vacatio. Ac propterea licet in nova reſervatione penſionis ſuper beneficio curato requiratur mentio ſpecialis curæ, & ſuper beneficio de jurepatronatus requiratur conſenſus Patroni, vel derogatio Juriſpatronatus, ac etiam ſi beneficium eſt aliis penſionibus gravatum, facienda ſit illarum mentio, prout etiam non poſſit penſio exigi, litteris non expeditis, cum ſimilibus; Attamen hæc omnia non procedunt in hujuſmodi diſpenſationibus, quoniam iſtæ non inducunt novum onus, novamque ſervitutem, ſed relinquunt rem in ſtatu, in quo erat; *p* Unde propterea cum in caſus contingentia quidam Urbis probatus negotiator, in gratiam Titularis feciſſet cedulam bancariam pro ſolutione cujuſdam notabilis penſionis reſervatæ ad favorem Cardinalis, poſtmodum verò caſus dediſſet, quòd ille Cardinalis dimiſſo Cardinalatu contraxiſſet matrimonium cum vidua, prævio indulto ampliſſimo in conſueta Sede pluries enunciato, prætenſionem excitavit Ceduliſta quod evanuiſſet ejus obligatio, utpotè facta ad favorem Cardinalis, & in eo ſtatu, non autem in diverſo per ipſum non cogitato; ſed rationabiliter quidem rejecta fuit prætenſio, ideoque cedula plenum effectum ſortita eſt. *q*

Conſimilem prætenſionem excitavit quidam Titularis adverſus penſionem reſervatam ad favorem ſæcularis, tanquam militis Lauretani, quod ſcilibet ob dimiſſam militiam 22
prædictam ceſſaſſet penſio, quamvis poſteà clericalem characterem obtinuiſſet, ſed pariter hæc prætenſio rejecta fuit. *r*

Prout etiam rejecta fuit prætenſio alterius Titularis, quod penſio reſervata ſuper quodam Monaſterio ſolito commendari, ceſſaſſet ex eo, quod idem Monaſterium poſtmodum 23
fuiſſet erectum in Cathedralem Sedem, ideoque immutata fuiſſet ejus natura, ſed immutatio tollere non debet jus tertio legitimè quæſitum. *ſ*

Diſpenſatio item conceſſa retinendi penſiones in ſtatu conjugali, ex declaratione B. Pii V. intelligitur de primo 24
matrimonio, non autem de ulteriori, niſi alias expreſè diſponatur. *t*

a *De Benef. diſ. 34. n. 11. & 56. n. 9. de Penſion. diſc. 80. n. 16.*
b *In ſumma de penſion. nu. 65. & diſc. 68. & 69. eod. tit. & alibi.* c *Diſc. 45. 46. 62. & 78. de Penſ.* d *De iſta Societate Ieſu agitur de teſt. diſc. 36. de regul. diſc. 63. In annot. ad Conc. Trid. diſc. 34. & 35. & alibi.* e *Diſc. 43. de penſion. ubi videri poſſunt auctoritates.* f *De Penſ. diſc. 47. n. 11. & d. 49. n. 3. Ann. ad Conc. diſc. 12. & 5. & 6.* g *Diſc. 46. & ſeqq. de Penſion.* h *Diſc. 48. de Penſion.* i *Diſc. 49. eod. tit.* l *De Lauretanis diſc. 2. 58. & 78. de penſion.* m *De militibus S. Stephani diſc. 62. de penſion. & de illis S. Iacobi, & de Calatrava diſc. 45. eodem tit.*
n *Diſc. 44. de penſion. ſuper diſpenſatione adverſus profeſſionem regularem.*
o *Diſc. 45. in fin. de penſion. & alibi.*
p *Diſc. 1. & 2. de penſ. diſc. 44. & 46. & in aliis.*
q *Eod.*

q *Eod. disc. 1. de pension. n. 8. apud Cels. dec. 355. & 395.*
r *Disc. 2. eodem tit.*
s *Disc. 67. de pension.*
t *Disc. 45. eodem tit. ubi concordantes.*

An, & quomodo pensiones Ecclesiasticæ sint in commercio, & de cessione commoditatis, quid operetur.

SVMMARIVM.

1 *Quod materia pensionum regulanda sit à stylo Curiæ, potius quàm a iure communi.*
2 *Vnde inductus, & elicitus sit dictus stylus.*
3 *Qualis in ista materia commercii sit receptus stylus.*
4 *Quinam sint capaces huius commoditatis.*
5 *Quod etiam acquiri possit per ipsummet Titularem.*
6 *Est melior cautela se liberare a onere pensionis cum acquisitione commoditatis, quàm cum extinctione.*
7 *Cedens erga cessionarium tenetur ad quanti interest, si ex eius facto voluntario, vel culposo pensio cesset, etiam per mortem per manus iustitiæ.*
8 *An creditores cedentis habeant actionem ad istam commoditatem.*
9 *Cedens an possit in præiudicium cessionarii transferre pensionem.*
10 *Quando cessio sit de substantia, vel de commoditate.*
11 *De læsione, an intret in his cessionibus.*

CAP. XIV.

CUm ista materia tota reguletur, & pendeat (ex pluries enunciatis) à Romanæ Curiæ stylo potius, quàm
1 à jure communi, cui penitus ignota est, hinc inanis labor videtur assumere hunc punctum interdicti, vel respectivè permissi commercii, cùm interventu pecuniæ, vel alterius æquivalentiæ. Et quamvis idem stylus in magna parte, penèque in totum inductus, & regulatus fuerit ab iis, quæ per Doctores in feudis, in officiis vacabilibus, in usufructu, aliis-
2 que juribus vitalitiis firmata, & recepta fuerunt, ut infrà: nihilominus non possunt super hoc generaliter, & tutè figi pedes, cùm in casuum contingentiis praxis me docuerit, quod aliquæ propositiones, vel rationes juridicæ, in prædictis aliis materiis receptæ, in ista non fuerunt attentæ, ob quamdam antiquati usus, vel styli repugnantiam.

De stylo itaque receptum est (adeout de illo amplius non dubitetur) quod ad instar eorum, quæ latius enunciata fuerunt in tractatione officiorum vacabilium, de istis, aliis-
3 que juribus vitalitiis agendo, ipse titulus, vel ipsa substantia pensionis nullatenus est in commercio, neque potest alteri cedi, vel ex alio titulo transferri, quamvis gratuito, multo minus aliquo pretio mediante, absque beneplacito Apostolico, quo deficiente actus habetur pro omninò infecto, & per consequens eodem modo, quo in officiis vacabilibus dictum est, pensio adhuc perseverat in ipso alienante, vel cedente, ex cujus persona regulatur cessatio, vel vacatio, nullatenus curata persona cessionarii. Sed pariter eodem modo, quo in officiis, aliisque vitalitiis est receptum, quod sine beneplacito Apostolico cedi, vel aliàs alienari potest ejusdem pensionis commoditas, quæ consideratur tanquam quid facti, quod non tangat jus, vel substantiam, eodem modo, quo in præfata Sede officiorum, & in altera feudorum, & regalium habetur, & in specie pensionum in ejus propria, & consueta Sede; *a* Id autem non est feudorum, vel officiorum, aliorumque jurium regalium peculiare, cum attenta etiam dispositione juris communis idem procedat in usufructu, aliisque similibus juribus vitalitiis, quantumvis privatis. *b*

Istius autem cessionis commoditatis capax est quicumque, cujuscumque status, & sexus, cum non requiratur il-
4 la capacitas, quæ necessaria est in affectione, vel retentione pensionis, dum non dicitur obtineri ipsa pensio, sed cessio importat solum quoddam mandatum in rem propriam, cujus vigore cessionarius mandatario jure cedentis termi-
5 nos decurrendos exigit. Quinimò prohibitum non est ipsimet Titulari, & possessori beneficii gravati istam cessionem reportare, non obstante incompatibilitate actionis, & passionis in eodem subjecto, ob reduplicationum diversarum personarum formalium in una, eademque persona materia-
6 li, ut latius in eadem consueta hujus materiæ Sede *c* istaque reputari solet longè melior, & tutior cautela se eximendi ab onere pensionis, quàm illa procedendi per viâ extinctionis, de qua actum est in Cap. præcedenti, quoniam si pensionarius prædecedit, idem resultat effectus, sed si Titulari cedenti, vel decedenti supervivit, adhuc idem Titularis post dimissum beneficium, vel ejus hæredes, post sequutam beneficii vacationem, per ejus obitum, continuare poterunt in perceptione emolumenti, dum non practicantur illa pericula, ob quæ evitanda, reputari solet melior via extinctionis, ut in censibus, aliisque similibus habemus.

His autem sic stantibus, quod scilicet Titulus, & substantia pensionis resident in cedente, per cujus mortem naturalem, vel civilem pensio cessat, quoniam si matrimonium contrahit, vel professionem in Religione emittit, aut mili-
7 tiam sæcularem assumit, aliaque similia facit, utique cessionarius damnum sentiet, ut actionem non habeat ad pensionem, quamvis contra ipsum cedentem, pro ejus factis voluntariis, & ad quanti interest habere possit, etiam ubi damnum sequatur per mortem, ubi ista sit per manus justitiæ
8 ob ejus crimina, quoniam istud factum voluntarium dicitur, ut particulariter in sua Sede advertitur; *d* Exindè sequi deberet quod creditores cedentis cum hypoteca eorum jura super ista commoditate cessa post contractam hypotecam, &
9 super singulis annualitatibus, vel terminis experiri possent tanquam in re adhuc perseverante in dominio, & possessione debitoris, & tamen in praxi id non vidi admissum, eo quia fortè idem stylus exigat istam cõmercii libertatem, quamvis præsupponatur quod aliquando creditoribus anterioribus pensionarii adversus cessionarium commoditatis concessa fuerit immissio in Salviano ad ipsam commoditatem, quod tamen ego non practicavi, sed est juridicum.

Prout quando cedens habet indultum transferendi, etiam in articulo mortis, loquendo per rationes, & principia, non videtur absque dubio prohibendus translationem facere ad commodum alterius, quamvis cessionarius esset idem Titularis, ex latius deductis in dicta ejus consueta Sede, *e* & tamen in casus contingentia, translatio admissa non fuit, non quod aliqua probabilis ratio juridica id suaderet, sed potius ut stylo, vel cuidam naturali non scriptæ æquitati satisfieret, cum similibus.

Atque his stantibus, contingente casu obitus cedentis ante illum cessionarii, ne iste frustratus remaneret, excitata, 10
quandoque fuit prætensio, deducta, ex formulis verborum, & clausularum, ut cessio percuteret substantiam potius, quàm commoditatem, sed frustrà. Quoniam tunc ad verba, & clausulas recurritur, quando agitur de sola quæstione ambiguæ voluntatis, absque aliquo potestatis defectu, secus autem isto concurrente, tam ex regula quod voluntas metienda est à potestate, quàm etiam quoniam ubi etiam voluntas clarè, & expressè percuteret substantiam, attamen 1
ubi cumulativè non concurrat Papę, & Titularis consensus, vel saltem eorum unius, actus est clarius inutilis. *f*

Non semel super hujusmodi cessionibus motivatam vidi læsionem, eo quod facta esset pro modico pretio, istud re- 11
gulando ab illa taxa vitæ hominis, quam lex civilis juxta mensuram ætatis inducit. Verum nunquam, pro meæ diuturnæ forensis vitæ notitia, ad praxim id vidi deductum, tùm quia generaliter in regulatione omnium contractuum ad vitam, quamvis in rebus prophanis, & indifferentibus, quæ cum dicto Jure civili regulantur, pro meo sensu clarus videtur error præfatam legalem, & uniformem taxam attendere, ut latius, & ex professo in suis Sedibus, *g* tum etiam in subjecta materia, ex insinuata ratione styli Curiæ, qui ejus omnimodus regulator videtur.

a *De pension. disc. 68. & 69. & in aliis.* b *De dote disc. 148. ubi latè videri possunt auctoritates.* c *Dict. disc. 68. de pension.* d *Dict. disc. 69.* e *Dict. disc. 68.* f *Disc. 70. de pension.* g *De regal. disc. 30. de donation. disc. 54. & alibi.*

De Translatione pensionis, ejusque materia, & quando dicatur translatio antiquæ pensionis, vel potius omninò nova reservatio.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Penſio translata non eſt nova, ſed eadem antiqua.*
2 *Quando dicatur nova, & potius reſervatio, quàm translatio.*
3 *Quæ probabiliter fuerit introductio translationum.*
4 *An iſta introductio commendatione, vel damnatione digna ſit.*
5 *An translatio ſit odioſa, & præiudicialis, nec ne.*
6 *Fieri poteſt etiam in articulo mortis.*
7 *Ac etiam per nutus, & ſigna, ſi loqui non poteſt.*
8 *Quod non debeat de facili admitti hæc translatio per nutus, & ſigna.*
9 *De infectione translationis ob incertitudinem.*
10 *De formula translationis, & n. 24.*
11 *Non ſuffragatur indultum transferendi ſuper diſtributionibus.*
12 *Indultum retinendi non ſuffragatur pro facultate transferendi.*
13 *De translatione confidentiaria.*
14 *In in indulto transferendi intret regula de viginti.*
15 *An facultas transferendi exerceri poſſit cum filiis, & deſcendentibus.*
16 *Translatario competit eadem anterioritas, ac transferenti.*
17 *Gaudet eadem via exequutiva, eiuſque actionibus, remediis, & privilegiis.*
18 *Iuvatur poſſeſſione transferentis.*
19 *Defectus, qui obſtant reſervationi, obſtant translationi, & translatario.*
20 *Super quo providit Conſtitutio Innocentiana.*
21 *Non alteravit alias Conſtitutiones Vrbani VIII. in materia translationis.*
22 *Quomodo ſtante Innocentiana fiat translatio.*
23 *Valet conventio de non transferendo.*
24 *De variis formulis, & ſpeciebus indultorum, à quibus translationes regulari debent.*
25 *An poſteriora indulta abſorbeant priora, vel potius importent multiplicationem.*

CAP. XV.

QUamvis formula Indultorum, quæ concedi ſolent pro facultate transferendi penſiones, & ſucceſſivè formula, quam Notarii adhibere ſolent in ipſis translationibus,
1 quando fiunt, attento verborum ſenſu grammaticali, comprobet, quod translatio importet caſſationem antiquæ penſionis, & efformationem, ſeu reſervationem alterius de novo, quam exequutor, in litteris Apoſtolicis deputatus, vice, & nomine Papæ faciat: Unde propterea aliquorum eſt ſenſus, quod penſio translata ſit omninò nova, & diverſa ab antiqua, nihilominus quia ſubſtantia veritatis potius, quàm formalitas verborum in omnibus attendi debet, verius, magiſque receptum eſt, ut verificetur quidem aliqua novitas reſpectu perſonæ, quæ ita immutatur, ac propterea quoad translatarium, non immeritò dici valeat nova penſio, ſed quoad Eccleſiam gravatam, ejuſque Titularem, atque ad effectus etiam ipſi Translatario favorabiles, & reſpectivè præjudiciales, dicitur eadem penſio antiqua, & continuativa, cum ſola immutatione perſonæ, ex qua ejus vacatio regulanda ſit. Sed quoniam quandoque (licet rarò) caſus præbere ſolet, quod hæc translatio penſionum de perſona ad perſonam, de conſenſu penſionarii, directè, & immediatè fiat per Papam cum expeditionibus litterarum per Datariam, ad inſtar novarum reſervationum, hinc non infrequenter dubitari contingit, an iſta dicenda ſit translatio, vel potius nova reſervatio ex integro; Cumque de hoc
2 puncto præciſo à me agatur in conſueta ſede in tribus diſcurſibus, qui videntur quodammodo inter ſe oppoſiti, re vera tamen ſunt potius diverſi, atque congrua deciſio pendet ex qualitate, & circumſtantiis facti, ac etiam ex diverſitate effectuum, ad quos de hoc dubitari contingit, nimiaque digreſſio eſſet ibi deducta reaſſumere; idcircò ad ea ſufficiat relationem habere, dum ibi commodius poterit quis curioſitati, vel opportunitati ſatisfacere; *a* De effectibus autem agitur infra in hujus rubricæ progreſſu circa onera, & præjudicia translatarii, quibus novus, & immediatus reſervatarius non ſubjacet.

Hoc itaque præcognitio, ut præcognoſcendum eſſe, nedum valdè opportunum, ſed neceſſarium videtur, ad evitanda æquivoca, & errores, à quibus immunis eſſe non poteſt, qui non benè diſtinguit, ſed cum generalitatibus, vel cum auctoritatum littera procedit, atque præſuppoſito quod agatur de vera translatione, non autem de directa, & omninò nova, & independenti reſervatione: Quatenus pertinet ad hanc materiam, quæ occaſionem dedit noſtræ legi, per quam jam Dei gratia abolita eſt major pars illarum forenſium controverſiarum, quas producebat correcta, vel moderata Conſtitutio 20. Urbani VIII. ut in cap. 1. & alibi animadverſum eſt. Incertum eſt de quo tempore, quave occaſione ſequuta fuerit iſta translationum introductio, quæ probabiliter juſtum, vel ſaltem, æquum, & honeſtum principium habere potuit, quia nempè decedens ali- 3
quis Cardinalis, (ut frequentius contingere ſolet) in ſtatu paupertatis, ac propterea non valens de proprio providere antiquos, & benemeritos familiares de aliquo vitalitio ſubſidio, & ne iſti (cum ipſius dedecore novo ſervitio, ob gravem ætatem, vel infirmam valetudinem non apti) mendicare cogerentur, præces Papæ porrexerit, ſive idem Papa miſericordia motus illi ſponte obtulerit indultum, & facultatem eos providendi, cum aliqua modica, & honeſta parte illarum penſionum, quas poſſidebat, & quæ per ejus mortem eſſent vacaturæ, idque ad menſuram, & proportionem meriti, & indigentiæ, eo modo, quo generaliter, agendo de introductione uſus reſervationis penſionum, conſideratum eſt ſupra cap. 2. & alibi; atque ubi talis facultas intra iſtos limites exerceretur, commendatione quidem potiùs digna cenſenda eſſet introductio; ſed quoniam omne opti- 4
mum, propter abuſum, convertitur in peſſimum, idcircò attenta magis communi, & frequentiori iſtius facultatis praxi, & uſu, dicenda potius videtur damnatione, quàm commendatione digna, dum experientia docuit, & docet, quod ita penſiones vitalitiæ, & perſonales efficiuntur tranſmiſſibiles, hæreditariæ, & perpetuæ de patre in filium, de patruo in nepotem, & ſic ſucceſſivè in ulteriores poſteros, ob ejuſdem facultatis extenſionem, longè magis damnatione dignam, concedi aliquando ſolitam transferendi etiam penſiones non ſolum ſemel, ſed etiam bis, & ter, & pluries translatas, quo nil abſurdius, adeout actualis praxis doceat adeſſe graves penſiones à centum annis, & ultra reſervatas, quæ adhuc durant, atque diuturnam durationem impoſterum habere poterunt.

Et quamvis noſtrorum majorum ſimplicitas (uſquequò de anno 1624. prodiit ſæpius enunciata Conſtitutio 20. Urbani VIII. crediderit, quod translationes dicendæ non ſint 5
odioſæ, neque Eccleſiis præjudiciales, ob poſſibilem, & quandoque contingibilem præmorientiam translatarii, adhibendo in hoc illud vulgi dicterium, quod prius, vel plus moriuntur Agni, quàm oves, poſt dictam verò Conſtitutionem ſententiam mutaverit, illaſque odioſas, & præjudiciales reputare cæperit, eo quia uti tales dicta Conſtitutio eas reputat, *b* Nihilominus id magnam continere videtur frigiditatem, tum quia non de facili datur, ut id quod eſt eſſentialiter, & intrinſecè unius naturæ, poſtmodum per quemdam novæ legis poſitivæ ſenſum efficiatur naturæ diverſæ, imò oppoſitæ. Tum etiam quia lex, & natura clarè docent contrarium, ut tranſmutare de ſene in juvenem, vel de minus valido, & veriſimiliter minus durabili in magis validum, magiſque durabilem importet prorogationem, & quamdam ſpeciem illius, quamvis imperfectæ, perpetuitatis, quæ in rebus corruptibilibus dari poteſt; lex etenim odioſos, præjudiciales, atque de fraude ſuſpectos reputat omnes illos actus, qui per infirmos, vel ſenes, aut alias minus validos fiant ad favorem juniorum, ſeu validorum, quando non pendeant ab omninò libera voluntate, & diſpoſitione facientis, ſed habeant admixtum intereſſe, vel præjudicium tertii, ut paſſim receptum habemus in ſubinfeudationibus, in reſignationibus beneficiorum, & officiorum vacabilium, in nominationibus, aliiſque diſpenſationibus, quæ permittuntur in vita, & in ſtatu valido; Ideoque licet de ſtylo, qui ſecum habere videtur quamdam ſpeciem contractus in officiis vacabilibus popularibus, nullam habentibus annexam adminiſtrationem, non poſſit, nec debeat, neque ſoleat Princeps denegare admiſſionem reſignationis, non tamen ad id tenetur ſi reſignatio fieri velit ab infirmo, vel à ſene, aut aliàs de fraude ſuſpecto, ut in Officiorum Sede latius, cum ſimilibus.

Idem quoque (lege comprobante, & demandante) docet natura in gregibus, armentis, vineis, arboretis, & ſimili-

milibus, quod pro conſervatione, & perpetuatione curantur tranſmutationes, & ſubrogationes de ſene in juvenem, & de veteribus in novas arbores, ut in uſufructuario, in fideicommiſſario, aliiſque legalibus adminiſtrationibus lex præcipit.

Quòd autem aliquando ſubrogatus junior prædecedat ſeni, in cujus locum ſuffectus eſt, inſolito caſui, vel accidenti referendum eſt, nullatenus attendendo, ex vulgari regula, quam in legalibus, moralibus, & prudentialibus receptam habemus, quod attendi debeant ea, quæ frequentius accidunt, & juxta conſuetum, ſeu naturalem curſum, non autem ea, quæ rarò, & accidentaliter contingunt.

Clarius autem, & extra omne dubitandi principium in ſubjecta materia, in qua lex non providit, ut exempli gratia fecit in beneficiis, cum regula de viginti, ſive de infirmis reſignantibus, cum ſimilibus, quoniam hujuſmodi in-
6 dulta concipi ſolent, ut licitum ſit facere translationes, etiam in articulo mortis, atque DD. & Tribunalium receptus ſenſus eſt, ut idem actus fieri poſſit, etiam ab eo, qui ſit jam deſtitutus facultate loquelæ, qua mediante voluntas melius, ac plenius explicatur, ideoque id agat per nutus, & ſigna, ſive cum ſimplici verbo affirmativo, ad alterius interrogationem, quoties non conſtet de defectu intellectus, qui non præſumitur, eodem modo, quo in ultimis voluntatibus generaliter habetur, *c* propterea liquet ad evidentiam quod eſt ſpecies diſpoſitionis per ultimam voluntatem tanquam per hæreditamentum, ſeu legatum; Ita quoque docente frequentiori, penèque omnimoda praxi, quod ad hujuſmodi translationes non devenitur, niſi ſtatu deſperatæ ſalutis, adeout nimium rari, & inſoliti ſint illi caſus, in
7 quibus transferentes convaleſcant, ac propterea fabuloſum, & irriſione dignum videtur præfatum aſſumptum, etiam ante Conſtitutionem Urbani, atque ineptum eſt dicterium deſuper applicari ſolitum, quod plus, & prius moriuntur agni, quàm oves, quoniam id non provenit à natura, vel à caſu, ſed ab induſtria, dum agni ad fructum voluntariè mactantur, ideoque non videtur quid commune id habeat cum caſu propoſito.

Stante autem hujus materiæ odibilitate, & exorbitantia, jam ſaltem poſt dictam Conſtitutionem firmata, infertur exindè ad plures rigores, in quibus etiam aliquis dignoſcitur error, adhibendo ſcilicet rigores, in caſibus, in quibus adhiberi non deberent, & è converſò latè procedendo in caſibus, in quibus deberet rigoroſiſſimè procedi. Siquidem ubi dubium, vel ſuſpicio eſſe poteſt in transferentis pleno, & perfecto conſenſu, & in ſinceritate actus, ut contingit in
8 translationibus, quæ ut ſuprà, fiant ad interrogationem, cùm ſolo verbo affirmativo, ſive per nutus, & ſigna, quoniam tale quale dubium deſuper cadere valeat, cum ſummo rigore procedendum videtur contra translationem, non autem procedendum cum illis regulis, & terminis, cum quibus procedi ſolet in ultimis voluntatibus ſuper bonis propriis liberæ diſpoſitionis, ob majorem ſuſpicionem fraudis, & ſupplantationis tertii, quod utinam non ſequeretur nimium frequenter. Quinimò, pro meo ſenſu, deberent cum expreſſa lege prohiberi, & damnari translationes ad interrogationem, vel per nutus, & ſigna, ſive aliàs per conſtitutos in articulo mortis, quoties clarè, expreſsè, & ſincerè non conſtaret de præcedenti præordinatione iſtius voluntatis in ſtatu valido, quodque iſta ſit motu proprio, & ex libera determinatione transferentis, non autem ad interrogationem, vel ſuggeſtionem, idque non ſolum in gratiam Eccleſiarum, ſcilicet ne in earum præjudicium, & ſupplantationem, tot committantur fraudes, & falſitates, ſed etiam in gratiam eorumdem transferentium, qui pro frequentiori praxi ſunt Cardinales, vel multum qualificati Prælati, qui in ſtatu bonæ valetudinis (commendabiliter quidem) abhorrentes ab hujuſmodi translationibus, præſertim ſuper Eccleſiis Cathedralibus, & Parocchialibus nimium gravatis, atque commendantes ſtylum tentum per eos, qui transferre noluerunt quando reperiuntur à morbo, & à mortis cogitatione turbati, & preſſi, & quaſi extra ſenſus, magnas recipere ſolent moleſtias, & perturbationes, imò violentias, & concuſſiones, ne dum ab intereſſe habentibus, ſed etiam ab indiſcretis familiarium amicis, aliiſq; ægroto aſſiſtentibus, qui aliquando ut requirentibus morem gerant, minus ſolent curare de ſalute animæ, & corporis eorum, quibus aſſiſtunt; Unde propterea conſtituti in articulo mortis, ad ſe liberandum ab illis moleſtiis, annuunt iis, quæ nolebant, & abhorrebant, vel quod perfecto diſcurſu deſtituti, potius inter mortuos, quàm inter vivos regurandi, ad omnes interrogationes, vel ſuggeſtiones affirmativè reſpondere ſolent, ut in Sede Teſtamentorum, & ultimarum voluntatum quoque advertitur, occaſione agendi de teſtamentis, aliiſque ultimis voluntatibus, ad alterius interrogationem, per nutus, & ſigna.

Econverſò autem ubi non agitur de defectibus naturalibus, concernentibus veritatem, & ſinceritatem actus, ſed potius de defectibus provenientibus à ſubtilitatibus, vel ſuperſtitionibus juris, rigoroſè procedi ſolet, licet actus bona fide, & ſincerè initus eſſet, adeout illius validitas, vel invaliditas pendeat potius à formalitate verborum, & à peritia, vel imperitia Notarii, quàm à ſubſtantia veritatis, quod non placet. Ut præſertim eſt illa infectio, quæ deduci ſolet ab incertitudine, ſeu non benè facta ſpecificatione perſonarum, 9
& ſummarum, & Eccleſiarum reſpectivè, ut in conſueta Sede *d* ſive ubi ſervata non fuerit quædam formalitas exhibitionis facultatum, per quas exequutor certus reddatur de 10
ejus poteſtate, *e* cum aliis formalitatibus, deſuper conſiderari ſolitis. Aut quod facultas transferendi non ſuffragetur abſque ſpeciali mentione pro penſionibus, quæ ſint ſuper di- 11
ſtributionibus quotidianis; *f* Vel quod eadem facultas amiſſa ſit per matrimonium, vel bigamiam, obſtante indulto retinendi, quod non ſuffragetur pro facultate transferendi, niſi 12
iſta repetatur, *g* cum ſimilibus rigoribus, & ſubtilitatibus in conſueta Sede recenſitis, quæ non placent, atque nimiam quamdam juris metaphiſicam redolere videntur.

De confidentia in translatione committi ſolita, jam actũ eſt ſupra in cap. 9. ubi videndum. Atque dubitare quando- 13
que contingit, an in hoc indulto tranferendi intret necne regula de infirmis reſignantibus, quæ vulgò regula *de viginti* 14
dici ſolet, atque verior eſt negativa, quoniam in odioſis, & reſtrictoriis arguere non licet à beneficiis ad penſiones. *h* Dubitarunt etiam aliqui an habens facultatem transferendi, 15
poſſit illam exercere ad favorem proprii filii, vel deſcendentis, quaſi quod ita eſſet ſpecies ſucceſſionis. Verum ubi non agatur de illis illegitimis, quibus obſtent Conſtitutiones Apoſtolicæ; illa præſertim B. Pii V. verius eſt dubium non intrare, taliſque eſt frequens, & quotidiana praxis. *i*

Poſita verò legitima, & valida translatione, verior, magiſque recepta eſt propoſitio ſuperiùs initiò inſinuata, quod penſio translata, non eſt nova, ſed eadem antiqua, quæ, immutata ſolum perſona, continuat ad omnes effectus, tam favorabiles, quàm præjudiciales translatario, favorabiles ſcil. quoniam cum inter penſionarios detur concurſus, & temporis anterioritas, juxta regulam, *qui prior &c.* ut infra in cap. 18. translatarius potitur ejus anterioritate ex tempore 16
reſervationis, eodem modo, quo ipſe transferens; Ac etiam ei competunt via exequutiva, aliæque actiones, remedia, & privilegia, quæ competunt transferenti, præter quàm circa 17
poſſeſſorium manutentionis, & circa regreſſum, ut in cap. ſequenti. Prout juvatur eadem poſſeſſione transferentis ad plures effectus, ex illa reſultare ſolitos, illum præſertim antiquiſſimæ, & tricennalis poſſeſſionis, quæ relevat ab onere 18
juſtificationis gratiæ, & litterarum, quæ ex iſta longiſſima obſervantia præſumitur, quoniam id ſuffragatur etiam translatario *l* cum ſimilibus effectibus favorabilibus, & privilegiativis. Et è converſò ad effectus odioſos, ex regula, *nemo plus iuris &c.* obſtant etiam translatario, cui propterea 19
incumbit onus juſtificandi ipſam reſervationem, quando iſta ſit conditionalis, & juſtificatione indigeat, vel aliàs defectiva ſit. *m*

Majores verò, (ut præmiſſum eſt) quæſtiones in iſta materia translationis producebat pluries enunciata Conſtitutio 20. Urbani VIII. ſuper exceſſu medietatis valoris, eas ta- 20
men ſuſtulit noſtra Innocentiana, quæ in hac ſola parte providit, non autem in aliis defectibus, quos ipſa translatio patiatur, dum in reliquis omnia remanent in ſuo eſſe, & præſertim circa alias duas ejuſdem Urbani Conſtitutiones, quarum una diſponit, ut indulta transferendi non ſuffragentur pro penſionibus aliàs translatis, niſi de conſenſu Titularis *n* 21
& altera, ut non ſuffragentur pro penſionibus reſervatis ſuper illis Eccleſiis, quæ poſſideantur per Cardinales, abſque ſpeciali mentione, vel niſi accedat ipſius Cardinalis conſenſus, idque ex declaratione ejuſdem Urbani facta in plena Signatura Gratiæ procedit, quamvis Cardinalis Eccleſiam dimiſiſſet, ejuſque amplius poſſeſſor non eſſet, quoties tamen eſſet reſervatarius fructuum, quoniam ſpectato effectu, vel ratione, idem cenſendus eſt caſus. *o*

Cir-

Circa noſtrę Innocentianæ initia exorta eſt apud debiles quędam dubitatio, quæ verè non intrabat, an ſcilicet ad effectum transferendi medietatem præcedere deberet caſſatio integræ penſionis, ut de facto per aliquos imperitos practicatum fuit, ſed iſte fuit effectus claræ, & groſſæ imperitię, quoniam nil prohibet fieri caſſationem ipſius medietatis transferendæ, alia medietate remanente penes transferentem, cum ſola qualitate, ut non ſit transferibilis, eodem modo, quo ſequitur, quando adeſt pactum, & conventio cum Titulari, ut penſio in toto, vel in parte non poſſit transferri, quamvis habeatur indultum, quoniam de talis validitatis conventione non dubitatur. *p*

Sed quoniam variæ ſunt formulæ indultorum, quæ concedi ſolent ſuper iſta facultate transferendi; Notarii verò, qui de translationibus rogantur, forteque etiam earum conſultores, & directores, hujuſmodi diverſitates non callentes, vel ad eas non advertentes, frequenter procedere ſolent cum aliquo formulario translationis, benè factæ in ſuo caſu, quia eſſet conformis indulto, de quo agebatur, in omni alio caſu, quamvis diverſo, eandem adhibendo formulam diſſonantem ab Indulto, cujus vigore actus explicatur; Hinc reſultant quæſtiones ſuper nullitate translationis, non infrequenter per Judices, & Tribunalia admiſſa, procedendo cum regula, *quod potui, nolui, & quod volui adimplere nequivi*, ita deſerviendo formalitati verborum, potius quam ſubſtantiæ veritatis, cujus contrarium faciendum eſt, ut frequentiſſima eſt mea dicendi, imò declamandi conſuetudo, quamvis hactenus inutiliter, dum forenſes pragmatici ab hoc vitio diſcedere neſciunt, cum in propoſito attendi debeat ſubſtantia veritatis, quodque transferens, capiens facere illum actum, in animo habuerit illum faciendi eo meliori modo, quo fieri poteſt, neque imperitia Notarii, vel directoris hanc voluntatem deſtruere debet, illamque reddere eluſoriam.

Ad occurrendum itaque hujuſmodi inconvenientibus, oportunum judicatum eſt in calce præſentium adnotationum regiſtrare hujuſmodi Indultorum varias formulas, ut in caſuum contingentiis Notarii, vel alii faciendarum translationum directores, inſpicere poſſint, quomodo concepta ſit facultas illius, qui translationem facere intendit atque ad illius normam, non autem in formula diverſa explicent actum.

De duplici ſiquidem ſpecie ſunt hujuſmodi Indulta, quarum una eſt illorum, quæ generalia, & perpetua dicuntur, quia nempè per aliquam Conſtitutionem Apoſtolicam, ſive aliam ſpeciem conceſſionis competant alicui Collegio, vel generi perſonarum, ut exempli gratia ſunt Indulta, quæ conceſſa ſunt Collegio Protonotariorum Apoſtolicorum, de numero Participantium, ac etiam alteri Collegio Abbreviatorum Majoris Preſidentię, & quibuſdam aliis Officialibus Cancellarię pro ſummis, vel quantitatibus, quæ in eiſdem conceſſionibus explicantur, quoniam eo ipſo, quod quis obtinet dictum Protonotariatum, ſive Abbreviatoriam, aut aliud officium in hoc privilęgiatum, eo ipſo habere dicitur hanc facultatem, in vim indulti generalis, conceſſi illi Collegio, vel generi, aut officio, abſque neceſſitate alterius Indulti particularis. Quæ quidem facultas transferendi penſiones competit eiſdem Protonotariis, etiam dimiſſio officio, dummodò tamen illud, ſaltem per triennium obtinuerint, ex Conſtitutione Urbani VIII. ſub die 5. Septembris 1629. cujus particula ad finem præſentis tractatus regiſtratur. Similiter de prædictis Abbreviatoribus dicendum eſt, qui dimiſſo officio, per quinquennium illud jam exercuerant, ex Conſtitutione Clementis X. in Bullar. Conſtit. 16. to. 6.

Altero verò ſpecies Indultorum particularium, ſeu perſonalium, ſubdiſtinguitur etiam in duas alias ſpecies ſubalternas, quarum una participat magis de præcedenti ſpecie generali, quia nempè ſint Indulta, quę concedi ſolent omnibus de quodam genere, vel ordine perſonarum, ſed in ſingulis neceſſarium eſt proprium, & particulare, ſeu perſonale Indultum, ſine quo non competit hæc facultas, quamvis perſona ſit de illo genere, vel ordine; Ut exempli gratia ſunt Cardinales, quoniam omnibus Cardinalibus uniforme concedi ſolet Indultum, quod eorum nemini denegatur, transferendi uſque ad ſummam mille ſcutorum monetæ Romanæ. Sed ſi ille Cardinalis negligit Indultum expedire, non ex eo, quod ſit in ea Dignitate conſtitutus, translationem facere poterit. Idemque ſequitur in Epiſcopis aſſiſtentibus, ac etiam in ſecretis Cubiculariis, aliiſque veris, & actualibus familiaribus Papæ, & Conclaviſtis, aliiſq; ſimilibus, quoniam non eo ipſo, quod ſunt Epiſcopi aſſiſtentes, vel familiares Papæ, ſeu Conclaviſtæ competit eis hæc facultas, niſi expediatur Indultum, quod tamen reſpectu familiarium, & Conclaviſtarum non ſolet eſſe ſingulare, vel perſonale, ſicuti eſt in Cardinalibus, & Epiſcopis aſſiſtentibus, quoniam unicum pro omnibus concedi ſolet.

Altera verò ſpecies magis particularis eſt illorum Indultorum, quę ſingularibus perſonis, quibus Papæ gratificari placeat conceduntur, ut præſertim verificari ſolet in Nepotibus, aliiſque Papæ conjunctis, vel alias ei gratis, & benemeritis, cum deſuper certa ſtatui non valeat regula, dum illa magis ampla, vel reſtricta concedi pędet à genio, & ſtylo magis facili, vel difficili Papæ regnantis pro tępore dictarũq; diverſarũ ſpecierũ, ad ſuperius enũciatũ effectũ, ut inſinuatũ eſt, regiſtrãtur formulæ, ſeu particulę in fine hujus tractatus.

Stante autem prædicta diverſitate Indultorum, ac Titulorum, ex quibus illa concedi ſolent, ſive jam conceſſa ſunt, cadit dubium, an in eis intret necne multiplicatio, præſertim poſtquam per ſuperventam majorem dignitatem Cardinalatus, ceſſant omnes alię inferiores Dignitates, & munera, vel potius facultas minor confundatur cum ſuperventa majori; ut puta, familiaris Cardinalis eſt ejus Conclaviſta, deindeque dicto Cardinali aſſumpto ad Summum Pontificatum, efficitur ejus Cubicularius Secretus, & verus familiaris actualis, deindeque creatur Epiſcopus aſſiſtens, ac demùm promovetur ad Cardinalatum, ut non infrequens praxis in Romana Curia iſtam docet gradualitatem, an ſcilicet quatenus obtineat tot penſiones, ut exerceri poſſint diſcretivè omnes iſtæ transferendi facultates, illas exercere poſſit, vel potius ob ſuperventam majorem Dignitatem, per quam abſque ſpeciali Indulto ceſſant alia inferiora munia Cubicularii, & Familiaris, & Epiſcopi aſſiſtentis, ceſſet quoque facultas prædicta, itaut ſolùm competat illa major, ratione Cardinalatus. In hoc autem puncto non de facili datur caſus, ut illum diſputare oporteat de jure, cum tenor Indultorum dirimere ſoleat quæſtionem, quod ſcilicet in Cardinalitiis de ſtylo ſemper adjicitur clauſula *ut ultra alias ſimiles, vel diſſimiles facultates* ideoque non mirum ſi in Cardinalibus praxis docet, quod illam quoque exercere ſoleant facultatem, quæ eis prius tanquam Epiſcopis Aſſiſtentibus, vel Papæ familiaribus, aut Protonotariis competebat, ut patet ex caſu recenſito in Theatro *q* ac ſæpiùs vidi in aliis caſibus practicari; In aliis verò Indultis deciſio pendet ex facto, an ſcilicet in eis dicta clauſula contineatur, nec ne; Si enim continetur ceſſat omnis ratio dubitandi, ſed ſi non continetur, & tunc intrat inſpectio compatibilitatis, vel incompatibilitatis, ubi enim munia ſunt compatibiliter multiplicabilia, & quæ inſimul eodem tempore poſſunt retineri, & exerceri, tunc omnia competunt, neque unum ceſſat per alterum, ut exempli gratia contingit in eo, qui ſit Papæ familiaris in munere Præfecti Palatii, vel Præfecti cubiculi, ſive Auditoris, ac etiam ſit Epiſcopus Aſſiſtens, ut frequens praxis docet, quoniam ſi quis ſit Doctor, & Notarius, atque utrumque munus exerceat, ut in pleriſque locis practicari ſolet, præſertim Bononiæ, Florentiæ, Novocomi, & in pleriſque aliis Civitatibus, non prohibetur gaudere privilegiis, quæ competunt Doctoribus, & Notariis, cum ſimilibus, ſed ſi ſint munera incompatibilia, tunc ad inſtar beneficiorum incompatibilium, per aſſequutionem ſecundi ceſſat primum, quæ tamen incompatibilitas, excepto Cardinalatu, non de facili verificatur in praxi, præter quàm per Epiſcopatum actualis adminiſtrationis, & reſidentiæ, per quem vacant beneficia, ipſæque penſiones, niſi concedatur diſpenſatio retinendi, quæ non ſufficit ut conceſſa ſit ſuper ſola retentione, niſi etiam ſpeciale detur Indultum ſuper iſta facultate transferendi, ad quam à retentione arguere non licet, ut alias dictum fuit, dum Epiſcopatus Titularis in partibus infidelium iſtam incompatibilitatem non cauſat, ut alias etiam dictum eſt. Iſta verò incompatibilitas in praxi verificabilis eſt in familiaritate Papæ, quoniam ſi fuerit quis familiaris unius Papæ, deindeque ſit etiam familiaris Succeſſoris unius, vel plurium, an ſcilicet gaudere debeat tot facultatibus, quot ſunt variæ familiaritates, variaque Indulta per quemlibet Pontificem conceſſa, iſtoque caſu, ſi in præcedentibus Indultis cenſueverit adjici dicta clauſula, quæ in aliquo poſteriori non ſit adjecta, tunc ſignum eſt voluntatis Papæ, qui illam adjicere noluit, quod hanc multiplicationem noluerit, ut ſequutum eſt ſub noſtro Pontifice Legislatore, qui expreſsè talem mul-

tiplicationem damnare consuevit; Si verò adest clausula, dubitari potest, quod illa intelligenda sit de similibus, vel dissimilibus facultatibus compatibilibus, ratione diversitatis titulorum, non autem ratione ejusdem tituli familiaritatis, quoniam ista non est multiplicabilis, juxta ea, quæ habentur in sede Beneficiali, occasione agendi de duplici reservatione, vel affectione, resultante ab officiis, & à familiaritate Papę, ubi deducitur exemplum de Doctore, quoniam si in multis Universitatibus unus, & idem homo doctoratus gradum fuscepcrit, non per hoc est multiplex, sed unus Doctor. r Adhuc tamen relinquitur cogitandum, quoniam cum occasio non præbuerit id in praxi disputare, neque in hoc statu concedatur otium perquirendi libros, non de facili maturum judicium desuper efformari potest, satis tamen praxi, vel observantiæ deferendum videtur.

a *de pension. disc.* 50. 51. & 52. *ubi referuntur decisiones, & auctoritates, in quibus agitur de materia.*
b *d. disc.* 50. *& seqq. & disc.* 56. *de pension.*
c *disc.* 29. *de pension.*
d *de pension. disc.* 57.
e *disc.* 58. *eod. tit. & infra nu.* 24.
f *eod. tit. disc.* 61.
g *eod. tit. disc.* 62. *& 78. iuxta decisiones Caputaq.* 13. *&* 213. *par.* 2.
h *disc.* 56. *eod. tit.*
i *disc.* 60. *eod. tit.*
l *de pension. disc.* 17. *n.* 5. *disc.* 61. *n.* 2. *de Iudic. disc.* 44. *nu.* 16.
m *d. tit. de pens. disc.* 52. *nu.* 2.
n *disc.* 53. *eod. tit.*
o *disc.* 63. *eod. tit.*
p *disc.* 68. *nu.* 12. *&* 20. *eod. tit.*
q *disc.* 75. *in princ. de pension.*
r *de benefic. disc.* 3. *sub nu.* 12. *de pens. disc.* 46. *sub nu.* 18.

De actionibus, remediis, & juribus competentibus pensionario, tam contra primum Titularem, quàm contra Successorem, & in specie de regressu, vel ingressu.

SVMMARIVM.

1 PRo assequenda pensione competit via exequutiva.
2 Quare sit parum proficua, & non practicabilis in pensionibus habentibus aliquam conditionem.
3 Et quare intret oppositio suspensiva, & iudicium ordinarium.
4 Quod etiam in pensione pura, ista via exequutionis litterarum non sit ita proficua.
5 Melior est via obligationis Titularis, asserentis veritatem valoris.
6 Ista via non prodest cum successore, qui se non obligavit.
7 Quando successor noviter provisus teneatur facere istam obligationem.
8 Quo casu stylus faciendi dictam obligationem sit tolerabilis.
9 De cautione cum cedula bancaria, vel simili.
10 De proficuo remedio iudicii possessorii manutentionis.
11 Translatario competunt eadem remedia, & privilegia.
12 Sed non illud manutentionis.
13 Quando dicatur acquisita possessio.
14 Quomodo pensionarii sint solliciti de possessione.
15 An dicta remedia competant contra successorem in beneficio, & quando hic teneatur de terminis decursis tempore prædecessoris.
16 Quare isto casu non sit practicabilis processus exequutivus.
17 Quando processus exequutivus non detur.
18 Extinctio pensionis, vel ineffectuatio probari etiàm potest per præsumptiones, & argumenta.
19 An pensionarius teneatur cavere pro assecuratipne iudicii.
20 De remedio regressus, quando pensionario competat, & quomodo, & de variis eius speciebus.
21 De remedio ingressus.
22 An exequutor litterarum ad favorem pensionarii dicatur delegatus, & commissarius, vel ordinarius, præsertim ad effectum sportularum.
23 An pro pensione non soluta, deveniri debeat ad censuras;
24 Quando Papa debeat interponere eius auctoritatem pro moderatione processus exequutivi;

CAP. XVI.

TRiplex parata est via pensionario contra possessorem Ecclesię, vel Beneficii gravati, pro consequutione pensionum, seu terminorum decursorum, quarum prima est illa exequutionis litterarum Apostolicarum ipsius reservationis, quas receptum est habere viam, seu processum exequutivum, & non admittentem appellationem suspensivam, vel exceptiones dubias, & altioris indaginis, quoties non obstet defectus illarum justificationis, qui est intrinsecus, ideoque attenditur, etiam in judiciis exequutivis, ut in Sede Judiciorum habetur, agendo de exequutione litterarum Apostolicarum, ubi quod dupliciter pensio viam exequutivm habet, primo scilicet ex generali prærogativa litterarum Apostolicarum, & secundò ex ejus peculiari ratione, eo quia speciem habet alimentorum. a 1

Verum ista via proficua quidem, & opportuna est in illis pensionibus, quæ motu proprio, & puriè, absque alia explicita, vel implicita conditione sint reservatæ, juxta distinctiones, de quibus supra cap. 5. secus autem in illis pensionibus, quæ aliquam explicitam habent conditionem ut sunt illæ, quæ reservantur super Ecclesiis Cathedralibus, vel Parochialibus, cum clausula *dummodo remaneant mille pro Episcopo, vel centum pro Rectore*, sive *dummodo tertiam, vel quartam partem non excedant*, quoniam cum sit onus pensionarii actoris justificare implementum, seu purificationem conditionis, sub qua concepta est gratia, cujus exequutionem petit, ac propterea justificare debeat valorem, qui ex deductis supra cap. 12. & alibi, est difficillimæ probationis, hinc sequitur, quod non de facili practicabilis est processus exequutivus, ob suspensivam appellationem, cadentem non quidem ab ipsis literis Apostolicis, earumque exequutione, sed à liquidatione, seu canonizatione sufficientis probationis valoris; Unde propterea prius quam adinveniretur cautela, de qua proximè infra, & alibi pluries superius enunciata, rari erant casus, in quibus hujusmodi conditionales pensiones effectum sortirentur. 2 3

Idemq; adamussim procedit in illis pensionibus, quæ licet non habeant conditionem explicitam, illam tamen habent implicitam, ut sunt illæ pensiones, quæ reservantur ad supplicationem, cum narrativa valoris per ascensum, quoniam intrat idem pensionarii actoris onus justificandi valorem narratum, & per consequens resultat idem effectus.

Et nihilominus, data etiam justificatione, sive quod ista necessaria non sit, quia nempè tractetur de reservatione pura, & motu proprio, adhuc tamen, cum in vim litterarum concedi soleat immissio, ejusque loco mandatum exequutivum, ad ipsius Ecclesiæ beneficii gravati fructus, idcircò super his tantùm exercibilis est hęc via, non autem in persona, & bonis propriis Titularis, nisi pro fructibus per eum perceptis, & consumptis, quod exigit justificationem, non de facili practicabilem, & quæ habet easdem difficultates super liquidatione, vel justificatione an adsit sufficiens necne, ideoque ex pluribus ista via videtur involuta, parumque plana, & proficua ad obtinendum promptè intentum. 4

Altera itaque via melior est illa, quæ resultat à cautela enunciata superius dicto cap. 5. & 12. & alibi, à præfatis difficultatibus exorta, obligationis nempè Titularis solvendi pensionem, etiam de proprio, se asserendo informatum de valore, & de capacitate, & per consequens de purificatione conditionis; assumendo in se onus probandi contrarium, quoniam tunc pensionario agenti pro exequutione obligationis, nulla ex præmissis difficultatibus obstat, & per consequens licet iste consensus, & obligatio respectivè non tollat titulari facultatem probandi incapacitatem; Nihilominus interim non retardatur processus exequutivus, donec per rem judicatam, vel tres conformes finem habeat processus ordinarius ab ipso Titulari assumptus, cum isto casu intret propositio, actio clara, exceptio autem turbida. 5

Verum ista via valdè quidem oportuna, & proficua est, cum ipso Titulari, qui consensum præstitit, dictamque fecit obligationem in forma Cameræ, cujus vigore mandatum exequutivum competit, etiam contra personam, & bona propria, sine dicta restrictione ad immissionem super fructibus Ecclesiæ gravatæ, non tamen prodest cum novo Titulari successore, cum quo dicta cautela practicata non sit, ut etiam superius dicto cap. 5. & 12. & alibi dictum est, Undè propterea contingente vacatione Ecclesiæ grava- 6

tæ,

tæ penſionarii ſolent eſſe ſolliciti de eadem obligatione noviter proviſi, quo renuente cadere ſolet dubium, an teneatur illam facere, atque reſolutio pendere videtur à ſtylo, qui (ut pluries dictum eſt) dicēdus venit iſtius materiæ principalis regulator, & qui ſtylus præſupponitur vigere in penſionibus Cardinalitiis, & Palatinis. Adhuc tamen in aliquorum caſuum contingentia, præſertim circa initia mei muneris Auditoris Papę, quando agebatur de Eccleſiis Cathedralibus, vel Metropolitanis (ſuper quarum proviſione præfatum munus in parte verſatur) quas ſciebam eſſe nimium gravatas, & verè incapaces illius penſionis, adeout neq; remaneret medietas congruę Conciliaris, nolui permittere hujuſmodi ſtyli praxim, quod anſam dedit, ut penſionarii inducerentur ad honeſtam diminutionem, ſeu reductionem; Siquidem iſte ſtylus tollerabilis eſt, atque à probabilitate non alienus, quando ſufficiens habeatur notitia capacitatis Eccleſiæ, quodque iſta cautela adhibeatur ad occurrendum fraudibus, & malitiis proviſorum, qui poſtquam
8 obtinuerunt intentum, pro quo obtinendo faciles ſolent eſſe ad omnia, & non ſine vehementibus inſtantiis procurant Eccleſias, quantumvis gravatas, curant poſtea cum litibus ab onere ſe eximere, & ſic ubi agatur de juſta, & honeſta cautela, ad occurrendum fraudibus, & calumniis, non autem ubi revera conſtet de incapacitate, quoniam tunc ſtylus dicēdus eſt potius corruptela omninò dānabilis.

Eademque diſtinctio adhibenda videtur in illa cautione,
9 ad quam proviſi de Eccleſiis, & beneficiis cogi ſolent, cum præſtatione ſcilicet cedulæ bancariæ, pluries in præcedentibus enuncibtæ, ſive præſtationis fidejuſſoris, aut attergationis locorum montium, vel (ut quandoque vidi practicari) cum anticipata ſolutione alicujus notabilis ſummæ pecuniarum, loco cautionis, quoniam ubi hujuſmodi cautiones juſtum, & probabile habeant motivum eo modo, quo habent, ubi agitur de penſionibus ultra montes ex deductis ſup. cap. 9. puta quia proviſus etiam intra montes non ſit facilis coactionis, & tunc id admittendum ſit, ſecus autem ubi ſit ad effectum cogendi ad ſolutionem penſionis exceſſivæ, & cujus verè Eccleſia ſit incapax, quoniam tunc dicendus eſt abuſus, & corruptela.

Tertia via, penſionario magis etiam proficua, quam prima, eſt illa, quæ competit in vim poſſeſſionis exigendi, in qua per Titularem conſtitutus fuerit mediante ſolutione
10 aliquorum terminorum, vel etiam unius tantum, imò & partis, quæ ſufficit ad conſtituendum penſionarium in hac poſſeſſione dummodò ſolutio partis facta ſit in cauſam totius, ſecus autem ubi limitatè ad illam partem. Iſta namque poſſeſſione accedente, *b* competit penſionario ſummariiſſimum poſſeſſorium retinendæ, ſeu manutentionis, quod valdè proficuum eſt, non quidem ut relevet penſionarium ab illo juſtificationis onere, quod ſibi incumbat, ſed quia interim non retardatur ſolutio, pendente judicio ordinario ſuper juſtificatione, quod exigit rem judicatam, vel tres conformes, atque non admittuntur exceptiones reſpicientes petitorium, quantumvis relevantes, etiam illam inhabilitatis ob defectum Clericatus, vel illam non expeditionis litterarum, requiritur tamen, ut ſaltem conſtet de ſupplicatione, de qua etiam conſtare debet in judicio exequutivo obligationis cameralis, quando iſta adſit juxta aliam cautelam adhiberi ſolitam, ut etiam alias animadverſum eſt ſuperius, ubi etiam inſinuatum eſt, quod licet iſtud remedium non ſit adeo proficuum, ſicuti eſt ſecundum obligationis, quoniam non relevat ab onere juſtificandi, ſicuti relevat obligatio, nihilominus eſt magis proficuum, quam illud, ex eo, quod afficit etiam ſucceſſorem, dum in hoc judicio poſſeſſorio attenditur perſona poſſeſſoris, & actoris. *c*

Quamvis autem omnia hæc tria remedia, ſive omnes iſtæ tres viæ ſint communes tam primo reſervatario, quam etiam translatario, cui competunt eadem remedia, & pri-
11 vilegia, dum eadem eſt penſio, atque, ut inſinuatum eſt in cap. præcedenti, translatarius juvetur etiam poſſeſſione transferentis ad alios effectus, & præſertim ad illum juſtificationis gratiæ, ubi poſſeſſio ſit longiſſimi temporis, ideoque translatario ex poſſeſſione transferentis competere deberet quoque præfatum remedium ſummariiſſimi poſſeſſo-
12 rii manutentionis, nihilominus de eodem ſtylo Curiæ, hoc remedium ſibi non competit, ſed practicatur illud immiſſionis. *d*

Quandò autem acquiſita dicatur iſta poſſeſſio, necne, quæſtio eſt potius facti, quam juris, an ſcilicet ſolutio facta ſit per ipſum Titularem, vel ejus mandatarium, qui ad hoc ſufficiens habeat mandatum, expreſſum, vel præſumptū, ſed quoniam magna, forteque nauſeativa eſſet digreſſio, recenſendo omnia, quæ ſcribentes deſuper involuunt, idcircò ſufficit ſe referre ad ea, quæ latè cumulavit modernus Poſtius, qui elaboratum tractatum ſuper hoc manutentionis remedio compilare profeſſus eſt, & quidem diligenter. Ut autem poſſeſſio hunc operetur effectum, acquiſita eſſe debet 13
congruo tempore, & in ſtatu non ſuſpecto de fraude, & colluſione, ideoque illam non inducunt in præjudicium ſucceſſoris illæ ſolutiones, quę per Titularem factæ ſint poſtquam deſiit eſſe beneficii poſſeſſor, aut de tempore, quo imminebat ſui juris expiratio per mortem naturalē, puta in ſtatu infirmitatis, vel per mortem civilem, quia imminebat immutatio ſtatus coniugalis, vel alias incompatibilis. *e*

Pro iſto itaque proficuo remedio obtinendo ſolliciti eſſe ſolent penſionarii in ipſo initio reſervationis, & proviſionis Eccleſiæ reſpectivè reportare ſolutionem unius termini, vel 14
ejus partis, quamvis anticipatam, & licet adhuc proviſus non eſſet poſſeſſor, nulloſque percepiſſet fructus; quinimò licet adhuc penſio eſſet de futuro, effectum non ſortitura, niſi poſt ceſſatas alias antiquas penſiones, juxta ſuperius deducta in cap. 8. agendo de penſionibus eventualibus, ut patet ex caſibus recenſitis in conſueta iſtius materię Sede. *f*

Procedunt hæc, tam contra primum Titularem, in cujus proviſione reſervatio penſionis facta eſt, quam etiam contra alios ejus ſucceſſores in beneficio gravato, pro ter- 15
minis tamen decurſis de tempore, quo ipſe ſucceſſor fuit poſſeſſor beneficii; Ubi verò penſionarius contra ſucceſſorem agere velit pro terminis decurſis tempore prædeceſſoris & ab eo non exactis, tunc receptum quidem eſt iſtam actionem competere etiam contra ſucceſſorem, & ſuper fructibus futuris annorum ſequentium, quod quidem in bona ratiocinatione aſperum, parumque probabile videtur, ſiquidem cum è converſò ſit receptum, quod penſio non afficiat ipſum beneficium, neque ſubſtantiam ejus bonorum, ſed ſolum importet quamdam participationem fructuum ſingulorum annorum, & temporum, tanquam per ſpeciem charitativæ ſubventionis alimentariæ penſionarii, ex deductis cap. 2. & alibi, hinc non videtur quomodò hæc poſſint ſimul ſtare. Sed quoniam dicta propoſitio recepta eſt cum illa qualitate, ſeu conditione, ut conſtare debeat de diligentiis per penſionarium adhibitis contra prædeceſſorem, & ſuper illis fructibus, vel recollectis, ex quibus terminis tunc decurſi debiti erant, adeout non exactio non poſſit ejus negligentiæ, vel culpæ imputari *g* Idcirco, ſtante neceſſitate iſtius juſtificationis, non de facili practicabilis eſt proceſſus exequutivus, quoniam ſucceſſor Titularis appellare poterit, etiam ad effectum ſuſpenſivum, non quidem ab ipſa obligatione ſolvendi terminos decurſos, quæ à jure, vel à ſtylo reſultat, ſed à canonizatione, quam Judex faciat de dicta probatione ſufficientium diligentia- 16
rum, eodem modo, quo pluries dictum eſt de juſtificatione valoris, aliorumque narratorum.

Prout licet certa ſit ſupradicta regula proceſſus exequutivi competentis penſionario, adeout per Signaturam Juſtitiæ reſcribi ſolet cum clauſula *Non retardata ſolutione*, quæ plus importat, quam clauſula *ſine præiudicio* adiici ſolita in aliis proceſſimus exequutivis, ut in ſuis Sedibus habetur, nihilominus quando facti circumſtantiæ aliquam probabilem 17
inducant turbiditatem, ſolet ab eadem Signatura Juſtitiæ, & quandoque ab illa Gratiæ reſcribi *de appellatione*, ſive cum clauſula translativa exequutionis, vel quandoque per Signaturam Gratiæ (cum poteſtas Signaturæ Juſtitiæ ad id ſe non extendat) ad evitandum rigorem ſuperius enunciati ſummariiſſimi poſſeſſorii manutentionis, concedi cumulatio poſſeſſorii cum petitorio, quod tamen certam non recipit regulam, cum totum pendeat ab arbitrio, regulando ex ſingulorum caſuum qualitate, & circumſtantiis, præſertim verò de ſtylo id practicari ſolet ubi accedat diuturnitas longi temporis, in quo penſionarius non ſolverit, neque pulſatus fuerit, dum id aliquam inducit præſumptionem extinctionis, vel annullationis penſionis, ob inveriſimilitudinem hujuſmodi negligentię, vel ſilentii, adeo longævi, dum etiam per præſumptiones, & adminicula probatio extinctionis, vel ineffectuationis penſionis quandoque admit- 18
titur, ex deductis in hujus materiæ conſueta ſede. *h*

Stantibus autem tot privilegiis, & favoribus penſionarii totque rigoribus contra Titularem, omnis juſtitiæ, & æquitatis ratio ex regula *ſecundum naturam &c.* exigere vide-

videretur ut Titulari dictum processum exequutivum, &
19 rigorosum patienti, consultum esse deberet super securitate recuperandi id, quod interim pendente judicio nullitatis, vel reductionis pensionis, cogitur solvere, mediante cautione, præstanda per pensionarium de restituendo interim exactum, & pro assecuratione judicii, & ne istud elusorium remaneat. Verum idem stylus, omnimodus istius materiæ regulator, id non admittit, & non practicat *i* Istaque est una ex rationibus, ob quas Titulares, quamvis excessivè gravati, coguntur gemere sub jugo, & abstinere ab assumptione, vel prosequutione hujusmodi litium, ut pluries in præcedentibus insinuatum est.

Aliud quoque ad favorem pensionariorum proditum est remedium, quando alia, de quibus supra non prosint, re-
20 gressus nempè ad ipsum beneficium, quod tamen verificari solùm videtur in illo pensionario, qui prius idem beneficium obtinebat, illudque resignavit cum reservatione pensionis; Unde propterea non prodest aliis pensionariis, qui beneficium non possederunt, minusque ejusdem resignantis translatario, dum pariter iste nunquam beneficium obtinuit, & per consequens in eo verificabilis non est terminus regressus, qui importat restitutionem, sive reassumptionem, non verificabilem in eo, quod numquam habitum fuit. Quinimò frequenter datur casus, quod neque regressus practicabilis remaneat in ipsomet resignante, ob assumptionem status incompatibilis, quia nempè beneficium dimiserit, ut assumeret statum coniugalem, vel regularem, cum Indulto retinendi pensionem, cum similibus.

Quandò tamen iste regressus sit practicabilis, ille de duplici est specie; quarum una dicitur, juxta formulam antiquam, & altera juxta modernam. De antiqua siquidem dicitur, quando pensionarius de isto remedio sibi consuli solicitus non fuit, sed ad illud recurrit ex dispositione, vel æquitate juris, istaque species parum, forteque nihil proficua est, utpotè nunquam, vel nimium rarò ad praxim deducibilis, tum quia exigit formalem canonizationem in judicio ordinario per rem judicatam, vel tres conformes, tum fortius quoniam istud remedium fundatum est in malitia, & protervia Titularis, unde propterea quælibet justa, vel colorata causa excusat. De altera verò specie moderna dicitur, quandò in ipsamet reservatione pensionis conceditur iste regressus in quocumque casu impugnationis, vel reductionis, aut denegationis solutionis, cum tunc id redoleat speciem conditionis, sub qua resignans dimisit beneficium, ideoque ubi etiam impugnatio aliquod habeat justum motivum, non admittitur excusatio, atque pro exequutione litterarum Apostolicarum continentium hunc regressum, conceditur immissio cum processu exequutivo *l* An autem regressus competat pro augmento sequuto post resignationem, videndum in eodem consueta hujus materiæ Sede. *m*

In præmissis autem casibus, in quibus verificabilis non
21 est regressus, quia nempè pensionarius nunquam possederit beneficium, moderni adinvenerunt quoddam aliud remedium, quod dicitur ingressus, non quidem pro meo sensu, ut pensionarius assequatur beneficium, cum id nullum videatur habere probabile fundamentum, sed ut pensionario ita concedatur quædam species tenuræ, & administrationis, ut ita possit sua manu fructus percipere, sibique satisfacere, ac etiam ut ita beneficiatus, privatus administratione, & fruitione beneficii, tædio affectus inducatur ad satisfaciendum, atque ita comprimatur ejus malitia retinendi beneficium, illusque fructibus potiendi, & non solvendi onus. *n*

Super Judice autem præfata remedia exequente, & pra-
22 cticante ad favorem pensionarii, cadere solet dubium, an censendus veniat Delegatus, aut juxta usum loquendi Curiæ, Commissarius, vel potius Ordinarius, idque præsertim ad effectum sportularum, quæ sub vocabulo propinæ in Curia solent explicari, dum tam ex dispositione juris communis, de qua plenè agunt moderni, tractantes de materia salarii, *o* quam ex Constitut. Pauli V. super reformatione Tribunarium, sportulæ debentur solum Judicibus Commissariis, non autem Ordinariis; Atque ubi agitur de exequutoribus specialiter, & expressè deputatis in litteris, adeout alias per se ipsos cum eorum propria auctoritate non habeant jurisdictionem procedendi ad exequutionem, & tunc sine dubio sint Commissarii; Ubi verò agatur de illis Judicibus Ordinariis, qui talem habeant jurisdictionem jure proprio, etiam absque speciali delegatione, ut est in Curia Auditor Cameræ, qui est generalis exequutor litterarum Apostolicarum, & tunc si non est expressè nominatus, & datus exequutor in litteris, absque dubio dicitur procedere tanquam Judex Ordinarius, ideoque propinam exigere non potest, sed si est deputatus exequutor specialis, tunc Congregatio Reformationis Tribunalium declaravit ipsum esse non debere inferioris conditionis quolibet alio Prælato, & per consequens censeri Commissarium, & posse exigere propinam.

Procedunt autem hæc, in prima, & directa exequutione litterarum reservationis pensionis, quæ adhuc effectum sortitæ non sint, quamvis hæc prima, & directa exequutio petatur per translatarium, quia non fuerit adhuc sequuta ad favorem transferentis, secus autem ubi exequutæ sint, suumq; effectum jam habuerint litteræ reservationis, translatarius autem instet pro ejus immissione, pro qua exhibeat tam literas reservationis, quam alias literas super Indulto transferèdi, ipsamque translationem, quoniam hęc exhiberi dicuntur tanquam jura, & quilibet Judex Ordinarius potest desuper providere, & per consequens non intrat propina, ut ab eadem Congregatione Reformationis declaratum fuit, & ego feci practicare, etiam cum restitutione propinarum isto casu perceptarum.

Solent Judices in Curia in ista materia faciles esse ad relaxationem censurarum contra Titulares, ob non solutionem pensionis, verum in hoc dignosci videtur aliquis abusus, cum adhoc remedium deveniri non debeat, nisi in subsidium, & 23
quando verè constet de calumnia, & protervia, atque noster legislator nunquam usq; adhuc facultatem tribuere voluit, ut contra Episcopos, etiam ad interdictum, vel suspensionē, ob istam causam, deveniatur, & quidem commendabiliter.

Cæterum quamvis theoricè, & practicè receptum sit assumptum, de quo supra, ut etiam in pensionibus, habentibus conditionem derivantem à clausula *Dummodo &c.* sive quia
sint reservatæ ad supplicationem, cùm narrativa valoris per 24
ascensum, adhuc intret processus exequutivus, atque cesset in pensionario necessitas justificationis, quando adhibita sit pluries enunciata cautela, quod Titularis asserendo se informatum de valore, & de capacitate præstet consensum, & se obliget ad solutionem, assumendo in se onus probandi contrarium: Nihilominus quando facti qualitas, & circumstantiæ ita suadeant, justum, & rationabile videtur, ut Pontifex faciles, ac promptas præbendo aures Titularium nimium gravatorum recursibus, & conquæstionibus, habitaque veritatis sufficienti informatione extrajudiciali, suam interponat ex officio supremam, & extraordinariam auctoritatem, cum qua præfatus rigor temperetur, atque nimium oppressarum Ecclesiarum indemnitati consulatur, committendo alicui Congregationi, vel magno Tribunali, ut suspenso dicto rigore processus exequutivi; summariè, sola facti veritate inspecta, justitiam negotii principalis attēdat, & terminet, eo modo, quo idem Papa in Signatura Gratiæ, & quandoque etiam in Camera concedere solet cumulationē petitorii cum possessorio, sive suspensionem, aut rejectionem purgationis attentatorum, vel spolii, ex deductis in Sede Judiciorum, & alibi, ut in facti contingentia practicandum consulebam. Cum enim defuncto quodam valdè qualificato Episcopo, habitus esset cum supplici libello recursus ad Pontificem nostrum Legislatorem per novem, vel decem Parochos se conquerentes, quod nimium gravati essent pensionibus, reservatis ad favorem nepotis Episcopi, cum dicta cautela, quam inviti, peneq; coacti effugere non potuerunt, adeout non solùm eis non remaneret congrua Conciliaris, expressè reservata in litteris Apostolicis cum clausula *dummodo centum*, sed neque medietas illius minoris congruę scut. 50. quæ debita est Vicariis parochiarum unitarum, referendo dictum supplicem libellum, tāquam Secretarius memorialium, dicebam, quod si iste recursus haberetur per unum Titularem, rescribendum veniret, quod uteretur jure suo cum remediis legalibus, ut frequens est consuetudo rescribendi, sed quoniam iste videbatur quidam recursus generalis, atque habebatur plena probatio, vel magnus fumus veritatis narratorum, & impossibilitatis recurrentium assumendi, & substinendi hanc litem in judicio ordinario, quodque non potuerunt dictam obligationem recusare, magnam apud me malam impressionem faciente illa circumstantia, quod omnes dictæ pensiones ad solum favorem divitis, & benè provisi nepotis essent reservatæ, idcircò consului, ut negotium summariè, & sola facti veritate dedicendū remitteretur Sacrę Congregationi Concilii, quod ansam dedit cuidam honesto tempera-

peramento concordiæ, ac propterea ut inſinuatum eſt, commendabiliter agent Datarius, aliique Datariæ Officiales non de facili admittendo hujuſmodi reſervationes, niſi prævia diligenti informatione valoris, aliundè, quàm ex Epiſcopi, vel proviſi aſſertione, cum prefata cautela ſit affectata, potiuſque inproviſis coacta, quam vera, & voluntaria.

a *De iudic. diſc.43. num.17. & ſeqq. de penſion. diſc.38. & 57.*
b *diſc. 30. 36. & 37. eod. tit.*
c *diſc.30. num.5. eod.tit.*
d *diſc.17. num.5. & diſc.61. nu.2. eod.tit.de Penſ. & de iudic. diſc.44. nu.16.*
e *diſc.5. de penſion.* f *diſc.1. de penſion.*
g *diſc.19. nu. 5. & 14. diſc.31. nu.8. & 9. eod.tit.*
h *diſc.67. nu.5. & diſc.70. nu.8. eod.tit.*
i *de penſion. diſc.31. nu.5. & de Iudic.in Annot. num.44.*
l *diſc.12. de penſion.* m *diſc.85. eod. tit.*
n *Eod. diſc.12.* o *Zacch.de.Salar. quæſt.72.*

De ſolutione penſionis tam circa locum, quam circa monetam, & tempus, vel terminos, in quibus facienda ſit.

SVMMARIVM.

1 *De loco, in quo fieri debeat ſolutio penſionum.*
2 *De temporibus, in quibus eadem ſolutio fieri debeat.*
3 *Præfinitio terminorum non percutit ſubſtantiam, ſed ſolum ordinem, & commoditatem ſolvendi.*
4 *Poſſeſſor beneficii tenetur ad ſolutionem termini, in quo ipſe poſſidet, licet nullos perceperit fructus.*
5 *Præpoſteratio terminorum non præiudicat.*
6 *Dataria non ſolet reſervare penſiones in moneta immaginaria, ſed vera.*
7 *Deſcribuntur variæ ſpecies monetarum.*
8 *In dubio penſio cenſetur reſervata in moneta loci beneficii.*
9 *Quæſtiones circa monetam ſuper quo cadant.*
10 *Quod augumentum monetæ veræ cedat commodo penſionarii.*
11 *Quid accedente longiſſimi temporis obſervantia in contrarium.*
12 *Si moneta, quæ eſt in obligatione non de facili haberi poſſit, admittitur ſolutio in æquivalanti moneta regionis.*

CAP. XVII.

SUper loco faciendæ ſolutionis, in diuturna mea forenſi vita, occaſio non præbuit diſputare, neque ab aliis diſputatum eſſe audivi, quia fortè pro frequentiori praxi
1 in literis reſervationis id ſolet exprimi, atque deſtinari locus Urbis; Ubi verò hæc expreſſa deſtinatio non habeatur, adeout ad juris diſpoſitionem, vel rationem ſit recurrendum, certum videtur, ut attendi debeat locus beneficii, in quo Titularis hanc fructuum portionem penſionario, tanquam quodammodo conſorti, vel participi, & non alibi præſtare teneatur, taliſque eſt praxis. *a*

Super tempore autem, in quo ſolutio penſionis facienda ſit, adeout de hoc ſolùm ſit quæſtio inter penſionarium,
2 & Titularem, an ſcilicet ceſſerit necne dies, ob quam penſionario aperta ſit, & competat actio cogendi Titularem ad ſolutionem debiti maturati, pariter nullæ, vel nimium raræ ſolent eſſe quæſtiones, quoniam illas dirimit lex in ipſis litteris reſervationis adiici ſolita ſtatuendo ſcilicet cujuslibet annualitatis duos terminos, qui eſſe ſolent vel in diebus Nativitatis Sancti Jo. Baptiſtæ, & Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, vel in diebus Annunciationis, & Nativitatis B. M. Virginis, ita dimidiando annum, adeout quilibet terminus importet ſpatium ſex menſium.

Et quamvis iſtorum terminorum præfinitio non percutiat ſubſtantiam debiti, neque alteret illum ordinem, qui
3 attendendus eſt in regulatione anni penſionarii, & in repartitione penſionis inter prædeceſſorem, & ſucceſſorem beneficii, ſive intermedium ejuſdem beneficii adminiſtratorem, illius vacatione durante, aut inter Titularem, & hæredem penſionarii, cum de his agatur in cap. ſequenti, ubi de ſupputatione temporum, & de modo regulandi annos fructuarios, vel recollectas, juxta ſingulorum fructuum diverſas ſpecies, & qualitates, dum iſta præfinitio terminorum, facta ſolum dicitur gratia commodioris ſolutionis, vel exactionis reſpectivè, atque ut tollantur lites quando fructus percepti ſint necne, ſed certò ſciatur dies, quæ interpellet pro homine, & per quam Titularis ſciat ſe effici debitorem; & è converſò penſionarius ſciat ſibi apertam eſſe actionem ad petendam illam ratam, ſive illum terminum: Nihilominus iſte reſultat effectus, ut poſt ceſſam illam diem penſionario detur jus, vel actio pulſandi, & cogendi Titularem, qui tunc ſit beneficii poſſeſſor, quamvis breviſſimi temporis ejus poſſeſſio ſit, adeout nullos adhuc perceperit fructus, quoniam acceptando beneficium gravatum, ita quaſi contraxiſſe dicitur, atque ſe implicitè obligaſſe adhanc ſolutionem, actione ſibi re- 4
manente pro ejus indemnitate, & reintegratione adverſus prædeceſſorem, vel alterum, qui percepiſſet fructus, ex quibus ea ſolutio facienda eſt. *b*

Ordo autem prædictus, qui ſtatuatur in litteris, attendi quidem debet in genere pro futuris temporibus, ad effectum, de quo ſupra, ſed reſpectu initiationis, vel matu- 5
rationis primi termini non curatur ordo ſcripturæ, qui ex errore ſcriptoris litterarum, in dubio præſumendus, ſit præpoſterè adjectus, quia nempè cum attento tempore reſervationis, deberet primò exprimi terminus Nativitatis Sancti Jo. Baptiſtæ, exprimatur primo loco terminus ſuperveniens Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, quoniam hoc non obſtante, attendi debet ille terminus, qui eſt primus poſt reſervationem, niſi appareat de voluntate expreſſa, vel etiam tacita, & ex probabilibus argumentis deducta, quod id miſteriosè factum ſit, ad effectum eximendi Titularem ab illo primo ſemeſtri, qui alias debitus eſſet. *c*

Graviores itaque, & frequentiores apud noſtros Majores, ac etiam noſtra ætate conſueverunt eſſe quæſtiones circa monetam, in qua penſio ſolvi debeat, non quidem ſuper genere monetæ, in qua facta ſit reſervatio, quoniam Datarię ſtylus non eſt reſervare penſiones in moneta imaginaria, qualis præſertim in notabili parte Italiæ eſt illa, quæ lirarum, vel librarum dicitur, & in qua majus eſſe ſolet commercium, ſed ſolent penſiones reſervari, vel in 6
ducatis Cameræ, qui conflantur ex uno ſcuto auri ſtamparum novarum, & uno julio, ut ita ſuppleatur valor veri ducati Romani, vel ſcuti aurei larghi, ſeu ſolis, ex deductis in ſuis ſedibus *d* vel in præfatis ſcutis auri currentibus, 7
quorum valor eſt uno julio minus, quàm ſint prædicti ducati Cameræ, vel ſcuti aurei larghi; vel in ſcutis monetæ Romanæ, qui conflantur ex decem juliis, vel paulis *e* vel in ſcutis, aut ducatis monetæ regionis, ſeu loci beneficii gravari, qui ſolet importare circumcirca idem, quod ſcutum monetę Romanæ, cum aliqua alteratione valoris, ut exempli gratia ſunt ducati Regni Neapolitani, qui conſtant ex decem carolenſis argenti, qui caroleni important ferè idem ac julii Romani, cum aliquo minori valore intrinſeco ſcutorum circiter quinque pro centenario *f* atque in Civitate Mediolani ſunt illi ducatoni, qui dicuntur de cuneo *g* & ſimiles, conſiſtentes in moneta vera, non autem in imaginaria, ideo ceſſat omnis quæſtio ex facto, ex tenore ſcilicet litterarum unam, vel alteram ſpeciem monetæ ſpecificantium, ſed ſi litteræ dicant de ſcutis, vel ducatis ſimpliciter, intelliguntur de illis loci, ſeu regionis, ut quandoque practicari ſolet, præſertim in penſionibus, 8
quæ reſervantur ſuper Eccleſiis, quæ providentur ad præſentationem, vel nominationem Regum *h* ideoque ſuper hoc puncto, in qua ſcilicet ſpecie monetæ reſervata ſit penſio, non de facili cadere ſolent quæſtiones, quæ tamen conſueverunt eſſe frequentes ratione variationis prætii, ſeu valoris hujuſmodi monetarum, adeout ſive agatur de moneta vera inferiori regionis, ſive de dicta moneta imagina- 9
ria, præſertim lirarum, ſeu librarum, ille ſcutus auri, vel ducatus Cameræ, aut ſcutus verus argenti regionis de tempore reſervationis conſtituerentur cum minori numero juliorum, ſeu carolenorum, vel reſpectivè librarū, quam conſtituatur de tępore, in quo facienda eſt illa ſolutio, quæ controverſiæ occaſionem præber, cujus ſcilicet damno, & reſpectivè lucro cedat hoc intermedium augmentum; Ut exempli gratia, ſcutus aureus ſtamparum antiquioribus temporibus valebat julis undecim, nunc autem valet juliis quindecim, & aliquid plus, atque Ducatonus Cunei Mediolani va-

Card. de Luca de Statut. Succeſſ.

valebat libris... nunc autem valet libris... idemque in ſcutis argenti Januæ, & ſimilibus, de quibus pluries in ſuis Sedibus. Potiſſimè verò dubium intrat quandò de præterito ſervatum fuerit, per notabile tempus fieri ſolutiones in julis, aut libris, aliaque ſpecie monetæ veræ, vel imaginariæ loci, quæ prius adæquaret valorem monetæ veræ, in qua facta eſt reſervatio, de præſenti autem non adæquet, ſed importet longè minus.

Iſta verò quæſtio apud noſtros majores viſa eſt nimium difficilis, & involuta, adeout ex inſinuatis locis mox citatis, aliqui moderni multas deſuper dixerint ſimplicitates. Verum hodiè res plana eſſe videtur, cum receptum ſit, ut quoties agatur de moneta vera, quæ ſit, & reperiatur in rerum natura, in illa fieri debeat, & reſpectivè poſſit ſolutio, non curato augmento, vel reſpectivè decremento interim ex tempore, vel accideatibus ſupervento. Quemadmodum enim ſi caſus dediſſet, notabilem fieri diminutionem valoris illius monetæ, in qua facta eſt reſervatio, utique Titularis dicere poſſet velle in ea ſolutionem penſionis facere, atque penſionarius id recuſare non poſſet; Ita è converſò, ex regula *ſecundum naturam &c.* vel ex altera correlativorum. Idque adeò verum, quod etiam ſi in ipſa reſervatione exprimeretur valor monetæ, qui tunc curreret, adhuc intelligendum eſſet demonſtrativè, & ad exprimendum id, quod tunc inerat, non autem taxativè, juxta caſum in celebri *Capuana penſionis*, quæ circumfertur tanquam magiſtralis, quod reſervatio facta erat in ſcutis auri ad rationem carolenorum 12. pro quolibet, quia tunc tanti in regione ſcuti aurei currebant, non per hoc tamen adhanc ſummam penſio taxata, ſeu reſtricta cenſetur, niſi aliundè ex voluntate reſervantis, vel ex conventione partium conſtet de taxativa. *l*

Et quamais ubi accedat longiſſimi temporis annorum triginta, vel quadraginta obſervantia continuata, & uniformis ſolvendi in diverſa ſpecie monetæ minoris valoris, dubitari poſſit, ex aliquorum canonum diſpoſitione, an hæc diverſa taxa inducta ſit: nihilominus in penſionibus vitalitiis, & perſonalibus, de quibus agitur, caſus videtur idealis, & non de facili verificabilis in praxi, ideoque inanis labor eſt ſuper illo immorari, ejuſque diſputationem aſſumere, cum iſta dubitandi ratio cadere ſoleat in penſionibus perpetuis, in quibus longiſſima, & diuturna obſervantia uniformis eſt verificabilis, & tamen etiam in eis probabilius eſt, hanc dubitandi rationem non intrare, juxta deducta occaſione caſuum particularium in ejus conſueta Sede, ubi videri poterit. *m*

Ubi verò caſus præbeat, frequenter quidem contingibilis, extra Curiam in penſionibus reſervatis in ducatis cameræ, vel ſcutis auri, aut etiam in ſcutis monetæ Romanæ, vel ſimilibus, quod difficile, nimiumque incommodum ſit habere illam monetam in ſpecie, utpotè in regione raram, tunc ex quadam æquitate, valdè quidem rationabiliter eſt receptum, ut debitor admittatur ad ſolutionem in moneta loci, ſeu regionis, quæ tamen æquivaleat valori monetæ debitæ, tam in ualore intrinſeco, & accidentali quia nempè ob ejus inferiorem qualitatem de facto minus valeat, quàm ſit valor, de jure; *n* & in ſumma tanti ſolvendum eſt quanti ſolvere oporteret pro emendo illo ſcuto auri, vel alia ſpecie monetæ debitæ, eo modo, quo practicatur in cambiis, quorum contractus propriè, & originaliter iſta occaſione, ſive adhunc effectum inolevit. *o*

a *In caſu, de quo diſc.127. de regal.* b *diſc.26. de penſion.*
c *Diſc.26. num.5. & diſc. 29. num.2. de penſion.*
d *De benef. diſc.89. num.15. & ſeqq. & de alien. & contract. prohib. diſc.10. num.3. & alibi.*
e *De regal. diſc.126.* f *d. diſc.126. de regal.* g *diſc.10. de alien. & contract. prohibit.* h *de regal. diſc.127.*
i *d. diſc.89. de benef. diſc.10. de alien. & contract. prohib. diſc. 140. de credito diſc.34. & ſeqq. de penſion. in tract. de locis montium cap.4. & alibi ſæpius.*
l *d. diſc.34. & ſequ. de penſion. & in aliis locis prox. citatis.*
m *d. diſc.34. & ſeq. de penſion.* n *eiſdem locis mox citatis.*
o *de cambiis diſc.27. & in Florentina cambiorum, ſeu negotiationis inter varia vota.*

De concurſu, vel ordine prælationis plurium penſionariorum ſuper fructibus ejuſdem beneficii gravati. Et de alio concurſu paſſivo, vel contributione prædeceſſoris, & ſucceſſoris, vel plurium poſſeſſorum beneficii gravati in ſolutione penſionum.

SUMMARIUM.

1 *INter penſionarios diverſorum temporum attenditur ordo temporis, & anterioritatis.*
2 *Inter illos autem eiuſdem temporis concurſus eſt æqualis.*
3 *Quid ubi adſit inæqualitas in nominatione, quia diverſis temporibus ſint nominati.*
4 *An concluſio, de qua num. 1. procedat pro penſionibus annorum decurſorum ſuper fructibus anni currentis.*
5 *De caſu, in quo penſionarius poſterior ſit anterioribus potior.*
6 *Penſionarii vincunt creditores Titularis, quantumvis anteriores.*
7 *Ac etiam præferuntur Capitulo, vel Collegio habenti ius aecreſcendi beneficio vacante, vel beneficiato non inſerviente.*
8 *De concurſu, vel contributo in ſolutione penſionis inter Titularem prædeceſſorem, & ſucceſſorem, & de regulatione anni quomodò fieri debeat.*
9 *Et de concurſu inter illum, ad quem pertinent fructus certi, & illum, ad quem pertinent diſtributiones quotidianæ, aliaque incerta remiſſivè.*

Cap. XVIII.

QUando plures penſiones diverſis temporibus, & per ſeparatas proviſiones reſervatæ ſint ad favorem diverſarum perſonarum ſuper eiſdem Eccleſiæ fructibus, tunc 1
ubi omnes æque concurrant pro eadem currenti annualitate, ſive pro eiſdem terminis illius anni, in quo recollecti ſunt fructus, ſuper quibus eſt concurſus, planum, ac receptum eſt, ut procedendum ſit cum vulgari regula *qui prior &c.* ut prior in tempore ſit potior in jure. Ideoque attendatur ordo reſervationum, ex regula apud Beneficialiſtas recepta, ut gratia anterior poſteriori præferatur. *a* Ubi verò plures penſiones contemporaneæ ſint, quia nempè omnes eodem tempore, & in eodem decreto ſint reſervatæ, tunc pariter de plano intrat id, quod habetur inter plures 2
correos credendi, ſive inter plures creditores hypothecarios, in tempore, & in cauſa æquales, ut omnium ſit coæqualis concurſus, adeout ſi fructus omnibus non ſufficiant, intret inter eos contributum, eodem modo, quo inter plures legatarios, ex eadem diſpoſitione jus metientes, vel inter plures Creditores chirographarios, quando aliqua particularis circumſtantia, inductiva limitationis iſtius regulæ, potioritatis privilegium non inducat.

In illis verò penſionibus, quæ ſuper Eccleſiis provideri ſolitis ad Regum, & Principum nominationem, reſer- 3
vantur in unica ſumma pro perſonis nominandis, quæ poſtea diverſis temporibus ab eodem Rege, vel Principe nominentur, cum notabili temporis intervallo inter unam, & alteram nominationem; Cum apud Miniſtros cujuſdam Regis nominantis, conſtans haberetur opinio, ut priores, & potiores eſſe deberent prius nominati, tanquam à Rege prædilecti, & quorum conditionem potiorem eſſe debere, in animo fuerit concedentis; Reſpondi, conſultus pro veritate, contrarium videri probabilius, ut omnium æqualis eſſe deberet conditio, & concurſus, dum pariformiter ex eadem cauſa, & ex eodem fonte; (qualis in ſubjecta materia eſt Papa, qui reſervat, non autem ille, qui nominat,) eorum jus metiuntur, ut iſtius materiæ conſueta Sede comprobatum habetur, ubi curioſus poterit ſibi ſatisfacere. *b*

Poſita verò penſionum diverſitate cum temporũ inæqualitate, adeout inter penſionarios intret præfata regula, *qui* 4
prior &c. ſuper fructibus illius annualitatis: pro qua aſſequenda omnes concurrant, utſupra, dubiũ cadit, quid dicendũ ſit ubi penſionarius anterior, cui pro anno currẽti alli poſteriores pacificè locũ cedãt cõſequi debeat aliquos terminos decurſos annorũ præcedentiũ, quorũ fructus conſũpti ſint, & non extent, an ſcil. ſuper fructibus anni currentis, pro terminis

nis decurſis, & præteritis eadem ſibi competat anterioritas, atque in facti contingentia juſtè pro penſionariis anterioribus judicatum fuit, ex ſolis facti circumſtantiis, quia nempè fructus annorum præcedentium à poſterioribus habiti fuerant, ſive eorum facto, & culpa anteriores impediti fuerant ne obtinerent; Undè propterea articulus in puncto juris formiter examinatus non fuit; Quando tamen contingeret diſputandus non improbabilis videtur poſteriorum prætenſio ex fundamentis in eadem conſueta Sede deductis *c* ubi in caſus contingentia videri poterunt, cum (ex pluries proteſtatis,) occupationes, quibus præmor, tale non concedant otium, ut hujuſmodi quęſtionum peregrinarum, & rarò contingibilium formalis diſputatio aſſumi, atque maturum judicium deſuper efformari valeat, ideoque aliis illud relinquitur, quando formalis diſputationis occaſio contingat.

Curioſam quoque in caſus contingentia pertractavi prætenſionem, ex ingenio à me excitatam pro penſionario poſteriori adverſus anteriores ſuper ejus potioritate, in illa
5 rata, quæ cadit ſub congrua Conciliari Epiſcopo debita, utpotè potiori, ac privilegiata. Cum enim ſuper quadam Eccleſia Cathedrali, valdè pingues redditus alias habente, plures eſſent reſervatæ penſiones, cum clauſula *dummodo remaneant mille pro Epiſcopo*, ſequuta verò ejus vacatione, ambitioſus quidam, ut illam obtineret, obtuliſſet conſentire novę impoſitioni penſionis, cum derogatione congruę Conciliaris, ac etiam alimentariæ, quia ſe volebat ſubſtentare de proprio, juxta alias recenſitam praxim. *d* Hinc in penſionariorum concurſu ſuper Eccleſiæ fructibus non ſufficientibus ad omnia onera pro ultimo penſionario, ad cujus favorem iſta nova penſio reſervata fuerat, agnoſcendo ſibi obſtare dictam regulam anterioritatis, dicebam, & quidem non improbabiliter quod intra ratam congruæ Conciliaris eſſet omnibus potior, quoniam iſta excepta eſt à penſionibus, atque debet percipi præcipua, tanquam privilegiata; Ideoque ſuper ea penſionarii antiqui nullum haberent jus, quod ultimo penſionario tantum competebat ex perſona Titularis ejus debitoris, cujus creditor eſt procurator in rem propriam, ut in conſueta ſede inſinuatur. *e* Nullum tamen pro mea notitia deſuper prodiit judicatum, cum in caſu quæſtionis quædam concordia controverſiæ finem dederit, motivum autem videtur ſolidum in ſtricto puncto juris, ſpero tamen, quod hujuſmodi quæſtionum occaſio impoſterum danda non ſit, quodque Pontifices pro tempore, ſequendo veſtigia noſtri legislatoris, abſtinebunt ab hujuſmodis gratiis.

Ad favorem item penſionariorum in genere, quicumque
6 illi ſint intrat abſque dubio anterioritas, vel potioritas ſuper fructibus Eccleſiæ gravatæ adverſus creditores Titularis, quamtumvis anteriores, & privilegiatos quoniam illa fructuum rata, quæ affecta eſt penſionibus, tanquam à reliquis fructibus abſtracta, non eſt in, vel de bonis Titularis, ideoque illius creditoribus nullum ſuper ea jus competit *f* Idemque dicendum ad favorem eorumdem penſiona-
7 riorum contra Capitulum, vel Collegium Canonicorum, ſeu Beneficiatorum, quibus vacante beneficio gravato, vel illo etiam pleno, ſed Beneficiato non inſerviente fructus, & proventus accreſcunt, quoniam iſtud jus accreſcendi intelligitur in eo, quod ſupereſt, deductis penſionibus. *g*

Alia item datur ſpecies concurſus, vel contributi in ſolutione penſionum, de qua facienda non dubitetur, inter prædeceſſorem ſcilicet, & ſucceſſorem beneficii poſſeſſorem, ac etiam Cameram Apoſtolicam pro tempore vacationis,
8 quomodò ſcilicet ab iſtis contributio fieri debeat in ſolutione penſionum; Atque in hoc dignoſci videtur apud noſtros aliqua involutio; Siquidem aliqui nimium ſe involuunt in inſpectione, an penſio ſit anticipata, vel poſticipata; Alii verò procedunt cum calculatione terminorum præfinitorum pro ſolutione penſionis; Et alii inſiſtunt ſuper calculatione anni, qui penſionarius dicitur, In omnibus tamen aliquod dignoſci videtur æquivocum, errorum, & confuſionum productivum.

Siquidem calculatio anni penſionarii non percutit iſtam quæſtionem, ſed illam, quæ cadit inter Titularem ſuperſtitem, & hæredem penſionarii defuncti, quid ſcilicet iſte ad ejus hæredem, vel reſpectivè ad Cameram tranſmiſerit, atque de hoc agitur in cap. ſequenti. Ordo verò terminorum nullatenus adhunc effectum attendendus eſt, quoniam, ut advertitur in *Capitulo præcedenti*, hodiè certum, paſſimque receptum eſt aſſumptum, quod iſte ordo in nihilo alterat ſubſtantiam, vel immutat naturam penſionis, ſed ſolum adjectus cenſetur gratia commodioris exactionis, atq; ut ad tollendas lites ſciat Titularis, quando efficitur debitor, & penſionarius quando efficitur creditor. Prout inſpectio an penſio ſit anticipata, vel pariter poſticipata, pariter extranea videtur à puncto, de quo in præſenti agitur, cum percutiat eumdem punctum, de quo in *cap. ſequenti*, ſuper repartitione reſidui penſionis, quæ remaneat exigenda poſt illam jam ceſſatam.

Ad effectum itaque, de quo agitur, his omnibus neglectis, cum illa regula procedendum videtur, quod cum penſio ſit quædam portio, ſeu participatio fructuum, ex quibus illa ſolvenda eſt, cùm iſtud dicatur onus reale, & cauſativum, vel occaſionale, eatenus debitum quatenus fructus percipiantur, atque ad illorum menſuram, & proportionem; Hinc ſequitur quod qui plus percipit, plus contribuere debet, & è converſò nullatenus curato ſpatio temporis, vel curſu anni ſolaris, in quo unus, vel alter poſſederit; Nil enim refert, quod ſucceſſor in beneficio pro modica parte anni illud poſſederit, ſi majorem recollectæ partem fecit, & habuit, & è converſò cum attendi debeat effectus perceptionis fructuum, non autem curſus temporis in poſſeſſione: Unde propterea illa regulatio anni, quę pendet à diverſa qualitate, vel natura fructuum, ad inſtar illius regulationis, quam legiſtæ faciunt fructuum bonorum dotalium inter virum, & hæredem uxoris, & è contra poſt diſſolutum, vel ſeparatum matrimonium, quod ſcilicet in fructibus civilibus attendatur ordo anni ſolaris, innaturalibus verò attendatur qualitas, vel natura fructuum, deſumendo initium anni ab eo tempore, quo maturatis, & percepris fructibus præteritæ recollectæ natura incipit concipere fructus novos, juxta ſpecificationem, de qua occaſione caſuum particularium latius, magiſque diſtinctè in iſtius materię conſueta Sede *h* percutit modum dividendi fructus inter prædeceſſorem, & ſucceſſorem, ſed ad effectum, de quo agitur concurſus, vel contributi in ſolutione penſionum, ſpectatur effectus cum calculo aritmetico, ad menſuram, & proportionem fructuum, quos eorum quilibet de facto habuit, quamvis jure, vel injuria ſive ex circumventione unus ex poſſeſſoribus plus, quam ſibi deberetur habuerit, ita procedendo cum regula, ut quot ſunt recollectæ tot ſint anni penſionis, & ex qualibet recollecta integra ſolvatur annualitas, vel integri duo termini, iſtaque videtur vera, & juridica regula, cum qua in hac materia procedendum eſt, neglectis tot ambagibus, cum quibus noſtri ſe involuiſſe videntur.

De Concurſu autem inter illum, ad quem pertinent fructus certi, & illum, ad quem pertinent diſtributiones quo- 9
tidianę, aliaque incerta, actum eſt ſupra *cap. 12. nu. fin.*

a *De penſion. diſc. 19. & 20.* b *d. diſc. 20. de penſion.* c *d. diſc. 19.* d *Diſc. 16. de penſion.* e *d. diſc. 19. de penſion. in fin.*
f *diſc. 23. de penſion.* g *eod. diſc. 23.* h *De his diſc. 24. cum plur. ſeqq. eod. tit.*

De penſionibus inexactis, an tranſmittantur, & ad quem, & quatenus tranſmittantur, pro qua rata ſint debitæ.

SVMMARIVM.

1 *QVod Camera Apoſtolica percipiat penſiones inexactas, ad inſtar fructuum beneficiorum.*
2 *Magis rigorosè proceditur in penſionibus, quam in fructibus beneficiorum.*
3 *Quid ubi non adſit uſus Collectorum Apoſtolicorum.*
4 *Quomodo de iure calculari debeant anni, vel tempora, ut ſciatur quid tranſmittatur.*
5 *Et qualis ſit ſtylus Dataríæ.*

Cap. XIX.

DUæ ſunt inſpectiones, una ſuper tranſmiſſione penſionum inexactarum, & altera, poſito quod ſit locus tranſmiſſioni, quænam rata debita ſit tranſmiſſario. Quatenus pertinet ad primã inſpectionẽ trãſmiſſionis in genere; 1
In illis locis, in quibus ad formam Conſtit. Apoſtolicarũm adsũt Collectores Apoſtolici, atq; beneficiorũ fructus inexacti, vel alias nõ effecti de privato dominio beneficiatorũ, ap-

plicantur Cameræ Apoſtolicæ, juxta deducta in Sede Beneficiali, *a* Inanis itaque labor videtur agere quænam opinio in puncto juris majorem habeat probabilitatem, quoniam cum, ex frequenter inſinuatis, iſtius materiæ penſionum principalis, & omnimodus regulator ſit ſtylus, iſteque de facto vigeat, paſſimque ſit receptus in praxi, ut in penſionibus inexactis idem ſervetur ad favorem Camerę quod ſervatur in fructibus beneficiorum, idcircò non videtur de alio quærendum, cum ſtylus ſit antiquus, hodieque pacificus, qui proprerea vim tacitæ legis habet, cui Doctorum opiniones cedere debent, Adeoque iſte ſtylus inolevit, quod etiam in Cardinalibus, ad quorum favorem prodiit
2 motus proprius Clementis IX. magis rigorosè in compoſitionibus, fieri ſolitis cum hæredibus Cardinalium, proceditur in penſionibus, quam procedatur in fructibus beneficiorum, dum in iſtis Camerales contenti eſſe ſolent tertia parte, in illis verò exigunt medietatem; Ideoque inſpectio cadit in illis locis, in quibus dictus uſus Collectorum non habetur, ut propterea fructus tranſmittantur ad hæredes beneficiati defuncti, vel reſpectivè cedant commodo Eccleſię, ſuper quo etiam obſervantiæ deferendum videtur: Sed quando ratiocinando diſcurrendum eſſet, videtur probabilius,
3 ut procedendum ſit cum diſtinctione, invicem pugnantium opinionum conciliativa, quod ſcilicet aut agitur de terminis jam maturatis, quorum non ſequuta ſolutio imputari mereatur moræ, & culpæ titularis, & tunc pro tranſmiſſione ad hæredes penſionarii ſit reſpondendum, ne alias Titularis, ex ejus mora, & culpa commodum reportet; Aut verò agitur de termino adhuc non maturato, & tunc pro Eccleſia, & Titularis exemptione reſponderi debeat, tanquam ob non factum caſum obligationis faciendi illam præſtationem; *b*

Quo verò ad aliam inſpectionem ſuper modo contribuendi pro rata ad favorem Cameræ, vel alterius, ad quem de jure, vel de conſuetudine iſta fiat tranſmiſſio, in puncto juris procedendum eſt, non curata qualitate fructuum,
4 illoque diverſo modo calculandi annos, de quo in cap. precedenti, cum illo anno ſolari, vel naturali, qui penſionarius dicitur, ejus initium deſumendo à die reſervationis penſionis, ut annus terminet poſt curſum duodecim menſium, juxta ordinem anni naturalis, vel ſolaris, ut propterea in quolibet anno penſionarius percipiat integram ſummam penſionis reſeruatæ, vel duos terminos, & per conſequens, ſi exempli gratia penſio durationem habuit per annos novem, & ſex menſes non poterit penſionarius, vel ejus tranſmiſſarius prætendere decem annatas, quamvis decem recollectæ factæ eſſent, ſed ſolùm novem annatas, & medietatem alterius, vel 19. terminos, & ſic pro rata, ſi anni incepti, & non completi menſes ſint plures, vel minores, atque adhunc effectum intrat inſpectio, an penſio ſit anticipata, vel poſticipata, quoniam ſi initio primi anni habuit primum terminum, & ſucceſſivè alterum, adeout intra primum annum de facto habeat tres terminos, tunc id, quod anticipatè percepit, excomputare debet in ultimo termino, & è converſò. Igitur advertendum eſt ut non percipiat plus, vel minus, quàm importent anni penſionarii, modo, quo ſupra, calculandi, ſed in quolibet anno completo integram obtineat annualitatem, in ultimo autem incompleto participet cum calculo aritmetico pro rata temporis, non curato ordine terminorum, minuſque curata qualitate fructuum, & an illi ſint adhuc percepti, necne *c* Atque ita in Rota, aliiſque Tribunalibus judicandum eſt, quando cauſa in forma judiciali tractetur, in puncto juris judicanda. Verum apud Officiales Dataríæ ſtylus
5 videtur diverſus, præſertim in illis penſionibus ultra montes, quæ reſervantur in faciem confidentiarii, vulgò *Teſta di ferro*, cum cautela cedulæ bancariæ, ut ſupra in cap. 5. & alibi, quoniam cum ceduliſtę ſoleant ſe obligare ad ſolutionem tot terminorum, idcircò cum iſtis, quos Dataria, vel nominati ad penſiones, potius quam ipſos Titulares agnoſcunt debitores, calculatur ad rationem terminorum, qualem quoque eſſe ſtylum Cameralium, præſertim in Nuntiatura Neapolis, habetur in conſueta Sede, licet ad alium effectum. *d*

a *De benef. diſc.* 81. *& ſeqq.*

b *de dictis opinionibus diſc.* 28. *de penſion. ubi habentur auctoritates de hoc agentes.* c *Dict. diſc.* 28. *eod. tit. & in aliis præcedentibus ex diſc.* 24. *ubi de materia, de de qua etiam d. diſc.* 81. *de benefic.*

d *Diſc.* 25. *de penſion.*

An, & quando inter penſiones, & beneficia intret æquiparatio, atque à diſpoſitis in beneficiis arguere liceat ad penſiones, & è contra.

SVMMARIVM.

1 *QVod in hoc puncto non habeantur leges, vel antiquiorum auctoritates.*
2 *Quomodo in eo procedi debeat.*
3 *De differentia inter beneficia, & penſiones.*
4 *Exequatio in pleriſque intrat de ſtylo potius, quam de iure.*
5 *De ætate, & ordinibus, quæ requiruntur in beneficiis, non autem in penſionibus.*
6 *Diſpenſari ſolet ſuper beneficiis, non autem ſuper penſionibus.*
7 *De argumento excludente exæquationem, quod reſultat à Conſtitutionibus Pii V. & Sixti V.*
8 *Quod de ſtylo Camera ſibi applicet penſiones inexactas.*
9 *Regula de infirmis non procedit in penſionibus.*
10 *Quare filii hæreticorum priventur etiam penſionibus.*
11 *Penſio eſt titulus, ad quem quis promoveri poteſt ad Ordines.*
12 *Suffragatur æque, ac beneficium pro fori provilegio.*
13 *Declaratur quomodo, & quando penſio ſit titulus ſufficiens promotionis ad Ordines Sacros.*
14 *Et quando etiam beneficia dicantur titulus ſufficiens.*
15 *De privilegio fori, pro quo penſio ſuffragetur.*
16 *Vt ſtylo potius id referendum ſit.*

Cap. XX.

CUm in ſubjecta materia penſionum aut nullam, aut raram habeamus legum, vel Canonum, ſive antiquorum Conciliorum auctoritatem neceſſariam, dum Concilium Lateranenſe ſub Leone X. in ſeſſ. 9. & deinde 1
Concilium Tridentinum illarum aliquam facit mentionem occaſione reſervandi congruam Epiſcopo, vel Parocho, minuſque habeamus graves, magiſque probabiles auctoritates antiquorum Canoniſtarum, ſeu legiſtarum, aut Theologorum, quibus in articulis dubiis magis deferendum eſt, tum ob illam majorem reverentiam, quæ antiquitati, atq; primis noſtris præceptoribus debita eſt, tum etiam quia magis fundatè, & methodicè, per juris principia, & rationes, tanquam boni Theorici loquuti ſunt, quam faciant pleriq; moderni, quorum ſtylus tranſcriptorum potius quam nobilium Auctorum videtur, uno alterum, abſque alio diſcurſu, vel ratiocinio referente, & inſequente; Hinc pro meo ſenſu nulla, vel ſatis modica exiſtimanda videtur iſtorum auctoritas, potiſſimè quia ex eis liquet non parum ſe involuiſſe; arguendo de uno caſu ad alterum, non reflectendo ad rationis diverſitatem, ac procedendum eſt potius cum parte diſcurſiva, ſeu ratiocinativa, neglecta illa generali diſtinctione, cum qua præfati moderni, magis communiter, procedere videntur, inter odioſa ſcilicet, & favorabilia, ut in iſtis intret argumentum, non autem in illis, dum ex caſibus, vel effectibus, qui inferius recenſentur, contrarium dignoſcitur, ut in aliquibus odioſis argumentum intret, in aliquibus autem favorabilibus non.

Procedendo itaq; (ut faciendum eſt, quandò legum neceſſariam auctoritatem non habemus, vel ſaltem, quandò deſunt 2
jam firmæ, & receptæ propoſitiones à magnis Tribunalibus canonizatæ,) diſcurſivo, vel rationativo modo, ſine dubio dicendum venit, iſtud argumentum nullatenus intrare, ſive agatur de favorabilibus, ſive de odioſis, ob omnimodam rationis diverſitatem, quoniã Eccleſiaſtica beneficia ſunt quid merè Eccleſiaſticum, & ſpirituale, ideoque ob expreſſam Sacrorum Canonum diſpoſitionem, non ſunt illorum capaces, 3
tam ad aſſequẽdum, quam ad retinendum, & adminiſtrandũ niſi Clerici, cælibes, ſæculares in ſæcularibus, & regulares in regularibus, certam ętatem, certoſq; Ordines, & alias qualitates habentes, pro ipſorum beneficiorum diverſa natura, & qualitate, quia ſic expreſsè diſponunt Sacri Canones, vel Conciliorum decreta, ſive Apoſtolicæ Conſtitutiones. E converſò autem pẽſiones, ut dictum eſt in cap. 2. & 4. & alibi pluries, ſunt quid merè temporale, dum non percutiunt ſubſtantiam beneficii, neq; in eo aliquod jus tribuunt, vel adminiſtrationis participationẽ, adeout ex inſinuatis dicto cap. 4.

niſi

niſi obſtaret inconcuſſus ſtylus Eccleſiæ, & 92. Conſtitutio Sixti V. eſſent illarum capaces de jure ſæculares etiam uxorati, & milites, ac pueri, & infantes, omneſque alii, ac propterea nulla penitus ratio probabilis urgere videtur, cur iſta exæquatio intret, & quare à beneficiis ad penſiones arguere liceat, ob omninò diverſam naturam, & rationem.

Et licet antiquus ſtylus in pleriſque ſuperius enunciatis, & in aliis iſtam doceat exæquationem, quando agitur de penſionibus Eccleſiaſticis, quales non docto de contrario,
4 in dubio præſumuntur ubi reſervatæ ſint ſuper Eccleſiis, vel beneficiis Eccleſiaſticis, ut ſcilicet Clericatus Sæcularis cum qualitate cœlibatus ità requiratur in penſionibus, ac in Beneficiis, ut propterea quemadmodum per matrimonium, vel per profeſſionem in Religione, ſive per militiam ſæcularem, & officia ſæcularia vacant beneficia, ità pariter vacent, vel amittantur penſiones, cum pleriſque ſimilibus exæquationibus jam receptis. Nihilominus, ut pluries animadverſum eſt, id non provenit ex aliqua juris, & canonum diſpoſitione, vel ratione, ſive ex natura, & qualitate penſionum, eo modo, quo provenit in Beneficiis, ſed provenit ab antiquo Curiæ ſtylo, nec non ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, ut infrà dicetur: Undè perneceſsè requiritur Clericatus ſæcularis in ſtatu cœlibi, & per conſequens præfatæ immutationes ſtatus per matrimonium, vel per profeſſionem regularem, ſive per militiam cauſant amiſſionem penſionis in quamdam conſequentiam ceſſationis clericatus, ſine quo retineri non poteſt, exindeque manat, quòd in iis tantùm exæquatio, vel argumentatio admittenda ſit, in quibus idem ſtylus, & Conſtitutiones Apoſtolicæ, id induxerunt, & non aliàs.

Hinc ſequitur, quòd in ætate, & in Ordinibus diverſo vivitur jure, quoniam in Beneficiis ſimplicibus, vel aliàs non qualificatis, ex diſpoſitione Sac. Concilii Tridentini
5 requiritur ætas 14. annorum, major autem in qualificatis, ex diſpoſitione Sac. Concilii Tridentini requiritur ætas 14. annorum, major autem in qualificatis, quoniam in Canonicatibus in Cathedrali requiritur ætas apta illi ordini Sacro, qui ſit annexus, vel ſaltem ubi nulla adſit annexio, illa ætas, quæ requiritur pro ſubdiaconatu, unà cum obligatione ipſum Ordinem Sacrum ſuſcipiendi, & in primis Dignitatibus, & Abbatiis, ac Parochialibus requiritur ætas apta ad Sacerdotium, cum iſtius ſuſceptione, & in Epiſcopatu requiritur ætas triginta annorum, cum tot aliis requiſitis, & qualitatibus, atque in Canonicatu Pœnitentiario requiritur illa annorum quadraginta, ex iis, quæ in Sede Beneficialibus habentur ſuper hac materia ætatis *a* & tamen ſuper omnibus hujuſmodi beneficiis, etiam qualificatis, & majoribus puer ſeptem annorum, qui ſit prima tonſura initiatus, eſt capax obtinendi penſiones; cum tamen favorabile potiùs, quàm odioſum ſit, ut prædicta ætas, & Ordines reſpectivè in beneficiis requirantur favore Eccleſiæ, & divini cultus, abſque alicujus odio, vel præjudicio, ergo prorſus vana hæc exæquatio.

Prout diſpenſari non ſolet, ut uxori, etiam bigami, & milites, aliique non incedentes in habitu clericali obti-
6 neant, & retineant Beneficia Eccleſiaſtica in titulum, & tamen paſſim diſpenſatur ſuper penſionum capacitate, & retentione, ut ſupra Cap. 11. & 13. & alibi, cum pleriſque ſimilibus, quæ per illos, qui otio magis abundent, de facili poſſunt cumulari.

Et præſertim inter alia argumenta convincentia iſtius exæquationis omnimodam inſubſiſtentiam, illud videtur convincentiſſimum, & ad evidentiam, quod reſultat ex
7 Conſtitutione B. Pii V. obligante penſionarios ad recitationem Officii Beatæ Virginis, & ex alia Conſtitutione Sixti V. obligante penſionarios, quando penſiones excedant ſummam ſexaginta ducatorum auri de Camera, ad incedendum in habitu, & tonſura, & per quas Conſtitutiones immutatam fuiſſe penſionum naturam, illaſque effectas eſſe quid Eccleſiaſticum, & ſpirituale, plerique putant, exindèque inferunt ad hanc exæquationem, vel argumentationem, ſed revera non videtur ex dictis Conſtitutionibus deduci poſſe omnimodam exæquationem, quoniam ſi ea intraret, deberent penſionarii teneri ad recitationem Officii divini, eo modo, quo tenentur Beneficiati, ac etiam indefinitè abſque differentia ſummæ, deberent teneri incedere in habitu, & tonſura: Undè propterea dictæ Conſtitutiones dicendæ ſunt ſequela dicti ſtyli exigentis clericatum; ut ſcilicet tanquam participes de quadam portione fructuum Eccleſiæ, & ſic de re quodammodò annexa ſpirituali debeant ita aliquod ſpirituale opus peragere; non autem firmari abſolutè poteſt, quod exindè penſiones naturam immutaverint, minuſque quod ad eaſdem Conſtitutiones referendus ſit uſus, quod Camera habeat penſiones in-
8 exactas, juxta deducta in Cap. præcedenti, quoniam id antiquiori ſtylo pariter eſt referendum, ut ibidem advertitur.

Atque ſi vera eſſet omnimoda exæquatio, deberet etiam in penſionibus habere locum regula de infirmis reſignanti-
9 bus, quæ vulgò de viginti dicitur, & tamen contrarium eſt verius, & receptum, ut ſupra Cap. 15. cum ſimilibus. Et quamvis contra Hæreticos, eorumque filios pœna privationis beneficiorum extendatur etiam ad penſiones, juxta ali-
10 quorum Doctores ſenſum *b* quod etiam ad alia atrocia crimina, pro quibus impoſita eſt à jure pœna privationis beneficiorum, extendi videtur, attamen id non provenit ab exæquatione, vel à licita argumentatione, ſed à verborum amplitudine, quodque ſato ſumpto vocabulo penſio potius ex rationis identitate ſub nomine beneficii veniat, non autem ut inter vera exæquatio, vel argumentatio.

Ad duos autem præſertim effectus, in praxi magis frequentes, hæc inſpectio conſiderabilis videtur, unum nempè circa Titulum, ad quem poſſit quis ad ſacros Ordines
11 promoveri, ut quemadmodum id ſequi poteſt ad Titulum beneficii, juxtà Concilii Tridentini diſpoſitionem, ita etiam ſequi poſſit ad titulum penſionis *c* & alterum, quod ſicuti Clericus in minoribus, qui obtinet beneficium Eccleſiaſticum pro fori privilegio non indiget requiſitis ab eodem Concilio Tridentino demandatis, in Clericis in minoribus,
12 nempè inceſſus in habitu, & tonſura, & ſervitii in divinis, ità non debeat indigere ille, qui Eccleſiaſticam obtinet penſionem, beneficio exæquandam, juxta plures declarationes Sac. Congregationis Concilii. *d*

Quatenus autem pertinet ad primum effectum promotionis ad Sacros Ordines, reflectendum venit, quod ad duplicem effectum agitur de hoc Titulo, ad quem, & non aliàs
13 promotio ad ſacros Ordines facienda eſt, unum nempè, ut promovendus provideatur de tuta congrua ſubſtentatione, ne aliàs in eo ſtatu irretractabili conſtitutus cogatur cum dedecore Ordinis Clericalis mendicare, vel ſordidis vacare, pro victu ſibi comparando, cum præſuppoſito tamen, quod Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas de congruo exigat illam promotionem: Et alterum an ſola poſſeſſio penſionis operetur, ut Epiſcopus abſque obligatione inquirendi Eccleſiæ neceſſitatem, vel utilitatem licitè poſſit illum promovere. Ad primum effectum benè procedit aſſumptum, ut penſio æquivaleat Beneficio, quoniam ad hunc effectum attenditur ſolùm dictus finis congruæ proviſionis, ſive illa ſit cum Beneficio Eccleſiaſtico, ſive cum penſione, aut cum illis Capellaniis, vel piis legatis, quibus nec nomen, nec eſſentia beneficii congruit, vel etiam cum bonis prophanis patrimonialibus, vel aliàs obventis, ut in ſuis ſedibus advertitur; *e* Ideòque difficultas reſidet in altero effectu, in quo non modicus error, vel æquivocum dignoſci videtur, etiam ubi de verò Beneficio Eccleſiaſtico agatur, multò magis ubi de penſione. Siquidem eatenus Beneficii titulus reputatur magis proprius, magiſque legitimus, quatenus ita exigat Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas, ut verè, & propriè contingit in Cano-
14 nicatibus, aliiſque Beneficiis reſidentialibus, & ſervitoriis Cathedralium, Collegiatarum, ac etiam Parocchialium, annexos habentibus Ordines Sacros, undè propterea intret arctatio; Et quatenus etiam hæc annexio non adſit, adhuc tamen expedit, & laudabile eſt, ut hujuſmodi beneficiorum poſſeſſores, qui jam illi Eccleſiæ addicti ſunt, & inſervire debent, ad ſacros promoveantur Ordines, cum ita majus, & melius ſervitium præſtare poſſint, dum hujuſmodi beneficia ad hunc effectum erecta fuerunt, ut illius Eccleſiæ major, & melior ſequatur cultus, ideòque verificatur Eccleſiæ neceſſitas, aut utilitas. Ubi verò non agatur de dictis beneficiis qualificatis reſidentialibus, & ſervitoriis, ſed de Capellaniis, aliiſque beneficiis inferioribus, quæ veniunt ſub genere ſimplicium, ex lege tamen fundationis ſint Sacerdotalia, adeòut poſſeſſor teneatur per ſe ipſum celebrare, illique Eccleſiæ, vel Altari inſervire, & tunc intrat eadem ratio, de qua ſupra. Si verò non ſint Sacerdotalia, habeant tamen annexum onus quotidianæ, vel frequentis in hebdomada celebrationis miſſarum in certa Eccleſia, vel Altari, abſque dicta neceſſitate celebrandi per ſe ipſum, ei verò expediat hoc onus per ſe ipſum, non autem per ſubſtitutum adimplere, adeòut pariter promotio directa ſit ad ipſius Eccleſiæ, vel beneficii ſervitium, & tunc ſaltem ex æquitate, & congruentia,

tia, juſtum, & rationabile adeſſe dicitur motivum promotionis, atque verificari dicitur Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas. Sed ſi quis obtineat ſimplex beneficium abſque aliquo onere miſſarum, vel ſi aliquod onus annexum habeat, quod non poteſt à ſe ipſo adimpleri, quia nempè Eccleſia, vel Altare, ubi onera adimplenda ſunt, ſit in diverſa Civitate, ſeu loco, adeòut prædicta ratio cultus, & ſervitii Eccleſiæ non verificetur, & tunc adeſſe non dicitur Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas, niſi ex aliis circumſtantiis illa concurrat, & per conſequens locus eſſe non debet promotioni; Igitur multò minùs quando agatur de penſione, in qua nulla ex dictis rationibus, vel conſiderationibus intrat, ideòque ſtant ſimul, quod penſio ſit quidem ſufficiens, & legitimus titulus ad primum effectum congruæ proviſionis, quando Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas, aut alia congrua ratio exigat, & tamen quod non per hoc ſine cauſa tali promotioni locus eſſe debeat, cum etiam in beneficii id admitti non deberet.

Quo verò ad alium effectum privilegii fori, quando res eſſet integra, quòd ſcilicet tot deſuper non haberentur Doctores, & Sacræ Congregationis declarationes, adeòut diſcurſivè, vel ratiocinativè punctus eſſet examinandus, tunc pro meo ſenſu, non ſolùm probabilius, ſed indubitanter contra iſtam exæquationem reſpondendum videretur, cum nulla probabilis ratio id ſuadeat, quinimò etiam in ipſiſmet beneficiis, ut ſuprà conſideratis, fortè Concilio Tridentino incongrua interpretatio data videtur, ut à me comprobatur in quodam diſcurſu, ſeu voto deſuper edito inter varia vota, quæ fortè caſus præbebit, ut publicam mereantur lucem, & alibi *f* ſed quoniam ita magis communiter per Doctores eſt receptum, ac etiam per Sacram Congregationem Concilii canonizatum, non videtur ab hac propoſitione recedendum, donec ab eadem Congregatione, cum oraculo, & approbatione Sanctiſſimi, aliqua ut cuperem, & oportunum, imò neceſſarium cenſerem, ſequatur reformatio, vel declaratio, ut latiùs in eodem voto. Interim autem ad inſtar eorum, quæ dicta ſunt de ſpolio, ſive de tranſmiſſione ad Cameram Apoſtolicam penſionum inexactarum, aliiſque ſimilibus, id ſtylo potius referendum eſt, quàm quod dicta exæquatio, vel argumentatio ex juris diſpoſitione, vel ratione intret. Idemque in aliis caſibus, in quibus magis receptum ſit, ut quod in beneficiis diſponitur in penſionibus quoque procedere debeat. 16

a *De benef. diſc.* 95. b *Spada Conſil.* 71. *lib.* 1. *n.* 19. *& ſeqq.*
c *In annot. ad Concil. Trid. diſc.* 14. *num.* 34.
d *Fagnan. in Cap. cum in cunctis de Elect. num.* 203. *& in Cap. ad Audientiam* 2. *de Reſcript. num.* 121. *& ſeqq. Apont. com.* 24. *l.* 1. e *Dict. diſc.* 14. *in annot. ad Concil. Trident. num.* 33. *& ſeqq. de alien. & contract. prohibit. diſc.* 38.
f *In annot. ad Concil. Trident. diſc.* 24. *num.* 13. *& ſeqq.*

INDULTA VARIA

Transferendi, & retinendi penſiones Eccleſiaſticas.

I

Pro Eminentiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecte Fili Noſter Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CIrcumſpectionis tuæ in Nos, & Apoſtolicam Sedem merita poſcunt, ut ea tibi libenter concedamus, per quæ erga perſonas tibi gratas, & acceptas beneficum te exhibere poſſis, & liberalem. Volentes igitur te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, mera liberalitate, maturaque deliberatione noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tibi ultra alias ſimiles, vel diſſimiles facultates, tibi quandocumque conceſſas, ut quicumque loci Ordinarius, vel Canonicus Metropolitanæ, aut alterius Cathedralis Eccleſiæ, vel alia perſona in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta, à te quandocumque eligendus, vel eligenda, ſimul, vel ſucceſſivè, unam, ſeu plures penſiones annuas ſuper quarumcumque Cathedralium, Metropolitanarum, & aliarum Eccleſiarum, ac quorumcumque Monaſteriorum, etiam Conſiſtorialium, ac Abbatialium, nec non Conventualium menſarum, ac Prioratuum, Præceptoriarum, Dignitatum etiam Conventualium, ac majorum, & principalium, perſonatuum, adminiſtrationum, & officiorum, etiam curatorum, & electivorum, cæterorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura, ſæcularium, ac quorumvis Ordinum, & militiarum, ac Hoſpitalium etiam S. Joannis Hieroſolymitani Regularium, ac aliàs quomodolibet, & qualitercumque qualificatorum, & quibuſvis aliis Eccleſiaſticis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis univerſis, nec non etiam diſtributionibus quotidianis, etiam ſolis præſentibus, ac Divinis officiis actu intereſſentibus dari, & præſtari, ac per eos lucri fieri ſolitis, ſive eorum loco fructus, redditus, & proventus Apoſtolica tibi auctoritate reſervatas, & aſſignatas, ſeu reſervatos, & aſſignatos, vel reſervandas, & aſſignandas, ſeu reſervandos, & aſſignandos, aut in te eadem auctoritate translatas, ſeu translatos, transferendas, ſeu transferendos pro ſumma, & quantitate mille ſcutorum monetæ dumtaxat, in uno, vel pluribus temporibus, & in una, vel pluribus partitis, ac etiam ſeparatim, quandocumque tibi placuerit, etiam in mortis articulo, de tuo conſenſu caſſare, & extinguere, ac poſtquam caſſata, & extincta, ſeu caſſatæ, & extinctæ vel caſſati, & extincti fuerint, etiam ſi penſiones hujuſmodi pluries translatæ fuerint, ac etiam ſi ſuper fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus, & emolumentis, ac diſtributionibus hujuſmodi aliæ penſiones diverſis perſonis Eccleſiaſticis, dicta Apoſtolica auctoritate, reſervatæ exiſtant, ſeu prætendantur, quas etiam præſentibus pro expreſſis haberi volumus, aliam, ſeu alias penſiones, uſque ad præfatam ſummam mille ſcutorum hujuſmodi prioribus penſionibus caſſatis, & extinctis, ſimilem, vel ſimiles, uni, vel pluribus perſonis Eccleſiaſticis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Eccleſiaſtica ſæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, cum curæ, & ſine cura, & quomodolibet qualificata, ac quocumque nomine nuncupata, ex quibuſvis conceſſionibus, & diſpenſationibus Apoſtolicis, in titulum, commendam, adminiſtrationem, aut aliàs quomodolibet obtinen. vel expectan. aliiſque Clericali ſaltem charactere inſignitis, aut aliàs penſionum hujuſmodi capacibus, etiam tibi quocumque conſanguinitatis, vel affinitatis gradu conjunctis, vel attinentibus, aut familiaribus tuis, per te, quandocumque, etiam in mortis articulo nominan. etiam abſque penſionem, ſeu penſiones hujuſmodi ſolvere, aut dictos fructus Eccleſiaſticos præſtare deben. deſuper præſtandis, vel requirendis conſenſibus, imò ipſis invitis, & reclamantibus, nec non etiam litteris reſervationum penſionum, & fructuum hujuſmodi, non expeditis, & illis, ac etiam litteris reſervationum penſionum, & fructuum hujuſmodi, non expeditis, & illis, ac etiam præſentibus non intimatis, nec exhibitis, vel oſtenſis, eiſdem perſonis, quoad vixerint, vel earum legitimis procuratoribus per penſiones, ſeu fructus hujuſmodi ſolvere pro tempore deben. annis ſingulis, ſub ſententiis, cenſuris, & pœnis, ac in loco, & terminis, ac cum omnibus, & ſingulis exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, obligationibus, renũciationibus, vinculis, clauſulis, & decretis in litteris reſervationis, & reſervationum hujuſmodi contentis, & expreſſis, & juxtà earum tenorem, & continentiam, *ſervata tamen forma Conſtitutionis noſtræ ſuper translationibus penſionum editæ*, reſervare, conſtituere, & aſſignare liberè, & licitè valeas; ſeu ſi tibi magis placuerit, & tu ita volueris, etiam litteris ſuper reſervatione penſionis, ſeu penſionum, & fructuum hujuſmodi, ut prædicitur, minimè expeditis, illiſque, & præſentibus litteris etiam non exhibitis, vel præſentatis, penſionem, ſeu penſiones, vel fructus hujuſmodi pro ſumma, & quantitate mille ſcutorum hujuſmodi in unam, vel plures perſonas ſupra expreſſas, aut aliàs Clericali ſaltem charactere inſignitas, vel aliàs penſionis, ſeu penſionum hujuſmodi, ut ſuprà dictum eſt, capaces, etiã quamtumvis conſanguineos, vel affines, aut familiares tuos, aut prorſus extraneos, per te, quandocumque tibi placuerit, etiam in mortis articulo nominandos, etiam coram ſolis notario, & teſtibus, etiam abſque penſionem, ſeu penſiones hujuſ-

juſmodi ſolvere, aut fructus Eccleſiaſticos præſtare pro tempore debentium, deſuper præſtandis, vel requirendis conſenſibus, illiſque invitis, & reclamantibus, in Romana Curia, vel extra eam, prout tibi videbitur, ſervata tamen forma prædictæ Conſtitutionis, transferre poſſis, dicta Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, concedimus, & indulgemus, ejuſdemque loci Ordinario, ſeu Canonico, aut perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ penſionem, ſeu penſiones, aut fructus hujuſmodi pro præfata ſumma mille ſcutorum hujuſmodi, ut præfertur, caſſandi, & extinguendi, aliamque ſimilem, vel ſimiles hujuſmodi caſſatarum loco reſervandi, & aſſignandi, ſeu tibi illas, vel illos coram ſolis Notario, & teſtibus transferendi, plenam, & liberam auctoritatem, poteſtatem, & facultatem tribuimus, & impartimur. Decernentes præſens indultum, ac extinctionem, & caſſationem, ac novam hujuſmodi reſervationem, aut translationem, ſeu extinctiones, & caſſationes, ac novas reſervationes, aut trãſlationes penſionis, ſeu penſionum, aut fructuum hujuſmodi pro dicta ſumma, & quantitate mille ſcutorum hujuſmodi facien. cum omnibus indè ſecutis, ex nunc prout ex tunc, poſt quàm factæ fuerint, validas, & efficaces fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac perſonę, ſeu perſonis, in quarum favorem fient, perindè ſuffragari in omnibus, & per omnia, ac ſi ex ceſſionis, aut alia probabili cauſa, conſiſtorialiter à nobis ipſis factæ fuiſſent, nec non eas in quarum favorem fient, ut præfertur, in univerſis juribus tuis, in omnibus, & per omnia, etiam quoad quaſi poſſeſſionem penſionem, ſeu penſiones, ac fructus hujuſmodi exigendi, in qua tunc exiſtes per viam gratioſæ ſubrogationis ſubſtitutas, & ſubrogatas eo ipſo fore, & cenſeri debere, nec non penſionem, ſeu penſiones, ut præfertur, de novo reſervan. & transferen. etiam ex defectu conſenſuum Eccleſiarum, beneficiorum, & aliorum ſupradictorum Præſulum, ſeu Adminiſtratorum, ac poſſeſſorum tunc, & pro tempore exiſtentiũ, aut ad illorum, vel quorumvis aliorum inſtantiam, annullari, ſeu invalidari, aut moderari, vel ad minorem ſummam reduci, vel retractari. Præſentes quoque litteras de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu, etiam ex eo, quòd Eccleſiarum, beneficiorum, & aliorum præfatorum Præſules, ſeu Adminiſtratores, ac poſſeſſores pro tempore exiſtentes, aut alii quicumque deſuper intereſſe habentes, vel habere quomodolibet prætendentes ad hoc vocati non fuerint, nec præmiſſis conſenſerint, aut etiam quia ſuper Eccleſiarum, Beneficiorum, vel aliorum ſupradictorum fructibus aliæ penſiones aliis reſervatæ exiſtant, vel impoſterum reſervari contigerit, notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adverſus illas aperitionis oris, vel aliud quodcumque gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, aut etiam motu ſimili concedi non poſſe. Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, vel delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos. Sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa Venerabilibus Fratribus noſtris Oſtien. & Portuen. Epiſcopis, ac dilecto Filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte tua, aut translatariorum tuorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, ribique, & illis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra re, ac ipſos translatarios præmiſſorum omnium, & ſingulorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes ſe, aut illos deſuper à quoquam quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſcumque, eiſque auxiliũ, conſilium, vel favorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè quomodolibet præſtantes, per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtan. fel. record. Bonifacii Papæ Octavi Prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, ac Lateranen. Concilii noviſſimè celebrati penſiones hujuſmodi ſuper menſarum Archiepiſcopalium, & Epiſcopalium fructibus, niſi in Conſiſtorio, & ex ceſſionis, aut alia probabili cauſa reſervari prohiben. ac rec. mem. Urbani Papæ VIII. prædeceſſoris pariter noſtri de penſionibus aliàs translatis denvò non transferendis edit, nec non noſtris de præſtando conſenſu in penſionibus, ac de non tollendo jure quæſito, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Eccleſiarum, Monaſteriorum, Præpoſiturarum, Dignitatum, & Beneficiorum præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & litteris Apoſtolicis illarum Præſulibus, Rectoribus, ſeu Adminiſtratoribus, & Poſſeſſoribus, ac quibuſvis aliis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, & exprimerentur, præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum &c.

II.

PRO PATRIARCHIS, ARCHIEPISCOPIS, ET EPISCOPIS,

In Capella Sanctitatis Suæ Aſſiſtentibus.

Extat in Bullar. tom. 3. Conſtit. 32. Gregorii XV. §. 9. ſed pro quolibet illorum ſpeciale indultum, tenoris ſequentis, cum aliis facultatibus, expeditur in forma Brevis.

PRætereà eiſdem Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & eorum ſingulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, ſeu aliarum Cathedralium Eccleſiarum, aut perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, tam in Romana Curia, quàm extra eam ad id per eos reſpectivè coram Notario, & teſtibus fide dignis eligendi, ſeu eligendæ, quaſcumque penſiones annuas illis, & eorum ſingulis ſuper menſarum Abbatialium, ſeu Capitularium, ac Epiſcopalium, & Archiepiſcopalium, ac quorumcumque aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura, ſæcularium, ac quorumvis Ordinum, & Militiarum Regularium, etiam Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, ac diſtributionibus etiam quotidianis, ipſis nunc, & pro tempore reſervatas, aſſignatas, ac reſervandas, & aſſignandas, pro ſumma videlicet quingentorum ducatorum auri de Camera, quoad ſingulos eorum, quandocumque alicui eorum reſpectivè placuerit, ſimul, vel ſucceſſivè, in toto, vel in parte, etiam in cujuslibet eorum mortis articulo, caſſare, & extinguere, ac poſtquam caſſatæ, & extinctæ fuerint, alias ſimiles penſiones annuas ſuper eiſdem fructibus, & redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & diſtributionibus uſque ad ſummam, & quantitatem prædictam, uni, vel pluribus aliis perſonis, etiam per eos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque Beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, & expectantibns ſeu Clericali ſaltem charactere inſignitis, & alias penſionum hujuſmodi capacibus, eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus ad id ab eis ſpeciale mandatum habentibus, iiſdem modo, & forma, quibus eiſdem Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac eorum ſingulis reſervatæ, & aſſignatæ fuerint, etiam abſque conſenſu eaſdem penſiones ſolvere debentium deſuper præſtando, uſque ad ſummam, & quantitatem prædictam, etiam litteris Apoſtolicis ſuper reſervationibus, & aſſignationibus hujuſmodi non confectis, ac alias cum omnibus, & quibuſcumq; exemptionibus, privilegiis, decretis, clauſulis, cæ[illegible]onibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam cenſuris, & pœnis

nis in prioribus reſervationibus hujuſmodi conceſſis, & contentis, integrè perſolvendas, *a* reſervare, conſtituere, & aſſignare valeant, eiſdem auctoritate, & tenore de ſpeciali gratia indulgemus.

a *In his indultis adiici antea ſolebat particula*, ſervata tamen forma Conſtitutionis fel. record. Urbani PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri deſuper editæ. *Nunc verò poſt Bullam Sanctiſſimi D. N. Innocentii X I. ad quam facti ſunt præſentes commentarii, addi ſolet ſicut in Indultis Cardinalium, nempè* ſervata tamen forma Conſtitutionis noſtræ ſuper translationibus penſionum editæ *ut ex ſupra regiſtrata formula videre eſt.*

III.

PRO PROTONOTARIIS APOSTOLICIS

De Numero Participantium.

Ex Indulto Vrbani PP. VIII. die 5. Septembris 1629.

ADhæc eiſdem Notariis de numero, etiam dimiſſo officio, dummodo tamen illud ſaltem per triennium obtinuerint, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, aut aliarum Cathedralium Eccleſiarum, ſeu aliæ perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ tam in Romana Curia, quàm extra eam, ad id per eos reſpectivè coram Notario, & teſtibus fide dignis eligendi, ſeu eligendæ, quaſcumque penſiones annuas illis, & eorum ſingulis, ſuper menſarum Abbatialium, ſeu Capitularium, ac Epiſcopalium, & Archiepiſcopalium, & quorumcumque aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſæcularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum Regularium, etiam Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, ac diſtributionibus etiam quotidianis, ipſis nunc, & pro tempore reſervatas, & aſſignatas, ac reſervandas, & aſſignandas pro ſumma videlicet trecentorum ducatorum auri de Camera, quoad ſingulos eorum, quandocumque alicui ipſorum reſpectivè placuerit, ſimul, vel ſucceſſivè, in toto, vel in parte, etiam in cujuslibet eorum mortis articulo, ſervata tamen forma Conſtitutionis noſtræ deſuper editæ, & non alias caſſare, & extinguere, ac poſt quam ſic caſſatæ, & extinctæ fuerint, alias ſimiles penſiones annuas ſuper eiſdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & diſtributionibus, uſque ad ſummam, & quantitatem prædictam, uni, vel pluribus aliis perſonis, etiam per eos nominan. etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque Beneficia Eccleſiaſtica obtinen. & expectan. ſeu Clericali ſaltem charactere inſignitis, & aliàs penſionum hujuſmodi capacibus, etiam eis quoad vixerint, vel earum procuratoribus ad id ab eis ſpeciale mandatum habentibus, iiſdem modo, & forma, quibus ipſis Notariis de numero, & eorum ſingulis reſervatæ, & aſſignatæ fuerint, etiam abſque conſenſu eaſdem penſiones ſolvere debentium deſuper præſtando, vel requirendo, uſque ad ſummam, & quantitatem prædictam, etiam litteris Apoſtolicis ſuper reſervationibus dictarum penſionum non exhibitis, & aliàs cum omnibus, & quibuſcumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clauſulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, cautelis, & etiam cenſuris, & pœnis in prioribus reſervationibus hujuſmodi conceſſis, & contentis integrè perſolvendas, ſervata forma ejuſdem Conſtitutionis noſtræ, reſervare, conſtituere, & aſſignare valeant, eiſdem auctoritate, & tenore, de ſpeciali gratia indulgemus.

IV.

PRO ABBREVIATORIBUS

Litterarum Apoſtolicarum Majoris Præſidentiæ.

Ampliatio Indulti ab Vrbano Papa VIII. eorumdem Collegio conceſſi ſub 13 Kal. Aprilis 1623. & extat. in Bullar. tom. 6. conſt. 16. Clementis PP. X. ſub die 30. Auguſti 1670.

§. 1. DUdum ſiquidem fel. record. Urbanus Papa VIII. Prædeceſſ. noſter, tunc, & pro tempore exiſtentibus Abbreviatoribus litterarum Apoſtolicarum majoris Præſidentiæ in Cancellaria Apoſtolica perpetuò conceſſit, & indulſit, ut ipſi, & eorum ſinguli penſiones annuas Apoſtolica auctoritate eis ſuper quibuſvis fructibus Eccleſiaſticis reſervatas, & pro tempore reſervandas, uſque ad ſummam centum ducatorum auri de Camera, ad favorem unius, ſeu plurium perſonarum Eccleſiaſticarum, ſeu Clericorum, ac aliàs penſionum hujuſmodi capacium, etiam in mortis articulo, coram Notario, & teſtibus, ac cum alicujus Prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ interventu, dummodò tempore eorum obitus, officia Abbreviatorum dictarum litterarum adhuc obtinerent, transferre &c.

§. 2. *Nunc autem nos &c.*

Motu proprio, ac ex certa ſcienta, & mera liberalitate noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine prædictis modernis, & pro tempore exiſtentibus litterarum Apoſtolicarum Abbreviatoribus majoris Præſidentiæ in Cancellaria ſupradicta, ut ipſi dimiſſis Abbreviatorum hujuſmodi officiis, dummodo tamen illa per quinquennium exercuiſſe, ſeu obtinuiſſe reperiantur, facultate transferendi penſiones annuas, uſque ad ſummam centum ducatorum auri de Camera, ac licentia celebrandi, ſeu celebrari faciendi miſſas in privatis eorum Oratoriis, ſeu Capellis à memorato Urbano Prædeceſſore, per ſuas litteras prædictas ut præfertur, conceſſis, uti, frui, & gaudere, nec non habitum Prælatitium violacei coloris hujuſmodi deferre, & geſtare liberè pariter, & licitè poſſint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi eorum officia Abbreviatorum hujuſmodi adhuc obtinerent, & uſque ad eorum obitum retinerent, tenore præſentium concedimus, & indulgemus &c.

V.

PRO NONNULLIS FAMILIARIBUS

Sanctiſſimi D. N. Papæ in Indulto expediri ſolito nominatis.

Extat in Bullar. tom. 6. Conſtitut. XV. §. 11. Clementis X. ſub die 26. Auguſti 1670.

VObiſque ulterius, & cuicumque veſtrum reſpectivè, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, ſeu aliarum Cathedralium Eccleſiarum, aut perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, tam in dicta Curia, quàm extra eam ad id per vos reſpectivè coram Notario, & teſtibus fide dignis eligendi, ſeu eligendæ, quaſcumque penſiones annuas vobis ſuper menſarum Abbatialium, ſeu Capitularium, ac Epiſcopalium, ac quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura ſæcularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum Regularium, etiam Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani prædicti, quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & diſtributionibus etiam quotidianis, ſeu illarum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, diſtributiones, & emolumenta vobis nunc, & pro tempore aſſignata, & reſervata, ac reſervanda, pro ſumma videlicet trecentorum ducatorum auri de Camera, quoad ſingulos veſtrum reſpectivè placuerit, ſimul, vel ſucceſſivè, in toto, vel in parte, etiam in cujuslibet veſtrum mortis articulo, caſſare, & extinguere, ac poſtquam caſſatæ, & extinctæ fuerint, alias ſimiles penſiones annuas ſuper eiſdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & diſtributionibus, & emolumentis, ſeu illarum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, diſtributiones, & emolumenta hujuſmodi, uſque ad ſummam, & quantitatem prædictam uni, vel pluribus aliis perſonis, etiam per vos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, & expectan. Clericis, ſeu Clericali charactere inſigniri volentibus, etiam eis quoad vixerint, ſeu eorum Procuratoribus, ad id ſpeciale ab eis mandatum habentibus, iiſdem modo, & forma, quibus vobis aſſignatæ, & reſervatæ, ſeu aſſignata, & conceſſa fuerint reſpectivè, etiam abſque conſenſu eaſdem penſiones ſolvere debentium, etiam ſi illas, vel illa aliàs caſſari, & reſervari de novo faciendi facultatem non habueritis, ac penſiones & fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, ac diſtributiones, & emolumenta hujuſmodi, etiam pluries caſſatæ, & de novo aſſignatæ fuerint, uſque ad ſummam, & quantitatem prædictam, etiam litteris Apoſtolicis ſuper reſervationibus, & aſſignationibus hujuſmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus, & quibuſcumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clauſulis, cautionibus, vin-

vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam cenſuris, & pœnis in prioribus reſervationibus hujuſmodi conceſſis, & contentis, nec non cum ſubrogatione in quibuſvis veſtris juribus, etiam quoad quaſi poſſeſſionem exigendi, in qua tunc eritis, integrè perſolvendas, ſervata tamen forma Conſtitutionis felic. record. Urbani Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quoad exceſſum medietatis fructuum, reſervare, conſtituere, & aſſignare valeant, auctoritate, & tenore prædictis, de ſpeciali gratia indulgemus.

VI.

PRO CONCLAVISTIS.

Ex motu proprio Sanctiſſimi D. N. Innocentii Papæ XI. impreſſo.

Et in Bullar. pluribus in locis, Conſtitut. 3. Pauli V. Conſt. 1. Greg. XV. tom. 3. Conſt. 2. Clem. IX. & Conſtit. 2. Clem. X. tom. 6.

AC cum eiſdem Conclaviſtis, etiam in militia Sancti Joannis Hieroſolymitani, & in quavis alia militia expreſsè profeſſis, quod ratione quarumcumque penſionum annuarum eis, & eorum cuilibet ſuper quorumvis Beneficiorum Eccleſiaſticorum, & etiam menſarum Abbatialium, Epiſcopalium, Archiepiſcopalium, & Abbatialium, nec non Dignitatum quarumcumque ac Monaſteriorum, etiam per ejuſdem S. R. E. Cardinales ad præſens obtentorum, & in poſterum quomodolibet obtinendorum fructibus &c. Ac etiam diſtributionibus quotidianis, non tamen ultrà ſummam ducentorum ducatorum auri de Camera pro quolibet eorum nunc, & pro tempore reſervatarum & aſſignatarum, ac reſervandarum, & aſſignandarum, habitum, & tonſuram Clericales geſtare, & in illis dummodo aliàs ipſi habitum decentem, & honeſtum, ac per milites prædictos geſtari ſolitum deferant, incedere minimè debeant, nec ad id à quoquam deſuper cogi, ſeu compelli, minuſque aliquas ſententias, cenſuras, nec etiam privationis, ſeu ceſſationis ipſarum penſionum pœnas, occaſione prædictorum, incurrere poſſint, ſed eaſdem penſiones uſque ad prædictam ſummam ducentorum ducatorum hujuſmodi aſcendentes, & reſervatas, & in poſterum reſervandas, ut præfertur, etiam ſi matrimonium quoad milites alicujus militiæ, videlicet cum militia compatibile, jam contraxerint, vel poſt hac contrahere voluerint cum unica, & virgine tantùm, recipere, & quoad vixerint, & quilibet eorum reſpectivè vixerit, retinere liberè, & licitè valeant, de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus, & inſuper Conclaviſtis prædictis, & eorum ſingulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, vel Cathedralium, ſeu duarum inſignium urbis Collegiatarum Eccleſiarum, aut perſonæ aliæ quæcumque Eccleſiaſticæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, tam in Romana Curia, quàm extra eam ad id per eos, & eorum ſingulos eligendi, ſeu eligendæ, quaſcumque penſiones annuas eis, & eorum ſingulis ſuper quibuſcumque fructibus &c. juribus, obventionibus, & emolumentis univerſis, certis, & incertis quarumcumque menſarum Epiſcopalium, Archiepiſcopalium, & Abbatialium, ac etiam diſtributionibus quotidianis, etiam ratione ſervitii, & mercedis Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum, cæterorumque aliorum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura, ſæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, non tamen per S. R. E. Cardinales obtentorum reſervatas, ſeu reſervandas, ſeu fructus &c. hujuſmodi beneficiorum reſervatos, ſeu reſervandos, etiam ſi ſemel, vel pluries translatæ, ſeu translati fuerint, uſque ad ſummam centum ducatorum auri de Camera ſimilium, in toto, vel in parte, ac in una, ſeu pluribus vicibus, ac etiam in mortis articulo caſſare, & extinguere, ac poſtquam caſſatæ, & extinctæ fuerint, aliàs ſimiles penſiones annuas, ſeu fructus &c. hujuſmodi, uſque ad ſummam præfatam centum ducatorum uni, vel pluribus aliis perſonis Eccleſiaſticis, vel etiam Clericali charactere tunc temporis nondum inſignitis, cum clauſula tamen ex tunc, prout poſtquam dicto charactere ritè inſigniti fuerint, ſeu aliàs penſionum, ſeu fructuum hujuſmodi capacibus, per eoſdem Conclaviſtas, & illorum ſingulos nominandos, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque Beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, & expectantibus, ſimiliter eis quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis, eodem modo, & forma, quibus eiſdem Conclaviſtis reſervatæ, ſeu reſervati erant, etiam abſque Beneficia hujuſmodi obtinentium conſenſu, integrè perſolvendas, & per eos propria auctoritate percipiendas, exigendas, & levandas, aut percipiendos, exigendos, & levandos, reſervare, conſtituere, concedere, & aſſignare poſſint. Ita ut præfati Translatarii in quaſi poſſeſſione penſiones, ſeu fructus &c. hujuſmodi exigendi, in qua ipſi Conclaviſtæ tempore translationis per eos vigore præſentium faciendæ exiſtebant, in omnibus, & per omnia ſubrogati eſſe cenſeantur concedimus, & indulgemus, etiam ſi ſimilem gratiam à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, aliàs forſan. obtinuerint, ſeu quilibet eorum obtinuerit, tam vigore aliorum privilegiorum Conclaviſtarum, quàm etiam quocumque alio indulto, & privilegio, quorum effectum per hanc novam gratiam, & conceſſionem impedire nolumus, ſed cumulativè conceſſam, & conceſſas eſſe volumus. Itaut quilibet eorum cumulativè, & ampliativè prædictis facultatibus, præſentibus, & præteritis Privilegiis, hac in re conceſſis, uti, frui, & potiri poſſint, decernentes novas reſervationes, Conſtitutiones, conceſſiones, aſſignationes, & translationes penſionum, ac fructuum &c. hujuſmodi, ut præfertur, faciendas ex nunc, prout poſtquam factæ fuerint, plenam roboris firmitatem obtinere, ipſoſque Beneficia, ſuper quorum fructibus, &c. aliiſque hujuſmodi reſervatæ fuerint, obtinentes, ad illas perſolvendas, efficaciter obligatos fore, &c. Datum Romæ apud S. Petrum 8. Id. Decemb. Anno Primo.

VII.

PRO DAPIFERIS.

Extat etiam in Bullar. tom. 6. Conſtitut. V. Clement. IX. & Conſtitut. 4. Clement. X.

AC Dapiferis præfatis, & eorum ſingulis, ut quicumque Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, aut aliarum inſignium Eccleſiarum, aut perſonæ quæcumque Eccleſiaſticæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, tam in Romana Curia, quàm extra eam ad id per eos, & eorum ſingulos eligendi, ſeu eligendæ, quaſcumque penſiones annuas eis, eorumque ſingulis ſuper fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis univerſis, certis, incertis, ac diſtributionibus quotidianis quarumcumque menſarum Epiſcopalium, Archiepiſcopalium, & Abbatialium, ac Dignitatum, & Canonicatuum, & Præbendarum, cæterorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, non tamen per S. R. E. Cardinales obtentorum, & impoſterum obtinendorum, cum cura, & ſine cura, ſæcularium, aut quorumvis Ordinũ Regularium, ſeu fructus, redditus, & proventus, aliaque emolumẽta, & diſtributiones hujuſmodi reſervatos, ac reſervandos, etiamſi aliàs ſemel, vel pluries translatæ, ſeu translati fuerint, uſque ad ſummã centum ducatorũ in toto, vel in parte, ac etiam in mortis articulo caſſare, & extinguere, ac poſtquam caſſatæ, & extinctæ fuerint, aliàs ſimiles penſiones annuas, ſeu fructus, redditus, & proventus, & alia emolumenta, & diſtributiones hujuſmodi uſque ad ſummã prædictam uni, vel pluribus aliis perſonis Eccleſiaſticis per eoſdem Dapiferos, & eorum ſingulos nominandis, quotcumque, quæcumque, & qualiacumque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, & expectantibus, aliàs tamen penſionum hujuſmodi capacibus, ſimiliter eis, quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis, eiſdem modo, & forma, quibus eiſdem Dapiferis reſervatæ, ſeu reſervati erant, etiam abſque beneficia hujuſmodi obtinentium conſenſu, integrè perſolvendas, ſeu perſolvendos, & per eos percipiendas, exigendas, levandas, ac percipiendos, exigendos, levandos, reſervare, conſtituere, & aſſignare valeant, ipſique Translatarii in poſſeſſionem dictas penſiones exigendi, in qua ipſi Dapiferi, tempore translationis per eos vigore præſentium faciendæ, exiſtebant, in omnibus, & per omnia ſubrogati eſſe cenſentur, etiam concedimus & indulgemus, etiam ſi ſimilem gratiam à Prædeceſſoribus noſtris aliàs forſan obtinuerint, ſeu quilibet eorum obtinuerit, illius effectu cumulativè eos gaudere, & potiri volumus. Decernentes ipſas tranſlationes, & novas reſervationes, conſtitutiones, & aſſignationes penſionum, ſeu fructuum, reddituum, & proventuum, aliorumque hujuſmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ipſoſque beneficia, ſuper quorum fructibus, redditibus, & proventibus reſervatæ fuerint, obtinentes, ad illas perſolvendas efficaciter obligatos fore, ac eiſdem Dapiferis, ut ratione quarumcumque penſionum eis, & eorum cuilibet ſu-

per

per quibuſcumque Beneficiis Eccleſiaſticis, ut præfertur, vel aliàs quomodolibet qualificatis, non tamen ultrà ſummam ducentorum ducatorum auri de Camera pro quolibet, nunc, & pro tempore reſervatarum, habitum, & tonſuram Clericales geſtare, & in illis, dummodo ipſi habitum decentem, & honeſtum deferant, incedere minimè debeant, nec ad id à quoquam cogi, ſeu compelli, minuſque aliquas ſententias, aut cenſuras, etiam privationis, ſeu ceſſationis ipſarum penſionum ad prædictam ſummam ducentorum ducatorum aſcendentes, & reſervatas, ut præfertur, etiam ſi matrimonium contraxerint cum unica tantùm, & virgine, recipere, & retinere, &c.

VIII.

PRO MILITIBUS SS. MAURITII, ET LAZARI.

Facultas retinendi penſiones pro ſumma duc. 500. auri.

In Bullar. Conſtit. 95. Pii IV. §. 48. tom. 2. & reducta ad ſummam ducat. 400. per Conſtitut. 102. Clem. VIII. §. 13. tom. 3.

ET inſuper Militibus, ac Presbyteris, & Capellanis Hoſpitalis, & militiæ S. Lazari hujuſmodi, nunc, & pro tempore exiſtentibus, ac eorum ſingulis, tam Clericis, quàm laicis, etiam conjugatis, & bigamis, ut unam, vel plures penſiones annuas *uſque ad ſummam quingentorum ducatorum auri de Camera novorum* ſuper quorumvis Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & aliarum Eccleſiarum, ac earum menſarum, etiam Patriarchialiũ, Archiepiſcopaliũ, & Epiſcopalium, nec non etiam Monaſteriorũ, etiam Conſiſtorialium, Prioratuum, Canonicatuum, & Præbendarum, dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, & Officiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura, ſæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis, ac diſtributionibus quotidianis, aliàs canonicè ſibi reſervatas, ſeu reſervandas, vel loco penſionum annuarum, omnes, & ſingulos, ac quoſcumque ſimiles fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque, ac etiam diſtributiones quotidianas ſibi reſervata, & reſervanda, etiamſi poſt illarum, vel illorum reſervationem uxorem duxerint, & bigami effecti fuerint, recipere, ſeu retinere, & ad vitam percipere, exigere, & levare, ac in ſuos uſus, & utilitatem convertere.

Ex Conſtit. 102. Clementis VIII. §. 13. tom. 3.

Facultatem tamen obtinendi penſiones militibus, Preſbyteris, & Capellanis prædictis Hoſpitalis, & militiæ prædictorum, uſque ad ſummam quingentorum ducatorum auri de Camera conceſſam, *ad ſummam quadringentorum ducatorum ſimilium, limitamus, reducimus, & moderamur.*

IX.

PRO MILITIBUS S. STEPHANI.

Facultas retinendi penſiones pro ſumma ducatorum 400. auri.

In Bullar. ex Conſtit. 46. Pauli V. §. 5. tom. 3.

NOs &c. dicti Ferdinandi Magni Ducis nobis deſuper porrectis ſupplicationibus inclinati, facultatem, & indultum percipiendi, & exigendi penſiones annuas uſque ad ſummam ducentorum ducatorum auri de Camera hujuſmodi Militibus prædictis, tam laicis, quàm clericis, etiam conjugatis, etiam bigamis, aliiſque etiam Presbyteris per Pium IV. conceſſa, & per Pium V. revocata, deindeque per Sixtum V. Prædeceſſores prædictos adverſus ipſam revocationem in integrum reſtituta, repoſita, & revalidata, ac de novo etiam conceſſa, ut præfertur, ac ſingulas eorum Pii IV. & Sixti V. prædeceſſorum deſuper confectas litteras, uſque ad ſummam quadringentorum ducatorum auri de Camera, hujuſmodi in totum: Ita quod omnes, & ſinguli Milites dictæ Militiæ nunc, & pro tempore exiſtentes, tam laici, quàm clerici, etiam conjugati, & bigami, aliique etiam presbyteri, etiam illegitimi ex quovis reprobato, vel damnato coitu procreati, deinceps in perpetuum quaſcumque penſiones annuas uſque ad ſummam præfatam quadringentorum ducatorum auri de Camera ſuper quibuſvis Cathedralium, & Metropolitanarum, aut aliarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Canonicatuum, præbendarum, Dignitatum, perſonarum, adminiſtrationum, officiorum, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium hujuſmodi fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis, ac diſtributionibus etiam quotidianis, aliàs eis Canonicè reſervandas, etiam accumulativè cum quibuſvis aliis pẽſionibus annuis, quas ex quovis alio Privilegio, ſeu indulto, aut diſpenſatione Apoſtolica eis in genere, vel communiter, ſeu eorum cuilibet nominatim, & ſigillatim, etiam in una non facta mentione de alia, vel aliis ante, & poſt datam præſentium, quandocumque conceſſa, aut concedenda, uſque ad quamcumque ſummam dictis quadringentis ducatis longè majorem de præſenti percipiunt, & pro tempore percipient, ad vitam retinere, percipere, exigere, levare, inque ſuos uſus, & utilitatem convertere liberè, & licitè valeant, & ex iis tam Laici, quàm Clerici, & conjugati, ratione penſionum hujuſmodi, quas ſic pro tempore perceperint, ad incedendum in habitu, & tonſura Clericali, deferendumque veſtes talares, juxtà præfatam Sixti Prædeceſſoris Conſtitutionem, minimè teneantur, neque ipſarum penſionum, vel illarum loco fructuum, reddituum, & proventuum hujuſmodi reſervationes, ob non delationem habitus, tonſuræ, aut veſtis hujuſmodi; ſeu per contractum matrimonii, ſeu per bigamiam quamcumque, etiam ſupervenientem, aut per exercitium militiæ, & quoſcumque actus bellicos Clericis, & Eccleſiaſticis perſonis de jure, & per SS. Canones prohibitos, nimirum militares, & ſanguinis effuſione, membrorum mutilatione, & morte infidelium ſubſequuta, minimè ceſſent, & expirent, aut ceſſatæ, vel extinctæ dici, aut cenſeri poſſint, ſed ipſi Milites nihilominus ut prius penſiones, ac fructus, redditus, & proventus hujuſmodi percipere, & exigere poſſint, & valeant, dummodo habitum militarem, veſtes nimirum laicales communes, cum inſignibus crucis dictæ militiæ conſuetis, juxta aliàs dicti Sixti V. prædeceſſoris ſuper declaratione hujuſmodi habitus militaris ſub Datum videlicet pridie Kal. Februarii Pontificatus ſui anno quarto, quæ incipiunt *Paſtoralis*, editas literas, deferant, utque Conſtitutioni ejuſdem Sixti V. Prædeceſſoris plenè ſatisfacere intelligantur, & cenſeantur, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium extendimus, & ampliamus, & quatenus opus ſit uſque ad dictam ſummam quadringentorum ducatorum hujuſmodi de novo concedimus &c.

X.

PRO MILITIBUS LAURETANIS.

Facultas retinendi penſiones pro ſumma duc. 200.

In Bullar. antiquo tom. 2. Conſtit. 35. Sixti V. fol. 103. Illa verò transferendi revocari ſolet in ſignatione ſupplicationis pro expeditione.

Sixtus Papa V. in Conſtitutione quæ incipit Poſt quam Divina Clementia *public. die 5. Iulii 1586.*

ET inſuper cum dictis Militibus Lauretanis, tam in Romana Curia, quàm extra eam reſidentibus, etiamſi merè laici, & conjugati fuerint, cum Militibus etiam Clericis quaſcumque penſiones annuas ſuper fructibus, redditibus, & proventibus quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, vel ipſos fructus, redditus, & proventus loco penſionum ſimilium percipientibus, etiam ſi eos pro tempore conjugatos fieri contigerit, ut illis quamdiu officium Militis hujuſmodi obtinuerint dumtaxat, quæcumque penſiones annuæ, vel fructus, redditus, & proventus loco penſionum hujuſmodi, ſummam ducentorum ducatorum auri de Camera non excedentes, quæ tranſeant ad ſucceſſores in Beneficiis, & à decimis, ſubſidiis, & aliis oneribus ordinariis, & extraordinariis pro tẽpore impoſitis, liberæ ſint, etiã ſi ſine cauſa reſervatæ ſuper Cathedralium etiã Metropolitanarã, & Patriarchalium Eccleſiarum, & Monaſteriorum etiam Conſiſtorialium, Prioratuum, Præpoſiturarum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum ſæcularium, & quorumvis Ordinum regularium, cum cura, & ſine cura, etiam ſi Parochiales Eccleſiæ, vel earum perpetuæ vicariæ, canonicatus, & Præbendæ, dignitates etiam majores, & principales, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in Cathedralibus etiam Metropolitanis, vel Collegiatis Eccleſiis, cujuſcumque annui valoris, fructus

ctus, redditus, & proventus, qui penſio, ſeu penſiones annuæ hujuſmodi fuerint, non tamen ultrà ſummam 200. ducatorũ ſimilium in totum, pro unoquoque Milite Lauretano, etiam à Curia prædicta abſente, etiam ſi is in eadem Curia numquam fuerit, nec ipſum ad eam venire contigerit, & quolibet officio reſervari, conſtitui, & aſſignari poſſint. Quodque ipſi Milites Lauretani unam, vel plures penſiones, ſeu illarum loco quoſcumque fructus, redditus, & proventus menſarum Epiſcopalium, vel Archiepiſcopalium, etiam Patriarchialium, & Monaſteriorum etiam Conſiſtorialium hactenus, & pro tempore reſervatos habentes ſuper quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, ac beneficiis prædictis, illos, etiam ſi matrimonium contraxerint, uſque ad ſummam ducentorum ducatorum hujuſmodi, & non ultrà, pro quolibet officio, nulla compoſitione ſoluta, retinere, & hujuſmodi penſiones, & fructus uſque ad ſummam, & quantitatem prædictas eis reſervatas, ſeu reſervandas, conſequi, & habere, ac quoad vixerint, percipere, exigere, levare, ac in ſuos uſus, & utilitatem convertere, abſque alia diſpenſatione, vel licentia deſuper obtinenda, liberè, & licitè valeant, cum omnibus, & ſingulis indultis, clauſulis, & cautelis in ſimilibus apponi ſolitis: Ita tamen quòd Laici Milites Lauretani penſiones, ac fructus prædictos percipientes, in habitu armatæ militiæ, viro equiti convenienti, Nos, & Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, in expeditionibus Cruciatæ, & Conciliis abſque alio diſpendio, expenſis tamen dictæ Sedis, cum uno equo, ratione dictæ penſionis ſequi debeant, diſpenſamus, eiſque ad hoc plenam, & liberam licentiam, & facultatem concedimus. Militibus autem Lauretanis, qui Clerici fuerint, & officium hujuſmodi per biennium continuum obtinuerint, ut etiam quaſcumque penſiones annuas ſuper quibuſvis ex dictis ſæcularibus, & Regularibus Beneficiis, eorumque proventibus Eccleſiaſticis, ac diſtributionibus quotidianis, & fructus Eccleſiaſticos, loco penſionum eis hactenus, & pro tempore quomodolibet aſſignatos, & conceſſos, ac aſſignandos, & concedendos, non tamen ſummam ducentorum ducatorum ſimilium, nec medietatem fructuum, reddituum, & proventuum beneficiorum hujuſmodi, ſuper quibus dictæ penſiones, ſeu fructus reſervati exiſtant excedentes, in eadem Curia, vel extra eam, etiam in mortis articulo, in Clericum, ſeu Clericos non conjugatos, per eos eligendos, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Eccleſiaſtica, & penſiones obtinentes, in totum, vel in partem, etiam coram ſolis Notario, & teſtibus, etiam ſine conſenſu eaſdem penſiones ſolvere debentium, etiam ſi illas aliàs transferendi facultatem non habuerint, regula Cancellariæ de conſenſu in penſionibus requiſito præſtando hactenus, & pro tempore edita, ac ſtylo in ſimilibus reſervationibus hactenus obſervato, & pro tempore obſervando, non obſtantibus, quandocumque transferre. Ac translationes ſic factæ valeant, & debitores, eorumque ſucceſſores ad ſolvendum illis, in quos dictæ penſiones transferentur, ſub excommunicationis ſententia, & privationis pœna, ac acceſſibus, ingreſſibus, regreſſibus, decretis, & aliis clauſulis in litteris priorum penſionum pro tempore contẽtis, omninò teneantur; perindè ac ſi dictæ translationes per nos de conſenſu debitorum, & aliorum intereſſe habentium cum prædictis, & quibuſvis aliis in litteris dictarum penſionum contentis clauſulis, quæ in ipſis translationibus habeantur pro repetitis, factæ fuiſſent.

Idem Sixtus V. in altera Conſtitutione quæ incip. Ad exequendum &c. *public. die 26. Sept. 1586.*

Declaramus noſtræ voluntatis, & intentionis fuiſſe, & eſſe perpetuis futuris temporibus conceſſiſſe, & concedere Militibus Lauretanis prædictis nunc, & pro tempore exiſtentibus Laicis, & Clericis, aliiſque qui aliqua dictorum officiorum Militum Lauretan. etiam plura, etiam uſque ad numerum viginti ſimul obtinent, & obtinuerint, quaſcumque penſiones annuas ſuper quibuſvis, redditibus, & proventibus, ac juribus, & emolumentis menſarum Epiſcopalium, Archiepiſcopalium, vel Patriarchialium, ac Monaſteriorum etiam Conſiſtorialium, & quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura, ſæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, ac eorumdem Beneficiorum diſtributionibus quotidianis, etiam manualibus, & aliàs quomodolibet nuncupati, etiam ſi ſæculares Parochiales Eccleſiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, Canonicatus, & præbendæ, dignitates etiam majores, & principales, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in Cathedralibus etiam Metropolitanis, vel Collegiatis Eccleſiis, Regularia verò Beneficia hujuſmodi, Prioratus, Præceptoriæ, Præpoſituræ, Præpoſitatus, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia fuerint, cujuſcumque annui valoris illorum ſingulorum fructus, redditus, & proventus exiſtant. Nec non quoſcumque fructus, redditus, & proventus ſimilium menſarum Epiſcopalium, Archiepiſcopalium, & Patriarchalium, ac Monaſteriorum etiam Conſiſtorialium, aliorumque Beneficiorum prædictorum, etiam loco penſionum annuarum nunc, & pro tempore percipientibus, ut illis etiam ſi eos matrimonium contrahere contigerit, quamdiu officia Militiæ Lauretanæ hujuſmodi obtinuerint dumtaxat, quæcumque ſimiles, vel diſſimiles penſiones annuæ ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, & proventibus, ac juribus, obventionibus, & emolumentis, nec non diſtributionibus quotidianis, vel quicumque fructus, redditus, & proventus menſarum Epiſcopalium, Archiepiſcopalium, vel Patriarchalium, ac Monaſteriorum etiam Conſiſtorialium, cæterorumque Beneficiorum prædictorum, etiam loco penſionum annuarum ſummam ducentorum ducatorum auri de Camera ſimilium, pro quolibet Milite Lauretañ. & unoquoque, ac ſingulo officio dictæ Militiæ Lauretanæ non excedentes: quæ quidem penſiones tranſeant ad ſucceſſores in Beneficiis, & fructus, redditus, & proventus hujuſmodi ad vitam, propria auctoritate, annis ſingulis percipi poſſint, ipſique penſiones, fructus, ac redditus, & proventus à decimis, ſubſidiis, & aliis oneribus ordinariis, & extraordinariis pro tempore impoſitis liberi ſint, etiam ſi ſine cauſa, etiam Conſiſtorialiter reſervatæ, & aſſignatæ fuerint, non tamen ultrà dictam ſummam ducentorum ducatorum ſimilium, in totum, pro unoquoque Milite Lauretano, & quolibet, ac ſingulo officio ejuſdem Militiæ Lauretanæ reſervari, conſtitui, concedi, & aſſignari poſſint. Ita quod quilibet Militum Lauretanorum prædictorum tam Laicorum, quàm Clericorum, omneſque, & ſinguli alii officia Militiæ Lauretanæ hujuſmodi, etiam uſque ad dictum numerum viginti pro tempore obtinentes, unam, vel plures penſiones annuas ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis, ac diſtributionibus quotidianis, ſeu earum loco quoſcumque fructus, redditus, & proventus menſarum, & Monaſteriorum etiam Conſiſtorialium, aliorumque beneficiorum prædictorum hactenus, & pro tempoee reſervatos, & aſſignatos, nunc, & pro tempore habentes illas, & illos, etiam ſi matrimonium, ut præfertur, contraxerint, uſque ad ſummam 200. ducatorum hujuſmodi pro quolibet, & ſingulo officio dictæ Militiæ Lauretañ. nulla compoſitione ſoluta, ad vitam retinere: nec non penſiones, ac fructus, redditus, & proventus hujuſmodi conſequi, & habere, ac quoad vixerint, juxtà illarum, & illorum reſervationum, conſtitutionum, conceſſionum, & aſſignationum formam, continentiam, & tenorem percipere, exigere, & levare, ac in ſuos uſus, & utilitatem convertere, abſque ulla diſpenſatione, vel licentia deſuper obtinenda, liberè, & licitè poſſint, & valeant. Ita tamen, quod dicti Milites Lauretani Laici in habitu armatæ militiæ, viro equiti convenienti, Nos, & Succeſſores noſtros prædictos in aliquibus expeditionibus, aut Conciliis ſequi debeant. Militibus etiam Lauretanis Clericis nunc, & pro tempore exiſtentibus hujuſmodi, etiam ſi matrimonium, ut præfertur, contraxerint, dummodo licitè illud contrahere poſſint, ac omnibus, & ſingulis aliis etiam qui plura officia Militum Lauretañ. hujuſmodi, etiam uſque ad numerum viginti ſimul, ut præfertur, obtinent, & obtinuerint, etiam ſi dicti Milites Lauretañ. ejuſdem S.R.E. Cardinales, ac Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi ſint, vel fuerint, ut ipſi quaſcumque penſiones annuas ſuper quibuſvis fructibus, redditibus, & proventibus, ac etiam juribus, obventionibus, & emolumentis quarumcumque ſimilium menſarum Epiſcopalium, etiam Metropolitan. & Patriarchalium, ac etiam Monaſteriorum, etiam Conſiſtorialium, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, ipſorumque Beneficiorum diſtributionibus quotidianis, etiam manualibus, & aliàs quomodolibet, ut præfertur, nuncupatis, etiam ſi beneficia hujuſmodi ut præmittitur, vel aliàs quomodolibet qualificata, & cujuſcumque annui valoris, illorum ſingulorum fructus, redditus, & proventus fuerint, nec non etiam quoſcumque fructus, redditus, & proventus ſimilium menſarum, & Monaſteriorum, aliorumque Beneficiorum ſæcularium, & Regularium hujuſmodi, etiam loco penſionum annuarum, ſibi eadem auctoritate Apoſtolica nunc, & pro tempore reſervatas, & aſſignatas, ac reſervandas,

das, & assignandas, non tamen dictam summam ducatorum ducentorum similium pro unoquoque, & singulo officio Militiæ Lauretanæ hujusmodi, nec medietatem fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum Beneficiorum hujusmodi excedentes, in quoscumque Clericos per eos eligendos, vel nominandos, & quæcumque, quotcumque, & qualiacumque Beneficia Ecclesiastica, etiam ut præfertur qualificata obtinentes, nec non etiam quascumque pensiones annuas, & quoscumque fructus, redditus, & proventus, etiam loco pensionum annuarum percipientes, quandocumque, etiam cum primum officia Militiæ Lauretanæ hujusmodi assecuti fuerint, etiam nullo expectato termino dicti biennii, in nostris litteris prædictis expressi, & specificati, & aliàs etiam in mortis articulo, etiam in manibus nostris, vel Romani Pontificis, pro tempore existentis, seu alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, etiam coram Notario Laico, & duobus, vel tribus testibus etiam Laicis, & in Romana Curia, & aliàs ubique locorum transferre. Ita quod dicti pro tempore existens Romanus Pontifex, & personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ illas pensiones, ac dictorum fructuum, reddituum, & proventuum reservationes, & assignationes cassare penitus, & extinguere, ac illarum, & illorum loco aliam, seu alias cassatæ, seu cassatarum similes pensiones, ac eosdem fructus, redditus, & proventus, quorum reservationes, & assignationes sic cassatæ, & extinctæ fuerint, cum omnibus, & singulis indultis, clausulis, obligationibus, & Decretis, quibus prius reservatæ, & assignatæ erant, & aliàs juxta illarum, & illorum reservationum Constitutionum, concessionum, & assignationum formam, & tenorem, etiam absque consensu dictas pensiones solvere debentium, ac Ecclesiarum Cathedralium etiam Metropolitan. etiam Patriarchialium prædictarum Præsulum pro tempore existentium &c.

Idem Sixtus V. in alia Constitutione, quæ incipit Solet Apostolicæ Sedis *edit. an.* 1588. *Kal. Novembr.*

Ac ulterius eosdem Milites, ac in hujusmodi officiis, eorumque pro tempore futuros successores, amplioribus adhuc favoribus, & gratiis prosequentes, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus volumus, ac eis perpetuò harum serie indulgemus, ut facultas transferendi pensiones, seu fructus, redditus, proventus, aut bona, prædiave Ecclesiastica prædicta eorum cuique pro tempore assignatos, seu reservatas, aut reservata, usque ad summas quantitatis, & valores superius descriptos, eis ut præfertur, aliàs per nos concessa, non solùm ad transferendum in favorem Clericorum non conjugatorum, prout in aliis prædictis nostris litteris expressum fuit, sed etiam ad transferendum in favorem Clericorum conjugatorum, vel Laicorum, etiam conjugatorum, qui tamen translatarii, vel ipsi quoque Milites Lauretani existant, vel aliàs à Sede Apostolica sufficientem dispensationem obtineant, eis, & eorum cuique perpetuò suffragentur. Nec non tam prædictum, quàm etiam aliud Privilegium, & indultum, fructus, redditus, & proventus, aut prædia, bonaque Ecclesiastica hujusmodi recipiendi, aut retinendi, seu etiam transferendi pensiones Militibus Laicis, seu Clericis conjugatis, vel etiam non conjugatis, si post reservationes prædictas matrimonium contraxerint, aliàs ut supradictum est concessum, etiam ad Milites Lauretanos bigamos, qui scilicet cum duabus, tribus, aut pluribus virginibus, vel viduis, aut alias corruptis mulieribus, etiam successivè pluries matrimonia contraxerint, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, extendimus, & ampliamus, ac cum hujusmodi Militibus Lauretanis, sic ut præfertur bigamis, & eorum quolibet etiam duplici, triplici, aut alia quavis multiplici, etiam vera, & reali bigamia notatis, nunc, & pro tempore existentibus, ut etiam si ante, vel post factas eorum cuique prædictarum pensionum, aut fructuum, reddituum, proventuum, seu bonorum, aut prædiorum Ecclesiasticorum reservationes, & assignationes, cum duabus, tribus, vel pluribus virginibus, aut viduis, aut aliis mulieribus, pluries matrimonia contraxerint, nihilominus etiam absque alia à Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice, particulari obtinenda licentia, aut dispensatione, pensiones, aut fructus, redditus, proventus, prædiave, aut bona Ecclesiastica supradicta, eis, & eorum cuilibet reservari, & in eorum favorem, vigore Privilegiorum prædictorum transferri, & ipsi quoque vigore eorumdem privilegiorum, easdem pensiones, fructus, redditus, proventus, prædia, aut bona Ecclesiastica percipere, exigere, & in suos usus, & utilitatem convertere, ac in alias quascumque personas per se, seu vigore similis Indulti, aut dispensationis capaces, quandocumque, etiam in mortis articulo transferre, ac si interim, & pluries successivè matrimonia cum virginibus, aut viduis, vel aliis mulieribus contraxerint, nihilominus easdem pensiones, fructus, redditus, & proventus, prædia, & bona Ecclesiastica retinere ut prius, & percipere, bigamia hujusmodi etiam multiplici, & quacumque inhabilitate, & incapacitate inde resultante, & quibusvis aliis contrariis nequaquam obstantibus, liberè, & licitè valeant, gratiosè dispensamus. Decernentes per quamcumque bigamiam etiam multiplicem supervenientem, privilegia prædicta eis, ut præfertur, concessa, ac reservationes eis factas, vel facultates transferendi, aut translationes ab aliis in eorum favores faciendas, recipiendi, nullo modo expirare, cessare, aut cassatas, vel extinctas fore, aut dici, vel censeri posse. Declarantes etiam quascumque pensiones, aut fructus Ecclesiasticos, aliave prædicta, etiam aliàs, non semel tantùm, sed sæpius vigore quarumcumque facultatum, aut privilegiorum quibusvis personis, in genere, vel in specie quomodolibet concessorum translatas, & translata, nihilominus de novo per ipsos Lauretanos Milites in vim prædictorum Privilegiorum, facultatum, & Indultorum, in alias personas eis benè visas, ut victum est, transferri posse. Ac ea, quæ præsentibus nostris litteris continentur, de novo concessa, extensa, ampliata, & declarata privilegia, gratias, indulta, & dispensationes, non solum quadraginta, sic per easdem præsentes erectis, sed aliis ducentis, & sexaginta prioribus Militum Lauretanorum officiis, atque adeò Collegio universo, & cuilibet ex his quadraginta novis, & Collegio universo, & cuilibet ex his quadraginta novis, & aliis ducentis, & sexaginta prioribus Militibus, nunc & pro tempore existentibus, ipsaque officia obtinentibus, & obtenturis, ex nunc perpetuò suffragari, ejusdemque substantiæ, roboris, validitatis, & efficaciæ existere, ac si ab initio in primæva erectione, & fundatione per Consistorium, de consilio, & assensu S. R. E. Cardinalium prædictorum concessa, & in primis nostris litteris, inserta, expressa, & contenta fuissent, &c.

XI.

Cætera Indulta, si quæ sunt, aliis Collegiis, Militiis, aut Officiis concessa, commodè haberi non potuerunt. Illa verò pro personis particularibus hìc non registrantur, quia concedun-tur diversimodè, secundum qualitates personarum, & aliàs circumstantias, & in translationibus pensionum præcisè attendi debet eorumdem Indultorum tenor.

INDEX
RERUM NOTABILIUM

Quæ in hoc Tractatu de Penſionibus Eccleſiaſticis continentur.

A

ABBREVIATORES.

MAjoris Præſidentiæ habent Indultum transferendi penſiones uſque ad ſummam duc. centum, cap. 15. n. 24.

Amplia quamvis officium dimiſerint, dummodò per quinquennium illud exercuerint, ibid. num. 24.

Tenor Indulti ab Vrbano VIII. eorumdem Collegio conceſſi, & à Clemente X. ampliati.

ACTIO.

Clara, exceptio turbida, qualiter verificatur, cap. 16. n. 5.

ÆTAS.

In Beneficiis ſimplicibus, vel aliàs non qualificatis requiritur 14. annorum, cap. 20. num. 5.

In qualificatis illa requiritur, quæ eſt apta illi Ordini Sacro, qui eſt annexus, vel ubi non eſt annexus, illa ætas, quæ requiritur pro Subdiaconatu, ibid.

In primis Dignitatibus, Abbatiis, & Parochialibus requiritur illa, quæ eſt apta ad Sacerdotium, dicto cap. 20. ſub eodem num. 5.

In Epiſcopatu, vel Archiepiſcopatu triginta annorum requiritur, ibid.

In Canonicatu Pœnitentiario illa annorum 40. dicto cap. 20. num. 5.

ANNVS.

Quomodo de jure calculari debeant anni, & tempora, ut ſciatur quid tranſmittatur, cap. 19. num. 4.

APPELLATIO.

Ad utrumque effectum admittitur à declaratione, quam facit Iudex de probatione ſufficientium diligentiarum, cap. 16. ſub num. 16.

ARGVMENTVM.

A feudis ad penſiones valet, cap. 2. num. 15.

A beneficiis Eccleſiaſticis ad penſiones non valet, præſertim in odioſis & correctoriis, cap. 4. n. 4. & cap. 15. num. 14.

Nec è contra, cap. 9. n. 10. & cap. 10. ſub n. 7.

A ſimilibus ob rationis identitatem deduci valet, cap. 7. n. 4. ad fin.

ASSENSVS APOSTOLICVS.

Vide *Beneplacitum Apoſtolicum*.

An requiratur in extinctione penſionis, quæ ſit per conſenſum penſionarii ſimpliciter, & quid ſi cum recompenſa.

Vide *Conſenſus*, & vide *Penſio quoad extinctionem*.

Sufficit ſola ſupplicatio ſignata manu Pontificis, pro dicto aſſenſu, ad effectum extinguendi penſionem, cap. 13. num. 2.

ASSISTENTES.

Prælati, & eorum privilegia, vide in fine.

AVCTOR.

Hujus tractatus, ratione miniſterii, habuit cooperationem in hac noviſſima Conſtitutione Innocentii XI. ſuper facultate transferendi, ſicut & in alia Conſtitutione ſuper Statutariis ſucceſſionibus, cap. 1. num. 15.

AVCTORITAS.

Auctoritatum cumulos quærere amanuenſium, vel tranſcriptorum potius, quàm Doctorum opus eſt, cap. 1. n. 15. in fine.

Tranſcriptorum modica, imò nulla exiſtimanda, cap. 20. n. 1.

Vbi deeſt auctoritas, diſcurſivo, vel ratiocinativo modo procedendum eſt cap. 20. num.

AVDITOR CAMERÆ.

Eſt generalis exequutor litterarum Apoſtolicarum, etiamſi expreſsè non nominetur, cap. 16. num. 22.

Propinas exigere non poteſt, niſi ſit ſpecialiter deputatus, ibid.

Intellige in prima exequutione litterarum reſeruationis penſionis, quæ adhuc effectum ſortita non ſit, ſecus ſi jam effectum habuerit, quo caſu non intrat propina, dicto cap. 16. ſub num. 22.

B

BENEFICIVM.

VIgore particularium legum Hiſpaniarum, & Portugalliæ, exteri ſunt incapaces beneficiorum in illis Regnis, cap. 9. ſub num. 1.

Beneficiorum ſpecies numerantur, quorum prima eſt merè ſimplicium, non habentium reſidenciam, nec adminiſtrationem, cap. 11. num. 9.

Secunda illorum, quæ ſunt ſeruitoria, & habent onus reſidentiæ, licèt in eis non conſideretur ſpirituale conjugium, ut ſunt Dignitates, Canonicatus, &c. ibid.

Tertia eſt in illis, quæ collata in titulum, vel in commendam habent aliquam adminiſtrationem adnexam, ibid.

Quarta ſpecies eſt Eccleſiarum habentium curam animarum, vel juriſdictionem, in quibus conſideratur ſpirituale conjugium, dict. cap. 11. n. 9.

Per quæcumque delicta, etiam grauia, & enormia non inducitur beneficiorum priuatio, niſi in caſibus dumtaxat expreſſis à jure, cap. 13. n. 14.

Beneficium eſt quid merè Eccleſiaſticum, & ſpirituale, ideòque laici non ſunt capaces, cap. 20. n. 3.

Vacat per matrimonium, profeſſionem, aſſecutionem militiæ, aliorumque officiorum ſæcularium, cap. 20. num. 4.

Pœna privationis beneficiorum, an extendatur ad penſiones.

Vide *Pœna*.

Quando dicatur titulus ſufficiens ad Ordines, cap. 20. n. 14.

Beneficii collatio ſi ſit invalida, an etiam penſio corruat, cap. 10. num. 19.

BENEPLACITVM APOSTOLICVM.

Vide *Aſſenſus Apoſtolicus*.

Requiritur in ceſſione, vel translatione penſionis alicui, quovis alio titulo facta, etiam gratuito, cap. 14. num. 3.

Amplia in ceſſione, vel alia translatione commoditatis ipſius penſionis, ibid.

BVLLA.

Pii IV. aliæque Pontificiæ Conſtitutiones ſuper confidentia Beneficiorum, locum non habent in penſionibus, quoad effectus pœnales, cap. 9. num. 10.

Sixti V. ſanciuit penſionis extinctionem per non delationem habitus Clericalis, quoties penſio excederet certum valorem, cap. 13. num. 15.

C

CAMERA APOSTOLICA.

PErcipit penſiones inexactas, ad inſtar fructuum Beneficiorum, cap. 19. num. 1.

Quid ubi non adſit uſus Collectorum Apoſtolicorum, dict. cap. 19. num. 3.

De ſtylo ſibi applicat penſiones inexactas, cap. 20. n. 8.

CARDINALATVS.

Vacare facit beneficia majora conſiſtentia in Cathedralibus, & Metropolitanis actualis adminiſtrationis, & alia quæcumque habentia onus reſidentiæ, & curæ Sacramentalis, non autem alia beneficia, neque penſiones, c. 13. n. 10. verſ. ſuper dignitate.

CARDINALIS.

Penſiones, quæ à Cardinalibus ſolvuntur tranſferri non poſſunt, niſi illorum conſenſus accedat, cap. 15. n. 21.

Indulta eorumdem pro transferendis penſionibus, cap. 15. n. 24.

An ex ipſo Cardinalatu habeant facultatem, & an cuilibet ſpeciale Indultum concedatur, cap. 14. num. 24.

CAVTELA.

Moderno tempore introducta, ut ſi Titularis aſſerat ſe benè informatum de valore, & capacitate, aſſumendo in ſe onus probandi contrarium, dirimit controverſias ſuper verificatione valoris, cap. 11. n. 14. cap. 12. n. 5. cap. 16. num. 3. 5. & n. 24.

Ejus vigore, licèt non tollatur Titulari facultas probandi incapacitatem, nihilominus interim non retardatur via executiva litterarum Apostolicarum, donec intentio ejusdem Titularis terminetur per tres conformes, dict. cap. 16. n. 5.
Non afficit novum Titularem successorem, cum quo non fuit practicata, dict. cap. 16. num. 6.
De ea noviter obtinenda per successorem solliciti esse solent Pensionarii mortuo primo gravato, dict. cap. 16. n. 7.
An eam præstare arctentur nouiter prouisi, etiam inuiti, ibid.
Attendendum esse stylum concluditur.
Quæ fouet fraudes, & calumnias est abolenda, dict. cap. 16. sub num. 8.
Ex facti qualitatibus, & circumstantiis ejus rigorem æquum est, ut Pontifex temperet, remittendo causam alicui Congregationi, vel magno Tribunali, suspenso rigore processus executiui, cap. 16. n. 24.

CEDVLA.

Bancharia alicujus probati negotiatoris præstari solet per prouisum pro securitate solutionis pensionis, cap. 9. n. 4.
Locum habet ubi agitur de pensionibus ultrà montes, adeòut prouisus non sit facilis coactionis, cap. 16. n. 9.
Fallit ubi exigatur ad effectum cogendi ad solutionem pensionis excessiuæ, cujus Ecclesia sit incapax, dict. cap. 16. sub num. 9.
Ad quantum tempus restringi solet, cap. 9. n. 7.
Concipitur duplici conditione resolutiua obligationis, una scilicet mortis prouisi, altera mortis ipsius Commodatarii, cap. 9. num. 4.

CEDVLISTA.

Adhuc soluere tenetur, etiam si prouisus nequeat possessionem capere ob aliquod impedimentum, cujus plena non adest probatio, cap. 9. n. 5.
Amplia etiam quod detur plena, & concludens probatio, quoties adhibita fuerit cautela, hæc clausula concepta *Habita, vel non habita possessione*, dict. cap. 9. n. 6.
Assignatur tamen aliquod congruum tempus Iudicis arbitrio, usquequò constet, quod per prouisum fuerint adhibitæ diligentiæ cum sinceritate, dict. cap. 9. n. 6.

CENSVRÆ.

Quàm faciliter relaxentur contra Titulares, & quid de præsenti tempore.
Vide *Index*.
Ad illas deueniri non debet, nisi in subsidium, & quando evidenter constat de proteruia, & calumnia, cap. 16. n. 23.

CESSIO.

Pensionis quando dicatur facta super ejus substantia, an potius super commoditate, cap. 14. n. 10.

CEDENS.

Tenetur ad quanti interest pro factis voluntariis erga cessionarium, cap. 14. num. 7.
In præjudicium cessionarii, de æquitate, pensionem transferre non potest, dict. cap. 14. num. 9.

CLAVSVLA.

Dummodò remaneant mille pro Episcopo, vel centum pro Rectore, & si non adiiciatur, tamen subintelligitur, nisi eidem expressè fuerit derogatum, cap. 6. n. 2.
Limita in Ecclesiis Cathedralibus, ubi si omittatur superior clausula, non subintelligitur, sed remanet Titulari jus petendi congruam alimentariam, non autem Conciliarem, dict. cap. 6. num. 3.
Contrarium verius, ibid. n 4.
Expressè adjecta facit reseruationem conditionalem, adeòut pensionario incumbat onus justificandi, quod remaneant *mille*, vel *centum*, quoties non reperiretur in possessione exigendi, dict. cap. 6. num. 5. & cap. 16. num. 2.
Intellige si percutiat ipsam reseruationem, secus si percutiat diuersum effectum, quia nempè præcedat clausula *etiam si aliæ &c.* & subsequatur clausula *dummodò omnes*, dict. cap. 6. n. 7.
Tacitè deducta transfundit dictum onus probandi in Titularem, dict. cap. 9. num. 5.
Dummodò &c. apposita in Ecclesiis Cathedralibus, vel Parochialibus ad præsentationem Regum, vel Principum non dirigitur ad congruam Conciliarem, sed quotitatiuam, dict. cap. 6. num. 6.
Habita, vel non habita possessione quid operetur, cap. 9. n. 6.
Si, & postquam Clericali charactere insignitus fuerit apponitur, quoties pensio reseruetur laico, cap. 10. num. 4.
Dummodò &c. apposita in reseruatione facta motu proprio causat reductionem, non verò nullitatem, cap. 10. num. 4.
Limita si apponatur in reseruatione super beneficio pleno, tunc enim, non justificato valore de tempore factæ reseruationis, corruit reseruatio, ibid.
Non aliàs &c. quid operetur, cap. 10. num. 17.
Vt ultra alias similes, vel dissimiles facultates operatur, ut indulta transferendi non cessent per superuenientiam Cardinalatus dignitatem in personam pensionarii, cap. 15. num. 25.
Non retardata solutione plus importat, quam clausula *sine præiudicio*, cap. 16. num. 17.

CLERICATVS.

Reputatur necessarius ad assequendas pensiones Ecclesiasticas, c. 4. num. 5.
Amplia ut adhuc justificari debeat in judicio summario retinendæ, ibidem.
Per militiam, vel alium actum incompatibilem amittitur, cap. 4. num. 6.
Ejus capacitas desideratur de tempore reseruationis, & de tempore translationis, dict. cap. 4. n. 10. & n. 12.
Præsertim si in supplicatione pensionarius narretur Clericus, cap. 8. num. 4.
Intellige de illa pensione, quæ purè, & perfectè reseruatur de tempore, quo beneficium vacat, secus ubi agitur de reseruatione super beneficio pleno de consensu possessoris, tunc enim sufficit Clericatum adesse de tempore consensus Titularis, dict. cap. 4. num. 12. cap. 7. num. 20. cap. 8. num. 4. & cap. 10. num. 5.
Requiritur de tempore signatæ supplicationis, nec sufficit illum superueniisse ante expeditionem litterarum, cap. 10. num. 5.
Intellige de reseruatione pura, secus de conditionali, quæ expectat perfectionem ab aliquo actu subsequenti, ibid.
Quomodo justificari debeat, dict. cap. 10. num. 6. remissiuè.
Implicitè censetur dimissus per assequutionem militiæ, cap. 13. num. 12.
Quo jure idem Clericatus requiratur pro pensionibus, cap. 10. num. 7.

CLERICVS.

Conjugatus quamuis habeat requisita pro fori priuilegio, non tamen est capax pensionum Ecclesiasticarum, cap. 4. n. 8.
In minoribus sicuti gaudet beneficio fori, dum habet beneficium, etiamsi non habeat requisita Concil. Trident. ita si pensionem obtineat, cap. 20. n. 12.

COLLATIO.

Beneficii si sit inualida, an per hoc reseruatio pensionis corruat, cap. 10. num. 19.

COMMODITAS.

Pensionis cuicumque cedi potest, cum quilibet cujusvis status, & sexus illius capax existat, cap. 14. n. 4.
Ejus cessionem reportare non prohibetur ipsemet Titularis, & possessor Beneficii, non obstante incompatibilitate actionis, & passionis in eodem subjecto, cap. 14. n. 5.
Perutilis est cautela, ut Titularis se liberet ab onere pensionis cum acquisitione commoditatis, quàm cum extinctione, dict. cap. 14. num. 6.
Creditores cedentes, an habeant actionem super ista commoditate, dict. cap. 14. num. 8.
Pro libertate commercii negatiua opinio videtur usu recepta, ibidem.

CONCLAVISTÆ.

Quam facultatem habeant circa pensiones, cap. 15. num. 24. & in fine.

CONGRVA.

Episcopi in mille, & Rectoris in centum immunis est ab onere pensionum, cap. 6. n. 2.
Ejus valor à quo probari debeat.
Vide verbo *Clausula*.
Quatenus debeatur in Ecclesiis ad præsentationem Regum, & Principum conferendis. Vide ibid.
Semper subintelligitur reseruata pro Episcopo, & respectiuè pro Rectore, etiam si expressus consensus pensionibus præstitus fuerit, cap. 11. n. 13.
Pensionario quomodo juuet ejus derogatio contra alios pensionarios, cap. 18. num. 5.
Est priuilegiata in eo, quod ante omnia deduci debet, ibid.
Ejus prouisio ex Conciliari dispositione dependens penè inanis redditur ad effugiendas lites, quæ facilè exoriuntur ex moderna cautela, ut Titularis non solùm præstet consensum pensionibus, sed etiam se asserit bene informatum de valore, & capacitate, assumendo in se onus probandi contrarium, dict. cap. 11. n. 14. & cap. 12. num. 5.
Ad effectum deductionis congruè, & diminutionis pensionis respectiuè attenditur valor de tempore præsenti, dict. cap. 11. n. 15.
Ejus derogatio ex quo desumatur.
Vide verbo *Derogatio*.
Alimentaria statuta est in scutis, vel ducatis monetæ regionis 700. cap. 11. n. 18.
Minor prædicta summa esse nequit, potest tamen esse major, dict. cap. 11. n. 19.
Ad hujusmodi congruam alimentariam taxandam spectanda est qualitas loci, adeòut in magna, & conspicua Ciuitate, ut est Neapolis, vel Mediolanum, adaugeri debeat è contra in parua Ciuitate in minori quantitate taxanda est, dict. cap. 11. n. 19.
Ejus renunciatio an subsistineatur, dict. cap. 11. num. 20.
An pro ea assignari possint Titulari tot bona per ipsum administranda, dict. cap. 11. num. 22.
Quæ emolumenta computentur in congrua, dict. cap. 11. nu. 23. ubi remissiuè.

CONSENSVS.

Pensionarii ad effectum extinguendi pensiones qualiter exigatur? remissiuè cap. 13. sub num. 1.

Absque

Abſque aliqua recompenſa ſufficit ſine Papæ auctoritate, ſecus ſi dicta recompenſa accedat, ibid.

CONSTITVTIO.

Vide *Motus proprius*.

Innocentiana moderatoria Conſtitutionis Vrbani VIII. ſuſtulit controuerſias valoris, cap. 12. num. 1.

In reliquis omnia contenta in Conſtitutione Vrbani VIII. remanent in ſuo eſſe, cap. 15. num. 20.

Vrbanus VIII. alias duas Conſtitutiones fecit, quarum una diſponit, ut Indultæ transferendi non ſuffragentur pro penſionibus aliàs translatis, niſi de conſenſu Titularis, dicto cap. 15. numer. 20.

Altera ut non ſuffragentur pro penſionibus reſeruatis ſuper Eccleſiis per Cardinales poſſeſſis, abſque ſpeciali mentione, vel niſi accedat ipſius Cardinalis conſenſus, dicto cap. 15. num. 21.

Pii V. obligat penſionarios ad recitationem Officii B. M. Virginis, cap. 20. n. 7.

Sixti V. obligat penſionarios ad incedendum in habitu, & tonſura, quando penſiones excedunt ſummam ſexaginta ducatorum de Camera, ibid.

CORRVPTIO.

Optimi peſſima, cap. 2. num. 12. verſic. Sed quoniam, & cap. 15. num. 4.

D

DAPIFERI.

QVæ priuilegia habeant circa penſiones. Vide in fine operis.

DEROGATIO.

Expreſſa, & ſpecialis non requiritur, ſi aliundè deſumatur voluntas derogandi, cap. 10. num. 12.

Expreſſa, vel virtualis congruæ Conciliaris habetur ex ſcientia valoris, quam in Papa præſupponunt Beneficialiſtæ, ratione proceſſus Conſiſtorialis, cap. 11. num. 16.

DISPENSATIO.

Non ſuffragatur litteris non expeditis ex regula 53. Cancellariæ, cap. 11. num. 5.

Generalis priuilegiatiua eſt, quæ conceditur alicui Ordini, vel generi perſonarum. Particularis verò, quæ certæ perſonæ, & pro certis penſionibus conceditur, cap. 13 ſub num. 16.

Generalis verificatur reſpectu Militum Religionis Hieroſolymitanæ, & quarum penſionum iſti ſint capaces, cap. 3. num. 10.

Particularis pendet à genio, & ſtylo Pontificum, & ut plurimum concedi ſolet promotis ad Cardinalatum, & quandoque promotis ad Epiſcopatum, cap. 13. n. 19.

Debet obtineri antequam ſequatur ſtatus incompatibilis, ob quem de jure ceſſare debet penſio, aliàs eam obtinere poſt jam amiſſam penſionem eſſet de nouo reſeruare, quod fieri non ſolet, dict. cap. 13. num. 20.

Nil tribuit de nouo, ſed ſolùm remouet obſtaculum, adeòut antiqua penſio continuare dicatur in eodem ſtatu, in quo primitus erat, d. cap 13. num. 21.

Non inducit nouum onus, ſed relinquit rem in eodem ſtatu, in quo erat, dict. cap. 13. n. 21.

Pro ſtatu conjugali regulariter intelligenda eſt de primo, non de ulteriori matrimonio, niſi aliàs expreſsè caueatur, dict. cap. 13. num. 24.

Super beneficiis diſpenſari ſolet, non autem ſuper penſionibus, c. 20. num. 6.

DISTINCTIO.

Qui non benè diſtinguit proximus eſt æquiuocis, & erroribus, cap. 15. n. 2. verſ. hoc itaque.

DISTRIBVTIONES.

Quotidianæ non veniunt ſub nomine fructuum, niſi ſpecialis earum mentio fiat, cap. 12. num. 14.

Non ſunt lucrum ratione beneficii perceptum, ſed ſunt merx, & ſalarium laboris perſonalis, dict. cap. 12. n. 14. & ſeqq.

Verè, & propriè quotidianæ dicuntur illæ, quæ obtinentur per eos, qui cantant miſſas, euangelium, epiſtolam, quæ ſolùm laborantibus, & intereſſentibus tribuuntur, non autem non intereſſentibus, & non laborantibus, ibid. & ſeqq.

Earum altera ſpecies conſiſtit in anniuerſariis, aliiſque ſeruitiis, & functionibus, de quibus participant omnes Canonici præſentes, & intereſſentes, quæ ſolent redigi in aliquam maſſam certis ſolitis temporibus diuidendam, ibid. & ſeqq.

Tertia eſt ſpecies illorum fructuum, qui inſpecta rei veritate, non autem legum ſubtilitate, ſunt fructus conſiſtentes in pecunia, vel frugibus, aliiſque prouentibus prædiorum, tenutarum, domorum, cenſuum, & canonum, qui de conſuetudine lucrantur per punctaturas adhuc ratione ſeruitii, & intereſſentiæ, qui tamen dicuntur impropriè diſtributiones quotidianæ, ibid. & ſeqq.

De prima, & ſecunda ſpecie, non autem de tertia verificatur concluſio, quod diſtributiones non veniunt ſub nomine fructuum, ibid. & ſeqq.

Grauatæ cenſentur in ſubſidium, deficientibus fructibus præbendæ, quoties penſio expreſsè ſuper ipſis imponitur, cap. 12. n. 16.

Si imponatur penſio ſuper beneficiis Collegiatiuis, puta ſuper Canonicatibus Cathedralis, vel Collegiatæ Eccleſiæ, tunc licet penſio deduci debeat ex fructibus Præbendarum, & quod deeſt in ſubſidium ex diſtributionibus quotidianis, Canonicus non inſeruiens nequit prætendere fructus præbendæ exemptos pro rata ab onere, ſed tota penſio deducenda eſt à præbenda, dum nullas diſtributiones lucratus fuerat, dict. cap. 12. num. 17.

Idem dicendum in fructibus Beneficii de tempore vacationis, dict. cap. 12. num. 18.

Expreſſa earum mentio pro penſione ſoluenda facta cenſetur in gratiam penſionarii, non autem in gratiam titularis, vel ſucceſſoris, ibid.

E

EPISCOPVS.

EPiſcopi, aliique Prælati habentes poteſtatem ordinariam conferendi Beneficia, an ſuper eis poſſint reſeruare penſiones, cap. 3. num. 9.

Quatenus poſſint reſeruare, cap. 5. n. 4. & cap. 6. n. 12.

Epiſcopi aſſiſtentes, & eorum priuilegia in fine.

EPISCOPATVS.

Vel Archiepiſcopatus adeptus per penſionarium, cauſat extinctionem penſionum, quas antea habeat, cap. 13. num. 10.

Limita in Epiſcopatibus, vel Archiepiſcopatibus Titulatis in partibus Infidelium, ibid.

Aliqui in Regno Neapolitano valdè tenues, cap. 11. n. 19.

EQVITES.

Hieroſolymitani quarum penſionum ſint capaces, cap. 3. num. 10.

Lauretani S. Stephani, ac SS. Mauritii, & Lazari quomodo ſint capaces penſionum, cap. 4. n. 14. & cap. 13. n. 17.

Eorumdem Indulta pro retinendis penſionibus, etiam in habitu ſæculari, & cum aliis priuilegiis.

EXCOMMVNICATVS.

Vel alia cenſura Eccleſiaſtica irretitus, an ſit capax aſſequendi penſiones Eccleſiaſticas, cap. 4. num. 13.

EXTERI.

Sunt incapaces beneficiorum in Regnis Hiſpaniarum, & Portugalliæ, vigore particularium legum, cap. 9. ſub n. 1.

F

FAMILIARES.

PApæ quæ priuilegia habeant circa penſiones, cap. 15. num. 22. & ſeqq. & in fine.

Et an profit fuiſſe familiarem plurium Summorum Pontificum, ibid.

FEVDVM.

Sæculare, vel Titulus, aut Dignitas Marchionis, Comitis &c. ſuperueniens penſionario, an faciat ceſſare penſionem, cap. 13. num. 13. remiſſiuè.

FINIS.

Non formalitas verborum attendendus, cap. 11. ſub n. 13.

FORVS.

Priuilegium fori qualiter conſideretur in penſione, cap. 20. n. 15.

FRVCTVS.

Vel prouentus incerti non veniunt in valore, vel ſub nomine fructuum, cap. 12. n. 13.

Et redditus prouenientes ab incertis merè voluntariis, nempè oblationibus, eleemoſynis, &c. quoties exuberantes exiſtunt, ultrà neceſsaria adhuc ſunt penſionis capaces, cap. 12. n. 13.

Maximè illi, qui ex diuturni temporis obſeruantia, vel experimento dici poſsunt certi, & perpetui, adeòut poſſint concedi in appaltum, ad inſtar exactionis decimarum, ibid.

Prouenientes à jure certo, & radicato de præterito, imò neceſsario, ut ſunt funeralia, eaque omnia, quę percipiuntur per Parochum occaſione baptiſmatum, matrimoniorum, &c. facilius redduntur penſionis capaces, dict. cap. 12. ſub n. 13. & ſeqq.

Sub eorum nomine, an veniant diſtributiones quotidianæ.

Vide verb. *Diſtributiones*.

In fructibus beneficiorum Camerales ſolent eſse contenti tertia parte, in penſionibus verò medietatem exigunt circa compoſitiones, quæ fieri ſolent cum hæredibus Cardinalium, cap. 19. num. 2.

Quando tranſmittuntur ad hæredes beneficiati defuncti, & quando cedunt commodo Eccleſiæ in locis, in quibus uſus Collectorum non habetur, ibid.

G

GRATIA.

QVæ recipit perfectionem à purificatione conditionis imperfecta dicitur, cap. 7. n. 7.

Conditionalis requirit extremum habile de tempore purificationis actus, ibid.

Conditionalis expectans perfectionem à purificatione conditionis, nihil de præsenti ponit in esse, dict. cap. 7. num. 19.

IESVITÆ.

Professi an capaces sint pensionum, cap. 13. num. 8. & 9.

Et an Beneficii curati, ibid.

INDVLTVM.

Vigore cujus conceditur facultas transferendi, etiam in articulo mortis, non obstante regula *De viginti* prodest etiam illi, qui est constitutus in articulo mortis, & qui jam est destitutus facultate loquelæ, cap. 15. n. 6. & 7. & seqq.

Super facultate transferendi non subjacet regulæ *De viginti*, cap. 15. num. 14. & cap. 20. num. 9.

Variæ sunt formulæ Indultorum, quæ concedi solent super facultate transferendi, cap. 15. n. 24. & seqq.

Quandoque Notarii, & fortè Consultores, & directores utuntur uno, eodemque formulario, circa hujusmodi translationes, indifferenter in omnibus casibus, cap. 15. sub eodem num. 24.

Ad occurrendum prænarratis inconuenientibus variæ formulæ Indultorum registrantur in calce præsentis operis, dict. cap. 15. num. 24. vers. ad occurrendum.

Duplicis speciei sunt hujusmodi Indulta, quorum una est illorum, quæ generalia, & perpetua dicuntur alicui Collegio, vel generi personarum competentia, cap. 15. n. 24.

Altera species illorum, quæ particularia, seu personalia dicuntur, dict. cap. 15. num. 24.

Hæc ultima species duas alias sub se continet, quarum prima magis participat de superiori specie generali, ut sunt Indulta, quæ conceduntur omnibus de quodam genere personarum, ut puta Cardinalibus, Episcopis Assistentibus, Familiaribus Papæ, Conclavistis, & similibus, dict. cap. 15. eod. n. 24.

Singuli tamen eorum speciali, sive personali indigent indulto ad transferendum, ibid.

Familiares, & Conclavistæ unico juuantur Indulto, ibid.

Secunda species est illorum Indultorum, quæ singularibus personis ad beneplacitum Papæ conceduntur, ut putà nepotibus, aliisque conjunctis, vel benemeritis, dict. cap. 15. n. 24.

An cessent hujusmodi Indulta per superventam dignitatem Cardinalatus, dict. cap. 15. num. 25.

Ex tenore Indultorum dirimitur quæstio, ibid.

Et quid stante clausula, ut ultrà alios, &c.

Vide vers. *Clausula*.

Vbi munia sunt compatibilia perseuerat facultas ttansferendi, secus si sint incompatibilia, quod exornatur exemplis, dict. cap. 15. num. 25.

Quid dicendum de incompatibilitate, quæ verificatur in familiari unius Papæ, deindèque sit etiam familiaris successoris, ibid.

Indulta Cardinalibus concedi solita in fin.

Patriarchis, Archiepiscopi, & Episcopis in Capella Papæ assistentibus, ibid.

Protonotariis de numero participantium.

Abbreuiatoribus de Parco majori, seu majoris Præsidentiæ.

Familiaribus Papæ.

Conclavistis.

Dapiferis.

Militibus SS. Mauritii, & Lazari.

S Stephani.

Lauretanis.

IVDEX.

Remedia exequens favore pensionarii, an Delegatus, & Commissarius, vel potius censendus sit Ordinarius, cap. 16. num. 22.

Quilibet in Curia solet esse facilis ad relaxationem censurarum contra titulares, ob non solutionem pensionis, quod tamen hucusque practicari noluit Innocentius XI. feliciter regnans, ibid.

IVSPATRONATVS.

Quando est ex fundatione, vel dotatione, maximè ad nominationem Regum, seu Magnorum Principum, non solet reservari pensio sine consensu Patronorum, cap. 3. n. 5.

Eorum tamen consensu neglecto dubitari non potest de Pontificis potestate, dict. cap. 3. num. 5.

Competit laicis ex gratia, & benignitate Ecclesiæ, ut exindè alliciantur ad fundandas, & dotandas Ecclesias, dict. cap. 3. num. 6.

Ideò potest illi derogari, etiam ad effectum liberæ collationis, quamvis de facili non soleat, ibid.

L

LÆSIO.

AN intret in cessionibus pensionum, & quomodo probanda, remissivè cap. 14. num. 11.

LEGATVS A LATERE.

Hodie habetur, ut Præses Provinciæ, cap. 3. n. 8.

Nullam habet facultatem in collatione beneficiorum, & reseruatione pensionum, dict. cap. 3. sub num. 8.

Vltrà montes habetur fixus Legatus à Latere Civitatis, & Status Avenionen. & Comitatus Venaisini, qui tamen residet in Curia, & munus ibi exercet, mediante opera Vicelegati, dict. cap. 3. sub n. 8.

De ejus potestate latè agit Tondut. in tract. de Pens. ibid.

Extraordinarius solet habere limitatam facultatem super certis negotiis eidem destinatis, ibid.

LEX.

Leges in scripturam redactæ præsumendæ sunt rationabiles, c. 1. num. 1.

Scriptæ in quo differant à non scriptis, cap. 1. n. 2.

Non scriptæ sub consuetudinum, vel rituum, aut styli vocabulo explicatæ, sæpè à casu initium habuere, & exindè à vulgò libenter sectari solent, ibid. sub n. 2.

Scriptæ juxta temporum, vel morum qualitatem quandoque revocari, vel moderari solent, dict. cap. 1. num. 3.

Odiosos, & de fraude suspectos reputat omnes actus, qui per infirmos, vel senes, vel minus validos fiunt fauore juniorum, seu validiorum, quoties reperitur admixtum præjudicium tertii, cap. 15. sub num. 5.

Adaptantur ad ea, quæ frequenter accidunt, cap. 1. num. 14. & dict. cap. 15. sub eod. n. 5. vers. quod autem.

LITTERAE APOSTOLICAE.

Reservationis pensionum habent viam exequutivam, cap. 16. num. 1.

Non admittunt appellationem suspensivam, nec exceptiones dubias, & altioris indaginis, ibid.

Limita si obstet defectus intrinsecus justificationis illarum, dict. c. 16. sub eod. num. 1.

M

MILITES.

Vide verbo *Equites*.

MONETA.

AVgumentum, vel decrementum monetæ in casu mutationis, cujus damno, vel lucro cedat, Titularis scilicet, an Pensionarii, cap. 17. n. 9.

Si moneta conventa reperiatur in rerum natura, in illa fieri debet solutio, non attento illius augumento, vel detrimento, ibid. num. 10.

Amplia si fuerit expressus valor, qui tamen demonstrativè, non autem taxativè intelligeretur appositus, dict. cap. 17. sub num. 10.

Ex æquitate admittitur debitor ad solutionem pensionis in moneta regionis pro moneta Romana, vel scutis Cameræ in specie conventis, dummodò inter utramque monetam æquivalcat intrinsecus valor, dicto cap. 17. n. 12.

MOTVS PROPRIVS.

Vide verbo *Constitutio*.

Vrbani VIII. circa facultatem transferendi refertur, cap. 1. n. 6. & cap. 5. num. 3.

Quæ dispendia, & incommoda gignere solebat, cap. 1. num. 8

Prorsus inutilis experiebatur, cum quilibet libentiùs eligebat litem non assumere, ibid. num. 9. & cap. 6. num. 8.

Damnum, & gravamen potius augebat, quàm relevabat, dicto cap. 1. n. 9.

Damnum inferebat transferentibus, & translatariis, cap. 1. num. 10.

Theoricè, sive in abstracto videbatur utilis, practicè tamen, & in concreto damnosa experiebatur, ibid. n. 12.

Innocentii XI. noviſſimè emanatus, quàm salubris, & proficuus sit, cap. 1. num. 13.

Quid disponat? Et quàm alacriter fuerit in Curia receptus, ibidem.

Qualiter ex illo consultum sit Titularibus, & Pensionariis, cap. 1. num. 13.

Clementis IX. ad favorem Cardinalium, cap. 19. num. 2.

N

NVNTIVS APOSTOLICVS.

Est ad instar Legati à Latere, ideòque non habet facultatem in collatione beneficiorum, nec in reseruatione pensionum, cap. 3. sub num. 8.
Aliqui Nuntii ad Reges, & Principes vltrà montes, cum facultate Legati à Latere possunt conferre beneficia non excedente valorem 24. ducatorum auri de Camera, dict. cap. 3. sub n. 8.

O

OBSERVANTIA.

Spatio 30. vel 40. annorum continuata soluendi pensiones in diuersa specie monetæ, an releuaret in casu mutationis monetæ, cap. 17. num. 11.

OFFICIA.

In officiis vacabilibus popularibus, quæ nullam habent annexam administrationem, non potest Princeps denegare admissionem resignationis, cap. 15. n. 15. & seqq.
Limita si resignatio fieri velit ab infirmo, vel à sene, aut aliàs de fraude suspecto, ibid. & seqq.

ORDO.

Scripturæ ex errore præpostèratus non curatur respectu initiationis, vel maturationis primi termini, cap. 17. n. 5.
Attendi debet qui est primus post reseruationem, dicto cap. 17. sub num. 5.
Ordinari quis potest ad titulum pensionis sicuti ad titulum beneficii, cap. 20. n. 11.

P

PACTVM.

Initum cum Titulari, ut pensio in toto, vel in parte non possit transferri, quamuis habeatur Indultum, validum est, cap. 15. num. 23.

PAPA.

Vide verbo *Pontifex Summus*.

PATRONVS.

Quomodo disponere possit de Iurepatronatus, cap. 3. n. 12.
An pensiones ad ejus gratificationem reseruandæ, dicto n. 12.
Et vsque ad quam summam, cap. 6. n. 12.

PENSIO IN GENERE.

Apud grammaticos quid significet, cap. 2. sub n. 1.
Quid apud Iuristas, ibid.
Ecclesiastica, de qua agitur, quid propriè sit, ibid. n. 2.
Ecclesiastica, vel spiritualis ea dicitur, quæ reseruatur ad fauorem Clerici, vel Ecclesiasticæ personæ, ibid. n. 3. & 4.
Temporalis dicitur illa, quæ fit ad fauorem personæ sæcularis, ibid.
De per se considerata, siue sit ad fauorem Ecclesiastici, siue sæcularis, est jus temporale, habetque aliquam annexionem spiritualitatis, dict. cap. 2. num. 4. & cap. 13. n. 1.
Ex Constitutione Beati Pii, & Sixti Quinti, an sit immutata ejus natura, eaque effecta sit spiritualis, dicto cap. 2. num. 5.
Ejus introductio commendatione digna conuincitur, sed quandoque redditur damnabilis ex ejus abusu, quod pluribus exemplis exornatur, dict. cap. 2. n. 6.
Initium habuisse probatur à S. Siluestro I. cap. 2. num. 7. & 11. & seqq.
In quo antiquitus consistebat, cap. 2. n. 8.
Ad obuiandum fraudibus fuit posteà introductus ejus vsus in certa quantitate pecuniæ, dict. cap. 2. n. 9.
Quam rationabilis fuerit eius origo, cap. 2. n. 11.
Eius licitus usus si conuertatur in abusum, quæ damna, & inconuenientia gignere soleat multis comprobatur exemplis, dict. cap. 2. num. 12.
Tunc esset damnabilis ejus introductio, cum scilicet scinderetur beneficii substantia tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, puta adimendo à Titulari aliquam partem jurisdictionis, dicto cap. 2. num. 14.
Ejus subjectum non est beneficium, neque ejus bona, sed sunt ejusdem beneficii fructus, cap. 7. n. 21.
Pensio propriè dicitur ea reseruatio, quæ fit in certa quantitate pecuniaria, cap. 5. num. 1.
In quo differat à reseruatione fructuum, ibid.
Fiduciaria quæ sit, cap. 5. sub n. 6. in fine.
Voluntaria, beneficio pleno, vsque ad quam summam reseruatur, cap. 6. num. 12.

Perpetuæ, vel temporales reseruationes ad fauorem manus mortuæ, quæ dicantur, cap. 5. n. 7. & cap. 10. n. 10.
Hujusmodi pensiones potius onera fixa, & perpetua, quàm pensiones dici merentur, dict. cap. 10. n. 10.
Reseruari non potest pensio ex priuata partium conuentione, cap. 11. num. 7.
Ejus materia regulanda est à stylo potius Curiæ, quam à jure communi, cui penitus est ignota, cap. 14. n. 1.
Aliquæ propositiones legales, vel rationes juridicæ in hac materia non attenduntur, ob usus, vel styli repugnantiam, cap. 14. num. 2.
Ipsius substantia non est in commercio, nec potest alteri cedi, vel ex alio titulo transferri, absque Beneplacito Apostolico, dict. cap. 14. num. 3.
Non afficit substantiam beneficii, sed importat quamdam portionem fructuum singulorum annorum, per speciem alimentariæ subuentionis, cap. 16. sub num. 15. & cap. 20. n. 3.
Magis rigorosè proceditur in pensionibus, quàm in fructibus beneficiorum, cap. 19. num. 2.
Est titulus, ad quem quis ordinari potest, cap. 20. n. 11.
Æquè, ac beneficium suffragatur quoad priuilegium fori, dict. cap. 20. num. 12. Vide verbo *Forus*.
Quomodo, & quando dicatur titulus promotionis ad ordines, dicto cap. 20. num. 13.
Pensionis reseruatio, an inualida sit si collatio Beneficii corruat, cap. 10. num. 19.

PENSIO QVOAD AMMISSIONEM.

Amittitur pensio per allecutionem militiæ, aut alicujus actus incompatibilis cum Clericatu, cap. 4. n. 6.
Per transitum ad statum conjugalem, cap. 4. n. 8.
Per professionem in approbata Religione, cap. 4. n. 9. & cap. 20. n. 4.

PENSIO QVOAD ASSENSVM TITVLARIS.

In voluntaria reseruatione intercedere debet assensus Titularis, cap. 8. num. 3.
Consensus Titularis in prædicta reseruatione debet esse præstitus de tempore, in quo verisimiliter fraus adesse non potest, dicto cap. 8. num. 9.
Fraus adesse præsumitur, si Titularis præstet consensum in statu infirmæ valetudinis, vel quando cogitabat statum conjugalem, seu militarem assumere, vel si aliàs proxima erat vacatio, dict. cap. 8. num. 9.
An idem dicendum in receptione unius, vel plurium terminorum, cum actuali numeratione, si fiat ab infirmo, vel aliàs vacatione Beneficii imminente, cap. 8. n. 10.
Consensus reseruationem animat, & perficit, & sine illa deficit etiam voluntas Papæ, ibid.
Titularis consentiendo hujusmodi pensioni, an habeat virtutem releuii contra illum, in cujus gratiam id egit, cap. 8. n. 18.

PENSIO QVOAD CAPACITATEM.

Quilibet absque status, gradus, ætatis, vel qualitatis differentia, est pensionum Ecclesiasticarum capax, cap. 4. n. 2.
Infantes an sint pensionum capaces, cap. 4. sub num. 2. & cap. 20. num. 3.
Ex stylo Curiæ Romanæ, nisi fiat expressè reseruatio ad fauorem sæcularis non sunt capaces, nisi Ecclesiastici, cap. 4. num. 3. & cap. 5. sub num. 1.
Capacitas pensionarii in reseruatione voluntaria, quę sit intercedente consensu Titularis, requiritur de tempore præstiti consensus, cap. 8. num. 4.
Capacitas quoad Clericatum quo tempore requiratur?
Vide verbo *Clericatus*.
In Regnis Hispaniarum, & Portugalliæ exteri sunt incapaces pensionum, cap. 9. sub num. 1.
Quid tamen seruatur in praxi, ad effectum ut pensiones reseruari possint fauore exterorum.
Vide verbo *Pensio quoad confidentiam*.
Commoditatis pensionis quisnam capax existat.
Vide verbo *Commoditas*.

PENSIO QVOAD CONCVRSVM CREDITORVM, ET ALIORVM PENSIONARIORVM SVPER FRVCTIBVS.

